

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CX.

B. RABANI MAURI

TOMUS QUARTUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

SÆCULUM IX.

B. RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONEM GEORGII COLVENERII ANNO 1617 COLONIÆ AGRIPPINÆ DATAM, MENDIS QUIBUS SCATEBAT INNUMERIS CURA QUA PAR ERAT EXPURGATAM, NOVISSIME AD PRELUM REVOCATA ET NOVO ORDINE, CHRONOLOGICO SCILICET, DIGESTA;

VARIIS PRÆTEREA MONUMENTIS

QUÆ SUPPEDITARUNT

MABILLONII, MARTENII ET DACHERII COLLECTIONES MEMORATISSIMÆ,

AUCTA ET ILLUSTRATA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS QUARTUS.

VENEUNT 6 VOLUMINA 42 FRANCIS GALLICIS.

—

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

—

1852

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC TOMO CX CONTINENTUR.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

OPERUM OMNIUM PARS SECUNDA

SIVE

Scripta ab ipso edita post relictam abbatialem curam.

HOMILIÆ.

(AB ANNO 826 AD ANNUM 844.)

I

HOMILIÆ DE FESTIS PRÆCIPUIS, ITEM DE VIRTUTIBUS.

PRÆFATIO

AD HAISTULFUM ARCHIEPISCOPUM.

Sancto ac venerabili Patri HAISTULFO archiepiscopo, RABANUS, vilis servitor servitorum Dei.

Jussionibus tuis obtemperans, beatissime Pater, sermonem confeci ad prædicandum populo, de omnibus quæ necessaria eis credidi; hoc est, primum qualem observantiam deberent habere in festivitatibus præcipuis quæ sunt in anni circulo, ut vacantes ab opere mundano, non vacui fierent a verbo divino, sed cognoscentes Dei voluntatem, factis eam implere studerent : deinde texuimus prædicationem illis de diversis speciebus virtutum, id est, de fide, spe et charitate, de castitate, continentia, et cæteris speciebus virtutum, qualiter eas appetentes et custodientes Deo placerent, et vitam æternam in cœlis cum sanctis angelis percipere possent. Postea vero alium adjunximus sermonem de variis errorum et vitiorum seductionibus cum quibus antiquus hostis humanum genus deludit ac decipit : hoc est, de malo superbiæ et jactantiæ, iræ, invidiæ, fraudis, avaritiæ, gulæ et fornicationis, et his similibus, ut scirent Christi oves quomodo lupi ferocissimi et draconis sævissimi morsus evadere, et prævisos cavere possent. Verum quia hæc, diversis occupationibus intervenientibus, simul edere non potui; sed diversis temporibus, prout opportunitas dictaverat, separatim scripta in scedulis tibi transmiseram, peto ut omnia in unum volumen congregari jubeas, et istam epistolam præponi : ut sciant legentes, si aliquid utilitatis in eis repererint, non mei esse studii diligentiam, sed vestri imperii obedientiam. Hoc quoque maxime, vice remunerationis, obsecro, Pater,
A ut meæ parvitati impendas, ut quibuscunque de subjectis, sive devotis, hoc opusculum ad legendum vel ad prædicandum committes, meam fragilitatem apud justissimum Judicem orationibus suis adjuvare præcipias, quatenus præsentis vitæ cursum per suam gratiam diutius teneam, et ad futuram beatitudinem feliciter pervenire merear. Divinitas Domini nostri Jesu Christi beatitudinem vestram omni tempore incolumem conservare dignetur, sancte Pater : memor sis nostri.

HOMILIA PRIMA.

ANTE NATALEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Appropinquante jam sacratissima solemnitate qua Salvator noster inter homines nasci misericorditer
B voluit, fratres charissimi, attentius considerate qualiter oporteat nos in adventu tantæ potentiæ præparari, ut regem et Dominum nostrum læti atque gaudentes cum gloria et laudibus mereamur suscipere, et in conspectu ejus inter cœtus felices sanctorum gratulabundo exsultare magis, quam ab eo, propter fœditatem nostram repulsi, inter peccatores æternam confusionem mereri. Et ideo rogo et admoneo ut, quantum valeamus, cum Dei adjutorio laboremus; ut in illo die cum sincera et pura conscientia, mundo corde et casto corpore, ad altare Domini possimus accedere, et corpus ac sanguinem ejus non ad judicium, sed ad remedium animæ nostræ accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit; ipse Dominus dixit : *Nisi manducaveritis carnem fi-*
C *lii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI). Mutet ergo vitam, qui vult habere vitam : nam si non mutet peccatricem vitam,

ut vivat juste, ad judicium accipiet veram vitam, quæ est corpus Christi, et magis ex ipsa corrumpitur quam sanetur, magis occiditur quam vivificetur. Sic enim dixit Apostolus : *Qui manducat corpus Domini et bibit sanguinem ejus indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Et licet nos omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conveniat, præcipue tamen in die Natalis Domini, sicut in Evangelio ipse dixit (*Matth.* V) : Lucere debent hominibus opera nostra bona, ut in omnibus glorificetur Deus. Perpendite, fratres : si vos rex terrenus aut quicunque potens paterfamilias ad suum natalitium invitaret, qualibus vestimentis studeretis ornati incedere, quam novis, quam nitidis, quam splendidis ; quorum nec vetustas, nec vilitas, nec aliqua fœditas, oculos invitantis offenderet : tali ergo studio in quantum prævaletis, Christo auxiliante, contendite, ut diversis virtutum ornamentis animæ vestræ compositæ, simplicitatis gemmis et sobrietatis floribus adornatæ, ad solemnitatem æterni, id est, Natalem Domini Salvatoris, cum secura conscientia procedant : castitate nitidæ, charitate splendidæ, eleemosynis candidæ, justitia et humilitate fulgidæ, Dei ante omnia dilectione lucidæ. Christus enim Dominus, si vos ita compositos Natalitium suum celebrare cognoverit, ipse per se venire et animas vestras non visitare solum, sed etiam requiescere et in perpetuum in illis dignabitur habitare, sicut scriptum est : *Quia ecce ego veniam et inhabitabo et inambulabo in eis, et ipsi erunt mihi populus, et ego ero eis in Deum, dicit Dominus Deus* (*II Cor.* VI ; *Isai.* LII). O quam felix est illa quæ bonis operibus promeretur Christum hospitem et habitatorem excipere, semper læta, semper hilaris, semper jucunda, et ab omni vitiorum horrore aliena : sicut e contrario, quam infelix est illa conscientia quæ se ita malis operibus cruentavit ut in ea non Christus requiescere, sed diabolus incipiat dominari ; talis anima, si medicamentum pœnitentiæ non cito subvenerit, a luce relinquitur, a tenebris occupatur : vacuatur dulcedine, impletur amaritudine, a morte invaditur, a vita separatur. Non tamen de pietate Domini diffidat, qui talis est, nec mortifera desperatione frangatur ; sed magis ad pœnitentiam cito recurrat, et dum adhuc nova sunt et calent vulnera peccatorum suorum, sic sibi adhibeat lacrymarum medicamenta salubria, quia medicus noster omnipotens est, et sic consuevit plagas nostras curare, ut nec cicatricum faciat vestigia remanere. Tantum fidem in illum habeamus, et bonis operibus, quantum valemus, semper insistamus, et nunquam de ejus misericordia desperemus. Hæc ergo, fratres charissimi, assidue cogitantes, qui boni sunt, cum Dei gratia contendant perseverare in operibus bonis. Quia, non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Qui vero ad eleemosynam tardos, et ad iracundiam promptos, et ad exercendam luxuriam præcipites se cognoscunt, auxiliante Domino, festinent se a malis eruere, ut quæ bona sunt mereantur implere,

A ut cum dies judicii advenerit, non cum impiis et peccatoribus puniantur, sed cum justis et misericordibus pervenire ad æterna præmia mereantur : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

ITEM ANTE NATALEM DOMINI.

Quotiescunque aliquam festivitatem e solemnitatibus sanctorum quæ fiunt per totum annum celebrare desideratis, fratres charissimi, omni studio ac sollicitudine sacrarum virtutum ornamento vosmetipsos præparare statuite, ut condigni fieri valeatis cœlesti convivio et societate sanctorum, cum quibus gaudere appetitis. In divina ergo mensa non cibus in-

B venitur hominum, sed panis ponitur angelorum ; sicut scriptum est : *Panem de cœlo dedit eis ; panem angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII). *Probet autem*, secundum Apostolum, *seipsum homo ; et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*I Cor.* XI). Nam Christus Dominus noster, licet post passionem resurrexerit et in cœlum ascenderit, considerat tamen, ut credimus, et diligenter attendit qualiter se unusquisque servorum ejus sine avaritia, sine ira, sine superbia atque luxuria, ad celebrandum solemnitates sanctorum suorum, et maxime Natalitium suum, studeat præparare, atque componere, et secundum quod unumquemque ornatum bonis operibus viderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. Si enim viderit charitatis luce vestitum, justitiæ vel

C misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, benignum, misericordem, mansuetum et sobrium, ad mensam suam accedere, corpus et sanguinem suum, illi non ad judicium, sed ad remedium, per sacerdotum suorum ministeria dispensabit : si vero aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum, superbum, invidum, dolosum, avarum, detractorem atque injuriosum, timeo ne illi dicatur quod in Evangelio ipse prædixit : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* (*Matth.* XXII) ; et, quod avertat Deus, fiat illud quod sequitur : *Ligate illi manus et pedes et projicite in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Ibid.*). Ecce qualem sententiam in die judicii excipiet, qui sine remedio pœnitentiæ ad festivitatem Domini vitiorum

D sordibus inquinatus accesserit. Et ideo, fratres, quotiescunque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, ante plures dies non ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete ; contra nullum hominum odium in corde vestro tenete ; quod solebat per gulam perdere vanitas, incipiat justitia per misericordiam erogare pauperibus. Nam sunt quidam qui ebrietatem aut nullum aut parvum vitium esse putant, et non reminiscuntur Dominum dixisse apostolis suis : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniet in vos repentina dies illa ;* tanquam laqueus enim veniet super omnes qui sedent super faciem omnis terræ (*Luc.*

XXI). Et Apostolus : *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo est luxuria;* et iterum : *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et propheta dicit : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis* (*Isa.* V); et iterum : *Væ vobis*, inquit, *qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem* (*Ibid.*). Itaque quicunque ad ebrietatem pronus fuerit, et alios ad hoc adjurare vel cogere voluerit, et pro se et pro illis in die judicii reus erit, et Domino reddet rationem. Sed quia nunc Natalis Domini imminet, fratres, ab omni vitiorum sorde vos mundate, ac bonis operibus studiosius vos præparate : castitatem cum propriis uxoribus conservate; nullius rem aut uxorem concupiscite; nemini aliquid per vim aut fraudem auferte; ad conviviola vestra pauperes frequentius revocate; ad vigilias sacras maturius convenite; in ecclesia stantes, aut orate aut psallite; verba otiosa aut scurrilia nec ipsi ibi ex ore vestro proferte, et eos qui proferre voluerint, castigate; pacem cum omnibus habete, et quos discordes agnoscitis, ad concordiam revocate. Hæc fideliter si volueritis Christo adjuvante implere, et in hoc sæculo ad altare Domini cum secura conscientia poteritis accedere, et in futuro ad æternam beatitudinem feliciter pervenire.

HOMILIA III.

DE JEJUNIO DECIMI MENSIS.

[a] Sublimitas quidem, dilectissimi, gratiæ Dei hoc quotidie operatur in cordibus Christianis, ut omne desiderium nostrum a terrenis ad cœlestia transferatur. Sed etiam præsens vita per Creatoris opem ducitur, et per ipsius providentiam sustinetur : quia idem largitor est temporalium, qui promissor est æternorum. Quidquid ergo ad usus hominum segetes, vineæ, oleæque pepererint, totum hoc a divina bonitate profluxit, quæ, elementorum qualitate variata, dubios agricolarum labores clementer adjuvit, ut utilitatibus nostris venti et imbres, frigora et æstus, diesque noctesque servirent. Non enim sibi ad effectus operum suorum ratio humana sufficeret, nisi plantationibus et rigationibus solitis Deus incrementa præberet. Unde plenum pietatis atque justitiæ est, ut de his quæ nobis cœlestis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios adjuvemus. Sicut [Sunt] enim plurimi qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam habent in oleis portionem, quorum inopiæ, de ea quam Dominus dedit copia, consulendum est; ut et ipsi nobiscum Deo pro terræ fecunditate benedicant, et gaudeant possidentibus fuisse donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis fuerunt facta communia. Quos ideo sub diversis molestiis justitia Dei laborare permisit, ut et miseros pro patientia, et misericordes pro benevolentia

A coronaret. Huic autem operi, dilectissimi, cum omnia opportuna sint tempora, hoc nunc præcipue aptum est atque conveniens, in quo sancti patres nostri, per legem instructi ac divinitus inspirati, decimi mensis sanxere jejunium, ut omnium fructuum collectione conclusa, rationabilis Deo abstinentia dicaretur, et meminisset quisque ita uti abundantia, ut et circa se abstinentior, et circa pauperes esset effusior. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio elevata suffragiis, et nihil est uniuscujusque tam proprium, quam quod impendit in proximum. Pars enim corporalium facultatum quæ indigentibus ministratur, in divitias transit æternas. Igitur, fratres, suscepturi Na-
B talem Domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus : repleamus thesauros ejus diversorum munerum donis, ut in die sancta sit unde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes vestiantur, ut per multos gratiarum actio referatur Deo pro nobis, et fiat oblatio nostra sanctificata in Spiritu sancto. Quarta igitur et sexta feria in præsenti hebdomada jejunemus : sabbato autem digne jejunia exsolventes sacratissimarum solemnia apud sanctorum reliquias, qui in hoc sancto loco venerantur, simul celebremus : et maxime apud sancti Petri apostoli memoriam, ad cujus sacratissimum corpus istius diei officium Romana persolvit Ecclesia. Hic igitur sanctissimus apostolus cum cæteris sanctis Dei (sic experimur et credimus) pro commendatis sibi a Domino ovibus
C indesinenter pastorales prætendit excubias, exoraturus deprecationibus suis ut Ecclesia Dei, quæ ipsius est prædicationibus instituta, ab omni errore sit libera et in recta fide ac bono opere perseveret solidata.

HOMILIA IV.

DE NATALI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Rogo vos, fratres charissimi, ut libenti animo sermones quos Dominus dabit, suscipiatis in hac dulcissima die, in qua compunctio etiam infidelibus et peccatoribus venit : in qua misericordia tangitur impius, veniam sperat compunctus, reditum non desperat captivus, remedium desiderat vulneratus; in qua nascitur *Agnus qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Christus utique Salvator noster, in cujus nativi-
D tate, qui conscientiam securam habet, dulcius gaudet; qui miseram, attentius timet; qui bonus est, affectuose orat; qui peccator, devotissime supplicat : dulcis dies, vere dulcis, et cunctis pœnitentibus veniam portans. Promitto vobis, filioli, et certus sum, quia in hac die si quis ex corde pœnituerit, et ad vomitum peccati reversus non fuerit, quodcunque petierit dabitur ei, tantum fide ne dubitet atque delectationem non repetat. Hodie totius mundi peccatum tollitur, et peccator desperat? Sed videte qualis esse debeat pœnitentia, quia multi assidue se dicunt peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare : professio est istud, non emendatio; accusatur anima,

[a] Ex sermone Leonis Magni de jejunio decimi mensis, passim.

non sanatur. Pœnitentiam certam non facit, nisi A odium peccati et amor Dei, quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat. Nascente hodie Domino, fratres charissimi, promittamus ipsi Redemptori nostro vota et reddamus, sicut scriptum est : *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV); nos dulciter et confidenter voveamus, ille dabit possibilitatem ut reddere possimus, nos tamen quidquid illi promittimus, de illo speremus. Sed in hac promissione non æstimet me aliquis designare res caducas et terrenas; nam hoc unusquisque nostrum offerat quod in se Salvator noster redemit, hoc est animam propriam. Et si me ita interrogas quomodo offeram animam meam, quam ipse habet in potestate, dicam tibi quomodo, moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuo- B sis, avertendo a malo, convertendo ad bonum, damnando vitium, amando Deum, diligendo proximum, impendendo misericordiam miseris, quia et ipsi miseri fuimus antequam redimeremur; dimittendo illis qui in nobis peccant, quia et nos omnes sub peccato fuimus; superbiam calcando, quia per superbiam deceptus est primus homo; abjiciendo invidiam, quia per invidiam decepit diabolus genus humanum : si quis luxuriosus hactenus fuit, spondeat deinceps castitatem; si quis invidiam contra fratrem habuit, abjiciat eam et commutet pro illa benevolentiam; si quis homicidium fecit, promittat hodie, et faciat inde modo dignos fructus pœnitentiæ, et communicare nullatenus præsumat ante perfectam pœnitentiam, ut non dupliciter infelix seipsum damnet, eo quod in- C digne corpus Domini percipit; si quis linguam detrahentem vel maledicentem habuit, faciat eam magis orare et laudes Dei resonare; si quis nimiæ potationi deditus est, sobrietatem ex hinc voveat; si quis iracundus fuit, mansuetudinem discat; si quis aliena per vim aut per fraudem rapuit, propria largiatur pauperibus; si quis mentitus sæpius fuit, amodo loquatur veritatem; si quis crudelem se sentit, misericordiam animi moveat; si quis superbus et inobediens erat, spondeat humilitatem et obedientiam coram Deo et hominibus se habiturum. Et cum hæc feceritis, charissimi, offertis votum placabile Deo, et angeli qui custodes vitæ vestræ sunt, ante conspectum divinæ majestatis talem oblationem offerunt, D et post hæc veniet vobis benedictio et salus permansura, et sicut dixit Salomon (*Sap.* XVI) : *Monimentum vestrum non accipiet oblivionem.* Et dicetur de vobis : *Ecce populus meus, quem acquisivi sanguine meo, saturavit me votis, implevit me odoramentis : ego ero eis quasi Dominus, et ipsi erunt mihi in populum; et non erit in eis ultra captivitas et desolatio, dicit Dominus Deus.* Hanc ergo promissionem habentes, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei; et sic hanc præsentem festivitatem celebrare studeamus, ut cœlesti sanctorum gaudio in æternum perfrui mereamur : præstante hoc auctore istius solemnitatis Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

ITEM IN NATALI DOMINI.

Exsultemus in Domino, dilectissimi, et spiritali jucunditate lætemur : quia illuxit dies redemptionis nostræ, reparationis novæ, felicitatis æternæ, in qua dignum est nos sursum erectis cordibus divinum adorare mysterium, ut quod magno Dei munere agitur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cœlesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens : novo ordine generatus; novo ordine, quia, invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris : incomprehensibilis, voluit comprehendi; ante tempora manens, esse cœpit ex tempore; universitatis Dominus, servilem formam, obumbrata majestatis suæ dignitate, suscepit : impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; et immortalis, mortis legibus subjacere. Quisquis igitur Christiano nomine pie et fideliter gloriaris, dispensationis hujus gratiam juste perpende judicio : tibi enim quondam propter prævaricationem abjecto, tibi extruso e paradisi ædibus, tibi per exsilia longa morienti, tibi in cinerem et pulverem dissoluto, cui jam non erat spes ulla vivendi, per incarnationem Verbi potestas data est ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium : ut qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei Spiritu renascaris, et obtineas per gratiam quod non habes per naturam. Habentes ergo tantæ spei fiduciam, dilectissimi, in fide qua fundati estis stabiles permanete; hoc operibus condignis exhibete, quod dicti estis : insigne enim nomen Domini vestri portatis, et a Christo Christiani nuncupati estis; quod tunc vere fit si Christi præcepta servetis, et Patris cœlestis voluntatem faciatis. Nolite despicere fratres vestros minimos, cum quibus consortium nominis Christi tenetis : sed illos ad convivia vestra, secundum Domini præceptum, frequentius revocate. Non est justum ut in sancta solemnitate, in populo Christiano ad unum Dominum pertinente, alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos, et omnis populus Christianus, unius Domini servi sumus, uno pretio redempti sumus, pari conditione in hunc mundum intravimus, simili etiam exitu migraturi sumus, et si bene agimus, ad unam beatitudinem pariter veniemus. Quare ergo pauper tecum non accipiat cibum, qui tecum accepturus est regnum : quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam; quare pauper non mereatur accipere panem tuum, qui tecum meruit accipere baptismi sacramentum : cur indignus est accipere vel reliquias ciborum tuorum, qui tecum venturus est ad convivium angelorum? Hæc, fratres, attentius considerate, hæc sine mora implere festinate, ut cum dies judicii venerit, non, cum eis qui nunc pauperes despiciunt, audiamus : *Discedite a me, maledicti, in*

ignem æternum (*Matth.* xxv); sed cum justis et misericordibus audire mereamur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum: quia esurivi et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere* (*Ibid.*). Quam desiderabilem vocem concedat nobis audire, qui hodie natus est, Redemptor noster: qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

IN OCTAVIS DOMINI.

Audistis modo ex lectione evangelica, fratres charissimi, causam istius sacratissimæ festivitatis: quia, ut scripsit sanctus Lucas evangelista: *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur* (*Luc.* II). Ille puer videlicet qui *erat in principio* apud Patrem *Verbum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I). Sed quid est hoc, ut octava die circumcideretur puer, nisi quia cum verus esset Deus, et erat semper apud Patrem: ita erat verus homo propter nos et veram carnem suscepit propter salutem nostram. Et ita erat Christus Dominus una persona in duabus substantiis, id est in substantia Dei, et in substantia hominis absque peccato; et ita est verum quod subsequentia Evangelii de eo testantur: *Et verbum,* inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis.* Quia igitur Redemptor noster ad hoc in mundo nasci voluit, ut secundum nomen suum genus salvaret humanum, unicuique ordini se competenter aptavit. Circumcidi secundum legem voluit, ut eos qui sub lege erant redimeret. Hostias pro se templi Dominus non respuit offerri, ut eorum Redemptor appareret qui ab exordio mundi usque ad tempora datæ circumcisionis, vel post datam circumcisionem, de aliis nationibus Deo placuerunt, et vel hostiarum oblationibus, vel certe sola fidei virtute suas suorumque animas Creatori commendantes, a primi reatus vinculis absolvere curabant. Ad extremum quoque, id est jam tricesimo ætatis suæ anno, baptizatus a Joanne, ut demonstraret nostræ munditiæ esse auctorem, et quod ipse esset *Agnus qui tollit peccata* totius *mundi* (*Joan.* I). Sed et hoc quia eodem die suæ circumcisionis nomen ut Jesus vocaretur accepit, ad imitationem antiquæ observationis fecit: quia Abraham, qui primus circumcisionem accepit, eodem die suæ circumcisionis ob meritum magnæ fidei, Abraham, id est pater multarum gentium, nominari promeruit (*Gen.* XVII); qui antea *pater excelsus* dictus est, et ita in lege, qui sub lege erant, circumcisis, statim nomina imponebant. Et sic Christiani modo, eodem exemplo, solent tempore baptismatis baptizatis nomina imponere, ut auctoritati conveniat, quia religio commendat. Quid autem hæc circumcisio legalis significet, propheta ostendit dicens: *Circumcidite corda vestra, et non corpora.* Quam circumcisionem cordis Apostolus nobis commendat: Deponite, inquit, veterem homi-

A nem cum actibus ejus, qui corrumpitur secundum desideria erroris: et induamini novum hominem, qui renovatur de die in diem secundum imaginem ejus qui creavit eum (*Ephes.* IV). Veteris ergo, id est peccatoris, hominis actus sunt: *Jactantia, avaritia, fornicatio, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, furta, ebrietates, comessationes, et his similia: quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Gal.* V). Novi autem hominis, id est justi, opera sunt: *charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modestia, patientia, continentia, humilitas, sobrietas,* et his similia; qui autem in his servit, placet Deo, et probatus est hoB minibus. Hac rogo, fratres, circumcisione vosmetipsos circumcidite, ut ejus fieri membra mereamini, qui hodie propter nos circumcidi voluit, et nomen accipere, quod prius angelica de eo præcinebant oracula, Jesus Christus salvator noster: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia et infinita sæcula. Amen.

HOMILIA VII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Nuper solemnitatem illam celebravimus, fratres charissimi, qua Deus hominem cum infirmitatibus induit; ac paulo post quod eumdem circumcidi secundum legem voluit. Modo vero illud excolimus ac divinis laudibus veneramur, quod se in homine Deus virtutibus declaravit. Hæc quoque festivitas Græco C vocabulo Epiphania nuncupatur: quod nos *manifestationem* interpretari possumus, pro eo quod in hac die de cœlo stellæ ortus divina nuntia præbuit, ac Magos diligenter quærentes ad cunabula perduxit: sive quod in Jordanis undis Salvator aquarum naturam ad reparationem humani generis suo baptismo consecravit, ac Spiritus sancti adventu et paternæ vocis præconio verus Deus innotuit: sive quod in Cana Galilææ in convivio nuptiali, aquam in vinum convertit; et, sicut Evangelium testatur, initio signorum suorum manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus: sive quia quinque panibus quinque millia hominum satiavit; et turbæ professione: *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum* (*Joan.* VI), prædicatus est. His ergo auD ditis omnibus sacramentis, sicut sancti patres nobis tradiderunt, hodierna dies venerabilis exstitit, eo quod talibus indiciis hodie Deus in homine Christus manifestatus est. Habent quidem omnes istæ res mysteria veneranda, sed tunc nihil aliud nobiscum agunt quam quod fidem catholicam nobis commendent, illam videlicet quæ per dilectionem operatur; et nos taliter vivere doceant, ut nostro per omnia placeamus Creatori. Sed libet, fratres, aliquid vobis dicere de illis tribus muneribus quæ Magi hodierna die Redemptori nostro offerebant. Obtulerunt quidem illi, sicut modo audistis, cum evangelium legeretur, aurum, thus et myrrham. Sed istorum triplicium munerum triplex significatio continetur: in

thure obtulerunt Christo Dei honorem; in auro, regiam dignitatem; in myrrha, corporis sepulturam. Offeramus ergo et nos, dilectissimi fratres, sincera et sancta munera Deo nostro, id est, fidem, spem et charitatem. Offeramus aurum sapientiæ, thus devotæ orationis, myrrham in mortificatione carnis. Offeramus devotionem carnis, honestatem locutionis, probitatem operis. Offeramus puritatem mentis, castitatem corporis et custodiam humilitatis. Offeramus compatientiam, longanimitatem et continentiam. Offeramus benignitatem, sobrietatem et misericordiam. Hæc sunt enim placita Deo dona, hæc grata munera, quæ illi quidem offeruntur, sed offerentibus prosunt: nulla enim re ille, nullo munere eget; sed hoc illi munus optimum est ut causas habeat remunerandi. Nihil a nobis amplius exigit, nihil amplius petit, nisi salutem nostram: omnia enim sibi a nobis præstari putat, si ita nos egerimus ut nobis ab illo cuncta præstentur. Sed ab illo hujus rei nobis petenda est efficacia, ut misericordia ejus nos præveniat, et misericordia ejus subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ, ut inhabitemus in domo Domini in longitudinem dierum: quod ipse præstare dignetur qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

IN HYPAPANTI SIVE OBLATIONE DOMINI IN TEMPLO.

Sanctam ac celeberrimam solemnitatem hodiernæ celebritatis, fratres charissimi, qua quadragesimam Dominicæ Nativitatis diem debitis veneramur officiis, maxima ejusdem Domini salvatoris nostri, simul et intemeratæ genitricis ejus humilitate dedicatam, sacra Evangelii lectio quæ modo legebatur designat; exponens eos qui legi nil debebant, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis: et ob id, tempus purgationis secundum legem Moysi modo eos observasse commemorat. Præcepit namque lex (*Levit.* XII) ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et in die octavo circumcideret infantulum nomenque aptaret. Deinde etiam aliis triginta tribus diebus ab ingressu templi ac viri toro abstineret, donec quadragesimo nativitatis die filium cum hostiis ad templum Domini deferret. Primogenitum autem omnem masculini sexus, sanctum Domino vocari, atque ideo munda quæque offerri Deo, immunda autem mundis mutari vel occidi; et hominis primogenitum quinque siclis argenti debere redimi, et reliqua quæ liber Leviticus enumerat sufficienter. Cum enim dicat lex mulierem quæ suscepto semine peperisset, immundam decerni, et per longa tempora simul cum prole quam genuisset, oblatis Deo victimis, debere mundari, profecto patet quia illam quæ sine virilis susceptione seminis virgo peperit, una cum filio qui natus est ei, neque immundam describat, neque per hostias doceat esse mundandam. Sed, sicut Dominus ac salvator noster, qui legem divinitus dedit, apparens in homine, fieri voluit sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipe-

A remus; ita etiam beata genitrix illius, pro ostendendo humilitatis exemplo, legalibus subdi non refugit institutis. Et *ut darent*, inquit, *hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*. Hostia hæc pauperum erat, præcepitque Dominus in lege ut qui possent, agnum pro filio vel filia, simul et turturem sive columbam offerrent: qui vero hoc non possent, duos jam turtures vel duos pullos columbæ offerrent. Redemptor itaque noster, per omnia nostræ salutis memor, non solum homo fieri, cum Deus esset; sed etiam, cum dives esset, pauper fieri voluit pro nobis, ut nos paupertate sua divites faceret, et humanitate sua Deo filios adoptaret. Sed quia hodie adventus Salvatoris cum genitrice sua ad templum solemnia
B colimus, imitemur nos personas illas quæ obviam ei illuc venerunt, sicut modo ex evangelio audivimus; quod sanctus Simeon, a Spiritu sancto in templum adductus, in ulnas suas puerum acceperit, et benedixerit Dominum; et quia Anna religiosa femina atque vidua, eadem hora superveniens confitebatur Deo et loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. Veniamus et nos obviam Jesu, et exsultantes suscipiamus eum ulnis bonorum operum: et confiteamur nomini ejus magno, et enarremus misericordiam ejus, et mirabilia ejus quæ fecit nobiscum omnibus qui exspectant redemptionem Jerusalem et consolationem Israel. Quam consolationem Psalmista in Spiritu prævidens, ait: *Lætificabis nos, Domine, in gaudio cum vultu tuo, dele-*
C *ctationes in dextera tua usque in finem*. Offeramus illi simplicitatem mentis, quod significat columba; offeramus corporis castitatem, quod turtur figurat; offeramus illi cum sobrietate conversationis compunctionem cordis, quam significat cantus utrarumque avium; dicit enim Scriptura: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L). Ista sunt dona, ista sunt sacrificia, quibus Christus delectatur et gaudet. *Vetera transierunt, ecce omnia facta sunt nova*; sicque ipsi erimus hostia grata Deo, si præterita peccata nostra fletibus et misericordiæ operibus abluamus; et quod supernæ beatitudinis desiderio compuncti, bene viventes, quotidie Deo in oratione dicamus: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et*
D *apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) Quod desiderium nostrum ad effectum perducat, qui propter nos incarnatus est, et semetipsum tradidit ut redimeret nos in sanguine suo, Christus salvator noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

IN DOMINICA I QUADRAGESIMÆ.

De jejunio Domini et ratione quadragesimalis jejunii, et castitate atque continentia cum propriis uxoribus. (*Evang. Matth., cap.* IV.)

Lectio sancti Evangelii quam modo audistis, fratres charissimi, hujus sacratissimæ observationis revelat exordium; cum Dominici nobis jejunii ex-

ponit sacramentum. Narrat enim sanctus evangelista Matthæus quod Salvator noster post baptismum suum et post descensionem Spiritus sancti super ipsum, ab eodem Spiritu ductus sit in desertum ut tentaretur a diabolo; et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit, eumque tentator adiens, tentaverit: sed veris sententiis divinæ legis victus, et Domini mandato repulsus, abscesserit, et post discessum diaboli, angeli sancti accedentes, Redemptori nostro, ut vero Domino et conditori, ministraverint. Nobis ergo in his omnibus Redemptor noster, fratres dilectissimi, exemplum dedit, quia nobis jejunavit, nobis contra tentatorem conflixit, nobisque superavit. Victoria Christi gloria est nostra: sicque nos per abstinentiam carnem nostram mortificantes, animas nostras debemus præparare ad tentationem, et per orationem et Dei verbum victoriam capientes, æternam cum sanctis angelis in cœlo sperare beatitudinem. Sed quia diebus his lectio congruit: nam quadraginta dierum abstinentiam nostri Redemptoris audivimus, qui quadragesimæ tempus inchoamus, discutiendum nobis est cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierum numerum custoditur. Moyses enim, ut legem acciperet secundo, diebus quadraginta jejunavit (*Exod.* XXIV); Elias in deserto quadraginta diebus abstinuit (*III Reg.* XIX). Ipse auctor hominum ad homines veniens in quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit, nos quoque, in quantum possumus, annuo tempore Quadragesimæ carnem nostram per abstinentiam affligere conamur. Cur ergo in abstinentia quadragenarium numerum custodimus, nisi quia contra præcepta Domini, sive per corporis voluptatem, seu per affectus animi fecimus? In hoc quippe mortali corpore ex quatuor elementis, id est terra, aqua, igne et aere, subsistimus; et quatuor affectibus animi, id est metu, cupiditate, tristitia et gaudio afficimur. Præcepta autem Dominica per decalogum sunt accepta: qui ergo per carnis desideria atque affectus animi decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eamdem carnem per jejunium et pœnitentiæ luctum quater decies affligamus. Quamvis de hoc Quadragesimæ tempore sit aliud adhuc quod possit intelligi: a præsenti etenim die usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta et duo fiunt, ex quibus dum sex Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus jam in abstinentia quam triginta et sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta et quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta et sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus per temperantiam, justitiam, prudentiam et fortitudinem. Et qui nobismetipsis in desideriis per totum annum viximus, auctori nostro in ejus decimis per abstinentiam carnem nostram mortificemus. Nullusque in isto sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, prandere præsumat, nisi forte ille quem infirmitas jejunare non permittit: quia aliis diebus jejunare aut remedium est aut præmium, in Quadra-

A gesima vero non jejunare, peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima quoque, qui potest, et non jejunat, sentiet pœnam. Et ipse tamen qui jejunare non prævalet secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso sibi in domo sua præparet quod accipiat; et illos qui jejunare prævalent, ad prandium non invitet, ne sibi augeat etiam de alterius gula peccatum. Castitatem, fratres, cum propriis uxoribus tenete; ecclesias frequentate; ad nocturnas vigilias maturius exsurgite; ad sacra missarum solemnia, si possibile sit, quotidie convenite; orationi sæpe incumbite; veniam peccatorum vestrorum indesinenter petite; eleemosynarum largitate peccatorum flammas exstinguite; per bona opera conditori vestro reconciliari studete; B pacem cum omnibus habete; quatenus sic sanctum Pascha expectantes, gratiam in conspectu Redemptoris nostri invenire valeatis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

IN DOMINICA II QUADRAGESIMÆ.

De pœnitentia ex corde facienda et eleemosynarum largitate. (*Evang. Matth.* XV.)

Quadragesimæ tempus modo colimus, sicut nostis, fratres charissimi, quod ab ipsius Domini magisterio ordinatum, et ab apostolis atque apostolicis viris commendatum, catholica per totum orbem terrarum veneratur Ecclesia. Quod bene et apte juxta confinium Dominicæ passionis observari a patribus de- C cretum est, ut, secundum Apostolum, passionibus Christi communicantes, ejus mereamur resurrectionis fieri consortes. Quod tunc digne fit si, ex corde pœnitentes, cunctas vitæ præteritæ maculas his sanctis diebus per jejunium et quotidianas preces et lacrymas studeamus abluere, sicut et nos docet Dominus per prophetam dicens: *Convertimini ad me*, inquit, *in toto corde vestro, in jejunio et fletu, et planctu: et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitiam* (*Joel.* II). Et item: *Nolo*, inquit, *mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Sed forte aliquis in corde suo ita dicit: Vellem quidem jejunare, sed non pos- D sum; vellem a carne et vino abstinere, sed non permittit me infirmitas. Nam et in hoc do consilium: Ergo si non potes jejunare, eleemosynam tribue; et quanto infirmior es in uno, tanto largior sis in altero. Bonum est jejunare, fratres, sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis utrumque potest, optimum est; si vero non potest, melius est eleemosynam dare, quia tale est jejunium sine eleemosyna qualis sine oleo est lucerna. Nam sicut lucerna quæ sine oleo accenditur, fumare potest, lucem habere non potest, ita jejunium sine eleemosyna carnem quidem cruciat, sed charitatis lumine animam non illustrat; unde scriptum est: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Sed forte hæc

thure obtulerunt Christo. Dei honorem ; in auro, regiam dignitatem ; in myrrha, corporis sepulturam. Offeramus ergo et nos, dilectissimi fratres, sincera et sancta munera Deo nostro, id est, fidem, spem et charitatem. Offeramus aurum sapientiæ, thus devotæ orationis, myrrham in mortificatione carnis. Offeramus devotionem carnis, honestatem locutionis, probitatem operis. Offeramus puritatem mentis, castitatem corporis et custodiam humilitatis. Offeramus compatientiam, longanimitatem et continentiam. Offeramus benignitatem, sobrietatem et misericordiam. Hæc sunt enim placita Deo dona, hæc grata munera, quæ illi quidem offeruntur, sed offerentibus prosunt : nulla enim re ille, nullo munere eget; sed hoc illi munus optimum est ut causas habeat remunerandi. Nihil a nobis amplius exigit, nihil amplius petit, nisi salutem nostram : omnia enim sibi a nobis præstari putat, si ita nos egerimus ut nobis ab illo cuncta præstentur. Sed ab illo hujus rei nobis petenda est efficacia, ut misericordia ejus nos præveniat, et misericordia ejus subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ, ut inhabitemus in domo Domini in longitudinem dierum : quod ipse præstare dignetur qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

IN HYPAPANTI SIVE OBLATIONE DOMINI IN TEMPLO.

Sanctam ac celeberrimam solemnitatem hodiernæ celebritatis, fratres charissimi, qua quadragesimam Dominicæ Nativitatis diem debitis veneramur officiis, maxima ejusdem Domini salvatoris nostri, simul et intemeratæ genitricis ejus humilitate dedicatam, sacra Evangelii lectio quæ modo legebatur designat; exponens eos qui legi nil debebant, implendis se legalibus per omnia subdidisse decretis : et ob id, tempus purgationis secundum legem Moysi modo eos observasse commemorat. Præcepit namque lex (*Levit.* XII) ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et in die octavo circumcideret infantulum nomenque aptaret. Deinde etiam aliis triginta tribus diebus ab ingressu templi ac viri toro abstineret, donec quadragesimo nativitatis die filium cum hostiis ad templum Domini deferret. Primogenitum autem omnem masculini sexus, sanctum Domino vocari, atque ideo munda quæque offerri Deo, immunda autem mundis mutari vel occidi ; et hominis primogenitum quinque siclis argenti debere redimi, et reliqua quæ liber Leviticus enumerat sufficienter. Cum enim dicat lex mulierem quæ suscepto semine peperisset, immundam decerni, et per longa tempora simul cum prole quam genuisset, oblatis Deo victimis, debere mundari, profecto patet quia illam quæ sine virilis susceptione seminis virgo peperit, una cum filio qui natus est ei, neque immundam describat, neque per hostias doceat esse mundandam. Sed, sicut Dominus ac salvator noster, qui legem divinitus dedit, apparens in homine, fieri voluit sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipe-

A remus ; ita etiam beata genitrix illius, pro ostendendo humilitatis exemplo, legalibus subdi non refugit institutis. Et *ut darent*, inquit, *hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hostia hæc pauperum erat, præcepitque Dominus in lege ut qui possent, agnum pro filio vel filia, simul et turturem sive columbam offerrent : qui vero hoc non possent, duos jam turtures vel duos pullos columbæ offerrent. Redemptor itaque noster, per omnia nostræ salutis memor, non solum homo fieri, cum Deus esset ; sed etiam, cum dives esset, pauper fieri voluit pro nobis, ut nos paupertate sua divites faceret, et humanitate sua Deo filios adoptaret. Sed quia hodie adventus Salvatoris cum genitrice sua ad templum solemnia

B colimus, imitemur nos personas illas quæ obviam ei illuc venerunt, sicut modo ex evangelio audivimus ; quod sanctus Simeon, a Spiritu sancto in templum adductus, in ulnas suas puerum acceperit, et benedixerit Dominum ; et quia Anna religiosa femina atque vidua, eadem hora superveniens confitebatur Deo et loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. Veniamus et nos obviam Jesu, et exsultantes suscipiamus eum ulnis bonorum operum : et confiteamur nomini ejus magno, et enarremus misericordiam ejus, et mirabilia ejus quæ fecit nobiscum omnibus qui exspectant redemptionem Jerusalem et consolationem Israel. Quam consolationem Psalmista in Spiritu prævidens, ait : *Lætificabis nos, Domine, in gaudio cum vultu tuo, dele-*

C *ctationes in dextera tua usque in finem.* Offeramus illi simplicitatem mentis, quod significat columba ; offeramus corporis castitatem, quod turtur figurat ; offeramus illi cum sobrietate conversationis compunctionem cordis, quam significat cantus utrarumque avium ; dicit enim Scriptura : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L). Ista sunt dona, ista sunt sacrificia, quibus Christus delectatur et gaudet. *Vetera transierunt, ecce omnia facta sunt nova* ; sicque ipsi erimus hostia grata Deo, si præterita peccata nostra fletibus et misericordiæ operibus abluamus ; et quod supernæ beatitudinis desiderio compuncti, bene viventes, quotidie Deo in oratione dicamus :

D *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) Quod desiderium nostrum ad effectum perducat, qui propter nos incarnatus est, et semetipsum tradidit ut redimeret nos in sanguine suo, Christus salvator noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

IN DOMINICA I QUADRAGESIMÆ.

De jejunio Domini et ratione quadragesimalis jejunii, et castitate atque continentia cum propriis uxoribus. (*Evang. Matth., cap.* IV.)

Lectio sancti Evangelii quam modo audistis, fratres charissimi, hujus sacratissimæ observationis revelat exordium ; cum Dominici nobis jejunii ex-

ponit sacramentum. Narrat enim sanctus evangelista Matthæus quod Salvator noster post baptismum suum et post descensionem Spiritus sancti super ipsum, ab eodem Spiritu ductus sit in desertum ut tentaretur a diabolo; et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit, eumque tentator adiens, tentaverit: sed veris sententiis divinæ legis victus, et Domini mandato repulsus, abscesserit, et post discessum diaboli, angeli sancti accedentes, Redemptori nostro, ut vero Domino et conditori, ministraverint. Nobis ergo in his omnibus Redemptor noster, fratres dilectissimi, exemplum dedit, quia nobis jejunavit, nobis contra tentatorem conflixit, nobisque superavit. Victoria Christi gloria est nostra: sicque nos per abstinentiam carnem nostram mortificantes, animas nostras debemus præparare ad tentationem, et per orationem et Dei verbum victoriam capientes, æternam cum sanctis angelis in cœlo sperare beatitudinem. Sed quia diebus his lectio congruit: nam quadraginta dierum abstinentiam nostri Redemptoris audivimus, qui quadragesimæ tempus inchoamus, discutiendum nobis est cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierum numerum custoditur. Moyses enim, ut legem acciperet secundo, diebus quadraginta jejunavit (*Exod.* XXIV); Elias in deserto quadraginta diebus abstinuit (*III Reg.* XIX). Ipse auctor hominum ad homines veniens in quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit, nos quoque, in quantum possumus, annuo tempore Quadragesimæ carnem nostram per abstinentiam affligere conamur. Cur ergo in abstinentia quadragenarium numerum custodimus, nisi quia contra præcepta Domini, sive per corporis voluptatem, seu per affectus animi fecimus? In hoc quippe mortali corpore ex quatuor elementis, id est terra, aqua, igne et aere, subsistimus; et quatuor affectibus animi, id est metu, cupiditate, tristitia et gaudio afficimur. Præcepta autem Dominica per decalogum sunt accepta: qui ergo per carnis desideria atque affectus animi decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eamdem carnem per jejunium et pœnitentiæ luctum quater decies affligamus. Quamvis de hoc Quadragesimæ tempore sit aliud adhuc quod possit intelligi: a præsenti etenim die usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta et duo fiunt, ex quibus dum sex Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus jam in abstinentia quam triginta et sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta et quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta et sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus per temperantiam, justitiam, prudentiam et fortitudinem. Et qui nobismetipsis in desideriis per totum annum viximus, auctori nostro in ejus decimis per abstinentiam carnem nostram mortificemus. Nullusque in isto sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, prandere præsumat, nisi forte ille quem infirmitas jejunare non permittit: quia aliis diebus jejunare aut remedium est aut præmium, in Quadra-

A gesima vero non jejunare, peccatum est. Alio tempore qui jejunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima quoque, qui potest, et non jejunat, sentiet pœnam. Et ipse tamen qui jejunare non prævalet secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso sibi in domo sua præparet quod accipiat; et illos qui jejunare prævalent, ad prandium non invitet, ne sibi augeat etiam de alterius gula peccatum. Castitatem, fratres, cum propriis uxoribus tenete; ecclesias frequentate; ad nocturnas vigilias maturius exsurgite; ad sacra missarum solemnia, si possibile sit, quotidie convenite; orationi sæpe incumbite; veniam peccatorum vestrorum indesinenter petite; eleemosynarum largitate peccatorum flammas exstinguite; per bona opera conditori vestro reconciliari studete; B pacem cum omnibus habete; quatenus sic sanctum Pascha expectantes, gratiam in conspectu Redemptoris nostri invenire valeatis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

IN DOMINICA II QUADRAGESIMÆ.

De pœnitentia ex corde facienda et eleemosynarum largitate. (*Evang. Matth.* XV.)

Quadragesimæ tempus modo colimus, sicut nostis, fratres charissimi, quod ab ipsius Domini magisterio ordinatum, et ab apostolis atque apostolicis viris commendatum, catholica per totum orbem terrarum veneratur Ecclesia. Quod bene et apte juxta confinium Dominicæ passionis observari a patribus de- C cretum est, ut, secundum Apostolum, passionibus Christi communicantes, ejus mereamur resurrectionis fieri consortes. Quod tunc digne fit si, ex corde pœnitentes, cunctas vitæ præteritæ maculas his sanctis diebus per jejunium et quotidianas preces et lacrymas studeamus abluere, sicut et nos docet Dominus per prophetam dicens: *Convertimini ad me,* inquit, *in toto corde vestro, in jejunio et fletu, et planctu: et scindite corda vestra et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitiam* (*Joel.* II). Et item: *Nolo,* inquit, *mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Sed forte aliquis in corde suo ita dicit: Vellem quidem jejunare, sed non pos- D sum; vellem a carne et vino abstinere, sed non permittit me infirmitas. Nam et in hoc do consilium: Ergo si non potes jejunare, eleemosynam tribue; et quanto infirmior es in uno, tanto largior sis in altero. Bonum est jejunare, fratres, sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis utrumque potest, optimum est; si vero non potest, melius est eleemosynam dare, quia tale est jejunium sine eleemosyna qualis sine oleo est lucerna. Nam sicut lucerna quæ sine oleo accenditur, fumare potest, lucem habere non potest, ita jejunium sine eleemosyna carnem quidem cruciat, sed charitatis lumine animam non illustrat; unde scriptum est: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Sed forte hæc

audiens aliquis, apud se ita cogitat, dicens : Vellem eleemosynam dare, sed non habeo omnino quod tribuam. Illis ergo qui non habuerint unde tribuant, sufficit voluntas bona, secundum illud quod scriptum est, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Sed quis est qui se excusare potest, cum etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus promiserit redditurum esse? (*Matth.* x.) Et quare *frigidæ* dixit, ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut certe dicere se vasculum ubi aquam calefaciat non habere. Denique et per prophetam ita Dominus hortatur, et eo modo admonet eleemosynam fieri, ut prope nullus pauper sit qui se excusare valeat; sic enim ait : *Hoc est jejunium quod elegi, dicit Dominus : Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam* (*Isa.* LVIII). Non dixit ut integrum panem daret, cum forte ille pauper alium non haberet, sed *frange*, inquit; ac si diceret : Si tanta tibi paupertas est ut non habeas nisi unum panem, ex ipso quoque frange, et pauperibus tribue : *Et egenos vagosque induc in domum tuam*, quasi dicat : Si te tam pauperem esse conquereris quod non habeas unde pauperi cibum tribuas, saltem vel in uno angulo domus tuæ peregrino præpara lectulum. *Si videris*, inquit, *nudum, veste cooperi eum*, non dixit purpura, vel pretiosis vestibus, indue eum, sed *cooperi eum*, hoc est indumentis, qualibus habes, nuditatem ejus tege. *Et carnem tuam*, inquit, *ne despexeris*, hoc est, omnem hominem qui naturæ tuæ particeps est. Quid nos ad hæc dicturi sumus, fratres; vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas et spatiosas domus habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum : ignorantes, imo non credentes, quod in omnibus peregrinis Christus suscipitur, sicut ipse dixit : *Hospes fui et suscepistis me* (*Matth.* XXV); et : *Quandiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Ibid.*). Laboriosum et fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in patria nostra, timeo ne nobis ille iterum vicem reddat, et nos non recipiat in beatitudinem suam. Contemnimus illum in mundo, timeo ne nos ille iterum contemnat in cœlo, secundum illud quod ipse dixit : *Esurivi et non dedistis mihi manducare, et hospes fui et non suscepistis me*; et : *Quandiu non fecistis uni ex minimis istis, nec mihi fecistis*; et quod tunc his ipse judex dicet, avertat, fratres, Deus hoc a nobis : *Discedite*, inquit, *a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*; quod nos evitare, et illud magis audire quod beatis et eleemosynæ largitoribus ille dicturus est : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*, ipse concedat, qui redemit nos in sanguine suo, Christus, salvator et judex noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

IN DOMINICA III QUADRAGESIMÆ.

De assiduitate orationis, et quod ad ecclesiam conveniendum, et quod non licet cuiquam venatum vel aleas in sanctis diebus exercere.

Apostolus Petrus exhortatur nos, fratres charissimi, quod cauti simus ac solliciti erga salutem animarum nostrarum, ne forte, per insidias hostis antiqui circumventi, peccatorum laqueis irretiamur, et enormi scelerum catena constricti, æterno deputemur interitui. *Vigilate*, inquit, *et orate, ut non intretis in tentationem, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* v). Et ideo omni tempore, maxime autem his sacratissimis diebus, operam debemus impendere vigiliis et orationi, quatenus per gratiam Christi tentatoris versutissimi dolos et nequitias possimus evadere et in Dei servitio sedulo permanere. Omni quidem tempore et die noctuque, sine somno ac sine requie, diabolus et angeli ejus circumeunt populum Christianum, et quærunt quem venenatis artibus suis decipere possint : maxime autem tunc infesti sunt, cum vident servos Dei, Ecclesiam videlicet Christi, bellum contra se disponere, et sub Christo rege totis viribus militare velle. Angustatur enim tunc hostis ille nequissimus, quando oves quondam suas recedere velle conspicit, fremit, irascitur, furit, et totis viribus adversus eas commovetur, perire sibi existimans quidquid Christo salvatur. Quia ergo, fratres dilectissimi, ad Domini sacramentum percipiendum quadraginta dierum jejunio præparamur, intenti simus ad orationem, ad sacras ecclesias conveniendum, ad offerendum ibi Domino preces et supplicationes devotas. Jejunemus tot diebus pro peccatis nostris, quot pro sceleribus nostris Dominus jejunavit. Illum post baptismum tentavit diabolus; non sciebat Dei Filium esse, et propterea tentare præsumebat : nos autem quia scit filios Dei fieri velle, propterea expugnare nititur, et quasi serpens lubricus, nostros involvere pedes, ne ascendere valeamus ad cœlum. Si ergo Dominum tentare ausus est versipellis et nequam, quanto magis nos decipere non timebit? Si contra Filium Dei et figulum suum vas perditum repugnavit, quanto magis contra nos, qui puri homines sumus, audebit irruere? Sed heu, proh dolor! sunt aliqui tales qui in his sanctis diebus magis student terrenis negotiis aut vanis aleæ ludis, aut venatui, aut audiendis causis vacare, quam verbum Dei audire aut orationi insistere. An putatis illum jejunare, fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit silvasque perlustrat, ac servulos suos pertrahit secum, fortasse ad ecclesiam magis festinantes, et voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens se reum futurum tam de suo delicto quam de perditione servorum? Tota igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immode-

ratum efferens, nunc silentium latenter indicens; lætus si aliquid ceperit, iratus si id quod non habebat amiserit; et tanto studio gerit quasi ideo indictum jejunium fuerit ut venetur. Et sunt plerique qui de venatibus redeuntes, magis canum quam servorum curam gerunt, et faciunt eos juxta se recumbere vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes, qui utrum servus ejus fame moriatur ignorat; et quod est gravius, si diligenter his præparatum non fuerit, pro cane servus punitur, vel etiam occiditur. Videntur enim in nonnullorum domibus nitidi et crassi canes discurrere, homines autem pallentes et titubantes incedere. Isti ergo quomodo aliquando pauperibus extraneis miserebuntur, qui minime propriis famulis miserentur. Scire autem debemus, fratres, hoc acceptum esse Deo jejunium, non solum ut abstinentia castigemus corpora, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad servulos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes; surgentes primo diluculo ad ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, peccatorum veniam postulemus, rogantes præteritis delictis indulgentiam, cautelam de futuris; tota die sit nobis assidua vel oratio vel lectio : qui litteras nescit, sanctum virum ac doctum perquirens, ejus confabulatione pascatur. Nullum actus sæculi a divina servitute abstrahant vel impediant : non ludus tabulæ mentem avocet; non voluptas canum sensus abducat; non negotii compendium animam aviditate pervertat. Quidquid enim in his vanitatibus, vel in aliis ineptiis præter mandatum Dei feceris, quamvis abstineas, non jejunas, quia voluptatem tuam exerces, non Domini facis voluntatem. Hoc est enim salutare jejunium, ut sicut abstinet corpus ab epulis, ita et anima refrenetur a vitiis, ut jejunemus pariter a cibis et peccato, ut labor noster per Dei gratiam coronam nobis pariat sempiternam. Amen.

HOMILIA XII.

IN DOMINICA IV QUADRAGESIMÆ.

De misericordia et remissione debitorum in illis qui contra nos delinquunt facienda. (*Evang. Luc.* VI.)

Legimus in Evangelio Salvatorem nostrum ita præcepisse discipulis suis atque dixisse : *Estote misericordes, quia et Pater vester cœlestis misericors est : dimittite et dimittetur vobis; date et dabitur vobis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hanc licet sententiam Domini servare omni tempore necesse sit, fratres charissimi, maxime tamen his diebus, in quibus veniam peccatorum nostrorum promereri et misericordiam Domini nobis conciliare studemus, cum ita quotidie Deo in oratione dicamus, magisterio cœlesti imbuti : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* ne nos hac sententia magis accusare quam reconciliare apud Dominum videamur, si contra mandata ejus duros nos et immites adversus proximos nostros erigamus. Omnes enim agere debemus pœnitentiam, et omnes indigemus indulgentia, quia omnes erravimus : nam si Scripturæ testimonio nec unius diei in-

A fans mundus est, quis se immunem a peccato audebit asserere et pœnitentiæ remedia refutare : Et beatus Joannes apostolus ait (*I Joan.* I) : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate.* Sed quod valde dolendum est, nonnulli, peccata sua oblivioni tradentes, et per jactantiam mundanam superbientes, non solum se reos esse non cogitant, et se absolvere a propriis delictis per misericordiam in alios factam nequaquam curant : imo præceptorum divinorum immemores, ita circa servos suos et subditos sibi potestatem dominationis exercent, ut in his diebus non dubitent flagellis eos cædere, pœnis afficere, B compedibus præpedire; si forte cum ad reficiendum venitur, tardus minister fuerit, statim eum verberibus laniare, et prius satiare servuli sanguine appetit, quam convivii voluptate. Horum quale jejunium est, fratres, quod ideo jejunatum est, ut non Divinitatis misericordiam provocarent, sed ut clamorem familiæ ingemiscentis effunderent. Quisquis autem cupit de Deo misericordiam promereri, ipse debet prior esse misericors; scriptum est enim : *Judicium ei sine misericordia, qui non facit misericordiam* (*Jacob.* II); et : *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI). Ergo quam absurdum est quod Christianus dominus Christiano in his diebus servo C non parcat, minime respiciens quod si servus est conditione, gratia tamen frater est; etenim similiter Christum induit, iisdem participat sacramentis : eodem quo et tu utitur Deo Patre, cur te non utatur fratre? Recogitate, fratres, originem vestram : omne quidem humanum genus ex uno homine, id est Adam, procreatum est et mortali, mortale genitum, et similiter nascimur, similiter et morimur, similiter et putrescimus; soli et nudi in hunc mundum intravimus, soli et nudi exibimus : solummodo hinc exeuntes bona opera vel mala quæ hic gessimus nos prosequuntur, et unusquisque nostrum ante tribunal Christi pro se redditurus est rationem. Et ideo, fratres, quicunque ex vobis aliis præsunt, per charitatem illis imperent; qui autem subditi sunt, in cha- D ritate illis serviant qui sibi præsunt. Audiant quoque non me, sed Apostolum sibi ita præcipientem (*Ephes.* VI) : *Servi*, inquit, *obedite dominis carnalibus cum tremore et timore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus. Scientes quia unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Deo, sive servus, sive liber.* His autem qui præsunt idem apostolus ita dicit : *Et, domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud Deum : sive servi, sive liberi, unum sumus in Christo* (*Ibid.*). Talibus enim dictis ex Apostolo Christi

admoniti fratres, studeamus inter nos charitatem atque unitatem spiritus in vinculo pacis custodire. Nulli sit grave proximo in se delinquenti delicta parva dimittere, qui maxima et enormia apud Deum cupit scelera dissolvere. Sicque jejunium nostrum et oratio atque eleemosyna Deo acceptabilis erit, si per charitatem offertur, quia *charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV); et : *Deus* ipse *charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Quam nos hic feliciter habere, et ad æternam beatitudinem per hanc venire ipse concedat, qui nos per ipsam redemit, Christus, Salvator noster, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

IN DOMINICA II QUADRAGESIMÆ.

De fidei catholicæ veritate et bonorum operum concordia.

Oportet utique, dilectissimi fratres, ut in hac sacratissima observatione Quadragesimæ sicut corpus nostrum mortificamus per jejunium, ita animas nostras vivificemus per spiritale studium et illuminemus per Dei verbum, ut per interioris hominis voluntatem, atque exterioris conversationem, possimus in omnibus placere creatori nostro. Sed ad hæc, ante omnia, necessaria nobis est fides recta, quia, secundum Apostolum, *impossibile est sine fide placere Deo* (*Hebr.* XI). Et ideo quæso, fratres, ut nobis reserantibus expositionem symboli, attentius audiatis, quia doctrina symboli virtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credendi : quia quod in eo docetur ac discitur et unitas est Trinitatis, et Trinitas distincta personis, et excellentia Creatoris, et misericordia Redemptoris : hoc nexus infidelitatis absolvitur, hoc vitæ janua panditur, hoc gloria æterna præparatur; hoc, obsecro, fratres, memoriæ vestræ cito ac firmiter commendate : et si quos filios vel filias in baptismate proximo habere desideratis, si intelligibilem ætatem adhuc habent, fidem quam profiteri debent ante baptismum eos scire faciatis; sin autem ætas illa ad hoc minus idonea est, vos quoque illam fidem quam pro eis profiteri vultis, cum ad ætatem congruam pervenerint, cognoscite, ad insinuandum illis vos debitores esse. Est autem symbolum tale, quod, ab apostolis commendatum, sancta firmiter tenet Ecclesia : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ; et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum : qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus : descendit ad inferna; tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis : inde venturus judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.* Repetendus est vobis, dilectissimi, sermo symboli hujus, qualiter ea quæ dicimus vestris sensibus melius inseramus. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli* A *et terræ.* In primis dicit *Credo*, quia Deus noster non jubet nos discutere divina judicia, sed credere : non rationem requirere, sed fidem simpliciter et immobiliter exhibere. *In Deum Patrem :* non ergo ante Deus esse cœpit et postea Pater, sed sine ullo initio et Deus semper et Pater est; quia ergo semper fuit Pater, semper habuit Filium, cui Pater est. *Omnipotentem* vero dicit, quia omnia potest, cuique nihil impossibile est; qui cœlum, terram, mare, homines atque omnia quæ sunt, vivunt, sentiunt atque discernunt, non aliquo operis actu, sed solo verbi creavit imperio. *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Advertite quod quomodo in Patrem, sic et in Filium ejus unicum credendum sit; et quia cum Patre æqualis est Dominus majestate, tantum ipsi, quantum et Patri, honoris, tantum debemus B et servitutis. Jesus *salvator* interpretatur, Christus vero a chrismate dicitur : quia sicut antiqui reges a sacerdotibus sacro oleo perfundebantur, sic Dominus noster Jesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine :* non ergo ex virili semine, sed Spiritus sancti opere, caro Christi in utero Virginis formata est; et ideo quæ salvatorem genuit, et virgo fuit in partu, et virgo permansit post partum. *Passus sub Pontio Pilato :* iste Pilatus judex erat in illo tempore, ab imperatore positus in Judæa, sub quo Dominus passus est, cujus mentio tantum hic ad temporis significationem pertinet. *Crucifixus, mortuus et sepultus :* crucem illam in qua ille crucifixus C est corpore, nos per similitudinem gestamus in fronte, et per hanc defendimur ab hoste, et sicut in veritate natus est Christus, ita et in veritate mortuus et sepultus est. *Tertia die resurrexit a mortuis :* triduanæ sepulturæ mora evidenter ostendit quod dum corpus in sepulcro jacuit, anima illa de inferis triumphavit. *Ascendit ad cœlos :* ideo conditionem naturæ nostræ, quam de homine matre natus assumpsit, super cœlos in dextera Dei, hoc est in honore Dei Patris, collocavit, ut pro nobis propitiator existeret. *Inde venturus judicare vivos et mortuos :* in ipso corpore venturus est ad judicium in quo ascendit in cœlum; Christianos judicabit et paganos, justos et peccatores, fideles et impios. *Credo in Spiritum sanctum :* D advertite quod sicut in Patrem, ita et in Filium, et in Spiritum sanctum sit credendum; nam qui vel unam de Trinitate personam non crediderit, in duabus illi credidisse non proderit. *Sanctam Ecclesiam catholicam :* sciendum est quod Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debeamus, quia Ecclesia non Deus, sed domus Dei est. *Catholicam* dicit, id est, toto orbe diffusam : quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas provincias continentur : hæc vero a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur. *Sanctorum communionem*, id est, illorum qui in hac fide defuncti sunt, societatem in cœlis speramus. *Remissionem peccatorum,* quæ nobis præstatur munere Redempto-

ris pleniter in baptismo per fidem, et ea quæ post baptismum committimus per confessionem et veram pœnitentiam ac bona opera speramus dimitti. *Carnis resurrectionem :* carnem videlicet quam in hac vita sub mortali conditione portamus, resurrecturam esse immortalem ac rationem reddituram pro animæ consortio credamus. *Vitam æternam. Amen.* Vitam quoque æternam debetis credere in cœlis, fratres, veraciter, quod significat *Amen*, vos percipere posse cum Christo et sanctis ejus, si hanc quam vobis exposuimus fidem fideliter teneatis ac bonis actibus conservetis : quam obsecro ut memoriæ bene commendetis ac digna conversatione probare et usque ad finem vitæ istius perducere contendatis, ut per hanc æterna præmia consequi Christo donante mereamini. Amen.

HOMILIA XIV.

IN DIE PALMARUM.

(*Evang. Matth.* x.)

Hodiernæ celebritatis observatio quid nobis innuat, non incongruum videtur, fratres charissimi, inter hæc sacra missarum solemnia vobis breviter exponere, quia aliqui vestrum hujus festi rationem sciunt : aliqui vero quod ritu cultus cum cæteris foris geritur, intellectu cordis minime intus norunt. Narrat quidem sanctum Evangelium quod Redemptor noster, appropinquante tempore suæ passionis, ante sex dies Hierosolymam pergens, per discipulos suos asellum sibi adduci jusserit, qui cum adductus esset, apostoli super eum vestimenta sua imposuerint, et Jesum desuper sedere fecerint : plurima autem turba straverit vestimenta sua in via; alii vero ramos de arboribus cædentes, similiter viam sternerent, quatenus asinus ille sine offendiculo incederet. Illi autem qui præibant, et qui sequebantur, clamaverunt dicentes : *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel, Hosanna in excelsis.* Et quod cum tali triumpho Dominus Jesus Hierosolymam ingressus sit : hæc quidem secundum historiam ita facta, hodierno conventu, in memoriam Redemptoris nostri celebravimus, opportunum æstimantes quid hæc spiraliter significent vobis intimare. Asinus quippe hic super quem Dominus sedit, gentilem populum significat unde nos sumus : quem apostoli per prædicationem Evangelii, ab inimici vinculis, id est diaboli, absolventes, ad Christum adduxerunt; imponentesque super eum vestimenta sua, id est, præceptis Dominicis et gratia spiritali nuditatem peccatorum ejus velantes, Dominum desuper sedere, id est, habitare et imperare, fecerunt. Plurima autem turba, quæ vestimenta sua sternebat in via, martyres significat, qui corpora sua pro Christo morti tradiderunt, nobisque exemplum dederunt, qui jumenta Domini sumus, ut pro Christi fide cuncta adversa patienter toleremus. Illi autem qui ramos de arboribus fructiferis, id est, prophetis testimonia sacra sumentes, nobis quotidie viam sternunt, id est, viam nostram ordinant quatenus sine offensa peccatorum, sub sessore Domino, in sanctam civitatem, id est in Hierusalem cœlestem, possimus intrare. Quod autem illi qui præibant, et qui sequebantur, clamabant : *Hosanna filio David*, significat illos sanctos qui ante adventum Domini in carne præcesserunt, et eos qui post ascensionem ejus subsecuti sunt, concorditer laudes ejus resonasse et majestatem illius prædicasse veraciter : quia quod prophetæ et patriarchæ de eo prædixerunt futurum, hoc apostoli et evangelistæ narrabant jam esse completum. Hæc igitur considerantes, fratres charissimi, perpendamus misericordiam conditoris nostri, qui prius nos bonos et immortales creavit, et post prævaricationem ac lapsum fragiles ac mortales factos, a potestate diaboli et peccatorum vinculis per Unigenitum suum liberavit. Humiliemus nos sub tanto sessore, quia jugum ejus suave et onus ipsius leve est; studeamus, quantum possumus, ut eum portantes, peccatorum offendicula caveamus. Habemus viam præparatam, quia omnis Scriptura divinitus inspirata ac dictata docet et instruit nos, qualiter recto cursu pergamus ad patriam nostram, et bono studio, per fidem, spem et charitatem, veniamus ad creatorem nostrum. Jam approximat dies sanctus Paschæ : hæc hebdomada, fratres, præ cæteris totius anni septimanis, mysteriis cœlestibus plena est : hac hebdomada Salvator quotidie usque ad tempus passionis suæ in templo docuit; in hac quippe, id est, quinta feria hujus septimanæ, in cœna mystica, corporis et sanguinis sui sacramenta suis discipulis ipse primum tradidit, quando et eorum pedes lavit; in sexta feria quoque crucis ac passionis suæ mysteria complevit; sabbato vero in sepulcro requievit. Quicunque ergo in hac Quadragesima usque modo bene laboravimus, usque ad finem ejus in hoc perseverare studeamus. Quicunque ergo hactenus desidiosi fuimus, saltem in istis septem diebus cum jejuniis et eleemosynis largis, cum vigiliis et oratione, cum lacrymis et compunctione cordis, misericordiam apud Redemptorem nostrum invenire satagamus : ut in sancto Pascha, quando ad mensam sacram Domini accessuri sumus, oculi ejus in nullo nostrum offendantur, ne forte ei dicat : *Amice, ad quid venisti : quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* cujus iram nos devitare, et gratiam ejus magis invenire, ipse concedat, qui nos redemit, Christus, Salvator noster : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

IN CŒNA DOMINI.

(*Evang. Joan.* XIII.)

Non prætermittendum est, fratres charissimi ac Dei filii nominati, quin aliquam allocutionis admonitionem de hoc sancto et pretioso die hodiernæ festivitatis vobis faciamus, quam cuncta Dei Ecclesia, per totum mundum diffusa, celebrat et honorat : quia sicut corpus sine quotidiano victu non potest vivere, ita nec anima, quæ valde pretiosioris est conditionis, sine Dei verbo. Nam sicut caro redit ad terram, de qua sumpsit originem, ita anima ad cœlum, si sem-

per divino eloquio, quod ejus cibus est, pascatur ac reficiatur, quia hoc omnem suavitatem superat mellis, testante propheta David, qui ait : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel ori meo* (*Psal.* CXVIII). Unicuique ergo homini sit certum ac notum quia sicut natus est in hunc mundum, ita mundum reliquit, attestante evangelista Joanne de Filio Dei in hac evangelica lectione quam modo legere audistis, sic dicens : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Dei Filius namque, de quo omnis honor ac potestas procedit, in multis rebus propter nos dehonestatus est, flagellis flagellatus, alapis percussus, in facie sputus, per manus vinctus, spineam portans coronam, venditus, et sic tandem per crucis passionem mortem suscipiens, et a morte resurgens, ascendit ad Patrem suum in cœlum, unde descendit; sic et nos ad nostrum Patrem, quod ipse Christus est, transire debemus de hoc mundo, iniquitatem dimittere et justitiam facere; largire bona temporalia propter æterna; linquere diabolum et ejus mala opera, et quæ Deo sunt placita agere et amare; Deum ex toto corde et omni mente diligere; proximum nostrum, quod unusquisque Christianus est, sicut nosmetipsos; mendacia vitare, superbiam, homicidia, fornicationes, furta et cætera quæ his sunt similia. Si hæc ergo agamus bona, et vitemus mala quæ dixi, imitamur et nos Dei Filium, similiter ascendentes ad Patrem nostrum qui in cœlis est, qui simul omnia regit et habet. Sequitur : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* In tantum quippe Dominus dilexit suos qui erant in hoc mundo, ut seipsum etiam tradebat propter eos in mortem : quia *majorem dilectionem nemo habet, quam qui animam suam dat pro amicis suis* (*Joan.* XV). Tunc cœna parata est, ut convenientes discipuli cum magistro, statim diabolus misit in cor Judæ ut traderet suum magistrum et Dominum nostrum Judæis : quia sicut malis et iniquis, ut Judas fuit, diabolus malas cogitationes immittit, ita Spiritus sanctus bonis et justis pias rectasque cogitationes innectit; sicut suis semper fecerat discipulis, mittens eos ad reges et præsides, dixit : *Dum steteritis ante eos, nolite præmeditari quomodo aut quid loquamini, quia dabitur vobis in illa hora quid loquamini* (*Luc.* XXV). Traditor Dei Judas et proditor ad convivium venit sine fide, quia si veraciter fidem habuisset, nunquam eum impiis Judæis tradidisset. *Sciens autem Jesus quia Deus Pater omnia dedit ei in potestatem*, et ipsum traditorem suum, ac conscius quid facere pro amicis suis debuisset, *et quia a Deo Patre in hunc mundum venerat*, tamen in deitate illum non relinquens : *et iterum ad eum reversurus*, nunquam nos de sua gratia deserens; *surgit a cœna, et ponit vestimenta sua;* ac statim cœpit lavare pedes discipulorum, implens officium servi, quamvis creator omnium esset, cœlestium, terrestrium et infernorum. Sed tunc primum venit ad Petrum, quia summus et princeps erat apostolorum; et juste, qui claves regni cœlorum illi

A concessit, et quodcunque solveret in terris, fuisset solutum in cœlis. Tunc nimium sanctus Petrus expavescit, quod Filius Dei, conditor sui et cunctarum rerum, debuisset pedes sui servi lavare, et ait : *Domine, tu nunquam mihi lavas pedes?* quia tu es Dominus, et ego servus; tu Deus, ego homo; tu redemptor, ego peccator. Respondit ei Jesus : *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea;* quasi dixisset : Sic hujus facti mysterium necdum intelligis, sed postea intellecturus eris, quia *si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Iterum autem prohibuit dicens : *non lavabis mihi unquam pedes;* sed tertio, de sermone Domini territus, quia dixit : *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum*, subjunxit : *Domine, non tantum pedes, sed et manus*
B *et caput;* si minaris ergo quod nullam tecum habeam communionem propter lavandos pedes, nunc pro eo quod aliquam communionis tuæ partem habeam, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem. Respondit Jesus : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Significabat autem hoc : Quicunque ergo ad sacrum venerit baptismum, et in hoc mittitur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, statim totus est mundus, tam in anima quam in corpore : quia in baptismi lavacro peccata hominum dimittuntur et delentur; nam antequam baptizetur, filius diaboli, postea vero filius Dei nominatur. Hoc significavit Dominus cum dicit : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Quia sicut pedes, qui terram calcant, sine
C aliqua sorde esse non possunt, sic nemo in hoc sæculo et in hac mortali carne potest sine peccato vivere, D. Joanne apostolo attestante : *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Homo vero cum post baptismum per aliquod malum opus sordidatur, iterum necesse est per eamdem gratiam divinæ bonitatis emundari, id est, cum pecunia, eleemosyna, oratione, flere pravum quod gessit, quærere bonum quod peccando amisit. Spiritaliter autem Dominus quotidie pedes nostros lavat, cum Deum Patrem interpellat pro nobis. Similiter nos ipsi quotidie pedes nostros lavare debemus, confitendo in corde peccata nostra cum Oratione Dominica : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*
D Tunc Dei Filius quando hæc omnia quæ vobis numeravi se humilians complevit, ait ad eos : *Scitis quid fecerim vobis : si ergo Dominus et magister lavi vestros pedes, et vos debetis alter alterius lavare pedes, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis;* quasi dixisset ita : Si ego Deus et Dominus dimisi vobis peccata vestra, tanto magis et vos debetis alter alterius peccata dimittere. Quod autem dicit evangelista Dominum surrexisse a cœna, hoc est, quando Dei Filius de cœlesti solio Patris descendit ad terram, nostram sibi carnem sumendo. In hoc sua ponit vestimenta, quoniam se humiliavit et obediens Deo Patri erat usque ad mortem. Linteo se procinxit, quia formam servi suscepit. Misit aquam in pel

vim, quando sanguinem suum misit in terram, ut mundaret vestigia in se credentium, quæ terrenis peccatis sordida fuere. Tunc linteo pedes extersit, quando cum propria corporis sui carne scelera peccatorum nostrorum propter nos moriendo purgavit. In hoc itaque pedes discipulorum lotos habebat, quando per sui sanguinis effusionem purgationem nostræ redemptionis implevit. Quod autem ait, *accepit vestimenta sua*, hoc est, quod in die tertia de sepulcro cum eodem corpore quo moriebatur in cruce, resurgens, iterum vestitus et immortalis factus. Quod autem evangelica lectio dicit, Jesum iterum recubuisse, significat quia iterum ascendit in cœlum ad Patrem suum unde descendit, sedens in dextera Dei, et in majestate paternæ divinitatis, unde iterum venturus est judicare vivos et mortuos. Ad hoc venturum judicium, ipsum Deum cum cæteris qui judicant orbem terræ in æquitate, mitem et pium invenire mereamini, ut cum eo regnare in æterna felicitate possitis in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

IN SABBATO SANCTO PASCHÆ.

(*Evang. Matth.* XXVIII.)

Ecce, fratres charissimi, diu desiderata advenit solemnitas, in qua Salvator noster alligato principe tenebrarum, et confractis portis mortis, ablataque præda sanctarum animarum, de inferno triumphans, resurrexit in gloria. In hac quidem nocte, sicut modo ex Evangelica lectione audivimus, resurgente Redemptore nostro, *terræmotus factus est magnus : angelus autem Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem ab ostio monumenti, sedebatque super eum*, quem Judæi ob perfidiam maximam appositum signaverunt, et munierunt sepulcrum cum custodibus. *Aspectus* autem angeli *erat sicut fulgur, et vestimenta sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.* Mulieribus quoque, quæ Salvatoris amore accensæ, ad sepulcrum venerunt, idem angelus dixit : *Nolite timere vos, scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis : non est hic, surrexit sicut dixit; venite et videte locum ubi positus erat Dominus : et cito euntes discite discipulis ejus quia surrexit, et ecce præcedet vos in Galilæam ; ubi eum videbitis, ecce prædixi vobis.* Nobis enim et pro nobis Christus nascitur, patitur, resurgit, ut nos in vita per ipsum renascamur : omnia enim per ipsum in hac nocte restaurata sunt. In hac quippe nocte, quasi primitiæ dormientium, Christus resurrexit; in hac nocte captivitas nostra solvitur, vita, in Adam amissa, restauratur; in hac nocte protoplastus antiquus peregrinus rediit ad paradisi patriam, Christo cherubin movente : ab hac enim nocte Dominicæ resurrectionis paradisus patet, nulli clauditur, nisi a seipso; nulli aperitur, nisi a Christo. Ad hoc enim hodie Dominus resurrexit, ut imaginem nobis futuræ resurrectionis ostenderet; et ideo hodie vitali lavacro resurgens Dei populus, ad instar resurrectionis, Ecclesiam nostram splendore nivei candoris illuminat. Gratias Deo nostro agere debe-

A mus, charissimi, quod dum sancti paschæ solemnitatem colimus, futuræ resurrectionis speciem in renatis jam videmus. Hoc itaque admoneo, dilectissimi fratres, ut quoties paschalis solemnitas venit, quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fidejussores apud Deum exstitisse, et ideo semper illis sollicitudinem veræ charitatis impendant, admoneant et castigent, atque corripiant, ut castitatem custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, a maledicto vel a perjurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non invideant, iracundiam vel odium in corde non teneant, auguria non observent, philacteria et characteres diabolicos nec sibi nec suis aliquando suspendant, B præcantatores velut ministros diaboli fugiant, fidem catholicam teneant, ad ecclesiam frequentius currant, contempta verbositate, lectiones divinas attentius auribus audiant, peregrinos excipiant, et secundum quod in Scripturis constitutum est, hospitum pedes lavent, pacem et ipsi teneant, et discordes ad concordiam revocare contendant sacerdotibus et parentibus honorem et amorem veræ charitatis impendant : hæc ergo omnia, et his similia, filios et filias vestras admonere condecet, ut cum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter veniatis. Nemo se circumveniat, fratres charissimi, nullus homo sibi solummodo vivat, sed, sicut frequenter suggessi, quantoscunque aliquis per exemplum sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis et pro C tantis mercedem beatæ retributionis accipiet; et quantiscunque exemplum malæ conversationis, etiamsi illi non eum sequantur, præbuerit, pro tantis se rationem noverit redditurum, quia occasionem eis dedit mortis et causam paravit perditionis. Et ideo sicut jam supra suggessi, neophytis nostris, auxiliante Domino, exemplum bonæ conversationis, quantum possumus, debemus ostendere, ut non pro illorum destructione pœnam recipere, sed pro ædificatione ad indulgentiam delictorum nostrorum, Domino præstante, mereamur pervenire, et gaudia æterna possidere. Amen.

HOMILIA XVII.

IN DIE DOMINICA PASCHÆ.

D Pascha nostrum, dilectissimi, Christi est resurrectio : Pascha quippe *transitus* interpretatur, videlicet de morte ad vitam, de passione ad gloriam, de inferno ad paradisum. In eo quippe quod Christus mortuus est, mors nostra destructa est; et quod ipse resurrexit, nobis resurgendi facultatem tribuit, nosque transire fecit de infidelitate ad fidem catholicam, de idololatria ad unius Dei cultum, de peccato ad justitiam, de errore ad veritatem, de discordia ad pacem, de servis inutilibus et diaboli servitio mancipatis in numerum filiorum Dei, de exsilio ad patriam, de pœna ad coronam. Et ideo, dilectissimi, pascha Christi regnum est cœli, salus mundi, occasus inferni, gloria supernorum, vita credentium, resurrectio mortuorum, testimonium miserationis divinæ,

pretium redemptionis humanæ, contritio mortis abolita est [*Dele* abolita est]. Quæ festivitas, Dei sacrata mysterio, virtutem Dominicæ resurrectionis per angelos indicat, per populos manifestat, per corda credentium bona multiplicat. Hic est igitur dies ille de quo Psalmista olim præcinebat, dicens : *Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII). Celsior cunctis, lucidior universis, in qua Dominus resurrexit : in qua novam sibi plebem, ut ibi videtis, regenerationis spiritu conquisivit; in qua singulorum mentes gaudio et exsultatione perfudit. Hic ergo dies resurrectionis Christi defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Quomodo ergo Maria virgo, mater Domini, inter omnes mulieres principatum tenet, ita et in terris dies hæc omnium dierum caput est : et sicut Sancta sanctorum, vel Cantica canticorum in Scripturis legimus, ita et hanc solemnitatem solemnitatum merito dicimus. Igneam illam rhomphæam et paradisi januam, quam nullus potuit effringere, modo Christus cum latrone reseravit : porta paradisi, quæ nulli ante passionem Domini aperta est, ex eo tempore quo passus est Dominus usque ad præsentem diem et clausa et reserata est; clausa est peccatoribus et incredulis, reserata est justis et credentibus : per hanc ingressus est Petrus, per hanc ingressus est Paulus, per hanc omnes sancti martyres intraverunt, per hanc quotidie de toto mundo justorum animæ ingrediuntur. Duæ enim portæ sunt, porta paradisi, et porta Ecclesiæ : per portam Ecclesiæ intravimus primitus, id est, per fidem et baptismum, quia quidem, si fideliter permanebimus bene operantes, post exitum vitæ portam intrabimus paradisi. Ecclesia quoque sancta sine dubio domus Dei est, et ita debemus vivere ne ejiciamur de domo illa, et ejecti foras a bestiis, id est malignis spiritibus, devoremur, de quibus propheta dicit (*Psal.* XXXVII) : *Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentes tibi.* Assidue ergo versemur in illa, quæ omnium nostrum mater est, id est, Ecclesia, quatenus ad Patris æterni, cui nos ipsa filios adoptionis genuit, mereamur pervenire regnum. Celebremus hanc sacratissimam solemnitatem ita, sicut apostolus Paulus nos docuit, dicens : *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ* (*I Cor.* V); hoc est, non in amaritudine malitiæ humanæ, sed in sinceritate divinæ sanctitatis, quæ est castitas, humilitas, bonitas, misericordia, humanitas, justitia, lenitas, patientia, veritas, pax, benignitas. Hæc est massa sanctitatis Christianæ quam humanæ malitiæ fermentum corrumpit, hoc est, libido, superbia, invidia, iniquitas, avaritia, intemperantia, mendacium, discordia, odium, vana gloria, crudelitas et injustitia; quæ omnia corruptionis genera aliena nobis efficiat, et sinceritatem veritatis suæ ipse in nobis custodiat, auctor et largitor omnium bonorum et effector istius sacratissimæ festivitatis, Jesus Christus, Salvator noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

IN OCTAVIS PASCHÆ, SIVE IN CÆTERIS DOMINICIS DIEBUS POST PASCHA.

Isti sunt dies, fratres charissimi, quos ob honorem Dominicæ resurrectionis per totum orbem terrarum catholica veneratur Ecclesia, quia Salvator noster post resurrectionem suam, sicut beatus Lucas testatur (*Act.* I), *per dies quadraginta suis discipulis in multis argumentis apparuit*, et veritatem suæ resurrectionis illis manifestavit; et ideo sanctorum patrum traditione, debemus omnes dies istos festivos habere, et cum spiritali gaudio gloriam resurrectionis Christi celebrare, neque jejuniorum rigorem in illis tenere, licet sobrietas omni tempore tenenda sit. Quadragesimæ ergo tempus, quod ante pascha cum jejuniis et afflictione carnis nostræ habuimus, præsentis sæculi typum tenet, in quo per mortificationem corporis nostri passionibus Christi communicare debemus : istud vero tempus quod post pascha usque in sanctam Pentecosten observamus, propter resurrectionem Christi, futuræ vitæ imaginem præfert, in quo laudes Deo cum magna lætitia decantamus; Alleluia enim, quod istis diebus in laudibus Dei sancta frequentat Ecclesia, canticum cœleste est, sicut Joannes apostolus in Apocalypsi sua testatur (*Apoc.* XIX), et futuræ vitæ gloriam nobis præmonstrat, quando ad exemplum Redemptoris nostri, a mortuis resurgentes in æterna beatitudine cum sanctis angelis sine cessatione laudes creatori nostro in æternum cantabimus. Sed quia paschale tempus modo, fratres charissimi, celebramus, sic exsultemus in spe ut perveniamus ad rem : ut quod jam præcessit in capite nostro, ipsi quoque in die novissima percipere mereamur : sicque corpori nostro relaxemus, ut puritas mentis non obfuscetur : sed potius abstinentes ab omni lusu, ebrietate, lascivia ac turpitudine, demus operam sobriæ remissioni ac sanctæ sinceritati, ut quidquid modo corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate et morum probitate quæramus. Audite me, fratres, omnes qui statis in Domino, apostolicis verbis vos alloquor : Ecce *nox processit, dies autem appropinquavit : Abjicite opera tenebrarum, et induite vos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induite vos Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII), ut et vitam æternam et stolam immortalitatis induatis, ad quam percipiendam in baptismo regenerati estis : *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III), et ejus membra facti estis. Quia ergo membra Christi estis, admoneo vos ut attendatis vobismetipsis, ne forte illam dignitatem perdatis. Magna autem et inæstimabilis dignitas est fieri filios Dei, fratres autem Christi : *cavete autem ab hominibus* (*Matth.* X), non dico tamen a paganis, vel Judæis, vel hæreticis, sed etiam a malis catholicis, *qui confitentur ore Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Eligite vobis in

populo Dei quos imitemini, nam si turbam imitari A voluerilis, timeo quod a vero devietis. Inter paucos ergo angustam viam ambulantes eligite quos sequamini: *quia arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam, et pauci intrant per eam: lata et spatiosa quæ ducit ad mortem, et multi vadunt per illam* (*Matth.* VII). A rapinis, a fraudibus, a perjuriis abstinete; gurgites ebrietatum repellantur a vobis; fornicationes sic fugite quomodo mortem, mortem non quæ animam solvit a corpore, sed ubi anima semper ardebit cum corpore. Quid prodest, fratres, quod Satanas levia dicit esse peccata, quæ Christus ostendit gravia. Dicit enim diabolus, carnis peccata non sunt magna; licitum est usque ad satietatem manducare ac bibere et cum muliere concumbere, et sic seducit. Sic fecit contra primum hominem cui Deus B dixerat: *Qua die manducaveritis ex eo, morte moriemini* (*Gen.* II); venit inimicus et ait: *Non morte moriemini*, sed aperientur oculi vestri, et *eritis sicut dii* (*Ibid.*). Dimissa est minatio Dei, et audita est promissio diaboli. Nunquid profuit, quia dixit mulier: *Serpens decepit me;* nunquid defendebat excusatio, et non est secuta damnatio? Nolite recipere pollicitationem diaboli, qui vere inimicus est vester, sed audite magis præceptum Christi qui vos redemit, et sempiternum vobis dedit regnum. Sic peragite dies istos lætitiæ, ut ad veram in cœlis pervenire possitis lætitiam, et sic Pascha istud transitorium modo celebretis, qualiter cum Christo et sanctis angelis ejus in æternum gaudeatis, præstante C ipso Redemptore nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

IN LITANIIS.

Oportet, fratres charissimi, ut conventus istius causam non ignoretis, quo, secundum patrum præcedentium constituta, omnes in unum viri et feminæ, pueri et senes, convenistis. Ad conciliandum ergo nobis Dei misericordiam tempus est opportunum, ut per jejunia et castigationem corporis, per preces et compunctionem cordis remissionem peccatorum nostrorum, et gratiam in conspectu ejus invenire mereamur. Legimus enim in prophetis quia cum Ninive civitati subversio divinitus immineret, et juxta sententiam Domini (*Jon.* III), destruendi illam D tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse præsidium nisi ut, abjectis copiosis epulis, jejunia continuata susciperent, et divitiarum ambitione deposita, humilitatem se paupertatis induerent? scilicet, ut exinde remedium perciperent unde his perditio contingebat; hoc est, ut iram Divinitatis, quam luxuriando provocaverant, abstinendo lenirent, et offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim in illa tribulatione ipse rex deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse atque in sacco et cinere se diebus ac noctibus volutasse, homines et jumenta pariter jejunasse, atque ad Deum in fortitudine clamasse. Omne Ninivitarum regnum tunc interisset, nisi illud pœnitentia patrona servasset. Sed cur jejunabant infantes et jumenta, quorum non arguuntur peccata? Jejunabat parvulus ut evaderet senior; jejunabant innocentes, ut non perirent peccatores: omnes pariter abstinebant, ut peccata quæ ab aliquibus commissa fuerant, ab omnibus solverentur. Ita et nos, fratres, cum consentientibus animis et conspirati fide clamemus ad Dominum Deum nostrum: *Adoremus et procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster* (*Psal.* XCIV), patiens et multum misericors. Precemur illum cum lacrymis et gemitu, ut convertatur, et ignoscat, et revertatur a furore iræ suæ, et non pereamus. Igitur, fratres, quod valde dolendum est, aliqui vestrum non solum in his sanctis diebus hæc non faciunt, sed, quod pejus est, præ cæteris diebus turpius vivunt, sceleratius agunt. Nam cum isti dies adveniunt, instruunt sibi convivia, præparant domos, ut luxuria in eis diligentius exerceatur; et non in saccis neque in lugubri habitu, sed compti et ornati in publicum viri feminæque procedunt, quasi dies sint lætitiæ et non magis pœnitentiæ. Cum autem sanctæ cruces et sanctorum reliquiæ cum litaniis a clero exportantur, ipsi non insistunt precibus, neque sequuntur vexillum sanctæ crucis cum laudibus, sed super phaleratos resiliunt equos, discurrunt per campos, ora dissolvunt risu, alterutrumque se præcurrere gestiunt, in altum clamorem cum cachinno extollunt, et non solum hæc faciendo ipsi inutiles fiunt, sed etiam alios ab intentione precum impediunt: postquam autem domum veniunt, convocant ad convivium non pauperes, vel cæcos aut debiles, secundum præceptum Domini (*Luc.* XIV), sed vicinos ac sodales suos qui sint ejusdem voti atque ejusdem studii: vacant epulis studentque calicibus epotandis; acquirunt si possunt musicorum instrumenta, tympanum, citharam, tibiam et lyram. Inter quæ nimia pocula, cantant carmina dæmonum arte confecta, sicque diem totum cum nocte consumunt. Hæc ergo, fratres, quid sunt aliud nisi antiqui hostis machinamenta ac dæmonum ludibria, separari a Deo et conjungi diabolo, privari vita et consumi morte, carere cœlo et retrudi in inferno? isti enim, secundum Apostolum, non serviunt Deo, sed suo ventri; non Christo, sed Belial. Obsecro autem vos, fratres, ut talium mores et consortia devitetis et si eos a talibus ineptiis abstrahere possitis, satagite; sin autem, cavete ne cum talibus pereatis, dies enim modo compunctionis et pœnitentiæ celebramus. Et licet omni tempore, fratres charissimi, nobis oporteat Dei misericordiam corpore contrito et corde compuncto requirere, et ab illo indulgentiam peccatorum fideliter postulare: nunc tamen propter imminentem peccatis nostris debitam et gravissimam siccitatem, infestationem paganorum, atque pestilentiam cum mortalitate, ingenti rugitu vel gemitu, assiduis orationibus et largioribus eleemosynis, debemus

Dei misericordiam implorare, ut ipse nobis et benedictionem aquarum cœlestium tribuat, pacem reddere dignetur, peccatorum indulgentiam dare, et prospera dignetur pro sua pietate concedere. In his præcipue diebus, otiosis fabulis finem conemur imponere, et quantum vires suppetunt, orare studeamus et psallere, sobrio victu vivere; et si pacem temporum desideramus accipere, non dissimulemus pacem cum proximis custodire : contra nullum hominem desæviat ira nostra, et cito a nobis cessabit indignatio divina, secundum illam promissionem Salvatoris. *Si*, inquit, *dimiseritis peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra* (*Matth.* VI); nullus sibi ex industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de Ecclesiæ conventu subducat; sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis diebus tribus jejunando, orando et psallendo, medicamenta spiritalia non requirit. Isti enim dies a sanctis patribus nostris veris tempore ob hoc statuti sunt celebrandi, ut ante novarum frugum maturitatem, et ante omnem actum æstatis vel autumni, præoccupemus faciem Domini in confessione, et in psalmis jubilemus ei (*Psal.* XCIV), ut misericordia ejus subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ, quatenus ipse det nobis salutem animarum nostrarum, sanitatem corporum, fertilitatem agrorum atque vinearum, securitatem hostium, et repellat insidias omnium inimicorum, atque per totum annum quiete temporum et pace concessa, in suo sancto servitio nos custodire dignetur. Curramus singuli, curramus omnes semitam mandatorum Domini, et in via peccatorum non stemus, contra diaboli insidias armis nos spiritalibus muniamus, sumamus *scutum fidei, loricam justitiæ et galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). Oremus ut non intremus in tentationem, ne circumveniamur a Satana, ne periclitetur vita nostra, ne peccatis nostris exigentibus tradamur in adversarii potestatem, et in carcerem mittamur, in ignem videlicet æternum, in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium : dolor sine fine, et sempiternus interitus, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* VIII, XIII), quem nos vitare et ad æternam beatitudinem cœlestemque gloriam nos pervenire posse, ipse sua gratia præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

ITEM IN LITANIIS.

De Oratione Dominica (*Evang. Luc.* XI).

Modo, fratres charissimi, cum Evangelium legeretur, audivimus Salvatorem nostrum dicentem ac nobis præcipientem : *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur* (*Luc.* XI). Et non solum nos petere jussit, sed etiam alibi petere docuit : *Orantes autem*, ait, *nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt* (*Matth.* VI); arbitrantur enim quod in multiloquio suo exau-

A diantur, quia exercendæ linguæ potius, quam mundando animo dant operam. *Scit enim*, inquit, *Pater vester quid vobis necessarium sit, antequam petatis ab eo;* et de ipso scriptum est : *Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor* (*I Reg.* XVI); et item : *Dominus novit cogitationes hominum, quæ vanæ sunt* (*Psal.* XCIII). Deus ergo Dominus noster non verborum multitudinem quærit, quasi ignarus nostræ voluntatis, cui universa nota sunt antequam fiant, *omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus.* (*Hebr.* IV), sed nostri cordis internum ac purum quærit affectum : *Sic*, inquit, *orabitis : Pater noster, qui es in cœlis;* ac si monendo dixisset nobis : Ad magnum genus pertinere cœpistis, nolite inhærere terrenis, qui Patrem invenistis in cœlis : omnes enim docet fratres unanimes esse qui unum Patrem Deum volumus habere.

B Sub isto Patre, fratres sunt, dominus et servus, imperator et miles, dives et pauper. Omnes Christiani fideles diversos habent patres in terra, alii nobiles, alii ignobiles, unum vero Patrem invocant, qui est in cœlis; et si ibi est Pater noster, ibi nobis præparatur hæreditas : quia ergo audivimus a quo petamus, sciamus jam quid petamus, ne forte talem Patrem, male petendo, offendamus. Prima ergo petitio est, *sanctificetur nomen tuum :* nomen Dei semper sanctum est; quare ergo petimus ut sanctificetur, nisi ut nos per ipsum sanctificemur, et sanctificatio Dei appareat et permaneat in nobis. Sequitur alia petitio, *adveniat regnum tuum :* sive petamus, sive

C non petamus, venturum est regnum Dei. Quare ergo petimus, nisi ut veniat et nobis quod venturum est omnibus sanctis? ut et nos Deus in numero sanctorum suorum habeat, quibus venturum est regnum ejus. Dicimus tertia petitione, *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra :* quid precamur hic aliud, nisi ut quomodo sibi serviunt angeli in cœlo, ita et nos illi serviamus in terra; Angeli autem et ipsius sancti obediunt illi, non illum offendunt, non irasci faciunt, sed faciunt ejus jussa amando eum : hoc ergo oramus ut et nos præceptum Dei charitate faciamus. Iterum, verba ista et aliter intelligi possunt, nam cœlum in nobis anima est, terra in nobis corpus est. Quid est ergo, *fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra?* nisi ut sicut nos audivimus præcepta Dei,

D sic et nobis consentiat caro nostra, ne dum contendunt caro et spiritus, præcepta Dei minus implere possimus. Istæ ergo tres petitiones pertinent ad vitam æternam, quia æterna in eis petimus : semper enim et sine ullo fine debemus desiderare sanctificari in nomine Domini, et regnum ejus fieri in nobis, et voluntatem ejus impleri : cæteræ vero quatuor sequentes pertinent ad vitam præsentem. Sequitur in Oratione Dominica, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie :* sive exhibitionem corpori petimus necessariam a Deo Patre, in pane significantes quidquid nobis est necessarium; sive quotidianum panem intelligamus illum esse quem accepturi sumus de altari. Quid est enim quod oramus ut det nobis eum, nisi ne mali aliquid admittamus unde

a tali pane separemur. Et verbum Dei quod quotidie A prædicatur, panis est : non enim quia non est panis ventris, ideo non est panis mentis : cum autem vita ista transierit, nec panem illum quærimus quem quærit fames, nec sacramentum altaris habemus accipere, quia ibi erimus cum Christo, cujus corpus modo accipimus in sacramento. Nec verba ista a nobis tunc dici habent, quæ nunc dicimus vobis. Nec codex legendus est, quando ipsum videbimus, qui est Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, quo pascuntur angeli, quo illuminantur archangeli, quo sapientes fiunt omnes cœlorum virtutes, non quærentes verba locutionis infructuosæ, sed bibentes unicum verbum, et inde impleti eructant laudes, et non deficiunt in laudibus. *Beati* enim, ait psalmus, *qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Ergo B in hac vita petimus quod sequitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris :* in baptismo omnia debita, id est, peccata omnia, prorsus dimittuntur nobis; sed quia hic nemo potest vivere sine peccato, et si non magno crimine, unde separentur ab illo pane, tunc nemo potest sine peccatis esse in hac terra, et non possumus accipere, nisi unum baptismum simul : in oratione autem accipiemus unde quotidie lavemur, ut nobis peccata nostra quotidie dimittantur. Sed hoc fit si faciamus quod sequitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Itaque, fratres mei, moneo vos, in Dei gratia filios meos, et sub illo Patre fratres meos, moneo vos ut quando vos aliquis offendit et peccat in vos, et venit, et confitetur, et C petit a vobis veniam, ut ignoscatis illi, et continuo ex corde dimittatis, ne vobis a Deo veniam venientem prohibeatis : si enim non dimittetis vos, nec ille dimittet vobis. Ergo et hoc in ista vita petimus, quia hic possunt dimitti ubi possunt haberi peccata, in illa autem vita non dimittuntur, quia nec habentur. Deinde petimus dicentes, *ne nos inducas in tentationem :* Deus enim non per seipsum inducit in tentationem, sed induci patitur eum quem suo auxilio destituerit, ac deseruerit, ordine occultissimo, at meritis causisque sæpe manifestis. Aliud est autem induci in tentationem, aliud est tentari : quia tentari, probare est; unde scriptum est : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII). Induci autem in tentationem, est superari D tentatione atque corrumpi. *Sed libera nos a malo,* hoc est ab omni peccato, sive etiam ab auctore peccati, hoc est, diabolo, ne ille nos suis tentationibus seducat atque decipiat. Orandum est enim nobis quandiu sumus in præsenti vita, ut non solum non inducamur in malum quo caremus, sed ab illo etiam liberemur quo jam inducti sumus : quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, quia tunc gaudium nostrum erit plenum. Hanc ergo Orationem Dominicam, fratres charissimi, quæ ab ipso auctore nostro et largitore omnium bonorum instituta est, in memoria omnes teneamus, et intellectu cordis eam habere festinemus; puro ore et pacifica mente illam proferamus, ac bonis operibus ipsam commendemus. Scit enim ille qui taliter jussit nos petere, quid nobis utile est concedere : quia quæcunque postulaverimus secundum voluntatem ejus, audit nos ipse, videlicet mediator Dei et hominum, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

IN ASCENSIONE DOMINI.

(*Evang. Marc.* XVI.)

Sacratissimæ festivitatis, fratres charissimi, quam hodie celebramus, lectiones sacræ quæ inter hæc missarum solemnia recitatæ sunt, pandunt exordium. Ante dies ergo quadraginta Dominico Paschæ resurrectionis Domini tempus celebravimus, hodie ejusdem Redemptoris nostri Ascensionis solemnia veneramur : quia Salvator noster post resurrectionem suam, per dies quadraginta apparens discipulis suis, veraciter se resurrexisse in multis argumentis manifestavit; novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et verba prædicationis ob confirmationem eorum jam ascensurus in cœlum, impertivit, fideique magnitudinem ostendit, ac signa quæ per prædicationem eorum credituros subsecuta erant, prædixit, eisque benedicens, Spiritus sancti promisit adventum. Post hæc autem, *videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum, assumptusque in cœlum, et sedet a dextris Dei,* in eadem humanitate venturus judicare in fine sæculorum vivos ac mortuos, qua hodie ascendit, sicut et apostolis, in cœlum euntem illum intuentibus, duo angeli prædixerunt : *Viri,* inquit, *Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? Hic Jesus qui assumptus est a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Ecce, cum Dominum in cœlum ascendisse auditis, in cordibus vestris immensa lætitia exhilaramini, laudes debitas ore depromitis, gaudium vestrum etiam in vultu ostenditis, quia majestatem Christi et gloriam regni cœlestis mente recogitatis. Et revera magna est et ineffabilis causa gaudendi, cum audimus et corde credulo tractamus, quod in conspectu sanctæ multitudinis, supra omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderit, supergressa angelicos ordines, et ultra cunctarum altitudinem potestatum elevata, ad Dei Patris provecta est consessum. Quia igitur Christi ascensio nostra provectio est, et quo præcessit gloria capitis eo spes tendit et corporis, dignis exsultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetrabimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi corporatus Dei Filius ad Patris dexteram collocavit : ascendamus, dilectissimi, cum Christo interim corde, cum dies ejus promissus advenerit, sequemur et corpore. Scire tamen de-

A -bemus, fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, non invidia; nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo si post medicum nostrum desideramus ascendere, debemus vitia vel peccata deponere : hæc enim, quasi quibusdam compedibus nos premunt, et peccatorum nos retibus ligare contendunt. Et ideo cum Dei adjutorio, secundum quod ait Psalmista : *Disrumpamus vincula eorum* (*Psal.* II), ut securi possimus dicere Domino : *Disrupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV). Ascendentes autem non extollamur, nec de nostris quasi de propriis meritis præsumamus. Sursum enim cor habere debemus, sed ad Dominum : sursum enim cor, non ad Dominum, erigere, superbia vocatur; sursum
B autem cor ad Dominum habere, refugium vocatur. Videte, fratres, magnum miraculum : altus est Deus : erigis te, et fugit a te; humilias te, et descendit ad te. Quare hoc? Quia *excelsus est, et humilia respicit, et alta de longe cognoscit* (*Psal.* CXXXIX); humilia de proximo respicit, ut attollat; alta, id est superba, de longe cognoscit, ut deprimat. Resurrexit enim Christus ut spem nobis daret quia resurget homo qui moritur, ne moriendo desperaremus, et vitam nostram morte finitam putaremus, solliciti de salute animæ et requie post mortem. Ascendit ille in cœlum videntibus apostolis, et sedet a dextris Dei, et securos nos fecit quod nos in dextra sua collocaturus erit. Et ideo oportet nos interim credere, ut postea per fidem Deum mereamur
C aspicere. Mundemus per fidem oculum cordis nostri, quia sic solummodo Deum videre possumus, sicut ipsa Veritas dixit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Humiliemus nos sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in die visitationis* (*Matth.* V); qui enim modo ascendit tranquillus et mansuetus, tunc veniet districtus et manifestus. *Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX), et sedebit in sede majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, ut recipiat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum. *Qui vero bene egerunt, ibunt in vitam æternam; qui autem male, in ignem æternum* (*Joan.* V). Ipse ergo est nobis via, ipse est et patria : secundum hominem via, secundum Deum patria. Si fideliter
D currimus, per ipsum imus; si in cursu perseveraverimus, ad ipsum perveniemus. Quod ipse sua gratia nobis præstare dignetur, qui hodie super omnes cœlos ascendit, et spem vitæ nobis æternæ dedit, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

IN DIE PENTECOSTES.

Hodiernæ celebritatis gaudia, fratres charissimi, quanto plus capimus, tanto plus appetimus; et quanto avidius ejus suavitatem bibimus, tanto ardentius ejus siti æstuamus. Pentecosten ergo hodie celebramus, hoc est quinquagesimum diem a resurrectione Domini, quo Spiritus paraclitus, ex Græco vocabulo, qui *consolator* interpretatur, secundum promissionem Christi super apostolos descendit, eorumque corda flamma charitatis suæ accendit, et lumine totius scientiæ eos illustrans, inter angustias persequentium Judæorum constitutos cœlesti fecit exuberare lætitia. In primis enim sciendum est quod hæc solemnitas non evangelicis tantum consecrata charismatibus, verum etiam legalibus jam olim est præsignata mysteriis, ac Domino jubente, per omnes annos sacris observata cæremoniis. Hodierna etenim die, ut novimus, positis in cœnaculo discipulis, factus est repente de cœlo sonus, et Spiritus sanctus in visione ignis apparens, scientiam illis omnium linguarum tradidit (*Act.* II). Facta autem hac voce, convenere viri religiosi qui de diversis nationibus Hierosolymam paschalis festivitatis gratia confluxerant, stupebantque mirantes, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes magnalia Dei. Exponentibus autem discipulis quia Spiritus sanctus esset gratia quam cernebant, olim quidem voce prophetarum promissa, tunc autem Christi munere missa, crediderunt ex eis tria millia virorum, et baptizati etiam ipsi donum sancti Spiritus acceperunt. Hæc est diei hujus annua celebritas, hæc gratiæ cœlestis semper grata festivitas. Ob hujus memoriam fidelibus cordibus arctius imprimendam, pulcherrimus sanctæ Ecclesiæ mos inolevit, ut annis singulis in ea baptismatis mysteria celebrentur; ablutisque fonte salutari credentibus, supervenienti Spiritui sancto templum venerabile paretur : ac per hoc non solum veteris facti recordatio, verum etiam in novos adoptionis filios novus in ea Spiritus sancti celebratur adventus. Qualiter ergo huic nostræ festivitati legalis festi typus et figura concinnat, charitas vestra attendat : liberati de Ægyptia servitute filii Israel, post immolationem agni paschalis, exierunt per desertum ut venirent ad terram repromissionis, perveneruntque ad montem Sinai; et descendens Dominus in igne super montem, comitante sonitu buccinæ, tonitruis ac fulguribus, quinquagesimo die peracti Paschæ, legis decalogum eis aperta voce disposuit (*Exod.* XIX) : atque in memoriam datæ legis statuit eo die, per annos singulos, sibi sacrificium novum de frugibus ejusdem anni, panes videlicet primitiarum duos, ad altare deferri. Sic quoque post immolationem veri Agni, hoc est Christi, quia *pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* V), quinquagesimo æque die, hoc est hodie, data est gratia Spiritus sancti discipulis, in cœnaculo constitutis, hoc est in sublimitate cœlestium præceptorum : quia apparente foris igne visibili, invisibiliter eorum pectora luce scientiæ irradiavit, et inexstinguibili charitatis ardore succendit : novumque statim sacrificium ipsi quoque apostoli, mox accepto dono Spiritus sancti, in duobus obtulerunt panibus, hoc est duobus populis, cum evangelizantes his qui convenerant, plurimos converterunt ad fidem, et hos de fonte baptismatis renatos ac Spiritus gratia sanctificatos, vivas utique Novi

Testamenti primitias, ad communionem Dominici A altaris obtulerunt. Nos ergo, fratres, hæc considerantes, atque pura mente ac simplici fide tractantes, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, ut Spiritum sanctum promereri et accipere possimus. Si ergo hunc mundum relinquamus, nos similem paracletum sicut apostoli, id est Spiritum veritatis, quem mittet nobis Pater, accipiemus, quoniam non est personarum acceptio apud Deum Patrem, sed promissa apostolorum nobis proficiunt, si opera et desideria et actus gerimus, quod apostoli fecerunt. Si vero legem Domini immaculatam, et convertentem animas, implendo mandata ejus, perficiamus, nosmetipsos hæredes Domini et cohæredes Christi ad hæreditatem sempiternam et ad commorationem angelorum cum gratia Christi committimus. Unde B obsecro vos, fratres charissimi, ut fide integra Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate, credatis, ne pedes vestrorum sensuum claudicent, aut oculi pravum videant, aut manus aridæ fiant. Omnis enim qui fidem catholicam non bene sequitur, pedes debiles habet, manuum ariditate siccatur. Id ergo agite, dilectissimi, id elaborate, ne aliqua membrorum vestrorum portio hac debilitate vitietur; ne aut gula in vobis horreat, aut avaritia displiceat, aut infidelitas langueat, ut emundati penitus ac purificati, habitaculum Dei efficiamini, et Spiritus sanctus qui descendisse hodie in apostolos legitur, in vobis esse semper dignetur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui eumdem Spiritum sanctum et promisit, C regnans cum Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

DE JEJUNIO QUARTI MENSIS.

Post dies illos lætitiæ quibus Salvator noster post resurrectionem suam cum discipulis suis corporaliter in terra conversatus est, et post ascensionem Domini et adventum Spiritus sancti quæ omnia solemni celebratione venerari dignum erat, sancti patres nostri ex auctoritate legis admoniti, et evangelica veritate instructi, constituerunt, fratres charissimi, jejunium celebrare, quo creatori nostro munus devotionis nostræ in modum primitiarum, quæ circa hoc tempus Domino secundum legem deferebantur, offerimus. Præcepit ergo Dominus D Moysi, ita dicens : *Loquere filiis Israel et dices ad eos : Cum ingressi fueritis in terram quam ego dabo vobis, et messueritis segetes terræ vestræ, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem, qui levabit fasciculum coram Domino ut acceptabilis sit pro vobis* (*Levit.* XXIII); et paulo post, cum de die expletionis hebdomadæ septimæ disputat : *Offeretis*, inquit, *sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini : offeretisque eum panibus agnos immaculatos septem anniculos, et vitulum de armento unum, et arietes duos, et erunt in holocaustum cum libamentis suis in odorem suavissimum Domino*, etc. (*Ibid.*). Quæ omnia quoque spiritaliter modo observare et facere debemus in sancta Ecclesia, manipulum primitiarum messis nostræ ad sacerdotem nostrum offerimus, cum fidem Dominicæ passionis ac resurrectionis, qui resurrexit primitiæ dormientium, ipso sacerdoti summo offerimus; quam ille elevabit ut acceptabilis sit coram Domino, quia ut Joannes ait : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, qui apparet nunc vultui Dei pro nobis, et ipse fit propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II). Sacrificium novum Domino offerimus ex omnibus habitaculis nostris, cum unusquisque nostrum propria voluntate, secundum evangelica mandata Novi Testamenti, mortificationem corporis sui offert Deo. Vetus enim lex præcipit : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* II); et item : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis, ait Dominus Deus* (*Isa.* I); Novum autem Testamentum ita præcipit : *Contendite per angustam portam intrare* (*Luc.* XIII); *qui vult*, inquit Dominus, *post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX); et Apostolus : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V). Panes primitiarum duos Domino offerimus : cum Legem et Evangelium, quæ vere sunt cibi animarum nostrarum, pro modulo nostro, quantum possumus, adimplemus; qui panes sunt ex duabus decimis similæ fermentatæ, ex doctrina videlicet quæ perfectam Christi divinitatem et humanitatem tradit, nec aliter coqui nisi per talem doctrinam possunt. Offerimusque cum istis panibus septem agnos immaculatos, cum innocentiam, quam septiformis gratia Spiritus sancti in nobis efficit; concorditer legi et Evangelio in Dei conspectu exhibemus. Offerimus et vitulum de armento, cum Christum ex patriarcharum origine secundum carnem genitum, ac pro nobis crucifixum, confitemur. Offerimus et duos arietes, cum excellentiora mandata, quæ sequi alias virtutes velut oves oportet, adimplere studemus, ut est illud : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus*, etc. (*Matth.* XIX); et illud : *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos*, et reliqua (*Matth.* V). Horum ergo sacrificia et libatio, scientia videlicet et operatio, odor suavitatis Domino, ut Apostolus ait, *Christi bonus odor sumus Deo*. Hæc etiam oblatio festo Pentecostes competit, quia consummationem totius perfectionis Spiritus paracliti grate tribuit. Ideo, fratres, sancti patres nostri, expleta celeberrima festivitate Pentecostes, hoc salubre jejunium sanxerunt, ut per abstinentiam et supplicationes intentas Deo acceptabiles nos offeramus. Quidam vero, ex evangelica auctoritate instructi, in hoc quod Salvator Pharisæis et discipulis Joannis interrogantibus *cur discipuli ejus non jejunarent*, respondit, *Non possunt filii sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus : venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt* (*Matth.* IX); inde instituerunt, ut

post ascensionem Domini, qui matris Ecclesiæ verus A est sponsus, et post diem Pentecostes statim die altera jejunium incipientes, usque ad quadraginta dies illud protendant. Hoc vero qui non voluerit, aut non potuerit per infirmitatem carnis facere, saltem istos tres dies continentiæ salutaris legitime exsolvat. Jejunium quidem quarti mensis est quod nobis prophetarum lectio commendat, et nulli violare licet. Idcirco quarta et sexta feria et sabbato in hac hebdomada vobis jejunandum est, sicut sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ Romanæ auctoritas ex antiquis temporibus ordinabat. Nunc ergo venite, dilectissimi, obsecro, in sanctis diebus ad sacra missarum solemnia, fundite ibi preces vestras cum lacrymis coram Domino, petentes ejus misericordiam ut qui vos in veneratione Dominicæ resurrectionis ad tempus consolaba- B tur, in superna ejus visione in æternum consolare dignetur. Peracto autem missæ officio, cum ad cœnandum domi conveneritis, non obliviscamini pauperum, sed portionem eorum eis detis, sicut sæpe vos commonui, quia indignum est ut quando misericordiam Dei intentius expetitis, ipsi immisericordes contra proximos vestros inveniamini. Scriptum est enim : *Date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI), quia, *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum, charitas vero operit multitudinem peccatorum.* Cujus abundantiam vobis ipse tribuere dignetur, *qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, Jesus Christus Salvator noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. C Amen.

HOMILIA XXIV.

IN NATALI SANCTI BONIFACII MARTYRIS.

Præsentis diei lætitiam, fratres charissimi, vobis audientibus, opportunum reor sermone placido cum dilectione vestra tractare, et memoriam beati pontificis et martyris Christi Bonifacii in mentem revocare, qualiter temporis vitæ cursum peragens, ad beatitudinem pervenisset perpetuam. Et dignum est ut memoria de eo cogitet, quem memoria tenet æterna; nam in psalmo scriptum est : *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit* (*Psal.* CXI). Hic ergo versus, fratres, bene tam sancto viro convenit, qui non solum justitiam diligebat mente, quin etiam servabat in prædicatione et D exercebat in opere : atque ob hoc anima justi hujus modo vivit in requie cum sanctis, remota et secreta ab omnibus pœnis ac tenebris impiorum. In fine autem sæculi recepto corpore, non mortali sed immortali, non animali sed spiritali (quia quod seminatur in contumelia, resurget in gloria) æquabitur angelis Dei, et in ipsa memoria æterna erit justus. Sed a quo auditu malo non timebit, et hoc audite, et sic agite ut ab auditu malo non timeatis. Dicit enim Dominus noster Jesus Christus quia non potest falli qui neminem fallit. *Cum venerit*, inquit, *filius hominis in gloria sua, congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos sicut pastor segregat oves ab hædis; oves ponet ad dexteram, hædos autem ad sinistram* (*Matth.* XXV). Commemorat bona opera illorum, increpat mala istorum, ne longum faciamus sermonem, dicet eis qui ad dexteram ejus sunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*; in hac quippe memoria æterna erit justus. Dicet et sinistris : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus*; ab hoc auditu malo non timebit; et hoc unde, nisi quia hic positus creatori suo bene timoratus antea obtemperavit. Non ignorare vos credo, fratres, hujus sanctissimi viri probatissimum agonem ac celeberrimam victoriam, qui, secundum Veritatis vocem beatitudinis octo præcepta sequens, beatitudinem veram consecutus est. Nam Dominus dicit in Evangelio : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Ecce, fratres, nunquid non iste sanctus pauper fuit spiritu, qui spontaneam paupertatem eligens, rebus propriis et patrimonio, cognatis et parentibus derelictis, huic mundo quasi mortuus perfecte renuntiavit : humiliter conversans et nobiliter exsulans, et in peregrinatione solum Christum studuit lucrifacere, ut regnum cœlorum cum eo perpetualiter potuisset habere. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*; hic utique mitis erat, quia nulli nocuit, nulli calumniam fecit, imo ab aliis sibi facta patientissime toleravit : maledicentibus sibi non remaledixit, sed magis benedixit, et pro persequentibus exoravit; ob hoc quoque cum sanctis angelis terram viventium in æternum possidebit. *Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur*; et hic cum pauperibus Christi magis elegit tribulationem et pressuram in hoc mundo habere, quam cum divitibus hujus sæculi falsa lætitia ad tempus ridere, et postea in æternum lugere. Nam cum ab apostolica sede episcopus est ordinatus, et vice apostolica legatus Germanicus ad Francorum gentem est destinatus, illud Psalmographi in se implevit testimonium, quod de prædicatoribus sancti Evangelii dictum est : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV). *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hoc illi desiderium semper fuit, hoc esuries mentis, hoc sitis animæ ut justificationes mandatorum Domini in se custodiret, et alios item facere persuaderet, ut Domino cum Propheta posset dicere : *Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo : satiabor dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et unde tantum laborem exsilii prædicator iste eximius subiit, nisi quia misericordiæ visceribus instigatus, aliorum damna ut sua doluit, et ideo de multorum correctione misericordiam sempiternam coram oculis Dei invenit. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* : mundus corde fuit, qui tantum lumen sapientiæ in mente habuit; unde alibi scriptum est : *Anima justi sedes est sapientiæ*; qui autem sapientiam veram possidet, frustrari Dei conspectu nullate-

nus potest. *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur :* pacem iste martyr primitus in semetipso fecit, cum omnes motus carnis suæ spiritus imperio subjugavit, et sic verbum reconciliationis aliis prædicavit unde, et peccati regno destructo, multos filios per baptismum et prædicationem Evangelii Deo acquisivit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* persecutionem igitur propter justitiam non solum a paganis, imo etiam ab hæreticis et schismaticis, nec non et a falsis Christianis passus est, qui eum validis insectabantur odiis, vituperationibus et conviciis laniabant, atque insidiis dispositis, interficere sæpissime cogitabant; sed Dominus illum protegebat, ut Evangelii seminarium latius cresceret. Novissime vero, cum Frisonum genti verbum Dei prædicaret, cum palma martyrii ad Dominum migravit. Ecce audistis, fratres charissimi, per singulas species beatitudinis qualiter iste sanctus antistes Dei et martyr proficiebat, et ad quam perfectionem perveniebat. Imitemur nos, qui alumni ejus sumus, pro modulo nostro, profectum ejus; sequamur monita illius, et sic, Deo opitulante, perveniemus ad præmium ejus. Laudemus in Domino animam ipsius, quia modo cum sanctis angelis lætatur in conspectu ejus. Honoremus etiam corpus illius, quia *pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV). Commemoremus passionem ejus, et sic in loco reliquiarum illius celebremus gloriam triumphi ejus. Non enim aram constituimus tanquam Deo Bonifacio, sed vero Deo aram fecimus Bonifacium, quia sedes utique Dei est anima ipsius : ad cujus gaudium per orationem illius nos pervenire posse concedat, qui illum triumpharat, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

IN NATALI SANCTI ALBANI MARTYRIS

Sancta solemnitas beatissimi Albani martyris, quæ nos, fratres charissimi, in nomine Domini congregavit, de meritis et gloria tanti martyris exigit aliquid dici, sed non potest aliquid digne dici : verumtamen et nos devotione magis quam facultate laudemus eum, imo Dominum laudemus in eo, Dominum in illo, et illum in Domino. Quid enim esset sine Domino, vox martyrum de psalmo cum legeretur audita est : *Auxilium nostrum in nomine Domini* (*Psal.* CXXIII). Si auxilium omnium nostrum in nomine Domini, quanto magis martyrum : ubi major pugna, ibi majus auxilium necessarium est. Facile est, fratres, martyrum solemnia celebrare, sed difficile est martyrum passiones imitari. Angustam et arctam Christianorum viam duæ res faciunt, contemptus voluptatis et tolerantia passionis. Quisquis igitur taliter confligit, sciat se cum toto mundo confligere. Nam si hæc duo vincat, id est, quidquid blanditur et quidquid minatur, ita vincit mundum : voluptas enim mundi falsa est et pene transitoria,

A sed corona martyrii fit perpetua. Beati igitur martyres sibi vixerunt, et mortui exemplum nobis reliquerunt, bene vivendo, conversationis, tolerando fortiter, passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diversis pœnis pati martyres voluit, ut tanquam idonei testes præsentia quadam fidei exemplo suæ confessionis arguerent, ut humana fragilitas, quæ prædicationi Dominicæ auditu longiori vix credit, vel in præsentia testimonio martyrii crederet. Cuncti igitur martyres devotissime colendi sunt, sed specialiter hi venerandi sunt a nobis quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, isti etiam adjuvant passione : cum his autem nobis familiaritas quædam est, semper enim nobiscum sunt, hoc est et in corpore viventes custodiunt, et de corpore recedentes
B excipiunt : hic, ne peccatorum labes assumant nos, ibi ne inferni horror invadat. Nam ideo a majoribus hoc provisum est ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes, evademus inferni tenebras, et si non propriis meritis, attamen fidei veritate et consortii sanctitate. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regnum tenet. Nam videmus eos hic utique jam regnare; cernimus eos frequenter ab immundissimis dæmonibus obsessos homines liberare; videmus et ab eis naturæ nostræ infirmitatem relevari, hoc est cæcos illuminari, surdis auditum præberi, claudis gressum tribui, mutis
C loquelam, et debilibus sanitatem conferri. Hæc quoque et alia miracula per sanctos fieri omnibus notum est, et ideo, fratres, veneremur eos in hoc sæculo, quos defensores habere cupimus in futuro : et sicut cum eis ossibus parentum nostrorum jungimur, ita et eis fidei imitatione jungamur. Diligamus quod illi dilexerunt, et odiamus quod illi oderunt; quæramus quod ipsi quæsierunt, et refugiamus quod ipsi refugierunt. Dilexerunt quidem illi Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, et proximos suos tanquam seipsos; ita et nos nihil amore Dei præponamus, et proximos nostros in quocunque possimus adjuvemus. Illi oderunt vitia, et vitaverunt peccata, nos quoque similiter detestemur vitia, et vitemus peccata. Ipsi, refugientes luxum hujus vitæ, per fidem rectam et
D bona opera quæsierunt vitam æternam; nos quoque simili modo renuntiantes voluptatibus carnis, in fide, quæ per dilectionem operatur, quæramus vitam beatam et gaudia sine fine mansura. In nullo videlicet ab ipsis separari poterimus, si sociemus nos illis tam religione quam corpore : quod per intercessionem et merita illius sancti martyris ad cujus sacras reliquias astamus, ipse nobis præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

IN NATALI SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Jam Domino propitiante, fratres charissimi, non parum desiderata advenit festivitas, et ideo quicun-

que bene devoti bonis operibus ad tantam celebritatem se præparaverant, securius gaudeant; qui vero ad hoc faciendum magis adhuc segnes exstiterant, misericordiam Dei saltem nunc cum lacrymis et gemitu intentius expetant, ut gaudio sanctorum perfecto in æternum non careant. Natalem quoque sancti Joannis Baptistæ hodie, fratres, celebramus, quod nulli sanctorum unquam legimus fuisse concessum. Solius enim Domini et beati Joannis dies nativitatis in universo mundo celebratur et colitur, et merito : quia utraque nativitas plena est mysterio. Joannem sterilis peperit, Christum Virgo concepit; in Elisabeth sterilitas vincitur, in beata Maria conceptionis consuetudo mutatur; Elisabeth virum cognoscendo filium genuit, Maria angelo credidit et concepit hominem; concepit Elisabeth hominem, sed solum hominem, Maria vero Deum et hominem. Magnus igitur Joannes, cujus magnitudini etiam Salvator testimonium perhibet dicens : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista* (*Matth.* XI). Præcellit enim cunctis et universis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, et quisquis de muliere natus est, inferior est Joanne : qui autem de Virgine natus est, major est illo; unde idem Joannes ait : *Qui post me venit, ante me factus est, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti* (*Joan.* I); et : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia* (*Ibid.*); quia se quisque et omnes homines secum agere cum gratia conspexit, ideo nullum quasi non egentem ab hoc numero exclusit; ac si diceret : Nos omnes prophetæ, patriarchæ, apostoli, quotquot sancti et ante incarnationem præmissi, vel ab Incarnato missi, omnes nos de plenitudine ejus accepimus : nos vasa sumus, ille fons est; ille creator, nos creatura; ille Deus, nos homines. Hoc ergo, fratres, mysterium est in nativitate præcursoris Domini et in nativitate Redemptoris nostri, quod in prophetæ nativitate humilitas nostra designatur, in nativitate quoque Domini exaltatio nostra. Joannes decrescente die natus est, Christus vero crescente, quia dignum fuit ut hominis fama minueretur et gloria Dei exaltaretur. Hoc idem et Joannes sentiens, ait : *Me oportet minui, illum autem crescere* (*Joan.* III). Quod etiam in passionibus amborum impletum est : ut minueretur homo, caput Joannis abscinditur; ut exaltaretur Deus, Christus in ligno suspenditur. Quare autem beatum Joannem Dominus et Salvator noster lucernam esse dixerit, et quare eum ante mitti voluerit, breviter charitati vestræ intimabo : præmissus est enim Joannes velut vox ante verbum, lucerna ante solem, præco ante judicem, servus ante dominum, amicus ante sponsum. Et quia universum mundum peccatorum tenebræ et nox infidelitatis oppresserat, et solem justitiæ aspicere non valebant, beatus Joannes quasi lucerna præmittitur, ut cordis oculi, qui, lippitudine iniquitatis oppressi, magnum et verum lumen videre non poterant, ad lumen lucernæ primum quasi tenuem splendorem videre consuescerent, et paulatim peccatorum nubilo remoto, et infidelitatis humore digesto, adveniente Christo, ab illo cœlesti lumine lætificari possent potius quam torqueri. Sicut enim lippientes oculos ad videndum provocas si exiguum splendorem lucernæ ostenderis, et amplius crucias si lumen magnum ingesseris, ita Dominus et Salvator noster, qui est lumen verum, nisi prius beatum Joannem velut lucernam præmitteret, claritatem ejus totus mundus sustinere non posset. Ergo quia beatum præcursorem Domini lucernam esse cognovimus, qui veram lucem præcurrebat, et testimonium perhibuit de lumine, ut omnes crederent per illum : curramus ad eum, audiamus quid resonet. Ipse quidem vox est, sicut dicit Isaias propheta : *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et videbit omnis caro salutare Dei* (*Isa.* XL). Præparemus quoque et nos viam Domino venturo ad corda nostra, tollamus offensiones peccatorum per confessionem et pœnitentiam, rectas faciamus semitas conversationis nostræ, quæ prius pravæ et tortuosæ erant; sternamus viam veræ fidei bonis operibus, deponatur superbia mundana, et elevetur pusillanimitas formidolosa : sicque compositis, ordinatis, æquatis et coadunatis omnibus, videbimus salutare Dei sicuti est : quia *in pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion* (*Psal.* LXXV), cujus visione perpetua nos perfrui, præcursoris sui precibus exoratus, ipse concedat, qui ob hoc de cœlis descenderat, et de morte triumphans, sursum ascenderat, Jesus Christus Salvator noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

IN NATALI SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Hodie, fratres charissimi, beatissimorum apostolorum Petri et Pauli natalis dies est in toto orbe notissimus : in qua enim parte orbis latere potuit tanta devotio, cum virtutibus testantibus ubique prædicatur eorum gloriæ magnitudo? Si quidem cum de his dicat David propheta : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). In omnem terram mirabilium Petri virtus annuntiatur : et in fines orbis terræ Epistolæ Pauli penetrarunt. Quis enim non audivit quod primum beatus Petrus apostolus sedenti ad portam speciosam templi claudo ex ventre matris suæ olim jam debili pedum suorum restituerit firmitatem (*Act.* III), ut quod natura minus contulerat, apostolica gratia repararet? Aut quis locus expers est Epistolarum Pauli? ubi verba apostoli Pauli non leguntur? et quis fidelium non ea litteris inscripsit, corde retinet, conversatione custodit? qui Paulus a Domino vas electionis est nominatus : bonum vas, in quo pretiosi mandatorum Christi thesauri conduntur; bonum utique vas, de cujus plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, et plenum est. Ergo, fratres, Dominus Christus merito hos duos apostolos in cœtu

sanctorum suorum eminere fecit, quos suo judicio in tantam gloriam exaltavit. Nam Petro, sicut bono dispensatori, clavem regni cœlestis dedit; Paulo, tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis injunxit: scilicet ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefaceret doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Itaque beatus Petrus et Paulus eminent inter universos apostolos, et peculiari quadam prærogativa præcellunt. Verum inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione; et simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse. Non enim sine causa factum putemus quod una die, uno in loco, unius tyranni toleravere sententiam. Uno die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent; uno in loco, ne alteri Roma deesset; sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret: dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In urbe Romana, quæ principatum et caput obtinet nationum: scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; et ubi gentilium principes habitarent, illic Ecclesiarum principes morarentur. Cujus autem meriti sint beatissimi Petrus et Paulus, hinc possumus intelligere quod Dominus Orientis regionem propria illustraverit passione; Occidentis, ne quid minus esset, vice sui, apostolorum sanguine illuminare dignatus est; et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen et amborum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna die igitur beati apostoli sanguinem profuderunt; sed videamus causam cur ista perpessi sunt, scilicet quod inter cætera mirabilia, etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostraverint. Cum enim idem Simon se Christum diceret, et tanquam filium ad patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, et precatione sancta vicit magicam lenitatem: prius etiam ascendit ad Deum oratio quam volatus, et ante pervenit justa petitio quam iniqua præsumptio; ante, inquam, Petrus, in terris positus, obtinuit quod petebat, quam Simon perveniret ad cœlestia quo tendebat: altius ascendit humilitas quam superbia; validius intima cœlorum penetravit charitas quam præsumptuosa iniquitas. Deinde ipsa passio, licet diversa in singulis fuerit, tamen pari referta est gratiæ sanctitate. Nam Petrus crucis sicut Salvator exitium tulit, et Dominicæ devotionis similitudine, nec morte deceptus est, scilicet ut quem imitabatur fide, imitaretur et passione. Paulus vero capite cæsus est, quia gentibus caput fidei esse probabatur, et ut ostenderet fidelibus per truncationem capitis caput verum, quod est Christus, non posse ullo modo divelli. Ecce, fratres, quantos patro-

A nos habemus, quales duces religionis nostræ, quales adjutores gaudii nostri. Et ideo quotiescunque sanctorum apostolorum sive martyrum Christi memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dilatione concurramus. Reddamus illis honorificentiam, qui nobis salutem pro effusione sui sanguinis pepererunt, qui tanquam sacratam hostiam pro nostra propitiatione se Domino obtulerunt, præsertim cum dicat ad sanctos suos omnipotens Deus: *Qui vos honorat, me honorat; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* x). Honoremus sanctos apostolos atque martyres Christi cultu celebri: honoremus laudibus, honoremus devotione, honoremus et imitatione; et sic per eorum orationem perveniemus ad gaudii ipsorum perpetuam societatem; præstante hoc au-
B ctore et largitore omnium bonorum Domino, videlicet Jesu Christo, qui cum Patre vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

IN NATALI SANCTÆ MARIÆ.

Adest nobis, dilectissimi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper virginis Mariæ: ideo cum summa exsultatione gaudeat terra nostra tantæ virginis illustrata nativitate, et per cujus partum mutatur natura plastorum, qua deletur et culpa: præcisa [præcisum] est namque in ea illud divinæ infelicitatis elogium quod dicit: *In tristitia paries filios*, quia ista in lætitia Dominum parturivit. Eva enim luxit, ista exsultavit; Eva lacrymas, Maria gaudium in
C ventre portavit; quia illa peccatorem, ista edidit innocentem, virgoque genuit et virgo permansit post partum: utrumque miraculum, fratres, quod sine corruptione gravida, et in partu virgo est puerpera. *Ave*, inquit angelus ad eam, *gratia plena*, *Dominus tecum*; tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare, beata virgo, Christus rex e cœlo suo, in utero tuo; et ideo benedicta eris tu inter mulieres, quæ vitam et viris ac mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem attulit sæculo: percussit illa, ista vivificavit; propter inobedientiam enim obedientia commutatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exsultans amplexatur filium, portat a quo portabatur. Audite igitur vocem
D verborum illius qua dixit: *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est* (*Luc.* I). Denique post illud benedicibile præsagium, dum tacita secum Virgo mentis alternatione confligit, qualis esset ista salutatio, nuntius interim cœlestis exsequitur: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum*; at illa: *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco*; et angelus ad eam: *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque quod nasce-*

tur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Nec mora, revertitur nuntius, et virginalem thalamum ingreditur Christus. Gaudeamus ergo et nos, fratres, in die tantæ Virginis, quæ meruit, sola omnium feminarum, regem, quem cœli, terra, mare, capere non possunt, in suam virginalem castis et sanctis visceribus concipere vulvam, ut ipsa pia interventrix pro nobis consistat ad filium, qui eam transvexit cum omni gloria ad cœli palatium, et nunc vivit et regnat cum eo in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Cum omnium sanctarum virginum festivitates, quæ castitatem mentis et corporis usque ad finem vitæ servaverunt, et per Dei misericordiam de hoc sæculo nequam triumpharunt, dignæ sint laudibus, perpendite, fratres, quanta veneratione digna sit solemnitas illa, qua Virgo virginum ex hac temporali vita æternam migravit ad requiem : cum non solum credimus illam nobiscum esse memorabilem, sed etiam cum ipsis sanctis spiritibus angelicis fieri valde honorabilem, qui celebri inde exsultant gaudio, cum matrem Domini atque conditoris summi æterna beatitudine secum perfrui conspiciunt; matrem videlicet illam quæ sobolem in utero concepit, et casta est; filium genuit, et virgo est; mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, mater unigeniti Domini et regis omnium, plasmatoris et creatoris cunctorum; illius qui in excelsis sine matre, et in terra est sine Patre; ipsius qui in cœlis secundum deitatem in sinu est patris, et in terris secundum corporis susceptionem in sinu erat matris. Hujus itaque Unigeniti Dei dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata sancti, una unius, unica unici : nec enim alter unigenitus Deus super terram venit, aut alia virgo unigenitum genuit. Unde et magnitudinem ejus admirantes tacitis vocibus cordis, taliter, fratres charissimi, exclamemus in laudem, atque dicamus : O vere beata virgo Maria, agnosce gloriam tuam, illam videlicet gloriam quam tibi angelus nuntiavit, vel Joannes per os Elisabeth, nondum matris adhuc de secreto uteri [egressus] prophetavit : *Benedicta itaque tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Tu quoque promissum universo mundo per tanta retro sæcula suscipere meruisti adventum; habitaculum immensæ majestatis effecta es : spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium peculiari munere novem mensibus sola possedisti. Initiator omnium rerum abs te initiatus est, et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit; uno partu tuo universorum nata est vita sæculorum : angelorum Patrem meruisti vocare filium tuum. Ecce exaltata es super choros angelorum, juxta regem filium, felix mater, regina regnabis in æternum. Et cui præstitisti uteri tui hospitium, ipse tibi dedit regna cœlorum. Sed hæc dicendo, fratres, minus mihi videtur omnis laus esse gloriæ ejus, et succumbere omnis oratio honori ejus.

A Laudent eam angeli, prædicent archangeli, omnes cœlorum virtutes et omnes sanctorum cœtus in laudibus ejus exsultent; attamen adhuc mihi videtur excellere dignitas honorificentiæ ejus. Sed hæc perpendentes, fratres, non desperemus nec refugiamus, imo magis in laudem ejus pro modulo nostro excitemur, et in prædicatione ejus exsultemus; quia quod minus est in possibilitate nostra, implebit bonitas sua. Mundemus conscientiam nostram ab operibus mortuis, et præparemus nos ad confessionem tanti nominis. Omnis persona et omnis ætas ad tantam festivitatem celebrandam bonis moribus ornare se studeat, et in quo vocatus est, in eo permanere decertet. Quicunque ergo viri sive feminæ virginitatis propositum tenent, in eo perseverare satagant,
B ut sint sanctæ et corpore et spiritu : sint disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione teneant, sint stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes, et ad omne bonum promptissimi; qui autem connubio sunt dediti, virginitatem tamen in fide recta habeant, in qua universa Ecclesia, sponsa Dei dicitur. Quod tamen Ecclesia catholica, quæ constat ex virginibus et pueris, ex maritatis feminis et uxoratis viris, uno nomine virgo est appellata, audi Apostolum dicentem : *Desponsavi*, inquit, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI). Pudicitiam conjugalem servent, ab illicitis abstineant, bona opera faciant,
C hospitalitatem diligant, et eleemosynas facere non segnes fiant. Qui divites in hoc mundo fieri videantur, non superbe sapiant, nec sperent in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat omnibus abundanter. Discant bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere communicare cum proximis, thesaurizent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam. Qui autem pauperes sunt, fide non deficiant, sed magis virtutibus divites fieri studeant, quod scriptum est : *Pauperes elegit Deus in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* II), et Propheta dicit : *Junior fui et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus egens pane* (*Psal.* XXXVI). Sive ergo nobiles sint, sive ignobiles, sive
D servi, sive liberi, sive viri, sive feminæ, sive senes, sive juvenes, omnes pariter audiamus Apostolum dicentem : *State in fide, viriliter agite et confortamini; omnia vestra cum charitate fiant* (*I Cor.* XVI). Et si taliter nos facientes sancta Dei genitrix suæ conspexerit adesse festivitati, facile nobis impetrabit et in præsenti opportunum solatium, et in futuro vitam æternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

DE JEJUNIO MENSIS SEPTIMI.

Mensis septimi secundum divinæ legis sanctionem

fratres charissimi, nunc instat celebritas, quam diem expiationum et solemnitatem tabernaculorum veteres celebrabant, nos utique commonentes ut intelligamus nos in præsentis vitæ peregrinatione, ab omni labe peccatorum per sanguinem mediatoris nostri expiatos, futuram in cœlis quærere debere patriam : *non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII). Nam ut hæc lucidius pateant, ipsa verba legis charitati vestræ breviter commemorare liceat. Locutus est enim Dominus ad Moysen, dicens : *Loquere filiis Israel : Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum : omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino* (*Levit.* XXIII); et paulo post : *Decima*, inquit, *die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. Omne opus non facietis in tempore hujus diei, quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populis suis*, et reliqua (*Ibid.*); et post aliquanta : *Mense*, inquit, *septimo festa celebrabitis et habitabitis in umbraculis septem diebus : omnis qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis, ut discant posteri vestri quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti, ego Dominus Deus vester* (*Ibid.*). Ecce, fratres charissimi, quanta auctoritate ritus hujus solemnitatis primitus a Domino constitutus est, quem minime violare licet, imo cum omni honorificentia virtutum, sobrietatis quoque et castitatis, jejunii et sacrarum orationum, digne venerari decet. Nec onerosum videri debet dilectioni vestræ si aliqua verba ex suprapositis sententiis exponamus, quia dulcius illud celebrabitis, cujus rationem bene cognoscitis. Septenarius ergo numerus primum evidentem gerit perfectionis ac consummationis figuram : sive specialiter uniuscujusque nostrum, sive generaliter omnium electorum, quod utique denotat illud, quia Deus in die septima cessavit ab operibus suis, dans nobis ex ipsa requiem nostram conjicere, de qua Paulus ait : *Qui enim ingressus est in illam requiem, requievit ipse ab omnibus operibus suis, sicut a suis Deus* (*Hebr.* IV). Sed initium consummationis temporum, Domini est adventus; de quo Joannes evangelista ait : *filioli, novissima enim hora est ;* hoc videlicet tempus septimi mensis rite significat, in quo requiem habere incipiemus, id est, carere operibus malis, et a gravi sarcina peccatorum liberari. In hoc ergo tuba apostolicæ prædicationis ad sanctificationem nos invitat, et servilia opera agere vetat : non est enim jam tempus opera servilia facere, quia sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium, in quo gesta sunt ea quæ erant turpia ; et debemus quemadmodum exhibuimus membra nostra arma iniquitatis ad iniquitatem, ita exhibere membra nostra arma justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI), hoc est enim verum holocaustum Domini.

A Quod autem de tabernaculorum festivitate supra commemoravimus, hoc significat quod nos qui ab intelligibili Ægypto, hoc est infidelitatis tenebris, et a spiritalis Pharaonis servitute, qui secundum corruptionem laterum præsentis sæculi est, liberati sumus, omne tempus istius vitæ, quod septenario dierum curriculo volvitur, in tabernaculis quasi peregrini habitare debemus, dicentes cum Psalmista : *Incola ego sum in terra, et peregrinus, sicut omnes patres* (*Psal.* CXVIII); et : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Ibid.*); imitantesque caput nostrum, ipsam Veritatem, quæ dixit : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*Luc.* IX); qui nos ad supernam patriam præcedens, promisit nobis, ita dicens : *Vado parare vobis locum, et iterum* B *veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis* (*Joan.* XIV). Hanc lætissimam promissionem Redemptoris nostri suscipientes, fratres charissimi, totum desiderium nostrum in ejus amorem vertamus; non simus cupidi, neque elati, ad præsentem prosperitatem intendentes, sed magis festinemus per præsentis vitæ laborem ad requiem venire perpetuam : *Per multas* enim *tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV). Scimus ad eleemosynam prompti, largi in tribuendo solatium egentibus proximis nostris. Nudi intravimus in hunc mundum, nudi exibimus de hoc mundo (*Job.* I). Thesaurizemus nobis *thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt,* C *nec furantur* (*Matth.* VI). Castigemus carnem nostram cum jejuniis et vigiliis; mortificemus voluptatem corporis, ut in nobis vigeat virtus animæ. *Omnis enim anima quæ afflicta non fuerit in die hoc, peribit de populis suis.* Hoc est patenter dicere, Quisquis in præsenti vita deliciose et segniter vivit, exterminabitur de cœtu sanctorum, quando justus judex bene certantibus præmia reddet æterna, otiosis autem et negligentibus supplicia tribuet sempiterna. In hac quidem præsenti septimana, fratres, secundum constitutionem sanctorum Patrum, quarta et sexta feria, nec non et sabbato, nobis jejunandum est, ut in diebus propitiationis per jejunia et eleemosynas, per preces et supplicationes, misericordiam in conspectu conditoris nostri invenire mereamur. D Nullus se nostrum in prædictis diebus ab ecclesiæ conventu subtrahat, sed magis se ibidem inter sacra missarum solemnia Deo cum lacrymis et compunctione cordis orando commendare studeat : quatenus remissionem præteritorum peccatorum percipiat, et per gratiam adjutus in futuro, melius se a peccatis omnibus observare queat : præstante ipso Redemptore nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

IN FESTIVITATE SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Beati Michaelis solemnia, fratres charissimi, celebrantes, libet nos aliquid vobis de hac festivitate

dicere, quatenus mens vestra eo valentior ad cœlestia se erigat, quo se cognoscit eorum memoriam venerari in terris, quorum habitatio est semper in cœlis. Bene ergo prævisum est nobis a sanctis Patribus, ut qui sanctorum martyrum atque confessorum per totum annum varias celebrationes habemus, in diebus natalium eorum, quando de morte triumphaverunt et ad vitam renati sunt æternam, saltem vel una die sanctorum archangelorum memoriam solemniter veneraremur, ut quorum omnes semper indigemus auxilio contra hostis antiqui insidias, etiam in communi conventu pariter eorum a Domino postularemus suffragia. Angelorum quippe et hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit, quam dum consistere ad æternum voluit, etiam procul dubio ad suam similitudinem creavit. Novem vero sunt ordines angelorum, decimus quoque homo est creatus, qui conditori suo nec post culpam periit, quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans, quasi ex lumine testæ, reparavit. Nam testante sacro elogio, scimus angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim, qui in superni regis castris semper devoti persistunt, est ab ejus laude nunquam cessabunt. Sed tamen sciendum quod angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt; quia tunc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde et per Psalmistam dicitur : *Qui facit angelos suos spiritus* (*Psal.* CIII); ac si patenter dicat : Qui eos quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit, angelos facit. Sed tamen mos ecclesiasticus obtinuit, propter significationem multifariam quam unum nomen spiritus continet, quod illi cœlestis Hierusalem cives angeli generaliter nuncuparentur ; Græca etenim lingua, angeli, nuntii, archangeli vero summi nuntii vocantur. Hi autem qui minima nuntiant, angeli ; qui vero summa annuntiant, archangeli vocantur ; qui idcirco etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque enim in illa sancta civitate, quam visione omnipotentis Dei plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum nomine personæ sine nominibus sciri non possint : sed cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud se nomina a ministeriis etiam trahunt ; Michael, namque, *quis sicut Deus?* Gabriel autem *fortitudo Dei*, Raphael vero dicitur *medicina Dei*. Et quoties miræ aliquid virtutis agitur, Michael mitti perhibetur, ut ipso actu et nomine detur intelligi quod nullus potest facere quod facere prævalet Deus. Unde et ille antiquus hostis, qui se ad similitudinem ejus superbus extulerat, in fine mundi cum Michaele archangelo præliaturus esse perhibetur, ut per Michaelem peremptus discat quia ad similitudinem Dei per superbiam nullus exsurgat. Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, quia Dei fortitudo

A nominatur : illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. Raphael quoque, qui ad curandum Tobiæ oculos mittitur, dignum videlicet fuit ut *Dei medicina* vocaretur. Sciendum ergo est quod ipsi angelici spiritus, cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium ut tamen nunquam desint interius per contemplationem. Et mittuntur igitur et assistunt, quia Deo ubique præsentes sunt : amant et obediunt atque in humilitate persistunt ; fruuntur bono inæstimabili, et ob hoc gaudent lætitia inenarrabili. Pacem inter se habent perpetuam, et pacem nobiscum tenere optant. Sunt pii, benigni, misericordes, pleni dilectione, nihil Deo charius ducunt, et ad hunc amorem nos accendere volunt.
B Finem gaudii sui non pertimescunt, et hanc securitatem nos secum in cœlis habere cupiunt. Sed hæc, fratres, me loquente, introrsus vos ad vosmetipsos reducite, secretorum vestrorum merita cogitationesque discutite. Videte si quid jam boni vobiscum intus agitis, videte si in numero horum agminum, quæ breviter tangendo perstrinximus, sortem vestræ vocationis invenitis. Væ autem animæ quæ in se de his bonis quæ numeravi, minime aliquid recognoscit, eique adhuc væ deterius imminet, si privatam se donis intelligit et nequaquam gemit. Quisquis ergo talis est, fratres mei, gemendus est valde, quia non gemit. Pensemus igitur accepta electorum munera, et virtute qua possumus, ad amorem tantæ sortis anhelemus. Qui in se donorum gratiam minime re-
C cognoscit, gemat ; qui vero in se minorem cognoscit, majorem aliis non invideat, quia et supernæ illæ distinctiones beatorum spirituum ita sunt conditæ, ut aliæ aliis sint prælatæ, sed tamen omnes una eademque charitate sociatæ. Diligamus nos, fratres charissimi, invicem, diligamus et illos cœlestis patriæ spiritus, et illorum cœlestem conversationem, quantum possumus, in bonis moribus imitemur. Diligamus ante omnia et super omnia conditorem nostrum, deprecantes ejus clementiam, ut qui nos ab initio inter sanctorum angelorum consortia ascribi voluit, sanctorum archangelorum suorum precibus exoratus, ad eorum societatem nos pervenire faciat Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula
D sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

IN REVELATIONE SANCTI MICHAELIS.

Memoriam beati Michaelis archangeli toto orbe venerandam ipsius et opere condita et consecrata nomine demonstrat ecclesia. Quæ non metallorum fulgore, sed privilegio commendata signorum ; vili facta schemate, sed cœlesti est prædita virtute, ut pote quia fragilitatis humanæ memor archangelus, e cœlo veniens, ad promerendam ibi mortalibus supernorum gratiam donorum, propria manu sua condere dignatus est. Vertice siquidem montis excelsi posita, de corpore ejusdem saxea, speluncæ instar præcavata ostenditur. Est autem locus in Campa-

niæ finibus ubi inter sinum Adriaticum et montem Garganum civitas Sepontus posita est, qui a mœnibus civitatis ducentis duodecim milliaribus porrectus, in cacumine supremo, beati archangeli præfatam gestat ecclesiam. Hanc mortalibus hoc modo cognitam, libellus in eadem positus indicat. Erat in ea civitate prædives quidam nomine Garganus, qui et ex eventu suo monti vocabulum dedit. Hujus dum pecora, quorum infinita multitudine pollebat, passim per devexi montis latera pascerentur, contigit taurum armenti gregis consortia spernentem, singularem incedere solitum, et ad extremum redeunte pecore domum non esse regressum. Quem dominus, collecta servorum suorum multitudine, per devia quæque requirens, invenit tandem in vertice montis præ foribus cujusdam speluncæ assistere; itaque permotus cur solivagus incederet, arrepto arcu, appetiit illum sagitta toxicata, quæ, velut venti flamine retorta, eum a quo jacta est mox reversa percussit. Turbati cives et stupefacti qualiter res fieret effectu, non enim propius accedere audebant. Consuluit episcopum quid facto opus sit, qui indicto jejunio triduano, a Deo monuit esse quærendum: quo peracto sanctus Domini archangelus episcopum per visionem alloquitur dicens: Jam benefecisti, quod homines latebat, a Deo quærendo mysterium, videlicet hominem suo telo percussum sciatis, et hoc mea gestum voluntate. Ego enim sum Michael archangelus, qui in conspectu Domini semper assisto, locumque hunc in terris incolere tutumque servare instituens, hoc volui probare judicio, omnium me quæ ibi geruntur ipsiusque loci esse inspectorem atque custodem. His revelatione compertis consuetudinem fecerunt cives hic Deum precibus, sanctumque deposcere Michaelem, duas quidem ibi januas cernentes, quarum australis, quæ et major erat, aliquot gradibus in occasum vergentibus adiri poterat. Sed nec ultra ad præruptam cryptam intrare ausi, præ foribus quotidie orationi vacabant.

Hæc inter Neapolitæ, paganis adhuc ritibus oberrantes, Sepontinos et Beneventinos, qui quinquaginta millibus a Seponto distant, bello lacessere tentant; qui antistitis sui monitis edocti, triduo petunt inducias, ut triduano jejunio liceret, quasi fidele patrocinium, sancti Michaelis implorare præsidium. Quo tempore pagani ludis obscenis, falsorum invitant auxilia deorum. Ecce autem nocte ipsa quæ belli præcederet diem, adest in visione sanctus Michael antistiti, preces dixit exauditas, victoriam spopondit adfuturam, et quarta diei hora bello præmonet hostibus occurrendum. Læti ergo mane, et de angelica certi victoria, obviant Christiani paganis, atque in primo belli apparatu Garganus mons immenso tremore concutitur, fulgura crebra volant, et caligo tenebrosa totum montis cacumen obduxit. Impletur prophetia quæ Deum laudans, ait: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis* (*Psal.* CIII); fugiunt pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis, ut Neapolim usque sequentibus, atque extrema quæque cedentibus adversariis, mœnia tandem suæ urbis moribundi subintrant, qui queant evadere periculum: compertum enim erat quod angelus Dei in adjutorium venit Christianis. Nam et sexcentos ferme suorum fulmine videbant interfectos; Regi regum Christo continuo colla submittentes, armis induuntur fidei. Cum vero hi domum fuissent reversi victores, vota Domino gratiarum ad templum referrent archangelo, vident mane juxta januam septentrionalem, quam prædixi, instar posteriora pusilla quasi hominis vestigia, marmore arctius impressa, agnoscuntque beatum Michaelem hoc præsentiæ suæ signum voluisse monstrare, ubi postea culmen appositum, et altare impositum, ipsaque ecclesia ob signa vestigiorum. Oppidania est vocata. Multa dubitatio erat inter Sepontinos quid de loco agerent, et si intrare vel dedicare illic ecclesiam debeant. Unde collatione facta, ad orientem loci illius beati Petri apostolorum principis nomine condunt ecclesiam et dedicant, in qua etiam beatæ semper virginis Mariæ sanctique Baptistæ Joannis altaria statuunt. Tandem antistes, salubri reperto consilio, Romanum episcopum quid de his agendum sit per nuntios sciscitatur, qui tunc forte in monte Saraptim, quinquagesimo fere milliario a Romana urbe distabat, quem incolæ sancti Silvestri cognomine vocant, eo quod ipse quondam ibi exsul pro fidei persecutione delituerit in monte hoc Saraptim, quique talia mandata remisit. Si hominis est illam dedicare basilicam, hoc maxime die quo victoria data est, fieri oportet; sin autem alias sancto provisori loci placuerit, eodem die, præcipue illius est in hoc voluntas quærenda. Hoc ergo tempore imminente, agamus ambo triduanum cum civibus nostris jejunium, sanctam Trinitatem rogantes ut munera quæ per summum suæ sedis ministerium conferre dignatus est, ad certum usque finem perducat. Factumque est ut suggesserat antistes: nocte vero constituti jejunii summus angelus Domini, sanctus Michael, episcopo Sepontino per visionem apparens. Non est, inquit, vobis opus hanc quam ego ædificavi dedicare basilicam: ipse enim qui condidi etiam dedicavi: vos tantum intrate, et me assistente patrono, precibus locum frequentate; et te quidem cras ibi missam celebrante, populus juxta morem communicet: meum autem erit ostendere quomodo per memetipsum locum consecraverim ipsum. Adveniunt mane cum oblationibus, et magna instantia precum intrant portam australem. Et ecce longa porticus in aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam januam extra quam vestigia marmore diximus impressa. Sed priusquam huc pervenias, apparet ad orientem basilica prægrandis, ad quam per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu sua quingentos fere homines capere videbatur. altare venerandum, rubroque contectum palliolo, prope erat medium parietis, meridiem ostendens: in gyro autem ipso domus angulosa, non in morem operis humani parietibus erectis, sed instar spelun-

cæ præruptis, et sæpius eminentibus asperata scopulis, culmine quoque diversæ altitudinis, quod hic vertice, alibi manu vix possit attingi. Credo quod, docente archangelo Domini, non ornatum lapidum, sed cordis quærere ac diligere puritatem oporteat. Vertex vero montis extrinsecus partim cornea silva tegitur, partim virenti planitie dilatatur. Missarum itaque celebratione completa, magno attoniti gaudio, quique redierunt in sua loca : episcopus autem, delegato ministrorum, cantorum sacerdotumque officio, et mansione constructa, omnem ibidem quotidie psalmorum missarumque cursum congruo præcepit ordine celebrari. Nullus autem hic est nocturno tempore ausus ingredi, sed aurora transacta, matutinos ibi decantant hymnos. Ex ipso autem saxo quo tegitur sacra ædes ad aquilonem altaris, dulcis et nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ab hoc et vitreum vas, ejusdem receptui præparatum, argentea pendet catena suspensum, morisque est populo communiter singulos ad hoc vasculum ascendere per gradus, dominique cœlestis degustare liquorem : nam et gustu suavis est et tactu salubris. Denique nonnulli post longas febrium flammas, hanc haustam stillam, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque et aliis modis ibi crebro sanantur ægroti, et multa angelicæ tantum potestatis licet (*sic*) geri miracula comprobantur : maxime tamen ejusdem die natalis ejus, cum et de provinciis circumpositis plus solito conflua turba occurrat, et angelicæ virtutis major quodammodo credatur adesse frequentia, ut quod spiritaliter dixerunt apostoli et corporaliter agi videatur, *quod angeli sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Heb.* I). In Christo Jesu Domino nostro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

IN NATALI SANCTI MARTINI CONFESSORIS ATQUE PONTIFICIS.

Largiente divina gratia convenistis hodie, fratres charissimi, ad celebrandum festum sancti Martini pontificis : cujus inter cæteros natales et memorias sanctorum Patrum nobilis et eminens exstat solemnitas; et merito, quia a primis rudimentis vitæ humanæ ita gratiæ divinæ aptatus est, ut in pueritiæ suæ tempore, quando primum electione Dei fuerat advocatus, statim appareret perfectus. Denique cum necdum sacra unda baptismatis fuisset regeneratus, sed tantum verbo fidei imbutus ac catechumenus esset effectus, quodam tempore, cum jam nihil præter arma et simplicem militiæ vestitum haberet, media hieme, quæ solito asperior inhorruerat, adeo ut plerosque vis algoris exstingueret, obvium haberet, in porta Ambianensium civitatis, pauperem nudum, qui cum prætereuntes ut sui misererentur oraret, omnesque miserum præterirent, intellexit vir Deo plenus, sibi illum, aliis misericordiam non præstantibus, reservari. Quid tamen ageret, nesciebat, qui nihil præter chlamydem qua indutus erat, habebat : jam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro quo accinctus erat, mediam dividit, partemque ei pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Qui cum a circumstantibus irrisus esset, quod cum deformi truncatoque habitu videretur, quasi in nullo læsus ignoscens, ad remunerationem attendebat futuram. Nocte igitur sequenti, cum se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem contexerat, parte vestitum, intueri diligentissime Dominum, vestemque quam dederat, jubetur agnoscere. Mox ad angelorum circumstantium multitudinem audivit Jesum clara voce dicentem : *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Attenditis, fratres, a quanta perfectione iste vir sanctus cœperit conversationis suæ initium; nam hinc conjicere potestis ad quem finem cursus sui pertenderit statum. Viginti ergo annorum baptismi sacramentum suscepit, et non multo post hæc militiam deserens, sancto Hilario confessori adhærens, fit monachus; in quo proposito tam nobiliter degebat, ut etiam signis et miraculis Dominus ejus comprobaret studium. Interea Turonensium Ecclesiæ episcopus ordinatur, in quo gradu etiam ita temperavit religionis habitum, ut in monacho posses pastoris cognoscere primatum, et in pastore mirari monastici rigoris actum. Quid plura? Fit quidem per omnia evangelicæ insignis assertor doctrinæ, et in miraculorum frequentia apostolicæ par gratiæ; de quo videlicet, Sulpitio Severo scribente, insigne exstat volumen. Nam dæmonum legiones ab obsessis catervis hominum expulit : varias ægritudines infirmantium abigens, saluti pristinæ erutos reddidit, debiles et leprosos verbo curavit, sanctique Spiritus gratia revelante, multa futura seu præsentia prædixit. Præter hæc quoque trium mortuorum suscitator prædicatur esse magnificus. Angelicis sæpe visitatus est officiis, atque sanctorum apostolorum, et præcipue Dei genitricis est consolatus alloquiis. O vir beatus et verus Israelita, in quo dolus non fuit! Neminem temere judicavit, neminem injuste damnavit, nulli malum pro malo reddidit, contra omnes injurias et adversariorum calumnias patientissimus exstitit. Plerumque etiam pro eorum qui obtrectatores illius erant solebat flere peccatis, qui remotum illum et quietum venenatis linguis et vipereo ore carpebant. Nunquam in ore illius nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia, nisi charitas erat. Ecce, fratres, qualem et quantam lucernam Christus super candelabrum in Ecclesia sua posuit, ut omnes qui ingrediuntur, lumen videant. Quis nostrum est qui non in conversatione ejus lucem, in doctrina splendorem, in exemplis claritatem invenire possit : sed quia nullus est qui non possit, videte ne quis sit qui non velit : non enim facile evaserimus vindictam, si tantam neglexerimus gratiam. Omnes gaudemus celebrare festum Martini, attendamus ut sequamur exempla Martini, quo pervenire possimus ad præmium Martini. Non simus ergo superbi, elati, arrogantes, vaniloqui, mendaces, ira-

cundi, maledici, invidi, blasphemi, detractores, avari, ebriosi, libidinosi et voluptatum sæculi amatores, utique quod non fuit Martinus; sed simus humiles, obedientes, veraces, mites, patientes, benigni, misericordes, pacifici, boniloqui, largi, sobrii, continentes, longanimes, pleni dilectione Dei et proximi, quod sine dubio fuit Martinus. Sic quoque placebimus Martino, et sic intercessorem poterimus semper ipsum habere Martinum : quod nobis ejus gratia præstare dignetur, qui confessorem suum sibi feliciter servientem gaudium æternum intrare fecerat, et super omnia sua constituerat, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

IN NATALI SANCTI ANDREÆ APOSTOLI.

(*Evangelium Joan.* I.)

Ex lectione sancti Evangelii quæ modo lecta est, fratres charissimi, potestis perpendere, et perpendentes cognoscere, quantum distat in imo jacens pusillanimitas infirmitatis nostræ a soliditate perfectionis apostolicæ, et quam longe differt protervitas nostra a præcedentium Patrum obedientia. Audistis ergo quod ad unius jussionis vocem Petrus et Andreas, relictis retibus, secuti sunt Redemptorem. Nulla vero hunc facere adhuc miracula viderant, nil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, et tamen ad unum Domini præceptum hoc quod possidere videbantur obliti sunt. Quanta nos ejus miracula vidimus? quot flagellis affligimur? quantis minarum asperitatibus deterremur, et tamen vocantem sequi contemnimus. In cœlo jam sedet, qui de conversione nos admonet; jam jugo fidei colla gentium subdidit, jam mundi gloriam stravit, jam ruinis ejus crebrescentibus, districti sui judicii diem propinquantem denuntiat; et tamen superba mens nostra non vult hoc sponte deserere quod quotidie perdit in vita. Quid ergo, fratres charissimi, in ejus judicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur. Sed fortasse aliquis tacitis secum cogitationibus dicit : Ad vocem Dominicam uterque iste piscator quid aut quantum dimisit, qui pene nihil habuit? Sed in hac re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare quam censum. Multum reliquit qui sibi nihil retinuit; multum reliquit qui, quamlibet parvum, totum deseruit. Certe nos et habita cum amore possidemus, et quæ minime habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit. Multa, fratres, relinquitis, si desideriis renuntiatis. Exteriora etenim nostra, quamvis parva sint, sufficiunt, si interiora cordis tota offerantur. Cor namque et non substantiam pensat Deus, nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur. Regnum Dei tantum valet quantum habes. Valuit namque Zachæo in dimidio substantiæ, quia dimidium aliud ad hoc quod injuste abstulit, restituendum in quadruplum servavit. Valuit Petro et Andreæ, di-

A missis retibus et navi; valuit viduæ duobus minutis; valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet quantum habes; nunquam est vacua manus a munere, si arca cordis repleta est bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit : *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi* (*Psal.* LIII). Ac si aperte dicat : Et si exterius munera offerenda non habeo, in memetipso tamen invenio quod in ara tuæ laudis impono; nihil quippe Deo offertur ditius voluntate bona : voluntas autem bona est sic adversa alterius sicut nostra pertimescere; sic de prosperitate proximi sicut de nostro profectu gratulari : aliena damna, nostra credere, aliena lucra, nostra deputare; amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere; inimicum

B etiam tolerare : nulli quod pati non vis facere; nulli quod tibi juste impendere desideras, negare; necessitati proximi juxta vires concurrere, sed prodesse etiam ultra vires velle. Sed hoc bonæ voluntatis sacrificium, fratres, nunquam plene persolvitur, nisi mundi hujus cupiditas perfecte deseratur : nam quidquid in eo concupiscimus, hoc procul dubio proximis invidemus. Et quia semper invidia a bona voluntate discordat, mox hæc mentem ut ceperit, illa discedit. Unde prædicatores sancti, ut possent proximos perfecte diligere, studuerunt in hoc sæculo nihil amare : æstimantes nihil opulentius esse charitate, quæ se tenentes facit omnibus bonis abundare. Quia ergo, fratres charissimi, beati Andreæ natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Hoc

C etiam in sanctorum apostolorum memoriis veneramur quod statim, vocante Domino, perfecte terrena reliquerunt, quo intentius appeterent cœlestia, et cum Christo tenere possent regna superna; ita et nos, Domino jubente, despiciamus quæ terrena sunt, ac, relictis temporalibus, mercemur æterna. Si autem necdum possumus relinquere propria, saltem non concupiscamus aliena. Si necdum mens nostra accenditur igne charitatis, in ambitione sua habeat frenum timoris; et sic proventu suo roborata, dum ab alienorum appetitu compescitur, quandoque ad propria contemnenda perducatur. Interim vero, donec illa perfectio nobis a Domini gratia veniat, non negligamus, fratres, de substantia nostra eleemosynas

D facere, hospitalitatem diligere, et indigentibus proximis nostris in omni bono communicare; ac sic, largiente Domino, poterimus ad majora conscendere, quia talibus hostiis promeretur ipse Deus : ad cujus visionem nos perducere dignetur ipse, qui est nobis via, qui est veritas, qui est vita, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

IN NATALI APOSTOLORUM.

Si omnium sanctorum martyrum grata nobis debet esse solemnitas, fratres charissimi, quanto gratior eorum qui præsentem secuti sunt principem martyrum : si agnorum, quanto magis arietum. Illorum enim filii non generatione carnis, sed imitatione

virtutis, facti sunt omnes qui posterius usque ad mortem confessi sunt Christum. Hos obtulerunt populi gentium, de quibus Psalmista ante cantavit, dicens: *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII). His primum Dominus, cum ad confessionem sui nominis hortaretur, non solum se promisit victoriæ coronatorem, sed et certaminis adjutorem. Etiam in ipsis et posteros admonebat, qui quod dicebat, scriptum posteris relinquebat. Illis ergo ait, exhortans eos: Cum autem adducunt vos ad principes et potestates, nolite cogitare quid respondeatis, vel quid loquamini. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Meditari vetuit, et confiteri præcepit: maluit enim auferre præsumptionem humanam, et gratiam donare divinam, ut in semetipsis timidi, et in Deo fuissent audaces. Unde et in alio psalmo vox martyrum Deo dicit, quasi ex parte humanæ fragilitatis, verendo: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus; et ab insurgentibus in me libera me* (*Psal.* XVII); et paulo post, de auxilio divino confidens, dicit: *Fortitudinem meam, Domine, a te custodiam* (*Ibid.*). Supra cæteras enim turbas fidelium nec non antiquorum justorum et prophetarum, eminentes apostolos suos volens Dominus ostendere, dixit ad illos: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, et aures quæ audiunt quæ vos auditis: multi enim prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Luc.* X). Et item alibi: *Jam*, inquit, *non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Eisdem ait item alio loco: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo* (*Matth.* XVIII). Item alibi (*Matth.* XIX), sciscitanti Petro quid sibi et sociis suis profuisset reliquisse omnia et sequi Redemptorem, respondit dicens: *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Isti sunt lux mundi (*Matth.* V), quia per ipsos lumen fidei et veræ scientiæ primum Dominus huic mundo tradidit, et ab errorum ac peccatorum tenebris gentes et populos eruit. Isti sunt sal terræ, quia per ipsos terrigenæ condimentum saporis vitæ æternæ perceperunt, ut restringerent carnis lasciviam, et a putredine peccatorum et vitiorum vermibus servarentur illæsi. Isti sunt duodecim lapides pretiosi, quos in fundamento cœlestis ædificii positos Joannes in Apocalypsi sua describit (*Apoc.* XXI), quia prædicatio eorum Ecclesiæ fundamenta locavit. Unde et Paulus ait: *Vos estis cives sanctorum et domestici Dei: superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum* (*Eph.* II). Isti sunt duodecim portæ Jerusalem novæ, quæ de cœlo descendit, quia per ipsos januam fidei primum intravimus, et inter cives sanctorum enumerati sumus. Hæc ergo considerantes, fratres charissimi, recolamus quæ tanti duces populi Dei

A nos docuerunt. Studeamus factis implere quæ illi jusserunt; discamus eorum exemplo mundi divitias contemnere, præsentis sæculi voluptatem non amare, regnum cœleste desiderare; Christo nihil præponere, sed ejus mandatis in omnibus obedire; paupertatem rerum præsentium diligere, virtutum divitias habere, sapientiæ thesaurum appetere, spirituales delicias quærere: nulli invidere, sed omnes homines diligere, amicos in Deo, et inimicos propter Deum, quia hæc est sola vera dilectio: nam amor carnalis et vitiosus in præcipitium trahit et comparatur odio; unde scriptum est: *Qui vult amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV). Isti ergo principes nostri, Dei amore perfectissimi, et proximorum dilectione repleti, hinc potuerunt mundi
B impetum vincere et cruentum sæculum domare, quia nihil amaverunt in omni re, nisi Dei voluntatem. Ita et nos, fratres, diligamus in omnibus rebus Dei facere voluntatem, et creatorem nostrum amemus in semetipso, creaturam vero in conditore suo: et sic habebimus ordinatissimam charitatem, quia Deus charitas est, et qui diligit hanc dilectionem, diligit Deum; et si ita dilexerimus, diligit nos ipse Deus, diligunt et nos sancti apostoli judices nostri, et exorant pro nobis, ut in universali judicio Christi cum ipsis in perpetuum coronemur: quod ipse præstare dignetur judex et Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

C

HOMILIA XXXVI.

IN NATALI MARTYRUM.

Quia beati martyris natalis hodie illuxit dies, quem vobiscum, fratres charissimi, voluit nos Dominus celebrare, aliquid, donante illo, de martyrum gloria et patientia disseramus. Gloria quidem mundana ab ipsis contempta est, et ideo patientia probata est: nam gloria eorum abscondita latebat in cœlis, quia patientia eorum exercebatur in terris; qui non exhorret eorum patientiam, perveniet ad gloriam. Miseria enim putatur pati dura et aspera in carne, quia revera molestum est; nisi esset omnibus molestum, non esset martyribus gloriosum. Multis ergo lascivis et avaris martyres sancti insanire visi sunt, quando pro Christi nomine tanta patiebantur: et eum semper veraciter confitebantur,
D ut ergo negarent urgebantur. Alii vero virgis et flagellis diutissime sunt verberati, alii fustibus et plumbatis cæsi, alii membratim laniati, alii gladio occisi, alii excoriati, pice et plumbo liquato perfusi, alii ardore prunarum cruciati, alii flammis exusti, alii in mare mersi, alii bestiis deputati, alii carcerum sunt horrore et fame necati. Quot enim pœnarum et mortium genera hostis excogitare poterat, tot martyribus sine ulla miseratione infligebat; sed ipsi licet in aperto horrida paterentur, in occulto tamen ineffabiliter coronabantur. Multi quidem gloriam terrenam quæsierunt, multi viri fortes et pro patria sanguinem fundendum esse duxerunt nec fundere dubitaverunt, qui gloriam etiam post mortem apud posteros habe-

rent: sed quæ illorum gloria martyribus comparatur! Quis potuit invenire imperator quod potuit invenire piscator. Imperatorum, consulum et virorum fortium, qui orbem armis domuerunt et subjugaverunt, sepulcra sunt Romæ: ad cujus sepulcrum intrare dignatus est imperator: et tamen, diademate deposito ad sepulcrum suum orantem, suscepit eum piscator: ecce, si terrena gloria fuerat concupiscenda martyribus, nec ipsa fraudati sunt, qui honorem tamen inter angelos quæsierunt. Videmus eorum glorias in terris, et stupemus; quid pateremur, si in cœlo videremus: quantus nos stupor admirationis apprehenderet, si videremus martyres inter angelos gloriantes, quorum natalitia videmus populos celebrantes. Sed nos volumus gaudere cum sanctis, et tribulationem mundi nolumus sustinere cum illis: B qui enim sanctos martyres, vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sic et Apostolus prædicat, dicens (*II Cor.* I): *Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum.* Et Dominus in Evangelio: *Si mundus*, inquit, *vos odit*, *scitote quia me priorem vobis odio habuit* (*Joan.* XV). Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite. Sed dicit aliquis: Et quis est qui possit beatorum martyrum vestigia sequi; huic ego respondeo: Quia non solum martyres, sed etiam ipsum Dominum cum ipsius adjutorio, si volumus, possumus imitari. Audi non me, sed ipsum Dominum generi humano clamantem ac dicentem: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Audi et beatum Petrum admonentem: C *Christus*, inquit, *pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum*, *ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Ecce Christus dicit: *Discite a me;* beatus Petrus dicit: *Ut sequamini vestigia ejus.* Similiter apostolus Paulus clamat: *Imitatores Dei estote*, *sicut filii charissimi* (*Eph.* V). Quid ad hæc respondebimus, fratres, vel quam excusationem habere poterimus? Si tibi aliquis dicat ut virtutes quas fecit Dominus debeas imitari, justa potest esse excusatio tua, quia virtutes et mirabilia facere non omnibus datum est; juste autem et caste vivere, et charitatem cum omnibus custodire cum Dei adjutorio, omnibus præceptum est. Nam et ipse Dominus non dixit: *Discite a me* mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare; non dixit; sed quid ait? D *quia mitis sum et humilis corde;* et iterum: *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos: sicut et Pater vester cœlestis solem suum oriri facit super bonos et malos* (*Luc.* VI). Et licet sint alia multa in quibus Deum debeamus et beatos martyres imitari, ista tamen duo præcipua sunt: id est, ut mites simus et humiles corde, et inimicos nostros toto corde et totis viribus diligamus. De diligendis inimicis, fratres charissimi, nullus unquam in veritate se poterit excusare. Potest mihi aliquis dicere: Non possum jejunare, non possum res meas totas pauperibus dare, et in monasterio Deo servire; nunquid potest dicere: Non possum diligere? Sed dicit aliquis: Tanta mala mihi inimicus meus fecit ut eum nulla ratione possim diligere. Attendis quid tibi fecerit homo, et non attendis quid tu feceris Deo: si conscientiam tuam diligenter discutis et inquiris, sine ulla compensatione majora tu peccata committis in Deum quam in te commiserit homo: et qua fronte vis ut tibi Deus dignetur dimittere multum, cum tu non acquiescis dimittere parum? Vos autem, fratres, quia quotidie dicitis Deo in oratione: *Dimitte nobis debita nostra*, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI), dimittite et dimittetur vobis; ipsa enim Veritas clamat terribiliter et dicit: *Si vos non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec vobis Pater vester cœlestis dimittet peccata vestra.* Imitemur ergo sanctos martyres Christi in fide, in humilitate, in mansuetudine, in patientia, in longanimitate, in dilectione; et sic poterimus ipsos martyres apud Deum habere intercessores, ita ut deleantur peccata nostra, et præmia æterna nobis conferantur: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

IN NATALI SANCTORUM CONFESSORUM.

Hodie, fratres charissimi, sancti confessoris nostri celebramus diem, quo hanc vitam laboriosam derelinquens, in vitam renatus est perpetuam; quo finivit laborem certaminis, et percepit præmium confessionis. Sicut enim sanctorum martyrum, ita et beatorum confessorum solet triumphos celebrare Ecclesia: illorum, quia agonem explentes, palmam martyrii meruerunt; istorum, quia in veræ fidei confessione persistentes, coronam vitæ acceperunt. Et merito utrique pari ratione honorantur, quia utrique veri testes Christi et veri laudatores exstiterunt: nam martyres Græce, testes interpretantur; confessores vero Latine laudatores significant. De ipsis enim Dominus dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis* (*Matth.* X). Sed hæc confessio, fratres, non tantum ore, sed etiam corde simul et opere tenenda est; ipsa enim Veritas ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* XI). Hic enim sanctus ideo Domino placuit quia intus per credulitatem, et foris per prædicationem ac boni exempli operationem, rite Dominum laudavit. Iste quidem ex eorum servorum numero est qui secundum Domini parabolam, veniente domino suo, commendata sibi talenta cum lucro reportavit, atque bene remuneratus, in gaudium domini sui intravit. Servus ergo qui geminata talenta retulit, a domino laudatur, atque ad æternam remunerationem perducitur: cui et voce dominica dicitur: *Euge, serve bone et fidelis*, *quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui* (*Matth.* XXV). Pauca quippe sunt bona omnia præsentis vitæ, quamlibet

multa videantur. Sed tunc fidelis servus supra multa A constituitur quando, devicta omni corruptionis molestia, de æternis gaudiis in illa cœlesti sede gloriatur. Tunc ad domini sui gaudium perfecte intromittitur, quando in æterna illa patria assumptus, atque angelorum cœtibus admistus, sic interius gaudet de munere ut non sit jam quod exterius doleat de corruptione. Sanctus ergo iste, Domino jubente bene vigilavit, et beatus est servus, quia cum venit Dominus ejus invenit eum vigilantem. Ipse namque vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; vigilat, qui servat operando quod credit; vigilat, qui a se torporis et negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: *Evigilate, justi, et nolite peccare* (*I Cor.* XV). Fecit enim illum Dominus discumbere cum sanctis suis, id B est, in æterna quiete refoveri. Et transiens ministrabit illi, quia lucis suæ illustratione eum satiat; transire enim Domini est in claritatis suæ speculationem nos ducere; cum eum quem in humanitate in judicio cernimus, etiam in divinitate post judicium videmus. Proinde, fratres mei dilectissimi, attentius vigilate, in conditionem mortalitatis vestræ mentis oculos figite: venienti vos judici per fletus quotidie et lamenta præparate; cum certa mors maneat omnibus, nolite de temporalis vitæ providentia incerta cogitare: terrenarum rerum vos cura non aggravet; quantislibet enim auri et argenti molibus circumdetur, quibuslibet pretiosis vestibus induatur caro, quid est aliud quam caro: nolite ergo attendere quid habetis, sed quid estis. Vultis autem au- C dire quid estis: propheta indicat, dicens: *Vere fenum est populus* (*Isa.* XL); si enim fenum populus non est, ubi sunt illi qui ea quæ hodie colimus vobiscum, transacto anno beati hujus confessoris natalitia celebraverunt: o quanta et qualia de præsentis vitæ provisione cogitabant, sed subripiente mortis articulo, repente in his quæ videre nolebant inventi sunt, et cuncta simul temporalia, quæ tractata quasi stabiliter tenere videbantur, amiserunt. Quia igitur momentis suis horæ fugiunt, agite, fratres charissimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicit: *Omne quod potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos quo tu properas* (*Eccli.* V). Quia ergo et venturæ mortis D tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus, et laboremus utiliter quidquid possumus, quatenus cum confessoribus suis Christus nobis post finem istius vitæ concedat in cœlesti regno potius lætari, quam cum peccatoribus in inferno puniri: cujus nos iram devitare et gratiam impetrare ipse concedat, qui nos redemerat, Christus Salvator noster, qui vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

IN NATALI VIRGINUM.

Immaculatus Dominus immaculatam sibi familiam etiam in hoc pleno colluvionum fragilitatis humanæ corpore consecravit, dum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcescibiles coronas innectat, et septrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu. Hinc eousque integritas perseveravit ad palmam, ut in puellis tropæum sanctitatis arriperet, et per vestigia matris virginis ad cœlestem thalamum perveniret. Virginitas quidem res est sancta, res est perfecta; principalis virtus, specialem in regno Dei habens coronam. Non enim ideo laudabilis est virginitas quia et in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres facit. Quis autem est qui humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusis [*Forte*, inclusam] legibus comprehendere potest? aut quis naturali voce completus [*Forte*, complectitur] quod supra usum sit naturæ. E cœlo accersivit quod imitaretur in terris: nec immerito vivendi usum quæsivit e cœlo, quæ sponsum sibi invenit in cœlo. Hæc nubes aereas, angelos sideraque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu invenit Patris et toto hausit pectore. Nam quis tantum cum invenerit, relinquat bonum? Ergo de eo Scriptura dicit: *Unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt et attraxerunt te* (*Cant.* I). Futuræ autem resurrectionis jam iste ordo speciem tenet; unde et scriptum est in Evangelio: *In resurrectione ergo non nubunt, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII). Nemo ergo miretur si angelis comparentur quæ angelorum Domino copulantur. Vera enim hæc fit Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas; quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, gaudium matris augescit. Virginitas sacratissima in suo gradu usque in sanguinis effusionem permansit, quoniam suo illam sanguine subrigaverat Christus. Inardescit in cœlestibus animus, nil in terrenis libet; deforme conspicitur quidquid de terrena placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente; de cujus dilectione recte per Salomonem dicitur: *Valida est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII), quia videlicet sicut mors interimit, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit: nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Neque enim sancta hæc cujus hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si prius a terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Rectius namque in virtutis culmine animus tormenta risit, præmia calcavit, ante armatos reges et præsides ducta stetit: feriente robustior, judicante sublimior. Quid inter hæc nos barbati et debiles dicimus, quia ire ad regna cœlestia puellas per ferrum videmus: quos ira superat, superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria coinquinat? Qui si adipisci regna cœlorum per bella persecutionum non possumus, hoc ipsum nobis turpe sit quod nolumus Deum saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostro tempore dicit Deus: Pro me

morere, sed, illicita tantummodo in te desideria occide. Qui ergo in pace subigere carnis desideria nolumus, quando [quomodo] in bello pro Domino ipsam carnem dabimus? Hoc ergo pro certo sciat unusquisque vestrum quod quicunque hic non vult in se crucifigere et mortificare carnis desideria, in futuro non perveniet utique ad æterna gaudia. Sed quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta, hic, fratres charissimi, vanam lætitiam fugite si illic flere formidatis. Nemo etenim potest et hic gaudere cum sæculo, et in futuro regnare cum Christo. Temporalem itaque lætitiam fluxam restringite, carnis voluptates edomate; quidquid in mente pueriliter hilarescit, hoc disciplinæ juvenilis censura coerceat, ut dum sponte temporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

Propitia divinitate omnipotentis Dei, et annuente ejus clementia, bene convenistis hodie, fratres charissimi, ut Deo domum dedicaremus, ipso jubente ac dicente: *Facite mihi sanctuarium, et habito in medio vestri, dicit Dominus Deus* (*Zach.* II). Sed hoc tunc digne facimus si ipsi Dei templum fieri contendimus, si studemus congruere solemnitati quam colimus; ut sicut ornatis studiosius ejusdem ecclesiæ parietibus, pluribus accensis luminaribus, diversis per litanias et preces, per lectiones et cantica, excitatis vocibus, Deo laudem parare satagerimus: ita etiam penetralia cordium nostrorum semper necessariis bonorum operum decoremus ornatibus, semper in nobis flamma divinæ pariter et fraternæ charitatis augescat, semper in secretario pectoris nostri cœlestium memoria præceptorum et evangelicæ laudationis dulcedo sancta resonet. Hi sunt enim fructus bonæ arboris, hic boni thesaurus cordis, hæc fundamenta sapientis architecti, quæ nobis hodierna sancti Evangelii lectio commendat. Non nos formam solummodo, sed virtutem potius debemus habere pietatis, quod etiam mystica Veteris Instrumenti nobis historia diligenter insinuat, quando vel Moyses tabernaculum (*Exod.* XL), vel templum Domino Salomon in sanctæ Ecclesiæ typum condidit (*III Reg.* VIII): utraque enim domus firmiter fundata esse refertur, et omnia instrumenta quæ ibi inerant, id est lapides pretiosi, ex quibus templum erat construetum; ligna imputribilia, e quibus omne tabernaculum factum, et templum intus ornatum, ac desuper tectum fulgebat; aurum, de quo et tabernaculi parietes intus ac foris vestiti, et templi non tantum parietes, verum etiam laquearia, trabes, ostia, postes et pavimenta erant cooperta; sed et vasa vel utensilia domus utriusque, cuncta pene aurea et de auro purissimo facta fuerant; fructus etiam arborum qui in domum Domini offerebantur, purissimi et exquisiti esse jubebantur, hoc est vitis, olivæ, thuris, myrrhæ vel stactis, et cæterarum hujusmodi; hæc videlicet cuncta spiritaliter intellecta, veram nostræ fidei et operationis sinceritatem denuntiant, et quomodo domus Dei fieri possimus, mystice docent. Quid ergo ipse conditori Redemptor noster de constructione suæ domus, quæ nos sumus, in ea quæ nobis modo recitata est lectione sancti Evangelii dicat, audiamus: *Non est*, inquit, *arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum* (*Matth.* VII). Bonas ergo arbores et bonos earum fructus in constructionem sive ministerium sui templi rex noster quærit; at vero malæ arboris qui sit finis, idem alibi docet dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur* (*Matth.* III); arbores namque homines, fructus autem opera dicit ipsorum. Vultis autem nosse qui sint arboris bonæ, qui malæ fructus? Apostolus id docet: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia* (*Gal.* V). Vis audire an arbores quæ hos fructus faciunt ad æterni regis templum cœleste pertineant? subjungit Apostolus dicens: *Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Ibid.*). Bonæ quoque arboris fructus subsequenter enumerat, cum ait: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia* (*Ibid.*); qui nimirum fructus, cum arboribus e quibus procedunt, et hic ad domum fidei, et illic ad habitationem supernæ beatitudinis veraciter pertinent. Quapropter oremus, fratres dilectissimi, omnium bonorum auctorem et datorem, Deum Patrem omnipotentem, ut nos per virtutem et sapientiam suam arbores bonas efficiat, et ad ædificium domus suæ habitabiles faciat, et super ipsam petram, de qua Apostolus dicit: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X), nos fundare ac collocare dignetur: et contra inundationem variam persecutionum afflatu Spiritus sui nos protegat, et illæsos sine peccati ruina in æternum custodiat, atque ad cœlestem Jerusalem nos coadunet, suamque habitationem perennem consecret, qui vivit et regnat æternaliter ac perpetualiter in trinitate et unitate perfecta, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

IN ANNIVERSARIA FESTIVITATE DEDICATIONIS TEMPLI.

(*Evangelium Joannis* X.)

Ex auctoritate lectionis evangelicæ, fratres charissimi, edocemur hujus festi habere commemorationem, ubi legitur quod facta sint Hierosolymis Encænia, et Jesus præsentialiter eo tempore ibi adesset (*Joan.* X). Encænia autem vocabantur solemnia dedicationis templi, quæ populus Dei, ex antiqua patrum traditione, per annos singulos celebrare consueverat: quorum vestigia nos hodie juxta morem Christiani orbis sequentes, annuam dedicationis ecclesiæ nostræ diem divinis laudibus et vigiliis studuimus

agere solemnem : et hanc nobis festivitatem eo majore devotione celebrare oportet, quo etiam Redemptori nostro gratissimum esse cognovimus ; adeo ut in illa ipse templum ingredi et sermonem facere ad populum, ac divinitatis suæ sacramenta pandere dignatus sit. *Facta sunt*, inquit, *Encænia in Hierosolymis, et hiems erat, et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.* Si ergo voluit ambulare in templo, in quo caro et sanguis brutorum animalium offerebatur, multo magis nostram orationis domum, ubi carnis ipsius ac sanguinis sacramenta celebrantur, visitare gaudebit. Si perambulare non despexit porticum, in qua rex quondam mortalis ac terrenus, quamvis potentissimus, ac sapientissimus ad orandum stare solebat, quanto magis penetralia cordium nostrorum invisere atque illustrare desiderat · si tamen ea porticum esse Salomonis, hoc est, si ea timorem suum, quod est initium sapientiæ, habere perspexerit : neque enim putandum est quia domus solummodo in qua ad orandum vel ad mysteria celebranda convenimus, templum sit Domini ; et non ipsi, qui in nomine Domini convenimus, multo amplius templum ejus appellemur et simus ; cum manifeste dicat Apostolus : *Vos estis templum Dei vivi* (*I Cor.* III) ; sicut dicit Dominus : *Inhabitabo in eis et inter illos ambulabo* (*II Cor.* VI). Si ergo templum Dei sumus, curemus solerter, et bonis satagamus actibus, ut in eodem suo templo sæpius ipse et venire et mansionem facere dignetur. Caveamus hiemis exemplum, ne videlicet corda nostra Dominus adveniens a charitatis ardore torpentia reperiat, sicut Judæorum pectora perfidia durata invenit, ideoque ea citius aversatus relinquat ; imo magis quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne Deus noster in templo suo, hoc est in nobis, inveniat quod oculos suæ majestatis offendat : sed habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, et virtutibus repleatur ; claudatur diabolo, et aperiatur Christo : et ita laboremus ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cœlestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vitæ nobis janua clauditur, ita, absque dubio, bonis operibus aperitur. Et ideo, fratres charissimi, unusquisque consideret conscientiam suam, et quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic eucharistiam præsumat accipere : si enim agnoscens reatum suum, ipse a divino altari se subduxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet, quia sicut *qui se exaltat humiliabitur*, ita e contrario, *qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV). Qui enim, sicut dixi, agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab altari ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo et cœlesti convivio excommunicari penitus non timebit. Rogo vos, fratres, diligenter attendite : si ad mensam cujuscumque potentis hominis nemo præsumit cum vestibus conscissis et inquinatis accedere, quanto magis a convivio æterni Regis, id est ab altari Domini debet A se unusquisque invidiæ vel odii veneno percussus, iracundiæ veneno repletus, avaritiæ jaculis vulneratus, ebriositatis vitio pollutus, luxuriæ sordibus inquinatus, cum reverentia et humilitate subtrahere, ne propter præsumptionem ac pertinaciam, ab æterno Dei convivio et sanctorum consortio sequestratus, ligatis manibus et pedibus in æternum projiciatur incendium : sed magis studeat ut per pœnitentiam et eleemosynas, per pacem et continentiam, sobrius et mundus factus, hic fiducialiter ad mensam Domini accedere possit, et in futuro ad sanctorum angelorum et apostolorum, prophetarum et martyrum, et cæterorum justorum societatem, lætabundus pervenire ; quod nobis sua gratia præstare dignetur Redemptor et Salvator noster Jesus Christus, B qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLI.

IN DOMINICIS DIEBUS.

Sciendum est, fratres charissimi, quod ideo a sanctis Patribus nostris constitutum est Christianis et mandatum ut in solemnitatibus sanctorum, et maxime in Dominicis diebus, otium haberent et a terreno negotio vacarent, ut paratiores et promptiores essent ad divinum cultum, cum non haberent quid eos inde tardaret incommodum, relinquerentque eo tempore terrenam sollicitudinem, quo facilius possent Dei intendere voluntatem. Inde ipse Dominus per Prophetam dicit : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). At hi qui, diversis curis ac C negotiis implicati, hanc sententiam Dei spernunt, et divinæ contemplationi vacare nolunt, timeo ne in futuro judicio, illis januam Domini pulsantibus atque aperire poscentibus (*Matth.* XXV), Dominus respondeat : *Amen dico vobis, nescio vos : discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII) ; et qui modo Deum quærere negligunt, ab ipso tunc respuantur. Idcirco, fratres mei, non sit vobis molestum in Dominicis diebus et in natalitiis sanctorum divino studere cultui. Dominicum ergo diem apostoli et apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit : quique ideo Dominicus appellatur, ut in eo a terrenis operibus vel mundi illecebris abs- D tinentes, tantum divinis cultibus serviamus, dantes scilicet diei huic honorem et reverentiam propter spem resurrectionis nostræ quam habemus in illa. Nam sicut ipse Dominus Jesus Christus et Salvator noster tertia die resurrexit a mortuis, ita et nos resurrecturos in novissimo die speramus. Apparet autem diem etiam in Scripturis sanctis esse solemnem : ipse est enim dies primus sæculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati sunt angeli, in ipso quoque a mortuis resurrexit Christus, in ipso de cœlis Spiritus sanctus super apostolos descendit, manna in eodem die in eremo primo de cœlo datum est. His enim speciebus actualibus [*Forte* specialibus actibus et] indiciis Dominica dies exstat insignis, ac E ideo sancti doctores Ecclesiæ decreverunt omnem glo-

riam Judaici sabbatismi in illam transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate; quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuerit perpetrata, et remuneratio in anima et corpore simul perfecta. Observemus ergo diem Dominicam, fratres, et sanctificemus illam, sicut antiquis de sabbato præceptum est, dicente legislatore : *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra* (*Levit.* XXIII). Videamus ne otium nostrum vanum sit, sed e vespera diei sabbati usque ad vesperam diei Dominici sequestrati a rurali opere et ab omni negotio, solo divino cultui vacemus : sic quoque sanctificamus rite sabbatum Domini, dicente Domino : *Omne opus non facietis in eo*. Veniat ergo cuicunque possibile sit, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, et oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo sua oret, et non negligat Deo solvere votum ac reddere pensum servitutis. In die illa vero nullus se a sacra missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat, cæteris ad ecclesiam pergentibus ; neque in venatione se occupet, et diabolico mancipetur officio, circumvagando campos et silvas, clamorem et cachinnum exaltans, non gemitum nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens. Adhuc quoque, quod detestabilius est, aliqui ad ecclesiam venientes, non intrant, non insistunt precibus, non exspectant cum silentio sanctam missarum celebrationem : sed quando lectiones divinæ intus leguntur, tunc ipsi foris aut causas dicere et diversis student calumniis impugnare; aut videlicet in alea, vel in locis inutilibus insudare : aliquoties etiam, quod pejus est, aliqui nimia iracundia succenduntur et amarissime rixantur, ita ut armis se vel fustibus alterutrum impellant, et sæpe homicidium perpetrent. Et hoc ab illis maxime fit qui pleni invidia et odio, diabolo ductore, in conventum Ecclesiæ pergunt, non ut semetipsos adjuvent, sed ut alios lædant. Tales etiam si homicidio ibi pereunt, aut subita morte rapiuntur, quo alias, nisi cum ipso cujus secuti sunt vestigia, vadunt in æterna tormenta? Nolite hæc facere, fratres mei, nolite vosmetipsos decipere, *nolite* in conventu vestro, *locum dare diabolo* (*Ephes.* IV), sed magis vosmetipsos præparate hospitium Christo. Non ergo foris fabulis, sed intus psalmodiæ et orationibus studete. Nolite invicem in ecclesia verbosari, sed quieti esse. Sunt enim plurimi, et præcipue aliquæ mulieres, quæ ita in ecclesia garriunt [et] ita verbosantur, ut lectiones divinas nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant. Nunquid talis conventus cum tali ordine, fratres mei, in domo Dei debet fieri; aut taliter decet in conspectu Dei et sanctorum angelorum ejus assistere? Adhuc quoque, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo, quia sunt aliqui, et maxime potentes istius mundi, qui, cum veniunt ad ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt presbyterum ut abbreviet missam et ad libitum eorum cantet; nec ei licet morem ecclesiasticum sequi propter illorum gulam et avaritiam, quatenus unum punctum diei ad Dei officium, et reliquum diurnum spatium, cum nocte simul, ad eorum deputetur voluptates. Nolite, fratres mei dilectissimi, hæc facere, nolite hæc facientibus consentire; quia non solum qui hæc faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, pereunt. Ante omnia ergo causas in festivitatibus nolite dicere aut audire, sed alio tempore et cum justitia; nec munera accipiendo subvertatis judicia justa; quia, secundum Domini sententiam : *Quocunque judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII). Nullus vestrum se inebriet, quia ebrius insano simillimus est. Nolite in nominibus (*sic*) bibendo, nomina vestra delere de cœlo. Sunt quidem multi, quod pejus est, qui non solum seipsos inebriant, sed etiam alios cogunt et adjurant ut amplius quam expedit bibant; et inde sæpe inter eos nascuntur jurgia et homicidia. Nunquid perpenditis, fratres, cujus isti in hoc sequantur voluntatem : *Ebriosi* enim, ait Apostolus, *et homicidæ regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* VI). Obsecro vos, dilectissimi, patres et matres, fratres et sorores, per nomen Domini nostri Jesu Christi, et per regnum ac judicium ejus venturum, ut subtrahatis vos ab omni homine ambulante inordinate, et digne ambuletis vocatione qua vocati estis, nec negligatis honorem vestrum, sed perpendite redemptionem quæ est in Christo Jesu. Filii Dei nuncupati estis, quia verus Filius Dei vos liberavit. Studete bonis moribus tanto parenti placere, quatenus vos non ut nequissimos servos perpetuam tradat ad pœnam, sed ut charissimos filios supernam ducat ad patriam, ut sitis cohæredes Filii ejus Jesu Christi, cum quo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

CONTRA EOS QUI IN LUNÆ DEFECTU CLAMORIBUS SE FATIGABANT.

Gaudium est mihi magnum, fratres charissimi, quod vos video nomen Christianum diligere, ecclesias frequentare, baptismum Christi filiis et filiabus vestris appetere, et veri Dei cultui studere : sed valde doleo quod aliquibus ineptiis plurimos ex vobis obligatos errare conspicio, et inter vera religionis Christianæ quædam falsa intermiscere, quod nullo modo fieri debuit; scriptum est enim : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V). Nam cum ante dies aliquot quietus domi manerem, et de utilitate vestra, quomodo profectum vestrum in Domino amplificarem, mecum tractarem, subito ipsa die circa vesperam atque initium noctis tanta vociferatio populi exstitit, ut irreligiositas ejus penetraret usque ad cœlum. Quod cum requirerem quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi quod laboranti lunæ vestra vociferatio subvenisset, et defectum ejus suis studiis adjuvaret. Risi quidem, et miratus sum vanitatem, quod quasi devoti Christiani Deo ferebatis auxilium, tanquam ipse infirmus et imbecillis, nisi nostris adjuvaretur vocibus, non possit luminaria defendere quæ creavit. Facto quippe mane se-

quentis diei, sciscitabar ab eis qui ad nos visitandi gratia convenerant, si aliqua horum eis innotuerint. At illi professi sunt se similia et adhuc pejora in his locis in quibus ipsi manserant, sensisse : nam alius referebat mugitum cornuum se audisse, quasi in bella concitantium; alius, porcorum grunitum exegisse : quidam vero narrabant quod alios viderint tela et sagittas contra lunam jactasse; alios autem focos in cœlum sparsisse; affirmaveruntque quod lunam nescio quæ portenta laniarent, et nisi ipsi ei auxilium præberent, penitus illam ipsa monstra devorarent : alii vero ut satisfacerent dæmonum illusioni, quod sepes suas armis sciderint, et vascula quæ apud se domi habebant, fregerint, quasi illud lunæ plurimum proficeret in auxilium. Quæ est dementia, fratres, quæve hæc insania? Nunquid vos fortiores estis Deo, ut pro illo pugnare nitamini : aut sues vestræ potentiores angelis ejus sunt, ut grunitu suo ipsi indigeant? Quomodo cœlo et sideribus feretis auxilium, qui vosmetipsos in terra non sufficitis ad protegendum? Quid superbit cinis et pulvis? (*Eccli.* x.) Scriptum est enim : *Non est in hominis potestate via ejus : exiet spiritus ejus, et revertetur in terram* (*Psal.* CXLV). Quid dicam vobis, fratres : laudo vos? in hoc non laudo, quia per diabolum illusi, paganico errori ex parte non parva dediti estis; et hoc unde, nisi ex paganis, quorum consortia diligitis, eorum mores imitamini : contradixi enim vobis sæpius illorum consortia et nefanda convivia; sed obedire mihi vos vetat avaritia. Pecuniam diligitis, et gehennam non expavescitis; corporales delicias appetitis, et salutem animæ æternam negligitis : idcirco nec corporis nec animæ sanitatem habere poteritis; quia, ut ait apostolus Paulus : *Ideo sunt inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (*I Cor.* XI). Nolite errare, fratres, nolite hujuscemodi erroribus decipi : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo* (*Psal.* XXIII). *Beatus cujus est Deus Jacob adjutor ejus : spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, qui custodit veritatem in sæculum* (*Psal.* CXLV). Ipsa autem monstra, quæ dicitis lunam, defectus sui tempore, laniare, nihil sunt; neque enim credi fas est homines in belluas posse mutari : sed dæmonum fictio hæc hominibus brutis et insipientibus per quædam phantasmata ingerit, quo facilius eos possint ad idololatriam provocare. Sed ne forte dubios ac sollicitos de lunæ obscuritate, quæ nuper accidit, vos relinquam, non est hoc, fratres, aliquod portentum; sed naturalis vis cogit solem ac lunam taliter eclipsin, hoc est defectum, pati. Nam manifesta ratio probat solem interventu lunæ, quæ inferior cursu, lumen ad nostros oculos non posse perfundere, quod fit in tempore accensionis ejus; lunam vero similiter, quæ a sole illustratur, per umbram terræ obscurari in plenilunio, hoc est in quinta decima die ætatis ejus, quando sol in alia parte cœli, ex alia luna relucet. Et ideo non est necesse, fratres,

A quando taliter evenerit, vos clamoribus laborare; permittite Creatori facturam suam, ipse enim opus suum scit regere, qui potuit et creare. Si ergo aliqua signa in sole vel luna, vel stellis, insolito more apparuerint, necesse est enim ut fiant ante diem magnum judicii, secundum Veritatis vocem, non vos tunc tali superstitione fatigetis, sed magis in cordibus vestris Domini misericordiam deprecemini, et signo vos crucis Christi consignetis; quatenus ipse qui vos per sanctam crucem redimere dignatus est, in adventu gloriæ suæ, ejus tutamine illæsos ab omni errore conservare dignetur, Jesus Christus Dominus et Salvator noster, qui cum Patre et Spiritu sancto venit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B

HOMILIA XLIII.

CONTRA PAGANICOS ERRORES, QUOS ALIQUI DE RUDIBUS CHRISTIANIS SEQUUNTUR.

Legimus in Veteri Testamento Dominum populo suo quem elegit sibi in hæreditatem ita præcepisse (*Levit.* XX) : *Sancti estote, quia et ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos : propter scelera enim ipsarum abominatus sum eas, et separavi vos a cœteris populis, ut essetis mei. Intrantes in terram quam dabo vobis, disperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate. Maleficos in terra vestra non patiemini vivere. Vir sive mulier, in quibus pythonis spiritus vel divinationis fuerit, morte moriantur,* C *lapidibus obruite illos : sin autem nolueritis hujusmodi interficere, qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ, et quidquid illis facere cogitaveram, vobis faciam.* Audistis, fratres charissimi, quam terribiliter divina vox comminatur his qui adversarios suos secum manere patiuntur; timeo quod vestri cohabitatores vobis fiant in scandalum et in ruinam, quorum mores pravissimos imitamini. Quomodo enim cum Christo et angelis ejus regnabunt in cœlis, qui cum diabolo et ministris ejus societatem habent in terris? quomodo gaudebunt in convivio perenni sanctorum, qui non respuunt convivia nefanda paganorum? Aut quomodo in luce perpetua possunt laudes Deo dicere cum angelis, D qui hic diabolo exhibent funestos ludos in idolis? Apostolus autem hujusmodi nos consortia habere vetat et dicit (*I Cor.* X) : *Charissimi, fugite ab idolorum cultura. Nolo autem vos fieri socios dæmoniorum; non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Et item alio loco (*II Cor.* VI) : *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ, cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras; quæ autem conventio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli : quis autem consensus templo Dei cum idolis: vos estis templum Dei vivi; sicut dicit Deus, quia inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illo-*

rum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Quapropter, fratres charissimi, ab hujusmodi vos erroribus purgate, et filios vestros ac subditos ab hac nequitia castigantes, tollite; nullus ex vobis charagios, et divinos, vel sortilegos requirat, neo de qualibet causa eos aut infirmitate interroget; nullus sibi incantatores adhibeat: quia quicunque fecerit hoc malum, statim perdet baptismi sacramentum, et continuo sacrilegus et paganus efficitur : et nisi grandes eleemosynæ, et dura ac prolixa pœnitentia subvenerit, in æternum peribit. Similiter et auguria observare nolite, nec in itinere positi aliquas aviculas cantantes attendere, nec ex illarum cantico diabolicas divinationes annuntiare præsumite. Nullus ex vobis observet qua die de domo exeat, qua iterum revertatur, quia omnes dies Deus fecit, sicut Scriptura dicit : *Et factus est dies primus, et dies secundus, et dies tertius* (*Gen.* I), similiter et quartus, et quintus, et sextus, et sabbatum; et illud : *Fecit Deus omnia bona valde* (*Gen.* II). Illas vero non solum sacrilegas, sed etiam ridiculosas, sternutationes considerare et observare nolite; sed quoties vobis in quacunque parte fuerit necessitas properandi, signate vos in nomine Christi, et Symbolum apostolorum vel Orationem Dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adjutorio, iter agite. Et quia quando supradicta omnia sacrilegia, Deo vobis inspirante, contemnere vel despicere cœperitis, scio quod moleste hoc accepturus est diabolus, quia vos videt de amicitia vel de societate sua discedere et sacrilegia per quæ vos decipiebat contemnere, aliquas nequitias vobis facturus est, aut aliquam infirmitatem immissurus, aut aliquod animal, aut per morbum aut per evagationem est ablaturus, quia ad vos probandos hoc Deus permittit fieri, ut agnoscat utrum fideliter ad ipsum venistis, et si tota diaboli machinamenta despicitis, et utrum plus valeat apud vos amor suus quam cujusque animalis amissio. Sed si semel aut secundo nequitias quas diabolus immiserit, toto animo et tota fide contempseritis, ita ipsum diabolum postea a vestra infestatione repellere dignabitur Deus, ut nunquam vos possit sua calliditate decipere. Christus enim Deus noster ipsum diabolum et ministros ejus sola potestate sua habet, nec vos potest nec vestra in aliquo nocere nisi quantum ab ipso permittitur. Permittit autem hoc Deus duabus ex causis; ut aut nos probet si boni sumus, aut castiget, si peccatores; et ideo ipsum timete, illi soli servite, mentis et corporis puritatem servate, omne genus fornicationis ut pestem vel mortem fugite, continentes, humiles, mites ac patientes estote, frugalitatem diligite, et in recta fide ac bonis operibus usque in finem vitæ perseverare studete, et sic ad æternam vitam sine ulla mora pervenietis : præstante ipso Redemptore nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

DE BONORUM CHRISTIANORUM ET E CONTRARIO DE MALORUM MORIBUS.

Oportet vos, fratres charissimi, sollicite et intente considerare Christianum nomen, quod nos omnes gaudemus habere, quid nobis designet, quid promittat, quidque nobis boni conferat, hoc est, quid significet in religione, quid promittat in spe, quid conferat in remuneratione. A Christo enim Filio Dei unigenito Christiani vocamur, et ideo qui dicit se Christianum esse, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare, id est in justitia, et sanctitate, atque veritate : hoc enim nos admonet nomen Christianum. Et quicunque his gressibus Christum sequitur, ad supernam tendit patriam, et vitam in cœlis accipiet sempiternam. Non nobis sufficit, fratres, quod Christianum nomen accepimus, si opera Christiana non fecerimus : illi enim prodest, quod Christianus dicitur, qui charitatem diligit, ebrietatem fugit, superbiam detestatur, invidiam velut venenum diaboli respuit; ille vero Christianus est qui furtum non facit, qui falsum testimonium non dicit, qui nec mentitur, nec perjurat; qui adulterium non committit, qui ad ecclesiam frequentius venit, qui de fructibus suis non gustat nisi prius ex ipsis Deo aliquid offerat, qui decimas annis singulis erogandas pauperibus reddit, qui sacerdotibus suis honorem impendit, qui omnes homines sicut seipsum diligit, qui nullum hominem odio habet. Ille vero non solum Christianus est, sed ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolosas et mensuras duplices velut gladium diaboli pertimescit. Ille bonus Christianus est qui quando ad ecclesiam venit, et oblationem quæ in altario mittat exhibet, et pauperibus, secundum quod vires habet, aut argentum porrigit aut cibum : qui peregrinos in domum suam excipit, qui hospitibus pedes lavat; qui non solum lites non concitat; sed etiam discordes ad concordiam revocat; qui et ipse caste vivit, et filios vel vicinos suos ut caste et sobrie vivant et verbis admonet et exemplis docet. Ille bonus Christianus est qui quoties sanctæ solemnitates veniunt, ut securius communicet, ante plures dies castitatem cum propria uxore custodit, ut libera et secura conscientia ad altare Domini, casto corpore et mundo corde, præsumat accedere : qui Symbolum apostolorum et Orationem Dominicam memoriter tenet, et filios vel filias suas ut ipsi teneant fideliter docet. Ecce audistis, fratres, quales sint Christiani boni, et ideo, quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremus ut nomen Christianum non sit falsum in nobis, nec in nobis Christi sacramenta patiantur injuriam, sed semper opera Christiana et cogitemus in corde, et impleamus in opere. Nam ille Christianus qualis est, qui vix aliquando ad ecclesiam venit, et quando venerit, non stat in ecclesia ut oret pro peccatis suis, sed ut causas dicat, aut lites aut rixas concitet; et si locum invenerit, usque ad vomitum bibet : et posteaquam se inebriaverit, surget velut phreneticus et insanus, diabolico more ballare et

saltare, verba turpia et amatoria vel luxuriosa cantare. Iste talis non dubitat furtum facere, adulterium non timet admittere, falsum testimonium dicere, maledicere, perjurare, nec ullum omnino facinus agere pertimescit. Ideoque, sive viri sive mulieres sint, qui talia opera faciunt, non ad remedium, sed ad judicium Christianum nomen et baptismi sacramenta suscipiunt, et nisi pœnitentiam egerint, in æternum peribunt. Ecce, fratres, ostendimus vobis quales sint Christiani boni, et quales sint mali; et quos bonos videtis, imitemini; quos vero malos cognoscitis, castigate semper, increpate, corripite, ut et de profectu vestro et de illorum correctione duplicem mercedem habere possitis; præstante Domino nostro Jesu Christo, judice vivorum et mortuorum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

DE FIDE, SPE ET CHARITATE.

Quicunque Christianum nomen tenet, et quicunque est divinis sacramentis imbutus, fratres charissimi, necesse est ut religionis Christianæ rationem sciat, et fidei charitatem agnoscat, ejus scilicet fidei *quæ*, ut Apostolus ait (*Gal.* v), *per dilectionem operatur*: quæ in præsenti confortat ac roborat credentes, et in futuro perducit ad Dei contemplationem. Nam tria quædam proposuit animæ nostræ necessaria beatus et egregius gentium doctor, dicens: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII). Primum ergo fides catholica Christiano necessaria est, quia in ipsa distinguuntur filii Dei a filiis diaboli, filii lucis a filiis tenebrarum. Per ipsam renascimur in baptismate et salutem æternam impetramus, sicut scriptum est: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Hæc porta est vitæ, hæc janua regni: per ipsam discitur scientia veritatis, et percipitur cognitio divinitatis; per ipsam gratiam Dei invenimus; aliter autem Deo placere non possumus, quia *sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Vere enim beatus est qui et recte credendo bene vivit, et bene vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta. Unde beatus Jacobus apostolus dixit: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat: nunquid poterit fides salvare eum: fides sine operibus otiosa est. Sicut enim corpus sine spiritu emortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Fidem ante omnia, fratres mei, rectam et immaculatam habere contendite, et secundum apostolicæ institutionis normam, symbolum a sanctis Patribus constitutum memoriter tenete et religiose viventes, observare studete. Hæreticorum dogmata pestifera fugite, maleficorum et incantatorum venena mortifera horrescite, divinorum et sortilegorum et charagiorum nefandas traditiones, quæ cum dæmonibus societatem habent, penitus respuite; et nihil aliud quam quod catholica fides laudat, amat, prædicat, in mente sive in professione teneatis, seu etiam moribus ostendatis. Post hanc ergo fidem, spem firmam habere discite, quæ animum nostrum ad invisibilia trahit, et intentionem nostram in cœlestia et æterna inserit, et quodammodo nexibus indissolubilibus ligat; quæ non decipit, sed fideliter obsequentes ad æternam beatitudinem perducit. Nemo igitur, quamvis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate divinæ pietatis desperare debet; sed spe certæ misericordiæ illius indulgentiam sibi quotidianis deprecari lacrymis, quam certe sperare possit, si ab actione pravi operis cessabit. Ideo non propter spem veniæ perseveranter peccare debemus, neque quia Deus juste peccata punit, veniam desperare debemus, sed utroque periculo evitato, et a malo declinemus et de pietate Dei veniam speremus. Similiter et in omni tribulationum angustia, spe ad solatia supernæ pietatis currendum est, quia in illo solo omnis spes et salus sine dubio consistit, dicente Propheta: *In Deo salutare meum et gloria mea, Deus auxilium meum, et spes mea in Deo est* (*Psal.* LXI). Cum enim fidem rectam et spem firmam vobis, fratres, persuademus habere, hoc maxime hortamur ut charitatem in vobis habere et opere ostendere per omnia satagatis: per ipsam enim et in ipsa beatitudinem veram habituros vos esse sciatis, quia sine hac nemo videbit Deum. Hæc autem ideo major fide et spe ab Apostolo narratur, quia cæteris recedentibus, ipsa sola permanebit: fidei enim succedit spes, et spei beatitudo, charitati autem non transmutatio, sed sola restat perfectio. Hæc omnium ars est virtutum, hæc promissio regni, hæc præmium summum sanctorum est in cœlo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore Dei, quem quia præsentem vident, suavius diligunt, et dulcius fruuntur ipso bono. Oportet vos scire, fratres, quia in omnibus præceptis Dei charitas obtinet principatum, sine cujus perfectione nihil placere Deo posse Paulus apostolus testatur (*I Cor.* XIII), qui nec martyrium, nec sæculi contemptum, nec eleemosynarum largitionem, sine charitatis officio, quidquam proficere posse ostendit. Unde et ipse Dominus respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Luc.* X); addidit quoque secundum simile huic: *Diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ*. Quod vero ait, *ex toto corde, et tota anima, et tota mente*, id est, toto intellectu, tota voluntate, et ex omni memoria Deum esse diligendum. Dei vero dilectio in observatione mandatorum ejus tota consistit, sicut alibi ait: *Si quis diligit me, sermones meos servat* (*Joan.* XIV). Unde ipsa Veritas alibi ait: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII). Item Apostolus: *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII). Item Joannes evangelista: *Hoc*, inquit, *mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diliga-*

et proximum (*I Joan.* IV). Si forte quislibet quærat quis sit proximus, sciat omnem Christianum recte proximum dici, quia omnes in baptismo filii Dei sanctificamur, ut fratres simus spiritaliter in charitate perfecta. Nobilior est generatio spiritalis quam carnalis, de qua in Evangelio ipsa Veritas ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (*Joan.* III). Qui autem taliter proximum intelligens diligit, sine dubio charitatem veram in semetipso tenebit. Hæc igitur, fratres, diligenter considerate, et cum fide et dilectione vestram operamini semper salutem, habentes spem firmam, quia quidquid boni in præsenti agitis, in futuro ab illo inæstimabiliter remunerabimini, quia auctor et protector est salutis nostræ Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

DE CHARITATE.

Libet me aliquid in contemplatione charitatis, fratres charissimi, dilectioni vestræ dicere, quæ quanto magis cor accendit, tanto copiosiorem sermonem tribuit, et quanto magis in disputando se extendit, tanto vos suavius reficit. Ipsa enim divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam altissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit et sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate, dicente Apostolo: *Plenitudo legis est charitas* (*Rom.* XIII); et in alio loco: *Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I). Quid est autem *præcepti finis*, nisi præcepti adimpletio? Quid est autem præcepti adimpletio, nisi legis plenitudo? Quod ergo ibi diximus, *plenitudo legis charitas*, hoc etiam diximus, *finis præcepti est charitas*. Nec dubitari ullo modo potest quod templum Dei sit, in quo habitat charitas; dicit enim Joannes: *Deus est charitas*. Hæc autem dicentes apostoli, et nobis charitatis excellentiam commendantes, non utique aliud, nisi quod comederant, eructuare poterant. Ipse quippe Dominus pascens eos cibo salutis, verbo charitatis, quod est ipse panis vivus qui de cœlo descendit, *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut vos diligatis invicem* (*Joan.* XIII). Qui ergo contra mortis vetustatem attulit vitæ novitatem, ipse contra vetus peccatum opponit novum mandatum. Quapropter vetus peccatum quisquis vis exstinguere, mandato novo exstingue cupiditatem et amplectere charitatem. Sicut enim *radix omnium malorum cupiditas* (*II Tim.* VI), ita radix omnium bonorum charitas. Totam magnitudinem et latitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum, proximumque diligimus. Docet enim nos cœlestis unus magister et dicit: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et diliges proximum tuum sicut teipsum: in his duobus præceptis, tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XII). Si ergo non vacat omnes paginas sanctas perscrutari, omnia volumina sermonum evolvere, omnia Scripturarum secreta penetrare, tene charitatem, ubi pendent omnia: ita tenebis quæ ibi didicisti, tenebis etiam quod non didicisti. Si enim nosti charitatem, aliquid nosti unde et illud pendet quod forte non nosti; et in eo quod in Scripturis intelligis, charitas patet; et in eo quod non intelligis, charitas latet. Ille itaque tenet et quod patet et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus. Quapropter, fratres charissimi, sectemini charitatem: ipsa videlicet est dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres jucundissima, intra falsos etiam patientissima: in Abel per sacrificium grata; in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinatione fidelissima, in Moyse inter jurgia lenissima, in David tribulationibus mansuetissima, in tribus pueris blandus ignis innocenter spectat, in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat, casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Anna (*sic*) præter virum, libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Sed quid ego majus de charitate aut uberius possum dicere quam per os Apostoli laudes ejus intonat Dominus, supereminentem viam demonstrantis atque dicentis: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII). Quanta est ista anima linguarum, prophetia, virtus, sacramentorum salus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium! Quid tam magnanimum quam pro impiis mori! Quid tam benignum quam et inimicos diligere! Sola est quam felicitas aliena non premit, quia non æmulatur; sola est quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur; sola est quam conscientia mala non compungit, quia non agit perperam: inter opprobria secura, inter odia benefica est; inter injuriosos placida est, inter insidias innocens est: inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius, non ad retribuendas, sed ad sufferendas injurias? Quid illa fidelius, non vanitati, sed æternitati. Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita, et suffert omnia quæ hic im-

mittuntur, quia sperat omnia quæ ibi promittuntur. Merito nunquam cadet, quia sine defectu permanet. Ergo sectamini charitatem, fratres, et in ea pie cogitantes et sancte viventes, afferte fructum justitiæ et per ipsius ducatum studete ut perveniatis ad summum bonum: summo enim bono adepto, æternam beatitudinem habebitis, ad quam nos pervenire ipse concedat, qui est beata charitas et chara beatitudo, Jesus Christus Dominus noster, cum Patre, et Spiritu sancto unus solus et verus regnans Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVII.

DE CASTITATE ET MUNDITIA.

Gloriosum et insignem inter cæteras virtutes locum castitas et munditia tenet, fratres charissimi, quia ipsa sola est quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum. Unde ipsa Veritas ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v); ac si e contrario diceret: Illi vero miseri sunt quorum corda carnali concupiscentia sunt polluta, quia æternas merguntur in tenebras. Castitas enim angelica est vita; castitas cum humilitate, Spiritus sancti merebitur habitationem, quem expellit immunditia libidinum, dicente Scriptura: *Corpus peccatis subditum Spiritus sanctus effugiet* (*Sap.* I). Membra nostra debent Deo esse dicata, non fornicationi: opponat homo desiderio carnis suæ æternorum flammas tormentorum; assuescat juvenis castitatem, ut sit dignus sapientiæ Dei. Ubi immunditia est corporis, ibi habitatio diabolici spiritus, qui maxime gaudet in inquinatione carnis nostræ. Omnes immunditiæ Deo displicent, et maxime quæ non sunt naturales. Admonet itaque nos Scriptura sancta dicens: *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis venire* (*Eccli.* XVIII). Ejus quoque modi Salomon sapientissimus proferebat sententias de cavenda immunditia carnis, dicens (*Prov.* v): *Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt ad mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus et investigabiles. Nunc ergo, fili, audi me, et ne recedas a verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus.* Hoc siquidem non solum de meretricum immunditia dixit, sed etiam de omni carnis concupiscentia, quæ sollicitat animam suam consentire desideriis suis: sed ratio mentis prohibere debet impetus carnis et refrenare voluptates ejus iniquas. Item ille qui supra, prohibens cohabitationem feminarum juvenibus, dicit (*Prov.* VI): *Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas et non comburuntur plantæ ejus: sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.* Similiter et beatus Paulus admonet nos: *Bonum est*, inquiens, *mulierem non tangere* (*I Cor.* VII), quasi statim in tactu periculum esset: pulchra est enim casta juvenum pudicitia, et Deo amabilis, et ad omne bonum utilis. Qui filios habet spiritales, vel carnales, nutriat illos in castitate, Deo, non in fornicatione, diabolo. Quid prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutriat tormentis. Qui in castitate vivunt, angelicam habent in terris conversationem. Castitas hominem cœlo conjungit, angelis facit civem. Qui mulierem habet legitimam, legitime utatur ea temporibus opportunis, ut, secundum Apostolum, possit vacare orationi, et benedictionem mereatur filiorum a Deo accipere. Nemo dicat, a fornicatione se custodire non posse, *fidelis est enim Deus*, dicit Apostolus (*I Cor.* X), *qui non permittit nos tentari supra id quod portare possumus, sed faciet cum tentatione proventum.* Talis unicuique homini tentatio datur, sive in carnis desiderio, sive in ambitione sæculi, vel etiam in quacunque tentationis molestia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio succumbere poterit. Omnibus enim castitas pernecessaria est, sed maxime ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio et assidua salutis prædicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, et totis honestatis fulgeant in populo exemplis; quibus Dominus per legislatorem dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester* (*Levit.* XI): Deus enim lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, nec aliqua fœditas ei sociari potest. Et ideo, fratres dilectissimi, sive viri, sive feminæ, sive clerici seu laici, secundum Apostoli admonitionem (*II Cor.* VII): *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*, perficientes sanctificationem in timore Dei. Studeamus ut ei qui ad æternam suam gloriam nos vocavit, per omnia placeamus, quatenus cum eo feliciter in æternum regnare possimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

DE STUDIO SAPIENTIÆ ET MEDITATIONE DIVINÆ LEGIS.

Oportet, fratres charissimi, ut mundo corde et casto corpore sapientiam divinam discere diligatis et intelligere appetatis, quia ipsa cognitio Dei se fideliter quærentibus et instanter meditantibus tribuit. Cognitioni autem Dei nihil melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. Unde et Salvator ad Patrem ait: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Hujus ergo sapientiæ notitia, qualiter adipiscatur, fratres, audite. Primo omnium quærendum est homini quæ sit vera scientia veraque sapientia, quia *sapientia hujus sæculi stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III). Scientia vera est a diaboli servitio, quod sunt peccata, recedere; et sapientia perfecta est Deum colere secundum mandatorum illius veritatem, quia in

his duobus vita beata acquiritur, sicut Psalmista ait: *Diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI; *I Petr.* III). Nec etiam sufficit cuiquam non mala facere, nisi etiam bona faciat; nec bona facere, nisi etiam mala omittat. Omnis ergo qui sic sapiens est, procul dubio beatus erit in æternum, beata siquidem vita est cognitio divinitatis; cognitio divinitatis virtus boni operis est; virtus boni operis fructus est æternæ beatitudinis. Ad hoc ergo bonum habemus solatium divinarum lectionem Scripturarum, quia sacrarum lectio Scripturarum divinæ est præcognitio non parva beatitudinis. In his enim quasi in quodam speculo, homo seipsum considerare potest, qualis sit vel quo tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere: nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert bonum lectio sanctarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, seu quia a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, et multum ad emundationem animi proficit: sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur ac pascitur; sicut Psalmista ait: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et favum ori meo* (*Psal.* CXVIII). Sed ille beatissimus est, qui divinas Scripturas legens, verba vertit in opera. Omnes plane Scripturæ sanctæ ad nostram salutem scriptæ sunt, ut proficiamus in eis in veritatis cognitione. Sæpius cæcus offendit quam videns, sic ignorans legem Dei sæpius ignoranter peccat quam ille qui scit. Sicut cæcus sine ductore, sic homo sine doctore, viam rectam vix graditur. Et ideo, fratres charissimi, quicunque ex vobis lectiones sacras legere et intelligere possunt, in his studium impendant, ut earum frequenter meditatione utantur: qui vero sensum lectionis sacræ ex lectione non possunt percipere, attentius audiant interpretantem, ut recipiant saltem inde ædificationem. Cum vero magisterio cœlesti instructi, quid faciendum quidve vitandum sit, dilectissimi, accipiatis, non sit mora in faciendo quod intus sapiatis intelligendo, quia, ut beatus Jacobus apostolus ait: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis* (*Jac.* I); et ipsa Veritas ait: *Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multis*, et reliqua (*Luc.* XII). Item alibi scriptum est: *Scienti bonum facere, et non facienti peccatum est illi* (*Jac.* IV). Itaque omni diligentia studete ut cognoscatis voluntatem Dei: postquam autem cognoveritis voluntatem ejus, summo nisu contendite ut hanc faciatis, implentes mandata illius; et instanter deposcite ut in hoc perseverantes, perveniatis ad promissa ipsius: ad quod vos adjuvare dignetur ipse qui per suam bonitatem nos vocavit et per suam gratiam liberavit, quique bene certantibus cœlestia regna promisit, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

DE JEJUNIIS, VIGILIIS ATQUE ORATIONIBUS.

Interrogatus ab apostolis Dominus, quibus ipse dedit potestatem super omnem virtutem inimici, ut infirmos curarent, dæmones ejicerent, cum dæmonium a lunatico expellere non possent, respondit: *Hoc genus dæmoniorum non exiet, nisi per orationem et jejunium* (*Matth.* XVII); quo nobis utique demonstravit quanta virtus sit abstinentiæ cum pura oratione, quando hoc ipsa efficere valet quod apostolica potestas non potuit. Hoc autem dicimus, fratres, non quod negemus apostolos, principes Ecclesiæ et duces populi Dei, abstinentiæ operam dare, vel Christum dicamus eis plenam pietatem dare non posse: sed rudes adhuc discipuli, qui in diebus nuptiarum manentes cum sponso, jejunare vel legere non poterant, instruendi hoc modo erant, in quo protervitas hostis antiqui maxime superari possit, ut Ecclesia, quæ per eos erat edocenda, agnosceret qualiter contra hostem nequissimum confligere deberet et vincere posset. Sciendum est ergo illud perfectum esse jejunium quod cum eleemosynis et oratione cœlum transit, quia ipsum ad thronum altissimi Dei pervenit. Tunc enim homo, spiritalis effectus, angelis conjungitur Deoque liberius copulatur, si abstinentia carnis orationibus exaltatur. Per jejunia enim et orationes occulta mysteriorum cœlestium revelantur, divinique sacramenti arcana panduntur, quod in Daniele propheta et Petro apostolo manifestis indiciis comprobatur. Igitur quandiu Adam abstinuit, mansit in paradiso: manducavit, et expulsus est. Jejunia sunt fortia tela adversus tentamenta dæmoniorum: cito enim per abstinentiam vincuntur. Unde etiam Dominus et Salvator noster eorum incursus jejuniis et orationibus præmonet superare, et suo exemplo voluit ad hoc nos informare. Jejunavit et diabolum vicit, oravit, et principem hujus mundi foras ejecit: immundi enim spiritus ibi se fiducialius immittent, ubi videbunt frequentes comessationes, ebrietates exerceri. Abstinentia corpus macerat, sed cor impinguescit; carnem debilitat, sed animam confortat. Sed et hoc notandum est quod jejunia solummodo cum bonis operibus Dei sunt acceptabilia; qui autem cibis abstinent, et prava agunt, dæmones imitantur, quibus esca carnalis non est, et nequitia spiritalis semper inest: ille enim bene abstinet a cibis, qui et a malitiæ actibus et a mundi jejunat ambitionibus. Melius est quoque prædicationis sanctæ convivio victuram in perpetuo mentem reficere, quam ventrem mortiferæ carnis deliciosis epulis saturare. Vigiliis ergo studere et orationibus frequentius insistere ipse Salvator nos, fratres, docuit, dicens: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ ventura sunt, et stare ante filium hominis* (*Luc.* XXI); et

apostolus Petrus, similia nos exhortans, dicit : *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* v). Nam modum vigilandi, qualis fieri debeat, coapostolus ejus Paulus nobis ostendit, dicens : *Evigilate justi, et nolite peccare* (*I Cor.* xv); et item : *Abjiciamus ergo opera*, inquit, *tenebrarum, et induamus nos arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* xiii). Ipse namque bene vigilat qui, cum corpus suum a somno cohibet, cor in pravis desideriis aggravari non permittit, sed mentis oculos ad aspectum veri luminis apertos tenet : vigilat, qui servat operando quod credit, vigilat, qui a se torporis et negligentiæ tenebras repellit. Huic ergo magnum et inæstimabile præmium Dominus promisit, cum dixit : *Beatus est servus ille quem cum venerit dominus ejus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum* (*Matth.* xxiv). Oratio ergo quæ Deo offertur debet esse pura et ex gemitu cordis probata, non in strepitu vocis exuberans, quia homo videt in facie, Deus autem intuetur cor (*I Reg.* xvi). Et quomodo, fratres, preces suas quis Deo offert ad audiendum, quas ipse qui et has dicit non audit. Proh dolor! sæpius in ecclesiis videmus quosdam ante sacrum altare corpus ad orandum inclinare, sed oculis huc illucque vagando circumspicere, et non solum lacrymis vultum non rigare, sed etiam ora in risum solvere. Quæ est hæc dementia, fratres? utique talis oratio non Deum placat, sed irritat; et tales unde acquirere debuerint remedium, inde sibi præparant tormentum. Cum ergo ad orationem in domum Domini convenitis, dilectissimi, reverenter et cum timore ac tremore ibi astate, et quidquid a Deo impetrare velitis, cum humilitate et bona intentione cordis illum petatis, et maxime ea petite quæ ad salutem pertinent æternam. Cæterum de his præsentibus rebus ea solummodo rogate quæ necessaria sunt, non quæ ad cupiditatem vel voluptatem carnis superflue per luxuriam exaggerantur; has preces libenter Deus non accipit, et taliter petenti sæpe non annuit. Unde et Jacobus apostolus increpat nos, dicens : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis* (*Jac.* iv). Quibus autem precibus Deus libenter faveat, ab ipsa Veritate discite, ait enim : *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit* (*Joan.* xvi). Gaudium etenim plenum non in præsenti, sed in futura erit vita, hoc est, in agnitione Dei perfecta, quando infirmitas et angustia erit nulla. De præsentibus autem commodis supramodum ne simus solliciti, sed faciamus quod exhortatur Propheta : *Jacta*, inquit, *in Dominum cogitatum tuum, et ipse te enutriet* (*Psal.* liv); et in Evangelio ipse Dominus ait : *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* vi). Hæc, fratres, sedulo intra vosmetipsos cogitate, hæc foris operando agite, in his usque ad finem vitæ perseverare contendite, et Dominus pacis erit vobiscum. Amen.

HOMILIA L.

DE CONTINENTIA.

Admonet nos lex divina et exhortatur, fratres charissimi, ut concupiscentiam hujus mundi devitantes, continentiæ salubri operam demus, ne nos illecebra voluptatum per varia ducat desideria, et laqueo mortis irretitos in præcipitium et voraginem tradat inferni. Loquitur sapientia homini et dicit : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentiam ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis* (*Eccli.* xviii); amor enim istius mundi parit inimicitiam Dei; unde scriptum est : *Qui vult amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* iv). Hoc enim apostolus sciens Joannes persuadet nobis et dicit : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo : quia omne quod in mundo. est concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* ii). Hoc et coapostolus ejus Paulus rursus monet et dicit : *Qui emunt, sic sint quasi non possidentes; et qui hoc mundo utuntur, quasi non utantur : præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* vii). Unde et ipse Salvator in parabola sua ostendit quod divitiæ et voluptates sæculi suffocant verbum ita ut non referat fructum; et alibi præcipit dicens : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* xvi); et item : *Qui non renuntiaverit*, inquit, *omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv). Hæc igitur considerantes, fratres charissimi, perpendite quantum necessaria nobis sit continentia, per quam Christi discipulatui condigni ad regnum potestis cum eo venire perpetuum. Continentia vero et sobrietas non in sola integritate carnis consistit, sed etiam in cultu et in ornatu, vita pariter et moribus : debet enim unusquisque continens abstinere se ab omnibus illicitis; his autem quæ licita sunt, decet cum modestia et sobrietate uti : non enim decet Christianum sæculi lucris inhiare, cui promissum est regnum cœleste, sed suo Domino per continentiam condigne vivere, ut possit cum eo in perpetuum gaudere. Castitatem debet amare et fornicationem fugere; non avaritiæ studere, sed victu et vestitu contentus esse; non superbire, neque sperare in incerto divitiarum, sed humiliter sentire et mundi pompam contemnere : non debet esse vaniloquax et arrogans, non mendax, neque injuriosus, nec bilinguis, non susurro, neque detractor, sed veritatem debet ex ore et corde proferre, linguam suam a multiloquio temperare, quia scriptum est : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* x). Oculos contra vanitatem claudere, auditum a scurrilitate et falsitate, imo ab omni eloquio malo, avertere, risum excelsum et excussum non amare, guttur et nasum ad illecebram dulcium ciborum et suavium odorum non libenter adhibere, sed magis bonum et suavem odorem vir-

tutum appetere, manus et pedes et omnia membra A corporis sollicite custodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, sed magis potentia arma Deo ad destruendum spiritalem inimicum. Cor quoque miles Christi debet ante omnia sollicita custodia servare, ne forte illud jactantia extollat, ira inflammet, invidia perforet, avaritia infestet, libido exurat, tristitia gravet, torpor et ignavia oneret, et illud quod cunctis gravius est, per novitatum præsumptiones hæresis scindat. Qui enim cordis occulta per continentiam quieta servare intus contendit, utique et membra corporis facilius contra pravos actus foris custodit; scriptum est enim: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV); item alibi: *Mors secus introitum delectationis posita est*; et Salvator in Evangelio: *Bonus*, inquit, *homo de bono* B *thesauro cordis sui profert bonum, et malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum* (*Luc.* VI); et item: *De corde*, ait, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes*, et cætera (*Matth.* XV). Cum ergo, fratres, de cordis radice fructus sive boni sive mali exeant, necesse est ut primum cor mundemus, deinde ipsam carnem nostram per jejunia, et vigilias, et laborem utilem castigemus, ne carnis libido mentem maculet; difficile est enim ut in deliciis viventes mundum cor habeant. Inde dixit Apostolus (*I Cor.* IX): *Castigo corpus meum et servituti subjicio, ne forte, cum aliis prædicem, ipse reprobus efficiar*; et item (*Gal.* V): *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Sobrie* quippe *et pie vivamus in hoc sæculo ex-* C *spectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*Tit.* II); ut cum venerit in majestate sua cum sanctorum angelorum millibus, pro bonis laboribus et sancta conversatione reddat nobis præmia vitæ æternæ potius, quam pro desiderio et voluptate præsentis vitæ cruciatum retribuat sempiternum, quia veraciter de eo scriptum est quod reddat singulis secundum opera sua, Jesus videlicet Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

DE MISERICORDIA ET INDULGENTIA.

Inter omnia quibus humana vita indiget, maxime necessaria est misericordia, quia quanto fragilior est corrupta natura, tanto majore indiget providentia beneficii; et ideo, fratres, quia sine hac vita nostra subsistere non potest, discamus quomodo in nos primum divinam provocemus clementiam, ut secundum multitudinem miserationum suarum nostræ miseriæ subvenire dignetur, quatenus in præsentis vitæ cursu vitemus nostræ salutis damnum, et in futuro interitum possimus evadere perpetuum. Ad hoc enim impetrandum, dilectissimi, sicut nobis Scriptura sacra ostendit, præcipuum est misericordiæ bonum, de qua ipse Salvator ait; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Non potest peccator misericordiam a Deo sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se; ergo dimittat homo temporale debitum, ut mereatur recipere æternale bonum. Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emundari, misericordiam in nos peccantibus non negemus, ut in die retributionis ad promerendam Domini misericordiam misericordiæ operibus adjuvemur. Quomodo misericordiam a Deo exspectat, qui crudelis est in conservos suos? Si quis cupiat Deum sibi misereri, ita et misereatur debitoribus suis. Certissime indulgentiam exspectare poterit, quia aliis indulgere novit. Ad misericordiæ opus optime nos in Evangelio Dominus exemplo roboravit, ubi ait; *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Luc.* VI). Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. Qui facit misericordiam Deo, offert sacrificium satis placabile. In judice misericordia et disciplina debet esse, quia una sine altera bene esse non poterit. Misericordia sola si fuerit, securitatem faciet peccandi subjectis; iterum, si disciplina semper aderit, vertitur animus delinquentis in desperationem, et judex non merebitur a Deo misericordiam. Sed hanc misericordiam a seipso debet homo incipere; quomodo in aliis est misericors, qui in seipso crudelis est? In seipso crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis suis præparat flammas. Bene misericors est, qui a seipso incipit, et se diligenter custodit, ne puniatur cum diabolo, et sic aliis præstet quod sibi bonum esse prospicit. Per indulgentiam autem docuit nos Dominus quomodo possimus impetrare misericordiam ab illo, cum in Evangelio ait: *Dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* VI); item: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra; si non dimiseritis hominibus nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI; *Luc.* XI). Hæc quoque vera sententia magnam super nos misericordiam sonat his qui eam recte intelligere possunt. Igitur ex nostro judicio judicat nos Deus; quodammodo in potestate nostra est quomodo judicemur a judice. Si miseri- D corditer judicemus de in nos delinquentibus, misericorditer judicat Deus de nobis in se peccantibus. Intendamus ergo in exemplum illius, sicut doctor gentium nos admonens ait (*Coloss.* III): *Donate vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donavit vobis, ita et vos facite*, hoc est, quomodo Deus in Christo nobis peccata donavit, sic etiam nos qui in nos peccant, dimittamus. Item alibi idem Apostolus ait (*Rom.* XII): *Nulli malum pro malo reddentes*; et eodem loco: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Sciendum est certissime quod unusquisque talem indulgentiam accepturus est a Deo, qualem et ipse dederit proximo suo. Tunc oratio nostra pro peccatis nostris ad

aures omnipotentis Dei cito perveniet, si delinquentium preces in nostris auribus acceptabiles erunt. Qui clementer peccantibus ignoscere novit, clementiam divinæ pietatis certissime accipiet. Unde et scriptum est : *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur a Domino* (*Prov.* XXII). Sic enim remittitur nobis ut nos remiserimus eis qui nobis quacunque malignitate nocuerunt. Multa itaque sunt genera miserationum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis nostra peccata ; sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus quod quisque peccavit : non solum enim qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, et cætera hujusmodi ; verum etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat ; et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet disciplina aliqua, et tamen peccatum ejus qui ab illo læsus aut offensus est dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit atque orat, verum etiam in eo quod corripit et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Proinde, fratres, obsecro ut ante omnia misericordiæ operam detis, et in quibuscunque possitis, proximos vestros adjuvetis ; ad indulgendum quoque proximis vestris delicta eorum prompti sitis, ut peccatorum vestrorum veniam pro hoc ab omnipotente judice adipisci valeatis, et vitam æternam cum sanctis omnibus in cœlesti regno perpetualiter habere mereamini : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LII.

DE PACE ET UNITATE.

Legimus in Evangelio, fratres charissimi, quod Salvator et Dominus noster cum appropinquaret passioni, et transitum suum de hoc mundo ad Patrem discipulis insinuaret, inter alia verba quæ ob sui commemorationem dilectis comitibus suis impenderat, maxime pacis bonum et unitatis, quasi speciale munus, illis commendarit, dicens : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV), ac si diceret, In pace vos dimisi, in pace vos inveniam. Proficiscens voluit dare quæ desiderabat rediens in omnibus invenire ; hanc suis hæreditatem dedit, dona omnia suæ pollicitationis et præmia in pacis conversatione promisit : atque ideo, fratres, si hæredes Christi esse volumus, in ejus pace manere debemus. Pacem nobis, sicut audistis, Christus dedit ; concordes atque unanimes esse præcepit, dilectionis et charitatis fœdera incorrupta atque inviolata mandavit ; cujus pacis ornamenta, mirabiliter alio ostendit loco dicens : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). En filius Dei incipit vocari, qui pacificus esse jam cœpit, non filius dici ; qui pacem noluit amplecti, negat sibi Patrem Deum, qui pacificus esse contemnit. Pacificos ergo oportet esse Dei filios corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes. Sed hæc pax cum bonis et Dei

A præcepta servantibus custodienda est, non cum iniquis et sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem sempiternam proficit, pax quæ in diabolo est ad perpetuam pervenit perditionem. Pax cum bonis et bellum cum vitiis semper habenda est : mala siquidem hominum impiorum, odio habenda sunt ; nam homines ipsi, quamvis mali sint, amandi sunt, quia creatura Dei sunt : pax vero quæ in bonis est, concordiam fratrum et charitatem copulat proximorum. Pax Spiritum Dei specialiter promeretur, pax dilectionis mater est, pax indicium est sanctitatis, de qua Dominus per prophetam ait : *Pacem et veritatem diligite* (*Zach.* VIII). Pax, plebis sanitas, gloria sacerdotis et patriæ lætitia, et terror hostium sive visi-
B bilium sive invisibilium. Omnibus viribus pax est custodienda, fratres, quia semper in Domino manet, qui in pace sancta manet et cum sanctis Dei societatem habet. Sacerdotis est in pace populum admonere quid debeat agere, populi est in humilitate audire quæ monet sacerdos. Quidquid non licet, pastoris est pronibere ne fiat, plebis est audire, ne faciat. Atque unitatis vinculum omnes debent, prælati simul et subditi, in fide et dilectione per omnia servare, quia sine pace non suscipitur sacerdotis oratio nec plebis oblatio. Si ergo volumus velociter a Deo exaudiri, et gratanter munera nostra ab eo accipi, debemus utique in pace conversari, de qua nos ipsa Veritas instruere dignata est : *Si offers*, inquit, *munus tuum ante altare, et ibi recordatus fueris quia*
C *frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeras munus tuum* (*Matth.* V). Quia ergo unitatem nostram et concordiam Deus desiderat, ostendit ipse Salvator in Evangelio, ad Patrem ita loquens : *Pater*, inquit, *sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (*Joan.* XVII). Unde et Apostolus fideles hortatur, dicens : *Obsecro vos, fratres, ut idipsum sapiatis, et unum dicatis omnes* (*Philip.* II) ; et item : *Non sit*, inquit, *inter vos zelus et contentio : omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia* (*Ephes.* IV) ; et in eodem loco ait : *Sustinentes invicem in charitate ; solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus,*
D *et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Hæc itaque unanimitas sub Apostolis olim fuit : sic novus credentium populus, Domini mandata custodiens, charitatem suam tenuit ; probat Scriptura, quæ dicit : Turba autem eorum qui crediderant, anima et mente una agebant (*Act.* III) ; et iterum : *Et erant perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, et Maria, matre Jesu, et fratribus ejus* (*Act.* I) ; et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcunque de Dei misericordia postulabant. In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut et largitas operationis infracta sit. Domos tunc et fundos venundabant, et thesauros sibi in cœlo reponentes,

distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sicut in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit : et idcirco Dominus, tempora hæc nostra respiciens, in Evangelio suo ait : *Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra?* (*Luc.* x.) Videmus fieri quod ille prædixit, in Dei timore, in lege justitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla est : nemo futurorum metum cogitat, diem Domini et iram Dei, et incredulis ventura supplicia, et statuta perfidis æterna tormenta nemo considerat; quæ metueret conscientia nostra si crederet; quia non credit, omnino nec metuit; si autem crederet, et caveret; si caveret, et evaderet. Excitemus nos quantum possumus, dilectissimi fratres, et somno inertiæ veteris abrupto, ad observanda et gerenda Domini præcepta vigilemus. Scimus tales quales esse nos ipse præcepit dicens : *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando veniat a nuptiis; ut, cum venerit et pulsaverit aperiant ei. Beati servi illi quos, cum advenerit dominus, invenerit vigilantes* (*Luc.* xii). Accinctos nos esse oportet, ne cum expeditionis dies venerit, impeditos et implicatos apprehendat. Luceat in bonis operibus nostrum lumen et fulgeat, ut ipsum lumen nos ad lucem claritatis æternæ de hac sæculi nocte perducat, quo cum Christo, qui est veræ pacis auctor, et cum sanctis angelis ejus, æterna pace et perpetua felicitate fruamur : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIII.

DE BENIGNITATE, HUMANITATE ET ELEEMOSYNA.

Audivimus Apostolum, fratres charissimi, suaviter nobis loquentem ac dicentem (*Tit.* iii) : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ.* Si ergo benignitas et humanitas Salvatoris nostri, nullis nostris præcedentibus meritis, gratis nobis subvenit, quomodo nos, dilectissimi, si ejus regni hæredes effici volumus, proximis nostris pietatis opera non impendimus? Ait enim ipsa Veritas : *Date et dabitur vobis; mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* vi); et item : *Si enim*, inquit, *in iniquo mammona fideles non estis, quod vestrum est quis dabit vobis* (*Ibid.*). Sciendum est enim, fratres, benignitate et humanitate nobis esse opus ut de his quæ nobis cœlestis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios adjuvemus, et in quocunque possumus indigentibus proximis nostris solatia tribuere non tardemus, quia feneratur Domino qui miseretur pauperi, *et ipse vi-*

A *cissitudinem reddet ei* (*Prov.* xix). Sunt enim plurimi qui nullam in agris, nullam in vineis, nullam in sæculi divitiis portionem habent, quorum inopiæ de ea, quam Dominus nobis dedit copia consulere debemus, ut et ipsi nobiscum Deo pro terræ fecunditate benedicant et gaudeant possidentibus fuisse donata, quæ etiam pauperibus ac peregrinis facta fuerint communia : felix illud est horreum, et omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egentium, et debilium, et peregrinorum saturatur esuries; quos ideo sub diversis molestiis justitia Dei laborare permisit, ut et miseros pro patientia, et misericordes pro benevolentia coronaret. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio
B elevata suffragiis, quia sicut scriptum est, *animæ suæ benefacit vir misericors* (*Prov.* xi). Pars enim corporalium facultatum quæ indigentibus ministratur, in divitias largienti transit æternas, ita ut misericordiam Dei et indulgentiam peccatorum nostrorum pauperum miseratione et eleemosynis mereamur : quoniam qui suum ab inope non avertit animum, cito ad se Domini convertit auditum, dicente Domino : *Estote ergo misericordes, sicut Pater vester misericors est* (*Luc.* vi); et : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). Quod ergo reddituram se promisit Veritas, secura expendet humanitas. Constans esto, Christiane largitor : da a quo accipias, sere quod metas, sparge quod colligas; noli metuere dispendium, noli de dubio
C suspirare proventu, substantia tua cum bene erogatur, augetur : remunerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens : *Date et dabitur vobis* (*Luc.* vi). O avare, si aurum diligas vel divitias sæculi, da ne perdas; si servaveris, sine dubio perdes si erogaveris, omnino habebis eas æternaliter, dicente ipsa Veritate : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, neque fures effodiunt et furantur : ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* vi; *Luc.* xii). Utique bene dispensantes temporalia, acquiritis æterna. Noli timidus esse in largiendo, ne sis egenus in retributione, quia *qui parce seminat, parce et metet* (*II Cor.* ix); *qui autem miserebitur pauperis, beatus erit* (*Prov.* xiv). *Redem-*
D *ptio* itaque *animæ viri, divitiæ ejus* (*Prov.* xiii); *honorat Deum, qui miseretur pauperis : absconde eleemosynam in sinu pauperis*, dicit Scriptura (*Eccli.* xxix), *et ipsa orabit pro te;* sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna peccatum; *animam esurientem ne despexeris, et ne exasperes pauperem in clamore suo* (*Eccli.* iv). Qui avertit aurem ad clamorem pauperis, illius oratio clementiam Dei non merebitur; in vita tua benefac animæ tuæ, eleemosynas dans miseris, quia post mortem non habebis potestatem benefaciendi : in conviviis tuis pauperes vescantur et Christus in illis. Tria sunt genera eleemosynarum, una corporalis, hoc est, egenti dare quidquid potueris; altera spiritalis, hoc est, dimittere a quo læsus fue-

ris; tertia delinquentem corrigere et errantes in viam reducere veritatis. His enim omnibus speciebus placatur Deus, et vita promeretur æterna, assentiente Scriptura ac dicente: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI); et item: *Dimittite*, inquit, *et dimittetur vobis*. Et apostolus Jacobus ait: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (*Jac.* V). Sed hoc tunc bene et ordinate fit, si unusquisque a semetipso primum incipiat hoc bonum misericordiæ, ut sui misereatur, ne per peccatorum sarcinam mergatur in pœnam; unde scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX); quatenus dum aliis studium correctionis impendit, ipse efficiatur emendatus a vitiis. Ut ergo hæc agere pleniter possimus, habemus ad hoc fortem adjutorem et pium largitorem, mediatorem videlicet Dei et hominum Dominum Jesum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIV.

DE TIMORE DEI ET VERA HUMILITATE.

David propheta et psalmista, qui, teste Scriptura, secundum cor Domini electus, fecit omnes voluntates ejus, ipse, fratres charissimi, quid creator noster in nobis appetat et diligat quodam loco ostendit, ita dicens: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXII). Si ergo Dominus altissimus, cujus excellentiæ et magnitudinis non est finis, in omni creatura sua, et ea quæ in supernis, et ea quæ in infimis est constituta, in angelis videlicet et hominibus, humilitatem considerat et probat; quantum necesse est nobis humilitati semper studere, ipsamque in omnibus conservare ut sic placeamus conditori nostro. Quanta autem sit veræ humilitatis virtus, facile ex verbis Domini agnoscitur, qui, ut superbiam Pharisæorum damnaret, dixit: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV). Humilitatis quippe passibus ad cœli culmina conscenditur, quod Deus excelsus non superbia, sed humilitate attingitur (*Jac.* IV), de quo dictum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V). Unde et in Psalmis dicitur: *Excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII). Alta posuit pro superbis; humilia vero respicit, ut attollat; alta, hoc est superba, cognoscit, ut dejiciat. Discamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus, sicut ipse in Evangelio ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Per superbiam mirabilis angelorum creatura cecidit de cœlo, per humilitatem Dei fragilitas humanæ naturæ ascendit in cœlum. Honesta est enim inter homines humilitatis consuetudo, sicut Salomon ait: *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem humilitas, ibi et sapientia* (*Prov.* XI); item

A alius sapiens: *Quanto*, inquit, *major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III). Item Deus per prophetam ait: *Ad quem autem respiciam, nisi ad humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Isa.* LXVI). Quicunque humilis et quietus non fuerit, non potest in eo habitare gratia Spiritus sancti. Deus humilis factus est nostræ salutis causa, erubescat homo superbus esse. Quantum humilitate inclinatur cor ad ima, tantum proficit in excelso: qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria. Primus humilitatis gradus est, veritatis sermonem humiliter audire, memoriter retinere, voluntarie perficere; eam quippe quam non invenit humilem, veritas fugit mentem. Quanto quis humilior erit de seipso, tanto major erit in conspectu Dei: superbus
B vero quanto gloriosior apparet inter homines, tanto dejectior erit ante Deum. Qui enim sine humilitate bona opera agit, in ventum pulverem portat. Item Scriptura dicit: *Quid superbit terra et cinis?* (*Eccli.* X.) dum vento superbiæ dispergitur quod jejuniis vel eleemosynis congregare videtur. Noli, o homo, in virtutibus gloriari tuis, quia alterum habiturus es judicem, non teipsum, in cujus conspectu teipsum in corde tuo studeas humiliare, quatenus te ille exaltet in tempore retributionis suæ. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris: qui enim sibi vilis videtur esse, ante Deum pulcher est; qui sibi displicent, Deo placent. Esto igitur parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei; tanto enim eris apud Deum pretiosior, quanto fueris ante
C oculos tuos despectior. In summo honore summa tibi sit humilitas; honoris laus est humilitatis virtus; sed hanc veræ humilitatis virtutem nemo sine timore Dei habere potest, quia eorum neuter sine altero esse potest. Quid autem timor Dei efficiat, fratres, audite: *Initium sapientiæ, timor Domini est* (*Psal.* CX). Magna est cautela peccati, Dei semper præsentiam timere. Qui perfecte Deum timet, diligenter se a peccatis custodit. Timenti Deum in novissimo die bene erit, et merces ejus in æternum permanet. Qui erubescit in conspectu hominis peccare, quanto magis dignum est quod erubescat in conspectu Dei iniquitatem agere, qui non solum opera, sed corda considerat? Qui timore sancto Deum metuunt, inquirunt quæ placita sunt illi.
D Alius est timor filiorum alius est timor servorum: servi enim propter tormenta dominos timent, filii vero propter amorem patris timent. Si filii Dei sumus, timeamus cum ex charitatis dulcedine, non de timoris amaritudine. Homo sapiens in omnibus operibus suis Deum metuit, sciens se ejus nunquam præsentiam effugere posse, sicut Psalmista Deo dicit: *Quo ibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam?* (*Psal.* CXXXVIII;) item: *quia neque ab Oriente, neque ab Occidente*, subauditur, patet locus fugiendi Deum. Qui timet Deum accipiet doctrinam ejus; et qui vigilaverint in mandatis ejus, invenient benedictionem sempiternam. Timentis Deum beata est anima, et a tentatione diabolica tuta remanet. *Beatus homo qui*

semper est pavidus (*Prov.* XXVIII), et cui donatum est Dei timorem semper ante oculos habere. Qui timet Dominum, recedit ab itinere pravo, et ad virtutum semitam vias suas dirigit. Timor Dei repellit peccata et adjicit virtutes : timor cautum facit hominem et sollicitum ne peccet; ubi vero timor Dei non est, ibi dissolutio vitæ est. Qui Deum in prosperis non timet, timeat vel in adversis; refugiat ad illum, qui flagellat et sanat : *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis* (*Psal.* CX). Timor Dei timorem expellit gehennæ, quia facit hominem peccatum cavere et justitiæ opera agere. Post hæc ad illum perveniet timorem qui dicitur sanctus et permanet in sæculum sæculi quia est in dilectione. Sic ergo, fratres, timeamus Deum ut diligamus eum; quia *perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV) servilem; atque ita habere possimus abundantiam securitatis, et plenitudinem omnium bonorum. Unde et Propheta ait : *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono* (*Psal.* XXXII). Quapropter obsecro vos, dilectissimi, ut timorem Dei semper ante mentis vestræ oculos habeatis et oblivionem præceptorum Dei omnino fugiatis, illudque sedulo cogitetis qualiter timentes Deum et mandatis ejus obedientes ad vitam vadunt perpetuam; contemnentes vero et præcepta ejus spernentes, in pœnam ibunt æternam; humilitatemque veram in corde vestro intus habeatis, sicque eam non ficte moribus coram proximis vestris insinuetis, ut ipsi, bonis exemplis vestris instructi, glorificent Deum, et vobiscum æternam in cœlis studeant percipere remunerationem : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LV.

DE CONFESSIONE AC PŒNITENTIA ATQUE COMPUNCTIONE CORDIS.

Considerare nos oportet, fratres charissimi, quid nobis Scriptura sacra insinuet faciendum, quo possimus gehennæ devitare tormentum et ad cœleste pervenire gaudium, qualiter bonum quod peccantes perdidimus, pœnitentes recuperemus : quod utique non aliter fit nisi per salubrem compunctionem et veram confessionem. Compunctio igitur cordis ex humilitatis virtute nascitur, de compunctione confessio peccatorum, de confessione pœnitentia, de pœnitentia vera proveniet delictorum indulgentia. Compunctio cordis est humilitas mentis cum lacrymis et recordatione peccatorum et timore judicii. Ex gemino fonte compunctionis solent profluere lacrymæ, hoc est, aut dum mens operum suorum diligentius mala considerat, aut dum desiderio æternæ vitæ suspirat. Unde et Propheta ait : *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI); item : *Concupiscit et deficit* A *anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea, exsultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII). Quatuor namque sunt qualitates affectionum quibus cogitatio justi tædio salubri compungitur, hoc est, memoria præteritorum facinorum, recordatio futurarum pœnarum, consideratio peregrinationis suæ in hujus vitæ miseria, desiderium supernæ patriæ, quatenus ad eam quantocius valeat pervenire. Quando ergo ista in corde hominis fiunt, sciendum est tunc esse Deum per gratiam humano cordi præsentem; unde et in psalmo dicitur : *Deus vitam meam nuntiavi tibi : posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua* (*Psal.* LV). Promissio indulgentiæ quam habemus a Deo, lacrymas pœnitentiæ excitat cordi nostro. Thesaurus desiderabilis in corde B hominis, compunctionis dulcedo : anima hominis quæ in oratione compungitur, valde illi proficit ad salutem. Cum per orationem compunctio effunditur, Spiritus sancti præsentiam cordibus nostris adesse non dubium est : sed tunc salubris est ipsa compunctio quando hominem provocat ad confessionem peccatorum et ad conversionem melioris vitæ. Hortatur itaque nos sæpius sancta Scriptura ad medicamenta fugere confessionis : non quod Deus indigeat confessionis nostræ, cui omnia præsto sunt quæ cogitamus, loquimur aut agimus; sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes quæ inique gessimus negligentes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicii : si tamen confitetur C pœnitendo, diluit quæ fecit, nec iterum renovat quæ egit. *Confitemini*, dicit Jacobus apostolus, *alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V); item beatus Paulus apostolus : *Ore autem*, inquit, *confessio fit ad salutem* (*Rom.* X); sed et Salomon de confessione peccatorum dixit : *Qui abscondit scelera sua non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur* (*Prov.* XXVIII). Magnum est, fratres, salutis medicamentum, non iterare quæ impie gessimus, nec priorem cicatricem vulnerum resauciare; unde dicit Joannes evangelista : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate* (*I Joan.* I); D similiter et Psalmista ait : *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Vivens confiteatur peccator quæ fecit, quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec pœnitentia ad salutem proficiens : ecce nunc tempus salutis, ecce nunc tempus acceptabile Deo. Tempus est nunc remissionis pœnitentibus, sed tempus erit post mortem vindictæ negligentibus confiteri scelera sua : omnes enim impii amaram in tormentis pœnitentiam habent, sed non proficit eis pœnitentia ad remissionem, sed conscientia torquet eos ad augmentum pœnarum quæ patiuntur. Potuerunt sibi per confessionem præcavere tormentorum immanitatem, et neglexerunt : ita sicut foras flammis, ita intus conscientia propria

torquentur. Quomodo potest medicus vulnus sanare quod ægrotus ostendere erubescit? Deus enim confessionem nostram desiderat, ut justam habeat causam ignoscendi. Qui peccata sua occultat et erubescit salubriter confiteri, Deum, quem testem habet, iterum habebit eum ultorem. Optime se judicat homo in hac vita, ne judicetur a Deo damnatione perpetua. Duplicem habere debet fletum in pœnitentia omnis peccator, sive quia per negligentiam bonum non fecit, seu quia malum per audaciam perpetravit. Confessio justificat, confessio veniam peccatis donat. Omnis spes veniæ in confessione consistit, confessio opus est misericordiæ, salus ægroti, unicum est viribus nostris medicamentum pœnitentiæ; cujus ipse Salvator in Evangelio virtutem ostendit dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum;* et Joannes Baptista : *Facite*, ait, *fructus dignos pœnitentiæ*. Fructus dignus pœnitentiæ est transacta flere peccata, et eadem iterum non agere, sicut Scriptura ait : *Non adjicias peccatum super peccatum, et dicas : Miseratio Dei magna est,* quomodo misericordia et ira ab illo est? *Lavamini, mundi estote*, dicit Dominus per Isaiam prophetam. Lavatur itaque et mundus est qui et præterita plangit, et iterum flenda non admittit; lavatur et non est mundus qui plangit quod gessit, nec deserit, et post lacrymas hæc quæ fleverat repetit. De his qui post lacrymas ad delicta revertuntur priora, beatus Petrus terribiliter ait : Canis revertitur ad vomitum suum. *Fili, peccasti*, dicitur in Scriptura sancta, *ne adjicias iterum; sed de pristinis deprecare ut remittantur tibi.* Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi; unde beatus Petrus mox a Domino indulgentiam recepit, quia amarissime flevit trinæ negationis culpam. Pœnitentia quam jussit [*Forte*, quantumvis] exigui temporis, si intima cordis amaritudine agitur, non despicitur apud justum judicem Deum, qui cordis secreta considerat. Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum sinceritatis pœnitentis pensat. Qui enim in Christum tota mente confidit, etiam si multis moriatur peccatis, fide sua vivit in æternum. Sicut ipse Dominus in Evangelio ait : « Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum; » de morte animæ dixit, quæ propter peccatorum ægritudinem evenit illi. Deus natura misericors est, paratus est salvare per misericordiam quos non evenit salvare per justitiam : qui vult omnes homines salvos fieri et neminem perire; qui per prophetam ait : In quacunque die conversus fuerit peccator, vita vivet et non morietur. Quamvis quisque sit peccator et impius, si ad pœnitentiam convertatur, consequi se posse per Dei misericordiam non dubitet. In hoc sæculo pœnitentiam facientibus subvenit Deus; in futuro autem pœnitentia non proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantum pœnitentia patet libertas, post mortem vero, nulla correctionis est licentia. Ac ideo, fratres, non perdamus nobis tempus indultum, sed, quantum possumus per Dei misericordiam laboremus, ut modo per fletum et gemitus digne pœnitentiæ pristinas sordes peccatorum lavantes, mundi et corpore et anima in die Domini inveniri mereamur ab ipso judice vivorum et mortuorum qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVI.

DE NON TARDANDO CONVERTI E PECCATIS AD DEUM.

Legimus ergo Apostolum, fratres charissimi, dicentem : *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.* Ecce in litteris divinitus inspiratis reperitur scriptum : *Fili, ne tardes converti ad Dominum; quia nescis quid futura pariat dies;* nam qui tardat converti, periculum facit animæ suæ, quia mors non tardat; quæ si tardantem converti inveniat, ad tormenta deducit eum. Dissoluta, fratres, et periculosa paralytica cogitatio est, de crastina cogitare conversione, et hodiernam negligere. Quid tu, peccator, converti dissimulas, et non metuis ne tibi mors repentina subripiat diem conversionis : nonne homines subito moriuntur? si bonum est peccata dimittere, et ad Deum converti, cito fiat : Deus tibi promittit remissionem convertenti a peccatis, securitatem tibi non promisit diu vivendi. Ideo convertatur se citius unusquisque ad Deum, et cum invenerit eum, derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et miserebitur ejus, quoniam multus est ad ignoscendum. Si ergo intraverit subito dies extremus, perit dilatio, et restat damnatio; perire non vis, redi ad Deum et vives; noli desperare de venia peccatorum, nec de vita longiore confidere. Convertere ergo et pœnitentiam age. Cras, inquies, convertam; quare non hodie? Dicis : Quid mali est si cras dicam? Respondeo : Quid mali, si hodie. Forte dicis : Longa erit vita mea. Dicam : si longa erit, bona sit; si brevis, et ipsa bona sit; sed quis ferat malum longum. Prandium longum non vis habere malum, et vitam longam vis habere malam? Villam emis, bonam desideras; uxorem vis ducere, bonam quæris; filios nasci vis, bonos optas; et ut jam de rebus vilissimis loquar, caligas emis, et non vis malas, et vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, ut inter omnia bona tua solus sis malus? *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (*Eccli.* v). Verba Dei sunt, non mea : non a me hæc audisti, sed ego tecum audio a Domino. Forte respondes : Cras, cras. O vox corvina. Corvus non redit ad arcam, columba redit. Si ergo tunc vis pœnitentiam agere quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Satis alienus a fide est, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis exspectat. Metuendum est ne, dum sperat misericordiam, incidat in judicium. Neque enim tunc ve-

niam inveniet, qui male aptum veniæ tempus perdidit. Ibi jam a Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire quod jussit. Qui tempus pœnitentiæ datum negligit, frustra ante tribunal Christi preces effundit. Festinare debet unusquisque nostrum, fratres, ad Deum convertendo dum potest, ne si dum potest noluerit, omnino cum intrare voluerit, non possit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere. Ecce nunc ipsum diem in quo loquimur, ad inducias conversionis accepimus: et tamen mala quæ fecimus flere recusamus. Non solum commissa non plangimus, sed etiam quæ defleantur, augemus. At si aliqua nos ægritudo corripiat, si signa ægritudinis vicinam mortem denuntient, inducias vivendi quærimus ut peccata nostra defleamus: et eas cum magno æstu desiderii petimus, quas acceptas modo pro nihilo habemus. Pensemus nunc, dilectissimi, super nos divitias conditoris nostri; peccare nos vidit, et pertulit; qui nos ante culpam peccare prohibuit, etiam post culpam exspectare ad veniam non desistit: ecce ipse nos, quem despeximus, vocat; aversi ab illo sumus, et tamen non avertitur. Unde per Isaiam dicitur: *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient vocem post tergum monentis* (*Isa.* XXX). Quasi in faciem homo monitus est, quando ad justitiam conditus præcepta rectitudinis accepit; sed cum hæc eadem præcepta contempsit, quasi conditori suo dorsum mentis in faciem dedit. Sed ecce adhuc post tergum sequitur et monet; quia jam et a nobis contemptus est, et tamen nos adhuc vocare non cessat. Quasi dorsum ei in faciem dedimus, cujus verba despicimus, cujus præcepta calcamus: sed stans post tergum nos aversos revocat; qui et videt quod despicitur, et tamen per præcepta clamat, per patientiam exspectat. Pensate ergo, fratres charissimi, si cuilibet vestrum loquenti famulus suus subito superbiret, terga in faciem mitteret, nunquid non contemptus dominus, ejus superbiam feriret? vulnera districtæ animadversionis infligeret? Ecce nos peccando auctori nostro, terga in faciem dedimus, et tamen sustinemur. Superbe aversos benigne revocat: et qui ferire nos aversantes potuit, ut revertamur munera promittit. Tanta, obsecro, conditoris nostri misericordia duritiam reatus nostri emolliat, et homo qui malum quod fecit experiri percussus poterat, saltem exspectatus erubescat. Habete ergo, fratres mei, fiduciam de misericordia conditoris nostri, cogitate quæ facitis, recogitate quæ fecistis, largitatem supernæ pietatis aspicite, et ad misericordem judicem, dum adhuc exspectat, cum lacrymis venite: considerantes namque quod justus sit, peccata vestra nolite negligere; considerantes vero quod pius sit, nolite desperare. Præbet apud Deum homini fiduciam Deus homo, est nobis spes magna pœnitentibus, quia advocatus noster factus est judex noster, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVII.

DE CONTEMPTU MUNDI ET DE PRÆMIO FUTURO.

Admonet nos, charissimi, beatus Joannes apostolus, et ad contemptum caducarum rerum provocat, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam mundus transit et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum* (*I Joan.* II). Similiter et beatus Paulus apostolus, scribens ad Timotheum, nos instruens docet: *Præcipe*, inquit, *divitibus mundi hujus non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Qui* divites sunt in operibus suis, facile tribuant, communicent cum his qui non habent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, *ut apprehendant veram vitam* (*I Tim.* VI). Attendite, fratres, et sollicite quæ dicuntur pensate: nam cum divitibus præcipitur ut thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendant veram vitam, sine dubio ista falsa vita est. Et maxime hoc divites audire debent, quos quando pauperes intuentur murmurant, gemunt, laudanti invident, æquari velle optant, impares se dolent, et inter laudes divitum, hoc plerumque dicunt, Soli sunt isti, isti soli vivunt. Propter hæc ergo verba quibus homines tenues divitibus adulantur, quia ipsi vivunt, ne his adulantium inflati verbis, putent se vere vivere: *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus mundi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum*. Divites sint, sed ubi? In operibus, inquit, bonis: facile tribuant, quia non perdunt quod tribuunt; communicent cum his qui non habent, et ex hoc thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendant veram vitam, non assentientes adulantibus, qui dicunt vivere, et solos vivere. Vita ista somnus est, divitiæ istæ velut in somniis fluunt. Audi psalmum, o dives pauperrime: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV). Aliquando et mendicus in terra jacens, frigore tremens, occupatus tamen somno, thesauros somniat, et gaudet, et superbit in somniis, et parem suum pannosum non dignatur agnoscere: et donec dormit, dives est. Cum ergo vigilaverit, invenit quod falsum gaudebat; cum evigilaverit, invenit quod verum doleat. Dives ergo moriens similis est pauperi vigilanti, qui thesauros videbat in somniis. Nam et induebatur purpura et bysso quidam dives, nec nominatus, nec nominandus, contemptor pauperis jacentis ante januam suam. Induebatur purpura et bysso, sicut evangelicum testimonium est; et epulabatur quotidie splendide. Mortuus est, sepultus est, evigilavit, et se in flammis invenit. Dormivit ergo somnum suum, et nihil invenit ille divitiarum in manibus suis, quia nihil boni egit manibus suis. Propter vitam ergo quæruntur divitiæ, non vita propter divitias. Quam multi cum suis hostibus pacti sunt, ut totum tollerent, et vitam relinquerent; quantum-

cunque habuerunt, tanti vitam emerunt: quanti comparanda est vita æterna, si tam pretiosa est vita peritura! Da Christo aliquid ut vivas beatus, si totum das hosti ut vivas mendicus. Ex vita tua temporali, quam toto pretio redimis, appende quanti valeat æterna, quam negligis: ut vivas diebus paucis, etsi ad senectutem perventurus sis; omnes enim dies hominis ab infantia usque ad senectam, pauci dies sunt, et si ipse Adam hodie moreretur, paucos dies vixerat, quia omnes finierat: paucos ergo dies, et hos laboriosos, in tanta inopia, inter tantas tentationes, redimis, quanti nihil habere vis ut habeas te; hodie redemptus, cras forte moriturus; ab isto dimissus, forte ab alio trucidandus. O homo corpore fragilis, tempore mutabilis, morte solubilis, pressus oneribus, fatigatus sollicitudinibus, audi consilium meum: Releva te dando pauperibus quod acquisisti laboribus; da non habenti aliquid, quia et tu non habes aliquid: nunquam enim vitam æternam habes; da ergo ex eo quod habes, ut accipias quod non habes. Pulsat mendicus januam tuam; pulsas tu januam Domini tui. Hoc facit Deus cum mendico suo quod facis tu cum tuo: da ergo, et dabitur tibi. Si nolueris, tu videris: clamat enim pauper, et dicit tibi, Peto panem, et non das: petis vitam, et non accipis; videamus quis nostrum majore damno laboret, ego qui fraudor buccella, an tu qui privaris vita æterna: ego qui castigor in ventre, an tu qui mente; ad postremum ego qui ardeo fame, an tu qui exurendus es igne, et flammis vivacibus mancipandus? His verbis pauperis, nescio utrum respondere poterit superbia divitis. *Omni*, inquit, Dominus, *petenti te da*: si omni, quanto magis egeno et misero, cujus macies et pallor mendicant; cujus lingua tacet, squalor et gemitus eleemosynam petunt. Audi ergo me, o dives, et consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, noli incumbere auro; nudus existi de ventre matris tuæ, nudus es rediturus in terram; et si nudus es rediturus in terram, cui congregas super terram. Credo si aliquid tecum portare posses, vivos homines devorasses. Ecce nudus regredieris, cur non pecuniam vel bene vel male congregatam largiris? Præmitte quo iturus es, fac translationes rerum periturarum, ut pervenias ad regnum cœlorum. Si enim homini alicui decem solidos dares, pro quibus tibi centum postmodum redderet, quantum gauderes, quanta animi lætitia exsultares? Si ergo usuris gaudes, fenera Domino tuo, tribue Deo tuo de suo: multiplicato enim fenore, reddet tibi. Vis nosse quam multipliciter reddet tibi? Pro buccella, pro nummo, pro tunica, accipis vitam æternam, regnum cœlorum, beatitudinem sine fine. Appende cum buccella tua vitam æternam, divitias sempiternas, nulla est comparatio; das enim terram, et recipis eum qui fecit cœlum et terram. Ipse enim præmium nostrum, sine quo dives mendicat, et cum quo pauper copiosissime dives est. Quid enim habet dives, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet? Si ergo, fratres charissimi, esse divites cupitis, veras divitias amate. Si culmen veri honoris quæritis, ad regnum cœleste tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna angelorum curia ascribi festinate. Verba Dei quæ aure percipitis, mente retinete, et operibus illa implere satagite. Ecce transit omne quod in mundo agitis, et ad extremum judicium sine ulla manentis interpositione quotidie volentes nolentesque properatis. Cur ergo amatur quod relinquitur? Cur illud negligitur quo pervenitur? Amate cœlestia, respuite terrena, quærite æterna, negligite temporalia, ut cum illo possitis perpetuum regnum tenere, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVIII.

DE JUSTE JUDICANDO ET FALSIS TESTIBUS NON RECIPIENDIS.

Audivimus Dominum in Evangelio, fratres charissimi, præcipientem atque dicentem: *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis* (*Matth.* VII). In quo non prohibuit judicii sanctionem, sed ostendit judicandi rationem. Compescuit pertinaciam, et docuit justitiam. Ait enim ipse alibi: *Justum judicium judicate* (*Joan.* VII). Et in Lege: *Juste*, inquit, *quod justum est exsequaris*. Omnis enim qui recte et juste judicat, stateram in manu gestat. In utroque penso justitiam et misericordiam portat, sed pro justitia reddit peccati sententiam: pro misericordia temperat pœnam; quædam vero sunt a judice bono per æquitatem corrigenda, quædam itaque per misericordiam indulgenda. Sine personarum acceptione debent esse judicia: nihil enim iniquius est quam munera accipere in judiciis, quia munera excæcant prudentium corda, et subvertunt verba justorum (*Deut.* XVI). In quo enim judicio, dicit Dominus, judicabitis, judicabitur de vobis. Quapropter judex Deum judicem timeat, ne forte eo judicante ipse damnetur. Qui innocentes damnat, vel impios justificat pro muneribus, vel cujuslibet personæ amore vel odio cor inclinaverit, judicii veritatem observare non poterit. Nemo principum stultos vel improbos judices ponere debet: nam stultus per ignaviam ignorat justitiam; improbus autem per cupiditatem subvertit ipsam quam didicit veritatem. Pene gravius lacerantur pauperes a pravis judicibus quam a cruentissimis hostibus: nullus prædo tam cupidus in alienis, quam judex iniquus in suis. Pejores sunt hostibus judices iniqui; hostes sæpe fuga vitantur, judices propter potentiam effugi non possunt. Ipsi divitias ex civium oppressione congregare student. Ipsi divitias ex civium oppressione congregare student. Aliquoties judices boni ministros habent rapaces, quorum scelere coinquinantur, si non prohibent rapacitatem illorum; hi in alienis pereunt peccatis, quia *non solum*, ut egregius mundi doctor ait (*Rom.* I), *qui faciunt, sed qui consentiunt* iniqua *facientibus*, digni efficiuntur morte

A perpetua. Sæpe judices pravi cupiditatis causa aut differunt aut pervertunt judicia, nec finiunt causas quousque sacculus eorum impleatur; quando enim judicant, non causam, sed dona considerant. Judices pravi, juxta prophetæ verbum, quasi lupi, vespere non relinquunt in mane; hoc est, de præsentis vitæ commodo tantum cogitant, de futuro autem nihil, luporum more cuncta rapientes, et vix pauca pauperibus relinquentes. Iracundus judex judicii examen plene contueri non valet, quia caligine furoris non videt claritatem justitiæ. Non persona in judicio consideranda, sed causa. Scriptum est enim: Non accipies personam in judicio. Iniqui judices errant in veritatis sententia, dum intendunt qualitatem personæ; et nocent sæpe justis, dum improbe defendunt impios. B Acceptio munerum in judiciis prævaricatio est veritatis. Qui Deum timentes, juste judicant, æterna a Deo accepturi sunt præmia. Considerandum est igitur judici ne falsorum testium dolo deludatur, ne cum ipsis sceleris sui sortiatur vindictam. *Falsus testis*, dicit Salomon, *non erit impunitus* (*Prov.* XIX). Qui falsum testimonium profert contra proximum suum, exstinguetur lucerna ejus in die ultimo (*Prov.* XXIV). Item alibi dicit: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I), quoniam metu cujuslibet potestatis veritatem occultat, iracundiam Dei super se invocat, quia magis timet hominem quam Deum. Falsidicus testis est tribus personis obnoxius: primum Deo, cujus præsentiam contemnit; deinde judici, quem fallit mentiendo; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. C Sæpe enim evenit ut falsi testes, quando separantur, mox mendaces inveniantur: nec sibi blandiatur quis, si audiat falsum testimonium dici contra quemlibet, et non manifestat, eo quod ipse falsum non dicat: uterque enim reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit, quia ille prodesse non vult, et ipse nocere desiderat. Beatus, cujus testimonium in conspectu Dei probabile invenietur. Scire vos oportet, fratres, quod quatuor modis justitia in judiciis subvertitur, hoc est, timore, cupiditate, odio, amore; timore, dum metu potestatis alicujus, veritatem dicere vel judicare quislibet pavescit; cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpitur judex; odio, dum cujuslibet inimicitiæ causa nocere alteri desiderat; D amore, dum amicos vel propinquos contra justitiam defendit potentior. His quatuor modis, sæpe æquitas judicii subvertitur, et innocentia læditur. Magisque dolendi sunt qui opprimunt pauperes, quam qui patiuntur injuriam. Illi enim qui opprimuntur temporalem miseriam cito finiunt, illi vero qui opprimunt eos per justitiam, æternis flammis deputantur. Hic vero sæpe a malis boni judicantur, in futura siquidem vita mali judicantur a bonis. Sæpe etiam et hic boni infelices sunt et miseri coram hominibus, et mali felices; in illa itaque retributione æterna semper boni felices erunt, et mali semper miseri erunt. Quibus bene erit in hoc sæculo contendant maxime ne bona perdant perpetua, et qui molestias patiuntur, fortiter eas sufferant, ut æterna beatitudine inveniantur digni. Contestans obsecro vos, fratres charissimi, ut semper hoc attendatis, quando aliquem judicetis, seu defendatis, sive etiam hoc facientibus consentiatis; quod veritatem et justitiam non relinquatis, sed in omnibus observare studeatis, quatenus a vero judice vestro, ipsa videlicet Veritate, quæ judicabit orbem terræ in æquitate et justitia, coronam immarcescibilem cum benedictis in æterna beatitudine accipere mereamini; ipso tribuente, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIX.

DE SUPERBIA ET VANA GLORIA CAVENDA.

Oportet vos scire, fratres charissimi, quoniam cœlestis regis milites estis, contra quos hostes præliare debeatis. Dicit enim beatus apostolus Paulus (*Ephes.* VI): *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra* spiritales nequitias *in cœlestibus*. Si ergo spiritales sunt hostes, adversus quos belligerandum est, cum spiritalibus armis pugnare debemus. Hostes enim nostri dæmones sunt: arma eorum, cum quibus invisibiliter contra nos pugnant, sunt vitia. E contra nos, duce atque imperatore nostro Christo super nos regnante, sacris armis virtutum bellum nostrum geramus, et victoriam facile per Regis nostri auxilium capiemus. Ait enim ipse ad aciem inimicorum suos exhortans: Nolite timere, inquit, fortior est qui in vobis est quam qui in mundo est. Confidite, quia ego vici mundum (*Joan.* XVI). Primum namque ignotorum telorum hostis antiqui ac principium est superbia, quæ ubicunque subintraverit, omnium vitiorum post se turmas trahit. Hanc quoque maxime conditor noster detestatur; unde et de eo scriptum est: Omnis arrogantia, abominatio est apud Deum; et item: *Odibilis coram Domino et hominibus superbia* (*Eccli.* X). Et item: Superbis Deus resistit, humilibus autem gratiam dat (*Prov.* III). Maximum et primum quippe diaboli peccatum fuit superbia; et hac homines primos decepit; unde scriptum est: *Initium superbiæ hominem apostatare a Deo fecit: quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium est omnis peccati superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, et subvertet eos in finem. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, et destruxit eos usque in finem. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro illis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles ex ipsis gentibus. Terras gentium evertit Dominus et perdidit eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, et disperdidit illos, et cessare fecit memoriam a terra. Perdidit Deus memoriam superborum, et reliquit memoriam humilium sensu* (*Eccli.* X). Quapropter omni vitio deterior est superbia: quæ sæpe et de bonis nascitur actibus, dum homo in suis bonis operibus

superbit; et post hoc perdit per superbiam quod habuit per charitatem. Item omnium vitiorum novissimum est. Super his superbire cœpit, ante est ista sententia ponenda, de alto ruinam facit. Omnis quoque peccati initium, ut diximus, superbia est; quia cum anima præcepta contemnit Creatoris, mox in cujuslibet peccati corruit foveam; nam omnis superbia tanto in imo jacet quanto in altum se erigit, tantoque profundius labitur quanto excelsius elevatur. Qui enim per propriam superbiam attollitur, per Dei justitiam damnatur. Unde scriptum est: *Ante ruinam hominis exaltatur spiritus ejus* (*Prov.* XVI). Ergo, fratres, nihil magis Christiano vitandum est quam superbia, quæ iram Dei provocat: nam superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas autem homines sanctis angelis similes reddidit. Superbi cupiunt in se prædicari quod non faciunt, humiles refugiunt quidquid boni operantur, agnosci. Non elevetur ergo homo in bono suo, nec laudem sibi quærat, quamvis aliquid boni faciat: sed Deum laudari cupiat in donis suis, qui nihil boni facit nisi quod Deus donavit ei facere: unde ad eum cuncta debet referre quæ bene facit, non ad semetipsum. Dominus namque dicit in Evangelio: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI); id est, ut non ea intentione faciatis bona quod ab hominibus vanam laudem habeatis. Sed quidquid faciatis boni, pro Dei amore et salute animæ vestræ et fraterna charitate faciatis. Ideo ipse Dominus dixit de quibusdam qui eleemosynam faciunt, vel orationes et jejunia, ut ab hominibus laudem accipiant: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Ibid.*). Qui pro eo bonum quodlibet facit ut ab hominibus laudetur, hæc est merces illius quam quæsivit, et nullam a Deo sperare habet retributionem; quia pro ejus amore non fecit, sed pro vana humanæ laudis jactantia, sicut hypocritæ facere solent. Quod vitium hominibus placendi in bonis operibus, Dominus Christus multum detestatur, et sæpius Pharisæos, qui tales fuerunt in Judæa, terribili percutit maledictione, dicens: *Væ vobis, hypocritæ* (*Matth.* XXIII). Sed, secundum Apostolum, *qui gloriatur, in Domino glorietur* (*I Cor.* I). Qui enim laudem non appetit, nec pro contumelia conturbatur, nec ideo se bonum existimet homo, quamvis ab alio laudatur, quia ab aliis qualis sit intus ignoratur; sed hoc cogitet quia Deus ejus inspector est cordis: quid prodest malo homini, si bonus prædicetur? Tunc ergo veraciter hoc quod agit homo bonum est, quando placere desiderat a quo habet quidquid boni habet, vel facit quæ bona agere videtur. Et qui per hæc non Deo, sed hominibus placere cupit, in vanum laborat et in ventum seminat. Magnum se unusquisque esse studeat in suis operibus, sed de magnitudine sua humanum non quærat favorem, ne perdat quod habuit, et sit parvus factus. Increpat eos beatus Paulus apostolus qui in suis gloriantur benefactis, dicens: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*I Cor.* IV)? Ergo qui aliquod donum Dei quod meruit in suam laudem convertit, procul dubio virtutem in vitium transfert, et bonum quod fecit in peccatum: cum enim causa jactantiæ pascitur pauper, etiam ipsum misericordiæ opus in peccatum convertitur; igitur necesse est ut quidquid homo boni agat, Deo quærat laudem, non sibi, sicut ipse Dominus in Evangelio ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V). Itaque, fratres mei amantissimi et desiderantissimi, cavete superbiam, cui Deus resistit; vitate jactantiam, quæ Deo displicet: abominamini arrogantiam, quæ abominatio est coram Deo. Habete semper in omni conversatione vestra humilitatem, custodem virtutum; tenete illam in corde, ostendite in sermone, servate in opere: et quidquid boni aut in verbo, aut in opere agatis, omnia in gloriam Dei facite, dicentes cum Propheta: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXXXVII). Sicque potestis pœnam effugere gehennæ, quam merentur superbi, et ad regnum pervenire cœleste, quod merentur humiles: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LX.

DE IRACUNDIA ET HOMICIDIO CAVENDO.

Dominus igitur et Salvator noster, fratres charissimi, suo verbo suoque exemplo ad mansuetudinem et patientiam nos instituens, iræ et furoris pertinaciam penitus abdicavit, ut hoc quod Legis mandato implere non valuit, Evangelii consummaretur præcepto. Lex enim homicidium prohibuit, sed quia irasci permisit, quod seminarium est homicidii, ipsum vitium perfecte non abstulit. Redemptor itaque noster, qui non venit legem solvere, sed adimplere, id quod in lege minus fuit, sua sanctione adimplevit, iræ occasionem tollens: et non solum non irasci, vel non occidere jussit, quin etiam adversa quoque ab aliis irrogata, patientissime nos tolerare præcepit. Ira enim est quædam passio mentis, quæ, si ratione non regitur, in furorem vertitur, ita ut homo sui animi impotens fiat, faciens quod non convenit. Hæc enim si corde insedit, omnem eximit providentiam ab eo facti, nec judicium recte discretionis inquirere, nec honestæ contemplationis virtute, nec maturitatem consilii habere poterit, sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. De qua idem pullulat tumor mentis, rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, præsumptio, blasphemiæ, sanguinis effusio, homicidia, ulciscendi cupiditas, injuriarum memoria. Quæ vincitur per patientiam et longanimitatem, et per rationem intellectualem quam Deus inserit mentibus humanis, et per recordationem Orationis Dominicæ, ubi Deo dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quapropter si illam summam divini præmii cupimus adipisci, de quo dicitur: *Beati*

mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; non solum hæc e nostris actibus amputanda est, sed etiam de internis animæ radicitus exstirpanda. Non enim valde proderit, iracundiæ cohibitus, furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illam arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta cordium non latent, inesse perspexerit. Quasi vero universa virulenta serpentium genera vel ferarum, cum in solitudine suisque cubilibus immorantur, innoxia perseverent, nec tamen ex eo pronuntiari possunt innoxia, quia nulli noceant, hoc enim eis non affectum [affectus] bonitatis, sed necessitas solitudinis confert; quæ cum lædendi nacta fuerit copiam, in semetipsis reconditum virus et animæ feritatem protinus egerunt atque demonstrant. Radices enim vitiorum potius excidi præcipit evangelicus sermo, quam fructus qui procul dubio, evulsis fomitibus, nequaqum ulterius pullulabunt. Atque ita mens poterit jugiter in omni patientia et sanctitate durare: cum hæc non de superficie operationis et actuum, sed de cogitationum fuerint evulsa penetralibus. Et idcirco ne homicidium perpetretur, ira odiumque succiditur, sine quibus homicidii crimen nullomodo valebit admitti. *Qui irascitur* enim *fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v); *qui odit fratrem suum homicida est* (*I Joan.* III); in eo scilicet, quo eum corde cupiat interire cujus cruorem propria manu vel telo apud homines minime fudisse cognoscitur. Affectu iræ homicida pronuntiatur a Domino, quia non solum operationis effectu, sed etiam pro voluntatis ac voti desiderio unicuique aut præmium reddat, aut pœnam. Egregius vero mundi prædicator dicit: *Omnis amaritudo, et ira et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis* (*Ephes.* IV). Nec etiam ira viri justitiam Dei operari poterit. Ira scilicet sine temperamento expers est rationis. *Responsio mollis mitigat iram, sermo durus suscitat furorem* (*Prov.* XV). *Vir iracundus*, ut ait Salomon, *provocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas* (*Ibid.*). Spiritum vero ad irascendum facilem quis sustinere poterit? Ira non habet misericordiam, nec crumpens furor finem vindictæ novit. Si te, o homo, præoccupaverit ira, mitiga eam. Illa ira mala est quæ mentem turbat, ut rectum consilium perdatur. Illa ira est justa et necessaria, quando homo contra propria irascitur peccata, et contra seipsum indignabitur, dum male agit. Dicit Propheta: *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). Concessit quod naturæ est, tulit quod culpæ est. Ira alterius tua leniatur patientia. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII). Alterius peccatum tuum sit præmium. Displicet tibi alterius ira, quod tibi in altero displicet, in teipso quoque displiceat. Noli tranquillitatem mentis tuæ alterius perturbatione maculare. Noli te æqualem stulto facere, quia ira in sinu stulti requiescit: si tu irasceris contra eum, erunt duo mali, tu et ille: melius tibi esset esse bonum, quanquam ille sit malus; cur tu ex alterius malitia malus efficeris? Sed adhuc quod est gravius, alius postulat mortem inimici: eum quem gladio persequi non potest, persequitur oratione. Et vivet adhuc qui maledicitur, et tamen is qui maledicit jam de morte illius reus tenetur. Jubet autem Deus ut diligatur inimicus, et tamen rogatur Deus ut occidat inimicum. Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra conditorem pugnat. Unde et sub Judæ specie dicitur: *Fiat oratio ejus in peccatum* (*Psal.* CVIII). Oratio quippe in peccato est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur. Hinc Veritas dicit: Cum statis ad orandum, dimittite si quid habetis in cordibus vestris (*Marc.* XI). Sed ecce nobis inimicus graviter deliquit, damna intulit, juvantes læsit, amantes persecutus est: retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent; advocatus etenim noster precem nobis in causa nostra composuit, et ipse ejusdem causæ judex est qui advocatus: preci autem quam composuit conditionem inseruit dicens: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quia ergo ipse judex venit qui advocatus exstitit, ipse precem exaudit qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, et reliqua, et nosmetipsos hoc dicendo amplius ligamus; aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, et advocatus noster precem quam composuit, non recognoscit, atque apud se protinus dicit: Scio quod monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis faciendum, fratres, nisi ut veræ charitatis affectum impendamus fratribus nostris: ut sicut manus nostras foris a cæde, ita et intus ab odio corda nostra serventur innoxia. Homicidæ enim, ut scriptum est, regnum Dei non possidebunt (*Gal.* v); et, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est* (*I Joan.* II); abjicite prius a vobis odium, et ita, Deo auxiliante, vitare potestis homicidium. Sic et non solum in tenebras exteriores cum homicidarum auctore, id est cum diabolo, non ibitis, imo cum pacificis Patris cœleste regnum Filii dulcissimi possidebitis: quod vobis nobisque vobiscum auctor et restitutor salutis nostræ concedere dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto, in unitate et trinitate perfecta Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXI.

CONTRA INVIDIAM ET ODIUM.

Zelare quod bonum videas, et invidere melioribus, leve apud quosdam et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi. Dumque existimatur leve esse et modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur: et fit cæca et occulta pernicies, quæ, dum minus perspicitur, ut caveri a providentibus possit, improvidas mentes latenter affligit. Ego itaque puto nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invideat et livore capiatur: ne quis, fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odio convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod ut colligere plenius et manifestius perspicere possitis, ad caput ejus atque

ad originem recurramus. Videamus unde zelus et quando et quomodo cœperit : facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et magnitudo noscatur. Hinc zabulus inter initia statim mundi et perit primus et perdidit. Ille angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus et charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius dejiciens alterum instinctu zeli, quam ipse pro zelo ante dejectus : captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum, stimulante livore, homini gratiam datæ immortalitatis eripit, ipse quoque id quod prius fuerat amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri alta et præclara sublimitas potuit; quo deceptus ipse est qui decipit! Exinde invidia grassatur in terris, dum livore perituro magistro perditionis obsequitur, dum zabulum qui zelat imitatur; sicut scriptum est : *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II). Imitantur ergo illum, qui sunt ex parte illius. Hinc ergo violata sunt fraternitatis primordia, hinc parricidia cœperunt nefanda : dum Abel justum Cain odit injustus, dum bonum malus invidia et livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Quæ nunc considerantes, fratres dilectissimi, contra tantam perniciem mali vigilanter et fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem, imprudentium pœnæ providentibus conferant sanitatem. Non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri, aut brevibus terminis et angusto fine concludi. Late patet zeli multiplex et fecunda pernicies. Radix est omnium malorum, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Zelo excitante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non prævidetur : inflatur superbia, exacerbatur sævitia, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur. Dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur; dum quis aut conqueritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum, hinc recalcitrat, hinc rebellat, de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate et livore, non hominis sed honoris inimicus. Qualis vero est anima, et in ea quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem! id est, odisse in eo vel merita

(A) propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam. Mala quoque habent terminum, et quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adulterio cessat facinus, perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso; et prædoni rapacitatem statuit possessa præda, et falsario modum ponit impleta fallacia : zelus terminum non habet, permanens jugiter malum et sine fine peccatum; quantoque ille cui invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit : hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida et effrenata convicia, manus ad cædis (B) violentiam prompta, etiam si a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata : homicidii namque facinore perstringi eum quisquis zelaverit et odio habuerit fratrem suum, declarat Joannes apostolus in Epistola sua, dicens : *Qui fratrem suum odit, homicida est. Et scitis : Quia omnis homicida non habet vitam in se manentem* (*I Joan.* III). Et iterum : *Qui dicit se esse in luce, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat : quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus* (*I Joan.* II). *Qui odit*, inquit, *fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo eat*. Item enim nescius in gehennam ignarus et cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet a Christi lumine, monentis et docentis : *Ego sum* lumen *mundi : qui* (C) *me* secutus fuerit, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Sequitur Christum, qui præceptis ejus insistit, qui per magisterii ejus graditur viam, qui vestigia ejus atque itinera sectatur, qui quod Christus et docuit et fecit imitatur. Provide tibimetipsi, o homo, et unde vulneratus eras, inde studeas curari : ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas; bonos imitare, si sectari potes : si sectari non potes, collætare certe et congratulare melioribus; fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi debita, quando ipse dimiseris; accipientur sacrificia tua, cum pacificus ad Deum veneris; (D) sensus atque actus tui divinitus dirigentur, quando ea quæ divina et justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est : Cor viri cogitat justa, ut a Deo dirigatur (*Prov.* VI). Habes autem multa quæ cogites : paradisum cogita, quo Cain non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cœleste regnum, ad quod non nisi unanimes atque concordes Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sint pacifici, qui nativitate et lege divina ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunari : cogita sub oculis Dei stare, spectante ac judicante ipso, conversationis ac vitæ nostræ curricula; sicque decurrere et pervenire nos ad hoc tunc demum posse credamus, ut eum videre contingat nobis, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos

gratia ejus et indulgentia præbeamus, si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus : cui tunc sine dubio placebimus, si modo ab omni zelo et livore invidiæ alieni existimus, et proximos nostros vera dilectione amamus : quia pacifici filii sunt Dei, et qui diligit fratrem suum ex Deo natus est et videbit Deum : cujus visione perpetua ipse nos perfrui concedat, qui nos a morte perpetua liberaverat, Christus salvator noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII.

CONTRA FRAUDEM ET AVARITIAM.

Convenit bene homini Christiano qui ad cœleste tendit regnum, et supernas divitias percipere ambit, ut se a præsentibus rebus temperet, et philargyriæ malum, quod maxime humanum genus captivat, quasi venenum mortiferum fugiat, ne per fraudem aliquid adipisci gestiat, vel per rapacitatem possessa immensurate retineat : quia omnis fraus Deo displicet, et avaritia idololatriæ ab Apostolo comparatur. *Avaro autem*, dicit Scriptura, *nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet* (*Eccle.* X). Avaritia enim, quam Græci philargyriam vocant, nimia est cupiditas divitiarum acquirendi vel tenendi. Quæ pestis inexplebilis est, et hydropico morbo similatur : sicut enim hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit : sic et avarus quanto majorem pecuniam acquirit, tanto majorem habere appetit : et dum modus ei non est in habendo, modus illi non est in desiderando. Hinc nascuntur invidiæ, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, perjuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, injusta judicia, contemptus veritatis, futuræ beatitudinis oblivio, obduratio cordis. Quæ fit contraria misericordiæ et eleemosynæ in pauperes, et totius pietatis æmula. Dominus ergo noster, qui nos benignos esse de nostra substantia pauperibus et miseris admonet, ipse nos ab omni avaritia et injusta pecuniæ acquisitione prohibet. Qui vero ait : De justis laboribus tuis fac eleemosynam, ipse per Apostolum suum hortatur nos, dicens : Nolite fraudem facere invicem (*I Cor.* VII). Nam qui fraude qualibet aliquid acquisierit, perdit justitiæ æquitatem. Dic, avare, dic, cupide, dic, scelerate, quid acquisisti? Forte dicis, Aurum acquisivi, et verum dicis : ecce aurum acquisisti per fraudem, et fidem perdidisti per injustitiam. Si in mercatu fidem invenires venalem, si bonus esses, quomodo comparasses eam; quare non times perdere eam, quam te Deus voluit habere in corde? Aurum habes vel argentum vel aliud quid pretiosum in arca, sed damnum in conscientia. His omnibus meliores divitias perdidisti, id est fidem et justitiam et dilectionem Dei et proximi. Lucrum tuum cogitas, damnum tuum non consideras? Si huic lucro gaudes, quare illa perdita non plangis? plus perdidisti quam acquisisti. O dives, rapis per potentiam quod tibi placet habere, et perdes per injustitiam quod te Deus vult habere, id est beatitudinem sempiternam. Si enim fur vel raptor oculum perdidisset in furto vel rapina, forsitan postea furtum non fecisset vel rapinam : et nescit ille talis quod in ejusmodi peccato lumen perdidit cordis, quod melior est omni lumine corporis. Magis, avare, des pauperibus quod habes, quam per fraudem acquiras quod non habes, ut invenias in cœlo quod dedisti in terra : quid times pecuniam tuam perdere, et non times ut totus pereas? Pro acquisitione pecuniæ falsum testimonium dicis, mentiris, rapis aliena, juras, perjuras, quæ lex vetat : nonne cum hæc omnia facis, quare non times ut totus ardeas in æternum? Cur, avare, plus amas aurum quam animam? Quid enim proderit tibi si mundum universum lucreris, animæ autem tuæ detrimentum patiaris? Et ipse Dominus in Evangelio dicit : Cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita est quæ possidet. Nunquid non divites similiter moriuntur sicut et pauperes : non prodesse possunt divitiæ in die ultionis, nec liberabunt male utentes eis a pœnis sempiternis. Vultis, fratres, nosse quam perniciose, quam noxie, fomes iste, nisi fuerit diligenter excisus, ad ejus interitum qui eum ceperit, fructificet, et omne genus prævalet ramusculis vitiorum? respice [respicite] in Judam apostolorum numero deputandum : quia non voluit serpentis hujus caput conterere, qualiter eum suo veneno peremerit; et concupiscentiæ laqueis irretitum ad tam abrupta præcipitia crimen impegerit, ut redemptorem mundi et humanæ salutis auctorem ob triginta argenteos persuaserit vendere : qui nequaquam ad tam esset scelestum proditionis facinus devolutus, si non philargyriæ morbo fuisset infectus; nec Dominicæ negotiationis reus ac sacrilegus exstitisset, nisi prius solitus fuisset sibi loculos creditos compilare. Sed licet multi detestentur scelus Judæ, pauci tamen vitare student. Qui ergo Dominum vendidit, reus esse ab hominibus dijudicatur; et qui veritatem pro mendacio commutat, vix a quoquam reprehenditur. Attendite, fratres, quæ dico, quia quicunque propter amorem pecuniæ, vel commodum terrenum, veritatem vendit, Christum prodit, et Judæ sceleris est particeps. Ait enim ipse Dominus : *Ego sum via, et veritas et vita;* vitam utique deserit, qui veritatem pro pecunia vendit : unde et mercatu infausto non vitam meretur æternam, sed mendacii debitam mergetur in pœnam. Nolite, fratres, nolite avaritiæ catenis ligari, nolite amore rerum labentium irretiri : sursum cor erigite, æternam beatitudinem desiderate. Nam mundus iste transit, et concupiscentia ejus; verbum autem Domini manet in æternum. Hinc nos Paulus apostolus admonet et dicit : *Tempus breve est; reliquum superest ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint : et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi*

(I Cor. VII). Ille, fratres, uxorem habens est quasi non habens, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat Conditori. Flet quoque, sed tanquam non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris semper animum consoletur. Gaudet vero, sed tanquam non gaudeat, qui sic de temporalibus bonis hilarescit, ut tamen semper perpetua tormenta consideret; et in hoc quod mentem gaudio sublevat, hanc continuo pondere providi timoris premat. Emit autem, sed quasi non possidens, qui et ad usum terrena præparat, et tamen cauta cogitatione prævidet quod ea citius relinquat. Mundo quoque utitur, sed quasi non utatur, qui et necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, et tamen hæc eadem non sinet suæ menti dominari, ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alta tendentis frangant. Quicunque igitur tales sunt, eis profecto terrena omnia non ad desiderium, sed ad usum assumuntur, quia rebus quidem necessariis utuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt. De ipsis quoque rebus habitis quotidie mercedes acquirunt, et plus gaudent bono opere, quam bona possessione. Hæc ergo cogitate, et cum relinquere cuncta quæ mundi sunt non potestis, exteriora bene exterius agite, sed et ardenter interius ad æterna festinate. Nihil sit quod desiderium vestræ mentis retardet, nullius vos rei in hoc mundo delectatio implicet. Si bonum diligitur, mens in bonis melioribus, hoc est in cœlestibus, delectetur. Si malum metuitur, mala animo æterna proponantur: ut dum illuc esse conspicit et amplius quod pertimescat, hic omnino non hæreat. Ad hæc profecto agenda habemus mediatorem Dei et hominum adjutorem nostrum, per quem citius cuncta obtinebimus, si ad illum vero amore flagramus: qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIII.

CONTRA COMESSATIONEM, ET EBRIETATEM, ET SCURRILITATEM.

Sunt quædam vitia, fratres charissimi, quæ, cum gravia sint, ita temporibus nostris apud quosdam levia esse videntur, ut aut minima, aut nulla omnino perperam gerere credantur: et sic prævalent modo in abusione hominum, ut non solum jam vituperari ut peccata vel crimina, sed etiam laudari ut virtutes apud perditos meruerint. De quibus recte per prophetam dicitur: *Peccatum suum sicut Sodomitæ prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isa.* III). Quibus item condigna repensatione erroris eorum Dominus per prophetam dicit: *Væ vobis*, inquit, *qui dicitis malum bonum, et bonum malum. Ponentes tenebras lumen, et lumen tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum* (*Isa.* V). Inter quæ maxime nunc comessatio et ebrietas impunite regnant, cum non solum plebeii viri et ignobiliores quique, sed et nobiliores gloriosique terræ his malis irretiti sunt. Omnis quoque sexus omnisque ætas hujus mali in consuetudinem vertit. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Psal.* IX). Tantumque hæc pestis excrevit, ut quosdam de nostro ordine, hoc est de sacerdotum numero, ita tantum captivaverit, ut non solum ipsis ebriosos non reprehenderent, sed etiam ebriosi fierent. Quæ est hæc nequitia, fratres, quod ne malum tam amarum, quod nullum præpositum, nullam dignitatem patiatur fieri illæsam: ubi virtutibus detrahitur, et vitia præconiis efferuntur; ubi abstinentia et sobrietas vituperantur, et gula atque ebrietas laudantur. Aiunt enim: Vere largi sunt, et quod hi soli misericordiæ et charitatis jura observent, qui ebrietati et voracitati operam dant. Quasi misericordia et charitas sit quemlibet semetipsum decipere, et alios secum ad perditionem trahere. Nunquid Paulus apostolus, fratres, taliter prædicat charitatem? ait enim: *Charitas patiens est, benigna est: non æmulatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt: non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* (*I Cor.* XIII). Igitur, ut audistis, *charitas benigna est*, tamen *non agit perperam*: *non est ambitiosa, quærens quæ sua sunt*, et non quæ Dei. *Patiens est*, tamen *non cogitat malum, nec gaudet super iniquitatem*. Dicite mihi, qui comessationem et ebrietatem laudatis, utrum bonum sit an malum lumen mentis per ebrietatem excæcare, rationem perdere, visum oculorum turbare, loquendi usum amittere, nullo officio membrorum potiri, similem furenti et energumino fieri? Nunquid Deus hominem talem creavit? Nunquid hæc gloria imaginis Dei est, de qua scriptum est: Fecit Deus hominem ad imaginem suam, ad similitudinem Dei creavit illum (*Gen.* I). Nunquid Deum ad similitudinem vestram furiosum audetis dicere? Quæ blasphemia intolerabilis esset, quia ipse summe bonus, et solus beatus, et potens, Rex regum, et Dominus dominantium. *Vidit cuncta quæ fecit, et erant valde bona* (*Ibid.*). Atque hinc intelligi datur quod ebrietas a Deo non est creata, nec inter ea ab eo hominibus commendata, quia non est bona, sed utique valde mala: et non solum per se mala, sed malorum aliorum effectrix. Credite mihi, fratres, quia omnia pene mala hinc exoriuntur. Nam hinc excitantur iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, æmulationes, sectæ, invidiæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, latrocinia, blasphemiæ, et his similia. De quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Sed ut planius fiat quam detestabilis res sit ebrietas, sacrarum Scripturarum testimoniis utendum esse censemus; nam ipsa Veritas discipulis suis in Evangelio ait: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos dies illa: tanquam laqueus enim veniet super omnes qui sedent super faciem terræ* (*Luc.* XXI). Ac si patenter diceret: Cavete crapulam et ebrietatem, et ambitionem

præsentis sæculi, ne forte vos dies ultima implicatos his vitiis inveniat, et cum amatoribus mundi æterno carcere puniendos trudat. Per Isaiam quoque prophetam Dominus potatoribus ita comminans, ait: *Væ vobis qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara et lyra, et tympanum et tibia, et vinum in conviviis vestris; et opus Domini non respicitis, et opera manuum ejus non consideratis. Propterea captivus ductus est populus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino, et descendent fortes ejus et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum* (*Isa.* v). Item in eodem propheta paulo post divina increpatio subjungit, dicens: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem: qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo. Propter quod, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, et eloquium sancti Israel blasphemaverunt. Ideo iratus est furor Domini in populum, et extendit manum super eum, et percussit eum; et conturbati sunt montes, et facta sunt morticina eorum quasi stercora in medio platearum. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta* (*Ibid.*). Per Salomonem quoque similiter Sapientia divina detestatur ebrietatem et prohibet, dicens: *Fili mi, noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: qui vacantes potibus et dantes symbola consumentur* (*Prov.* XXIII). Et paulo post, quasi obstupescens talium damnationem, subjungit: *Cui*, inquit, *væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui morantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber: et sicut regulus venena diffundet* (*Ibid.*). In lege quoque Dominus præcepit Aaron ita dicens: *Vinum et omne quod inebriare potest non bibes tu, et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum est sempiternum in generationes vestras: et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi* (*Lev.* X). Ecce modo audistis, fratres charissimi, ex sententiis sanctarum Scripturarum, quantum conditori nostro displiceat comessatio et ebrietas, et qualem damnationem conferat his qui ea abutuntur. Parcite, quæso, tam magno malo immorari, quia vobis præsentem prosperitatem et vitam auferat sempiternam. Sint vobis convivia sobria, sint justi viri convivæ, et in timore Dei gloriatio vestra. In sensu vestro sit cogitatus Dei, et omnis enarratio vestra in præceptis Altissimi. Nam homo linguosus et temerarius in verbo suo, odibilis est, quia, ut scriptum est: *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala* (*Prov.* XIII). Recordamini quomodo Dominus supra sacerdotibus suis et ministris tabernaculi sui de ebrietate cavenda præcepit; vos enim omnes, teste apostolo Petro, estis genus regium, et sacerdotale, gens sancta, populus acquisitionis (*I Petr.* II); qui quotidie debetis Deo servire in vero ejus tabernaculo, quod est Ecclesia: Quiescite et abstinete vos a comessatione et ebrietate, a loquacitate, a scurrilitate, a vanitate, et semper quod bonum est sectamini invicem et in omnes, ut ejus fieri membra mereamini, qui est verus sacerdos et verus Dominus noster, Rex regum et Dominus dominorum, Jesus Christus unigenitus Dei Filius, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, Deus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIV.

DE STUDIO BONO ET DISCRETIONE SEMPER HABENDA.

Redemptor itaque noster, qui contentiones discipulorum suorum de primatu compescuit, in quo contendere debeant, ostendit: *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam* (*Luc.* XIII). Angusta ergo porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui intrant per eam. Hac ergo sententia quid aliud nobis insinuare ipsa Veritas voluit, fratres charissimi, quam ut per rectam intentionem et studium bonum vitam solummodo possemus consequi sempiternam. Miles qui legitime certaverit, coronabitur (*II Tim.* II); qui autem accepto bono certamine retro convertitur, aptus non esse regno cœlorum dignoscitur. Studium profecto bonum est, bonaque voluntas, per mandatorum Dei custodiam velle quemlibet pervenire ad gaudium sempiternum, ut quidquid agat, ad id referat ut Deo placeat; nec sibi per hoc aliquid transitorium avarus appetat. Tunc enim bonum opus rite agitur, cum ex recta cogitationis intentione generatur. Unde bene in Evangelio Veritas dicit: *Lucerna corporis est oculus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit* (*Matth.* VI). Quid enim per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio? quia priusquam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum, sequitur. *Lucerna* itaque *corporis est oculus*, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis. *Et si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: quia et, si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse videatur. *Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit*: quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, et splendere coram hominibus cernitur, apud examen in-

terni judicis obscuratur. Vigilanti igitur cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his quæ agit appetat, totam se in soliditate æternitatis figat: ne si extra fundamentum actionis nostræ fabrica ponitur, terra deficiente solvatur. Sed ut opus vestrum ad bonum finem pervenire possit, discretio vobis valde, fratres, necessaria est, quia discretio est omnium mater virtutum. Plerumque enim virtus cum indiscrete tenetur, amittitur; cum discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum si in corporeis intelligimus, quod agi et incorporeis rebus videmus. Ex studio namque arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur. Qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus cum per discretionem prætermittitur, reservatur, ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a persecutione interim prudenter cessat. Tunc autem recte accepta mensura cum anteposita oculis virorum spiritalium vita respicitur, quando electæ cuicunque animæ ad sumendam vivendi regulam, patrum præcedentium exempla monstrantur; ut ex illorum vita consideret quid in suis actibus servet, quatenus respecto justi limitis tramite: nec infra minima negligens deficiat, nec ultra maxima superbiens tendat; nec minus conetur explere quam sufficit, nec plus arripiat quam accepit: ne aut ad mensuram quam debet non perveniat, aut eamdem mensuram deserens, extra limitem cadat. Angusta quippe porta est quæ ducit ad vitam; et ille hanc ingreditur, qui in cunctis quæ agit discretionis subtilitate propter hanc sollicite coarctatur: nam qui per voluntates proprias secura mente se dilatat, angustæ sibi portæ aditum damnat. Ut ergo hujus terræ mensura servetur, super eam divinitus linea tenditur. Quia ut nostra opera vel minora proficiant, vel majora moderentur, per sacra eloquia subtilis ante nos sanctorum vita expanditur; et quid nobis quantumque agendum sit, ostensa illorum discretione definitur. Quapropter, fratres charissimi, in omni studio spiritalium virtutum vosmetipsos exercitate, et discrete in omnibus conservari, negligere nolite, nec supra mensuram, et rationem aliquid agere assuescite. In præcipiti enim pedem porrigit, qui mensurarum suarum limitem non attendit. Et plerumque amittit quod poterat, qui audacter ea ad quæ pertingere non valet, arripere festinat. Nam et membrorum nostrorum tunc ministeriis utimur, cum sua eis officia distincte servamus. Lucem quippe oculis cernimus, vocem vero auribus audimus. Si quis autem, mutato ordine, voci oculos, luci aures accommodet, huic utraque incassum patent. Si quis odores velit ore discernere, sapores nare gustare, utriusque sensus ibi ministerium, quia pervertit, interimit. Dum enim propriis hæc usibus non aptantur, et sua officia deserunt, et ad extranea non assurgunt. Bene itaque David intra acceptas ex divina largitate mensuras, pedem cordis presserat, cum

A dicebat: *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX). Super se quippe in mirabilibus ambularet, si apparere magnus ultra quam poterat quæreret. Super se namque in mirabilibus attollitur, qui et in his ad quæ non sufficit, videri conatur. Ergo, fratres dilectissimi, quodcunque boni possitis instanter agite, et inter hæc discretionis mensuram in omnibus caute et diligenter custodite. Sic currite in stadio hujus vitæ, ut comprehendatis vitam æternam. Sic in agone Christiano decertate, ut a Christo coronemini. Humilitatem veram præcipue tenete. Et quidquid boni agitis, divinæ gratiæ illud deputetis, non vobis: quia *omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a patre luminum* (*Jac.*
B I). Agonem vestrum Domino precibus commendate. Spem vestram in Deum figite, ejusque perpetua visione perfrui ante omnia desiderate. Ad quam pervenientes, exsultabitis lætitia inenarrabili, et adepto summo bono in æternum cum sanctis angelis gaudebitis: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto unus Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(*Quæ sequuntur homiliæ non erant notatæ in indice homiliarum: sequebantur tamen in manuscripto exemplari, et fortasse Rabani non sunt. Vide Pamelium.*)

HOMILIA LXV.

IN DOMINICIS DIEBUS QUANDO VOLUERIS.

C Oportet, dilectissimi fratres, unicuique Christiano libenter auscultare sacram Scripturam, auscultatam libentius audire. Quia tunc proficit homini audire verba divina, si vox prædicantis in aure cordis infigitur. Quia non auditores tantum verbi justificabuntur, sed factores (*Rom.* II). Ideoque, charissimi, audite verbum Domini, et intelligite et facite omnia mandata Domini; convertimini ad Dominum, et agite pœnitentiam, ut deleantur vestra peccata. Timete Dominum, et date illi honorem, quoniam venit judicium ejus, et ipse judicabit omnibus gentibus. Amemus Deum Patrem omnipotentem, qui in cœlo et in terra habet potestatem, in mari et in omnibus quæ in eis sunt; festinemus ad illam bea-
D tam vitam ubi semper speramus permanere. Despiciamus istam vitam terrestrium, concupiscamus illam vitam cœlestium. Ista vita est misera et decepta et concupiscentiosa, vel plena scandalis: hic in labore vivimus, et in dolore morimur; ista vita finem habet, regnum Dei finem non habet. Unde consideremus nosmetipsos, quia non scimus diem neque horam quando Dominus noster Jesus Christus erit venturus ad judicium. In die illa veniet Dominus de cœlis cum angelis et cum omnibus sanctis ejus ad judicandum omnibus gentibus, et reddet unicuique secundum opera sua. Idcirco, fratres mei, teneamus illas virtutes, quæ maxima lucra conferunt animabus nostris. Hæ sunt virtutes animarum, diligere Deum et proximum, et odire illa

quæ non diligit Deus; patientiam sectari et ab omni impatientia declinare; castitatem corporis et animæ custodire; vanam gloriam contemnere, et omnia caduca calcare; humilitatem habere et tumorem superbiæ abominari: iram cohibere et furorem reprimere; ab omni stultitia declinare et sapientiam divinam amplecti, ac omnem voluntatem carnis subjicere menti: avaritiam spernere et propria largiri: cœlestia rebus terrenis præponere; judicium Dei die noctuque impensius meditari: hæ sunt virtutes animæ, unde omnis fructus spiritalis orietur. Deus enim non se vult verbis tantum diligi, sed corde puro et operibus justis. Qui enim dicit: Diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Deus enim non auditor verborum, sed cordis inspector est, et diligit eos qui in simplicitate cordis diligunt illum. His etiam supradictis virtutibus animarum, fratres mei, sunt quædam vitia adversantia quæ prodeunt ex radice iniquitatis, atque mergunt homines in puteum inferni, perpetrantibus ea et non emendantibus. Hæc sunt ventris ingluvies, fornicatio, avaritia, ira, vana gloria, superbia. Ex his nascuntur comessationes, ebrietates, locus inhonestus (*Forte*, lucrum inhonestum), stultiloquium, mendacium, furta, perjuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, inhumanitas, rapacitas, homicidia, inimicitiæ, contentiones, invidiæ, impatientia, indignatio, contemptus, inobedientia, murmuratio, detractio. Ab his etiam vitiis et ab aliis caveamus, et declinemus ab eis, et inania emendemus in melius quod negligenter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. Meditemur supradictas virtutes jugiter, operando, confitendo, pœnitendo, assidue ad ecclesiam veniendo, orando, vigilando, eleemosynam largiendo. Hæc facientibus vita erit æterna, et ingredientur ad illud regnum, ubi Rex regum est et Dominus dominantium: ubi lux sine tenebris est, vita sine morte, lætitia sine tristitia, sanitas sine dolore; ubi nemo esurit neque sitit; ubi sunt majora et meliora bona spiritalia quæ lingua humana enarrare non possit, quæ præparavit Deus diligentibus se: *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* IX). Ad hoc regnum, adjuvante Domino Salvatore nostro, perveniemus, ut cum illo regnemus in sempiterna sæcula. Amen.

HOMILIA LXVI.

ITEM UNDE SUPRA.

Audite, fratres charissimi, quomodo magnum periculum est sacerdotibus Christi, id est episcopis et presbyteris, qui non annuntiant vobis quæ facere, quæ vitare debeatis: quia si nos non annuntiaverimus, ut corrigatis vosmetipsos ab operibus malis, nos in die judicii rationem reddituri erimus pro vobis. Et si unusquisque pro suo peccato vix possit pœnam evadere, quid de sacerdotibus erit? quia nobis mandatum est ut vobis annuntiemus sine cessatione, dicentes: *Quærite Dominum, dum inveniri* A *potest; invocate eum, dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas* pessimas (*Isa.* LV). Quia sic est vita ista quasi sit homo in domo aliena: nescit quo die vel qua hora dicatur ei, Veni foras, quia non est tua domus in qua es: sic incognitus est nobis finis noster. Ideo admonemus vos ut quod promisistis in baptismo ante conspectum Dei vel angelorum, nulla sit negligentia; et si jam fuit, succurrat pœnitentia. Duo sunt quæ promisistis: unum, credere vos in Deum Patrem omnipotentem et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum sanctum; alterum, promisistis abrenuntiare diabolo et omnibus operibus ejus. In his brevibus sermonibus multa sunt quæ continentur. Ille abrenuntiat diabolum et opera ejus, qui fugit criminalia peccata B quæ mergunt homines in supplicium æternum, hoc est, sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapinam, superbiam, invidiam, avaritiam, cupiditatem, iracundiam, comessationem, ebrietatem et reliqua, quia non mentitur sanctus Apostolus dicens: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Proinde nemo se circumveniat. Quicunque ebriosus, pro ipsa ebrietate, si pœnitentiam non egerit et usque ad mortem suam in ipsa ebrietate manserit, in æternum peribit, et in perpetua flamma sine fine ardebit. Similiter metuendum est juramentum, quia per Spiritum sanctum dictum est in sacra Scriptura: *Vir multum jurans implebitur iniquitate* (*Eccli.* XXIII). Quia quicunque per juramentum [*Forte*, perjurium] fecerit, et C si vivat corpore, tamen mortuus est in anima. Et quicunque in se vel unum de istis peccatis habere cognoscit, nisi pœnitentia ei subvenerit, regnum cœlorum habere non potest. Sed si volumus veram invenire peccatorum nostrorum remissionem, donemus veram confessionem ex toto corde cum lacrymis, quia lacrymæ pœnitentium apud Dominum pro baptismate deputantur, quia nulla tam gravis culpa est quæ per pœnitentiam deleri non possit. Proinde, dilectissimi, redimite animas vestras de pœna inferni dum in hac vita vivitis, quia post mortem nullus vos redimet, si de hoc sæculo sine confessione et pœnitentia mortui fueritis. Agamus pœnitentiam, et eleemosynam erogemus pauperibus de justo labore acquisitis, quia sicut aqua exstinguit ignem, D ita eleemosyna exstinguit peccatum (*Eccli.* III). Diligamus Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute, et ex tota mente; deinde proximos sicut nosmetipsos diligamus, hoc est maximum et primum mandatum Christi. Et observate Dominicum diem, ut nullum servile opus in eo faciatis, quia in eo Deus lucem condidit: in eo manna in eremo pluit; in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra a mortuis resurrexit; in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit. Tanta debet esse observantia ut, præter orationes et missarum solemnia, et ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud faciat. Nam et si necessitas fuerit navigandi sive itinerandi, licentia datur, ita duntaxat ut hac

occasione missæ et orationes non prætermittantur. Et unusquisque, quacunque arte Deus illi donaverit unde semetipsum pascere vel vestire potest, de ipsa particula pro redemptione animæ suæ donet ad ecclesiam vel pauperibus decimam ejus. Et illud certissime credite quod omnis homo, quamvis peccator sit, quamvis criminosus, qui mala ante perpetraverat, et si eleemosynas fecerit, et in bona voluntate mors illum invenerit, nunquam descendet in infernum, sed ab angelis elevatur in cœlis. Propterea festinare debemus jam emendare nostra peccata, ut quod antea male fecimus defleamus, et ulterius facere desinamus: quia non requiret Deus quales ab initio fuimus, sed quales circa finem nostrum inventi fuerimus. Quod ipse ad suum regnum nos perducat, cui est honor, gloria, virtus et potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXVII.

ITEM UNDE SUPRA.

Dilectissimi, oportet vobis enarrare quod per sacras Scripturas didicimus. Illud tamen scire et intelligere debetis, imprimis ut credatis in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus, et in Spiritum sanctum: in his tribus personis et nominibus credamus unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium, hoc est Verbum Dei quod prædicamus. Quia si confiteamur in ore nostro Dominum Jesum, et corde nostro crediderimus, salvi erimus. Unde et misericors Dominus nos per Joel prophetam exhortatur convertere de peccatis nostris, dicens: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu* (*Joel.* II); quia nolo mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant (*Ezech.* XXXIII). Et iterum Dominus per prophetam ait: Nolite tardare converti de peccatis vestris, et ne differatis de die in diem (*Eccli.* V), quia finis noster et mors non tardat. Hæc enim sunt capitalia peccata de quibus nos convertere debeamus, id est superbia, invidia, homicidia, multiplex fornicatio, quod per omnia enarrare illicitum est: furta, rapina, falsa testimonia, perjurium, detractio, cupiditas, vana gloria, injusta lucra, ebrietates, comessationes, sacrilegium, quod est omnis cultura idolorum et dæmoniorum, id est, auguria, et qui immolant ad petras, vel ad arbores, sive ad fontes, aut incantationes seu divinationes faciunt, et reliqua. Hæc sunt opera Satanæ, quibus abrenuntiant Christiani in baptismo. Hæc opera diabolus in die mortis nostræ in nobis requirit. Et si ille antiquus hostis in die exitus nostri invenerit reos et inemendatos de supradictis operibus, tunc trahit nos secum nudos et flentes in infernum et in æternas pœnas, ubi sunt tenebræ sine luce, ubi est ignis qui nunquam exstinguetur, ubi sunt vermes qui nunquam moriuntur: ubi aures nihil audiunt, nisi luctum et gemitum et stridores dentium; ubi esuriunt et sitiunt in æternum, qui hic per avaritiam illorum, esurientibus et sitientibus miseris, cibum et potum dare noluerunt: ubi est omne malum et nullum bonum his qui se emendare noluerunt. Sed tamen de Domini misericordia nullus diffidat, quia ipse Dominus per Ezechielem prophetam ait: In quacunque die peccator conversus fuerit ab injustitia sua, omnes iniquitates ejus in oblivione erunt coram me (*Ezech.* XXXIII). Ideoque, dilectissimi, festinemus derelinquere omne malum, et emendemus nos, et faciamus omnem voluntatem Domini. Imprimis teneamus fidem rectam, et diligamus Dominum toto corde, tota mente, tota virtute; deinde proximos nostros tanquam nosmetipsos. Habeamus in nobis timorem Domini, humilitatem, charitatem, pacem cum omnibus, benignitatem, patientiam, modestiam, justitiam, continentiam, misericordiam. Hæc sunt opera misericordiæ: esurientibus cibum dare, sitientibus potum, nudum vestire, infirmos et in carcere clausos visitare et illis ministrare, hospites peregrinos et pauperes suscipere, justitiam laudare, iniquitatem detestari, viduas et orphanos adjuvare, eleemosynas in pauperes partiri, tribulatis auxiliari, mortuos sepelire, decimas de omnibus rebus reddere, semper orare, castitatem corporis et animæ custodire, jejunium amare, confessionem et pœnitentiam peccatorum semper agere, et indulgentiam omnibus peccantibus in se facere; et unusquisque quod sibi non vult, alii non faciat: hæc facientibus regna præparantur æterna; et Salvator mundi, Dominus noster Jesus Christus, in die judicii illis dicturus erit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV). *Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII): ubi est lux sine tenebris, vita sine morte, ubi est lætitia et gaudium sine fine, ubi juventus læta sine metu senectutis, ubi salus sine ægritudine, ubi securitas sine timore, ubi regnum immutabile, ubi spiritalis scientia, et bona voluntas, et exsultatio sempiterna, ubi sunt majora et meliora bona quam lingua humana enarrare possit quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* IX): quod nobis omnipotens Deus præstare dignetur, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXVIII.

IN VIGILIIS DEFUNCTORUM.

Admonet beatus Apostolus (*I Thess.* IV) ut de dormientibus, hoc est mortuis charissimis nostris, non contristemur, *sicut et cæteri qui spem non habent*, spem scilicet resurrectionis et incorruptionis æternæ. Nam ideo dormientes eos appellat Scriptura veracissima, ut cum dormientes audimus evigilaturos, minime desperemus. Unde etiam cantatur in psalmo: *Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* (*Psal.* XL.) Est ergo de mortuis eis qui diliguntur quædam tristitia quodammodo naturalis, mortem quippe horret non opinio, sed natura; nec mors homini accederet nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia, quæ ita creata sunt ut suo quoque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam, quanto magis homo, qui sic

fuerat creatus ut, si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret. Hinc itaque necesse est ut tristes simus quando nos moriendo deserunt quos amamus. Quia et si novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos, tamen mors ipsa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus ut non contristemur, sed non *sicut cæteri qui spem non habent*. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi: inde angimur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio. Proinde pompa funeris, agmina exsequiarum sumptuosa, diligentiæ sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro illorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, ejusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujuscemodi pietatis impenduntur officia: cujus dum hic essent pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, et sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus meritis consequentia ista redduntur. [a] Non enim victum est: nisi cum hic viverent, ut hæc eos aliquid adjuvarent, cum hic vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non potest habere post ipsam. Permittantur ergo pia corda charorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, et consolabiles lacrymas fundant conditione mortali: quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire et ad meliora transire. Consolemur eos etiam per fraterna obsequia, sive quæ funeribus exhibentur, sive quæ dolenter adhibentur, ne sit justa querela dicentium: *Sustinui simul qui contristaretur, et non fuit, et consolantes, et non inveni* (*Psal.* LXVIII). Sit pro viribus cura sepeliendi et sepulcra construendi; quia et hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt. Nec solum in corporibus patriarcharum, aliorumque sanctorum, et inania cadaveribus quorumcunque jacentium; verum etiam in ipsius Domini corpore prædicati atque laudati sunt qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, et sui humani levamenta mœroris. Verum illi utique [illegible] spiritus defunctorum, et oblationes, orationes, obsecrationesque multo pro eis observantius [et] abundantius impendunt, qui suos carne non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed spiritaliter amant. Amen.

HOMILIA LXIX.

DE CELEBRITATE DEFUNCTORUM ATQUE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Quando celebramus dies fratrum defunctorum, in mente habere debemus et quid sperandum, et quid timendum sit. Secundum hoc enim sperandum est, quia *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV); secundum hoc autem timendum est, quia *mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII): ideoque, propter spem, in memoria æterna erit justus; propter timorem, ab auditu malo non timebit. Erit enim auditus quo nullus sit major, quando dicitur sinistris: *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV). Ab hoc auditu malo justus non timebit, erunt enim ad dexteram, inter illos quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Ibid.*). In hac autem vita, qua mediante summa bona et ante summa mala ducitur, in medio bonorum malorumque mediorum, id est, in neutra parte summorum, quia et bona quæcunque hic fuerint homini in comparatione bonorum æternorum, nulla sunt, et mala quæcunque in hac vita experitur homo, in comparatione ignis æterni nec comparanda sunt; in hac ergo medietate vitæ illud quod audivimus nunc ex Evangelio tenere debemus: Qui credit, inquit, in me, licet moriatur, vivit (*Joan.* XI). Quid est, *moriatur, vivit?* Licet moriatur corpore, vivit spiritu. Deinde adjungit: *Et qui vivit et credit in me, non morietur in æternum* (*Ibid.*). Certe licet moriatur; quomodo si non moriatur, sed licet moriatur ad tempus, non morietur in æternum? Sic ista solvitur quæstio, ut non sint inter se contraria verba Veritatis, ut possint instruere affectu pietatis. Ergo, licet corpore morituri simus, vivimus, si credimus. Est autem fides nostra maxime discreta ab omni fide gentilium in resurrectione mortuorum. Hanc enim omnino illi non recipiunt, quia ubi recipiant non habent. A Domino enim præparatur voluntas hominis, ut sit fidei receptaculum. Dicit Judæis Dominus: *Sermo meus non capit in vobis* (*Joan.* VIII). Ergo in his capit in quibus invenit quod capiat. In his enim invenit quod capiat sermo qui capit, quod Deus pollicendo non decipit. Ille enim qui quærit ovem perditam, et quam quærat novit, et ubi quærat, et quomodo ejus membra dispersa colligat, et in unam salutem redigat, et ita constituat ut eam ulterius non perdat. Consolemur ergo nos invicem, et in his sermonibus nostris. Potest non dolere cor

[a] Locus corruptus. Vide sanctum Augustinum, lib. de Fide, Spe et Charitate, cap. 110.

humanum defuncto charissimo: melius tamen condolet et sanatur cor humanum, quam non dolendo sit inhumanum. Maria Domino cohærebat, et mortuum fratrem dolebat: sed quid miraris quia Maria dolebat tunc, cum ipse etiam Dominus flebat. Movere autem quemvis potest quomodo flebat mortuum, si continuo jubet victurum: non mortuum flebat quem ipse suscitavit, sed mortem quam sibi homo peccando comparavit: si enim peccatum non præcessisset, sine dubio mors secuta non fuisset. Secuta est ergo mors etiam corporis, quam præcessit mors animæ. Mors animæ præcessit differendo, et mors corporis secuta est, deserente anima; deseruit volens, et coacta est nolens deserere. Tanquam illi diceretur: Recessisti ab eo quem diligere debuisti, recede ab eo quem dilexisti. Quis enim vult mori? Prorsus nemo, et ita nemo, ut beato Petro diceretur: *Alter te cinget, et feret quo tu non vis.* Si ergo nulla esset mortis amaritudo, non esset magna martyrum fortitudo. Ita et Apostolus: *De dormientibus,* inquit, *nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et gentes, quæ spem non habent;* non tantum ait, *ut non contristemini,* sed ut non sic contristemini, quemadmodum *gentes, quæ spem non habent.* Necesse est enim ut contristemini, sed ubi contristaris? Ubi corpus quod vivit ex anima fit exanime, discedente anima; qui ambulabat, jacet; loquebatur, tacet; oculi lucem non capiunt, aures nulla voce patescunt, omnia membrorum officia conquieverunt. Non est qui moveat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nonne ista est domus, quam nescio quis invisibilis habitator ornabat? Discessit qui non videtur, remansit quod cum dolore videbatur: ista est causa tristitiæ. Si hæc est causa tristitiæ, hujus tristitiæ quæ consolatio? Quia ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba, descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent primi; deinde nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus, obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus. Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio; detergatur luctus ex animo; fides expellat dolorem: in tanta spe, non decet esse triste templum Dei: ibi habitat bonus consolator, ibi qui non fallit promissor. Scio ut mortuum diu plangamus, quoniam mors amara est. Per illam transivit et Dominus. Sufficiant hæc pauca charitati vestræ. Consoletur abundantius, qui non migrat de corde vestro, sed ita dignatur habitare, ut nos dignetur etiam in fine invitare. Amen.

HOMILIA LXX.

REVERSIO SANCTÆ ATQUE GLORIOSISSIMÆ CRUCIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Tempore illo postquam, Constantino Augusto contra Maxentium tyrannum properante ad bellum, signum sanctæ crucis cœlitus fuisset ostensum, et ipso feliciter obtinente triumphum, ab Helena jam dicti principis matre sancta crux fuisset inventa, atque per sanitatem ægroti et resuscitationem mortui fuis-

A set evidenter indicio virtutis declarata, regina, voti compos effecta, ita salutare lignum fecit secare per medium, ut et crucem Constantinopoli deferret ad filium, et crucem Hierosolymis thecis argenteis conditam reservaret; in loco (*sic*) usa sapiente consilio, scilicet ut ubi fuerat membris Dominicis aptata supplicio, ibidem glorifica veneraretur a populo. Multorum itaque temporum labente curriculo, cum, exigente mole peccatorum hominum, flagellari permitteret Dominus populum Christianum per sævitiam paganorum, Chosroe quidem profanus et impius regnum est adeptus Persarum, qui in tantam prorumpere est ausus proterviam, ut ab incolis vicinarum gentium, quos impetu vastans barbarico suo nefando subjugaret dominio, coli se juberet ut Deum, ut
B vocaret se regem regum, et dominum dominantium. Nec hoc solum ei abundavit ad suæ damnationis interitum, verum etiam Syriam et Palæstinam cum subjugasset et Ægyptum, regna quæ extra et infra limitanea glomerabantur per circulum suo crudelissimo subjugaret dominatui. Hierosolymam advenit, ac ecclesias Christi subvertit, totamque finitimam regionem vastavit, incendit atque prædavit. Ad sepulcrum ergo Domini cum voluisset accedere, territus rediit; sed tamen ligni salutaris partem, quam religiosa regina ibi in testimonium virtutis reliquerat, asportavit. Fecerat namque sibi turrem argenteam, in qua interlucentibus gemmis thronum exstruxerat aureum, ubi solis quadrigam et lunæ vel stellarum imagines collocaverat, atque per occultas fistulas
C aquæ meatus adduxerat, et quasi deus pluviam desuper videretur infundi, et dum subterraneo specu equis in circuitu trahentibus, circumacta turris fabrica movere videbatur, quasi quodammodo rugitum tonitrui juxta possibilitatem artificis mentiebatur. In hoc itaque loco sedem sibi paraverat, atque juxta ea, quasi collega Deo, crucem Dominicam posuerat. Filio suo regno tradito, ipse in fanum hujuscemodi residebat. Illo itaque tempore Gracchus arcem tenebat imperii, vir armis strenuus, lingua eruditus, corpore decorus, et quamvis sæculari actui deditus, totus tamen erat fide catholicus; et ergo Dei cultoribus supplex, benevolus ac devotus. Pergens igitur filius Chosroe contra Gracchum, juxta Danubium magnum fluvium consedit exercitus. Tandem inspi-
D rante clementia Salvatoris, utrisque principibus placuit ut ipsi singuli in medio ponte fluminis dimicaturi confligerent, et cui sors victoriam contulisset, ipse sine damno victorque exercitus imperium usurparet. Decretum etiam cum juramento processit ut si aliquis ex eorum populo principi suo venire in auxilium præsumpsisset, cruribus excisis et brachiis, in flumen mergeretur. Cumque utrique populo hæc pactio placuisset, invicem ut dictum est dimicantes, adeoque in pontis medio sunt congressi. Tandem pulsatus Dominus lacrymis Christianorum, per virtutem sanctæ crucis, cui se die eodem memoratus princeps attentius commendaverat, fideli suo Graccho Christus concessit de hoste triumphum; tantæ

que mentis mutatio Chosroe invasit exercitum, ut non solum prædictam pactionem nequaquam vellent transcendere, sed etiam voluntarie, cum omni sua familia atque prole Gracchio se subderent tam potestate quam fide. Quos ille benigniter suscipiens in hoc illis clementiam præstitit, ut omnes ad baptismum convolarent; quod ita se facturos esse omnes pariter spoponderunt. Ipse autem Christianissimus princeps cum suo tantum exercitu regna quæ Chosroe tenuerat circumquaque perlustrans, ad sedem ipsius venit. Cum paucis ad eum ascendit, sedentemque eum in throno aureo reperit. Nullus namque ex ejus exercitu fuerat, qui ei excidium belli aliquatenus nuntiasset, quia propter suæ crudelitatis superbiam eum omnes exosum habebant; nec immerito, quippe qui manifeste Deo erat contrarius, quomodo a creatura Dei esse potuisset amatus? Cumque tremefactus salutationis verba proferret Gracchio, ille respondit: Si vis salutem habere, pro eo quod lignum sanctæ crucis, quamvis indignus, honorifice juxta modulum tuum tractasti, si credere Domino Jesu Christo volueris, et servum te illius esse promiseris cujus ego sum famulus, in veritate confessus fueris, regnum tibi Persarum tantum cum patrimonio et vitam, acceptis a te pacis obsidibus, dabo; sin autem aliud egeris, mox meo gladio interibis. Cumque ille nequaquam acquiesceret, Gracchus extracto gladio caput illius amputavit. Tamen sepeliri eum jussit, quia rex fuerat, filium autem ejus baptizari jussit, ipseque eum de sacro fonte suscepit; erat enim decem annorum. Descriptiones etiam regni Persarum sub ejus nomine fecit, totumque argentum turris illius in prædam sui exercitus deputavit, aurum vero vel gemmas in vasis vel utensilibus ad restaurationem ecclesiarum, quas tyrannus destruxerat, reservavit. Suscipiens igitur gloriosissimum lignum crucis, quod impius asportaverat, Hierosolymam detulit; gaudentes omnes populi cum ramis palmarum, cereis et lampadibus vel diverso gloriæ apparatu, cum hymnis et canticis obviam alii pergunt, atque alii subsequuntur. Cumque imperator de monte Oliveti descendisset per eam portam quam Dominus intraverat quando ad passionem venerat, ipse regio [diademate] et ornamentis imperialibus decoratus, sedens voluisset intrare, repente lapides portæ descendentes, clauserunt se invicem, et factus est paries unus. Cumque mirarentur attoniti, nimio terrore constricti, respicientes in altum, viderunt signum sanctæ crucis in cœlo, flammeo fulgore resplendere. Angelus enim Domini aspiciens illud in manibus, stetit super portam et ait: Quando rex

A cœlorum Dominus totius mundi passionis sacramentum per hoc aditum completurus introiit, non se purpuratum, nec diademate nitentem exhibuit, aut equi potentis vehiculum requisivit, sed humilis aselli tergo insidens, cultoribus suis humilitatis exempla reliquit. Tunc imperator gaudens in Domino de visu angelico, depositisque imperii insignibus, discalceatus, protinus, lintea tantum zona præcinctus, crucem Domini manu suscipiens, perfusus facie lacrymis, ad cœlum oculum erigens properabat, ad portam usque progrediens. Mox illo humiliter propinquante, duritia lapidum cœleste persensit imperium; statimque porta se subrigens liberum intrantibus patefecit ingressum. Odorque suavissimus qui, volitante divinitus aura de Persarum provincia, per longa terrarum B spatia Hierosolymis fuerat illapsus momento eodem quo de fano Chosroe sancta crux fuerat Gracchio bajulante egressa, tunc rediit, omniumque pectora gratanter infudit. Vincebat enim aromata omnia terebinthi natura vel balsami atque myrrhæ. Confestim igitur popularis gaudii favor in alto sublatus Dei laudabat potentiam; sicque gloriosus Augustus erumpens in laudibus ait: O crux, admirabile signum, in qua Dominus noster Jesus Christus Dei Filius suspensus, pro nostrorum pondere criminum mortis damnavit [portavit?] supplicium, et sanguis ejus adorandus, thronis et angelis, niveis candoribus radiante turba virtutis, effusus est in pretio nostræ salutis! O crux splendidior astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis! quæ sola digna C fuisti portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit. Salva præsentem catervam, in tuis hodie laudibus congregatam, et tuo vexillo signatam. Hæc cum dixisset, pretiosissimam partem ligni, quam secum detulerat, loco suo restituit. Tunc renovante Domino antiqua miracula, die eodem mortuus unus recepit propriam vitam; paralytici quatuor adepti sunt sanitatem amissam; leprosi decem cutem receperunt mundam; quindecim quoque cæci luci sunt restituti; plurimi quoque a dæmonibus erepti, multique a variis sunt infirmitatibus liberati. Tunc imperator, oratione peracta, offerens multa donaria, ecclesias reparare fecit suis sumptibus, reddens privilegia auctoritate prolata, restituens captivos in propria, dans opportuna præsidia; Con- D stantinopolim rediit, fretus divina perseverantia. In sanctæ crucis signaculo, miraculorum plurima incrementa, donante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, cum Patre et Spiritu Sancto omnipotente, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

humanum defuncto charissimo: melius tamen condolet, et sanatur cor humanum, quam non dolendo sit inhumanum. Maria Domino cohærebat, et mortuum fratrem dolebat: sed quid miraris quia Maria dolebat tunc, cum ipse etiam Dominus flebat. Movere autem quemvis potest quomodo flebat mortuum, si continuo jubet victurum: non mortuum flebat, quem ipse suscitavit, sed mortem quam sibi homo peccando comparavit: si enim peccatum non præcessisset, sine dubio mors secuta non fuisset. Secuta est ergo mors etiam corporis, quam præcessit mors animæ. Mors animæ præcessit differendo, et mors corporis secuta est, deserente anima: deseruit volens, et coacta est nolens deserere. Tanquam illi diceretur: Recessisti ab eo quem diligere debuisti, recede ab eo quem dilexisti. Quis enim vult mori? Prorsus nemo, et ita nemo, ut beato Petro diceretur: *Alter te cinget, et feret quo tu non vis.* Si ergo nulla esset mortis amaritudo, non esset magna martyrum fortitudo. Ita et Apostolus: *De dormientibus*, inquit, *nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et gentes, quæ spem non habent;* non tantum ait, *ut non contristemini*, sed ut non sic contristemini, quemadmodum *gentes, quæ spem non habent.* Necesse est enim ut contristemini, sed ubi contristaris? Ubi corpus quod vivit ex anima fit exanime, discedente anima; qui ambulabat, jacet; loquebatur, tacet; oculi lucem non capiunt, aures nulla voce patescunt, omnia membrorum officia conquieverunt. Non est qui moveat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nonne ista est domus, quam nescio quis invisibilis habitator ornabat? Discessit qui non videtur, remansit quod cum dolore videbatur: ista est causa tristitiæ. Si hæc est causa tristitiæ, hujus tristitiæ quæ consolatio? Quia ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba, descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent primi; deinde nos viventes, qui reliqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus, obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus. Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio; detergatur luctus ex animo; fides expellat dolorem: in tanta spe, non decet esse triste templum Dei: ibi habitat bonus consolator, ibi qui non fallit promissor. Scio ut mortuum diu plangamus, quoniam mors amara est. Per illam transivit et Dominus. Sufficiant hæc pauca charitati vestræ. Consoletur abundantius, qui non migrat de corde vestro, sed ita dignatur habitare, ut nos dignetur etiam in fine invitare. Amen.

HOMILIA LXX.

REVERSIO SANCTÆ ATQUE GLORIOSISSIMÆ CRUCIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Tempore illo postquam, Constantino Augusto contra Maxentium tyrannum properante ad bellum, signum sanctæ crucis cœlitus fuisset ostensum, et ipso feliciter obtinente triumphum, ab Helena jam dicti principis matre sancta crux fuisset inventa, atque per sanitatem ægroti et resuscitationem mortui fuisset evidenter indicio virtutis declarata, regina, voti compos effecta, ita salutare lignum fecit secare per medium, ut et crucem Constantinopoli deferret ad filium, et crucem Hierosolymis thecis argenteis conditam reservaret; in loco (*sic*) usa sapiente consilio, scilicet ut ubi fuerat membris Dominicis aptata supplicio, ibidem glorifica veneraretur a populo. Multorum itaque temporum labente curriculo, cum, exigente mole peccatorum hominum, flagellari permitteret Dominus populum Christianum per sævitiam paganorum, Chosroe quidam profanus et impius regnum est adeptus Persarum, qui in tantam prorumpere est ausus proterviam, ut ab incolis vicinarum gentium, quos impetu vastans barbarico suo nefando subjugaret dominio, coli se juberet ut Deum, ut vocaret se regem regum, et dominum dominantium. Nec hoc solum ei abundavit ad suæ damnationis interitum, verum etiam Syriam et Palæstinam cum subjugasset et Ægyptum, regna quæ extra et infra limitanea glomerabantur per circulum suo crudelissimo subjugaret dominatui. Hierosolymam advenit, ac ecclesias Christi subvertit, totamque finitimam regionem vastavit, incendit atque prædavit. Ad sepulcrum ergo Domini cum voluisset accedere, territus rediit; sed tamen ligni salutaris partem, quam religiosa regina ibi in testimonium virtutis reliquerat, asportavit. Fecerat namque sibi turrem argenteam, in qua interlucentibus gemmis thronum exstruxerat aureum, ubi solis quadrigam et lunam vel stellarum imagines collocaverat, atque per occultas fistulas aquæ meatus adduxerat, et quasi deus pluviam desuper videretur infundi, et dum subterraneo specu equis in circuitu trahentibus, circummota turris fabrica movere videbatur, quasi quodammodo rugitum tonitrui juxta possibilitatem artificis mentiebatur. In hoc itaque loco sedem sibi paraverat, atque juxta ea, quasi collega Deo, crucem Dominicam posuerat. Filio suo regno tradito, ipse in fanum hujuscemodi residebat. Illo itaque tempore Gracchus arcem tenebat imperii, vir armis strenuus, lingua eruditus, corpore decorus, et quamvis sæculari actui deditus, totus tamen erat fide catholicus; et ergo Dei cultoribus supplex, benevolus ac devotus. Pergens igitur filius Chosroe contra Gracchum, juxta Danubium magnum fluvium consedit exercitus. Tandem inspirante clementia Salvatoris, utrisque principibus placuit ut ipsi singuli in medio ponte fluminis dimicaturi confligerent, et cui sors victoriam contulisset, ipse sine damno victorque exercitus imperium usurparet. Decretum etiam cum juramento processit, ut si aliquis ex eorum populo principi suo venire in auxilium præsumpsisset, cruribus excisis et brachiis, in flumen mergeretur. Cumque utrique populo hæc pactio placuisset, invicem ut dictum est dimicantes, adeoque in pontis medio sunt congressi. Tandem pulsatus Dominus lacrymis Christianorum, per virtutem sanctæ crucis, cui se die eodem memoratus princeps attentius commendaverat, fideli suo Graccho Christus concessit de hoste triumphum; tantæ

que mentis mutatio Chosroe invasit exercitum, ut A non solum prædictam pactionem nequaquam vellent transcendere, sed etiam voluntarie, cum omni sua familia atque prole Graccho se subderent tam potestate, quam fide. Quos ille benigniter suscipiens in hoc illis clementiam præstitit, ut omnes ad baptismum convolarent; quod ita se facturos esse omnes pariter spoponderunt. Ipse autem Christianissimus princeps cum suo tantum exercitu regna quæ Chosroe tenuerat circumquaque perlustrans, ad sedem ipsius venit. Cum paucis ad eum ascendit, sedentemque eum in throno aureo reperit. Nullus namque ex ejus exercitu fuerat, qui ei excidium belli aliquatenus nuntiasset, quia propter suæ crudelitatis superbiam eum omnes exosum habebant; nec immerito, quippe qui manifeste Deo erat contrarius; quomodo a creatura Dei esse potuisset amatus? Cumque tremefactus salutationis verba proferret Graccho, ille respondit: Si vis salutem habere, pro eo quod lignum sanctæ crucis, quamvis indignus, honorifice juxta modulum tuum tractasti, si credere Domino Jesu Christo volueris, et servum te illius esse promiseris cujus ego sum famulus, in veritate confessus fueris, regnum tibi Persarum tantum cum patrimonio et vitam, acceptis a te pacis obsidibus, dabo; sin autem aliud egeris, mox meo gladio interibis. Cumque ille nequaquam acquiesceret, Gracchus extracto gladio caput illius amputavit. Tamen sepeliri eum jussit, quia rex fuerat, filium autem ejus baptizari jussit, ipseque eum de sacro fonte suscepit; erat enim decem annorum. Descriptiones etiam regni Persarum sub ejus nomine fecit, totumque argentum turris illius in prædam sui exercitus deputavit, aurum vero vel gemmas in vasis vel utensilibus ad restaurationem ecclesiarum, quas tyrannus destruxerat, reservavit. Suscipiens igitur gloriosissimum lignum crucis, quod impius asportaverat, Hierosolymam detulit; gaudentes omnes populi cum ramis palmarum, cereis et lampadibus vel diverso gloriæ apparatu, cum hymnis et canticis obviam alii pergunt, atque alii subsequuntur. Cumque imperator de monte Oliveti descendisset per eam portam quam Dominus intraverat quando ad passionem venerat, ipse regio [diademate] et ornamentis imperialibus decoratus, sedens voluisset intrare, repente lapides D portæ descendentes, clauserunt se invicem, et factus est paries unus. Cumque mirarentur attoniti, nimio terrore constricti, respicientes in altum, viderunt signum sanctæ crucis in cœlo, flammeo fulgore resplendere. Angelus enim Domini aspiciens illud in manibus, stetit super portam et ait: Quando rex cœlorum Dominus totius mundi passionis sacramentum per hoc aditum completurus introiit, non se purpuratum, nec diademate nitentem exhibuit, aut equi potentis vehiculum requisivit, sed humilis aselli tergo insidens, cultoribus suis humilitatis exempla reliquit. Tunc imperator gaudens in Domino de visu angelico, depositisque imperii insignibus, discalceatus, protinus, lintea tantum zona præcinctus, crucem Domini manu suscipiens, perfusus facie lacrymis, ad cœlum oculum erigens properabat, ad portam usque progrediens. Mox illo humiliter propinquante, duritia lapidum cœleste persensit imperium; statimque porta se subrigens liberum intrantibus patefecit ingressum. Odorque suavissimus qui, volitante divinitus aura de Persarum provincia, per longa terrarum B spatia Hierosolymis fuerat illapsus momento eodem quo de fano Chosroe sancta crux fuerat Graecho bajulante egressa, tunc rediit, omniumque pectora gratanter infudit. Vincebat enim aromata omnia terebinthi natura vel balsami atque myrrhæ. Confestim igitur popularis gaudii favor in alto sublatus Dei laudabat potentiam; sicque gloriosus Augustus erumpens in laudibus ait: O crux, admirabile signum, in qua Dominus noster Jesus Christus Dei Filius suspensus, pro nostrorum pondere criminum mortis damnavit [portavit?] supplicium, et sanguis ejus adorandus, thronis et angelis, niveis candoribus radiante turba virtutis, effusus est in pretio nostræ salutis! O crux splendidior astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis! quæ sola digna C fuisti portare talentum mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit. Salva præsentem catervam, in tuis hodie laudibus congregatam, et tuo vexillo signatam. Hæc cum dixisset, pretiosissimam partem ligni, quam secum detulerat, loco suo restituit. Tunc renovante Domino antiqua miracula, die eodem mortuus unus recepit propriam vitam; paralytici quatuor adepti sunt sanitatem amissam; leprosi decem cutem receperunt mundam; quindecim quoque cæci luci sunt restituti; plurimi quoque a dæmonibus erepti, multique a variis sunt infirmitatibus liberati. Tunc imperator, oratione peracta, offerens multa donaria, ecclesias reparare fecit suis sumptibus, reddens privilegia auctoritate prolata, restituens captivos in propria, dans opportuna præsidia; Constantinopolim rediit, fretus divina perseverantia. In sanctæ crucis signaculo, miraculorum plurima incrementa, donante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, cum Patre et Spiritu Sancto omnipotente, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

II.

HOMILIÆ IN EVANGELIA ET EPISTOLAS.

PRÆFATIO.

AD LOTHARIUM AUGUSTUM.

Amantissimo imperatori LOTHARIO Augusto salus, victoria et vita perpetua.

Cognoscat almitas vestra, mi domine, quod sicut primam partem homiliarum in lectiones evangelicas atque apostolicas mihi scribere jussistis, quam etiam a Natali Domini incipiens, usque in vigilias Paschæ perduxi, et vobis peractam transmisi, ita a Pascha usque ad quintam decimam Dominicam post Pentecosten, secundam partem pertraxi, ut haberetis quod in præsentia vestra tempore veris et æstatis, si vobis ita placeret, horis competentibus legeretur. Tertiam vero partem a termino supra notato usque ad finem anni perducere, si Deus ita voluerit, cogito atque decerno, et vobis eam similiter, cum perfecta fuerit, transmittere dispono, ubi etiam prope terminum ipsius operis de sanctorum festivitatibus, nec non et de aliis celebritatibus, quæ de diversis causis observandæ a patribus statutæ sunt, sermones conscripti teneantur. Ad extremum vero lectiones quæ in defunctorum vigiliis leguntur juxta quod postulastis positæ sunt. Fiat Domini voluntas ut tam ad vestram quam ad vestrorum utilitatem proficuum sit. Ego enim, quantum potui, feci; vos autem quod mihi impossibilitas denegavit per vestram sanam prudentiam et bonum studium adimpleri non dubito. Confido ergo quod sic mihi consolatio non minima conferatur, et vobis pro perfecto opere æterna merces a bonorum omnium largitore in cœlis præparetur.

HOMILIA PRIMA.

IN VIGILIA PASCHÆ SABBATO SANCTO

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Colossenses.

Fratres, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, etc.

Domini nostri Jesu Christi honorabilem solemnitatem sua favente clementia, fratres charissimi, fideliter veneremur, pietatemque ejus ineffabilem admiremur, qui non solum nostræ redemptionis causa humanam carnem suscepit, verum etiam diversa pœnarum genera pro nostra salute subire dignatus est, ut licet post multum inertiæ et pigritiæ nostræ somnum non inviti, sed voluntarii, sanctæ et Christianæ religionis dulcedine provocante, in sanctissimæ solemnitatis conventu expergefacti, libenter et devote cum omni sollicitudine resurgamus, secundum illud quod Apostolus ait in præsenti lectione: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite,*
A *ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Ac si dicatur nos qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditi sumus, trina subversione baptizati per invocationem ejusdem sanctæ Trinitatis ad eamdem renovamur imaginem, et qui trino peccato maxime decidimus in mortem, id est, in cogitatione iniqua, in delectatione carnis cum consensu operum malorum, tertio elevati de fonte, remissione omnium peccatorum percepta per Christi gratiam, sicut ipse tertia die resurrexit, nos resurgamus ad vitam. Nos vero si consurgere cupimus cum Christo, prius moriamur mundo et concupiscentiis carnalibus, et deponamus veterem hominem, id est, malam voluntatem, vel usum pravum et delectationes pessimas; induamus nos benignitate ut proximis nostris cum omni devotione bona
B faciamus, et post Dei dilectionem nihil amori proximi præponamus, sed ut nosipsos illos diligamus. Sequitur: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*, tantum ea quæ cœlestia sunt, non quæ terrestria, quærentes. Terræ mori, vivere autem Domino, cœlestem sectari sapientiam, non terrenam; nam subditur:

Mortui enim estis et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, quia filii Dei sumus. Unde sequitur: *Cum* enim *Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*. Nondum enim apparet quid et quales futuri sumus ad judicium; cum enim Christus ad judicandos vivos et mortuos apparuerit, tunc et nos simul cum ipso apparebimus, in gloria
C resurrecturi. Nobis enim et pro nobis Christus nascitur, patitur et resurrexit, ut nos in vita per ipsum renascamur in tribulationibus, et cum eo in virtutibus resurgamus. Omnia enim per ipsum in hac nocte restaurata sunt: in hac quippe nocte quasi primitiæ ipse resurrexit, ut nos omnes postea resurgamus; in hac ergo nocte captivitas nostra solvitur, vita in Adam amissa restauratur, in hac nocte protoplastus Adam a peregrinatione redit ad patriam paradisi; in hac enim nocte Dominicæ resurrectionis paradisus omnibus patet, nulli clauditur nisi a seipso, nulli aperitur nisi a Christo; et ideo cum omni sollicitudine caveamus ne propter opera diaboli, quæ pertrahunt ad interitum, apertum nobis iter regni cœlestis nos ipsi claudamus, sed potius per opera
D justitiæ et misericordiæ planum nobis iter faciamus ad regnum cœlorum. Ergo humilitate nostra humilitatem pro nobis Domini nostri in memoriam revocemus, humiliter in ista vigilemus, humiliter ad eum oremus qui nobis gloria sui nominis illuminavit hanc noctem, cui dicimus: *Deus meus, illumina te-*

nebras nostras, illumque rogemus ut præbeat lucem cordibus nostris, ut quemadmodum gaudentibus oculis istum splendorem luminum cernimus, ita hujus noctis præclaram gloriam illuminata mente videamus ipsumque precemur ut exaudiat nos vigilantes in solemnitate sua qui dormivit pro salute nostra. Vigilemus ergo et oremus forinsecus, et intrinsecus hanc vigiliam celebremus. Deus nobis loquitur in lectionibus suis, Domino loquamur in precibus nostris. Si eloquia ejus obedienter audiamus, in nobis habitat quem rogemus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

ITEM IN SABBATO SANCTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, vespere sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum, etc.

Quærendum est nobis cur noctem Dominicæ resurrectionis evangelista describens ait : *Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati*, cum consuetus ordo temporum habeat vesperam magis tenebrescere in noctem quam in diem lucescere. Sed mystice loquens evangelista quantum dignitatis hæc sacratissima nox de gloria evictæ mortis acceperit, insinuare studuit dum ejus exordium quo devotæ Christo feminæ in obsequium illius vigilare cœperint, insequentem jam diem lucescere perhibuit. Nam Dominus auctor et ordinator temporum, qui in ultima noctis hujus parte surrexit, totam eam nimirum resurrectionis lucem festivam reddidit et coruscam : siquidem ab exordio mundanæ creationis usque huc ita temporum cursus distinguebatur ut dies noctem præcederet juxta ordinem videlicet primæ conditionis, hac autem nocte per mysterium resurrectionis Domini temporum ordo mutatus est. Nam quia nocte resurrexit a mortuis, die vero sequente ejusdem resurrectionis effectum discipulis ostendit, ac participato cum eis convivio veritatem virtutis suæ mirantibus simul et gaudentibus astruxit, rectissime nox illa sequentis diei conjuncta est luci, ac sic temporum ordo statutus ut dies noctem sequatur. Et quidem aptissime quondam diem sequebatur nox, quia homo a luce paradisi peccando lapsus, in hujus sæculi tenebras ærumnasque decidit. Aptissime nunc dies sequitur noctem quando per fidem resurrectionis a peccati tenebris et umbra mortis ad lucem vitæ Christo largiente reducimur. Quapropter necesse est, fratres benigni, ut quia noctem hanc præcipuam gratia Dominicæ resurrectionis illustratam cognovimus, ipsi quoque curemus sollicite ut nequaquam ejus particula nostro in corde tenebrescat, sed tota lucescat in diem. Et nunc videlicet nobis vigilias digna devotione laudis agentibus, completis quoque vigiliis, sobria ac pura conscientia Dominici diei paschalia festa celebremus.

Venit, inquit, *Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum*. Duæ unius nominis ejusdemque amoris ac devotionis feminæ, quæ Dominicum venerunt invisere sepulcrum, duas fidelium plebes Judaicam scilicet et gentilem designant, quæ uno atque indissimili studio passionem resurrectionemque sui Redemptoris quacunque ejus Ecclesia per orbem diffusa est celebrare desiderant. Quod autem terræ motus resurgente Domino de sepulcro, sicut etiam moriente in cruce factus est magnus, significat terrena prius corda et cœlesti spe dejecta per fidem passionis ac resurrectionis ejus concutienda ad pœnitentiam ac saluberrima pavore permota ad vitam sublimandam perpetuam. Quod angelus advenit, obsequium suæ servitutis quod Domino debuit exsolvit; quia enim Christus Deus et homo est, interdicta humanitatis ejus semper angelorum ministeria Deo debita non desunt, sicut inquisita sancti Evangelii copiosissime probat historia. Revolvit autem lapidem, non ut egressuro Domino januam pandat, sed egressus ejus jam facti hominibus præstet indicium. Qui enim mortalis adhuc clauso virginis utero potuit nascendo mundum ingredi ipse absque ulla dubietate jam factus immortalis clauso licet sepulcro potuit resurgendo exire de mundo. Nec prætereundum quare testis Dominicæ resurrectionis angelus sedens apparuerit, cum is qui nativitatis ejus mundo gaudium evangelizabat, juxta pastores stetisse legatur : stare quippe pugnantis est, sedere regnantis. Et recte stans apparuit angelus qui adventum Domini in mundo prædicabat, ut etiam stando signaret quia is quem prædicabat ad debellandum mundi principem veniret. Recte præco resurrectionis ejus sedisse memoratur, ut etiam sedendo figuraret, superato mortis auctore, sedem regni jam conscendisse perpetui, de qua ipse Paulo post discipulis apparens, ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Et evangelista Marcus : *Et Dominus quidem*, inquit, *Jesus, postquam locutus est eis assumptus est in cœlum et sedet a dextris Domini.* Sedebat autem super lapidem revolutum quo ostium monumenti claudebatur, ut claustra inferorum sua illum virtute dejecisse ac superasse doceret, quatenus omnes quos ibi suos invenisset, ad paradisi lucem requiemque sublevaret, juxta illud propheticum : *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non est aqua.*

Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix : ut ipso quoque habitu ac vultu significaret, quia is cujus gloriam resurrectionis nuntiabat, et terribilis ad damnandum reprobos, et benignus esset ac blandus ad consolandum electos. In fulgure enim terror timoris, in nive autem blandimentum candoris exprimitur; in cujus indicium divinæ discretionis ipse quoque angelus apparet, et custodes sepulcri impios timore perterret, ac mortuorum instar terræ prosternit, et visitatrices ejusdem sepulcri piissimas benigna consolatione refovet ac ne paveant confortat. Insuper etiam familiari affatu prior ipse, quia sciret Jesum quærere, dicit; et quia jam surrexit addit, mox etiam ipsas honorifice ac lætissimo subditas ministerio gaudium resurrectio-

nis ejus evangelizare præcepit. Et quam felices feminæ quæ angelico doctæ oraculo triumphum resurrectionis mundo annuntiare meruerunt, ac mortuis quod Eva serpentino seducta afflatu contraxit imperium prædicare dirutum! Quanto feliciores animæ virorum pariter et feminarum, quotquot in die judicii percussis pavore ac digna ultione reprobis, ipsæ cœlesti gratia adjutæ triumphare de morte et gaudium beatæ resurrectionis intrare meruerint! Currentibus autem eis evangelizare discipulis occurrit Jesus easque salutat, ostendens se omnibus iter virtutum inchoantibus, ut ad salutem perpetuam pervenire queant, adjuvando occurrere.

Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus. Videamus, fratres, in Domino resurgente a mortuis veritatem nostræ carnis, videamus gloriam novæ incorruptionis. Superius quippe lectum est quia clauso surrexit monumento; nunc autem legitur quod mulieres tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum. Surrexit enim clauso ostio monumenti et exiit, ut immortale jam factum doceret esse corpus, quod in monumento clausum fuerat mortuum. Tenendas mulieribus præbuit plantas, ut veram se habere carnem quæ mortalibus tangi posset intimaret.

Ite, inquit, *nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* O mira pietas Salvatoris, mira benignitas! Quos ante passionem discipulos et aliquando etiam servos vocare consueverat, hos post resurrectionem fratres appellat, ut et ejusdem se humanitatis quam et habuerat habitum resurgendo resumpsisse monstraret, et illos quoque ad promerendam spectandamque in sua carne coronam immortalitatis, qua ipse jam præeminebat, erigeret. Sane quod se in Galilæa videndum a discipulis prædixit, et sicut sequentia sancti Evangelii declarant, exhibuit, etiam in hoc mystice et virtutem suæ resurrectionis et nostræ profectum vitæ spiritalis insinuat. Galilæa quippe *transmigratio facta* interpretatur; et bene in Galilæa videtur a discipulis qui jam de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de pœna transmigraverat ad gloriam, ut victoriam resurrectionis non solum ostensione corporis et exhortatione sermonis, sed nomine quoque loci in quo appareret, et loqueretur eis commendaret. Sed et nosipsi gaudio resurrectionis ejus ita solum tunc frui valemus, si nunc de corruptela vitiorum ad virtutum opera transmigrare satagimus. Unde curandum summopere, fratres mei, ut quia resurrectionis Domini et Salvatoris nostri tempus agnovimus quia ejus solemnia celebramus continuis bonorum operum profectibus, ad contemplandam ejus celsitudinem transmigremus. Quia nostræ resurrectionis tempus ignoramus, quod tamen futurum nullo modo ambigimus, et omni quidem et in hac præcipue nocte pro ejus exspectatione vigilias agamus, obsecremus misericordiam illius qui susceptam pro nobis humiliter mortem mox sublimiter superavit, ut nostræ nos tempore resurrectionis de morte ad vitam transmigrare concedat. Ro-

A gemus eum qui *Pascha nostrum immolatus est Christus,* ut inchoata paschalis gaudii solemnia nos digne peragere et per hæc contingere ad gaudia faciat sempiterna, præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

IN DIE SANCTÆ PASCHÆ.

Lectio Epistolæ Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

Resurrectio Domini nostri Jesu Christi, fratres charissimi, fidem nostram roborat cum facta creditur, memoriamque ejus renovat cum solemniter
B celebratur. Denique cum ante annos plurimos Christus resurrexerit, non absurde dicimus quando anniversario reditu ista solemnitas præsentatur. Hodie Dominus resurrexit. Quod ergo annis omnibus iteratur cum omni devotione agere debemus, et quod semel factum est, fide necesse est ut teneamus. Illud factum est ut redimeremur, hoc institutum est ne oblivisceremur. Nam qui istum diem digne cupit celebrare, meminere debet quod apostolus Paulus ait in præsenti lectione: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* Excludendum ergo omne fermentum peccati de cordibus nostris est ut pura mente et recta conscientia tanquam panes azymi efficiamur, ut recte Pascha Domini celebrare possimus. Verum si fermentum peccati et
C malitiæ in corde tenemus, non meremur Pascha Domini celebrare, et ideo Apostolus ait: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut azymi estis.* Azymi sumus, si alieni sumus ab omni conscriptione peccati. *Modicum* enim *fermentum,* ut Apostolus ait, *totam massam corrumpit;* et ideo expurgare et abjicere debemus a nobis omne fermentum peccati ut frui tantæ Paschæ solemnitatis mereamur. Quia participes ergo nos facere sanctæ Paschæ Dominus voluit, oremus ut sacramenta ejus digne sumamus, ut jure benedictionem Domini consequi mereamur. Hæc est, charissimi, dies Dominicæ resurrectionis et nostræ initium redemptionis. Hæc est, inquam, dies quam fecit Dominus. Exsultemus in ea, hanc omnes voce consona, læto spiritu,
D corde contrito celebremus, et agamus spiritalem in psalmis et hymnis lætitiam in memoriam passionis et resurrectionis Christi in spe futuræ vitæ. Ecce ista die, quando audivimus Alleluia, quodammodo lætatur spiritus noster, et jucunditate totus perfunditur: Alleluia namque *laus in excelsis Domino* dicitur. Quia nobis convenit ut devota mente omni tempore, die tamen isto præcipue laudem in excelsis Domino decantemus, id est, non solum ore, sed etiam opere perfecte Dominum nostrum voce et corde in laudibus exsultare studeamus, ut nos in cœlesti vita per illum exsultare mereantur, qui cum Deo et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

ITEM IN DIE SANCTÆ PASCHÆ.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Maria Magdalene et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum

Audistis, fratres charissimi, quod sanctæ mulieres quæ Dominum fuerant secutæ cum aromatibus, ad monumentum venerunt, et eum quem viventem dilexerant ei jam mortuo humanitatis obsequuntur. Sed res gesta aliquid in sancta Ecclesia signat gerendum; sic quippe necesse est ut audiamus quæ facta sunt, quatenus cogitemus etiam quæ nobis sunt ex eorum imitatione facienda; et nos ergo in eo qui est mortuus credentes, si odore virtutum referti cum opinione bonorum operum Dominum quærimus, ad monumentum profecto illius cum aromatibus venimus. Illæ autem mulieres angelos vident quæ cum aromatibus venerunt; quia videlicet illæ mentes supernos cives aspiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Dominum per sancta desideria proficiscuntur. Notandum vero nobis est, quidnam sit quod in dextris sedere angelus cernitur. Quid namque per sinistram nisi vita præsens? Quid vero per dextram nisi perpetua vita signatur? Unde scriptum est: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Quia igitur Redemptor noster jam præsentis vitæ corruptionem transierat, qui nuntiare perennem ejus vitam venerat, in dextra sedebat; qui stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit; candor etenim vestis splendorem nostræ denuntiat solemnitatis. Nostræ dicamus, an suæ? Sed ut fateamur verius, et suæ dicamus et nostræ. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio, et nostra festivitas fuit; quia nos ad immortalitatem reduxit, et angelorum festivitas exstitit, quia nos revocando ad cœlestia eorum numerum implevit. In sua ergo ac nostra festivitate angelus in albis vestibus apparuit, quia dum nos per resurrectionem Dominicam ad superna reducimus, cœlestis patriæ damna reparantur. Sed quid venientes feminas affatur audiamus.

Nolite expavescere. Ac si aperte dicat: Paveant illi qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis qui vestros concives videtis? Unde et Matthæus angelum apparuisse describens, ait:

Erat aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus candida sicut nix. In fulgure etenim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus, et terribilis est peccatoribus et blandus justis, recte testis resurrectionis ejus angelus et in fulgure vultus et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et terreret reprobos et mulceret pios. Unde recte quoque populum per desertum gradientem columna ignis in nocte et columna nubis præibat in die. In igne A etenim terror est, in nube autem visionis lene blandimentum. Dies vero justi, et nox accipitur vita peccatoris; unde et conversis peccatoribus Paulus dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. In die ergo per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem, qui omnipotens Deus et blandus justis et terribilis apparebit injustis: istos in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet, illos vero per justitiæ districtionem terret. Sed jam quid angelus subjungat audiamus.

Jesum quæritis Nazarenum. Jesus Latino eloquio salutaris, id est *Salvator* interpretatur. At vero multi tunc Jesus dici poterant, non tamen substantialiter sed nuncupative; ideo et locus subjungitur, ut de quo Jesu dictum sit manifestetur, *Nazarenum*. Et B causam protinus subdit, *crucifixum*; atque addidit:

Surrexit non est hic. Non est hic dicitur per præsentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per præsentiam majestatis.

Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedet vos in Galilæam. Quærendum nobis est cur nominatis discipulis Petrus designetur ex nomine? Sed si hunc angelus nominatim non exprimeret, qui magistrum negaverat venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine ne desperaret ex negatione. Qua in re considerandum nobis est cur omnipotens Deus eum quem cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere et seipsum negare permiserit. Quod nimirum magnæ actum pietatis C dispensatione cognoscimus; ut is qui futurus erat pastor Ecclesiæ in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, et tunc præposuit cæteris, ut ex sua infirmitate cognosceret quam misericorditer aliena infirma toleraret. Bene autem de Redemptore nostro dicitur:

Præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Galilæam namque transmigratio facta interpretatur; jam quippe Redemptor noster a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam, a pœna ad gloriam, a corruptione ad incorruptionem transmigrarat, et prius post resurrectionem in Galilæa a discipulis videtur, quia resurrectionis ejus gloriam post læti videbimus, si modo a vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulcro D nuntiatur, in transmigratione ostenditur, quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratione mentis videtur. Transmigremus ad virtutes a vitiis, ut Redemptorem nostrum in Galilæa videre mereamur. Adjuvet omnipotens Deus ad vitam desiderium nostrum, qui pro nobis in morte dedit unicum filium suum per eumdem Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

FERIA II.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis stans Petrus in medio plebis dixit:

Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth, etc.

Breviter omnia quæ in Symbolo continentur complexus est apostolus Petrus in lectione præsenti quam audistis, fratres charissimi, quod Jesus sit Christus, quod omnium sit Dominus. *Stans* enim *in medio plebis dixit : Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens enim a Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum a Nazareth.* Totum hic pariter demonstratur, quod mundum Deo reconciliare missus sit Christus, quod Joannis voce est præco natus, quod Spiritu sancto perunctus, quod Deo inhabitante per miracula declaratus, quod crucifixus et a mortuis suscitatus suisque manifestatus, quod judex sit omnium in fine venturus, quodque etiam per Ecclesiam suam per fidem totum sit orbem illuminaturus. Deinde subjungitur :

Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute. Unctus est ergo Jesus non oleo visibili, sed dono gratiæ spiritalis, quæ omnia pleniter continebat; quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesiæ, dum per impositionem manus episcopi Spiritus septiformis invocatur; in qua similitudine super eum baptizatum Spiritus sanctus in specie columbæ descendit. Tunc Ecclesiam suam præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt Spiritum sanctum; tunc enim intelligendus est unctus cum *Verbum caro factum est :* id est, quod humana natura sine ullis præcedentibus bonorum operum meritis Deo verbo est in utero virginis copulata, ut pariter divina et humana natura una esset persona, et ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto et Maria Virgine. *Qui pertransivit bene faciendo ac sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Id est, Pater cum Filio semper manere, melius est intelligere quam divinitatem Filii cum homine, quem assumpsit, cohabitantem significare, ne Christi personam geminaret et in errorem maximum incideret. Sequitur :

Et nos testes sumus omnium quæ fecit, in regione Judæorum et Jerusalem. Recte autem testes se esse testantur, qui per universum mundum missi sunt Evangelium, prædicare ut in psalmo legimus : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Deus Pater duas in Christo operatur naturas : per unam quæ ei communis est cum Deo Patre, ex eo quod Deus est; per alteram qua ex Maria Virgine homo factus est. Per has duas naturas in uno Filio Dei Deus Pater duas facit resurrectiones humani generis, id est, animarum et corporum. Habent enim et animæ mortem suam in impietate atque peccatis, secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos;* ut scilicet in anima mortui in corpore mortuos sepelirent. Mors est videlicet animæ quando Deus deserit eam ob peccatorum magnitudinem; corporis est mors quando ab anima deseritur. Ab his duobus mortis generibus resuscitatorum duas dicimus resurrectiones. Nunc autem animarum in Ecclesia per Filium Dei, Verbum Dei, fit resurrectio, quando per gratiam Dei vivificatæ resurgent a morte iniquitatis; et hæc est prima resurrectio, quam qui habent, in secunda, quæ est corporum, feliciter resurgent in vitam æternam. Resurgent et impii unusquisque cum sua carne, ut cum diabolo et angelis ejus puniantur. Hoc certissime sciendum est, quod nemo nisi per indebitam misericordiam Dei liberabitur, et nemo nisi per debitum judicium damnabitur. Tunc sancti sciunt plenius, quid boni ejus contulerit gratia, vel quid essent consecuti si divina eos gratuito munere non elegisset. Tunc erit ipse Deus sanctorum satietas, beatorum jucunditas, et omnia quæcunque ab eis honeste desiderari possunt, et vita, salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, æterna beatitudo, et beata æternitas, cui sit honor et gloria nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

ITEM FERIA II.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, duo ex discipulis ibant in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem nomine Emmaus, et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderunt, etc.

In quotidiana vobis solemnitate laborantibus, fratres charissimi, pauca loquenda sunt, et fortasse hæc utilius proderunt, quia sæpe et alimenta quæ minus sufficiunt, avidius sumuntur. Lectionis ergo evangelicæ summatim sensum statui non per singula verba discurrere, ne dilectionem vestram valeat sermo prolixior expositionis onerare. Ecce audistis, fratres charissimi, quia duobus discipulis ambulantibus, in via, non quidem credentibus, sed tamen de se loquentibus Dominus apparuit, sed eis speciem quam recognoscerent non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus et amabant et dubitabant, eis autem Dominus foris et præsens aderat, et quid esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam suam exhibuit, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit. Verba quidem contulit, duritiam intellectus increpavit, Scripturæ sacra mysteria quæ de seipso erant aperuit, et tamen qui adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit; fingere namque componere dicimus, unde et compositores luti *figulos* vocamus. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant sibi, qui eum etsi necdum ut Dominum diligerent, saltem ut peregrinum amare potuissent. Sed qui esse extranei a charitate non poterant, hi cum quibus veritas gradiebatur eum ad hospitium quasi peregrinum vocant. Cur autem dicimus *vocant*, cum illic scri-

ptum sit, et *coegerunt eum*. Ex quo nimirum exemplo colligitur qui [*Forte*, quia] peregrini ad hospitium, non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. Mensam ponunt, cibos offerunt, et quem in Scripturæ sacræ expositione non cognoverant, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergo præcepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt, quia scriptum est : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea quæ jam intelligere potuit opere implere. Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur, et dignatus est cognosci dum pascitur. Hospitalitatem ergo, charissimi fratres, diligite, charitatis opera amate, hinc enim per Paulum dicitur : *Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci*. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Hinc Petrus ait : *Hospitales invicem sine murmurationibus*. Ipsa Veritas dicit : *Hospes fui, et suscepistis me*. Opinata res est valde et seniorum nostrorum nobis relatione tradita. Quidam pater familias cum tota domo sua magno hospitalitatis studio serviebat; cumque quotidie ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios venit, ad mensam ductus est. Dumque paterfamilias ex humilitatis consuetudine aquam vellet in ejus manibus fundere, conversus urceum accepit, sed repente eum in cujus manibus aquam fundere voluerat non invenit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit : Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. Ecce in judicium veniens dicit : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Ecce ante judicium cum per membra suscipitur sua, susceptores suos etiam per semetipsum requirit, et tamen nos ad hospitalitatis gratiam pigri sumus. Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit; ad mensas vestras Christum suscipite, ut vos ab eo suscipi ad convivia æterna valeatis; præbete modo peregrino Christo hospitium, ut vos in judicio non quasi peregrinos nesciat, sed ut proprios recipiat ad regnum. Ipse Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula. Amen.

HOMILIA VII.

FERIA III.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, surgens Paulus, et manu silentium indicens ait : Viri fratres, filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, etc.

Omnes quibus ista loquebatur apostolus, secundum carnem filii Abrahæ erant, sicut et ipsi de seipsis alio in loco dixerunt : *Semen Abrahæ sumus et nulli servivimus unquam;* et iterum : *Pater noster Abraham est*. Et *dixit illis : Scio quod filii Abrahæ estis*. Imitatione enim non filii Abrahæ erant illi quibus Dominus loquebatur : *Vos ex patre diabolo estis*. Unde ergo Judæi filii diaboli? Non nascendo, sed imitando. *Vos*, inquit Dominus, *ex patre diabolo* A *estis, et desideria patris vestri facere vultis*. Ecce unde filii diaboli. Quæ sunt illius desideria? *Ille homicida erat ab initio, et vos quæritis me occidere*. Ecce quomodo imitatione filii diaboli : nam et filii erant Abrahæ propter originem carnis quibus ista apostolus loquebatur, et filii imitationis propter castitatem timoris quibus specialiter dicebat : *Et qui in vobis timent Deum verbum salutis hujus missum est*. Illud utique de quo Isaias ait : *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel*, id est, misit Deus Filium suum, de quo Joannes ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Ad Jacob, id est, ad Judæos. Et venit ad Israel, hoc est ad gentium populum. Dei autem verbum, ipse est Dei Filius, quapropter cum eum Pater verbo [verbum] misit, a Patre et Verbo ejus factum est ut B mitteretur. Ergo a Patre et Filio missus est idem Filius, qui verbum Patris est ipse Filius in ipso Dei Verbo, quod erat in principio apud Deum et Deus erat. In ipsa scilicet sapientia Dei erat, quo tempore Verbum caro fieret et habitaret in nobis; quia plenitudo temporis cum venisset, misit Deus Filium suum factum ex muliere, ut incarnatum Verbum hominibus appareret.

Qui enim habitabant in Jerusalem et principes ejus, ignorantes Jesum et voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, etc. Hinc et in Actibus apostolorum scriptum est : *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis*. In his testimoniis manifeste declaratur C quia lectio legis vel prophetarum a Judæis sabbato semper in synagogis legebatur.

Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta sunt. Hæc verba et Joannes hoc modo narrat dicens : *Postea sciens Jesus quod omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dicit : Sitio*, etc. Peractis omnibus Jesus quæ ante suam mortem peragi oportebat, quando voluit et sicut voluit tradidit spiritum.

Deponentes eum de ligno. A Moyse in eremo æneus serpens ligno suspensus est, ut Dominus et in serpente mortuus, et in ære significaretur æternus. Unde licet ut judicaretur mortuus per humanitatem, et tamen esset quasi æneus per divinitatem. D Quod respondendum est Judæis objicientibus testimonium illud : *Maledictus omnis qui pependit in ligno*, maledictum esse hominem qui in ligno pendeat, sed noxium non innocentem; neque enim innocentia potest esse maledictum pœnæ peccati. Etenim si Mardochæus præparato ligno appensus, sententiam regiæ crudelitatis explesset, nunquid eum hi tunc dignum hac maledictione judicarent? Non omnino. Idcirco Dominus noster pependit in ligno ut nos a delicto quod in ligno fuerat perditionis admissum ligno appensus absolveret.

Posuerunt in monumentum. In monumento novo positus est Jesus, in quo nondum quisquam positus erat : sicut in virginis utero nemo ante illum, nemo post illum, conceptus est. Ita in hoc monu-

mento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. A

Deus vero suscitavit eum a mortuis. Radix amara crucis evanuit, flos vitæ cum fructibus surrexit in gloria. Hæc est virga Aaron quæ post siccitatem floruit. Virga enim post ariditatem virescens, Christus est post mortem resurgens, qui est flos virginum, corona martyrum, gratia continentium.

Qui visus est per dies multos, id est per dies quadraginta, non tamen eis per omnes quadraginta illos dies continue apparuit, sed quoties voluit, quibus voluit, et quemadmodum voluit apparuit.

His qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Hierusalem, etc. Salva historia videamus intelligentiam. Galilæa namque *transmigratio facta* interpretatur, Hierusalem *visio pacis.* Illi enim cum Domino B de Galilæa ascendunt in Hierusalem, qui prius hic vitiorum fomitem respuentes, ad virtutum culmina transmigrant. Illi scilicet cum Redemptore nostro a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam, a pœna ad gloriam, a corruptione ad incorruptionem transmigrabunt, et in Hierusalem cœlesti quandoque Dominum læti videbunt, quando vitiis derelictis ad virtutum celsitudinem transierint.

Et nos vobis annuntiamus ea quæ ad patres nostros repromissio facta est, etc. Abrahæ enim dictum, est : *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Jacob autem : *Et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Quod Apostolus exponens ait : *Non dicit in seminibus, sed in semine tuo, quod est Christus.* C Semen quidem Abrahæ Christus est, in cujus nomine fide omnibus terræ familiis, videlicet Judæis et Gentibus, est benedictio repromissa. Idem significat *Dabo vobis sancta fidelia David,* id est quæcunque David promisit, ea vobis fidelis sponsor implebo, Christum scilicet de ejus stirpe nasciturum, qui omnibus in se credentibus et mandata ejus rite custodientibus vitam in cœlis conferet sempiternam.

HOMILIA VIII.

ITEM FERIÆ III.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis : Ego sum, nolite timere, etc.

Hanc ostensionem Domini post resurrectionem et D Joannes commemorat dicens : *Cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus et stetit in medio, et dicit eis : Pax vobis.* Quid mirum si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit. Quod autem dicit Joannes non cum illis fuisse tunc apostolum Thomam, cum secundum Lucam duo illi quorum erat unus Cleophas regressi in Hierusalem invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant procul dubio intelligendum quod inde Thomas exierit antequam eis Dominus hæc loquentibus appareret.

Conturbati vero et conterriti existimabant se spiritum videre. Quod hæretici Manichæi de Christo suspicantur et credunt quia non erat vera caro sed spiritus erat, hæc prima cogitatio surrexit in cordibus apostolorum; et illi quidem Manichæi nunquam credunt Jesum fuisse hominem, discipuli autem noverant hominem cum quo tanto tempore [tantum tempus] fuerant conversati. Sed posteaquam mortuum est quod noverant, quomodo crederent hoc potuisse resuscitari quod potuit mori? Apparuit ergo oculis ipsorum talis qualem illum noverant; et non credentes tertia die potuisse veram carnem de sepulcro surgere, putaverunt se spiritum videre. Error iste apostolorum secta est Manichæorum. Solent autem quando hæc illis objiciuntur ita respondere : Quid mali credimus, quia Christum Dominum credimus, spiritum fuisse credimus, carnem non credimus? Melior est spiritus quam caro. Quod melius est credimus, quod deterius est credere nolumus. Si nihil mali est in isto sermone, dimittat Jesus discipulos suos in isto errore. Quid mali crediderunt et discipuli? Christum spiritum crediderunt. Non enim putaverunt esse nullum, sed spiritum. Parvo morbo te putas periclitari? Audi sententiam medici.

Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Quales utique cogitationes, nisi falsæ, morbidæ, perniciosæ? Perdidisset enim Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis. *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?* Tanquam si bonus agricola diceret : Quod ibi plantavi, ibi inveniam, non spinas quas non plantavi. In cor vestrum descendit fides quia desuper est; cogitationes autem istæ non desuper descenderunt, sed in ipso corde sicut herba mala ascenderunt.

Videte manus meas et pedes, quia ipse ego sum, palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Resurrectionem suam certam et veram, et multis variis documentis persuadere dignatus est propter ædificandam fidem et fugandam de corde perfidiam, omnemque dubitationem de sua resurrectione tollendam. Parum fuit oculis se videndum præbere, si non præberet etiam manibus contrectandum. Qui dum palpanda discipulis ossa carnemque præmonstret a parte statum veræ resurrectionis quæ et in se facta et in nobis est futura significat, quia non, sicut Eutychius Constantinopolitanæ urbis episcopus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Neque huic assertioni putetur apostoli sermo repugnare. Quia *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Hoc enim loco Apostolus carnis et sanguinis nomine non substantiam veri corporis, sed corruptionem mortalitatis significat. Sicut ipse consequenter exposuit dicens : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Aliter namque caro in Scriptura

sacra juxta naturam, aliter juxta culpam; aliter juxta corruptionem mortalitatis quæ ex culpa contigit appellatur. Juxta naturam quidem cum dictum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Juxta culpam vero cum dicitur, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem;* juxta corruptibilitatem autem cum scriptum est: *Et memorati sunt quia caro sunt*, id est fragiles et moribundi. Hoc enim se carnis nomine designasse manifestat ipse psalmista qui protinus addit: *Spiritus vadens et non rediens.* Regnum itaque Dei caro non possidebit, id est, caro juxta culpam vel mortalitatem. Et tamen caro possidebit regnum Dei, id est, caro juxta naturam quam et Dominus post resurrectionem videndam palpandamque discipulis exhibuit. Et de qua beatus Job, cum gloriam resurrectionis describeret, ait: *Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum.* Lege epistolam sancti Augustini ad Consentium, de corpore Domini post resurrectionem.

Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes, non solum manus et pedes quibus indita clavorum claruere vestigia, sed attestante Joanne, etiam latus quod lancea perforatum fuerat ostendit: ut videlicet, ostensa vulnerum suorum cicatrice, dubietatis atque infidelitatis eorum vulnus sanaret. Verum quomodo post resurrectionem clavorum vel lanceæ loca pandendo discipulorum dignatus est, fidem spemque roborare, ita in die judicii, et eadem suæ passionis indicia, et ipsam pariter crucem monstrando venturus est impietatem superborum infidelitatemque confundere: scilicet et ut ipsum se esse qui ab impiis et pro impiis mortuus est cunctis palam angelis et hominibus ostendat, videantque ut scriptum est: *In quem pupugerunt, et plangant se super eum omnes tribus terræ.* Sane notandum quod solent in hoc loco gentiles calumniam struere et fidem speratæ a nobis resurrectionis stulta garrulitate deridere. Si enim ipse Deus vester, inquiunt, nec sibi inflicta a Judæis vulnera curare prævaluit, sed cicatricum vestigia cœlo secum, ut dicitis, invexit, qua temeritate putatis eum vestra de pulvere membra ad integrum esse restauraturum? Quibus respondendum, quia Dominus noster, qui suam perpetua jam immortalitate glorificatam de sepulcro carnem resuscitare quando voluit, et quomodo voluit potuit, etiam qualem voluit suscitavit. Neque enim consequens est ut qui majora fecisse probatur, minora facere nequiverit; sed certe dispensationis gratia qui majus fecit minus facere supersedit, hoc est qui mortis regna destruxit signa mortis oblitterare noluit. Primo videlicet ut per hæc discipulis fidem suæ resurrectionis astrueret; deinde ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit semper ostendat; tertio ut sua morte redemptis quam misericorditer sint adjuti propositis semper ejusdem mortis innovet indiciis, ideoque misericordias Domini in æternum cantare non cessent, sed dicant qui redempti sunt a Domino:

A *Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Postremo ut etiam perfidis in judicio quam juste damnentur ostensa inter alia, flagitia etiam vulnerum quæ ab iis suscepit cicatrice denuntiet. Veluti si miles aliquis fortissimus, jubente suo rege pro totius gentis salute, singulari certamine desudans, multis quidem vulneribus exceptis, hostem tamen interficiat, spolia ejus diripiat, victoriam suæ genti reportet, et interrogatus a medico cui curandus committitur, hanc velit curari ut nec vestigia vulnerum ulla resideant, an magis ita ut cicatrices quidem remaneant, deformitas vero prorsus omnis et fœditas absit, respondeat sæpius ita se velle sanari ut toto salutis decorisque pristini statu recuperato, perpetua secum tanti circumferat signa triumphi: B sic profecto Dominus perpetis ob signum victoriæ non excepta pro nobis vulnera passionis, sed ipsorum cicatrices cœlo inferre quam abolere maluit. Nec tamen ex his quidpiam fidei nostræ resurrectionis præjudicat, de qua veraci promissione prædicitur: *Et capillus de capite vestro non peribit.* Adhuc autem non credentibus et mirantibus præ gaudio dixit:

Habetis hic aliquid quod manducetur? Ad insinuandam resurrectionis suæ veritatem, non solum tangi a discipulis, sed etiam convesci cum illis dignatur. Non quidem quasi post resurrectionem cibo indigens, nec quasi nos in resurrectione cibis egere significans, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret, ne illud non corpus sed spiritum C esse arbitrarentur, et sibi non solide sed imaginaliter apparere, manducavit potestate non necessitate. Aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius candens; illa indigentia, iste potentia.

At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis; et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Quid significare credimus piscem assum? nisi ipsum mediatorem Dei et hominum passum. Ipse enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostræ, et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Sed qui piscis et assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis exstitit in resurrectione; an qui in pisce asso figurari voluit tribulationem passionis suæ in favo mellis utramque naturam exprimere voluit D personæ suæ: favus quippe mel in cera est; mel vero in cera est divinitas in humanitate. Sic autem sua Redemptor indicat ut imitationis viam nobis sequentibus sternat. Ecce enim in cibo suo pisci asso conjungere favum voluit, quia videlicet illos in suo corpore ad æternam quietam suscipit, qui cum hic tribulationes pro Deo sentiunt ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Cum asso pisce favus sumitur, quia qui hic afflictionem pro veritate suscipiunt, illic dulcedine vera satiantur.

Et dixit ad illos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum, id est, cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis et vos. Tunc enim in eadem carne, sed illis in eadem mor-

talitate non erat. Et cum illis quidem, posteaquam surrexit, fuit quadraginta diebus exhibitione corporalis præsentiæ, sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanæ.

Quomodo necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis, et psalmis de me. Vide quomodo tulit omnes ambiguitates; visus est, tactus est, manducavit; ipse certe erat. Tamen ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, misit manus ad Scripturas. Dicant pagani quidquid volunt; Magus fuit, potuit se sic ostendere. Nunquid magus antequam natus, potuit se sic prophetare? Date Scripturas, quia quod videtis ante provisum est, quod cernitis ante prædictum est. *Audi, filia, et vide*; audi prædicta, vide completa. *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quomodo sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia.* Præbet se videndum oculis, præbet manibus contrectandum. Parum est; legis commemorat Scripturas; et hoc parum est: aperit sensum ut quod legis intelligas. Deinde commendatam sui corporis veritatem, commendat Ecclesiæ unitati.

Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolymis. Non latet pravitas hæreticorum: de angulo toto terrarum orbe Ecclesia diffusa est. Omnes gentes habent Ecclesiam. Nemo nos fallat, ipsa est vera, ipsa est catholica; cœpit ab Hierusalem, pervenit ad nos, et ibi est, et hic. Non enim ut huc veniret inde discessit: crevit, non migravit. Et merito sic scriptum est inter cætera Dominicæ pietatis sacramenta, et sic oportebat ut ministri sermonis qui in nomine Christi crucifixi et resuscitati a mortuis pœnitentiam erant et remissionem peccatorum in omnes gentes prædicaturi, ab Hierosolymis inciperent. Non solum quia credita sunt illis eloquia Domini, quia eorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamenta, et legislatio, et obsequium et promissa; quia eorum patres et ex his Christus secundum carnem qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, verum etiam ut gentes quæ variis erant erroribus et facinoribus implicatæ, hoc maxime divinæ pietatis judicium ad spem impetrandæ veniæ provocaret. Quod eis quoque qui Filium Dei crucifixerunt, non tantum veniam reatus a Patre, sed et vitæ æternæ gaudium viderent esse donatum; quia misericors et miserator est Dominus, patiens et multum misericors, qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis pervenire, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

FERIA IV.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis: Aperiens Petrus os suum dixit: Viri Israelitæ et qui timetis Dominum, audite, etc.

Notandum quod viros de genere Israel, et timentes Dominum ad audiendum Domini provocat verbum. Viri enim dicuntur a viribus, qui nesciunt tolerando deficere, aut in prosperis aliqua se elatione

A jactare, sed animo stabili defixi et cœlestium rerum contemplatione firmati, manent semper impavidi. *Qui timetis Dominum*, inquit, *audite*, id est, qui reverentiam habetis nominis ejus; quia ejus verba non meretur audire, nisi qui cognoscitur et timere. Timor autem Domini quia justus et rectus est, auditum renovat, amorem tribuit, ardorem charitatis inflammat.

Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum. Poterat dicere Deus Abraham, Isaac, Jacob; sed ter nominat Deum Abraham, Deum Isaac, Deum Jacob, ut tu intelligas Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et ne tibi scandalum terna Dei nominatio generaret addit, *Deus patrum nostrorum.* Prudenter enim personas distinxit, et naturam univit.

B *Glorificavit Filium suum Jesum.* Glorificavit Filium suum, quando post resurrectionem nimis mirabilem totius mundi credulitatem Deus eum in eo quod homo factus est habere concessit. Glorificavit eum gloria resurrectionis, glorificavit gloria ascensionis, et glorificavit gloria suæ dextræ sessionis.

Quem vos quidem tradidistis. Hinc enim respondit Pilatus Domino dicens: Nunquid ego sum Judæus? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi. Tradiderunt enim Dominum sacerdotes per invidiam. Tradidit semetipsum Filius pro nostra dilectione. De Patre enim ait Apostolus: *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* De Filio autem: *Qui dilexit et tradidit semetipsum pro nobis.*

Et negastis ante faciem Pilati, dicentes, *Crucifige*
C *talem, nos non habemus regem nisi Cæsarem. Nos legem habemus et secundum leges debet mori quia Filium Dei se fecit.*

Judicante illo dimitti. Quærebat, enim ait Evangelium, *Pilatus opportunitatem ut dimitteret Jesum, dicens: Ego non invenio in eo causam;* sed neque Herodes. Pilatus mittit ad Herodem; Herodes remittit ad Pilatum. Inter duas impietates discurrit pietas, et tamen impietas pietatem non potest condemnare: præsens est reus, et non invenitur reatus. Tradidistis mihi hunc hominem, inquit, quasi avertentem populum, et ecce coram vobis interrogans nullam invenio in eo causam in his quibus eum accusatis. Dicitis quod præcipiat tributa non solvi Cæsari: comprobavi falsum esse quod objicitis. Docere
D hunc contra legem dicitis; probavi eum non destruere legem sed implere. Omnia quæ objecistis in diversum inventa sunt. Et petistis virum homicidam donari vobis. *Erat autem*, ait Evangelium, *qui dicebatur Barabbas vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.* Barabbas enim *filius patris nostri* interpretatur; significat diabolum, qui multas seditiones in toto concitat orbe, et homicidia scilicet et adulteria, et omnia crimina, qui statim ut Jesus crucifixus est Barabbas iste dimissus suffocat populum Judæorum.

Auctorem vero vitæ interfecistis, etc. Illum qui *plasmavit hominem de limo terræ et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Illum qui dixit: *Ego sum via, et veritas, et*

vita; et de quo Joannes ait : *Hic est verus Deus et vita æterna.*

Et nunc, fratres, *scio quia per ignorantiam fecistis. Si enim cognovissent,* ait Apostolus, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Deus autem qui prænuntiavit per os prophetarum pati Christum suum, implevit sic, etc. Hinc et ipse Deus Cleophæ et alii discipulo ait : *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam. Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis de omnibus Scripturis quæ de seipso erant?* Si enim Moyses et omnes prophetæ Christum locuti sunt, et hunc per angustiam passionis in gloriam suam intraturum, qua ratione se glorientur esse Christianos, qui juxta virium suarum modulum neque Scripturas qualiter ad Christum pertineant investigare, neque ad gloriam quam cum Christo habere cupiunt per passiones tribulationum desiderant attingere, cum manifeste Scriptura dicat illos beatos qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et timentes Deum ambulant in viis ejus. Illis enim labor suus proficiet ad æternam salutem quando post finem istius vitæ ad æternam perventuri sunt requiem, præstante ipso Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore : Manifestavit se Jesus ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic : Erant autem simul Petrus et Thomas, qui dicitur Didymus et Nathanael qui erat a Cana Galileæ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navem ; et illa nocte nihil ceperunt, etc.

Quæri potest cur Petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem redit, cum Veritas dicat : *Nemo mittens manum suam in aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei?* Cur repetit quod dereliquit? Sed si virtus discretionis impenditur, citius videtur quia nimirum negotium quod ante conversionem sine peccato exstitit, hoc etiam post conversionem culpa repetere non fuit. Nam piscatorem Petrum, Matthæum vero telonarium scimus; et post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus vero ad telonei negotium non rediit : quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud telonei lucris exercitia augere. Sunt enim pleraque negotia quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat.

Mane autem jam facto stetit Jesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. Dicit ergo eis Jesus : Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non. Quæri potest cur discipulis in mari laborantibus post resurrectionem Dominus in

A littore stetit, qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulavit? Cujus rei ratio festine cognoscitur, si ipsa quæ tunc inerat causa pensetur. Quid enim mare nisi præsens sæculum significat? quod se causarum tumultu et undis vitæ corruptibilis illidit. Quid per soliditatem littoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant; quia vero Redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat, ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium rebus discipulis loqueretur dicens : Jam vobis in mari non appareo, quia vobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, ut magistro veniente

B fieret admirationis magna sublimitas. Qui protinus dixit eis : *Mittite in dextram navigii rete, et invenietis.* Bis in sancto Evangelio legitur, quia Dominus jussit, ut ad piscandum retia mitterentur, ante passionem videlicet et post passionem. Sed priusquam Redemptor noster pateretur et resurgeret, mitti quidem rete ad piscandum jubet, sed utrum in dextram an in sinistram mitti debuisset, non jubetur. Post resurrectionem vero discipulis apparens mitti rete in dextram jubet. In illa piscatione tanti capti sunt, ut retia rumperentur; in ista autem et multi capti sunt, et retia rupta non sunt. Quis vero nesciat bonos dextra et malos sinistra figurari. Illa ergo piscatio in qua specialiter in quam partem mitti debeat rete non jubetur, præsentem Ecclesiam designavit quæ

C bonos simul ac malos colligit, nec eligit quos trahat, quia et quos eligere possit ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta in solam dexteram missa est, quia ad videndam claritatis ejus gloriam sola electorum Ecclesia pertingit, quæ de sinistro opere nil habebit. In illa piscatione præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam hæresibus scindant. In ista vero piscatione et multi pisces et magni capiuntur, et rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia in continua auctoris sui pace requiescens nullis jam dissensionibus dilaniatur.

Miserunt ergo retia, et jam non valebant illud tra-

D *here a multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus Petro : Dominus est. Simon Petrus cum audisset quod Dominus est, tunica succinxit se; erat enim nudus; et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt.* Non enim erant longe a terra, sed quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium.

Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem superpositum et panem. Ubi non est intelligendum etiam panem fuisse superpositum prunis, sed tantum subaudiendum *viderunt* : Iidem viderunt prunas positas, et piscem superpositum viderunt, et panem viderunt. Vel ita potius viderunt prunas positas, et piscem superpositum viderunt et panem.

Dixit eis Jesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in

terram. Captis autem tam magnis piscibus, ascendit A Simon Petrus, et traxit rete in terram. Jam credo quod vestra charitas advertit quid est quod Petrus ad terram trahit. Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur : *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas*. Quod ergo postmodum aperitur, hoc nunc signatur in opere. Quia igitur prædicator nos a mundi hujus fluctibus separat nimirum necesse est, ut rete plenum piscibus Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, qui sanctæ prædicationis voce stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis. Quoties per eum ad amorem quietis æternæ convertimur, quoties a terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quam intra rete fidei pisces ad littus trahimur? B

Plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. A magno mysterio numerus non vacat, sed intentos vos tanti mysterii profunditas exspectat, neque enim quantitatis summam solerter evangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse judicasset. Scitis namque quod in Testamento Veteri omnis operatio per decalogi mandata præcipitur. In Novo autem ejusdem operationis virtus per septiformem gratiam sancti Spiritus multiplicatis fidelibus datur, quem propheta denuntians dicit : *Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et Spiritus timoris Domini*. Sed ille in hoc Spiritu operationem percipit qui fidem Trinitatis agnoscit, ut et Patrem et Filium et eumdem Spiritum sanctum, unius virtutis credat, unius C substantiæ esse fateatur. Quia igitur septem quæ superius diximus per Novum Testamentum latius data sunt, decem vero per Veteris Testamenti præcepta, omnis nostra virtus et operatio per decem et septem potest plene comprehendi. Ducamus ergo per trigonum decem et septem et veniunt quinquaginta et unum, qui profecto numerus a magno mysterio non vacat, quia jam in Testamento Veteri legimus, quod annus quinquagesimus Jubilæus vocari jussus est, in quo videlicet cunctus populus ab omni opere requiesceret, sed vera requies in unitate est : dividi quippe unum non potest. Ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est. Ducamus per trigonum quinquaginta et unum et fiunt centum et quinquaginta tres. Quia igitur et omnis operatio nostra et virtus D in fide Trinitatis exhibita ad requiem tendit, septem et decem ter ducimus ut ad quinquaginta et unum venire debeamus. Et vera nostra requies tunc est, cum ipsam jam claritatem Trinitatis agnoscimus, quam in unitate divinitatis esse certam tenemus. Quinquaginta et unum ter ducimus, et electorum summam in superna patria quasi centum quinquaginta trium piscium numerum tenemus. Post resurrectionem vero Domini missum rete, dignum fuit ut tot pisces caperet, quot solummodo electos dignos supernæ patriæ designaret. Est quoque alia supputatio hujus septenarii et denarii muneri. Nam si ab uno omnes numeros computes usque ad decem et septem, hoc modo : Unum duo tres fiunt; adde tres, fiunt sex; his adjunge quatuor, fiunt decem; his quinque, et habebis quindecim; et sic crescentibus numeris et multiplicatis usque ad decem et septem, fit omnium numerorum summa istorum qui multiplicantur ab uno usque ad decem et septem centum quinquaginta tres. Quæ computata superiori significatione, id est legis in denario, et gratiæ in septenario satis congruenter conveniet. Sed plura sunt inde considerare admiratione digna, quæ hujus temporis angustia prohibet nos omnia dicere.

Et cum tanti essent non est scissum rete. Adjecit evangelista rem necessariam dicens : *Et cum tanti essent;* sive tam magni, sicut superius dictum, plenum magnis piscibus; *non est scissum rete ;* id est magni erant, sed inter eos hæreses non erant, et ideo magis hæreses non erant, quia magni erant.

Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium eum interrogare : Tu quis es? Sensus ergo hic est : Tanta erat evidentia veritatis quia Jesus illis discipulis apparebat ut eorum non solum negare, sed ne dubitare quidem ullus auderet, quoniam si quisquam dubitaret utique interrogare deberet. Sic ergo dictum est :

Nemo audebat interrogare : Tu quis es? Ac si diceretur : Nemo audebat dubitare quod ipse esset.

Et venit Jesus, et accepit panem, et dabat eis, et piscem similiter. Notandum quoque quod ultimum convivium Dominus cum septem discipulis habuisse describitur. Petrus namque et Thomas, Nathanael et filii Zebedæi et alii ex discipulis ejus duo in eo fuisse memorantur. Cur cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, nisi quia eos tantummodo qui septiformi gratia sancti Spiritus pleni sunt futuros secum in æterna refectione denuntiat? Septem quoque diebus omne hoc tempus evolvitur et sæpe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo convivio de præsentia veritatis epulantur, qui nunc perfectionis studio terrena transcendunt, quos mundi amor non alligat, quibus etsi utcunque per tentamenta obstrepit, cœpta tamen eorum desideria non retundit. De hoc extremo convivio alias per Joannem dicitur : *Beati qui ad cœnam nuptialem agni vocati sunt*. Idcirco enim non ad prandium sed ad cœnam vocatos narrat, quia nimirum in fine diei convivium cœna est. Qui ergo finito vitæ præsentis tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, non ad agni prandium, sed ad cœnam vocantur. Quæ videlicet cœna hoc ultimo convivio exprimitur. Ubi cum Jesu septem discipuli adesse memorantur, quia illos ut diximus tunc in æterna refectione recipiet, qui pleni nunc septiformis gratiæ in amore Spiritus anhelant, quid est quod Redemptor noster piscem assum post resurrectionem manducavit, et in alio Evangelio dicitur cum pisce asso favum mellis, in isto vero panem cum pisce? Quid enim piscis assus significat, nisi Christum passum? Quid favus mellis, nisi divinitatis dulcedinem? Piscis est quia ipse latere dignatus in aquis humani generis est. Capi voluit

laqueo mortis nostræ, et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione favus mellis nobis exstitit in resurrectione. An qui in pisce asso figurari voluit tribulationem passionis suæ, in favo mellis utramque naturam exprimere voluit personæ suæ; favus quippe mel in cera est divinitas in humanitate; quod ab hac quoque lectione non discrepat, nam piscem comedit et panem. Qui enim assari ut piscis potuit ex humanitate, pane nos reficit ex divinitate, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Assum vero piscem comedit et panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet quia et passionem ex nostra humanitate pertulit, et resurrectionem nostram ex sua divinitate procuravit. Hoc jam tertio manifestatus est discipulis suis cum surrexisset a mortuis. Hoc non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus, id est, primo die cum resurrexit et post dies octo quando discipulus Thomas eum vidit et credidit, et hoc die quando hoc de piscibus fecit. Post quot autem dies id fecerit hic dictum non est; nam ipse primo die non semel visus est; sic evangelistarum omnium testimonia collata demonstrant, sed, sicut dictum est, secundum dies numerandæ sunt manifestationes ejus, ut ista sit tertia.

HOMILIA XI.

FERIA V.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, angelus Domini locutus est ad Philippum dicens: Surge et vade contra meridianum, et reliqua.

Bene in meridie quæritur, et invenitur, et abluitur ille qui devotione pectoris ardens velut quædam gentium primitiæ Deo meruit consecrari, in quo spiritaliter illud Psalmistæ completum est: *Æthiopia præveniet manus Deo.*

Ad viam quæ descendit ab Hierusalem in Gazam; hæc est deserta. Et surgens abiit. Non via sed Gaza deserta dicitur. Vetus enim illa Gaza quæ terminus quondam erat Chananæorum juxta Ægyptum ad solum usque destructa, et alia pro illa alio loco est constructa. Quæ allegorice gentium plebem designat olim a Dei cultura desertam, neque prophetarum ullius prædicationibus excultam. Via vero quæ ad eamdem ab Hierosolymis descendens fontem salutis aperuit Dominus Jesus Christus est qui ait: *Ego sum via et veritas et vita;* quia superna Hierusalem ad nostra infirma descendit, baptismatis unda dealbavit, nostrique reatus crimina delevit.

Ecce vir Æthiops eunuchus potens. Pro virtute et integritate mentis vir appellatur; nec immerito, qui tantum studium in Scripturis habebat, ut eas etiam in via legere non cessaret, tantumque amoris in religione gerebat ut aula regia derelicta de ultimis mundi partibus veniret ad templum Domini. Unde juxta mercedem dum quærit interpretem lectionis, Christum quem quærebat invenit, plusque, ut Hieronymus ait, in deserto fonte Ecclesiæ quam in aurato Synagogæ templo reperit. Ibi enim quod Jere-

A mias admirando prologuitur: *Mutavit Æthiops pellem suam*: id est sorde peccatorum abluta de lavacro Jesu dealbatus ascendit.

Candacis reginæ Æthiopum. Et in Regum libro legimus quia regina Austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Moris quippe fuit illi nationi semper a feminis regi easque Candaces appellare. Regina Æthiopum, thesaurarium præmittens in Hierusalem, gentium designat Ecclesiam, virtutum fideique Domino dona laturam. Sed et nominis etymologia convenit. Potest enim Candacis ex Hebræo *commutata* interpretari; ipsa quippe est cui in psalmo *pro his qui commutabantur* in Scriptura dicitur: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui*, etc. Dixit
B autem Spiritus Philippo:

Accede et adjunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus audivit illum legentem Isaiam prophetam, et dixit: Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet et sederet secum. Locus autem Scripturæ hic erat quem legebat. In corde Spiritus Philippo loquebatur. Spiritui enim Domini quasi quædam nobis verba facere est occulta vi et quæ agenda sunt intimare.

Tanquam ovis ad occisionem ductus est. Sicut ovis, cum ducitur ad victimam, non repugnat, sic ille propria passus est voluntate; vel altiori intellectu sicut agnus in pascha immolari solebat, sic *pascha nostrum immolatus est Christus.*

C *Et sicut agnus coram tondente se sine voce.* Non solum nos sanguine redemit, sed et lanis aperuit, ut algentes in fidelitate sua veste calefaceret, et audiremus Apostolum nobis loquentem: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Sic non aperuit os suum, cum in passione sua Pilato et pontificibus pauca, Herodi nulla respondere volebat.

In humilitate judicium ejus sublatum est. Quia judex omnium judicii reperit veritatem, sed absque ulla culpa seditione Judæorum et Pilati voce damnatus est.

Generationem ejus quis enarrabit? Aut de divinitat ejus accipiendum est, quod impossibile sit divinæ nativitatis nosse mysteria de qua Pater loquitur:
D *Ante luciferum genui te;* aut de partu virginis, quod difficulter possit exponi. Cujus rationem Mariæ quærenti per angelum dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te;* ut vel ab angelo vel evangelista tantum nativitatis ejus sacramenta dicantur, cujus narrator rarissimu est.

Quomodo tolletur a terra vita ejus? ut nequaquam in terra, sed in cœlo viveret. Hoc testimonium, cum in Actibus apostolorum reginæ Candacis eunuchu rheda veheretur, et legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione et nomine Salvatoris intellexit, et statim baptizatus in agni sanguine quem legebat, vir meruit appellari et Apostolus genti Æthiopum missus est

Qui igitur oblatus est Pilato quia ipse voluit, et non respondit ut patibulum pro nobis damnatus subiret. Ac si diceret : Ipse sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente obmutuit; *etenim pascha nostrum immolatus est Christus.* Quem Joannes Baptista monstravit dicens : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Qui et in Apocalypsi Joannis evangelistæ agnus occisus sæpe monstratur, quod de se ipso loquitur in Jeremia : *Ego autem sicut agnus innocens et ductus ad victimam nesciebam.* Cum enim nesciret peccatum, pro nobis peccatum factus est, et sicut agnus cum ducitur ad victimam non repugnat, sic ille passus est voluntate ut destrueret eum qui habebat mortis imperium, humilians se usque ad mortem, et mortem crucis. Hic agnus est in cujus typo immolabatur agnus, cujus cruor litus in postibus exterminatorem fugabat Ægypti, qui non solum sanguine suo nos redemit, sed et lanis operuit ut algentes in fidelitate sua veste calefaceret, et audiremus Apostolum loquentem nobis : *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis;* et in alio loco : *Induimini Christo Jesu.* Quodque sequitur :

De angustia et de judicio sublatus est, sive ut Septuaginta transtulerunt : *In humilitate judicium ejus sublatum est,* illud significat quod de tribulatione atque judicio ad Patrem victor ascenderit, sive quod judex omnium judicii non reperit veritatem, sed absque ulla culpa seditione Judæorum et Pilati voce damnatus sit, ut admiretur propheta quod omnium Deus se tradiderit passioni; de quo Paulus loquitur : *Si enim credidissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Sequitur :

Generationem ejus quis enarrabit? Quod dupliciter intelligitur. Aut enim de divinitate ejus accipiendum est, quod impossibile sit divinæ nativitatis nosse mysteria : de qua ipse loquitur in Proverbiis : *Ante omnes colles generavit me,* juxta illud quod alibi legimus : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* id est, nullus; aut de partu virginis, quod difficulter possit exponi. Deinde cum Mariæ diceretur ab angelo, *Concipies et paries filium,* illa respondit : *Unde mihi hoc, quæ virum non cognovi?* Cui rursum angelus : *Spiritus,* inquit, *sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* ut vel ab angelo, vel ab evangelista tantum nativitatis ejus sacramentum dicatur, cujus narrator rarissimus est. *Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens ab hac Scriptura, evangelizabat illi Jesum.* Philippus interpretatur *os lampadis;* pulcherque est sensus quod os lampadis suum aperiret os dum obscura prophetiæ in scientiæ lucem proferret : quamvis et juxta historiam possit ista circumlocutio designare aliquando longiorem futurum tunc esse ejus sermonem. *Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam.* Est hodie Bethtur, sive Bethsoro, vicus in tribu Juda euntibus ab Helia Chebron vicesimo lapide. Juxta quem fons ad radicem montis ebulliens ab eadem qua gignitur sorbetur humo. Apostolorum Acta referunt in hujus vituli fonte eunuchum a Philippo fuisse baptizatum. Nam est Helia Bethtur in tribu Juda mille passus distans ab Heliotripoli. *Et ait eunuchus : Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Et jussit stare currum, et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum.* O mira doctoris virtus! Erat in vehiculo eunuchus, sacras litteras legebat, sed de quo legeret ignorabat; sed tamen eum quem in libro nesciens legebat pia mente scire cupiebat. Venit Philippus philosophus, ostendit ei Jesum qui clausus latebat. Et secundum aliam traditionem dixit Philippus eunucho : *Si credis ex toto corde tuo, salvus eris.* Et respondit eunuchus : *Credo in Christum Filium Dei.* Ea hora baptizatus est, fidelis factus est et sanctus, et de discipulo magister effectus est, et deinceps prædicator, et gentis suæ apostolus effectus est. *Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus.* Sunt quidam qui hæc angelum in Spiritu sancto fecisse testantur. Ut Hieronymus prodit; nam et similiter factum legitur de Habacuc portante prandium Daniel : *Philippus autem inventus est in Azoto.* Azotus oppidum insigne Palæstinæ quod Hebraice vocatur Isdoth, et est una de quinque olim civitatibus Allophylorum. Interpretatur enim Azotus *ignis generationis* seu *ignis patruelis. Et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.* Cæsarea Palæstinæ dicitur, ubi infra domum habuisse describitur Philippus quæ usque hodie demonstratur, nec non et cubiculum quatuor filiarum ejus virginum prophetantium. Cæsareæ civitates duæ sunt in terra repromissionis. Una Cæsarea Palæstinæ in littore maris Magni sita, quæ quondam Pirgos, id est Turris Stratonis dicta est; sed ab Herode rege Judææ nobilis et pulchrius, et contra vim maris multo utilius exstructa in honorem Cæsaris Augusti Cæsarea cognominata est, cui etiam templum in ea marmore albo construxit, in qua nepos ejus Herodes ab angelo percussus, Cornelius centurio baptizatus, et Agabus propheta zona Pauli ligatus est. Altera vero Cæsarea Philippi, cujus Evangelium meminit esse tetrarchiam ad radices montis Libani facta, et in honore Cæsaris cognominata est. Sed et tertia Cæsarea Cappadociæ metropolis est, cujus Lucas ita meminit : *Descendens Cæsaream salutavit Ecclesiam.*

HOMILIA XII

ITEM FERIA V.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, et reliqua.

Pensandum est hujus mulieris mentem quanta vis amoris ascenderat, quæ a monumento Domini etiam discipulis recedentibus non recedebat, exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, et amoris sui igne succensa, ejus quem ablatum credidit ardebat desiderio. Et oculi, qui Dominum quæsierunt et non invenerunt, lacrymis jam exundabant, amplius dolentes quod fuerat ablatus de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno, quoniam magistri

tanti, cujus eis vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. Unde contigit ut eum sola videret quæ remansit, quia nimirum virtus boni operis perseverantia est, ut voce Veritatis dicitur : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Ista itaque quæ sic amabat, quæ se ad monumentum quod perspexerat iterum inclinat, videamus quo fructu amoris in ea ingeminat opus inquisitionis. Sequitur : *Vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Quid est quod in loco Dominici corporis duo angeli videntur : unus ad caput atque alius ad pedes sedens, nisi quod Latina lingua angelus *nuntius* dicitur, et ille ex passione sua nuntiandus erat, qui et Deus est ante sæcula, et homo in fine sæculorum. Quasi ad caput sedet angelus cum per apostolos prædicatur, quia *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et quasi ad pedes sedet angelus cum dicitur : *Et Verbum factum est.* Possumus etiam et duos angelos duo Testamenta cognoscere, unum prius et aliud sequens; qui videlicet angeli per locum Dominici corporis sibimetipsis sunt conjuncti, quia nimirum utraque testamenta dum pari sensu incarnatum, et mortuum, ac surrexisse Dominum nuntiant, quasi Testamentum prius ad caput et Testamentum posterius ad pedes sedet. *Dicunt ei : Mulier, quid ploras?* quasi dixissent : Non est mortuum plorare, quem viventem credere debes. *Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum,* etc. Dominum suum vocat Domini sui corpus exanime, a parte totum significans, sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei unicum Dominum nostrum; quod utique simul est et verbum et anima, et caro, crucifixum tamen et sepultum, cum sola ejus sepulta sit caro. *Et nescio,* inquit, *ubi posuerunt eum.* Hæc erat causa major doloris quod nesciebat quo iret ad consolandum dolorem. Sed prope erat hora, qua tristitia ejus verteretur in gaudium. *Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est.* Notandum quod Maria quæ adhuc de Domini resurrectione dubitabat, retrorsum conversa est, videret Jesum, quia videlicet per eamdem dubitationem suam quasi terga in Domini faciem miserat quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat et dubitabat, videbat et non cognoscebat; eumque illi amor ostenderat et dubietas abscondebat, cujus adhuc ignorantia exprimitur cum infertur, et nesciebat quia Jesus esset. *Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? Quem quæris?* Interrogatur doloris causa ut augeatur desiderium, quatenus cum nominaret quem quæreret, in amore ejus ardentius æstuaret. *Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi tu posuisti eum; et ego eum tollam.* Forsitan nec errando mulier hæc erravit quæ Jesum hortulanum credidit. An non ei

A spiritaliter hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui semina virtutum virentia plantavit sata? Sed quid est quod viso eo, quem hortulanum credidit, cui necdum dixerat quem credebat, ait ei : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi?* Nemo calumnietur mulierem quod hortulanum dixerit Dominum, et Jesum magistrum. Ibi enim rogabat, hic agnoscebat. Ibi honorabat hominem a quo beneficium postulabat; hic recolebat doctorem a quo discerneret humana, et divina discebat. Appellabat Dominum cujus ancilla non erat, ut perveniret ad Dominum cujus erat. Aliter ergo Dominum dixit : *Sustulerunt Dominum meum.* Aliter autem : *Domine, si tu sustulisti eum.* Ibi ex veritate, hic ex honore. Quærebat itaque, et non dicebat. Quæ cum dixisset, *Domine,*
B *si tu sustulisti eum*, hoc habet vis amoris, hoc agere solet in animo ut quem ipse semper cogitabat, nullum alium credat ignorare. Recte et hæc mulier quem quærit non dicit, et tamen dicit, *Si tu sustulisti eum*, quia alteri non putat esse incognitum, quem ipsa continuo plangit desiderio. *Dicit ei : Maria. Conversa illa dicit ei : Rabboni; quod dicitur magister.* Postquam eam communi vocabulo appellavit et sexu, et agnitus non est, vocat ex nomine. Ac si aperte dicat ei : Recognosce eum a quo recognosceris. Perfecto quoque viro dicit, *Novi te ex nomine*, quia homo commune omnium nostrum vocabulum est; Moyses vero proprium, cui recte dicitur, quia ex nomine scitur. Ac si aperte Dominus dicat : Non te generaliter ut cæteros, sed specialiter
C scio. Maria ergo quia vocatur ex nomine cognoscit auctorem atque eum protinus *Rabboni* id est magistrum vocat, quia et ipse erat qui quærebatur exterius, et ipse qui eam interius ut quæreret docebat. *Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Sic enim dictum est, *Noli me tangere*, ut in illa femina figuraretur Ecclesia de gentibus quæ in Christo non credidit, nisi cum ascendisset ad Patrem; aut certe sic credi voluit Jesus, hoc est sic se spiritaliter tangi quod ipse et Pater unum sint. Aliter, non recte tangitur, id est, non recte creditur. Jam vero ab evangelista non subditur quid mulier fecerit, sed ex eo innuitur quod audivit cui dicitur : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In his namque ver-
D bis ostenditur quod Maria amplecti voluit ejus vestigia quem recognovit. Sed ei magister dicit : *Noli me tangere*, non quia post resurrectionem Dominus tactum renuerit feminarum cum de duabus ad sepulcrum ejus scriptum sit : *Accesserunt et tenuerunt pedes ejus.* Sed cur tangi non debeat ratio quoque additur, cum subinfertur : *Nondum enim ascendi ad Patrem meum.* In corde etenim nostro tunc Jesus ascendit ad Patrem cum æqualis Patri creditur. Nam quisquis eum æqualem Patri non credit, adhuc in ejus pectore ad Patrem non ascendit. Ille ergo Jesum veraciter tangit qui Patri Filium coæternum credit. *Vade ad fratres meos et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, et*

ad Deum meum et Deum vestrum. Non ait Patrem nostrum; aliter ergo meum, aliter vestrum: Deum meum sub quo et ego homo sum; Deum vestrum inter quos et ipsum mediator sum. Cum meum dicat et vestrum, cur non communiter dicit nostrum? Sed distincte loquens indicat quia eumdem Patrem et Dominum dissimiliter habet ipse quam nos. *Ascendo ad Patrem meum*, videlicet per naturam, *et Patrem vestrum*, per gratiam; *ad Deum meum* quia descendi, *ad Deum vestrum* quia ascendistis. Quia enim et ego homo, Deus mihi est; quia vos ab errore liberati, Deus est vobis. Distincte ergo mihi Pater et Deus est, quia quem ante sæcula Dominum genuit hominem, in fine sæculorum mecum creavit. *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi.* Ecce humani generis culpa ibi abscinditur unde processit; quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulcro mulier viris annuntiat vitam, et dicta sui vivificatoris narrat quæ mortiferi serpentis verba narraverat. Ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat: De qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ. In hoc istarum duarum fit concordia lectionum quia locutus est angelus Mariæ, locutus est ei Philippo, evangelizavit Jesum Philippus eunucho, nuntiavit Maria apostolis Jesum. Omnia enim illa ad gloriam ipsius facta sunt, cujus dono electis Dei largitur. Omne donum bonum, et omne datum perfectum Domini videlicet nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

FERIA VI.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli.

Charissimi, Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Domino, et reliqua.

Qui ergo justus patitur, Christum imitatur; qui in flagellis corrigitur, latronem qui in cruce Christum cognovit, et post crucem cum Christo paradisum intravit. Qui nec inter flagella desistit a culpis, sinistrum imitatur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, et post crucem ruit in tartarum. Ideo autem Christum semel mortuum esse commemorat, ut nobis quoque in memoriam revocet quia temporaneis nostris passionibus merces reddetur æterna.

Ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu. De hac mortificatione carnis et vivificatione spiritus, quam habent hi qui pro Domino per patientiam laborant, dicit et apostolus Paulus: *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Offert ergo nos Deo Patri Christus cum post mortificationem carnis pro illo immolari gaudemus, id est, vitam nostram laudabilem in conspectu Patris ostendit, vel certe offert nos Deo cum absolutos carne in æternum nos regnum introducit. Sane hoc

A quod dicitur *vivificatos autem spiritu*, sanctus Athanasius Alexandrinæ pontifex non ad hominis spiritum, qui mortificata carne melius vivificatur, dicente Propheta de Domino *ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum*, sed ad gratiam potius refert Spiritus sancti qui mortificantibus carnem suam vitam retribuit sempiternam. Utitur enim et hoc testimonio contra Arianos qui æqualitati sanctæ Trinitatis contradicunt, instruens quod individua divinæ operationis unitate vivificet Pater, vivificet Filius, vivificet Spiritus sanctus: Pater vivificet et Filius, quia scriptum est: *Sicut enim suscitat Pater mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Spiritus vero sanctus et hoc testimonio declaratur quod dicitur de Filio *ut nos offerret Deo mortificatos* B *quidem carne, vivificatos autem spiritu;* ideoque quorum una operatio est horum esse dispar substantia et essentia non possit.

In quo et his qui in carne erant conclusi spiritaliter veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, qui nostris in temporibus carne veniens iter vitæ mundo prædicavit, ipse etiam ante diluvium qui tunc increduli erant et carnaliter vixerant spiritu veniens prædicavit; ipse enim per Spiritum sanctum erat in Noe cæterisque qui tunc fuere sanctis, et per eorum bonam conversationem pravis illius ævi hominibus ut ad meliora converterentur prædicavit. *Conclusos* namque *in carne* dicit carnalibus desideriis aggravatos. Unde de illis Scriptura ait quod *Omnis caro corruperit viam suam.* Quod autem dicit *in quo*, C significat in eo quod promiserat ut nos offerret Deo: quod et tunc si qui ad prædicationem Domini, quam post vitam fidelium prætendebat, credere noluissent, et ipsos offerre Deo Patri gaudebat. Si qui autem detrahebant de bonis tanquam de malefactoribus, hi veniente diluvio confundebantur; nam et de utroque potest intelligi quod ait, in quo, id est, in quo et eis qui in *carne conclusi erant spiritaliter*, id est spiritu *veniens prædicavit*, ut per eamdem prædicationem suam et credentibus corona laudis, et his qui in infidelitate persisterent confusio nasceretur. Quidam codices habent, *In quo et his qui in carcere erant spiritu veniens prædicavit*, quod ad eamdem pravorum et incredulorum intentionem respicit, qui quomodo tenebris obscuratum habent sensum, merito etiam in D hac vita in carcere conclusi esse dicuntur, in quo videlicet carcere interioribus adhuc tenebris hoc est cæcitate mentis et operibus injustis gravantur, donec carne soluti in tenebras exteriores etiam in carcerem projiciantur æternæ damnationis. De quo Dominus in Evangelio: *Et judex*, inquit, *tradat te ministro et in carcerem mittaris.* Quamvis etiam sancti in hac vita se in carcere positos, cum gaudium supernæ patriæ sitiunt, merito proclament, juxta illud Psalmistæ: *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo*, distat namque multum inter utrumque carcerem, siquidem reprobi in carcere sunt peccatorum et ignorantiæ, justi vero in carcere licet tribulationum positi, luce semper justitiæ dilatato in

Dominum corde fruuntur. Quod designaverunt apostoli Paulus et Silas, cum media nocte intimo carceris horrore vincti licet et flagellati hymnum Deo laudibus lætissima voce canebant. Quidam hunc locum ita interpretatus est, quod consolationem illam de qua dicit apostolis Dominus : *Multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt*. De qua et Psalmista : *Defecerunt*, inquit, *oculi mei in eloquium tuum dicentes : Quando consolaberis me?* Sancti quiescentes in inferno desideraverunt, quod descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, et increduli quondam fuerunt in diebus Noe, consolatio vel exhortatio prædicata fuerit, hæc ille dixerit. Sed catholica fides habet quod descendens ad inferna Dominus non incredulos inde, sed fideles solummodo suos educens, ad cœlestia secum regna perduxerit; neque exutis corpore animabus et inferorum carcere damnatis salutem quam ante mortem dilexerant prædicaverit, sed carcere scelerum inclusi in hac vita vel per seipsum vel per suorum exempla sive verba fidelium quotidie viam vitæ demonstrant, de quibus dicit : *Qui increduli fuerant, quando exspectabat Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca*. Nam et ipsa Dei patientia prædicatio ejus erat cum Noe centum annos arcæ operibus insistens. Quid mundo futurum esset quotidiani operis exsecutione monstrabat, quia Paulus ait : *An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit*, et cætera. Alia translatio hunc locum ita habet : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos ducat ad Deum mortificatos corpore, sed vivificatos in spiritu, in quo spiritu et eis qui in carcere erant prædicavit : qui quondam non crediderant in diebus illis cum exspectaret Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam*. Quod et nos nunc similis formæ salvos facit baptisma. Formam baptismi assimulatam dicit arcæ, et aquis diluvii. Et recte omnino quod et ipsa fabricatio arcæ de lignis levigatis constructionem signat Ecclesiæ, quæ fit de collectione animarum fidelium per architectos verbi, et quod pereunte orbe toto pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt. Per aquam significat quod ad comparationem pereuntium, gentilium, Judæorum, hæreticorum et falsorum fidelium multo brevior est numerus electorum. Unde, de angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam dicitur : *Et pauci sunt qui inveniunt eam*, et iterum : *Noli timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. De quo pusillo grege et hic apte subjungitur : *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Ubi est enim conscientia bona, nisi ubi est fides non ficta? Docet namque apostolus Paulus, quod *finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*. Quod ergo aqua diluvii non salvavit extra arcam positos, sed occidit, sine dubio præfigurabat omnem hæreticum, licet habentem baptismatis sacramentum, non aliis, sed ipsis aquis ad inferna mergendum quibus arca sublevatur ad cœlum. Ipse quoque octonarius numerus animarum quæ salvæ factæ sunt per aquam significat, quia sancta Ecclesia in sacramentum Dominicæ resurrectionis baptismi lavacrum percipit, ut sicut ipse resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos expurgati a peccatis per aquam regenerationis in novitate vitæ ambulemus. Octavo namque die, hoc est post septimam sabbati, Dominus a mortuis resurgens et exemplum nobis futuræ resurrectionis et mysterium novæ conversationis, qua in terris positi cœlestem vitam ageremus, ostendit. Quam etiam ipse Petrus exponendo subjungit dicens.

Per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ participes efficeremur; profectus in cœlum. Sicut enim ipse resurgens a mortuis ascendit in cœlum et sedet a dextris Dei, sic etiam nobis per baptisma viam salutis ac regni cœlestis introitum patere signavit. Bene autem ait, *deglutiens mortem*; quod enim deglutimus, agimus, ut virtute nostri corporis absumptum, nusquam pareat; et deglutivit mortem Dominus, quam resurgens a mortuis ita funditus consumpsit; ut nihil contra se ultra per attactum alicujus corruptionis valeret, ac manente specie veri corporis abesset prorsus labes omnis priscæ fragilitatis. Quod ipsum et nobis in fine promittitur futurum, dicente Apostolo cum de nostra resurrectione loqueretur : *Tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est, mors, victoria*. Bene absorpta, quia et cum nos vitæ æternæ participes fuerimus effecti, ita nimirum virtus corporalis immortalis omne præteritæ corruptionis novum tollet, quomodo solet flamma ignis immissam aquæ guttam ardoris sui consumere virtute.

HOMILIA XIV.

ITEM FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore : Undecim discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat eis Jesus, etc.

Post resurrectionem enim Jesus in Galilææ monte conspicitur ibique adoratur. Licet quidam dubitent, et dubitatio eorum nostram augeat fidem, dum manifestius ostenditur Thomæ et latus lancea vulneratum et manus fixas demonstrat clavis.

Et accedens Jesus locutus est eis dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Data ei qui paulo crucifixus ante, qui sepultus in tumulo, qui mortuus jacuerat, qui postea resurrexerat. In cœlo autem et in terra potestas data est, ut qui antea regnabat in cœlo per fidem credentium regnet in terris.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Primum docent omnes gentes, deinde doctos intinguunt aqua. Non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antea anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus est.

Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Ordo præcipuus jussit apostolis ut primum docerent universas gentes, deinde fidei tingerent sacramento; et post fidem ac baptisma quæ essent observanda præciperent. At ne putemus levia esse quæ jusserunt et pauca addit.

Omnia quæcunque mandavi vobis, ut qui crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta sunt.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum. Qui autem ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorat eam diem in qua die se scit futurum cum apostolis. Quomodo dixit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* et iterum : *Hæc sunt*, inquit, *verba mea cum adhuc essem vobiscum*, hoc est cum adhuc mortalis essem sicut et vos? Cum illis enim erat præsentia corporis, non cum illis erat conditione mortalitatis. Et modo nobiscum est præsentia majestatis, et nobiscum non est præsentia corporis. Istarum duarum in sacrosancto baptismate fit concordia lectionum. Apostolus enim dicit : *Et vos similis formæ salvos facit baptisma;* Evangelium ait : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit et baptizatus non fuerit, in æternum damnabitur.*

HOMILIA XV.

SABBATO IN OCTAVA PASCHÆ.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli.

Charissimi, deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, etc.

Qui renati estis, inquit, nuper et filii Dei per baptisma facti tales estote modo per studium bonæ conversationis, quales sunt recensiti infantes per naturam innoxiæ ætatis, ignari malitiæ et omnis doli, simulare, invidere, detrahere, aliis hujusmodi vitiis mancipari omnimodis ignorantes. Qui sicut lac in æternum naturaliter desiderant ut ad salutem crescere, atque ad panem comedentes pervenire valeant, ita et vos simplicia rudimenta fidei primo de Ecclesiæ matris uberibus quærite, hoc est, de utriusque testamenti doctoribus qui divina eloquia vel scripsere, vel etiam viva voce vobis prædicant ut bene discendo perveniatis ad refectionem panis vivi qui de cœlo descendit, hoc est per sacramenta Dominicæ incarnationis quibus renati estis et quibus nutrimini, perveniatis ad contemplationem divinæ majestatis.

Rationabiles, inquit, *et sine dolo lac concupiscite ut in eo crescatis in salutem*, præcepto concupiscendi lac verbi tangit eos qui ad audiendas lectiones sacras, inviti et fastidiosi adveniunt, ignari illius sitis et esuriei de qua Dominus ait : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, ideoque tardius ad perfectum salutis crementum pervenientes, quo possint solido verbi cibo refici, id est, arcana cognoscere divina, et majora facere bona.

Si tamen gustastis quomodo dulcis est Dominus. Hoc, inquit, pacto dimissa atque emundata cordis vestri malitia et spurcitia spiritalem Christi alimoniam concupiscite, sic divinæ dulcedinis quanta sit multitudo sapitis. Nam qui nihil de superna suavitate gustat animo, non est mirum si hanc terrestribus illecebris sordidare non evitat. Bene autem Psalmista gustare monet quam dulcis sit Dominus, quia nonnulli sunt qui non id de Domino sentiunt quod dulce interius sapiant, sed quod excussum interius sonet. Qui et si secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt. Et si noverunt quomodo sunt, ignorant, ut dixi, quomodo sapiunt. Et quo modo in ipso psalmo de quo hunc versiculum assumpsit præmissum est : *Accedite ad eum et illuminamini;* recte beatus Petrus subdit dicens.

Ad quem accedentes lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Domino autem electum et honorificatum. Et hoc de lapide testimonium sumit ex psalmo, ubi scriptum est : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quod ne quis Judaico sensu putaret de materiali lapide a Propheta cantatum, qui in ædificatione terrenæ cujuslibet domus contra hominum dispositionem divino judicio componeretur consulte addit, *vivum; ad quem accedentes*, inquiens *lapidem vivum*, ut de Christo dictum significet qui recte lapis appellatus est, qui in carne veniens ædificationi sanctæ Ecclesiæ qui hanc confirmaret sese inserere dignatus est. Vivus autem qui dicere potuit : *Ego sum via, veritas et vita.* Qui ab hominibus reprobatus est cum diceret : *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, etc. Et honorificatus, quoniam post mortem crucis *Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*, etc.

Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domos spiritales. Superædificamini illos dicit, quia sine Domino Jesu Christo, lapide scilicet vivo, nulla spiritalis ædificatio stare potest. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter ipsum cujus participatione fideles lapides vivi efficiuntur, qui per infidelitatem lapides mortui fuerant, duri scilicet et insensibiles quibus merito diceretur : *Auferam a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum.* Sed tanquam lapides vivi ad spiritale ædificium aptantur, qui per discretionem eruditi doctoris amputatis actibus et cogitationibus superfluis velut ictu quadrantur securis, et sicut ordines lapidum in pariete portantur alii ab aliis, ita portantur fideles quique a præcedentibus in Ecclesia justis; portant ipsi sequentes per doctrinam et tolerantiam usque ad ultimum justum, qui cum a prioribus portetur quem portare debeat, ipse sequentem non habebit. Qui autem omne ædificium portat, et ipse a nemine portatur, Dominus est Christus, unde et lapis a Propheta pretiosus vocatur

in fundamento fundatus. *Superædificamini*, inquit, *in domos spiritales*. Ita fieri illos domos spiritales dicit, cum sit una domus Christi ex angelis et electis hominibus collecta, quo modo cum sit una Ecclesia catholica toto orbe diffusa, sæpe pluraliter appellantur ecclesiæ propter multifaria scilicet fidelium conventicula variis tribubus populis et linguis discreta. Unde dicit ipse : *Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in ecclesiis.* Nec prætereundum quod quidam codices habent numero singulari superædificamini domus spiritalis, alii superædificamini in domum spiritalem, in quo nimirum unitas ipsa totius sanctæ Ecclesiæ aptius commendatur. Cum autem jam dixisset *Superædificamini domos spiritales* sive *domus spiritalis* addit :

Sacerdotium sanctum, id est, sacerdotium secundum vos ipsi existentes super fundamentum Christi. Omnem ergo Ecclesiam sacerdotium sanctum appellat, quod sola domus Aaron in lege nomen et officium habuit. Quia nimirum omnes summi pontificis membra sumus, cuncti oleo lætitiæ signamur, universis congruit quod subdit :

Offerre spiritales hostias per Jesum Christum. Spiritales autem hostis opera nostra, eleemosynas et preces dicit, ad distinctionem carnalium in lege victimarum. Quod autem in conclusione dicit *per Jesum Christum* ad cuncta quæ promiserat pertinet quo per ipsius gratiam et superædificamur in illo per architectos sapientes, hoc est ministros Novi Testamenti, et domus spiritales efficimur per spiritum ejus contra pluvias, ventos, flumina tentationum muniti, et sacerdotio sancto participari, et boni aliquid acceptabile Domino gerere, non nisi per ipsum valemus. *Sicut enim palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos*, inquit, *nisi in me manseritis.*

Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem electum, pretiosum. Hoc testimonium de Isaia ponit ad confirmandum hoc quod promiserat *ad quem accedentes lapidem vivum*, astruens et affirmans Dominum Salvatorem propter firmitatem suam lapidem a prophetis vocari, et quod addit :

Et omnis qui credit in eum non confundetur, propter hoc ponit quod dixerat : *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini.* Pulchre autem prophetæ hic conveniunt, et Apostoli sermo quo dicitur : *Accedentes ad lapidem vivum*, vel *credentes in eo non confundi*, illius psalmi versiculo in quo cum dictum esset, *Accedite ad eum et illuminamini*, continuo subjunctum est : *Et vultus vestri non erubescent.* Cui simile est quod Joannes ait : *Et nunc, filioli, manete in eo, ut cum apparuerit habeamus fiduciam et non confundamur ab eo in adventu ejus.*

Vobis igitur honor credentibus. Ille nimirum honor ut non confundamini ab eo in adventu ejus. Sed sicut ipse ait : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.*

Non credentibus autem lapis quem reprobaverunt ædificantes, ut sicut illum reprobaverunt, cum ædificarent actus suos, nolentes eum in fundamento cordis sui ponere, ita et ipsi reprobentur ab eo in adventu ejus, nolente illo tunc eos qui se reprobaverunt in ædificationem accipere domus suæ quæ est in cœlis. Et hæc distinctio honoris credentium, non credentium autem reprobationis hucusque pertingit, hinc item de credentibus infert :

Hic factus in caput anguli. Quia videlicet sicut lapis angularis duos parietes conjungit, ita Dominus Judæorum plebem et gentium in una sibi fidei societate copulavit. Ac mox de infidelibus addit :

Et lapis offensionis et petra scandali. Hinc et Paulus : *Nos prædicamus*, inquit, *Christum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

His qui offendunt verbo, nec credunt in quo positi sunt. Offendunt verbo eo ipso quod verbum Dei audire eos contingit ; offendunt animo, dum nolunt credere quod audiunt. Quorum stultitiam exaggerando subjecit, *nec credunt in quo et positi.* Sunt qui in hoc positi, id est per naturam homines facti sunt ut credant Deo et ejus voluntati obtemperent, Salomone attestante cum ait : *Dominum time et mandata ejus observa, hoc est omnis homo*, id est, in hoc naturaliter factus est omnis homo ut Deum timens ejus mandatis obsecundet. Quidam codices habent, *in quo et positi.* Item quod intelligitur juxta hoc, quod Paulus de Domino loquens ait : *In ipso enim et vivimus, et movemur, et sumus.*

Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Hoc est, laudis testimonium quondam antiquo Domini populo per Moysen datum, quod nunc recte gentibus dat apostolus Petrus, quia videlicet in Christum crediderunt, qui velut lapis angularis in eam quam in se Israel habuerat salutem gentes adunivit, quos *genus electum* vocat propter fidem, ut distinguat ab eis qui lapidem vivum reprobando facti sunt ipsi reprobi. *Regale* autem *sacerdotium* qui illius corpori sunt uniti qui rex summus et sacerdos est verus, regnum suis tribuens ut rex, et ut pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans, *Regale sacerdotium* eos nominat, et ut regnum sperare perpetuum et hostias immaculatæ conversationis Deo semper offerre meminerint. *Gens* quoque *sancta et populus acquisitionis* vocantur juxta id quod apostolus Paulus prophetiæ exponens sententiam dicentis : *Justus autem meus ex fide vivit. Quod si subtraxerit se non placebit animæ meæ. Nos autem*, inquit, *non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.* Et in Actibus apostolorum : *Vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo.* Populus ergo acquisitionis facti sumus in sanguine nostri Redemptoris, quod erat quondam populus Israel, redemptus sanguine agni de Ægypto. Unde et in sequenti quoque versiculo mysticæ veteris recordatur historiæ, et hac novo Dei populo spiritaliter docet implendum dicens :

Ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos voca-

vit in admirabile lumen suum. Sicut enim hi qui de Ægyptia servitute liberati sunt per Moysen carmen triumphale post transitum maris Rubri, et demersum Pharaonis exercitum Domino cantarunt, ita et nos oportet post perceptum in baptismo remissionem peccatorum dignas beneficiis cœlestibus rependere gratias. Namque Ægyptii non solum quia populum Dei affligebant, verum etiam quia *tenebræ* vel *tribulationes* interpretantur apte persequentia nos peccata, sed in baptismate significant deleta. Liberatio quoque filiorum Israel, et ad promissam olim patriam perductio congruit mysterio nostræ redemptionis per quam ad lucem supernæ mansionis illustrante nos ac ducente Christi gratia tendimus; cujus lucem gratiæ etiam illa nubes et ignis columna præmonstravit, quæ eos in toto itinere illo a tenebris defendit noctium et ad promissas patriæ sedes in venerabili calle perduxit.

Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Indicat aperte per hos versiculos, quod his qui de gentibus ad fidem venerant hanc scripsit epistolam; qui quondam alienati a conversatione populi Dei, tunc per gratiam fidei populo sunt ejus uniti, et misericordiam quam sperare non noverant adepti. Assumit autem eos de propheta Oseæ qui de vocatione gentium præcinens ait: *Vocabo*, inquit, *non plebem meam*, *plebem meam, et non misericordiam consecutam*, *misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos; ibi vocabuntur filii Dei vivi.* Et juxta Psalmistæ sententiam: *Omnes gentes plaudent manibus et jubilant in voce exsultationis.* Et item: *Omnes gentes*, inquit, *venient, et adorabunt coram te, et honorificabunt nomen tuum in æternum, quia magnus est Dominus Deus noster et magnitudinis ejus non est finis;* qui vivit et regnat in Trinitate et unitate perfecta Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, una sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum et vidit lapidem sublatum a monumento, etc.

Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor erroris, ita nunc quæ prius mortem gustaverat resurrectionem prior vidit; et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret quæ culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam. *Una sabbati* dicit, quam jam diem Dominicum propter Domini resurrectionem mos Christianis appellat; quem Matthæus solus in evangelistis primam sabbati nominavit.

Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum. Amore nimio turbata dum quem quæsivit non invenit: cucurrit discipulis nuntiare ut aut secum quærerent, aut secum dolerent ablatum Dominum, quem Dominum nominare non metuit dum corpus illius tantummodo quæreret in sepulcro.

Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus [*prius*] *ad monumentum.* Advertenda hic et commendanda recapitulatio quomodo reditum est ad id quod fuerat prætermissum, et tanquam hoc sequeretur adjunctum est. Cum enim jam dixisset *Venerunt ad monumentum,* regressus est ut narraret quomodo venerunt, atque ait: *Accurrebant autem duo simul*, etc. Ubi ostendit quod præcurrens ad monumentum prior venerit ille alius discipulus, quem seipsum significat, sed tanquam de alio more sanctæ Scripturæ cuncta narrat.

Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. Quod vero Maria Magdalene venit ad monumentum cum adhuc tenebræ essent, juxta historiam notatur hora, juxta intellectum vero mysticum requirentis signatur intelligentia. Maria enim auctorem omnium quem carne viderat mortuum quærebat in monumento, et quia hunc minime invenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cum venit ad monumentum. Cucurrit citius, discipulis nuntiavit; sed illi præ cæteris cucurrerunt qui præ cæteris amaverunt, videlicet Petrus et Joannes. Currebant autem diu simul, sed Joannes præcucurrit citius Petro, venit prior ad monumentum et ingredi non præsumpsit.

Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum. Iste vero cursus duorum discipulorum magnum habet mysterium. Quid enim per Joannem qui prior venit ad monumentum et non intravit nisi Synagoga significatur? Quid per Petrum, nisi Ecclesia ex gentibus congregata demonstratur, quæ posterius vocata, prior intravit? Cucurrerunt enim pariter Gentilitas et Synagoga per hujus sæculi successiones, sed non pari intelligentia veniebant. Venit Synagoga prior ad monumentum, sed minime intravit, quia legis quædam percepit mandata, prophetas incarnationis ac passionis Dominicæ audivit, sed credere in mortuum noluit.

Vidit Joannes posita linteamina, non tamen introivit, quia videlicet Synagoga et Scripturæ sacræ sacramenta cognovit, et tamen ad fidem passionis Dominicæ credendo, intrare distulit; quem diu longeque prophetavit, præsentem vidit et renuit, hominem esse despexit, Deum carne mortalem factum credere noluit. Quid ergo est, nisi quia et citius cucurrit, et tamen ad monumentum vacua stetit. *Venit autem Simon Petrus subsequens eum et introivit in monumentum,* quia secuta posterior Ecclesia gentium mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, et cognovit carne, mortuum et viventem credidit Deum. Sequitur:

Et vidit linteamina posita, et sudarium, quod fuerat super caput Jesu non cum linteaminibus positum,

sed separatim involutum in unum locum. Quid est A quod sudarium capitis Domini cum linteaminibus non invenitur in monumento, nisi quod attestante Paulo *caput Christi est Deus* et divinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione disjuncta sunt, ejusque potentia creaturæ transcendit naturam. Et notandum quod non solum separatim, sed etiam involutum invenire dicitur. Linteum quippe quod involvitur, ejus nec initium nec finis aspicitur. Recte ergo sudarium capitis involutum est, quia celsitudo divinitatis nec cœpit esse nec desivit. Bene autem additur, *in unum locum*, quia in scissura mentium Deus non est; Deus quippe in unitate est, et illi ejus habere gratiam merentur qui se ab invicem propter persecutorum scandala non dividunt. Potest quoque per sudarium B passio Domini nostri designari, cujus passionis sacramenta infidelibus sunt involuta, quia quem videbant carne mortalem, Deum esse immortalem non credebant. Sudarium ergo quod super ejus caput fuerat, seorsum invenitur, quia ipsa passio Redemptoris nostri longe a nostra passione disjuncta est, quoniam ipse sine culpa pertulit quod nos culpa toleramus. Ipse sponte morti succumbere voluit, ad quam nos inviti venimus. Sequitur:

Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat prius ad monumentum. Postquam intravit Petrus, ingressus est et Joannes. Posterior intravit qui prior venerat. Notum est quod in fine mundi ad Redemptoris fidem etiam Judæa colligetur, Paulo attestante qui ait: *Donec plenitudo gentium intraret, et* C *sic omnis Israel salvus fieret*.

Et vidit et credidit. Quid ergo vidit et quid credidit? Vidit linteamina posita, et credidit quod mulier dixerat, de monumento Dominum fuisse sublatum. Adhuc enim tenebræ erant in monumento, id est, in mentibus illorum, ideo sequitur, et dixit: *Nondum enim sciebant Scripturas, quia oporteret eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos*, id est, ubi habitabant, et unde ad monumentum cucurrerant. Hocque notandum est, quod in lapidis nomine et in duorum significatione populorum, istarum duarum congrua sit concordia lectionum et in angulari lapide secundum Apostolum uterque populus copulatur, et in duobus apostolis secundum Evangelium utrique populi designantur; Joannes enim Judæorum, Petrus gentium populum figurabat. Qui tamen utrique et Judæis atque gentibus verbum Dei prædicabant, et Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum veraciter a mortuis resurrexisse otendebant, cui est gloria cum Domino Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVII.

DOMINICA OCTAVA PASCHÆ.

Lectio Epistolæ beati Joannis apostoli.

Charissimi, omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, etc.

Hæc namque mandata divina non sunt gravia, quia omnes qui vera devotione mancipantur, et adversa mundi hujus et blandimenta pari mente contemnunt, ipsam quoque mortem velut ingressum patriæ cœlestis amantes. Et ne quis sua virtute mundi vel luxus vel labores se superare posse consideret, consulte subjungit.

Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Illa nimirum fides quæ per dilectionem operatur, illa fides qua ejus humiliter auxilium flagitamus, qui ait: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum*.

Quis est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quod Jesus est Filius Dei? Vincit mundum, qui Jesum esse Filium Dei credens, digna eidem fidei opera jungit. Sed nunquid sola divinitatis ejus fides et confessio valet ad salutem sufficere? Vide sequentia.

Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus. Qui ergo erat æternus Filius Dei, factus est homo in tempore, ut qui nos per divinitatis suæ potentiam creaverat, per humanitatis suæ infirmitatem recrearet.

Qui venit per aquam et sanguinem suæ passionis. Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Non solum baptizari propter nostram ablutionem dignatus est, ut nobis baptismi sacramentum consecraret et traderet, verum etiam sanguinem suum dedit pro nobis et sua nos passione redemit; cujus sacramentis semper refecti nutriremur ad salutem.

Et spiritus est qui testificatur quomodo Christus est veritas. Baptizato in Jordane Domino descendit Spiritus sanctus in specie columbæ super eum, testimonium illi perhibens quia veritas est, hoc est verus Dei Filius, verus mediator Dei et hominum, verus humani generis Redemptor ac reconciliator, vere ipse mundus ab omni labe peccati, vere sufficiens tollere peccata mundi. Quod etiam ipse Baptista, viso ejusdem Spiritus adventu, intelligens ait: *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei*. Quia ergo Spiritus Jesum Christum esse testatur, ipse se veritatem cognominat. Baptista illum veritatem prædicat, filius tonitrui veritatem D evangelizat. Taceant blasphemi qui hunc fantasma esse dogmatizant, pereat de terra memoria eorum, qui eum vel Deum vel hominem esse verum denegant.

Quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, et sanguis. Spiritus dedit testimonium quomodo Jesus est veritas, quando super baptizatum descendit. Si enim Filius verus Dei non esset, nequaquam in eum tanta manifestatione Spiritus sanctus veniret. Aqua etiam et sanguis dedere testimonium quomodo Jesus est veritas, quando de latere ejus in cruce mortui manarunt, quod nullatenus fieri posset, si veram carnis naturam non haberet. Sed et hoc quod cum ante passionem oraret, factus est sudor

ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, veritati carnis assumptæ testimonium dat. Nec rejiciendum quod in hoc quoque sanguis et aqua testimonium illi dederunt quando de latere mortui vivaciter effluxerunt, quod erat contra naturam corporis; atque ob id mysteriis aptum et testimonio veritatis fuit congruum, videlicet insinuatur quia et ipsum Domini corpus melius post mortem esset victurum resuscitatum in gloria, et ipsa mors illius nobis vitam donaret. Hoc quoque quod sudor ejus instar guttarum sanguinis decurrebat in terram testimonium perhibebat illi sacrosancto mysterio, quod Ecclesiam totum per orbem suo sanguine lavaret.

Et tres unum sunt. Individua namque hæc manent, nihilque eorum a sua connexione sejungitur, quia nec sine vera divinitate humanitas, nec sine humanitate divinitas. Sed et in nobis hæc unum sunt, non naturæ ejusdem substantia, sed ejusdem operatione mysterii. Nam, sicut beatus Ambrosius ait, Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad pretium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur invisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequitur spiritali :

Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei majus est, quoniam hoc est testimonium Dei quod majus est, quia testificatus est de Filio suo. Magnum est testimonium hominis quod perhibet de Filio Dei, dicens : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Et ex persona illius Filii : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu.* Itemque ex persona Patris loquentis de Filio : *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.* Pater meus, quia ego Filius Dei; Deus meus, quia ego homo; susceptor salutis meæ, quia ego passurus et a morte salvandus sum. *Et ego*, inquit, *primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.* Magnum est hoc testimonium verax, et omni acceptione dignum hoc est testimonium de Filio Dei; sed multo magis est testimonium Dei, quod testificatus est ipse de Filio suo, cum de cœlo illum alloquens ait : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Magnum est testimonium præcursoris quod Dei Filio perhibens, ait : *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* Majus est testimonium Patris quo Spiritum sanctum in eum, quo semper erat plenus etiam visibiliter misit.

Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se. Qui ita credit in Filium Dei, ut exerceat operando quod credit, habet testimonium Dei in se, illud utique, quia ipse quoque in filiorum Dei numero jure computetur, ipso unico Dei Filio sic suis fidelibus pollicente : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quod si Dei testimonium habere merueris, si Dominum testem tuæ fidei intemeratæ possederis, quid te hominum infamia, aut persecutio lædet : *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos;* qui redimet animas servorum suorum et non derelinquet omnes sperantes in se Jesus Christus, Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, cum esset sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus et stetit in medio eorum, etc.

Quid mirum si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero virginis exivit. Sed quia illud corpus quod videri poterat fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus et latus, palpandam carnem præbuit quam clausis januis introduxit. Clavi enim manus fixerant, lancea latus aperuerat : ibi ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia, quia in se duo mira et juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suum et incorruptibile et tamen palpabile demonstravit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæstimabili Redemptor noster et incorruptibile post resurrectionem et palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile invitaret ad præmium, præbendo palpabile formaret ad fidem. Et incorruptibilem se ergo et palpabilem demonstravit ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum, et ejusdem naturæ et alterius gloriæ.

Dicit eis : Pax vobis. Pacem offerebat qui propter pacem venit, et quibus ante dixit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, modo dicit *Pax vobis :* quam pacem in nascente Christo angeli prædicaverunt mundo.

Et hoc cum dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Parum fuit oculis se videndum præbere, si non præberet etiam manibus contrectandum. Qui dum palpanda discipulis ossa carnemque præmonstrat, aperte statum veræ resurrectionis quæ in se facta, et in nobis est futura significat. Quia non sicut Eutychius Constantinopolitanæ urbis episcopus scripsit, nostrum corpus nulla resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius; in illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ. Neque huic assertioni putetur apostoli sermo repugnare, quia *caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*; hoc enim loco Apostolus carnis et sanguinis nomine non substantiam veri corporis, sed corruptionem mortalitatis significat, sicut ipse consequenter exposuit dicens : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Aliter namque in Scriptura sacra caro juxta naturam, aliter juxta culpam, aliter juxta corruptionem mortalitatis, quæ ex culpa contigit, appellatur. Juxta naturam quidem cum dictum est : *Hoc nunc os ex*

ossibus meis et caro de carne mea; et Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Juxta culpam vero cum dicitur: Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem. Juxta corruptibilitatem autem, cum scriptum est: *Et memorati sunt quia caro sunt*, id est, fragiles et moribundi. Hoc enim se carnis nomine designasse manifestat ipse Psalmista, qui protinus addit: *Spiritus vadens et non rediens.* Regnum itaque Domini caro non possidebit, id est caro juxta culpam vel mortalitatem; et tamen caro possidebit regnum Domini, id est, caro juxta naturam quam et Dominus post resurrectionem videndam palpandamque discipulis exhibuit. Et de qua beatus Job cum gloriam resurrectionis describeret, ait: *Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Dominum.* Lege epistolam sancti Augustini ad Crescentium de corpore Domini post resurrectionem.

Dicit ergo eis iterum *Pax vobis*. Iteratio sermonis confirmatio est. Quod autem dicit secundo, *Pax vobis*, ostendit pacificata esse quæ in cœlis sunt, et quæ in terris per sanguinem suum.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Pater Filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit; quem videlicet in mundo venire ad passionem voluit, sed tamen amavit Filium quem ad passionem misit. Electos vero apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est ad passiones in mundum mittit. Quia ergo Filius amatur a Patre, et tamen ad passionem mittitur, et ita discipuli amantur a Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaque dicitur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, id est ea charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.

Hoc cum dixisset, insufflavit, et dicit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quærendum nobis est quid est quod Spiritum sanctum Dominus noster, et semel dedit in terra consistens, et semel cœlo præsidens. Neque enim alio in loco Spiritus sanctus aperte monstratur, nisi nunc cum per insufflationem percipitur, et postmodum cum de cœlo veniens in linguis variis demonstratur. Cur ergo prius in terra discipulis datur, postmodum de cœlo mittitur, nisi quod duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei et proximi: in terra datur Spiritus ut diligatur proximus, e cœlo datur spiritus ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas et duo præcepta, ita unus Spiritus et duo data. Prius a consistente Domino in terra, postmodum e cœlo, quia in proximi amore discitur qualiter pervenire debeat ad amorem Dei. Insufflando significat Spiritum sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed et suum.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Ecce charitas quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt ejus participes tenet. Ideo postquam dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subjecit. Sciendum vero est quod hi qui primum Spiritum sanctum habuerunt ut et ipsi innocenter viverent et in prædicatione quibusdam prodessent, idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, ut non prodessent paucis, sed pluribus profuissent.

Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Iste unus discipulus defuit. Reversus quod gestum est audivit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus et non credenti discipulo latus palpandum præbuit, manus ostendit, et ostensa vulnerum suorum cicatrice, infidelitatis illius vulnus sanavit. Quid, fratres charissimi, quid inter hæc animadvertistis? nunquid casu gestum creditis ut electus ille discipulus tunc deesset? Post hæc veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, non hoc casu sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia ut discipulus dubitans dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum fuit, quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.

Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Quod autem dicit Joannes non cum illis fuisse tunc apostolum Thomam, cum secundum Lucam duo illi, quorum erat unus Cleophas, regressi Jerusalem invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, procul dubio intelligendum est quod inde Thomas exierit antequam eis Dominus hæc loquentibus appareret.

Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio eorum et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis. Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit, sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. Nam ita factus est discipulus dubitans et palpans testis veræ resurrectionis, sicut sponsus fuit matris custos integerrimæ virginitatis. Non solum manus et pedes quibus indita clavorum claruere vestigia, sed attestante Joanne etiam latus quod lancea perforatum fuerat ostendit, ut videlicet ostensa vulnerum suorum cicatrice dubietatis atque infidelitatis eorum vulnus sanaret. Verum quomodo post resurrectionem clavorum et lanceæ loca pandendo discipulorum dignatus est fidem spemque roborare, ita in die judicii et eadem passionis judicia et ipsam pariter crucem monstrando venturus est impietatem superborum infidelitatemque confundere, scilicet ut ipsum se esse, qui ab impiis et pro impiis mortuus est, cunctis palam angelis et hominibus ostendat,

videantque, ut scriptum est, *in quem pupugerunt, et plangant se super eum omnes tribus terræ*. Sane notandum quod solent in hoc loco gentiles calumniam struere, et fidem speratæ a nobis resurrectionis stulta garrulitate deridere. Si enim ipse Deus vester, inquiunt, nec sibi inflicta a Judæis vulnera curare prævaluit, sed cicatricum vestigia cœlo secum, ut dicitis invexit, qua temeritate putatis eum vestra de pulvere membra ad integrum esse restauraturum. Quibus respondendum, quia Deus noster qui suam perpetua jam immortalitate glorificatam de sepulcro carnem resuscitare quando voluit, et quomodo voluit, potuit, etiam qualem voluit suscitavit. Neque enim consequens est ut qui majora fecisse probatur minora facere nequiverit, sed certe dispensationis gratia qui majus fecit minus facere supersedit. Hoc est quod mortis regna destruxit, signa mortis obliterare noluit: primo videlicet ut per hæc discipulis suis fidem suæ resurrectionis astrueret; deinde ut Patri pro nobis supplicans quale genus mortis pro mortalium vita protulerit semper ostendat; tertio ut sua morte redemptis qua misericorditer adjuti sint propositis semper ejusdem mortis innovet indiciis, ideoque, misericordias Domini in æternum cantare non cessent sed dicant qui redempti sunt a Domino: *Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*; postremo ut etiam perfidis in judicio quam juste damnentur ostensa inter alia flagitia etiam vulnerum quæ ab eis suscepit cicatrice denuntiet. Velut si miles aliquis fortissimus jubente suo rege pro totius gentis salute singulari certamine desudans, multis quidem vulneribus exceptis, hostem tamen interficiat, spolia ejus diripiat, victoriam suæ genti reportet, et interrogatus a medico, cui curandus committitur, ita ne velit curari ut nec vestigia vulnerum ulla resideant, an magis ita ut cicatrices quidem remaneant, deformitas vero prorsus omnis et fœditas absit, respondeat sæpius ita se velle sanari ut, toto salutis decorisque pristini statu recuperato, perpetua secum tanti circumferat signa triumphi. Sic profecto Dominus perpetis ob signum victoriæ non curari excepta pro nobis vulnera passionis, sed ipsorum cicatrices cœlo inferre quam abolere maluit; nec tamen ex his quippiam fidei nostræ resurrectionis præjudicat, de qua veraci promissione prædicitur: *Et capillus de capite vestro non peribit*.

Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me credidisti. Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: *Quia vidisti me, credidisti?* Sed aliud vidit, aliud credidit; a mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit et Deum confessus est dicens: *Dominus meus et Deus meus*. Videndo ergo credidit qui considerando hominem verum hunc Deum quem videre non poterat exclamavit.

Beati qui non viderunt, et crediderunt. In hac nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem carne non vidimus, mente retinemus.
A Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus sequimur; ille etenim vere credit, qui exercet operando quod credit. Quod autem ait, *Beati qui non viderunt et crediderunt*, præteriti temporis usus est verbo, tanquam ille qui quod erat futurum in sua noverat prædestinatione jam factum. Sed his verbis proprie gentium, ut diximus, fides designatur. *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*, significans evangelista plurima fecisse Jesum signa et miracula salutis et prædicationis quæ non scripta essent propter multitudinem illorum rerum quæ gestæ fuerunt ab eo.

Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus Christus est Filius Dei, et ut credentes vitam æternam
B *habeatis in nomine ejus*. Ille enim qui credit quia Jesus est Christus Filius Dei, credendo ipsum Filium in se habet: habendo Filium et vitam habet, quia ipse dixit: *Ego sum via et veritas et vita*. Insuper vitam cum sanctis possidebit æternam, ubi erit certa securitas, sempiterna felicitas, inenarrabile gaudium ubi implebitur illud: *Ero illorum Deus, et ipsi mihi erunt populus*, id est ero unde satientur, ero eorum et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona. Et sic implebitur illud Apostoli: *Ut sit Deus omnia in omnibus*, ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amatur, sine fatigatione laudatur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculo-
C rum. Amen.

HOMILIA XIX.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ ad Hebræos.

Fratres, obedite præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis.

Postquam superius dixerat, *Quorum contemplantes exitum conversationis, imitamini fidem*, tunc intulit: *obedite præpositis vestris, et subjecti estote*. Primum constituit eos et tunc dixit: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis*. Quid ergo, dicit aliquis, dum præpositus malignus exstiterit? Non obaudimus mali-
D gnum, qualiter dicis malignum; si quidem in causa fides est, fuge illum et evita, non solum si homo fuerit, sed etiam si angelus de cœlo descenderit. Si vero in toto corde et moribus malignum ducis, noli scrutari. Et hæc non ex me ipso dico, sed ex divina Scriptura. Audi Jesum dicentem: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi*; et primo dicens de his multa mala tunc dixit: *Super cathedram Moysi sederunt; omnia*, inquit, *quæ dixerint vobis facite, quæ autem fecerint, facere nolite*. Habent, inquit, dignitatem, licet vitæ sint perditæ, verum non ad vitam eorum, sed ad sermones intendite. Quantum enim ad mores attinet nullus poterit lædi. Qua ratione hoc? quia quæ facit manifesta sunt omnibus, et neque ipse, ac si ad cacumen iniquitatis pervenit,

poterit alios mala docere. Cum autem fidei causa vertitur, neque manifestum est omnibus quod dicitur, neque malignus dubitat docere contraria : nam et quod dictum est : *Nolite judicare ne judicemini*, de vita dictum est, non de fide. Quod enim infertur hoc manifestat : *Quid vides*, inquit, *stipulam in oculo fratris tui et trabem in oculo tuo non vides? Omnia ergo quæ vobis dixerunt*, inquit, *ut faciatis facite*. Facere autem operis est non fidei. *Secundum autem opera eorum nolite facere*. Intueris quomodo non de dogmatibus, sed de vita et operibus sermo est. *Ipsi enim vigilant pro vobis rationem reddituri*. Audiant et principes, non soli illi qui reguntur a principibus, quomodo sicut obedientes oportet esse qui reguntur, sic etiam rectores et principes vigilantes esse dicit. *Hoc*, inquit, *dico ut cum gaudio faciant et non gemiscentes, non enim expedit vobis*. Intueris quando contemnuntur principes, non oportet ultiones ingerere, sed tota ultio est plorare et ingemiscere. Nam et medicus quando ab ægroto contemnitur, non se ulciscitur, sed plorat et ingemiscit; sed dicis quia ille ingemiscit, ulciscitur in te Deus. Si enim cum pro nostris peccatis ingemiscimus, adducimus ad nos propitiationem Dei, per aliorum vero superbiam et contemptum cum ingemiscimus, nonne amplius advocamus Deum? Gemitus enim omni erit ultione deterior. Quando enim ipse non intelligit, ingemiscens invocat Dominum. Et sicuti cum doctor contemnitur a puero, pædagogus cogatur qui severius accedit ad puerum, sic etiam hi qui inobedientibus discipulis non loquentur periculum.

Orate pro nobis; confidimus enim quia bonam habemus conscientiam in omnibus bene volentes conversari. Intueris quomodo hæ deprecationes sunt veluti ad contristatos scribens, et ad eos qui avertebantur, et qui circa eum veluti circa prævaricatorem afficiebantur, non ferentes ne quidem nomen ejus audire. Quomodo igitur ab obedientibus sibi talia postulabat, qualia quis a dilectoribus potest præsumere, propterea in hoc loco hoc constituit dicens, *Confidimus quia bonam conscientiam habemus*, veluti si diceret : Nolo mihi accusationes aliquas proferatis. Conscientia, inquit, nostra nos in nullo condemnat, neque nobis aliquid conscii sumus quomodo vobis insidias fecerimus. *Confidimus*, inquit, *quoniam bonam conscientiam habemus in omnibus*, non in gentibus tantum, sed etiam in vobis. Nihil negotiationis gratia fecimus, nihil confectionis protulimus; fortasse enim in talibus accusabatur. *Audierunt enim*, inquit, *de te quomodo discessionem doces a lege*; non sicut inimicus, inquit, neque sicut hostis, sed sicut amicus hæc scribo. Hoc etiam ex his quæ sequuntur ostenditur.

Amplius autem deprecor vos hoc facere, ut quo celerius restituar vobis. Hoc enim nimium amantis est sic orare non simpliciter, sed cum tota intentione et omni prorsus studio. Ut cito, inquit, ad vos veniam. Hoc animi est nihil sibi conscii festinare, ut ad eos velociter adveniret, et exhortari illos, orare pro il-

A lis, ut hoc ei concederetur. Primum ab ipsis postulat orationes, tunc etiam ipse pro eis omnia bona deprecabatur.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni opere bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Deus, inquit, *pacis*; nolite igitur dissidere a nobis si vultis Dominum habere propitium. *Qui eduxit*, inquit, *de terra pastorem magnum*. Hoc de resurrectione dictum est. Hinc enim usque ad finem orationis rationem eis de resurrectione confirmat, et testificatur eis majora perfectionis. Ad illos enim pertinet, qui jam sumpsere

B principium, et quorum ad perfectionem omnis cursus intenditur; oratque pro eis : quod pertinet ad amantem. Et in aliis quidem epistolis in exordiis orat, hic autem in fine. *Aptet vos*, inquit, *in omni opere bono ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se*. Intueris qualiter ostendit ingenerari posse virtutem; neque ex Domino dicit totum, neque ex nobis eam perfici tantum. Nam quod dicit, *Ut perficiat vos in omni opere bono*, hoc significat : Habetis quidem virtutem, indigetis autem complemento. Quid autem est quod dicit, *in omni opere et sermone bono?* Ut videlicet vitam rectam haberent et dogmata. Secundum voluntatem ejus, inquit, faciens in vobis, beneplacitum in conspectu ejus. Hæc quippe est maxima virtus facere

C beneplacitum in conspectu Dei, secundum quod etiam Propheta loquitur dicens: *Et secundum munditiam manuum mearum in conspectu oculorum ejus*; cui rei vera in cœlis est merces præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, surgens Jesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ, etc.

Hæc apparitio quo modo et ubi sit facta Joannes plenissime docet. Surrexit autem Dominus mane de monumento in quo, sero jam facto, erat depositus,

D ut adimpleretur illud Psalmistæ : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia*. Sepultus ergo sexta sabbati quæ dicitur Parasceve circa horam vespertinam, sequenti nocte ac die sabbati cum nocte subsequenti in monumento positus, sic die tertia id est, primo mane sabbati surrexit. *Apparuit*, inquit, *primo Mariæ Magdalenæ de qua ejecerat septem dæmonia*.

Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor erroris, ita nunc quæ prius mortem gustaverat resurrectionem prior vidit; et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, quæ culpam viro transfuderat, transfudit

et gratiam. Unde recte mulier, hæc quæ viris lugentibus ac flentibus lætitiam Dominicæ resurrectionis prima nuntiavit, a septem dæmonibus curata esse memoratur, ut universis vitiis plena fuisse, sed ab his omnibus divino munere mundata esse signetur, et ubi abundavit peccatum superabundasse gratia monstretur.

Et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt. Quod resurrectionem Dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illius dubitantibus per multa argumenta monstrata est, quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum solidamur dubitatione? Minus enim mihi Maria Magdalena præstitit quæ citius credidit, quam Thomas qui diu dubitavit. Ille etenim dubitans vulnerum cicatrices tetigit, et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit.

Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensum est in alia effigie euntibus in villam; et illi euntes renuntiaverunt cæteris. Quomodo hoc factum sit Lucas exposuit latius. Quod autem dicit Marcus, *ostensus est in alia effigie*, hoc apertius dicit Lucas: *quia oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent, donec venientes cum illo in castellum quo ibant, et ponentes ei mensam quasi peregrino, tandem cognoverunt eum in fractione panis.* Qui sicut idem Lucas consequenter adjungit: *Surgentes eadem hora sunt regressi in Hierusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant dicentes: Quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Quod autem ait Marcus, *annuntiaverunt cæteris, nec illi crediderunt*, cum Lucas dicat quod jam ante loquebantur vere resurrexisse, et Simoni apparuisse, quid intelligendum est, nisi aliquos fuisse ibi qui hoc nollent credere? Cui autem non eluceat prætermisisse Marcum quæ Lucas narrando explicavit, hoc est quæ cum illis locutus fuerit Jesus antequam agnoscerent eum et quomodo eum in fractione panis agnoverint? Quando quidem mox ut dixit eis apparuisse in alia effigie euntibus in villam, continuo conjunxit, *Et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt:* quasi possent nuntiare quem non agnoverant, aut possent agnoscere quibus alia effigies ejus apparuerat. Quomodo ergo eum agnoverint ut nuntiare possent, Marcus sine dubio prætermisit. Quod ideo memoriæ commendandum est, ut assuescamus advertere evangelistarum morem ita prætermittentium quæ non commemorant, et conjungentium quæ commemorant, ut eis qui usum in hac consideratione non habent, non aliunde maxime error oriatur, quo putant eos non sibi congruere, cum eis una fides, unum baptisma esset, et unum Deum veraciter colebant, qui in Unitate et Trinitate perfecta regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, exierunt cito mulieres de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus, etc.

Duplex enim mentes mulierum tenebat affectus, timoris et gaudii; alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis; et tamen uterque femineum concitabat gradum; pergebant ad apostolos, ut per illos seminarium fidei spargerent. Currentibus autem evangelizare discipulis occurrit Jesus eosque salutat, ostendens se omnibus iter virtutum inchoantibus, ut ad salutem perpetuam pervenire queant adjuvando occurrere.

Ecce Jesus occurrit illis dicens, Avete. Quæ sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obvium habere Dominum resurgentem, et primæ audire, *Avete*, ut maledictum Evæ mulieris in mulieribus solveretur.

Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Istæ accedunt et tenent pedes ejus, quia adoraverunt eum. Cæterum illa quæ quærebat viventem cum mortuis, et nesciebat adhuc Filium Dei resurrexisse, merito audivit: *Ne tangas me, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Videamus resurgentem a mortuis Dominum in veritate nostræ carnis, videamus gloriam novæ corruptionis. Superius quippe lectum est quia clauso surrexit monumento; nunc autem legitur quia mulieres tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Surrexit enim clauso ostio monumenti et exiit, ut immortale jam factum doceret esse corpus, quod in monumento clausum fuerat mortuum. Tenendas mulieribus præbuit plantas, ut veram se habere carnem quæ a mortalibus tangi posset intimaret.

Tunc ait illis: Nolite timere. Et in Veteri et Novo Testamento hoc semper observandum est, quod quando augustior aliqua apparaverit visio, primum timorem pellat, ut sic mente placida possint quæ dicuntur audiri.

Ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. His fratribus dicit, de quibus in alio loco dicitur: *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis*, qui Salvatorem nequaquam in Judæa conspiciunt, sed in gentium multitudine. Ecce humani generis culpam ibi abscidit unde processit. Quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulcro mulier viris annuntiavit vitam; et dicta sui vivificatoris narrat quæ mortifera serpentis verba narraverat.

Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum, omnia quæ facta fuerant. Simplex animi qualitas, et indocta hominum rusticitas sæpe veritatem rei ut est sine fraude manifestat. At contra versuta malignitas et exercitata pravæ mentis nequitia dolos versando falsitatem verisimilibus verbis pro ipso vero commendare decertat, sibique in assensum

plures convertere et coadunare festinat; quod sequens sententia ita ostendit.

Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus. Miracula talia facta sunt circa sepulcrum ut eorum ipsi milites qui custodes advenerant, testes fierent, si vellent vera nuntiare; sed avaritia illa quæ captivavit discipulum comitem Christi, captivavit et milites custodes sepulcri.

Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. Custodes miraculum confitentur, ad urbem conciti redeunt, nuntiant principibus sacerdotum quæ viderant, quæ facta conspexerant. Illi qui dubii erant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere surgentem perseverant in malitiam, et pecunias, quæ ad usus templi datæ fuerant, vertunt in redemptionem mendacii, sicut ante triginta argenteos Judæ dederant proditori. Omnes igitur qui stipe templi et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluptatem, similes sunt scribarum et sacerdotum redimentium mendacium et sanguinem Salvatoris. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant docti. O pestis maligna et semper bonis animis detestanda avaritia, quid illæsum, quid inconcussum dimittis? Tu primum hominem perdidisti, tu genus humanum confudisti, tu fratres unanimes in prælium armasti, tu pacificos discordes fecisti, tu discipulum comitem Christi de apostolatu præcipitasti, tu militem custodem sepulcri captivasti, et errorem nequissimum in mundum introduxisti, et gentem antiquam et quondam nobilissimam seduxisti. Unde sequitur :

Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. Hactenus quidem error iste manet apud Judæos; et sicut sanguinis reatus quem sibi et posteris suis ipsi imprecabantur, gravi sarcina peccatorum illos premit, ita emptio mendacii per quod resurrectionis denegant veritatem reatu eos constringit perpetuo respuentes Christum et exspectantes Antichristum, ut qui vili pretio vendiderunt veritatem, erroris in capite suo apprehendant universitatem, per quam justo judice retribuente pœnam percipiant sempiternam in sæcula sæculorum. Amen.

Lectionem et evangelium in CONCEPTIONE SANCTÆ MARIÆ *require in lectionibus mensis* X, *feria quarta infra hebdomadam* II *ante Natalem Domini.*

Lectio Isaiæ prophetæ.

In diebus illis locutus est Dominus ad Achaz, dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria.

IN NATALI SANCTI LEONIS PAPÆ.

Lectio libri Sapientiæ.

Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis parabolam hanc : Homo quidam peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua.

Lectionem et Evangelium in NATALI SS. TIBURTII ET VALERIANI ET MAXIMI *require in Natali sanctorum plurimorum.*

Lectio libri Sapientiæ.

Lingua sapientium ornat scientiam et os fatuorum ebullit stultitiam.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore videns Jesus turbas ascendit montem.

HOMILIA XXII.

DOMINICA I POST OCTAVAM PASCHÆ.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli.

Charissimi, Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste.

Audisti, *Christus passus est pro vobis*, et gaudes quia pro te mortuus est Christus. Attende quod sequitur : *Relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus;* exemplum tribulationum, non deliciarum; contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, spinarum, crucis, vulnerum, mortis. In psalmo scriptum est : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Propter quæ verba labiorum Dei, nisi quibus promittit vitam æternam?

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus morte sanati estis. Cum supra ad servos specialiter faceret sermonem, nunc generaliter admonet, ut etiam Dominus in memoriam revocet, quid pro illis Dominus Deus sustinuerit. Imo totam Ecclesiam instruit, quid pro ejus liberatione suus auctor pertulerit. Non enim ait peccata *vestra*, sed etiam se addito; *qui peccata, inquit, nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

Eratis enim sicut oves errantes. Quomodo et oves dicit et errantes, cum hi qui in errore vitam ducunt hædorum potius quam ovium nomine censeantur? nisi quia novit Dominus qui sunt ejus, qui et multos diu male conversantes sustinet, quos tamen in ovium suarum numero salvandos esse prævidet.

Sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. Tangit evangelicam parabolam ubi pius pastor relictis nonaginta novem ovibus in deserto, venit visitare unam quæ erraverat. Nam quod ibi dictum est, quod hanc inventam imposuerit in humeros suos gaudens, hoc ista beatus Petrus præmisit : *Qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum.* Quia nimirum ita nos redimere

voluit ut lignum in quo peccata tolleret pendens in humeris haberet. *Ad pastorem* ergo, inquit, *et visitatorem animarum vestrarum.* Pastorem videlicet, quia pascua nobis vitæ donat æternæ, pascua in præsenti temporalium præstat gratiarum. Visitatorem vero animarum vestrarum, quia *visitavit nos, oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.* Visitat quotidie ipsam in nobis quam donavit lucem, ne deficiat servando, imo ut et crescat juvando. Quidam codices ipsum Græcum habent, *ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Episcopus autem Latine *superintendens* dicitur; quia nimirum oculi Domini super justos et aures ejus ad preces eorum et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos, cui gloria honor et potestas in sæcula sæculorum.

HOMILIA XXIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Ego sum pastor bonus. Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis, etc.

Dum Dominus boni pastoris opus ostendere voluit, seipsum proposuit in exemplo dicens : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Fecit quod monuit, ostendit quod jussit : animam suam posuit pro ovibus suis. Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere; postremum vero si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. Qui non dat pro ovibus substantiam suam, quomodo daturus est animam suam? Exposuimus vel magis Domino docente intelleximus, quis sit pastor, quis ostium, quis ostiarius, qui etiam et oves, nec non qui sint fures et latrones cognovimus; sed modo de mercenario et lupo consideremus, de quibus ipse Dominus dixit :

Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Iste sunt enim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quo in regimine laborat, hic quod quærit inveniat et ab hæreditate gregis in posterum alienus existat.

Et lupus rapit et dispergit oves. Lupus rapit et dispergit oves cum alium ad luxuriam pertrahit, alium in avaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam dividit, hunc invidia stimulat, illum in fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo fervore dilectionis excitatur, quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Sola ergo causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur : Stare in periculo ovium non potest, qui in eo quod ovibus præest; non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat. Item lupus super oves venit, cum quilibet injustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur, et non erat, relinquit oves et fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere ejus injustitiæ non præsumit; fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium, fugit qui injustitiam vidit et tacuit; fugit qui se sub silentio abscondit. Sed est alius lupus qui sine cessatione quotidie non corpora sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circuit et mortes animarum quærit. *Ego sum pastor bonus :* quia superius Redemptor noster culpas ficti pastoris innotuit, iterum formam cui debeamus imprimi ostendit dicens :

Ego sum pastor bonus; atque subjungit : *Et cognosco meas,* hoc est diligo. *Et cognoscunt me meæ,* id est obsequuntur diligentes.

Sicut me novit Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Ac si aperte dicat : In hoc constat quia et cognosco Patrem et cognoscor a Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, id est ea charitate qua pro ovibus morior, quantum Patrem diligam ostendo. Quia vero non solum Judæam, sed etiam gentilitatem redimere venerat, adjungit :

Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. Redemptionem nostram qui ex gentili populo venimus, Dominus aspexerat, cum se adducere et alias oves dicebat. Hoc quotidie fieri, fratres, aspicitis, hoc reconciliatis gentibus, factum hodie videtis quasi ex duobus gregibus unum ovile fecit, quia Judaicum et gentilem populum in sua fide conjungit, Paulo attestante qui ait : *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum.* Dum enim ad æternam vitam ex utraque natione simplices eligit, ad ovile proprium oves deducit. Igitur istarum duarum et in ovibus et in pastore fit conveniens concordia lectionum ubi demonstratur capitis et membrorum concordia quæ fit in Christo et Ecclesia, quia ipse mediator Dei et hominum Christus Jesus simul cum membris suis, hoc est electis omnibus gaudet et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli.

Charissimi, scientes quod non corruptibilibus, auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione

paternæ traditionis, *sed pretioso sanguine*, *quasi agni incontaminati et immaculati Jesu Christi*, etc.

Quanto majus est pretium quo redempti estis a corruptione vitæ carnalis, tanto amplius timere debetis ne forte ad corruptelam vitiorum revertendo animum vestri Redemptoris offendatis. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in æternum, tale est in Evangelio Joannis : *His qui credunt in nomine ejus*, *qui non ex sanguinibus*, *neque ex voluntate viri*, *sed ex Deo nati sunt*. Sicut ergo incorruptibile est pretium Dominicæ passionis quo redempti sumus, ita etiam incorruptibile est sacramentum fontis sacri quo renascimur : quæ ita sibi invicem connectuntur, ut unum nobis sine altero salutem conferre nequeat, quia nimirum Dominus ita nos tempore incarnationis suæ sacro sanguine simul omnes redemit, ut nos quoque nostro tempore viritim per regenerationem baptismi, ad consortium ejusdem regenerationis pervenire debeamus. De qua regeneratione bene dicitur : *Quia non ex semine corruptibili*, *sed per verbum Dei vivi et permanentis in æternum agatur*, ut hinc colligatur, quia sicut ex semine corruptibili caro quæ corrumpatur nascitur, sic per aquam verbo Dei consecratam, vita nobis quæ finem nesciat tribuitur. Quod etiam apte prophetico astruit testimonio subjiciens, quia *Omnis caro fenum et omnis gloria ejus tanquam flos feni*; *exaruit fenum et flos decidit* : *verbum autem Domini manet in æternum*. Sicut ergo corruptibilis corruptibilem caro generat carnem, ita verbum Domini, quod manet in æternum, æternam his quos ex aqua recreat in carne simul et anima vitam dat. Hujus testimonii sanctus Cyprianus, in libro de Habitu virginum ita meminit : *Clama*, inquit Isaias, *Deus* : *Omnis caro fenum*, *et omnis claritas ejus ut flos feni*; *aruit fenum et flos decidit*, *sermo autem Domini manebit in æternum*. Neminem Christianum decet et maxime virginem non decet claritatem ullam computare carnis et honorem, sed solum appetere sermonem Dei, bona in æternum mansura complecti. Aut si carni sit gloriandum, tunc plane quando in Christi nominis confessione cruciatur, quia tunc fortior femina viris torquentibus invenitur, quando ignes, aut cruces, aut ferrum aut bestias patitur ut coronetur. Ita sunt carnis pretiosa monilia, corporis ornamenta meliora; cruciatibus autem carnis, in quibus per patientiam anima decoratur, gloriam sanctis ac fidelibus præparat sempiternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore una sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, *portantes quæ paraverunt aromata*, etc.

Una sabbati sive prima sabbati, prima est dies a sabbato, quam diem Dominicam propter Domini resurrectionem mos Christianus appellavit. Quod autem valde diluculo mulieres venerunt ad monumentum, juxta historiam quidem magnus quærendi et inveniendi Dominum fervor charitatis invenitur; juxta vero intellectum mysticum nobis datur exemplum illuminata facie discussisque vitiorum tenebris ad sacrosanctum Domini corpus accedere. Nam et sepulcrum illud venerabile figuram Dominici habebat altaris in quo carnis ejus ac sanguinis solent mysteria celebrari. Aromata autem quæ mulieres deferunt odorem virtutum et orationum quibus ad altare appropinquare debemus, suavitatem significant. Unde Joannes in Apocalypsi sua, cum phialas in manu angelorum aureas, id est mundas in electorum corde conscientias plenas odoramentorum descripsisset, subjunxit exponens atque ait : *Quæ sunt orationes sanctorum*.

Et invenerunt lapidem revolutum a monumento, *et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu*. Quomodo lapis per angelum revolutus sit Matthæus sufficienter exposuit. Sed revolutio lapidis mystice reserationem sacramentorum quæ velamine litteræ tegebantur insinuat. Lex enim in lapide scripta est, cujus ablato tegmine corpus Domini mortuum non invenitur, sed vivum evangelizatur, quia etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus.

Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, *ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*. Mente consternatæ erant, quia et lapidem tam immensæ magnitudinis revolutum stupebant, et corpus tam eximiæ venerationis non inventum dolebant. Sicut autem tentato in solitudine Domino, mox impleta victoria, accedentes ei angeli ministrant, ita eodem passo in carne Salvatore, post devictæ certamina mortis veniunt angeli, qui non solum verbo consolante sed et fulgente habitu gloriam triumphantis annuntient. Quoniam autem posito in sepulcro copore Salvatoris astitisse leguntur angeli, ita etiam celebrandis ejusdem sacratissimi corporis mysteriis tempore consecrationis assistere sunt credendi, monente Apostolo mulieres in Ecclesia velamen habere propter angelos.

Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, *dixerunt ad illas* : *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic*, *sed surrexit*. Nolite, inquiunt, cum mortuis, hoc est in monumento qui locus est proprie mortuorum, quærere eum qui ad vitam jam surrexit a mortuis. Et nos autem exemplo devotarum Deo feminarum, quoties ecclesiam intramus et mysteriis cœlestibus appropinquamus, sive propter angelicæ præsentiam virtutis, seu propter reverentiam sacræ oblationis cum omni humilitate et timore ingredi debemus. Ad conspectum quippe angelorum vultum declinamus in terram, cum supernorum civium quæ sunt gaudia æterna contemplantes, humiliter nos cinerem esse terramque recolimus : sicut beatus Abraham : *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis*. Et notandum quod sanctæ mulie-

res astantibus sibi angelis non in terram cecidisse, sed vultum dicuntur in terram declinasse; nec quempiam sanctorum legimus tempore Dominicæ resurrectionis, vel ipso Domino vel angelis sibi visis, terræ prostratum adorasse; unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut vel in memoriam Dominicæ et in nostræ spem resurrectionis, et omnibus Dominicis diebus, et toto Quinquagesimæ tempore non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus oremus.

Recordamini qualiter locutus est vobis cum adhuc in Galilæa esset dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Die tertia Dominus sicut ipse, quod ex hoc loco discimus, inter discipulos viros etiam feminis quæ eum sequebantur prædixit, ita resurrectionis suæ triumphum celebravit. Die namque Parasceves hora nona spiritum tradens vespere sepultus, mane prima sabbati surrexit sicut aperte Marcus evangelista designat. Non ergo immerito uno die in sepulcro et duabus noctibus jacuit, qui videlicet lucem suæ simplæ mortis, tenebris duplæ nostræ mortis adjunxit. Ad nos quippe venit qui in morte spiritus carnisque tenebamur: unam ad nos suam, id est, carnis mortem detulit, et duas nostras quas recepit solvit. Si enim ipse utramque susciperet, nos a nulla liberaret. Misericorditer accepit et juste utramque damnavit simplam suam duplæ nostræ contulit et duplam nostram moriens subegit.

Et recordatæ sunt verborum ejus. Mulieres quæ in monumento Domini stantes verborum quæ de sua dispensatione præfatus est recordantur, formam nobis præbent ut inter ipsa Dominicæ passionis mysteria celebranda, non solum ejusdem passionis, sed et ab inferis resurrectionis, nec non et in cœlos gloriosæ ascensionis digna semper veneratione recordemur. *Et egressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim et cæteris omnibus.* Sicut in principio mulier auctor culpæ viro fuit, vir executor erroris, ita nunc quæ prior mortem gustaverat resurrectionem prior vidit, et ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret, quæ culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam.

Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Maria Magdalene ipsa est soror Lazari quæ unxit Dominum unguento, Joanna uxor Chuza procuratoris Herodis, de quibus supra lectum est. Maria Jacobi mater est Jacobi junioris et Joseph, et ut Marcus evangelista dicit, *soror matris Domini*; unde et ipse Jacobus *frater Domini* meruit vocari.

Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis. Quod resurrectionem Dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas, quam nostra ut ita dicam futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illius dubitantibus per multa argumenta monstrata est, quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur.

Petrus autem surgens currit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola posita et abiit secum mirans. Quod factum fuerat Lucas breviter de cursu Petri commemorat. Sed hoc quomodo gestum sit plenius exsequitur Joannes dicens etiam illum discipulum quem diligebat Jesus cucurrisse cum Petro, se videlicet insinuans. Unde quæritur quomodo Lucas de Petro dicat: *Et procumbens vidit linteamina sola posita*, cum Joannes se potius hoc fecisse significet, Petrum vero introeuntem in monumentum vidisse non solum linteamina, sed et sudarium quod fuerat super caput ejus. Sed intelligendum est Petrum, primo procumbentem vidisse quod Lucas commemorat, Joannes tacet. Post autem ingressum, ut diligentius interiora dignosceret; ingressum tamen antequam Joannes intraret. Qui tamen ambo perfecto amore adhærent Redemptori suo, et ideo modo cum illo in gaudio regni cœlestis simul cum sanctis angelis manentes lætabuntur in perpetuum. Amen.

HOMILIA XXVI.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, accesserunt ad Jesum discipuli Joannis dicentes: Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?

Superba interrogatio et plena de supercilio Pharisæorum, certe ut aliud non dicamus reprehendenda jejunii jactantia. Nec poterant discipuli Joannis non esse sub vitio qui calumniabantur eum, quem sciebant magistri vocibus prædicatum, et jungebantur Pharisæis quos ab Joanne noverant condemnatos cum ait: *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura?*

Ait illis Jesus: Nunquid possunt filii sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt. Si sponsus Christus, sponsa Ecclesia est. De hoc spiritali connubio apostoli sunt creati qui lugere non possunt, quandiu sponsam in thalamo vident, et sciunt sponsum esse cum sponsa. Quando vero transierunt nuptiæ, et passionis ac resurrectionis tempus advenerit, tunc sponsi filii jejunabunt. Nonnulli putant idcirco post dies quadraginta passionis jejunia debere committi, licet statim dies Pentecostes et Spiritus sanctus adveniens indicet nobis festivitatem, et ex hujus occasione testimonii Montanus, Prisca, et Maximilla etiam post Pentecosten faciunt quadragesimam, quod ablato sponso filii sponsi debeant jejunare. Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut spiritali saginationi jejunio corporis præparemur. Juxta leges autem tropologiæ sciendum, quod quandiu sponsus nobiscum est et in lætitia sumus, nec jejunare possumus nec lugere; cum autem ille a nobis propter peccata recesserit et avolarit, tunc indicendum jejunium est, tunc luctus recipiendus est.

Nemo mittit commissuram panni rudis in vestimento veteri; tollit enim plenitudinem ejus de vestimento et

pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpentur utres et vinum effundetur, et utres peribunt. Sed in utres novos vinum novum mittunt et ambo conservantur. Quod dicit, hoc est : donec quis renatus fuerit, et veteri homine deposito per passionem meam novum hominem induerit, non potest severiora jejunii et continentiæ sustinere præcepta, ne per austeritatem nimiam etiam credulitatem quam nunc habere videtur amittat. Duo autem exempla posuit, vestimenti et utrium veterum et novorum; veteres debemus intelligere scribas et Pharisæos; plagula vestimenti novi et vinum novum præcepta evangelica sentire, quæ non possunt sustinere Judæi ne major scissura fiat. Tale quid et Galatæ facere cupiebant, ut cum Evangelio præcepta legis miscerent, et in utribus veteribus mitterent vinum novum. Sed Apostolus ad eos loquitur : *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit veritati non obedire?* Sermo igitur evangelicus apostolis potius quam scribis et Pharisæis est injungendus, qui majorum traditionibus depravati sinceritatem præceptorum Christi non poterant custodire. Alia est enim puritas virginalis animæ et nulla prioris vitii contagione pollutæ, et aliæ sordes ejus quæ multorum libidini subjacuerit. Unde necesse est ut prius ab uno quoque abluantur sordes vitiorum et vetustas peccati per pœnitentiam expurgetur, et sic Domini opitulante gratia virtutum scientia et spiritalis doctrinæ Christo largiente conferatur, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

DOMINICA II POST OCTAVAM PASCHÆ.

Lectio Epistolæ B. Petri apostoli.

Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos, etc.

Advenæ Latine dicuntur proselyti quo nomine appellabant Judæi eos qui de gentibus nati in Deum credere et circumcisione accepta Judaico more juxta Dei legem vitam ducere noluerunt. De quorum numero fuere quidam eorum qui in die sancto Pentecostes quo apostoli Spiritum sanctum in ignis visione perceperunt, ad prædicationem eorum Christo crediderunt, dicente Scriptura quod Judæi quoque et proselyti adessent. Sed et nos si veraciter cum Propheta Deo dicere possumus. *Quoniam incolæ nos sumus apud te in terra et peregrini sicut omnes patres nostri*, ad nos quoque Epistolas beati Petri scriptas credere, et quasi nobis missas legere debemus.

Abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Dum concupiscentiis blandientibus caro enerviter subjugatur, jam vitiorum exercitus firmiter adversus animam armatur. Quos competenter advenas vocat et peregrinos, ut eo minus terrenis rebus animam supponant, quo se patriam in cœlis habere meminerint. Namque hoc distare in hac vita inter electos solet et reprobos, quod electi peregrini nunc exsules exspectant futura, tantoque minus in præsenti gaudiis delectantur caducis, quanto futura sine fine gaudia se sperant accipere, et in æternum regnare cum Christo. At vero reprobi hic habent patriam, cujus solum vitæ desideriis norunt inhiare. Ideoque post hanc vitam in exsilium releguntur perpetuum, ubi cunctis carentes voluptatibus, sola in tormentis patiantur adversa.

Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Plerumque contigit ut pagani qui fidem Christianorum vituperabant quare deos suos dereliquissent, postmodum considerantes castam eorum conversationem et invictum in Christo animum, cessarent eis detrahere, magisque Deum glorificare ac laudare inciperent qui bonitate ac justitia cultorum suorum bonus esse probaretur et justus.

Glorificent, inquit, *Deum in die visitationis*, hoc est, in tempore retributionis. Quanta vobis sit gloria per Deum donanda jam nunc agnoscant increduli, cum vos instanter per obstantia pericula illum sequi perspexerint.

Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Omni humanæ creaturæ dicit omni dignitati hominum, omni personæ, omni principatui cui vos divina dispositio subdi voluerit. Hoc est enim quod ait, *propter Deum*, quia *non est potestas nisi a Deo, et qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quam creaturam subsequenter adjungens exponit : *Sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis.* Ideo regi tantum ac ducibus, non autem et dominis dicit, quia hoc in loco illos specialiter ut præfati sumus instruit, qui sunt domini servorum; subsequenter vero, et servos quomodo dominis famulentur admonet. Docet ergo fideles famulos videlicet æterni regis etiam mundi potestatibus subdi, ne vel in hoc fidei et religioni Christianæ conditionis jura turbentur. Nam et ita recte potest intelligi quod dictum est, *omni humanæ creaturæ*, ut significetur et fidelibus et incredulis rerum dominis.

Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Non quod omnes qui a regibus mittuntur duces et malefactores punire et laudare bonos noverint, sed quæ esse debeat actio boni ducis simpliciter narrat, hoc est, ut male facientes coerceat, ut bene agentes remuneret; qui etiamsi injuste agit si bonos damnat, nihilominus ad laudem eorum pertinent quæ facit, si patienter ejus stultitiæ resistunt. Unde et Paulus dicit : Vis, inquit, *non timere potestatem, bonum fac et habebis laudem ex illa.* Non dicit ab illa, sed *ex illa*, quia etsi potestas te mundana non laudat, imo si etiam persequitur, si occidit gladio ut Paulum, si crucifigit ut Petrum, habebis ex illa laudem, dum ex eo quod illa malefacit in te justum et innoxium, tuæ virtutis patientia coronam laudis meretur. Nam et hoc intendisse beatum Petrum in hac sententia verba sequentia docent quibus dicitur :

Quia sic est voluntas Dei ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Hæc est

ergo laus bonorum ad quam duces a rege dicit mis- A sos dum ignorantia ducum imprudentium boni ad laudem suam perpetuam bene agendo utuntur.

Quasi liberi et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Quasi liberi bona faciunt qui in exemplum Joseph patriarchæ tametsi servitio deprimuntur hominum, servi esse vitiorum nulla arte compelluntur. At vero libertatem suam in velamen malitiæ vertunt, qui quominus humani famulatus jugo cohibentur, eo latius peccatorum dominio mancipantur, et cum vitiis impune serviunt, libertatem vocant: hoc prætexunt nomine culpam. Potest autem juxta illud apostoli Pauli generaliter accipi. *Vos in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis.* Liberi enim recte vocamur quia per baptisma a peccatorum sumus nexibus ab- B soluti, quia a dæmonica servitute redempti, quia filii Dei effecti. Non tamen dono libertatis potiorem peccandi facultatem vel licentiam accipimus; quinimo si peccamus mox libertate perdita servi efficimur peccati; et quisque se ad hoc libertatem accepisse a Domino putat, ut licentius peccet, talis suam libertatem in velamen malitiæ mutat. Vult enim nos beatus Petrus liberos esse a servitio culparum, ut servi creatoris nostri boni et fideles permanere possimus: unde subsequenter adjungit:

Sed sicut servi Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem glorificate. Monet ergo congruum cunctis impendere honorem et juxta imperium Domini Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo reddere quæ Dei sunt. Et bene inter alia fraternita- C tem diligere jubet liberos, ut eos quoque qui temporali conditione subjecti sunt, fratres sibi esse in Christo factos recolant, una cum ipsis Patrem invocantes, eum qui sine acceptione personarum judicat.

Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Dyscolis indisciplinatis dicit, nomine ducto a Græco eloquio, quia Græce schola vocatur locus in quo adolescentes litteralibus studiis operam dare, et audiendos magistros vacare solent: unde schola *vacatio* interpretatur. Denique in psalmo ubi canimus: *Vacate et videte quomodo ego sum Deus*, pro eo quod nos dicimus *vacate* in Græco habetur *scholaste*. Scholastici sunt ergo erudití; dyscoli, indocti et agrestes; sed utrisque vult obedire subditos, expli- D cans apertius quomodo nos supra omni humanæ creaturæ jusserit esse subjectos. Alia editio pro dyscolis *difficiles* habet, et sanctus antistes Fulgentius in opusculis suis sic ponit: *Servientes cum timore non tantum bonis, sed etiam difficilioribus.* Sed si bene facientes, et patientes sustinetis.

Hæc est enim gratia in Christo Jesu. Hæc est ergo gratia apud Deum; in hoc enim vocati estis quia et *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum*, etc. Notandum attentius quam summe conditionem servorum glorificet quos bene facientes et absque culpa vapulantes a dominis crudelibus et improbis imitatores esse Dominicæ passionis affirmat. Qui enim passionis Christi particeps benevolus et patiens esse voluerit in præsenti vita, sine dubio ejus gloriæ in futura vita consors erit, ubi in ejus laudibus simul cum sanctis angelis in æternum exsultans permanebit, ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.

Ad illos specialiter hæc quæ dicta sunt pertinent, qui ejus discipulatui prædicantis in carne adhærere, et post tristitiam passionis visa resurrectione et ascensione ejus lætificari meruerunt. Modicum etiam fuit ab illa hora illius noctis qua traditus est, in horam passionis, sive quando eum discipuli carnaliter videbant; et iterum modicum fuit quo clausus in sepulcro tertia die resurrecturus jacuit et illorum aspectibus videri non potuit: hoc est quod ait, *Modicum et non videbitis me.* Quod vero ait, *Iterum modicum et videbitis me,* significat post resurrectionem tempus, quo cum discipulis conversatus est, et illis multimoda ostensione apparuit usque dum ascendit in cœlum illis videntibus, ut in Evangelio et Actibus apostolorum legitur. Et hoc est quod ait:

Quia vado ad patrem. Ac si patenter dicat: Quia post modicum a vestris aspectibus in monumenti claustro abscondar, et iterum post modicum, destructo mortis imperio, vobis intuendus apparebo, quia tempus est ut expleta dispensatione assumptæ mortalitatis cum resurrectionis triumpho jam revertar ad Patrem. Hæc vero verba Domini, ut diximus, illis specialim qui ejus resurrectionem videre potuerunt conveniunt, quæ apostoli tunc temporis non potuerunt intelligere. Et hanc illorum ignorantiam pius magister intelligens, subsequenter secundum animi illorum dubitationem respondit, quasi expositurus quid esset quod dixit: *Modicum et non videbitis me; iterum modicum et videbitis me.*

Cognovit ergo Jesus qui volebant eum interrogare et dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me? Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et ipsorum et totius Ecclesiæ statui congruit. Plorabant quippe et flebant amatores Christi, cum illum comprehendi ab hostibus, ligari, ad consilium duci, damnari, crucifigi, mori et sepeliri viderent. Gaudebant mundi amatores, quos ab infima cogitatione mundum vocat Dominus, cum morte turpissima condemnarent illum, qui gravis erat eis etiam ad videndum. Contristabantur discipuli posito in morte, sed agnita etiam resurrectione tristitia illorum versa est in gaudium; visa est ascensionis potentia, jam majore gaudio sublevati laudabant et benedicebant Domi-

num, ut Lucas evangelista testatur. Sed et cunctis fidelibus hic Domini sermo convenit, qui per lacrymas pressurasque præsentes ad gaudia æterna pervenire contendunt. *Qui seminant in lacrymis in gaudio metent; euntes ibant et flebant*, quatenus in æterna beatitudine laboris sui mercedem recipiant. Mundus autem, id est, mundi amatores gaudebunt, qui ad æterna gaudia se præparare per lacrymas et afflictiones despiciunt; *vos autem contristabimini* per labores et pressuras, sed tristitia vestra vertetur in æternæ beatitudinis lætitiam.

Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Mulierem dicit sanctam Ecclesiam, propter fecunditatem bonorum operum, et quia spiritales Domino filios gignere nunquam desinit; hæc mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus.

B *Cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum;* quia nimirum sancta Ecclesia, quandiu in mundo spiritalium virtutum profectibus insistit, nunquam mundi tentationibus exerceri desistit. At cum devicto laborum certamine ad palmam pervenerit, jam non meminit pressuræ præcedentis propter gaudium perceptæ retributionis : *non sunt enim condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Non meminit*, inquit, *pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Ecclesia nato in vitam futuram fidelium populo digna exsultatione repletur, pro qua ejus nativitate multum laborans et gemens

C in præsenti quasi parturiens dolet. Nec novum debet cuiquam videri si natus dicitur, qui ex hac vita migraverit; quomodo enim nasci dicitur cum quis de utero matris procedens hanc in lucem egreditur, ita etiam rectissime potest natus appellari qui solutus a vinculis carnis ad lucem sublimatur æternam. Unde et mos obtinuit ecclesiasticus ut dies beatorum martyrum sive confessorum Christi, quibus de sæculo transierunt, *natales* vocitemus, eorumque solemnia non funebria, sed *natalitia* dicantur.

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis ; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Quod de ipsis quidem discipulis facile intelligitur quia tristitiam habuerunt passo ac sepulto Domino; sed peracta

D resurrectionis gloria gavisi sunt viso Domino, et gaudium eorum nemo tollit ab eis; licet pressuras ac persecutiones passi essent in hoc mundo, semper in spe gaudebant futuræ retributionis pro eo quod digni essent pro nomine Jesu contumelias pati.

Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Videt itaque electos post tristitiam Dominus cum eorum patientiam damnato impugnatore remunerat. *Videbo vos*, id est, cum assumpsero vos ad meipsum ut ubi sum ego et vos sitis, et in illa visione perpetuæ gloriæ gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, quia ibi nullus adversarius, nullus per-

A secutor, nemo qui tristitiam ingerat animis vestris, *dum videbitur Deus deorum in Sion.*

HOMILIA XXIX.

IN NATIVITATE SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

Lectio libri Sapientiæ.

Stabant justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum.

Narrat divina Sapientia qualis in extremo judicio sanctorum erit gloria, qualisque reproborum angustia cum viderint sanctos stantes ad dexteram Dei cum gloria incorruptionis et immortalitatis, pii judicis exspectantes sententiam, qua eos ad regnum invitat æternum; se autem merito condemnari eo quod illos persecuti sunt, nec doctrinæ eorum salubri obedire voluerunt, sed irridentes eos magis spreverunt, nec honorem condignum illis præbuerunt, unde modo cum lectio legeretur audistis : *Tunc stabunt*, inquit, *justi in magna constantia, adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores illorum, videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes per angustiam spiritus, dicent inter se pœnitentiam agentes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisu et in similitudine improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est ?* Tunc utique stabunt justi in magna constantia adversus persecutores suos qui eos pœnis indebitis hic affecerunt, et labores illorum quasi stultos vituperaverunt, quando claritate superna revelati judices erunt illorum secundum veritatem qui ante se injuste damnaverunt. Unde illi cum se subitanea commutatione viderint de gloria ad ignobilitatem perductos, et e contrario adversarios suos de afflictione temporali ad honorem supernum translatos, sera pœnitentia atque infructuosa tunc conquerentur quod antea dum licuit si vellent fructuose agere possent. Unde necesse est ut quicunque vitam suam negligenter duxit et peccatis servivit, ante terminum vitæ præsentis pœnitentiam condigne agat de malis commissis, et studeat operibus bonis per gratiam Dei, indulgentiam promereri peccatorum, et vitam consequi sempiternam largiente ipso Redemptore Domino nostro Jesu Christo, *qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis pervenire*, regnans cum Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXX.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Non turbetur cor vestrum. Credite in Deum, et in me credite, etc.

Ne mortem tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur etiam eos Deum se esse contestans. Consequens est enim ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis : quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Quia merita sanctorum

diversa sunt, ideo in domo Patris multæ sunt mansiones. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Ideo non turbetur cor vestrum, nam unus denarius omnibus in vinea laborantibus, id est, omnibus in Ecclesia per fidem laborantibus vita dabitur æterna. Sed multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates, *eritque Deus omnia in omnibus, quia Deus charitas est.* Sic enim quisque habet, cum amat in altero, quod ipse non habet, quia regnat in omnibus unitas charitatis.

Si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Quomodo ad illas mansiones membra pervenissent, si caput non præcessisset? Paravit nobis locum dum pro nobis mortuus est, et resurrexit, imo ascendit in cœlos. Hæc omnia pro nobis fecit, ut nobis pararet locum in regno Patris sui.

Si abiero et paravero vobis locum, iterum veniam ad vos. Si abiero per carnis absentiam, veniam per divinitatis præsentiam, in qua vobiscum ero usque ad consummationem sæculi. Vel etiam si abiero ascendendo ad cœlos, veniam iterum judicare vivos ac mortuos: quod angeli attestati sunt dicentes: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sequitur:

Et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Hoc est quod in sequentibus dixit: *Volo, Pater, ut ubi sum ego, et isti sint mecum.*

Et quo ego vado, scitis, et viam scitis. Quo vado, id est, ad Patrem, et via qua venitur, scitur.

Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire? Videbatur ei nescire quod Christus convincit eum scire dum ait:

Ego sum via, et veritas, et vita. Quasi dixisset: Si me scitis et viam scitis; et ego sum ad quem itur, id est, veritas, et ego sum vita in qua statur. Si me scitis et viam scitis, et quo ibo scitis, et ubi manseritis scitis. Qui ad Patrem vadunt per me vadunt, et qui ad Patrem veniunt ad me veniunt, quia et *ego et Pater unum sumus,* et in me manent, quia *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Unde secutus est dicens:

Nemo venit ad Patrem nisi per me. Exponens quid sit quod ait, *ego sum via,* statim subjungens:

Si cognovissetis me utique, et Patrem meum cognovissetis, quia ego sum veritas in vero Patre. *Et amodo cognoscitis eum, et vidistis eum.* Si me spiritaliter cognoscitis et videtis, illum cognoscitis et videtis, quia *ego et Pater unum sumus.* Unum natura non unus in persona.

Dicit ei Philippus hoc non intelligens: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Quasi aliquid melius esset Pater quam Filius in cujus esset visione sufficiens beatitudo. Quam vocem discipuli redarguit magister.

Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Non cognovistis me esse in Patre, et Patrem in me, Philippe?

A *Qui videt me, videt et Patrem.* Qui me intelligit, utique et Patrem in me intelligit. Sed ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tanquam enim melior esset Pater quam Filius, ita Philippus Patrem nosce cupiebat, et ideo nec Filium sciebat quo melius aliquid esse credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est: *Qui videt me videt et Patrem.*

Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Video quomodo tu dicis: non alterum quæris videre similem, sed illum putas esse meliorem.

Non credis quia ego in Patre et Pater in me est? Cur inseparabiles separatim desideras nosce? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur:

B *Verba quæ ego loquor vobis a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quid est, *a me ipso non loquor?* nisi a me ipso non sum qui loquor. Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, Filius autem Deus est quidem Patri æqualis, sed de Patre Deo. Ideo ille Deus sed non de Deo, et lumen sed non de lumine. Iste vero Deus de Deo, lumen de lumine. Denique adjungit et ait:

Non creditis quia ego in Patre et Pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite. Ante solus Philippus arguebatur; nunc autem non ibi eum solum fuisse qui esset arguendus ostenditur; *propter opera ipsa,* inquit, *credite, quia ego in Patre et Pater in me est.* Neque enim si separati essemus inseparabi-
C liter operari ulla ratione possemus, sed quid est quod sequitur: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado?* Non se extollat servus super dominum, nec discipulus super magistrum. Majora quam ipse facit dixit eos esse facturos, sed sine illo, ut in sequentibus dixit, quid potuerunt facere? Sed quæ sunt tandem ista majora? An forte quod ægros ipsis transeuntibus etiam eorum umbra sanabit? Majus est enim ut sanet umbra quam fimbria, illud per se, hoc per ipsos, sed utrumque in se; vel majora sunt opera apostolorum in omnium gentium salute, quam Christi tantummodo in salute Judæorum, et hoc in paucissimis. Tamen utrumque
D et ille fecit, et salutem aliquorum in Judæa per se, et salutem gentium per apostolos: Nec solum per apostolos, sed et per alios quoque prædicatores. Unde subjunxit et ait: *Qui credit in me opera quæ ego facio et ipse facit, et majora horum faciet.* Non quo major sit magistro discipulus, vel domino servus, et adoptatus unigenito, et homo Deo, sed quod per illos ipse dignaretur eadem majora facere. Unde majora potuissent mox ostendit dicens: *Qui credit in me opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.* Continuo secutus adjunxit: *Quia ego ad Patrem vado.*

Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Qui dixit, *faciet,* post ait, *faciam.* Tanquam diceret: Non vobis hoc impossibile videatur; non

enim poterit esse, major me qui credit in me : ideo majora non per se facit, sed per me qui in me credit. Nec est defectio potestatis, sed miseratio pietatis. Dives ergo ab eo recessit tristis, non recipiens verba salutis ; apostolis igitur prædicantibus, multi divites pauperiem voluntate secuti sunt : ita quod ab illo audiens unus non fecit, fecerunt multi cum loqueretur per discipulos magister bonus. Ecce majora fecit prædicatus a credentibus quam locutus audientibus, sed hoc per prædicatores. Nunquid omnes qui credunt in eum prædicatores sunt ? Tamen dicit qui credunt in eum opera facere majora. In hoc opere fidei faciemus opera Christi, quia et ipsum credere in Christum opus est ; Christus autem operatur in nobis, non utique sine nobis. Prius ego facio præveniens gratia, deinde et ipse facit subsequens gratiam, quia facio ut faciat. Quæ opera, nisi ut ex impio justus fiat ? Fortasse majus est opera salutis nostræ nos per ipsum facere, quam verba salutis prædicare, quod ipse fecit sine nobis, dum hæc dixit : *Quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* In his verbis magnam spem promisit orantibus. Sic ergo perrexit ad Patrem, ut non relinqueret indigentes, sed audiret petentes. Tamen non omnia petentes, sed quæ ad salutem pertinent petentium. Ideo dixit : *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.* Quid est in nomine meo ? nisi in nomine Salvatoris. Si petieritis quæ ad salutem pertinent vobis, in nomine meo petieritis. Quando enim delectant mala et non delectant bona, rogare potius debemus Deum ut delectent bona quam ut concedantur mala. Qui ergo credit in eum, quodcunque petierit in nomine quod est illis datum qui credunt in eum, hoc facit, quo hoc sicut Salvator facit. Si autem qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra salutem suam petit, non in nomine Salvatoris petit, quia Salvator ei non erit ; si quis ejus salutem impedi fecerit, non est ejus Salvator. Quid melius aut quid magis nobis prodest quam nosmetipsos salvari ? Ideo petendum est ut fiat voluntas ejus in nobis, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Joannis apostoli.

Charissimi, hæc scribo vobis ut non peccetis, etc.

Non sibi ipse contrarius est qui supra nos sine peccato nos vivere non perhibebat, nunc autem ideo scribere se nobis dicit, ut non peccemus. Sed ibi nos necessarie providendo salubriter nostræ fragilitatis admonuit, ne quis sibi quasi innocens placeat, et se de meritis extollendo plus pereat, hic consequenter hortatur ut si omni culpa carere nequimus, demus tamen operam quantam valemus, ne nos ipsi fragilitate nostræ conditionis negligenter agendo vivamus, sed contra omnia vitia strenue vigilanterque dimicemus, maxime majora et apertiora, quæ, juvante Domino, facilius superare et cavere valeamus, ut juxta quod Paulus ait, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*, hoc est, ea sola quam humana infirmitas ad integrum declinare non potest.

Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Vide, Joannes in quantum servet humilitatem, quam docet. Certe vir justus erat, et magnus qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat. Non tamen dixit *advocatum me habetis* apud Patrem, *sed advocatum*, inquit, *habemus* ; non dixit, *habetis*. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quam ponere se pro Christo advocatum et inveniri inter damnandos superbos. Nec tamen dicendum, quia episcopi vel præpositi non petant pro populo ; orat enim Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, qui dicit, *orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi.* Et pro Petro orabat Ecclesia cum esset in vinculis Petrus, et exaudita est ; quomodo et Petrus pro Ecclesia : quia omnia pro invicem membra orant, caput pro omnibus interpellat de quo scriptum est, *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Unigenito enim Filio pro homine interpellare, est apud coæternum Patrem seipsum demonstrare ; eique pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce sed miseratione, quia quod damnare in electis noluit suscipiendo servavit. Et bene cum diceret advocatum nos apud Patrem habere Jesum Christum, addit *justum.* Justus namque advocatus injustas causas non suscipit ; qui tamen justos defendit in judicio, si nosmetipsos cognoscimus et accusamus injustos. Cur enim justus non sit, qui contra suam injustitiam jam per lacrymas sævit ?

Et ipse est propitiatio pro peccatis, qui per humilitatem interpellat pro nobis apud Patrem : Id est, per divinitatem propitiatur nobis cum Patre.

Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Non pro illis solum propitiatio est Dominus, quibus tunc in carne viventibus scribebat Joannes, sed etiam pro omni Ecclesia, quæ per totam mundi latitudinem diffusa est ; a primo nimirum electo usque ad ultimum qui in fine mundi nasciturus est porrecta. Quibus verbis Donatistarum schisma reprobat, qui in Africæ solum finibus Ecclesiam Christi dicebant esse inclusam. Pro totius ergo mundi peccatis interpellat Dominus, quia per totum mundum est Ecclesia, quam suo sanguine comparavit. Neque huic verbo repugnat quod in sequentibus dixit : *Et mundus totus in maligno*, id est, antiquo hosti, *suppositus est.* Quod etiam per totum mundum sunt qui maligno, id est, antiquo hosti famulentur.

Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Quæ mandata dicat in sequentibus aperit, id est, charitatem.

Qui dicit eum se nosse, et mandata ejus non custodit, mendax est et in eo veritas non est. Christus veritas appellatur : *Ego sum*, inquit, *via et veritas et vita.* Frustra ergo nobis in eo applaudimus cujus

mandata non facimus, nec grande putemus unum Deum nosse, cum et dæmones credant et contremiscant. Quid sit autem veraciter Deum nosse subsequenter ostendit dicens : *Qui autem servat verbum ejus, vere in eo charitas Dei perfecta est.* Ille itaque vere Deum novit, qui ejus mandata servando charitatem ejus se habere comprobat ; hoc est enim Deum nosse, quod amare. Nam quisquis eum non amat, profecto ostendit quod quam sit amabilis non novit, quam sit suavis Dominus et dulcis gustare ac videre non didicit, qui ejus placere conspectibus continua intentione non satagit.

Et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulat, et ipse ambulare, id est, per dilectionem nimiam etiam pro inimicis orare, dicens : *Pater, ignosce illis*; sed et prospera mundi cuncta forti animo contemnere, libenter irrisiones et opprobria tolerare, sicut et ipse dicit : *Si quis vult venire post me, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est verbum quod audistis; iterum mandatum novum scribo vobis. Eadem charitas et mandatum vetus quia ab initio commendata, et mandatum novum quia tenebris ejectis desiderium novæ lucis infundit; unde recte subditur : *Quod est verum et in ipso, et in vobis, quoniam tenebræ transierunt et lumen verum jam lucet.* Ecce unde novum quia tenebræ ad veterem hominem, lux vero ad novum hominem pertinet. Denique dicit apostolus Paulus : *Exuite veterem hominem et induite novum.* Et iterum : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Felix ille est qui veteris hominis actus respuens novi hominis conversationem recte appetit, quoniam juxta illud quod scriptum est : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta*, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, facta est quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione, etc.

Zelantes discipuli Joannis magistrum, quia pluriores audiebant concurrere ad baptismum Christi, et præferre Judæos baptismo Joannis baptismum Christi, ita ut novissime ventum sit ad ipsum Joannem, ut solveret quæstionem quam habuerunt discipuli ejus cum Judæis de discretione inter baptismum Christi et baptismum Joannis, et dixerunt ei :

Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, ecce hic baptizat et omnes veniunt ad eum. Quasi indignantes quod pluriores venissent ad baptismum Christi dixerunt : Omnes veniunt ad eum et te dimittunt, dum tuo baptismo baptizatus est ille, ad cujus baptismum omnes modo convenerunt.

Respondit et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi ei fuerit datum de cœlo. Vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim : Ego non sum Christus. Si meo testimonio credatis, scitote me non esse Christum; sed illum et illius baptismum esse, in quo remissio est peccatorum, et Spiritus sanctus datur, non meum in quo tantummodo pœnitentia dabatur, et fides in eum de quo querimoniam nunc habetis. *Non potest homo aliquid accipere, nisi fuerit illi datum de cœlo.* Ministerium accepi quod mihi datum fuit de cœlo; præco sum, ille judex; ego servus, ille dominus; ille sponsus, ego amicus sponsi; *illum oportet crescere, me autem minui*; veniebam illi viam parare, non me exaltare; *ego vox clamantis*, ille Verbum Patris; *qui post me venit, ante me factus est*, id est, dignitate prælatus est mihi; *cujus ego non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere*, id est, nativitatis illius, qua ex virgine natus venit in mundum, enarrare mysterium. Audistis testimonium meum; credite testimonio meo; concurrite ad illum in cujus baptismo est remissio peccatorum. Iste Joannes tantæ auctoritatis habebatur, ut a populo Christus putaretur. Sed ille falsum respuit honorem, ut solidam potuisset habere veritatem. Noluit de se jactare quod non fuit, ne sine eo esset qui semper fuit.

Qui habet sponsam sponsus est. Ego non sum sponsus, sed quid sum? Amicus sponsi, gaudens in voce illius. Quis est sponsus? Ille de quo dicitur : *Rex omnis terræ Deus, et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Ille sponsus verus. Sponsa vero sancta Ecclesia, ex omnibus congregata gentibus, de qua Apostolus ait : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, non sibi gaudium facit de se; qui enim vult gaudere de se, tristis erit; qui autem de Deo gaudere vult, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Talem se dixit Joannes. *Propter vocem sponsi* gaudebit amicus sponsi, ait, non propter vocem suam. *Et stat et audit eum.* Si ergo cadit non audit eum. De illo quondam qui cecidit dictum est, *et in veritate non stetit*, de diabolo dictum est. Ergo stare debet amicus sponsi et audire. Quid est stare? Permanere in gratia ejus quam accepit, et audit vocem ad quam gaudeat. Sic erat Joannes : noverat unde gaudebat, non sibi arrogabat quod ipse non erat; sciebat illuminatum se, non illuminatorem.

Illum oportet crescere, me autem minui. Quid est hoc? Illum oportet exaltari, me autem humiliari. Magnum hoc sacramentum est. Antequam veniret Dominus Jesus, gloriabantur homines de se; venit ille homo ut minueretur hominis gloria, et augeretur gloria Dei. Etenim venit ille sine peccato et invenit omnes cum peccato. Si sic venit ille ut dimitteret peccata, Deus largiatur, homo confiteatur. Etenim

confessio hominis humilitas, hominis miseratio, Dei altitudo. Si ergo venit ille dimittere peccata, agnoscat homo humilitatem suam, et Deus faciet misericordiam suam.

Qui desursum venit super omnes est, id est, Christus. *Qui autem est de terra, de terra loquitur*, id est, Joannes. Quomodo ergo de terra loquitur? Omnis homo terrenus est, et dum terrena loquitur, de terra loquitur, qui vero illuminatus est ab eo qui est lumen verum, de divinis loquitur.

Qui de cœlo venit super omnes est, Dominus Jesus Christus de quo superius dictum est : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo;* est autem super omnes.

Et quod vidit et audivit, hoc loquitur. Habet enim et Patrem ipse Filius Dei; habet et Patrem et audivit a Patre.

Quod vidit et audivit illud testatur, et testimonium ejus nemo accipit. Si nemo, ad quid venit? Quorumdam ergo nemo est. Quidam populus præparatur ad iram Dei, damnandus cum diabolo, quorum nemo accipit testimonium Christi. Nam si omnino nemo nullus homo, quid est quod sequitur

Qui accipit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est. Certe ergo nemo, si tu ipse dicis, qui accepit testimonium ejus, signavit quia Dominus verax est.

Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Ipse est verax, ipse est Deus et Dominus noster Jesus Christus, de quo Apostolus ait : *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur;* hoc utique de Christo dicebat, ut se ab illo distingueret.

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Audi Apostolum dicentem : *Secundum mensuram donationis Christi hominibus ad mensuram dat.* Unico Filio non dat ad mensuram; quomodo hominibus ad mensuram. *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii prophetia, alii judicatio spirituum, alteri genera linguarum alii dona curationum.*

Pater diligit Filium. Quare enim? Pater diligit Joannem, et tamen non omnia dedit in manu ejus; Pater diligit Paulum, et tamen non omnia dedit in manu ejus. *Pater diligit Filium*, sed quomodo pater filium, non quomodo dominus servum; sed quomodo unicum, non quomodo adoptatum.

Itaque omnia dedit in manu ejus. Quid est omnia? Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. Dominus enim, Pater et Filius, et Spiritus sanctus, unus et omnipotens est Deus, cujus est una voluntas, una potestas, qui in tribus exstat personis et una substantia vivens et regnans per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Ego lux in mundum veni ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat.

Dixit quodam loco discipulis suis : *Vos estis lumen mundi : non potest abscondi civitas super montem constituta; neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Non tamen dixi vobis : Lux venistis in mundum, ut omnis qui credit in vos in tenebris non maneat.* Nusquam hoc legi posse confirmo. Lumina ergo sunt omnes sancti, sed credendo illuminantur ab eo, a quo si quis recesserit, tenebrabitur. Lumen autem illud quod illuminatur a se, recedere non potest, quia incommutabile omnino est. Cum autem dicit, *Omnis qui credit in me in tenebris non manet*, satis manifestat omnes se in tenebris invenisse; sed ne in eis tenebris remaneant in quibus inventi sunt, debent credere in lucem quæ venit in hunc mundum, quia per illam factus est mundus.

Et si quis audierit, inquit, *verba mea et non custodierit, ego non judico eum.* Audite quomodo dicit Filius, *Ego non judico eum*, cum dicat alio loco : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, nisi quod intelligendum est quod sequitur : *Non enim veni*, inquit, *ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum.* Nunc ergo est tempus misericordiæ; post erit judicii, quia *misericordiam*, inquit, *et judicium cantabo tibi, Domine.* Sed de ipso etiam futuro novissimo judicio videte quid dicat : *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum; sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Ait ergo: *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum; sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Non ait : Qui spernit me, et non accipit verba mea, ego non judico eum in novissimo die. Venit ergo Filius Dei ad salvandum, non ad judicandum. Ideo dixit, *non judico eum*, id est modo, id est in præsenti, sed judico eum in novissimo die. Cum enim dixisset, *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum*, exspectantibus quisnam ille esset, cautus adjunxit : *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit, seipsum januam posuit, qua ipse ad oves pastor intraret. Aliter itaque judicabuntur qui non audierunt, et qui audierunt et contempserunt. *Qui enim sine lege peccaverunt*, ait Apostolus, *sine lege peribunt; et qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.*

Quia ego, inquit, *ex me non sum locutus.* Idem se dicit non locutum ex seipso. Jam hoc sæpe diximus quod Filius a se non est, sed a Patre; ideo adjunxit :

Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar. Non enim locorum spatio, non syllabarum expressione, non vocali sono Pater Filio loquitur, ut Filius mandatum Patris audiat,

sicut filius hominis ab homine audire solet quid pater mandet illi; sed unicus Filius est Verbum Patris et sapientia Patris, in illo sunt omnia mandata Patris, neque enim mandatum Patris aliquando Filius nescivit, ut eum necesse esset ex tempore habere quod accepit ut nascendo acciperet, dederitque illi gignendo Pater quod non haberet, sed eum genuit vitam habentem, sicut superius ait : *Sicut Pater habet vitam, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*, id est, genuit Filium vitam habentem in semetipso, sic dicit hic, *Sicut mandatum dedit mihi Pater*; et quia æterna est ipsa nativitas, nunquam non fuit Filius, qui est vita; et sicut est vita æterna, ita et mandatum : non quod Filius non habeat Pater dedit, sed sicut dixi, in sapientia Patris, quod est Verbum Patris, omnia mandata sunt Patris. Sequitur enim :

Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Si ergo vita æterna est ipse Filius, et vita æterna est mandatum Patris, quid aliud dictum est quam, Ego sum mandatum Patris? Proinde et id quod adjungit et dicit : *Quæ ego loquor sicut mihi dixit Pater, sic loquor*, non accipiamus, *dixit mihi*, quasi verbo locutus sit unico Verbo, aut egeret Dei verbis Deus Verbum. Dixit ergo Pater Filio, *Sicut dedit Filio vitam*, non quod nesciebat vel non habebat, sed ipse Filius erat. Quid est autem, *Sicut dixit mihi sic loquor*, nisi verbum loquor? Ita ille dixit ista ut verax, iste loquitur ut veritas ; verax autem genuit veritatem. Quid ergo jam diceret veritati? Non enim imperfecta erat veritas cui verbum aliquod adderetur; dixit ergo veritati quia veritatem genuit. Porro ipsa Veritas sic loquitur ut ei dictum est, sed intelligentibus quos docet ut nata est; ut autem crederent homines quod intelligere nondum valent, ex ore carnis verba sonuerunt, et abierunt transvolantis soni peractis morulis temporum suorum. Sed res ipsæ quarum signa sunt soni, tractæ quodammodo in eorum memoriam qui audierunt, etiam ad nos per litteras, quæ visibilia signa sunt, pervenerunt. Non sic loquitur Veritas intelligentibus mentibus, intus loquitur, sine sono instruit, intelligibili voce profundit. Qui ergo potest in ea videre nativitatis ejus æternitatem, ipse illam sic audit loquentem. Sicut ei dixit Pater quid loqueretur, excitavit nos ad magnum desiderium interioris dulcedinis suæ. Sed crescendo capiamus, ambulando crescamus, proficiendo ambulemus, ut pervenire possimus per seipsum ad seipsum, seipso ducente nos et promittente nobis. *Ego sum via, et veritas, et vita :* via quærentibus, veritas invenientibus, vita permanentibus. Ipse enim vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

DOMINICA III POST OCTAVAM PASCHÆ.

Lectio Epistolæ B. Jacobi apostoli.

Charissimi, omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est descendens a Patre luminum, etc.

Postquam docuit vitia quibus tentamur non a Deo nobis, sed a nobis ipsis inesse, ostendit e contra quod quidquid boni agimus, hoc a Deo donante percepimus. Inde etenim Patrem luminum appellat, quia auctorem novit spiritalium charismatum, cui consonat illud Apostoli : *Quid enim habes quod non accepisti?*

Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quia in Dei natura mutabilitas non est, neque lumen ejus sicut lumen hujus mundi aliqua vicissitudinis umbra intercidit. Liquet utique, quia sola nobis dona lucis, et non etiam tenebras mittit errorum.

Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis. Et Dominus in Evangelio : *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego elegi vos*. Et in Osee propheta : *Diligam eos spontanee*. Quia ergo dixerat : *Omne datum optimum et omne donum perfectum a Deo descendere*, consequenter astruit addendo quia non nostris meritis sed suæ beneficio voluntatis per aquam regenerationis de filiis tenebrarum nos in filios lucis mutaverit.

Ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Ne in eo quod ait *genuit*, hoc nos fieri putaremus quod ipse est, ideo principatum quemdam creaturæ nobis hac adoptione concessum ostendit. Hos etenim versiculos quidam ita transtulit : *volens genuit nos verbo veritatis ut simus primitiæ creaturarum ejus*, id est, ut cæteris quas cernimus creaturis simus meliores. Primitias namque frugum et animantium consecrari lex præcipit, primitias auri et argenti ad opus tabernaculi jussit conferri, id est, optima quæque in metallis; et de antiquo Dei populo dixit propheta Jeremias : *Sanctus Israel Domino, primitia frugum ejus*.

Scitis, fratres mei dilecti. Notissimum, inquit, vobis est, quod a vobis ipsis habuistis ad vitia labi, a Domino autem vos illustrari, non vestra promissione, sed superna gratia vos præveniente contigit.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram. Hinc auditorem moralibus instruit præceptis, et recte primo admonet aurem quemque citius accommodare docenti, sero autem os ad docendum aperire : quia stultum est quemlibet quæ ipse non didicerat aliis velle prædicare. Qui ergo sapientiam diligit, primo ut supra admonuit, hanc a Deo postulet, dehinc magistrum humilis veritatis auditor inquirat, et inter agendum suam cautissime linguam non solum ab otiosis sermonibus coerceat, verum et ipse quam et nuper didicit veritatem prædicandam contineat. Hinc Salomon de distantia temporum scribens ait : *Tempus tacendi, et tempus loquendi*. Hinc Pythagorici, naturalis scientiæ magisterio præditi, auditores suos per quinquennium jubent silere et sic demum prædicare permittunt. *Et tardus ad iram*. Quia maturitas sapientiæ non nisi tranquilla mente percipitur; scriptum est enim, quia *Ira in sinu stulti requiescit*. Non ita velocitatem iræ vetat ut hujus tarditatem approbet, sed hoc potius admonet, ut et ejus hora perturbationis ac litium ne nobis ira subripiat caveamus; aut si forte surripuerit, intra oris septa ejus cohibeamus impetum, et exacta hora discriminis liberius

eam ad integrum a nostro corde per tempus expurgemus; vel certe tardos ad iram nos esse præcipit, ut non quaslibet ob causas securitatem nostri vultus in austeritatem vertamus, sed certa existente ratione, verbi gratia, si aliter corrigi proximos, maxime qui nobis commissi sunt, non posse cernamus, severitatem erga eos verbi vel etiam judicii districtioris exhibeamus, manente tamen, quantum natura humana patitur, statu nostræ mentis sereno. Credo Phinees Samuel, Elias et Petrus tardi fuerunt ad iram, et tamen peccantes vel verbo vel gladio peremerunt. Sed et Moyses, cum esset vir mitissimus, exivit a Pharaone, quem incorrigibilem vidit, iratus, minis comminatus ei pœnam, quam et opere patravit.

Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Facilis est sensus: quod quia qui iracundiæ vitiose incautus subjugat, etsi hominibus justus apparet, in divino tamen examine nondum perfecte justus est. Verum aptius potest intelligi quod a Domino dictum est: *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas.* Qualiscunque judex homo amissa mentis tranquillitate delinquentem judicat, etiamsi juste judicat, justitiam tamen divini examinis, in quam perturbatio cadere nescit, imitari non potest.

Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite verbum insitum. Primo et corpus et mentem a vitiis jubet expurgari, ut digni existere possint qui verbum salutis percipiant. Qui enim non declinat prius a malo, non potest facere bonum. Omnem quippe immunditiam et carnis et animæ nuncupat; malitia autem proprie interioris hominis pravitatem respicit. *Suscipite*, inquit, *insitum verbum*, id est, verbum Dei, quod vestris cordibus prædicando imponimus, vos discendo suscipite; vel certe ita sentiendum: Verbum quod vobis in die resurrectionis insitum est, quando voluntarie genuit nos Deus, jam nunc perfectius suscipite, etiam operibus implendo quod jam in mysterio tenetis.

Quod potest salvare animas vestras. Etiamsi in corpore tentationes patiamini, vel a perfidis morte consumamini, tamen vita futura præstabitur vobis cum sanctis angelis in luce perpetua.

HOMILIA XXXV.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat: Quo vadis?

Significat sic se iturum ad eum qui misit illum, ut nullus interrogaret quod palam fieri visu corporis cernerent. Nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis, et cum euntem in cœlum viderunt, non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Videbat utique quid illa sua verba in eorum cordibus agerent, spiritalem quippe nondum habentes interius consolationem quam per Spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant amittere metuebant.

A *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam.* Expedit ut forma servi vestris subtrahatur aspectibus quatenus amor divinitatis aptius vestris infigatur mentibus. Expedit ut notam vobis formam cœlo inferam, quatenus per hoc majore desiderio illuc suspiretis.

Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Non quia non poterat ipse in terra positus dare Spiritum discipulis, hæc loquitur, cum aperte legatur quia post resurrectionem apparens eis insufflavit et dixit eis, *Accipite Spiritum sanctum*, sed quia, ipso in terra posito et corporaliter conversante cum eis, non valebant ad eum erigere mentem, ad sitienda munera gratiæ cœlestis. Ascendente autem illo ad cœlos et B illi pariter omne desiderium suum in illo transferebant. Ideo capaces Spiritus sancti jam facti erant, non ultra de morte ejus contristati, sed de promissionis ejus spe lætati. Patet autem, nec laboriosa expositione indiget, cur eumdem Spiritum paraclitum, id est consolatorem, cognominaverit, quia nimirum corda discipulorum quæ recessus ipsius mœsta reddidisset, hujus consolaretur et recrearet adventus. Non quod antea Spiritus sanctus non esset in cordibus discipulorum vel etiam in antiquorum sanctorum, sed manifesta plenitudine ante sic non fuit datus, quomodo post ascensionem die decima in centum viginti nominum transmissus legitur. Sed in nullo opere cujuslibet personæ Patris, vel Filii, et Spiritus sancti, totius sanctæ Trinitatis operatio C defuit; sed oportebat ita insinuari Trinitatem ut quamvis nulla esset diversitas substantiæ, sigillatim tamen commendaretur distinctio personarum.

Et cum venerit ille, arguet mundum. Quid est quod dixit, *Cum venerit ille, arguet mundum?* Nunquid non Christus, dum esset in mundo, non arguit mundum de his omnibus quæ sequuntur. Sed Christus solam Judæorum gentem arguit, Spiritus vero sanctus in discipulis ejus toto orbe diffusus, non unam gentem intelligitur arguisse, sed mundum. In quo arguit? In eo quia per Spiritum sanctum charitas diffusa est in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem ut non metuerent mundum, id est, amatores mundi arguere.

D *De peccato, et de justitia, et de judicio.* Quam sententiam ipse Christus exposuit dicens:

De peccato, quoniam non credunt in me. Peccatum incredulitatis quasi speciale posuit, quia sicut fides origo virtutum, ita solidamentum est vitiorum in incredulitate persistere, Domino terribiliter attestante qui ait: *Qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Judicatus* dixit, id est, damnatus.

De justitia vero, quia ad Patrem vado, etiam non videbitis me. Justitia discipulorum Christi erat quod Dominum, quem verum hominem cernebant, verum quoque Dei Filium esse crediderunt; et quem sibi corporaliter ablatum noverant, certo semper amore colebant. Justitia cæterorum fidelium, id est, eo-

num qui Dominum in carne non viderunt, hæc est, quod eum quem corporali intuitu nunquam viderunt, Deum et hominem verum corde credunt ac diligunt. De qua profecto justitia fidei arguuntur infideles, cur ipsi videlicet, cum similiter verbum vitæ audirent, noluerint credere in justitiam. Neque enim nequitia malorum ex sua solum pravitate, sed etiam ex comparatione justorum, quam statim damnandi sint denuntiat. Arguit ergo mundum Spiritus sanctus de peccato, quia non crediderit in Christum. Arguit et de justitia credentium, quia exemplum eorum sequi noluerit, qui hunc ad Patrem ascendisse, neque ultra corporaliter in terris conversaturum esse sciebant, nec tamen ab ejus dilectione poterant ulla ratione separari. Hoc est enim quod ait, *quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me*. Non videbitis me, postquam ascendero, qualem nunc videre soletis carne mortali et comprehensibili circumdatum. Sed in majestate ad judicium venientem, et, peracto judicio, in majori gloria cum sanctis apparentem. Sequitur :

De judicio autem, quia princeps mundi hujus judicatus est. Principem mundi diabolum dicit, qui primatum habet in cordibus infidelium, quos hic mundi nomine voluit intelligi, qui ordine perverso mundum potius quam mundi creatorem diligunt; qui judicatus est a Domino, qui ait : *Videbam Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo.* Judicatus est ab eo cum et ipse dæmonia ejiceret, et discipulis daret potestatem calcandi supra omnem virtutem inimici. Arguitur itaque mundus de judicio, quo diabolus est judicatus, quando homines ne Dei voluntati resistere præsumant, exemplo damnati propter superbiam terreantur archangeli. Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccato omnia peccata detinentur. Transeant in numerum fidelium ne arguantur de justitia eorum quos justificatos non imitantur. Caveant futurum judicium ne cum mundi principe judicentur quem judicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Certum est autem quod, veniente desuper Spiritu, apostoli majorem multo scientiam veritatis quam carnales eatenus potuere consecuti sunt, et majore desiderio certandi pro veritate succensi sunt. Non tamen putandum est in hac vita quempiam omnem veritatem posse comprehendere. Unde et ipse beatus Paulus apostolus, qui ad tertium cœlum raptus est, et ibi audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, ait : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Intelligendum est ergo quod ait de Spiritu, *Docebit vos omnem veritatem*, quasi diceret : Diffundet in cordibus vestris charitatem, quæ vos omnem veritatem faciat amare; cujus magisterio intus edocti, proficiatis de virtute in virtutem, dignique efficiamini pervenire ad vitam, in qua vobis æterna claritas summæ veritatis et veræ sublimitatis, id est, contemplatio vestri conditoris appareat.

Non enim a semetipso loquetur; sed quæcunque audiet loquetur. Non enim Spiritus loquetur a semetipso, fortasse quia non est a semetipso, sed a Patre. Nam Filius natus est a Patre, et Spiritus sanctus procedit a Patre. Non enim loquitur a semetipso, id est, sine Patris et Filii communione. Non enim divisus est Spiritus sanctus a Patre et Filio, sed unum opus est Patris, et Filii, et Spiritus sancti: *Sed quæcunque audiet loquetur.* Audiet videlicet per unitatem substantiæ et proprietatem scientiæ. Non enim loquitur a semetipso, quia non est a semetipso: Pater quippe solus de alio non est, Filius a Patre genitus est, et Spiritus sanctus a Patre procedens. Ab ipso enim audiet Spiritus sanctus a quo procedit, quia non est a seipso, sed ab illo a quo procedit. A quo illi est intelligentia, ab illo utique et scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia. Quod vero adjunxit :

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Constat enim nonnullos sanctorum in Spiritu sancto futura prædixisse. Sed tamen altius sunt hæc verba Domini consideranda, quæ omnibus sanctis communia esse possunt. Igitur Spiritus adveniens quæ ventura sunt annuntiabit, cum gaudia nobis patriæ cœlestis ad memoriam reducit, cum festa illa supernæ civitatis per donum nobis suæ aspirationis innotuit. Ventura nobis annuntiat, cum nos a delectatione præsentium abstrahens, promissum in cœlis regnum nostris cordibus desiderandum inflammat.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Spiritus clarificabit Christum, quia per eum ea charitas in cordibus discipulorum accensa est, ut abjecto timore carnali effectum resurrectionis ejus constanter prædicarent, qui paulo ante tempore passionis pavidi fugerant. Unde scriptum est: *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Spiritus clarificavit Christum, cum impleti gratia spiritali doctores sancti tot et tanta miracula in nomine Christi fecerunt, quibus orbem totum ad fidem Christi converterent, tot ac tanta pro Christi nomine passionum certamina pertulerunt. Clarificat, dum charitatem in cordibus nostris diffundit, æternæ patriæ amorem inspirat.

Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, id est, de meo Patre. De Patre accipit Spiritus sanctus, quia de Patre procedit, de quo et Filius natus est. Qui vero de nullo natus est, et de nullo procedit, Pater est solus.

Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : *Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* De his dixit quæ ad ipsam Patris divinitatem pertinent, in quibus ille est æqualis Patri, in qua Spiritus sanctus æqualis est Patri et Filio, qui una substantia, una natura, una majestas, una gloria, una æternitas est Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

et est unus Deus omnipotens, invisibilis et incomprehensibilis omni creaturæ, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. In nomine justitiæ et in Spiritus sancti dono et missione, istarum duarum fit concordia lectionum. Beatus qui intelligit veritatem et sequitur justitiam, quia si in hoc permanserit, simul cum Christo in æternum gaudebit.

HOMILIA XXXVI.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

Lectio Epistolæ B. Pauli ad Galatas.

Fratres, confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis, etc.

Hac spe dicit se confidere, de his quia non sponte erraverunt.

Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille. Quomodo qui errantem converti facit remunerandus est, dicente Jacobo apostolo in Epistola sua : *Qui converti fecerit peccatorem, salvabit animam ejus et operiet multitudinem peccatorum;* ita et qui recta incedentem in iter devium cogit flectere, damnationem consequitur, quicunque fuerit. Hoc propter hos subjicit, ne quis sibi meritum defenderet eo quod filii essent Abrahæ secundum carnem, denique exclamantes dicunt ad Jesum : *Nos filii Abrahæ sumus.*

Ego autem, fratres, si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior ? Apertum est quod dicit; ideo enim quasi inimicus a Judæis odiebatur et non desinebant a persecutione ejus, quia circumcisionem jam cessare docebat. Denique Judæis compellentibus et sæpenumero falsas accusationes contra eum deferentibus, obliquum judicem videns, coactus appellavit Cæsarem.

Ergo evacuatum est scandalum crucis. Scandalum erat Judæis prædicatio crucis, quia sabbatum et circumcisionem evacuabat. Si autem admitteret circumcisionem, non esset scandalum, et pacifici essent nobis Judæi. Nam dicebant de Salvatore : *Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit.* Ergo evacuatum est scandalum crucis.

Utinam et abscindantur qui vos conturbant, id est, utinam abscindantur qui vos subvertunt. Tale est hoc quale et illud ad Corinthios prima : *Qui non*, inquit, *amat Dominum Jesum, anathema sit.* Ex ipso grege morbido sunt et hi, quos sociat sententiæ eorum ut abscindantur a misericordia Dei, qui Galatas Dei gratia exuerunt, et non solum spiritaliter, sed et carnaliter hos maledicit, ut quia circumcidi Galatas cogebant ipsi abscinderentur, ut multiplicaretur his dolor corporis.

Quicunque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi tantum, ut crucis Christi persecutionem non patiantur. In carne placere, hominibus placere significat; ut enim Judæis propitiis aut non infensis viverent, quos pseudoapostolos dicit, sic Christum prædicabant, ut et legem servandam docerent. Quod apostolus nunquam metuit, sed constanter quod verum est non tacuit, et sibi ex his providens quos docebat. *Denique ego*, inquit, *non solum ligari, sed et mori paratus sum in Hierosolyma pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Neque enim qui circumciduntur legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi ut in carne vestra glorientur.* Tale hoc est, quale et illud dictum ad apostolum Petrum : *Si tu cum Judæus sis gentiliter vivis, quomodo compellis gentes judaizare ?* Ita et hic cum ipsi legem non custodirent conversantes injuste, circumcisionem sectabantur, ut perinde vincere et amatores legis viderentur, cum constet hunc legem defendere et custodire, qui justitias ejus exsequitur, et mandatum quod ad vitam pertinens datum est, non prætermittit. Omnes ergo Galatarum excusatio erat eorum hæc, ut vel sic intelligant quia ludebantur, velut stulti et hebetes, de quorum doloribus glorificantur.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo. Quomodo pseudoapostoli tribulationes pro nomine Christi, quasi nihil profuturas per hypocrisin redimebant erubescentes in his, ita et Apostolus gloriabatur de his, sciens magnam pro istis sibi fore mercedem, quemadmodum et cæteris apostolis Christi, sicut scriptum est in Actibus apostolorum : *Tunc*, inquit, *cæsi exierunt apostoli de concilio, gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Cujus ergo omnis spes in Christo est, hic gloriatur in cruce ejus, huic et mundus crucifixus est, certum habens amorem crucis Christi vitam esse, mundi vero amorem parare mortem. Beatus ille est qui mortificat desideria carnis suæ, et patienter suffert tribulationes præsentis vitæ, quia si in hoc studio bono usque in finem perseveraverit, æternæ vitæ cum Christo et sanctis ejus particeps factus, sine dubio in æternum gaudebit. Ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ B. Pauli ad Thessalonicenses.

Fratres, omnes vos filii lucis estis et filii diei; non sumus noctis, neque tenebrarum.

Quomodo dixit, *Sicut fur in nocte, sic veniet*, hoc in loco dicit, quoniam non estis in tenebris, cognovistis enim veritatem. Itaque et si repente dies instat, sed non erga vos ordinem sibi vindicat furis, qui juvandi estis ex ejus adventu, sed illis qui noxam exspectant pœnalem. Et ut recognitionem sufficere sibi non existiment, adjicit

Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui inebriantur, nocte inebriantur. Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, et induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Convenit igitur nos tali remuneratos scientia vigilare, et sobrios esse erga illorum diligentiam quæ nobis conveniant, ad custodiendum

nocturnum tempus, nec nobis necessarium est ad sectandam ebrietatem. Latere enim poterit facile is qui talis est. Illos vero qui per cognitionem tanquam in die jam consistunt, sobrios esse convenit et vigilantes erga studia virtutum, quasi qui et in diei tempore conversantur, in quo neque latere quemquam possibile est, si tamen aliquid ex illis quæ non conveniunt perfecerit. Quæ sunt illa opera per quæ nobis, ut in die conversantibus, deputemus fidem et charitatem, ex quibus spes nobis acquiritur salutis, per quod et Dominus Deus per Christum, qui pro nobis suscipere voluit mortem, salutem nobis prodidit, non pœnam, ut licet secundum præsentem hanc vitam habeamus; hoc enim dicit, *vigilemus* etiamsi egressi fuerimus a vita hac; hoc dicit *dormiamus*. Vult enim dicere ut illi qui tunc vivunt in Christi adventu, B et qui jam sunt mortui, omnes æternam vitam et incorruptam acquiramus, dum illi qui præcesserunt dudum in mortem, ita resurgunt et illi, qui tunc vivunt, in incorruptibilitatem mutantur, sicut idem Apostolus in alio loco dicit, *quoniam omnes immutabimur*. Igitur nihil est quod prohibeat salute nos frui futura, si tamen illa quæ ex nobis sunt minime nobis obstiterint. Et hinc dicens adjicit:

Propter quod consolamini in invicem et ædificate alterutrum, sicut et facitis in Christo Domino nostro, cui est honor et gloria simul cum Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore respiciens Jesus in discipulos suos dixit: Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, etc.

Nempe sicut homo Deum rogat pro discipulis suis, quos accepit a Deo. Attendite quod sequitur:

Ut sint, inquit, *unum sicut et nos*. Non ait ut nobiscum sint unum, aut ut simus unum ipsi et nos sicut unum sumus nos, sed ait: *Ut sint unum sicut et nos*; ipsi utique in natura sua sint unum sicut et nos in nostra unum sumus. Quod procul dubio non diceret nisi secundum hoc diceret, quod Filius æqualis est Patri, sicut in alio loco dicit: *Ego et Pater unum sumus*; non secundum id quod homo est, nam secundum hoc dixit: *Pater major me est*. Sed quomodo una eademque persona est Deus et homo, intelligimus hominem in eo quod rogat, intelligimus Deum in eo quod unum sunt et ipse et ille quem rogat. Sequitur:

Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Me, inquit, veniente ad te, serva eos in nomine tuo in quo eos, quando cum eis eram, et ipse servabam. In nomine Patris servabat discipulos suos filius hominis in humana præsentia constitutus, sed etiam Pater in nomine Filii servabat quos in nomine Filii petentes exaudiebat; his quippe idem Filius dixit: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Simul enim nos custodiunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui est unus A verus et beatus Deus. Intelligamus cum ita loquitur, sicut hic locutus est, personas eum distinguere, non separare naturam, licet ablata ab eis corporali præsentia filii; sed nunquam spiritalis custodia deerat, de qua dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*.

Quos dedisti mihi custodivi; et nemo ex his periit nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. Filius perditionis dictus est traditor Christi, de quo in psalmo centesimo nono maxime prophetatur.

Nunc autem, inquit, *ad te venio; et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*. Ecce in mundo loqui se dicit, qui paulo ante dixerat: *Jam non sum in mundo*. Ergo et quia non natura ibat, hic adhuc erat; et quia fuerat hinc abiturus, hic quodammodo jam non erat. Quid sit autem hoc gaudium de quo ait, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, jam superius expressum est, ubi ait, *ut sint unum sicut et nos*. Hoc gaudium suum, id est, a se in eos collatum in eis dicit implendum propter quod locutum se dixit in mundo. Hæc est pax illa et beatitudo in futuro sæculo, propter quam consequendam temperanter et juste et pie vivendum est in hoc sæculo. Loquens adhuc Dominus ad Patrem et orans pro discipulis suis,

Ego, inquit, *dedi eis sermonem tuum*. In prioribus expositum est.

Et mundus odio habuit. Significat passiones quas in mundo habituri erant a persecutoribus, quos hic C *mundi* nomine demonstrat. Deinde causam subjiciens cur eos oderit mundus:

Quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Sed aliter illi, aliter ego; illi regeneratione, ego generatione; illi eguerunt secunda nativitate, quia in peccatis nati sunt: ego quia sine peccato natus sum, non egui regeneratione. Donatum est ergo eis, ut de mundo non essent: ego vero nunquam fui de mundo, quia nunquam in peccato. Ipse autem de mundo nunquam fuit, quia etiam secundum formam servi de Spiritu sancto natus est, de quo illi renati. Si ergo illi ideo non de mundo quia renati sunt de Spiritu sancto, propterea ille nunquam de mundo, quia natus est de Spiritu sancto.

Non rogo, inquit, *ut tollas eos de mundo, sed ut D serves eos a malo*. Adhuc enim necessarium fuit, quamvis jam non essent de mundo, esse tamen in mundo, ut impleatur quod dictum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*.

Sanctifica eos in veritate. Sic enim servantur ex malo quod superius oravit, ut fieret de malo perfidiæ in quo cecidit Judas proditor. Sanctificantur itaque in veritate hæredes testamenti novi, cujus veritatis umbræ fuerunt sanctificationes veteris testamenti. Et cum sanctificantur in veritate, utique sanctificantur in Christo, qui veraciter dixit: *Ego sum via, et veritas, et vita, et veritas liberabit vos*.

Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Quos misit, nisi apostolos suos? Nam et

ipsum nomen apostolorum, quod Græcum est, nihil nisi *missos* significat in Latino. Misit ergo Dominus Filium suum absque peccato conceptum et natum; misit Filius discipulos suos quos ipse sanctificavit, vel per baptismi sacramentum, vel per sanguinis sui redemptionem, ut prædicarent mundo sanctificationem et ablutionem, et remissionem peccatorum suorum. Unde et subjecit :

Et pro eis ego sanctifico meipsum, id est, in eo quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, Patris. Sanctificatio fidelium est obedientia Filii, qui *obediens fuit Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum*. Quod vero ait :

Ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Hoc est, in me ipso, sicut et ego sanctificatus sum in verbo Dei. Igitur subjecit et ait :

Non pro his rogo tantum, id est, pro discipulis qui cum illo tunc erant.

Sed pro eis, inquit, *qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Ubi omnes suos intelligi voluit : non solum hos qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot postea crediderunt in eum per verbum apostolorum, sine dubio crediderunt, et donec veniat credituri sunt; ipsis enim dixerat : *Et vos testimonium perhibetis quia ab initio mecum estis*.

Ut omnes unum sint. Unum in charitate, unum in fide, unum in pace, quia in unum regnum futuri sunt. Licet in eo regno mansiones diversæ sint propter merita sanctorum diversa, tum quicunque in eo regno erit beatus erit, et sufficit sibi quod habet, in eo gaudet quod possidet.

Sicut tu, Pater, in me et ego in te. Hoc est quod paulo ante dixit : *Ego in Patre, et Pater in me*. Nam totus Pater in Filio est, et totus Filius in Patre; et qui Filium habet, habet et Patrem; et qui Patrem habet, habet et Filium. Unde subjecit :

Ut et ipsi in nobis unum sint. Id est, una charitate nos diligant, et una fide nos credant, et una spe in nos confidant : ut sit unitas corporis in capite, et sit *unus Deus omnia in omnibus*.

Ego in eis, sicut caput in membris, *et tu in me*, sicut pater in filio *ut sint consummati in unum*, id est perfecti, quod perficiat qui nos voluit unum esse in se et per se.

Ut cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos sicut et me dilexisti. Dilexisti eos ut essent quod non erant; dilexisti me ut essem quod semper fui.

Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum. Nunc per fidem, tunc ergo per speciem, cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria. Tunc patet quod erimus, quia tunc apparebit is qui ante erat quam nos essemus.

Ut videant, inquit, *claritatem meam quam dedisti mihi. Pater juste, mundus te non cognovit*. Quia justus es, ideo te non cognovit. Mundus vero quidam natus est per justitiam, te non cognovit; ille vero qui salvandus erat per misericordiam, te cognovit. Mundus vero quem per Christum conciliavit sibi, non merito, sed gratia cognovit. Denique sequitur :

Ego autem te cognovi. Ipse fons gratiæ est Deus natura; homo autem de Spiritu sancto et virgine ineffabili gratia in unitatem personæ Filii Dei assumptus est. Per illum cognoverunt hi et omnes per eos credituri.

Quia tu me misisti, ideo *cognoverunt*, igitur per gratiam cognoverunt.

Et notum feci eis, inquit, *nomen tuum, et notum faciam*. Notum feci per fidem : notum faciam per speciem; notum feci in sæculo peregrinantibus : notum faciam in cœlo regnantibus.

Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. Quomodo autem dilectio qua dilexit Pater Filium est et inter nos, nisi quia membra ejus sumus et in illo diligimur, cum ille diligitur totus, id est, caput et corpus. Ideo subjunxit, *et ego in ipsis*, tanquam diceret : Quoniam ego sum in ipsis, qui si in recta fide et bonis operibus usque in finem perseveraverint, paratus sum regni cœlestis gloriam dare ubi vivant et gaudeant per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Adhuc modicum vobiscum sum, etc.

Tanquam diceret : Continuo quidem resurrectione glorificabor, non tamen continuo ascensurus in cœlum, sed *adhuc modicum vobiscum*, significans quadraginta dies, quibus erat cum discipulis temporibus opportunis apparens illis. Potest tamen intelligi quod parvum tempus illius tantummodo noctis usque ad passionis horam cum discipulis se esse significaverit. Est et alia divina præsentia, sensibus ignota mortalibus, de qua item dicit : *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Hoc certe non est *adhuc modicum vobiscum sum*; sed est *modicum vobiscum sum*, vel ante passionis horam vel post resurrectionem. Alio loco dixit discipulis suis : *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis cum adhuc essem vobiscum*, nisi cum adhuc essem in carne mortali in qua estis et vos. Tunc enim cum hæc diceret in eadem carne suscitata erat, sed cum illis in eadem mortalitate jam non erat.

Quæretis me : sicut dixi Judæis : Quo ego vado vos non potestis venire; et dico vobis modo. Hoc est, modo non potestis. Judæis autem cum hæc diceret, non addidit *modo*. Isti itaque non poterant venire tunc quo ille ibat, sed poterant postea; ideo desiderans eos quomodo idonei esse possent pergere quo ille antecedebat :

Mandatum novum, inquit, *do vobis, ut diligatis invicem*. Hi sunt gressus quibus sequendus est Christus; hoc mandatum charitatis. Innovat quippe audientem vel potius obedientem quasi non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus ut a carnali dilectione distingueret, ait : *Sicut dilexi vos*. Dilectio ista non innovat ut simus homines novi, sed hæredes testamenti

novi. Hæc dilectio populum novum collegit Christo; hæc antiquos Patres innovabat ut essent in Christum credentes qui venturus erat redimere eos. Audiant enim atque custodiant, *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem*, omnes qui volunt fratres esse unici Filii Dei, qui seipsum in hac dilectione tradidit pro nobis. Nam et in hoc mandato illud mandatum est quod prius ponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua.* Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis; nam et qui diligit Deum non eum potest cohibere præcipientem ut diligat proximum, et qui ante atque spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Dominum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta quam distinguendo addidit Dominus, *sicut dilexi vos*, cum Dominus Jesus sanctam dilectionem, qua se invicem diligerent, discipulis commendaret.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Sic utique hoc dixit magistro discipulus et Domino servus tanquam sequi paratus, propterea quippe Dominus qui ejus animum vidit quare hoc interrogaverit, sic ei respondit:

Quo ego vado non potestis me modo sequi. Tanquam diceret: Propter quod interrogas non potes modo. Non ait: Non potes; sed non potes *modo*: dilationem intulit, non spem tulit; et eamdem spem quam non tulit, sed potius dedit, sequenti voce firmavit addendo atque dicendo:

Sequeris autem postea. Respondit Petrus: Quare te non possum sequi modo? Animam meam pro te ponam. Quid in animo ejus esse cupiditatis videbat? Quid virium non videbat? Voluntatem suam jactabat infirmus, sed impendebat valetudinem medicus. Iste promittebat, ille prænoscebat. Qui nesciebat, audiebat; et qui præsciebat, docebat.

Respondit Jesus: Animam tuam pro me pones. Quod promittis, modo non potes; prius est anima mea pro te ponenda, ut possis postea animam tuam pro me ponere; sicque resurrectionis meæ gloria complebitur et passionis tuæ merces in cœlesti regno tibi præparabitur ut cum sanctis angelis vivas et gaudeas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

DOMINICA IV POST OCTAVAM PASCHÆ.

Lectio Epistolæ beati Jacobi apostoli.

Charissimi, estote factores verbi, et non auditores tantum, etc.

Sic et Paulus de legis cultoribus ait: *Non auditores tantum legis justificabuntur apud Deum, sed factores legis justi sunt.* Et in Apocalypsi Joannis, cum dixisset: *Beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ libri hujus*, protinus adjunxit: *Et servat ea quæ in illo scripta sunt.*

Quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Vultum nativitatis dicit vultum infantiæ, quæ nondum ad perfectum pervenit virum.

A Mos mulierum est aspicere se in speculis, ut quidquid in se sordidum perspexerint, aut non bene compositum, in melius emendato, suis satagant placere maritis. Quod facere moraliter animabus convenit nostris. Debemus etenim nos in Evangelii, seu omnium divinarum Scripturarum conspicere speculo, et depositis sordibus, ornatisque moribus animarum nostrarum, Christo vero placere merito [*Forte leg.* marito].

Qui autem perspexerit in lege perfecta libertatis, et permanserit in ea. Legem perfectam libertatis gratiam Evangelii dicit; nihil enim ad perfectum lex adduxit. Et alibi: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Et iterum: *Ubi enim spiritus Do-* B *mini, ibi libertas.* Et ipse Dominus: *Si vos*, inquit, *Filius liberaverit, vere liberi eritis.*

Non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Non auditu verbi supervacuo, sed operis exsecutione beatitudo præparatur, sicut et Dominus loquens ad discipulos: *Si autem scitis, beati eritis*, inquit, *si feceritis ea.*

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Monuerat supra verbum Dei non solum audire, sed et facere, nunc addit, quia et si mandata quis Domini quæ didicit factis exercere videtur, si non etiam linguam a detractionibus, mendaciis, blasphemiis, stultiloquiis, ab ipso etiam multiloquio, cæterisque quibus peccare solet refrenave- C rit, frustra se de operum justitia jactat, sicut et Paulus gentilis poetæ sententiam approbans ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.*

Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est. Pulchre addidit, *apud Deum et Patrem*, quia sunt qui hominibus religiosi videntur, cum coram Deo habeantur profani. Unde et Salomon ait: *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.*

Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo. Quia dixerat factorem operis beatum in facto suo futurum, nunc quæ facta Deo maxime placeant dicit, misericordia scilicet et innocentia. Namque in eo quod pupillos et viduas in tribulatione eorum visitare jussit, cuncta D quæ erga proximum misericorditer agere debemus insinuat. Quod quantum valeat, ipso judicii tempore pandetur, ubi dicturus est judex: *Quandiu fecistis uni de fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Porro in eo quod immaculatos nos ab hoc sæculo custodiri præcepit universa in quibus nos ipsos castos servare decet ostendit; in quibus sunt ea quæ supra observare monuerat, ut tardi simus ad loquendum, et tardi ad iram; et in patientia et in tribulatione præsentis vitæ fortes simus ad sustinendum cuncta adversa, sicque recta fide ac bonis operibus studeamus ad æternam vitam pervenire, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Quod duobus modis intelligi potest : vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est, cognovistis; vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rerum quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis; quia qui petit quod ad supernam salutem et gaudium æternum non pertinet, nihil petere videtur ad comparationem illius petitionis quam petere debuit. *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Ac si patenter dicat : Non fluxa sæculi gaudia, quæ et mœrore semper mixta et dolore finienda sunt; sed illud singulare gaudium a Patre petite, cujus plenitudo nullo cujuslibet inquietudinis attactu minuatur. Æternitas nullo unquam termino dissolvetur, si ei per se præstiteritis talia petendo, procul dubio quæ petitis, accipietis, si mores menti concordant petentis. Parum enim utilitatis affert bene orando superna quærere, qui non destitit perverse vivendo infimis implicari.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam in proverbiis non loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Jam parvuli fuerant; necdum intelligere potuerunt quomodo Pater esset in Filio, et Filius in Patre, et cætera quæ ad profunda mysteriorum divinitatis pertinebant; necdum scire potuerunt, ideo in proverbiis quasi ænigmate loqui illis videbatur Dominus, sed promittit ille horam in qua palam loqueretur. Illam nimirum horam significans qua eis, peracta sua passione ac resurrectione, Spiritus sancti erat gratiam daturus. Tunc etenim spiritaliter intus instructi, spiritali delectatione succensi, quo perfectius omnia quæ agnitione divinitatis mortalibus erant capienda, acceperunt, eo ardentius sola quæ ad ejus visionem promerendam juvarent petere ac desiderare curaverunt.

In illo die in nomine meo petetis. Id est, quæ ad salutem tantummodo animarum vestrarum, et quæ ad gaudia æterna pertinere videntur petere incipietis. Et maxime, ut intelligatis quid sit quod dixit : *Ego et Pater unum sumus*, et quoniam Pater sit in me et ego in Patre. Tunc in nomine ejus petunt, qui petunt, quia in sono ejus nominis non aliud quam rem ipsam esse, quæ hoc nomine vocatur, intelligunt. Hi possunt utcunque cogitare Dominum nostrum Jesum Christum, in quantum homo est, pro nobis interpellare Patrem; in quantum Deus est, nos audire cum Patre. Quod eum significasse arbitror, ubi ait.

Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Potest enim non inconvenienter accipi quod ait, *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis*, quia non de præsenti rogo, sed de futuro. Posuit, *rogabo*, quod sanctis ad æternam pacem receptis non possit jam aliquis rogare de illis, quia nimirum tanta beatitudine donandi sunt, quæ amplior esse non possit.

Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia ego a Deo exivi. Non ita intelligendum est quod dixit, *quia vos me amastis*, quasi priores illi amarent Christum; sed ita potius quia Pater illos gratuito amore prævenerit, atque ad amandum credendumque Filium amando sustulerit. Et quia ipsam agnitam Filii dilectionem ac fidem pie et sollicito corde servaverint, majorum eos donis paternæ dilectionis esse remuneratos, una cum Filio et Spiritu sancto amare, quos amore dignos judicat. Quod adjunxit, *quia vos me amastis*, eadem ratione sentiendum est. Quapropter quicunque Filium recte habet, hunc cum Patre et Spiritu sancto amat; et quia quorum inseparabilis est natura divinitatis, horum una eademque sunt dona virtutis, hoc est, *quod amatis et creditis quia a Deo exivi.*

Exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Exivit a Patre et venit in mundum, quia visibilis mundo apparuit in humanitate qui erat invisibilis apud Patrem in divinitate. Exivit a Patre quia non in ea forma qua æqualis est Patri, sed in assumpta creatura, minor apparuit. Et venit in mundum, quia non in ea forma servi quam accepit, etiam mundi hujus amatoribus se vivendum [*Forte*, videndum] præbuit. Iterum reliquit mundum et rediit ad Patrem, quia ab aspectu amatorum mundi quod viderant abstulit, et se amatoribus suis æqualem Patri esse credendum docuit. Reliquit mundum et rediit ad Patrem, quia humanitatem, quam induit per ascensionem, ad invisibilia paternæ majestatis adduxit. Hæc quidem verba Domini mystica, et, sicut ipse testatur, in proverbiis sunt dicta; sed discipuli quibus dicebantur adeo adhuc carnales erant, ut eorum profunditatem minime caperent, et non solum arcana dictorum, sed nec ipsam ignorantiam suam intelligerent, putantes simpliciter et dilucide prolata, quæ non intelligentibus proverbia erant. Ecce continuo responderunt :

Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Palam igitur loqui æstimabant, cujus mysteria dictorum necdum comprehendere valebant. Quod autem adjungunt :

Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget, in hoc credimus quia a Deo existi, aperte ostendunt quia loquens ad eos Dominus de his maxime disputabat quæ illos delectabat audire; et quæ illi interrogare volebant, hæc ipse præveniens, eis ultro proferebat; unde merito illum scire omnia quasi Deum, et quasi Dei Filium a Deo venisse credunt et confitentur. Apertum namque divinitatis indicium est cogitationum nosse secreta. Iterum duarum in Dei et Patris nomine fit concordia lectionum, quia Patris, et Filii, et Spiritus sancti, una est substantia, una gloria, una majestas regnans per omnia secula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

IN LITANIA MAJORE.

Lectio Epistolæ beati Jacobi apostoli.

Charissimi, confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.

In hac sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus [*Ms.*, coæquales] confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem sacerdoti pandamus; atque ad ejus arbitrium, qualiter et quanto tempore jusserit, purificari curemus.

Multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis; et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Decenter astruit exemplo quantum deprecatio justi valeat assidua, cum Elias una tantum oratione orando tam longo tempore cœlos continuerit, terris imbres averterit, fructus mortalibus negaverit; et rursus ubi voluit, ubi tempus esse perspexit, ubi longo inediæ tabe cor regis superbi et gentis idololatræ ad pœnitentiam vidit inflexum, una solummodo oratione oraverit et fructus atque aquas quas negaverat terris, restituerit. Sic enim sequitur:

Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. Si semel ergo et prius et postmodum oravit, et hoc unus Elias ac tanta impetravit, quantum autem valeat frequens plurimorum oratio justorum ostendit; sed ne trepidaret nostra fragilitas reputans se tanto prophetæ, qui curru igneo rapi meruit ad cœlos, similia facere non posse, consulte beatus Jacobus de ejus oratione locuturus ita inchoavit: *Elias homo erat similis nobis passibilis.* Homo namque erat, tametsi nulli hominum virtute secundus, similis nobis origine carnis, passibilis ut nos et mentis fragilitate et carnis. Nam quod carne fragilis esset apud Sarepthanam viduam victum quærendo monstravit. Quod mente quoque passibilis fuerit, ostendit, cum post redditas terris aquas exstinctosque prophetas et sacerdotes idolorum, unius muliercula minis exterritus, per deserta diffugit. Quanti autem sit meriti apud Dominum pro infirmantibus orare, eosque sua peccata confitentes ad amissam revocare sospitatem subdendo manifestat.

Si quis autem erraverit ex vobis a veritate, et converti quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte. Quia enim in superioribus hujus Epistolæ partibus linguam nostram a maligna vel otiosa locutione restringit, opportune in fine quid maxime loqui debeamus, ostendit. Jubemur itaque orare et psallere Domino quoties aliquibus pulsamur adversis. Item, confiteri alterutrum peccata nostra et orare pro invicem ut salvemur; pro sanitate proximorum non solum temporali, sed potius æterna quantam possumus sollicitudinem impendere curemus. Si enim mercedis est a morte eripere carnem quandoque morituram, quanti est meriti a morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram? Notandum sane quod quidam codices habent: *Salvabit animam suam a morte;* et ex ambiguo Græco ita etiam recte interpretari potest: et revera qui errantem corrigit, sibimetipsi per hoc vitæ cœlestis gaudia ampliora conquirit. *Salvabit*, inquit, *animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum.* Qui peccatorem ab errore convertit et ejus peccata per hanc conversionem ab aspectu interni judicis superpositione vitæ melioris abscondit, sua quoque in quibuscunque offendit errata ab intuitu ejus qui omnia videt proximum curando contegit. Juxta illud Psalmistæ: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Nec obliviscitur beatus Jacobus quod superius ait: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei;* ibi namque imperfectos in propria actione a magisterii officio, quod per jactantiam quærebant, submovet; hic vero instructos ex omni parte, quid erga salutem proximorum per amorem fraternitatis agere debeant, edocet. Quod enim hoc doctor facere perhibetur, hoc alio loco charitas facere memoratur, dicente beato Petro apostolo quia *charitas operit multitudinem peccatorum.* Nec prætereundum quod hæc errantis conversio non solum loquendo, sed plerumque etiam bene agendo perficitur. Nam si quis etiam lingua tacente proximis exempla bonæ actionis ostendit, eosque ad imitanda, quæ neglexerant, eleemosynæ, vel hospitalitatis, vel aliarum opera virtutum, convertit, officium profecto doctoris exsequitur, ac pro ejus, quem correxerat, salvatione fratris certam a pio judice mercedem consequetur.

HOMILIA XLIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Quis vestrum habebit amicum et ibit ad eum media nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod apponam ante illum, etc.

Rogatus a discipulis Salvator non modo formam orationis, sed et instantiam frequentiamque tradidit orandi. Amicus ergo ad quem media nocte venitur, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatione supplicare, et tres panes, id est, intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consolentur labores, efflagitare debemus. Amicus qui venit de via, ipse noster est animus, quoties a nobis recedit, quoties ad appetenda terrena et temporalia foris vagatur. Redit vero cœlestique alimonia refici desiderat, cum in se reversus superna cœperit ac spiritalia meditari. De quo pulchre qui petierat adjungit: Non se habere quod ponat ante illum; quoniam animæ post sæculi tenebras Deum suspiranti, nihil præter eum cogitare, nil loqui, nil libet intueri; solum, quod recognovit, summæ Trinitatis gaudium contemplari, atque ad hoc plenius intuendum pervenire satagit.

Et ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium meum clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare tibi. Ostium amici divini est intelligentia sermonis,

quod sibi apostolus orat aperiri ad loquendum mysterium Christi, clausumque est tempore famis verbi, cum intelligentia non datur, et illi qui evangelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicaverunt. Pueri patrisfamilias jam sunt in secreta quiete cum Domino, et tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intellectum ab ipso Domino, etiamsi homo desit per quem sapientia prædicetur.

Et ille si perseveraverit pulsans: dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Comparatio a minore: si enim amicus homo surgit de lecto, et dat non amicitia, sed tædio compulsus, quanto magis dat Deus, qui sine tædio largissime donat quod petitur: sed hoc se peti vult, ut capaces donorum ejus fiant qui petunt, ne ita de via veniens amicus inedia dispereat, hoc est, ne animus nuper ab erroris sui vanitate resipiscens, desiderii spiritalis diutius inopia tabescat. Petamus epulas verbi, quibus alamur; quæramus amicum qui det; pulsemus ostium, quo servemur absconse: magnam spem dedit et dat ille qui promittendo non decipit. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Ergo, juxta præmissam postulantis amici parabolam, perseverantiæ opus est ut accipiamus quod petimus, et inveniamus quod quærimus, et quod pulsamur aperiatur. Nam si petenti non datur, et quærens non invenit, et pulsanti non aperitur, apparet quod non bene petierit, quæsierit, pulsaverit.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Panis intelligitur charitas, propter majorem appetitum, et tam necessaria, ut sine illa cætera nihil sint, sicut sine pane mensa inops est; cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit.

Aut si piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Piscis est fides invisibilium, vel propter aquam baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur. Quia etiam fides hujus mundi fluctibus circumdata non frangitur, recte pisci comparatur: cui contrarium posuit serpentem propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini male suadendo perseminavit.

Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem? In ovo indicatur spes, ovum enim nondum est fetus perfectus, sed fovendo speratur: cui contrarium posuit scorpionem, cujus aculeus venenatus retro timendus est, sicut spei contrarium est retro, cum spes futurorum in ea quæ ante sunt extendat.

Si ergo, vos cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. Quomodo mali dant? sed malos appellavit dilectores adhuc hujus sæculi et peccatores: bona vero quæ dant, secundum eorum sensum bona dicenda sunt qui hæc pro nobis [bonis] habent, quanquam et in rerum natura ista bona sint, sed temporalia, et ad istam vitam infirmam pertinentia, et quisquis ea malus dat, non de suo dat. *Domini est terra et plenitudo ejus, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt.* Quantum ergo sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi ut accipiamus aliud pro alio cum ab ipso petimus, quando nos etiam, cum simus mali, novimus id dare quod petimus. Non enim decipimus filios nostros: et qualiacunque bona damus, non de nostro sed de ipsius damus. Aliter apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani excesserant, omnibus modis, supernæ bonitatis intuitu, mali esse dicuntur, quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi deitas sola. Omnes vero creaturæ ut beatitudinem æternitatis vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem et gratiam consequuntur. Quod vero dicitur, *quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se*, pro quo Matthæus posuit, *dabit bona petentibus se*, ostendit Spiritum sanctum plenitudinem esse bonorum Dei, et ea quæ divinitus administrantur, non alia absque ea subsistere, quia omnes utilitates quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant. In petitione orationis et in acceptione muneris istarum duarum fit concordia lectionum, quæ utraque in Deum recte credentibus, ac firmiter in ejus misericordiam sperantibus, perveniunt ad salutem perpetuam: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

IN VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI.

Lectio Epistolæ ad Ephesios.

Fratres, unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus, etc.

Gratiam et misericordiam Domini nostri Jesu Christi, quam generi contulit humano, breviter hic Apostolus in electione replicavit præsenti, ut audistis; ait enim: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi;* juxta mensuram namque credentium datur gratia spiritalis, tantum muneris misericordia sua largiens, quantum potest ille cui donatur accipere: *Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Nos qui nunc credimus in Christum de gentibus congregati, cum essemus creatura Dei, diabolo capti sumus et ejus satellitibus distributi: venit igitur Dominus noster Jesus Christus, divinam majestatem abscondens in homine ne a diabolo cognosceretur, et prædicavit nobis, qui a diabolo captivati fuimus, remissionem, et qui in mortis vinculis tenebantur, solutionem: sustinens pro hominibus mortem in humanitate, qui in divinitate mori non potest; et æternam mortem sua morte devicit, et de terra resurgens in excelsa cœlorum hominem, quem assumpsit, evexit; sanctorum ani-

mas qui in inferno tenebantur captivitate eripuit et A ad regna secum cœlorum perduxit, et credentibus in se hominibus Spiritus sancti dona largitus est, ut Apostolus ipse alibi docet : *Alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii quoque interpretationem sermonum : dividens singulis prout vult.*

Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Secundum formam scilicet servi ascendit, ad quam non localiter, sed dignanter descendit. Descendere autem ideo dicitur in infernum ad servandas animas justorum, ut homines etiam secum ad cœlestia revocaret. Qui descendit cum anima in infernum, ipse cum anima et corpore ascendit in cœlum, ut impleret B omnia quæ scripta sunt de gloria triumphi sui.

Et ipse dedit quosdam apostolos, qui per orbem terræ missi sunt prædicare, *quosdam autem prophetas, alios autem evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Quia corpus Domini esse Ecclesia intelligitur, quæ de vivis lapidibus, id est, de hominibus construitur fidelibus, hoc ipsi habent operis ut secundum dispensationem et officia sibi credita Ecclesiam Christi, id est, corpus ejus, ædificent.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Unde omni studio laborandum nobis est primo ut in fidei occurramus C omnes unitatem; deinde in eadem unitate habere agnitionem Filii Dei, ita ut in interiore homine Christum fiducialiter imitando, perfecti viri vocabulum sortiamur. Præsenti enim festivitate, id est, ascensione Christi Domini ad cœlos, quam hodie venerando prævenimus, Deo sumus, dilectissimi, mira reconciliatione sociati et cœlestem misericordiam pleniter consecuti : in qua pax nobis miranda donata est per Christum, quam nullis unquam nostris meritis voluimus adipisci. Nos qui terra videbamur indigni, in hac solemnitate elevati sumus ad cœlum. Qui nec terrestria merebamur, cœlorum transivimus fines et ipsa sede regali decoramur in natura humana. Exsultemus itaque, dilectissimi, D gaudio spiritali, et digna apud Deum gratiarum actione lætantes, liberos cordis oculos ad illam altitudinem in qua Christus est, erigamus : sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælatos peritura non occupent, viam veritatis ingressos vanitates mundanæ non retrahant. Nihil est autem validius, dilectissimi, contra diaboli dolos, quam benignitas misericordiæ et largitas charitatis, per quam omne peccatum aut vincitur aut declinatur. Sed hujus virtutis sublimitas non prius apprehenditur quam illud quod ei est adversarium, subruatur. Quid ergo tam inimicum misericordiæ et operibus charitatis quam avaritia, de cujus radice omnium malorum germen emergit? quæ nisi in suis fomitibus enecetur, necesse est ut in agro illius in quo hujus mali plantatio convaluit, spinæ potius tribulique vitiorum quam ullum veræ virtutis semen oriatur. Resistamus ergo, dilectissimi, huic tam pestifero malo et charitatem, sine qua nulla virtus potest nitere, sectemur, ut per hanc, qua ad nos Christus descendit, dilectionis viam, et jam nos ad ipsum possimus ascendere, cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto honor in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem

In illo tempore, sublevatis Jesus in cœlum oculis, dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, etc.

Potuit silenter hæc eadem verba orationis Patri Filius dicere, sed oratio Filii doctrina est discipuli, nec non et eorum qui illorum exempla sequi voluissent, vel eorum scripta legere. Dixit, *venit hora*, hora utique passionis appropinquat. *Clarifica Filium tuum*, id est, resurrectionis gloriam præcedat humanitatis passio, et subsequatur cito resurrectionis clarificatio. Sequitur :

Ut Filius tuus clarificet te. Clarificatio Patris æterna est, quæ nec augeri nec minui potest; sed hæc clarificatio ad notitiam Dei Patris pertinet, ut resurrectionis gloria, in Filio peracta, innotesceret Deus Pater toto orbi, qui ante in Judæis tantummodo notus erat. *Clarifica Filium tuum ut Filius tuus clarificet te.* Quasi dixisset, Resuscita me, ut innotescas toto orbi per me. Sequitur :

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Id est, omnis hominis, a parte totum, nam caro pro homine toto dicit. Hæc ait ut ostenderet magis ac magis quomodo clarificaturus esset Patrem. *Sicut ergo dedisti ei potestatem*, inquit, *omnis carnis, ita clarificet te Filius.* Id est, notum te faciat omni carni, quam dedisti ei. Sic enim dedisti, ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam.

Hæc est autem vita æterna : ut cognoscant te solum verum Deum, et, quem misisti, Jesum Christum. Ordo verborum est iste : Et quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum. Plena cognitio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, plena est et perfecta vita æterna, summa beatitudo est; summa beatitudo non est nisi in vita æterna; ideo dixit : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te et quem misisti, Jesum Christum, solum et verum Deum.*

Ego clarificavi te super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Quid est quod præterito tempore posuit, *clarificavi* et *consummavi*, et statim subjunxit futuri temporis verbum, *faciam*, nisi quod omnia Deo sunt præsentia et in divina prædestinatione futura quasi transacta esse credenda sunt? Quod enim futurum fuit ut fieret, hoc ei quasi transactum fuit. *Ego te clarificavi.* Quasi dixisset, Ego te clarificabo prædicationis gloria, quam in discipulis meis toto mundo efficiam, dum opus con-

[illegible] passionis meæ et resurrectionis, quod dedisti mihi ut faciam.

Et nunc vero *clarifica me tu, Pater*. Dicendo enim, *te clarificavi super terram*, se a Patre apud eumdem Patrem postulans clarificandum, modum profecto utriusque clarificationis ostendit: ipse quippe Patrem clarificavit super terram, eum gentibus prædicando; Pater vero ipsum apud semetipsum ad suam dexteram collocando. Subjunxit, *claritate quam habui apud te priusquam mundus fieret*. Ordo verborum est, quam habui apud te priusquam mundus esset. In hoc valet quod ait, *et nunc clarifica me*, hoc est, sicut tunc, ita et nunc; sicut tunc prædestinatione, ita nunc perfectione: fac in mundo quod apud te fuerat ante mundum, fac in suo tempore quod ante omnia tempora statuisti. Convenit nos B intelligere in hoc loco prædestinationem claritatis humanæ, quæ in illo est, naturæ ex mortali immortalem apud Patrem futuræ, et hoc jam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset quod in mundo etiam suo tempore fieret. Sicut de nobis dixit Apostolus: *Sicut elegit in ipso ante mundi constitutionem*.

Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Quod ergo facturus erat per doctores sanctos in toto orbe post gloriam resurrectionis et ascensionis suæ, et post Spiritus sancti dona quæ in discipulos delata sunt, hoc quasi factum esse dixit. Tale est hoc quale et illud quod paulo ante dixit: *Ego te clarificavi super terram*. Pro tempore futuro et illic et hic præteritum ponens C tempus, sicut qui sciret prædestinatum esse ut id fieret, et ideo fecisse se dicens quod erat sine ulla dubitatione facturus. Sequitur:

Tui erant, et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. Quanquam et hæc omnia de omnibus futuris fidelibus dici potuerunt spe perfecta cum adhuc essent futura, tamen et hæc specialiter de discipulis dici possunt, ad quos tunc præsentialiter loquebatur. Quia illud quod sequitur:

Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex his periit nisi filius perditionis, Judam significans, qui D tradidit eum, qui unus fuit de duodecim, magis huic sensui convenit, ut apostolis specialiter hæc loqueretur. Deinde subjungit:

Nunc autem ad te venio. Cum manifestum est eum de corporali sua dixisse præsentia, *cum essem cum eis ego servabam eos*, veluti jam cum eis ea præsentia non esset, eo modo enim significare voluit ascensionem mox futuram, de qua dicit: *Nunc autem ad te venio*. Iturus utique ad dexteram Patris, unde venturus est ad vivos et mortuos judicandos. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*. Non illud nomen quo Deus es, sed illud nomen quo Pater es, quod nomen manifestari non potest sine illius Filii manifestatione. Nam vero illud nomen quod Deus est, nulli naturæ rationabili incognitum omnimodis esse putavit. Hæc est enim vere vis divinitatis, ut creaturæ rationali non omnino incognitus possit abscondi; exceptis paucis, in quibus natura rationalis nimium depravata est. Propemodum omnes gentes Deum esse fatentur, licet diversis erroribus verum Deum agnoscere impediantur. Quod vero in Psalmis legitur: *Notus in Judæa tantum Deus*, quia legitimo cultu tantummodo Deum verum cognoverunt et coluerunt. *Et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt*. Id est, cognoverunt quia abs te sunt: simul enim Pater dedit omnia cum genuit eum qui haberet omnia, sicut in prioribus hujus Evangelii ipse Dominus ait: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*. Id est, genuit Filium vitam habentem in semetipso. *Quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, et ipsi acceperunt*. Id est, intellexerunt atque tenuerunt. Tunc enim verbum accipitur quando mente percipitur, et tenetur ne oblivione pereat. *Et cognoverunt*, inquit, *vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti*. Et hic subaudiendum est *vere*; quod enim dixit, *cognoverunt vere*, exponere noluit adjungendo *et crediderunt*. Hoc itaque crediderunt vere quod cognoverunt vere; id enim est *a te exivi*, quod est, *tu me misisti*. Sed tamen adhuc non erant discipuli tales quales eos futuros esse dicit, verbis præteriti temporis usus quasi jam esset, pronuntians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu sancto, qui eos, sicut promissum est, doceret omnia et induceret eos in omnem veritatem. Dedit eis verba, sicut dixit, quæ dedit ei Pater, sed quando illa non foris in auribus sed intus in cordibus spiritaliter acceperunt. Tunc vere acceperunt, quia tunc vere cognoverunt; vere autem cognoverunt, quia vere crediderunt. Sed hæc verba quæ dicit Filius sibi Patrem dedisse, si ad Divinitatis unitatem intelligitur pertinere, eo modo dedit verba Pater Filio, quo genuit Verbum coæternum sibi; si vero ad humanitatem respicit, quis intelligit quo modo dedisset, vel quomodo accepisset Deus homo factus ex Virgine, quando etiam ipsam, quæ de Virgine facta est, generationem quis enarrabit? Sequitur:

Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi. Hæc enim dixit inter alia, dum oraret pro eis quos dedit ei Pater. Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, et non sunt in ea forte gratia, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro eis quos Pater dedit rogare se dicit. Per hoc enim quod eos illi Pater jam dedit, factum est ut non pertineant ad eum mundum pro quo non rogat. Deinde subjungit, *quia tui sunt*. Neque enim quia Pater eos Filio dedit, amisit ipse quos dedit, cum adhuc Filius sequatur ac dicat: *Et mea omnia tua*

sunt, et tua mea; ubi satis apparet quomodo unici Filii sunt omnia quæ sunt Patris; per hoc utique quod etiam ipse Deus est, et de Patre Patri est natus æqualis. Hoc enim dictum est de sancta et rationabili creatura, quam elegit Deus et quæ subdita est Patri et Filio, et æqualiter sunt Patris et Filii. Hæc ergo cum sit Dei Patris, non simul esset et Filii, nisi Patri Filius esset æqualis. Nec fas est ut sancti de quibus hæc locutus est cujusquam sint, nisi ejus a quo creati et sanctificati sunt. Ergo cum et Patris et Filii sunt, æquales esse demonstrant, quorum æqualiter sunt. *Et clarificatus sum,* inquit, *in eis.* Nunc suam clarificationem, tanquam facta sit, dicit, cum adhuc esset futura. *Et clarificatus sum in eis.* Id est, per eorum prædicationem clarificatus sum in toto mundo. Et quia prædestinatum est ut fieret, certum voluit esse quod futurum erat: ideo præteriti temporis verbo usus est. *Et jam,* inquit, *non sum in mundo, et hi in mundo sunt.* Significat horam qua transiturus erat ex hoc mundo; et verbo præsentis temporis usus est pro futuro, quia quod cito erat futurum quasi factum esse dixit. Quod autem ait, *et hi sunt in mundo,* significat eos ad quos loquebatur, tardius transire ex hoc mundo, dum illo abeunte ex hoc mundo, necesse esset ut illi remanerent, per quos prædicaretur nomen ejus sanctum in mundo. Prævidensque quid eos movere posset qui non audirent hæc quæ legerent, adjecit: *Nunc autem ad te venio.* Ascensionis gloriam designat, per quam elevatus est homo super altitudinem cœlorum et omnium angelicarum potestatum dignitates, ita ut in dextera Dei Patris collocaretur, ubi manet cum ipso et regnat simul cum sancto Spiritu unus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

Lectio Actuum apostolorum.

Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est, etc.

Lucas evangelista, fratres mei, qui unum ex quatuor Evangeliis scripsit, ipse librum Actuum apostolorum, unde nunc præsens lectio sonuit, edidit: ubi et primitus de ultimo convivio quod Dominus post resurrectionem suam cum discipulis suis habuit, simul et de ascensione ejus ad cœlum quam hodie celebramus, mentionem facit. Exordium enim ipsius libri ita est. *Primum quidem sermonem feci,* id est, Evangelium, *de omnibus, o Theophile* episcope, qui hunc me librum Actuum apostolorum scribere cogis, quæ cœpit Jesus, primo signa monstrando vel ea quæ ad exempla vitæ pertinebant, facere et postea docere: quia Jesus, bonum doctorem instituens, nulla nisi quæ docuit fecit, *usque in diem qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est,* dans præcepta ante assumptionem observare et adimplere quæ vel in hoc libro vel in Evangeliis leguntur.

A *Quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* Per hanc quadraginta dierum cum discipulis conversationem significat omnia se, tam aperta quam occulta, quæ promiserat impleturum; et de multis vel unum dicamus quod ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Et convescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris. Quod cibos cum discipulis sumpsit, hoc ideo fecit ut eamdem, quam mortuus suscitaverat, carnem, palpando atque tractando veram monstraret. Sequitur:

Quam audistis, inquit, *per os meum, quia Joannes*
B *quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Fuerunt autem jam apostoli aqua baptizati, sed nondum Spiritu sancto pleniter, qui eis promittitur post ascensionem illam futurus. Neque autem ipsi apostoli, neque successores eorum, hucusque in Ecclesia aliter quam Joannes Baptista, id est, in aqua, baptizare valebant; sed tamen, invocato nomine Christi, adest interior virtus Spiritus sancti, quæ hominem in aqua mergendo baptizatorum simul animas et corpora purificet, quod in Joannis baptismate non fiebat.

Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. Consequenter de regno Dei percunctantur,
C utrum videlicet mox adveniente Spiritu sancto, in præsenti esset restituendum, an in futuro sanctis reservandum credere. *Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora et momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ostendit quia non expedit nobis nosse mortalibus diem vocationis nostræ, ut semper incerti de adventu judicis, ita sollicite quotidie vivamus, quasi die alia ad judicium properare debeamus.

Sed accipietis, inquit, *virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Ac si diceret, Non enim putare debetis veniente in vos Spiritu sancto, statim hujus mundi fieri consummationem, sed vobis tantum virtutem
D de me testificandi præbere.

Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Ubique creatura creatori suo præstat obsequium: astra indicant nascentem, patientem obnubunt, recipiunt nubes ascendentem, redeuntem ad judicium comitabuntur.

Et ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui eis dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Id est, in ea forma carnis atque substantiæ veniet judicaturus, in qua venit judicandus. Nos ergo dignis moribus ascensum in cœlum nobis præparemus, et peregrinari nos in hac mundi valle

cognoscamus, in qua etiam si quædam commoda blandiuntur, non amplectenda sunt nequiter, sed despicienda sunt fortiter. Ideo, dilectissimi fratres, si ascendere vultis in cœlum, hoc in spe nostra interim roboremus; in hoc votis omnibus æstuemus, hoc meditemur in terris, quod computamur in cœlis. Tunc exuturi carnis mortalitate, nunc exuamus animum vetustate; facile enim corpus levabitur in alta cœlorum, si non premat spiritum sarcina peccatorum. Quapropter, dilectissimi, erigamur ad eum qui pulverem nostræ abjectionis corpus fecit gloriæ suæ, et ut ascensionis ejus mereamur esse consortes humilitati et patientiæ ipsius per omnia congruamus. Magni nominis malitiam [*Forte*, militiam], magnæ promissionis suscepimus disciplinam. Sectatores Christi discedere a regia non licet via, nec dignum est temporalibus occupari ad æterna tendentes. Et quia pretioso sanguine Christi redempti sumus, glorificemus et portemus Deum in corpore nostro, ut ad ea quæ fidelibus per omnia sunt præparata pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVII.

IN EODEM FESTO

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore novissime recumbentibus undecim discipulis, apparuit Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.

Quomodo *novissime?* quasi jam ultra eum non viderent: novissimum quippe illud est quod Dominum apostoli in terra viderunt, quando ascendit in cœlum, quod factum est quadragesima die post resurrectionem. Nunquidnam tunc exprobraturus erat quod non credidissent eis qui eum viderunt resurrexisse, quando etiam et ipsi post resurrectionem toties eum viderant? Illud ergo accipimus post multas demonstrationes ejus, quibus per dies quadraginta discipulis præsentatus est, eum etiam novissime recumbentibus illis undecim apparuisse, id est, ipso quadragesimo die. Et quomodo jam erat ab eis ascensurus in cœlum, hoc eis illo die maxime exprobrare voluisse, quod his qui viderant eum resurrexisse non crediderant antequam ipsi eum viderent, cum utique post ascensionem suam prædicantibus illis Evangelium, gentes quod non viderunt fuerint crediture. Post illam quippe exprobrationem secutus ait idem Marcus.

Et dixit eis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo prædicaturi, quomodo qui non crediderit condemnabitur, cum id utique non crediderit quod non vidit; nonne ipsi primitus fuerant objurgandi quod antequam Dominum vidissent, non crediderint eis quibus Dominus apparuisset? Quod vero dixit eis: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Nunquid sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum? ut ideo discipulis dicatur, *prædicate omni creaturæ?* Sed omnis creaturæ nomine potest omnis caro gentium designari. Ante etenim dictum fuerat: *in viam gentium ne abieritis*, nunc autem dicitur, *prædicate Evangelium omni creaturæ;* ut scilicet prius a Judæa apostolorum repulsa prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero; verum dicit, si fidem operibus tenet: vera etenim fides est quæ in hoc quod verbis dicit moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit, *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Joannes ait: *Qui dicit se nosse Deum et mandata ejus non custodit, mendax est.* Cum autem dicatur, *qui vero non crediderit, condemnabitur,* quid hic dicemus de parvulis, qui per ætatem adhuc credere non valent, nam de majoribus nulla quæstio est? in Ecclesia ergo Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea, quæ illis in baptismo remittuntur, peccata traxerunt.

Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo ejicient dæmonia, linguis loquentur novis; serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Nunquid quoniam signa non facimus, minime credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt: ut enim fides credentium cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convaluisse videmus; at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est etenim quod Paulus dicit: *Linguæ in signa sunt non fidelibus, sed infidelibus.* An habemus de his signis atque virtutibus, quæ adhuc subtilius considerare debeamus? Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes ejus cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi dæmonia ejiciunt? Et fideles quique qui jam vitæ veteris sæcularia insonant [*Forte* miserunt], conditoris sui laudem et potentiam, quantum prævalent, narrant. Quid aliud faciunt, nisi novis linguis loquuntur? qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt; et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahunt, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, et exemplo suæ operationis illorum vitam roborant, qui in propria actione titubabant, quid aliud faciunt nisi super ægrotos manus imponunt ut bene habeant? Quæ nimirum miracula tanto majora sunt, quanto

spiritalia : tanto majora sunt, quanto per hæc non corpora sed animæ suscitantur.

Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei. Considerandum nobis est quid est quod Marcus ait, *sedet à dextris Dei?* Stephanus dicit : *Video cœlos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Quid est quod hunc Marcus sedentem, Stephanus vero stantem, se vidisse testatur? Sed scimus quia sedere judicantis est, stare vero pugnantis vel adjuvantis. Quia igitur Redemptor noster assumptus in cœlum, et nunc omnia judicat, et ad extremum judex omnium veniet, hunc post assumptionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis suæ gloriam judex in fine videbitur; Stephanus vero, in laboris certamine positus, stantem vidit, quem adjutorem habuit, quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnavit.

Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Quid in his considerandum est, quid memoriæ commendandum? nisi quod præceptum obedientia, obedientiam vero signa secuta sunt. Restat sane quæstio non minima, quomodo scripserit idem evangelista dixisse angelum mulieribus : *Ite, dicite discipulis ejus et Petro quia præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*, nec tamen ibi visum a discipulis Dominum in ullo posthæc Evangelii sui loco retulerit, sed quod ita ab angelo et a Domino dictum sit, prophetice dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur vel *transmigratio* vel *revelatio*. Prius itaque, secundum transmigrationis significationem, quid aliud occurrit intelligendum, *præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*, nisi quod Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad gentes, quibus apostoli prædicantes Evangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet, et hoc intelligimus *præcedet vos in Galilæam*. Quod autem mirarentur gaudentes, disruptis et evictis difficultatibus, aperiri sibi ostium in Domino per illuminationem fidelium, hoc intelligitur, *ibi eum videbitis*, id est, ibi membra ejus invenietis, ibi vivum corpus ejus in eis qui vos susceperint, agnoscetis. Secundum illud autem quod Galilæa interpretatur *revelatio*, non jam in forma servi intelligendum est, sed in illa qua æqualis est Patri, quam promisit apud Joannem dilectoribus suis cum diceret : *Et ego diligam eum et ostendam meipsum illi.* Illa erit revelatio tanquam vera Galilæa, cum similes ei erimus ubi eum videbimus sicuti est. Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si ejus præcepta sic amplectamur, ut ad dexteram ejus segregari mereamur : tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. In ascensione Domini istarum duarum fit concordia lectionum, ubi demonstratur ejus resurrectionis atque ascensionis gloria de hoc sæculo, et venturum ejus judicium in fine præ-

A sentis sæculi, quando unicuique reddet præmia secundum propria merita, ubi mansuri erunt sine fine per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

Lectio Epistolæ B. Petri apostoli.

Charissimi, estote prudentes et vigilate in orationibus, etc.

Et Dominus in Evangelio nos incerti finis intuitu semper orare ac vigilare præcepit. Ait namque loquens de die judicii : *Vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante filium hominis.* Bene autem in orationibus vigilare jubemur, ut cum stamus ad orationem, cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec
B quidquam tum animus præter id solum cogitet quod precatur. Subrepit enim frequenter hostis, et subtiliter fallens, preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde et aliud proferamus in voce, cum intentione sincera Deum debeat non sonus vocis, sed animi sensus orare.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes. Bene addit *continuam*, quia semper diligere valemus, semper autem vigilare in orationibus, fragilitate carnis obstante, nequimus, semper his, quas subjungit, virtutibus insistere minime valemus, id est, hospitalitati, doctrinæ, administrationi gratiarum, vel communium vel spiritalium in proximos, cæterisque hujusmodi; quia hæc nimirum et per officium corporis, et per
C tempora opportuna fieri necesse est : ipsa autem charitas, cujus instinctu hæc foris aguntur, quæ interiori homini præsidet, semper ibidem haberi potest, quamvis in publicum non semper ostendi potest.

Quia charitas operit multitudinem peccatorum, etc. In eo maxime cum Deo dicitur veraciter, *et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et siquidem cuncta opera bona quæ facimus, culpas quas fecimus diluere et cooperire certum est; sed hæc ideo specialiter de charitate dicit, per quam proximis nostris ea quæ nobis debent donamus, quia justissimum est apud Deum ut juxta mensuram pietatis qua mensi fuerimus, remetiatur nobis. Sicut e contra terribiliter duri cordis vir sa-
D piens arguit dicens : *Homo homini servat iram et a Deo quærit medelam.* Nec dubitandum quod in eo quoque qui per charitatem, quidquid valet erga correctionem proximi, admonendo, increpando, castigando, operatur, charitas ipsa cooperit multitudinem peccatorum.

Si quis loquitur quasi sermones Dei. Timens videlicet ne præter voluntatem Dei, vel præter quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicat aliquid vel imperet, et inveniatur tanquam falsus testis, aut sacrilegus, vel introducens aliquid alienum ad doctrinam Domini ; vel certe subrelinquens et prætermittens aliquid eorum quæ Deo placita sunt, cum ipse manifestissime prædicatoribus veritatis de his

quod vita imbuerunt præcipiat dicens : *Docentes eos* A *servare omnia quæcunque mandavi vobis.* Et ea enim quæ ipse mandavit, non alia, et hæc non ex parte sed omnia suis auditoribus ad servandum contradere jubet.

Si quis ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus : Tanto humilius impendat quisque proximo bonum omne quod potest, quanto certissime novit quoniam a semetipso non potest habere quod impendat, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, juxta ipsius Jesu Christi præceptum quo ait : *Videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Honorificatur ergo Deus in actibus nostris, cum omne quod bene ac secundum voluntatem Dei facimus, non hoc nostris meritis, sed ejus gratiæ tribuimus ; e contra autem mala quæ gerimus nostræ soli malitiæ, vel inertiæ, vel ignorantiæ deputamus : ideo necesse est ut vitam nostram in omnibus secundum voluntatem Dei ordinemus, et ea quæ ab eo jussa sunt studiose faciamus ; quæ autem ab eo prohibita sunt nullo modo agantur, sed in recta fide et bonis operibus usque in finem vitæ perseverare contendamus : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Cum venerit Spiritus paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre meo, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, etc.

Ex multis sancti Evangelii locis invenimus quia discipuli ante adventum sancti Spiritus minus capaces erant ad intelligendum arcana divinæ sublimitatis, minus fortes ad toleranda adversa humanæ pravitatis ; sed eis, adveniente Spiritu, cum augmento divinæ agnitionis data est etiam constantia ad vincenda humanæ persecutionis tentamenta : unde eos Spiritus sancti adventu promisit roborandos esse, vel ad fiduciam prædicationis, vel ad constantiam passionis, sicut in ipso principe apostolorum factum esse cognovimus, qui prius ad unius ancillæ vocem Christum timuit confiteri, quem postea palam, et omnibus cæteris constantius, Spiritu sancto roboratus multis Judæorum millibus prædicavit ; ita ut ad ejus prædicationem tria millia virorum legamus credidisse et baptizatos esse, et non post multum temporis etiam quinque millia credidisse. Quod vero ait, *qui a Patre procedit*, et statim subjunxit, *quem ego mittam*, significat quod æqualiter idem Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit et æqualiter a Patre et Filio mittitur : sed propter distinctionem personarum hic dicitur a Patre procedere et a Filio mitti, in eadem distinctione personarum unam esse operationem ac voluntatem suam cum Patris voluntate denuntiat. Venit etiam et sua sponte, quoniam æqualis est Patri et Filio, ut cognoscatur unam esse voluntatem atque operationem sanctæ Trinitatis.

Ille, inquit, *testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis.* Quia quod Spiritu intus docente perceperunt, hæc, abjecto timore, præstiterunt foris loquendo et aliis ministrando. Ipse namque Spiritus corda eorum ad scientiam veritatis illustravit, et ad docenda quæ noscent culmina veritatis erexit. *Cum autem venerit*, ait, *Paracletus, ille testimonium perhibebit de me.* Tanquam diceret, Odio me habuerunt et occiderunt videntes, sed tale de me Paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes. *Et vos*, inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis et vos, qui ab initio mecum B estis, potestis prædicare quod nostis quod modo non facitis, quia illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis.

Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Curavit namque pius magister futura discipulis pravorum bella prædicere, quo minus hæc eos venientia possent turbare ; solent enim levius ferri adversa quæ præsciuntur, quam quæ subito ex desperato superveniunt. Sicut in sæculari litteratura legitur, sæpe repentini casus et perturbationes fortissimos quosque in bello milites solent fatigare.

Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Arbitrabantur enim obsequium se Deo præstare Judæi, in eo quod ministros C Novi Testamenti odiis insequebantur et morte ; sed, sicut illis testimonium perhibet Apostolus, æmulationem habent sed non secundum scientiam. Arbitrantur ergo legis æmulatores obsequium se præstare Deo, dum præconibus gratiæ neces inferunt, sed ejus legem quæ per famulum data est defendunt, qui gratiam quam ipse Filius offert accipere renuunt. Sed incassum Patri placere æstimant, qui Dei Filium contemnere, imo etiam persequi ac blasphemare laborant. Duo dixit illis esse ventura a Judæis, id est, ut extra synagogam eos facerent, et ut eos interficerent, quæ etiam ad cumulum damnationis illius populi pertinebant, ut ad salutem gentium profutura fuissent. Sicut Paulus in Actibus apostolorum illis Judæis dixit : *Quia indignos vos verbo D Dei fecistis, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salvus in ea usque ad extremum terræ.* Sequitur :

Et hæc facient quia non noverunt me neque Patrem meum. Quia enim Filius in Patre, et Pater est in Filio, et qui videt Filium videt et Patrem, patet profecto quod quicunque Filii credulitatem obstinata mente rejiciunt, nec Patrem nosse probantur.

Hæc ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram. Magna consolatio est discipulorum ut reminiscerentur ante prædicta esse a magistro quæ passuri essent, et eumdem se scirent habere adjutorem et remunera-

torem, pro cujus nomine talia passuros se esse prædictum est illis.

Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Quæ sunt quæ ab initio illis non dixit? Etiam de Spiritu sancto quem missurus erat illis a Patre, et de consolatione et confirmatione ejusdem Spiritus, quo consolandi et roborandi fuissent, ut omnia mundi adversa, vel Judæorum scandala et persecutiones, libero animo formidare non debuissent.

Hæc ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Quoniam mea præsentia consolabatur vos. Istarum duarum in charitatis officio fit concordia lectionum, quam qui perfecte habet, et tam corde quam operibus pleniter usque in finem vitæ servare contendit, sine dubio æterno regno et contemplatione vultus Dei, et sanctis angelis fruetur in perpetuum: præstante Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA L.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos.

Fratres, vidimus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

Hic ostendit quia gloria et honor crux est Christi, pro qua modicum minoratus est ab angelis, sicut ipse Dominus eam semper vocat dicens: Ut glorificetur filius hominis. Si ille ea quæ pro servis passus est gloriam vocat, multo amplius tu, homo, qui pro Domino pateris, tibi ad gloriam pertinere sempiternam dubitare non debes. Addidit, *ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Ipsum vero gratiam nominat qui pro omnium salute gustavit mortem; non enim debebatur nobis ut Filius pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit, ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem si non omnes credunt, ille tamen quod suum erat implevit, propterea dixit, gustavit mortem, quia brevi tempore in illa fuit, ut ea devicta confestim resurgeret.

Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Decebat enim per passionem consummare. Id est, perficere omnium salutem, *per quem omnia*, id est, per ejus mortem, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris restaurata sunt, per quem etiam omnia creata sunt. Vides quantum est in medio nostrum, et ipse Filius et nos filii, ille proprius, nos adoptati: sed ille salvat et nos salvamur. Vides quomodo nos et conjungit et discernit: multos filios, inquit, inducens in gloriam, hic conjunxit, auctorem, inquit, salutis eorum, hic discrevit.

Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Ecce iterum quomodo conjungit honorans et consolans, et Christi fratres eos nominans, secundum quod ex uno eos esse dicit. Deinde muniens A sermonem suum et ostendens quomodo de eo qui secundum carnem est dixit, *qui enim sanctificat*, hoc est Christus; *et qui sanctificantur*, hoc est, nos, intueris quantum interest? Ille sanctificat, nos sanctificamur. Addidit, *ex uno omnes.* Unus est enim Deus a quo omnia; sed ille aliter, aliter et nos; ille quasi proprius Filius, nos vero quasi adoptivi. Attamen unum habemus Patrem Deum; ille quasi proprius Filius sanctificat, nos sicut adoptivi sanctificamur, propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens:

Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. In eo enim quod dixit, *non erubescit fratres eos vocare*, demonstrat nostræ naturæ esse fraternitatem, sed misericordiæ ejus et humilitatis multæ, quia nos fratres B elegit sibi. Et hoc prophetico affirmat testimonio, ne quasi novum putaretur, et non multo ante prædictum. Ait enim, *nuntiabo fratribus meis;* post sacram passionem et resurrectionem dicit gloriam Divinitatis toto orbe vulgandam. *Nuntiabo* enim dicit, id est, narrare facio, sicut in Evangelio mulieribus dixit: *Ite, nuntiate fratribus meis;* fratres autem dicuntur et qui diligunt et qui diliguntur. Addidit:

In medio Ecclesiæ laudabo te. In medio sanctorum laus Domini resonat per eum qui ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et revelasti ea parvulis.* Laus Domini vera non solum ore sed etiam corde, amantis et perficientis præcepta Domini narratur. Et iterum: *Ego* C *ero fidens in eum.* De suscepto homine hoc dictum est, cujus confidentia tota in Deo Patre esse non dubium est; sicut in Evangelio ipse ait pro quibus supplicabatur dicens: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, et isti sint mecum.* Quos etiam ut confidentiam haberent exhortabatur dicendo: *Confidite, ego vici mundum.* Et iterum:

Ecce ego et pueri quos mihi dedit Deus. Hoc testimonium de Isaia protulit Apostolus ad Christum, et ad apostolos referens, quos propter innocentiam pueros nominavit. De quibus ipse Dominus ait: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.*

Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem. Hic astruit D fraternitatem veram et humanitatem in Christo non fictam: sicut pueri carne et sanguine constant, et ille participavit carni et sanguini, ut haberet unde gustaret mortem pro puerorum salute, cujus dispensationis affatim causam subjungens:

Ut per mortem, inquit, *destrueret eum qui habebat mortis imperium.* Hoc est diabolum. Hic admirabile quiddam demonstrat, quia per quod potestatem habuit diabolus, per hoc victus est: arma quæ fuerant illi fortia adversum mundum, hoc est mors, per eam illum Christus percussit; hic magnitudinem virtutis ejus qui vicit insinuat, ostendendo quantum bonum operaretur mors.

Et liberaret, inquit, *eos qui timore mortis per to-*

tam vitam obnoxii erant servituti. Quare tremitis, quare timetis eam quæ jam condemnata est; jam terribilis non est, sed optabilis, quasi laborum finis et requiei initium. Cur, ait, *timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti?* Servi siquidem mortis omnes fuerant quia mortem timebant, necdum erant soluti a timore mortis, cujus legibus tenebantur. Nunc itaque sancti derident eam, qui, agone transacto et morte devicta, ad regnum transituri sunt. Unde et ipse Paulus ait : *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*

Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus similari. Honorat hic patriarcham eosque qui de ejus sunt genere, ad quos hæc Epistola scripta est. Commemorat ergo de beneficiis Dei, et de propinquitate carnali ad Christum, et de promissione quæ dicta est ad Abraham : *Tibi et semini tuo dabo terram hanc. Quia ex uno omnes.* Id est, ab Abraham Christus secundum carnem et illi ad quos hæc loquebatur. Quod vero superius ait : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem.* Exsequitur amplius hunc sensum, unde participaret carnem et sanguinem. Ideo ait, *non enim quemquam angelorum apprehendit*, id est, non cujuslibet angeli naturam suscepit, sed semen Abrahæ apprehendit. Non enim angelis una dignitas donata est, ut in unam personam Dei Filius eorum naturæ conjungeretur, sed honorem et hanc dignitatem humanæ naturæ Deus Dei Filius contribuit, ut Deus et homo una esset persona. Quare dixit *apprehendit?* quia nos quasi recedentes ab eo et longe fugientes insecutus apprehendit, et in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit. *Unde debuit*, inquit, *per omnia fratribus similari.* Quid est, *secundum omnia?* Natus est, inquit, educatus crevit, passus est omnia quæ oportuit, in fine mortuus est : hoc est secundum omnia fratribus similari. Quoniam multa quippe dixit de majestate ipsius et superiore gloria, jam de dispensatione movet sermonem, ut contemplemur cum quanta sapientia illum ostendit multum studium habentem ut nobis similaretur, quod fuit curam de nobis plurimam gerentis. Dicens enim superius : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participatus est iisdem;* et hic dixit secundum omnia fratribus similari, quasi dicens : Qui tam magnus est, qui est splendor gloriæ, qui est character substantiæ, qui sæcula fecit, qui sedet in dextera Patris, iste voluit et studuit frater noster in omnibus fieri.

Ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Dominum, ut repropitiaret delicta populi. Nec itaque fuit alia causa illi per omnia fratribus assimilari, nisi ut fidelis pontifex esset in nobis, nostrisque propitiaret delictis.

In eo enim in quo passus est ipse tentatus, potens est eis qui tentantur, auxiliari. In eo, id est homine, in quo passus est, potens est vinctos liberare tentatosque adjuvare ne vincantur, quia tentationes nostras non solum sicut Deus, sed etiam sicut homo in seipso per experimentum cognovit; licet Deus in sua natura sit impassibilis, tamen in nostra quam assumpsit, idem Dei Filius passibilis fuit nostræ naturæ consimilis. In ea vero carne quam suscepit multa sæva passus est, novit quid est tentatio patientium : ipse tentatus est sed non superatus. Quid est ergo quod dicit, *potest eos qui tentantur adjuvare?* Tanquam si quis diceret : Cum multa alacritate protendam manum ad compatiendum.

Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum Christum Dominum nostrum. Adhuc etiam de incarnationis Christi loquitur mysterio, nam in Evangelio ipse testatur se missum non esse nisi ad oves perditas, hoc est, domus Israel. Apostolus igitur Græce, Latine missus dicitur. Cognoscite quid est Jesus sacerdos et qualis, et non habetis opus consolatione alia neque solatio. Pontificem enim eum dixit confessionis nostræ, id est fidei nostræ, cui iste populus novus commissus est, sicut et Moysi prior populus in regimen datus est : sed huic majora et longe meliora commissa sunt. Vult enim beatus Paulus erigere animos Israelitarum ad excellentiam promissionum Dei, ut intente parent se accipere quod Deus benigne illis promisit afferre per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint; quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis.

Manendo quippe in Christo quid velle possunt, nisi quod convenit Christo. Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod alienum non est a salute? Nec enim petere volunt, nisi quod expedit ad salutem. Manentes autem in eo cum verba ejus in nobis manent, quodcunque voluerimus, petamus et fiet nobis. Quia si petimus et non fiet, non hoc petimus quod ad illud pertinet ut maneat in eo, nec quod suadent verba ejus quæ in nobis manent, sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis quæ non est in eo, et in qua non manent verba ejus. Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus quæ præcepit et diligimus quæ promisit. Magis magisque Salvator gratiam qua salvamur discipulis loquendo commendans :

In hoc, inquit, *clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.* Si enim hoc gloriæ est Patris ut fructum plurimum afferamus et simus discipuli Christi, non hoc nostræ gloriæ tribuamus, tanquam hoc ex nobis ipsis habeamus : ejus est enim hæc gratia, et ideo in hoc non nostra sed ejus gloria. A quo ergo efficiamur ut simus discipuli Christi, nisi ab illo cujus misericordia prævenit nobis velle, subsequitur

posse, quæ ad id pertineant, ut perpetualiter maneamus.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos, manete in dilectione mea. Ecce unde sunt nobis bona opera? nam unde nobis essent, nisi quia fides per dilectionem operatur; unde autem diligimus, nisi prius diligeremur? Et unde illa dilectio Dei in nobis esset, nisi prius nos sua præveniret gratia, in qua nos dilexit cum essemus in peccatis, et convivificavit nos in Christo? Quod autem ait, *sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos,* non æqualitatem naturæ ostendit nostræ et suæ, sicut est Patris et ipsius, sed gratiam qua est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Mediatorem se ostendit cum dixit: *Dilexit me Pater et ego vos,* nam Pater utique diligit et nos, sed in ipso, quia in hoc clarificatur Pater ut fructum afferamus in vite, hoc est in Filio, et efficiamur ejus discipuli. *Manete,* inquit, *in dilectione mea;* quomodo manebitis audi quod sequitur:

Si præcepta mea, inquit, *servaveritis, manebitis in dilectione mea.* In hoc enim apparebit quod in dilectione mea manebitis, si mea præcepta servabitis. Nemo se fallat dicendo quod eum diligat, si ejus præcepta non servet, nam in tantum eum diligimus, in quantum ejus præcepta servamus; in quantum autem minus servamus, in tantum minus diligimus. Quid est quod dixit, *manete in dilectione mea,* nisi manete in gratia mea? Et quid est, *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea,* nisi ex hoc scietis quod in dilectione mea, qua vos diligo manebitis, si mea præcepta servabitis? Sed quid est quod adjungit: *Sicut et ego præcepta Patris mei servavi et maneo in ejus dilectione.* Quæ sunt præcepta Patris nisi quæ ante dixit, *sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Quod Apostolus exponens ait, *Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Adjungit: *et maneo in ejus dilectione.* De hac dilectione dixit, qua diligit eum Pater, sed nunquid et hic gratia intelligenda est, qua Pater diligit Filium, sicut gratia est qua nos diligit Filius, cum simus nos filii gratiæ, non naturæ; unigenitus autem natura non gratia, manet ergo Filius dilectione qua eum dilexit Pater, et ideo servavit præcepta. Quid est, *ille homo ex virgine natus,* nisi quod Deus susceptor est ejus, Deus enim erat unigenitus Dei Patris Filius, sed ut mediator daretur nobis per ineffabilem gratiam, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. In vobis sit verbum meum et impleatur. Quid est gaudium Christi in nobis, nisi salus nostra propter quam factus est homo? Et quid est gaudium vestrum quod dicit implendum, nisi ejus habere consortium, sicut in sequentibus dicit. *Volo Pater ut ubi sum ego, et isti sint mecum.* Gaudium igitur ejus de salute nostra, quod illi semper fuit quod præscivit et prædestinavit nos, cœpit esse in nobis quando vocavit nos. Et hoc gaudium merito nostrum dicimus, quo et nos beati futuri sumus. Illius vero gaudium semper perfectum est, nec minui potest, nec haberet quo cresceret; hoc vero gaudium nostrum inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Nam in superioribus dixit dum de dilectione præcepit, *mandatum novum do,* modo dixit, *præceptum meum.* Novum dixit ne in vetustate nostra perseveremus, hic dictum est meum, ne contemnendum putemus, repetitio vero hujus mandati commendatio est. Quia sine charitate nullum præceptum Deo est acceptabile, de qua Apostolus ait: *Plenitudo legis est charitas;* ubi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? ubi autem non est quid est quod possit prodesse? Nemo diligit qui non credit, nemo desperat qui diligit, et hæc tria spes, fides, charitas, in quibus Christiana religio consistit; sed majus his est charitas, quia non præterit, sed permanet, cum hic incipit, illic perficietur ubi permanet. Hoc ergo præceptum Domini teneamus ut nos invicem diligamus, et quidquid aliud præcipit facimus, quomodo quidquid est aliud habemus. Hujus dilectionis in seipso exemplum ostendit et ideo subjunxit, *ut diligatis invicem sicut ego dilexi vos.* Ut quid enim nos dilexit Christus, nisi ut possimus regnare cum Christo? Ad hoc nos diligere debemus, ut habeamus Deum et maneamus in Deo, et sic qui se diligunt Deum diligunt, et hæc est dilectio qua fit Deus omnia in omnibus. Sequitur:

Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quid est quod Dominus noster Jesus Christus, toties charitatis præcepta iteravit, nisi quod omne præceptum et omne opus bonum in sola charitate solidatur. Præcepta ergo Dominica et multa sunt per diversitatem operis, et unum in radice dilectionis. Hanc itaque charitatem veraciter habet, qui et amicum diligit in Deo, et inimicum diligit propter Deum. Ideo subjunxit *sicut ego dilexi vos,* id est, ad hoc amate ad quod amavi vos, unde et in cruce positus oravit pro inimicis suis, dicens: *Pater, ignosce illis, majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* In hoc Christi dilectio supereminet in nos, quia venit ut animam suam poneret pro amicis suis, ad hoc tamen ut ex inimicis faceret amicos, sed non omnium est martyrium, tamen omnium beneficium est fratribus misericordiam impendere. Qui vero substantiam suam fratri in necessitate posito non tribuit, quomodo animam suam in persecutione daturus est pro fratre suo? Virtus vero hujus charitatis est in pace sua distribuere pro Christi amore, ut possit in perturbatione seipsum tradere pro nomine ejus.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Magna est dignitas amicum esse Dei, sed videndum est quibus gradibus ad hanc celsitudinem perveniatur, subjungit, *si feceritis quæ ego*

præcipio vobis. Ac si aperte dicat, gaudetis de culmine, pensate quibus laboribus pervenitur ad culmen. Magna est misericordia largitoris nostri, servi non fuimus digni, et amici vocamur. Ideo subjungit :

Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Aliud est servitium timoris, aliud amoris, quæ duo ipsa Veritas in hoc eodem Evangelio exprimit dicens : *Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet*, filius servit Patri propter amorem, servus autem propter timorem. De quo servitio modo Dominus dixit : *Jam non dico vos servos sed amicos*, quia filii non servi, ideo et amici, *quia servus nescit quid faciat dominus ejus*. Nescit enim voluntatem Domini sui, qui per timoris amaritudinem servit Domino, et non per charitatis dulcedinem quasi Patri serviat.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. Quæ sunt omnia quæ audivit a Patre suo, quæ nota fieri voluit servis suis, ut eos perficeret amicos suos, nisi gaudia internæ charitatis, nisi illa festa supernæ patriæ, quæ nostris quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimit. Sed hæc cognitio quæ nunc ex Patre proficit in illa plenitudine scientiæ perficietur, de qua Apostolus ait, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Hoc enim Dominus discipulis se fecisse dixit, quod se facturum esse sciebat.

Non vos me elegistis sed ego elegi vos, hæc est ineffabilis gratia quæ prævenit nos, ut simus amici ex servis, ideo nobis non subrepat superbia, quasi per nos possimus facere, ut paulo ante ipsa Veritas ait : *Sine me nihil potestis facere.*

Et posui vos ut eatis et fructum afferatis. Posui, ad gratiam plantavi, ut eatis volendo, fructus afferatis, operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere jam multum ire est. Qualem vero fructum afferre debeant, subjungit :

Et fructus vester maneat, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Nomen filii Jesus est, Jesus autem Salvator vel etiam salutaris dicitur. Ille ergo in nomine Salvatoris petit qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet, nam si id quod non expediat petitur, non in nomine Jesu, petimus, quapropter opus est ut pro æterna salute adipiscenda usque in finem certemus, sicque habebimus hic consolationem in præsenti tribulatione, et in futura vita requiem percipiemus æternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen

HOMILIA LII.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Ego mitto promissum Patris mei in vos.

Promissum Patris Spiritus sancti gratiam dici et in Evangelio Joannis plenius, et hic quoque breviter intimatur cum sequitur :

Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. De qua virtute, id est, Spiritu sancto, et Mariæ dicit Angelus : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et ipse Dominus alibi : *Nam et ego novi virtutem de me exisse.* Sed et ipse Lucas apertius in Actibus apostolorum hujus promissæ virtutis ex alto, et præceptæ in civitate sessionis meminit. *Præcepit, inquiens, eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris quam audistis*, inquit, *per os meum.* Quia Joannes quidem baptizavit aqua, *vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Et paulo post, *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes.*

Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. Prætermissis omnibus quæ per quadraginta dies agi ab illo cum discipulis potuerunt, primo die resurrectionis ejus, conjungit tacite novissimum diem quo ascendit in cœlum. Pulchre autem ascensurus in cœlum, discipulos quibus benedicat foras in Bethaniam educit. Primo quidem propter nomen civitatis, quæ domus obedientiæ dicitur, quia qui propter inobedientiam perversorum descendit, propter obedientiam nimirum conversorum ascendit. Mortuus est enim sicut Apostolus ait propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Deinde etiam propter situm ejusdem villæ sive civitatulæ, quæ in latere montis olivarum posita esse narratur, quia videlicet obedientis Ecclesiæ domus Apostolico digna hospitio, non alibi quam in ipsius montis summi, id est, Christi latere fidei, spei, dilectionisque suæ fundamenta locavit, De quo nimirum latere lancea patefacto sacramenta sibi sanguinis, et aquæ quibus nascatur simul, et nutriatur gaudet emanasse, de cujus vertice uberrimo, id est, apice divinitatis unctionis spiritalis munera desiderat, lucisque ac pacis perpetuæ promissa inhianter exspectat.

Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno; et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum. Ascendente in cœlum Domino discipuli adorantes in loco ubi steterunt novissime pedes ejus confestim Hierosolymam redeunt, quia ibi promissionem Patris quam audiere per os Domini sunt exspectare præcepti, gaudia magna referunt, quia Deum ac Dominum suum post triumphum resurrectionis, etiam cœlos penetrasse lætantur. Manent semper in templo laudantes et benedicentes Deum, ut in loco orationis, et inter laudum devotiones promissum sancti Spiritus adventum promptis per omnia paratisque cordibus exspectent. Et nos autem discipulorum exemplo post celebrata Hierosolymis, hoc est, in visione pacis Dominicæ passionis et resurrectionis solemnia Bethaniæ mox arva Christo duce petamus, ut cum

mente quieta et ab omni discordiarum turbine, jam pacata carnis et sanguinis perceptione imbuamur, ipsi domus obedientiæ curemus exsistere, per quam possimus Deo miserante gloriam consequi sempiternam.

HOMILIA LIII.

IN SABBATO VIGILIÆ PENTECOSTES.

Require in sabbato sancto Paschæ. I. *De Genesi,* Tentavit Deus Abraham. II. *De Deuteronomio,* Scripsit Moyses canticum. III. *De Isaia,* Apprehendent septem mulieres. IV. *De Jeremia,* Audi, Israel. *De Psalmo* XLI. *Canticum.* Sicut cervus.

Lectio libri Geneseos.

In diebus illis tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum : Abraham, Abraham. Ille respondit : Adsum. B *Ait illi : Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque offer ibi holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.*

Age nunc videamus quid sub hujus sacramenti lateat mysterio. Iste enim Abraham quando filium suum unicum perduxit ad immolandum habebat personam Dei Patris. Sed quid est quod eum senex suscepit? Non enim senescit Deus, sed ipsa pronuntiatio de Christo jam quodam modo senuerat, quando natus est Christus. Inchoata est ab Adam ubi dictum est : *Et erunt duo in carne una, et completa est sexta ætate sæculi quæ senecta significatur Abrahæ.* Quia ipsum sacramentum Dei jam longævum erat, et senectus sacra in plebe Dei, hoc est, C in multitudine Prophetarum hoc idem significat, quia in fine temporum ex ipsa plebe sanctarum animarum natus est Christus, sterilitas autem ejus intimat, quod in hoc sæculo spe salvi facti sumus, et in Christo tanquam in Isaac, omnes nati sumus, quem partum Ecclesia in fine temporum mirabili Dei gratia, non naturali fecunditate procreavit. Jam deinde sequentis historiæ sacramentum, quid imaginarie portendebat inspiciendum est. Quis ergo in Abraham ut prædictum est, per illam immolationem figurabatur nisi Pater excelsus? Quis in Isaac nisi Christus? Nam sicut Abraham unicum et dilectum filium Deo victimam obtulit, ita Dominus Deus unigenitum filium suum pro nobis omnibus tradidit. Et sicut Isaac ipse sibi ligna portavit qui- D bus erat imponendus, ita et Christus gestavit in humeris lignum crucis suæ, in quo erat crucifigendus, duo autem servuli dimissi et non perducti ad locum sacrificii Judæos significabant. Qui cum serviliter viverent et carnaliter saperent, non intelligebant humilitatem Christi, ideo quia non intelligebant passionem Christi non pervenerunt ad locum sacrificii. Cur autem duo servi? Nisi quia populus ipse in duas partes dividendus erat, quod factum est Salomone peccante, quando divisus est idem populus loco regni, non errore impietatis, quibus etiam sæpe per Prophetas dicitur : Adversatrix Israel et prævaricatrix Juda. Asinus autem ille insensata stultitia Judæorum, ista insensata stultitia portabat omnia sacramenta, et quod ferebat nesciebat. Jam quod dictum est eis :

Exspectate hic cum asino : postquam autem adoraverimus, revertemur ad vos. Apostolum audi, cæcitas, inquit, ex parte in Israel facta est, donec plenitudo Gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Ad tempus ergo cæcitatis obtusio data est Judæis his, qui dum æmuli legis sunt, non viderunt donum venisse promissum a Deo quod prædicabatur a Christo. Zelo enim excæcati sunt putantes legem factorum nunquam debere cessare. Triduum autem illud in quo venerunt ad locum immolationis, tres mundi ætates significat, unam ante legem, aliam sub lege, tertiam sub gratia. Ante legem ab Adam usque ad Moysen, sub lege a Moyse usque ad Joannem, inde jam a Domino et quidquid restat, tertius dies est gratiæ, in qua tertia ætate quasi post triduum sacramentum sacrificii Christi completum est, deinde Isaac ligatis pedibus altari superponitur, et Dominus in ligno suspensus cruci affigitur. Sed illud quod figuratum est in Isaac transgestum est ad arietem. Cur? quia Christus ovis, ipse enim filius, ipse agnus filius quia natus est, aries quia immolatus. Sed quid est quod in vepribus hærebat aries ille, crux cornua habet. Sic enim duo ligna compinguntur secum et speciem crucis reddunt, unde scriptum est de eo. *Cornua in manibus ejus sunt,* cornibus ergo hærens aries crucifixum Christum significat. Vepres autem spinæ sunt, spinæ iniquos et peccatores significant, qui suspenderunt Dominum in cruce, inter spinas itaque peccatorum Judaicorum suspensus est Dominus, sicut per Hieremiam idem dicit, spinis peccatorum suorum circumdedit me populus hic. Alii hunc arietem cornibus in vepribus obligatum eumdem Christum senserunt, ante quam immolaretur spinis a Judæis coronatum. Peracto igitur sacrificio dicitur Abrahæ, *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quando enim hoc factum est, nisi quando dicit ille aries, *foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea.* Hoc enim quando peractum est illud in Psalmis sacrificium, tunc in ipso Psalmo dictum est, *commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Immolato igitur Abraham pro Isaac filio suo ariete, vocavit nomen loci illius, Dominus videt, pro eo quod Dominus videri se fecit utique per incarnationem, quam pro redemptione generis humani suscepit, et per quam omnes electos suos ad vitam perducet sempiternam Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Lectio libri Deuteronomii.

In diebus illis scripsit Moyses canticum, etc. *Require in vigilia Paschæ.*

Lectio Isaiæ prophetæ.

In diebus illis apprehendent septem mulieres, etc. *Require in vigilia Paschæ.*

HOMILIA LIV.

IN EODEM FESTO

Lectio Jeremiæ [Baruch] prophetæ.

Audi, Israel, præcepta vitæ: auribus percipe ut scias prudentiam, etc. Hæc lectio tam Israelitas juxta historiam quam etiam populum Christianum secundum allegoriam docet atque exhortatur ut auditum cordis adhibeat ad discenda mandata Dei et Evangelicam doctrinam percipiendam impleatque opere quod intelligit corde.

Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es inveteratus? coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum his qui in inferno sunt, causam vindictæ quam prior populus perpessus est in captivitate terræ alienæ sub interrogatione exquirit, sed mox exponit, *unde eis tanta mala venerunt*, scilicet quod dereliquerunt fontem sapientiæ Deum verum, et Dominum nostrum Jesum Christum, quoniam si Dei mandatis obedirent, cum pace in terra sua habitarent similiter etiam ecclesiasticus populus, si Evangelica præcepta recte credendo et bene vivendo custodiret et peccata in quantum posset devitaret: in pace sempiterna habitaret, unde Scriptura dicit: pax multa diligentibus nomen tuum, Domine, et non est in illis scandalum, etc.

Disce ubi sit sapientia, ubi sit virtus ubi sit prudentia, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum et pax. Provocat ergo admonitio prophetica auditores suos ad exquirendam sapientiam divinam, et virtutem atque prudentiam. Et quæ est illa nisi redemptor noster, qui est sapientia Dei et virtus, et salvator omnium hominum, maxime fidelium. De quo Apostolus ait: *Christum dico virtutem et Dei sapientiam, nec est aliud nomen datum hominibus sub cælo in quo oporteat salvari.* Qui ergo credit in illum et mandata ejus recte custodit non confundetur in æternum, quia ipse lux est vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et pax firma quæ fecit utraque unum, et medium parietem dissolvens interfecit inimicitias in carne sua. Ipsius ergo locus est sacrum Evangelium, et sacra scripta ubi sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, mysteria videlicet divina a sæculis et generationibus, revelantur autem fidelibus et bene devotis hominibus per ipsum mediatorem Dei et hominum, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Sequitur:

Ubi sunt principes gentium et qui dominantur super bestias quæ sunt in terra? Qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis possessionis eorum? Qui argentum fabricant et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum. Et tamen exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii in locum illorum surrexerunt. Juvenes viderunt lumen et habitaverunt super terram, viam autem disciplinæ nescierunt, neque intellexerunt semitas ejus, neque susceperunt eam filii eorum, a facie illorum longe facta est. Arguit propheta stultitiam gentium, quæ in principibus suis videbantur dominari super bestias terræ et ludos exercere manibus cœli, et in hoc voluptatem suam explere se posse æstimabant, et per avaritiam argentum et aurum multum exquisierant, et possessiones ultra modum habere certabant, feceruntque sibi sculptilia atque simulacra ex auro atque argento juxta inventionem quam ipsi sibi excogitaverunt. Et licet in plurimis divitiis et opibus terrenis sibi applauderent, qui spem suam totam in illis posuerunt, tamen præsentem vitam in carne mortali finierunt. Illorumque animæ pro errore et malefactis eorum inferno demersæ sunt, et alii in locum ipsorum surrexerunt juvenes, viderunt lumen et habitaverunt super terram. Juvenes hic possumus philosophos gentium intelligere, qui aliquam scintillam scientiæ, in diversis artibus et disputationibus disertæ linguæ acceperunt, sed tamen hanc veraciter per omnia non invenerunt, quia ad terrenam sapientiam et istius mundi stultitiam quidquid in dogmatibus suis proferebant totum redigebant, viam autem disciplinæ nescierunt, quia viam disciplinæ quæ Christus est, quomodo ipse est auctor totius boni nescierunt, neque intellexerunt semitam mandatorum ejus, nec ipsi, nec filii eorum, hoc est, imitatores perfidiæ illorum, longe enim a facie eorum facta est, quia veram fidem Christi percipere renuerunt. Unde de illis Psalmista ait: *Longe est a peccatoribus salus, quia justificationes Dei non exquisierunt.* Sequitur:

Non est audita in Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiantes terræ [Merrhæ] et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiæ et intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum ejus. Per nomina locorum in quibus gentes olim habitabant exprimitur erroris eorum nequitia et doctrina stultitiæ. Nam Chanaan interpretatur negotiator, Theman interpretatur Auster. Agar interpretatur advena vel conversa. Quicunque enim negotiis terrenis indiscrete abutitur et ardore cupiditatis inhianter incumbit, alienumque a disciplina Domini et sanctæ Ecclesiæ societate effecerit, fabulisque otiosis et vanis lusibus se occupaverit, licet se prudentem æstimet, per omnia se stultum esse indicat, quia viam veritatis, et sapientiæ normam non eligit et judicia Dei discere et servare per omnia spernit. Postquam propheta de reproborum damnatione sermonem explevit, convertit se ad prædicandam laudem domus Dei et virtutis divinæ potentiam demonstrandam dicens:

O Israel! quam magna domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magus est et non habet consummationem; excelsus et immensus. Ibi fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipien-

tioni. Domus ergo Dei non tantum tabernaculum Moysi, vel templum Salomonis, cum significat, quam etiam sanctos homines qui fuerunt sub Vetere et Novo Testamento, in quibus Deus ipse inhabitat et permanet in sempiternum. Hæc ergo domus est hic [illegible] possessionis Dei magnus est, et non habens consummationem, excelsa et immensa. Quia sancta Ecclesia per totum mundum diffusa et dilatata est, nec habet terminum, quia in cœlo et in terra in sanctis angelis et bonis hominibus consistit. Quod autem dicit quod gigantes ibi fuerint nominati illi qui ab initio fuerunt statura magna scientes bellum, significat superbos homines qui ante adventum Domini fastu principatus sui et mundanæ sapientiæ super cæteros homines in terra se exaltabant, et prudentiores atque potentiores se esse jactitabant. Qui quoniam veritatem veræ sapientiæ ignoraverunt, et disciplinam justitiæ non observaverunt, ideo juste Dei judicio perierunt. Unde autem vera sapientia in mundum venerit, sequens sermo ostendit.

Quis ascendit, inquit, *in cœlos?* Nullus alius nisi Dominus Jesus Christus, qui in cœlis regnat cum Patre et Spiritu sancto. Ipse enim sicut a Patre est genitus, ita et ab ipso accepit sapientiam, qua in servis suis, hoc est, in prophetis et apostolis, qui merito nubes vocantur, eo quod occultum Dei donum in se gestabant, sanorum verborum pluviam juxta dispensationem divinam in mentes fundebant humanas. Hinc quoque per Psalmistam dicitur: *Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in abyssis. Ipse perfecit terram in æterno tempore.* Quia per ipsum cœlum et terra condita sunt ab initio. In principio enim, hoc est, in Filio, fecit Deus cœlum et terram, id est, cœlestem ac terrestrem creaturam.

Adimplevit terram pecudibus, [illegible] materia diversa condita [illegible] etiam in pecudibus diversæ personæ hominum intelligi, quibus auctor omnium [illegible] arbitrium [illegible] ciunt, ut fiat in eis quidquid ille [illegible] ipsius potestate consistunt cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, nec ulla creatura resistere poterit voluntati ejus.

Stellæ autem, hoc est, prædicatores sancti, *dederunt lumen* sanæ doctrinæ *in officiis suis*, [illegible] gaudio magno lætitiæ spiritalis implebant officium prædicationis, et hoc donum quod acceperant non sibi sed divinæ deputabant largitati.

Hic est Deus noster, [illegible] *æstimabitur alius adversus illum*. Quod [illegible] diligentius [illegible]

Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, hoc est, præcepta legis divinæ.

Et dedit illam Jacob puero suo, et Israel electo suo. Hoc est, populo priori, patriarchis videlicet atque prophetis, nec non et omnibus qui fidem rectam habebant, et ei devote serviebant. Post hæc vero tempore incarnationis suæ super terram visus

A est, et cum hominibus conversatus est prædicans Evangelium et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.

HOMILIA LV.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, cum Apollo esset Corinthi, et Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum et inveniret quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? etc.

Plenissime quidem nobis, dilectissimi, causam atque rationem præsentis festivitatis divinorum eloquiorum textus ostendit, quo Spiritum sanctum quinquagesimo post resurrectionem die, qui ab ascensione ejus est decimus, infusum Christi discipulis
B sicut promissus sperabatur, agnovimus, sed ad monendos vos addendus est etiam sermo ex lectione præsenti quam audistis. *Factum est*, inquit, *cum Apollo esset Corinthi et Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum et inveniret quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes*, hoc est, si post baptisma manus impositionem, quam Spiritum sanctum dare solet, accepistis. *At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus*
C *esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum.* Non hoc baptisma remissionem peccatorum dare potuit, sed pœnitentiam tantum docere; nam sicut circumcisio in patriarchis signaculum erat fidei quam gerebant, ita et hoc lavacrum populus pœnitens quasi singulare signaculum suæ devotionis accepit. Quod tamen ipsum etiam figuraliter Christi baptisma quo remissio daretur ostenderat.

His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Si enim talibus sola communicatio corporis et sanguinis Christi, ut quidam dogmatizant, sufficere potuisset, non opus esset a discipulis Christi baptizari quos Joannes aqua baptizaverat, sed tantum corporis et sanguinis Christi participatione confirmari. Baptismus enim a pœna æterna non a præsentis
D vitæ supplicio liberat. Quod si a pœna præsenti homines liberarentur per baptismum, ipsum putarent baptismi præmium, non illud æternum. Attamen soluto reatu peccati manet quædam temporalis pœna, ut illa vita ferventius requiratur quæ erit a pœnis omnibus aliena. Nullus negat fidelium etiam post baptismum quo peccata delentur quotidie quamdiu in isto sæculo sumus, ad Dominum nos debere converti, quod quamvis sine intermissione sit quotidie agendum, nunquam tamen fecisse sufficiet. Qui autem in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest. Neque enim dici regeneratio in eum poterit quem generatio non præcessit. Qui sce-

lerate vivunt in Ecclesia et communicare non desi- A nunt, putantes se tali communicatione mundari, dicant nihil ad emundationem proficere, sibi dicente Propheta, *quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas?* et Apostolus: *probet*, inquit, *se homo et sic de pane illo edat et de calice bibat*. Nos vero, dilectissimi, Deo auxiliante dedignemur servire peccato, quibus tanta beatitudo præparatur in cœlo. Dum ergo licet nobis et in nostra potestate est, falsa et transitoria respuamus ut ea quæ vera bona sunt recipiamus a Domino, evacuemur vitiis, et virtutibus repleamur, largiente Domino nostro Jesu Christo qui vivit cum Patre et Spiritu sancto, et regnat unus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis, etc.

Quid est, quod dicit quod diligentibus Deum et servantibus mandata ejus Spiritus paracletus daretur? dum Deus diligi et mandata ejus servari non possint nisi per Spiritum sanctum. Quid est aliud nisi quod, qui per Spiritum sanctum diligit Deum meretur diligendo ut plus habeat, et plus habendo plus diligat. Paracletus quippe consolator interpretatur, et Spiritus sanctus recte paracletus vocatur: quia corda fidelium ne inter hujus sæculi adversa deficiant cœlestis vitæ desideriis sublevat ac reficit. Habebant itaque discipuli Spiritum sanctum, sed occulta quadam inspiratione per quem Dominum diligebant, sed nondum habebant sicut Dominus promittebat: habebant siquidem occulte, quem postea quadam manifestatione habituri erant: id est, dum igneis linguis venit et sedit super eos, et linguis loquebantur magnificantes Deum. *Rogabo*, inquit, *Patrem meum et alium paracletum dabit vobis*, ostendens seipsum esse paracletum. Habebant autem et prius paracletum ipsum videlicet Dominum secum in carne commorantem; cum et miraculorum dulcedine, et opere prædicationis, ne propter infidelium persecutionem scandalizari possent, erigi et confortari solebant. *Rogabo*, dixit, propter humanitatem, qui dat cum Patre per divinitatem, *ut maneat vobiscum in æternum*. In æternum namque manet cum sanctis, quos et in hac vita semper invisibiliter intus illustrabit, et in futuro ad contemplandam perpetuo spem suæ majestatis introducet.

Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum nec scit eum. Mundum autem appellat homines mundi hujus amori datos. Mundus ergo eum accipere non potest, id est, mundiales homines, qui non habent invisibiles charitatis oculos, quibus solummodo Spiritus sanctus videri potest et sciri sciendoque intelligi.

Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit. Erit ut maneat in æternum. Dominum namque salvatorem et infideles ante passionem in carne viderunt, sed quia Filius Dei esset, quia paraclitus a Deo missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctum neque oculis videre infideles, neque animo valebant cognoscere, quia non indutus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos venire, ita apud eos maluit manere, ut in ipsis eorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est quod ait: *vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit*. Qui autem invisibiliter in hac vita manet cum electis, visibiliter utique eis gratiam suæ cognitionis exhibet.

B *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos*. Videbatur infidelibus, quod moriens in cruce Dominus discipulos relinqueret orphanos, sed non reliquit orphanos quibus et præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta et post dies decem assumptionis suæ. Spiritus sancti illis de cœlo charismata donavit, ubi ipsum Christum ad eos venisse nullus ambigit, qui inseparabilem sanctæ Trinitatis naturam, virtute et operatione esse cognovit.

Adhuc modicum, et me jam mundus non videt; vos autem videtis me. Modicum erat usque ad tempus expletæ passionis, ex quo illum reprobi videre non valebant; soli etenim justi qui morte illius erant contristati, gaudium resurrectionis ejus videre meruerunt.

C *Quia ego vivo et vos vivetis*. Quid est, *quia ego vivo et vos vivetis*? Cur de præsenti se dixit vivere, illos autem de futuro esse victuros nisi vitam etiam carnis utique resurgentis qualis in ipso præcederet, et illis esse pollicitus secuturam? et qui ipsius mox futura erat resurrectio; præsentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem; illorum autem quoniam in sæculi differtur finem, non ait vivitis, sed vivetis. Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, et nostram in fine sæculi secuturam, duobus verbis præsentis temporis et futuri eleganter breviterque promisit.

In illo die, inquit, *vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis*. In illo die, nisi, de quo ait: *et vos vivetis*? Noverant apostoli tunc esse Christum in Patre per unitatem D individuæ divinitatis, noverant se esse in Christo per susceptionem fidei et sacramentorum ejus, noverant veraciter vivere tunc esse Christum in Patre, in se esse Christum per dilectionem et observantiam mandatorum ejus. Novit et hoc sancta Dei Ecclesia; sed longe melius et plenius in illo die, de quo dicitur: *et vos vivetis*, in qua veraciter vivere incipiemus, hoc est in die resurrectionis, quando perfectius cuncta quæ scienda sunt, quo ipsum scientiæ fontem vicinius sine fine conspiciemus. Unde hujus promissionem beatitudinis prodit non solum modo apostolis, omnibus subjungit.

Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre

meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum. Ubi omni intentione considerandum est quia Christum vere diligere est, non ipsam dilectionem ambit qui ambit confiteri, sed mandata Christi, quæ discendo habet debet operando servare. *Qui habet*, inquit, *mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me*, qui habet in memoria et servat in vita. Qui habet in sermonibus, et servat in moribus. Qui habet audiendo et servat faciendo. Aut qui habet faciendo, et servat perseverando, ipse est, inquit, qui diligit me. Notandum quia cum præsentis temporis verbo diceret, *qui autem diligit me*, adjecit de futuro *diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* Diligit namque etiam nunc dilectores suos cum Patre Filius, sed nunc diligit ad hoc ut recte vivant ex fide quæ per dilectionem operatur, tunc ad hoc diliget ut perveniant ad visionem veritatis quam per fidem gustaverant. Non autem frustra addidit, *et manifestabo ei meipsum.* Si vero secundum humanitatem cunctis in judicio manifestabit, solis vero justis et sanctis divinitatis gloriam, in qua æqualis est Patri et Spiritui sancto, ad beatitudinem æternam manifestaturus erit, ut vivant semper et gaudeant secum in regno cœlesti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVII.

DOMINICA IN PENTECOSTE.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, dum complerentur dies Pentecostes, erant pariter omnes in eodem loco. Et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, etc.

Hodiernam, dilectissimi, festivitatem toto terrarum orbe venerabilem ille sancti Spiritus consecravit adventus, qui post resurrectionem Domini 50 die in apostolos populumque credentium sicut sperabatur influxit, ut in præsenti lectione, cum legeretur audistis. *Cum complerentur dies*, inquit, *pentecostes erant omnes pariter in eodem loco*, hoc est in cœnaculo ubi collegerunt se post ascensum statim Domini, ubi exspectabant promissum Spiritus sancti. Quicunque enim Spiritu sancto adimpleri desiderant, carnis domicilium necesse est ut mentis contemplatione transcendant: *Et factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes.* Per ignis quidem similitudinem Dominus discipulis apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit, et neque ignis neque ille sonitus fuit, sed per hoc quod exterius exhibuit expressit hoc quod interius gessit.

Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis. Spiritus enim sanctus in linguis igneis apparuit; quia omnes quos impleverit ardentes pariter et loquentes facit, quia sancta Ecclesia per mundi terminos dilatata omnium gentium erat voce locutura.

Seditque super singulos eorum: Certe, requies ejus indicatur in sanctis.

A *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Varietas enim linguarum, dona variarum significat gratiarum. Verum non incongrue intelligitur Spiritus sanctus, ideo primum linguarum donum dedisse hominibus, quibus humana sapientia forinsecus et discutitur et docetur, ut ostenderet quam facile possit sapientes facere sapientia Dei quæ in terra est. *Erant autem in Hierusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni gente quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Ipse enim eorum sermo hanc in se vim habebat, ut cum diversarum gentium auditores ibi essent præsentes unusquisque
B secundum linguam suam ipsius unius sermonis qui ab apostolis fuerat pronuntiatus susceperat auditum et capiebat intellectum, his, dilectissimi, aliisque documentis, quibus innumerabiliter divinorum eloquiorum coruscat auctoritas ad venerationem pentecostes unanimiter incitemur, exsultantes in honore Spiritus sancti, per quem omnis catholica Ecclesia sanctificatur, omnis anima rationabilis imbuitur, qui inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis. Gaudeant fidelium mentes quod in toto mundo unus Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus omnium linguarum confessione laudatur. Illa significatio quæ in specie ignis apparuit, et opere perseverat et munere; ipse enim Spiritus veritatis
C facit donum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, et in templo suo nec tenebrosum aliquid vult esse nec tepidum. De qua ope atque doctrina etiam jejuniorum atque elemosynarum nobis est collata purgatio. Nam hanc venerabilem diem sequitur saluberrimæ observantiæ consuetudo quam utilissimam sibi omnes sancti semper experti sunt, et ad quam sedulo celebrandam pastorali vos sollicitudine cohortamur, ut si quid macularum proximis diebus negligentia incauta contraxit, id et jejunii censura castiget, et devotio pietatis emendet per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus in sæcula sæculorum. Amen.

D

HOMILIA LVIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, etc.

Probatio dilectionis adhibitio est operis. Hinc in Epistola sua idem Joannes dicit: *qui dicit, diligo Deum et mandata ejus non custodit, mendax est.* Vere enim diligimus Deum si mandata ejus observamus et a nostris nos voluptatibus ad mandata illius coarctamus. *Et Pater meus diligit eum.* Quia opera quæ Pater facit hæc et similiter Filius facit, et qui diligit Filium diligit et Patrem, et qui diligi-

tur a Filio, diligitur a Patre, *et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*. Qui enim vere Deum diligit nec tentationis tempore recedit ab amore Dei, ad hunc veniunt Pater et Filius spiritali accessione et mansionem apud eum habent. Ille enim vere amat, cujus mentem delectatio prava ex consensu non superat. Nam tanto quisque a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Dilectio sanctos discernit a mundo, quæ fecit unanimes habitare in domo, in qua domo facit Pater et Filius mansionem, qui donant et ipsam dilectionem quibus donant in fine etiam suam manifestationem. De qua manifestatione discipulus interrogavit et audivit, ad hanc manifestationem per dilectionem veniendum esse.

Qui non diligit me, sermones meos non servat. Hi sunt qui Patrem et Spiritum sanctum nunquam vident, Filium autem, non ut beatificentur, sed ut judicentur ad modicum vident nec ipsum in forma Dei ubi est cum Patre et Spiritu sancto pariter invisibilis, sed in forma hominis ubi esse mundo voluit patiendo contemptibilis, judicando terribilis.

Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me, Patris. Quid est quod prius plurali numero sermones dixit, nunc autem singulari sermonem? fortassis prædicationis ibi sermones monstravit, hic vero se ipsum qui est Verbum Patris, et ideo dixit non suum quia a seipso non est, sed a Patre, sicut nec sua est imago sed Patris, nec suus filius sed Patris. Recte igitur auctor tribuit quidquid facit æqualis a quo habet hoc ipsum, quod illi est indifferenter æqualis.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Illa mansio de qua superius dixit spiritalis est quæ solis sanctis datur: hæc vero de qua nunc dicit corporalis est, de sua præsentia corporali tantummodo dixit, quam utrique et justi et impii videre potuerunt. Illa in æternum beatificat liberatos, hæc in tempore visitat liberandos. *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis apud vos manens*, utique præsentia corporali una cum illis visibiliter loquebatur.

Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Multa dixit audientibus infidelibus quæ in eorum cordibus locum non invenerunt, quia Spiritus sanctus intus eos non docebat: multa dicit quotidie per sanctos prædicatores quæ audientes interius non recipiunt, quia Spiritus sanctus non suggerit eis interius quæ audierunt exterius. De quo recte promittitur, ipse vos docebit omnia, qui nisi idem Spiritus cordi assistat audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo enim docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Aliter itaque prædicantem Christum audierunt Judæi, aliter apostoli: illi ad judicium, isti ad salutem. Quia hos Spiritus in animo docuit, quod foris audierunt in aure.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. In pace relinquo vos, in pace inveniam vos. Hic relinquo, illic do, sequentibus relinquo, pervenientibus do. Pacem suam reliquit nobis, ut nos invicem diligamus; pacem suam dabit nobis, ubi nunquam invicem dissentire possumus. Quid est quod dicit, *pacem meam do vobis*, et non dicit pacem meam relinquo vobis? fortassis quia aliter nunc aliter tunc pax erit. Hic bella cum vitiis habemus, ideo non addidit meam, illic vero in æterna pace æterna erit tranquillitas et concordia, et talis pax qualem ille habuit cum seipso, qui nullum habuit in se peccatum.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Id est non quomodo in mundo homines sæpe sibi in sua malitia concordant: sed quomodo qui sibi in sanctitate concordant et in Christi se charitate conjungunt.

Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis quia dixi vobis: Vado et venio ad vos. Hinc turbari et formidare poterat cor illorum quod ibat ab iis, quamvis venturus esset ad eos, ne forsitan gregem lupus hoc intervallo invaderet pastore absente. Sed a quibus homo abscedebat, Deus non relinquebat: et idem ipse Christus et homo et Deus. Ergo ibat per id quod homo erat, et manebat per id quod Deus erat. Igitur Deus qui nullo continetur loco, discedit ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus non pedibus, et veniet ad illos qui convertuntur ad eum non facie sed fide, et accedunt ad eum non carne sed charitate.

Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego ad Patrem vado, quia Pater major me est. Per quod igitur Filius non est æqualis Patri, per hoc erat iturus ad Patrem, in quo venturus est vivos judicaturus et mortuos. Per illud vero, quod est æqualis Patri, nunquam recessit a Patre, sed cum illo est ubique totus per divinitatem quam nullus continet locus. Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri, humanam qua major est Pater. Utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas sed trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis et caro; sic unus est Christus Deus et homo; ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro; Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis ergo est per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Dicitur ergo in his singulis Christus; verum hæc omnia non duo vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*, quomodo naturæ humanæ gratulandum est, eo, quod assumpta est a verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo. Hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem. Non profecto ad illum ibat qui cum illo erat, sed hoc erat ire ad eum, et recipere a nobis mortale, atque im-

mortale facere quod mortale suscepit ex nobis, et ad dexteram constituere Patris, per quod fuit in terra pro nobis. Deinde ipse Dominus Jesus subjunxit:

Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Illud utique dicit, quod factum fuerit, quod enim post mortem visuri erant viventem, et ad Patrem ascendentem, quo viso illud fuerant credituri, quod ipse Christus Filius Dei jam potuit hoc facere cum dixisset, et prædicare antequam faceret. Poterant enim dubitare si Filius Dei esset, cum eum viderunt moriturum, sed cum viderunt eum resurrexisse, credebant in quo antea dubitabant, et confirmata est fides in cordibus eorum quam illis prædixerat, qui et ore promisit quod facturus erat, et opere complevit quod ante prædixit. Deinde quod dicit:

Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps hujus mundi. Quis nisi diabolus.

Et in me non habet quidquam. Nullum scilicet omnino peccatum. Hic enim ostendit diabolum principem esse peccatorum hominum non creaturarum Dei, et quotiescunque mundi figura in mala significatione ponitur, nihil ostendit nisi mundi istius amatores et non Dei. Absit enim ut credamus principem esse cœli et terræ, et creaturarum omnium quæ generaliter mundi appellantur. Totus itaque mundus servit suo creatori, non deceptori, redemptori non interemptori, et regitur dispensatione divina, non inimici versutia subvertitur: præter homines partis illius qui propria voluntate non necessitate aliqua se subjiciunt diabolo. Unde et Apostolus ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est, adversus homines: *sed adversus potestates et rectores tenebrarum harum*, id est, peccatorum, qui in tenebris manent iniquitatis: quos rectores, angelos esse desertores designat; sed sunt qui per gratiam Dei non propriis meritis inde eruuntur, de quibus ait Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate: sed gratias Deo qui eruit nos*, sicut idem dicit apostolus, *de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii charitatis suæ*: in quo princeps mundi hujus tenebrarum harum, *non habebat quidquam*, quia neque cum peccato Deus venerat, nec ejus carnem de peccati propagine virgo pepererat et tanquam ei diceretur: Cur ergo morieris si non habes peccatum cui debeatur mortis supplicium, continuo subjecit:

Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. In expletione ergo mandati Dei manifestata est dilectio Christi, quam dixit erga Patrem suum, quoniam sicut ipse ... mundi esse ... sic ipse benefaciendo et mandata ejus custodiendo, eripuit a morte oppressos a diabolo, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIX.

FERIA II POST PENTECOSTEN.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis aperiens Petrus os suum dixit: Viri fratres et patres, nobis præcepit Dominus prædicare populo, et testificari quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, etc.

Sanctus Petrus apostolus volens ostendere Dominum nostrum Jesum Christum verum judicem esse vivorum et mortuorum, sibi hoc et cæteris apostolis commendatum esse dicit ab ipso Domino ut prædicarent populis verbo et testificarentur dictis, atque exemplis sanctorum prophetarum, hoc dudum pronuntiatum esse. Remissionem videlicet peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum: quia non est in alio aliquo salus, nisi in eo quem Deus Pater omnipotens misit in mundum ut salvaretur per ipsum omnis qui crederet in eum, accepta remissione peccatorum per nomen ejus intinctione sacri baptismatis et sancti Spiritus confirmatione, et probatione bonorum operum quæ in fide recta ostendi debent. Unde consequenter legitur, quod cum Petrus gentibus prædicasset verbum Dei, continuo cecidisset *Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes Spiritus sancti gratia effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis et magnificantes Deum.* Ne baptisma gentibus tradere dubitet, Spiritus sancti testimonio confirmatur, ipsas lavacri aquas quas sanctificare solet, novo ordine præcurrentis; quod semel in testimonium fidei gentium, nunquam vero in Judæis evenisse reperitur.

Et jussit eos in nomine Jesu Christi baptizari. Cum Ecclesiæ regula sit fideles in nomine sanctæ Trinitatis baptizari, quæritur quomodo Lucas per totum hujus libelli textum non aliter quam in nomine Jesu Christi baptismum dari testetur. Quod ita beatus Ambrosius solvit: quia per unitatem nominis impletum mysterium sit; quia sive Christum dicas, et Deum Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum sanctum quo unctus est designasti. Scriptum est enim Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto: sive Patrem dicas: et Filium ejus et Spiritum oris pariter indicasti. Si tamen id etiam corde comprehendas. Sive Spiritum dicas et Deum Patrem a quo procedit Spiritus, et Filium quia Filii quoque est Spiritus nuncupasti. Unde et rationi copuletur auctoritas: in Spiritu quoque recte baptizari posse Scriptura indicat dicente Domino, *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto*, et Apostolus ait: *Omnes enim in ipso corpore in unum Spiritum baptizati sumus.* Attamen præcipue congruit nos in nomine Domini nostri Jesu Christi baptizari, quia sicut Apostolus ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo resurrexit Christus a mortuis per glo-*

riam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, præstante ipso Redemptore nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LX.

ITEM FERIA II.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis : Sic dilexit Dominus mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, etc.

Notandum, quod eadem de Filio Dei unigenito replicat, quæ de filio hominis in cruce exaltato promiserat dicens : *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quia profecto idem redemptor et conditor noster Filius Dei ante sæcula existens, filius hominis factus est in fine sæculorum, ut qui per divinitatis suæ potentiam nos creaverat, ad perfruendum vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ restauraret, ad recipiendam quam perdidimus vitam. Sequitur autem :

Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum, se interimit qui præcepta medici observare non vult : venit salvator ad mundum : Quare Salvator dictus est mundi : nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum. Salvare non vis ab isto, ipso ex te judicaberis, et quid dicam judicaberis : Vide quid ait :

Qui credit in eum non judicabitur, qui autem non credit, quod dicturum sperabas, nisi, judicatus est [*jam*, inquit, *judicatus est*]. Nondum apparuit judicium, sed jam factum est judicium. Novit enim Dominus qui sunt ejus. Novit qui permaneant ad flammam, novit in arca sua triticum suum, novit et paleam, novit et segetem, novit et zizania. Judicatus est qui non credit. Quare judicatus? *quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim mala opera eorum.* Fratres mei quorum bona opera invenit Dominus? nullorum. Omnia enim mala opera invenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem? Hoc enim sequitur :

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Quomodo ergo quidam bonum opus fecerunt ut venirent ad lucem, id est, ad Christum : et quomodo quidam dilexerunt tenebras, si omnes peccatores invenit, et omnes a peccato sanat, et serpens ille, in quo figurata est mors Domini, eos sanat, qui morsi fuerunt, et propter morsus serpentis erectus est serpens, id est, mors Domini propter mortales homines, quos invenit injustos. Quomodo intelligitur : *hoc est judicium; quoniam lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim mala opera eorum* : quid est enim hoc, quorum enim erant bona opera? nonne venisti, ut justifices impios? *Sed dilexerunt*, inquit, *tenebras magis quam lucem*, ibi posuit vim : multi enim dilexerunt magis peccata sua, quia qui confitetur peccata sua et accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Dominus peccata tua, si et tu accuses, conjungeris Deo, quasi duo essent, homo et peccator. Quod audis homo Deus fecit. Quod audis peccator, ipse homo fecit : dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit, oportet ut oderis in te opus tuum et ames in te opus Dei, cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua, initium bonorum operum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, et venis ad lucem. Quid est facis veritatem, non te palpas, non tibi blandiris, non tibi adularis, non dicis justus sum, cum sis iniquus et incipis facere veritatem, venis autem ad lucem ut manifestentur opera tua quia in Deo facta sunt, quia et hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret nisi Deus tibi luceret et ejus veritas tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem et fugit eam, ut non arguantur opera ejus mala quæ diligit. Qui autem facit veritatem accusat in se mala sua, non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscat, qui quod vult ut Deus agnoscat ipse ignoscit, et venit ad lucem, cui gratias agit, eo quod ille qui dum se occidisse ostenderet dicit Domino, *averte faciem tuam a peccatis meis*. Et qua fronte dicit, nisi iterum dicat, *quoniam facinus meum ego agnosco et peccatum meum contra me est semper*. Sit ante te quod non vis esse ante Deum, si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet tibi illud Deus ante oculos tuos, et tunc retorquet, quando jam pœnitentiæ fructus nullus erit : currite ne tenebræ vos comprehendant, quicunque enim in præsenti vita in servitio Dei bene laborat, in futuro requiem et gloriam percipiet sempiternam. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXI.

FERIA III.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, cum audissent apostoli qui erant Hierosolymis quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, etc.

Post martyrium Stephani, ut liber Actuum apostolorum narrat, facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ præter apostolos. *Philippus vero descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur unanimiter, audientes et videntes signa quæ faciebat. Multi enim*

eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. Factum est ergo magnum gaudium in illa civitate. Cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum supervenerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum. Societas Petri et Joannis in prædicatione Evangelii significat castitatem rectæ fidei, quam prædicatores sancti in verbo doctrinæ et dono Spiritus sancti docent semper fieri debere. Quod pulchre arator versibus exponit dicens: *Sæpe sibi socium Petrus facit esse Joannem, Ecclesiæ quia virgo placet.* Notandum autem quod Philippus, qui Samariæ Evangelizabat, unus de septem fuerit. Si enim apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur, nam presbyteris sive extra episcopum, seu præsente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis episcopis debetur, cum tradunt Spiritum paracletum baptizatis: unamquamque enim personæ decet ut ritum ordinis sui et mensuram gradus servet, quia non est Deus dissensionis sed pacis, et Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, atque in malevolam animam non introibit sapientia. Unde Salvator discipulis suis præcepit, dicens: *qui vult inter vos major fieri, fiat sicut minor, quia omnis qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur.* Studeat unusquisque ut humilitatem habeat in animo et bona opera ostendat in exemplo: sicque ipse non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus habebit laudem et gratiam inveniet in conspectu Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII.

ITEM FERIA III.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro, etc.

Hoc proverbium dicit eis Jesus, illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis: propter Pharisæorum qui se videre jactabant cum cæci essent venenatam et superbam et insanabilem arrogantiam Dominus Jesus ista contexuit, quæ in hac parabola leguntur, quam ipse illis non intelligentibus exponere dignatus est, in qua nos salubriter si advertamus admonuit non gloriari in sapientia humana, non in morum dignitate, si humilitas fidei Catholicæ in Christum desit: multi enim sunt pagani, qui secundum quamdam vitæ hujus consuetudinem dicuntur boni homines, innocentes, et quasi observantes ea quæ in lege præcepta sunt, deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum adversus quemquam testimonium perhibentes, et cætera quæ in lege mandata veluti observant: et Christiani non sunt: et plerumque se jactant, quomodo isti Pharisæi, dicentes: *Nunquid et nos cæci sumus:* sed hæc omnia inaniter faciunt: quia non intrant per ostium sed aliunde tumido fastu quasi per seipsos ascendere quærunt. Quapropter Dominus similitudinem proposuit de grege suo et de ostio qua intratur ad ovile, quid enim prodest vana jactantium de bene vivendo inflatio? dum ad finem perpetualiter bene vivendi vita eorum non perveniat? At hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper bene vivere. Nam si cui non datur semper bene vivere, quid prodest ei bene vivere ad tempus? Igitur nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quæ est Christus, et per januam intret in ovile. Sunt enim quidam homines qui in suis gloriantur moribus, et alios post se trahere quærunt, non de Christi præceptis instruentes suos sectatores, sed suis exemplis vivere eos suadentes. De quibus alio loco ipsa Veritas ait: docentes doctrinas hominum, et mandata Dei contemnentes, qui per aliam portam ascendere quærunt rapere et occidere non ut pastor salvare atque conservare. De talibus hic dictum est, *qui ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Non solum vero tales inveniuntur doctores inter eos, qui sine nomine Christi sunt; sicut multi philosophorum, qui suam sapientiam buccis crepantibus ventilabant et vitam beatam suis sectatoribus promiserunt. Verum etiam plurimi qui Christiano nomine censentur et illuminatos a Christo se esse jactitant? fingentes sibi nova quoque nomina de Christo, et fidei Catholicæ contraria: sicut innumerabiles hæretici faciebant, æstimantes se falso nomine per januam, quæ Christus est, intrare. Sabellius dicit: *Qui Filius est, ipse est Pater, sed Filius non est Pater;* non intrat per ostium qui Filium dicit Patrem. Arius dicit: *Aliud est Pater aliud est Filius.* Recte diceret si diceret: alius? non aliud. Quando enim dicit aliud, ei contradicit a quo audit: *Ego et Pater unum sumus:* nec ipse ergo intrat per ostium. Prædicat enim Christum, qualem sibi fingit, non qualem veritas habet. Fotinus dicit: Christus homo est tantum, non Deus: nec ipse intrat per ostium, quia Christus et homo et Deus est. Hinc enim nova hæresis, quæ in nostris orta est, consentire videtur, affirmando et prædicando, Christus sicut quilibet sanctorum nuncupativus Deus est et non verus. Quid opus est multa percurrere et multa vana hæresium denumerare. Hoc tenete, in ovile Christi Ecclesiam catholicam esse credite. Quicunque vult

intrare in ovile, per ostium intret, id est, per Christum, et Christum verum Deum, et verum Filium Dei prædicet, et non solum Christum prædicet, sed et Christi gloriam quærat, non suam : nam multi quærendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus Deus noster, qui intrat per hanc januam, oportet ut humiliet se, ut sano capite possit intrare. Hi sunt qui vocem veri pastoris audiunt, hi sunt quos proprias oves nominatim verus pastor vocat, de his dictum est, *gaudete et exsultate, quoniam nomina vestra sunt scripta in cœlis*. Hinc enim eas nominatim vocat, et quis alius eas emittit? nisi qui eorum peccata dimittit, ut eum sequi duris liberatæ vinculis possint. Et quis eas præcessit, quo eum sequantur? nisi qui resurgens a mortuis jam non moritur et mors illi ultra non dominabitur. Has vero educit, a fide ad speciem, et ante istas vadit, quia prior omnium ascendit in cœlum, et quæ sunt oves suæ illum sequuntur, quia sciunt vocem doctrinæ ejus. Alienos vero ductores non sequentur, sed fugient ab eis, quia non noverunt vocem, id est, doctrinam alienorum; sed loquente Domino Jesu non intellexerunt, qui audierunt, incrassatum enim habuerunt cor, et graviter audierunt. Nominat ostium, nominat ovile, nominat oves, commendat hæc omnia, sed nondum exponit. Audiamus exponentem qui audivimus proponentem :

Iterum Jesus dicit eis : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat aperuit, ipse est ostium, agnovimus, intremus, ut nos intrasse gaudeamus.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones. Quid est hoc, Domine? *omnes quotquot venerunt*, quid enim tu non venisti? sed intellige *omnes quotquot venerunt*, dixit utique omnes præter me. Recolamus ergo ante adventum ipsius, venerunt prophetæ, nunquid fures fuerunt et latrones? Absit; non præter illum venerunt, venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat possidebat, cum illo ergo venerunt qui cum verbo Dei venerunt : *Ego sum*, inquit, *via, veritas, vita*. Ipse est veritas, cum illo venerunt, qui veraces fuerunt et veritatem prædicaverunt, quotquot autem præter illum venerunt fures sunt et latrones; per se venerunt, quia per eum missi non fuerunt, non sanæ doctrinæ inhærentes, de quibus dictum, *fures sunt et latrones*, id est, ad furandum et occidendum venerunt. Sed non audierunt eos oves, quæ veræ sunt oves, non sub pelle ovina, lupinum cor abscondentes; igitur qui ante adventum Christi prædicaverunt, eodem Spiritu prædicaverunt quo apostoli et sancti doctores post adventum Christi veritatis viam mundo ostenderunt; quotquot autem illo tempore crediderunt vel Abraham, vel Isaac, vel Jacob, vel Moyse, vel aliis patriarchis, aliisque prophetis Christum pronuntiantibus, oves erant et Christum audierunt, non alienam vocem sed ipsius Christi audierunt. Nam judex clamat in præcone, dum præco judicem annun-

A tiat venturum. Alii sunt ergo quos non audierunt oves in quibus non erat vox Christi; errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes, sicut pseudoprophetæ, sicut scribæ et pharisæi temporibus ipsius Domini. Hi sunt qui venerunt per se, et non sunt a judice missi. His vero cum doctrinis suis procul expulsis videamus quo nos pastor bonus vocat. Dicit enim :

Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Ex hoc evidenter ostendit non solum pastores, sed etiam oves intrare per ostium; sed quid est, *ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum valde bonum est, exire autem de Ecclesia, sicut ait ipse B Joannes Evangelista in Epistola sua, *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Videtur enim dixisse, ut vitam æternam habeant ingredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est, per Christum egredi ad æternam vitam, quæ erit in sapiente, nisi per ipsum ostium, hoc est, per eumdem Christum Ecclesiam ejus quod est ovile ejus, intraverit ad vitam temporalem, quæ est in fide. Ideo ait : *ego veni ut vitam habeant :* hoc est, fidem, quæ per dilectionem operatur : per quam fidem in ovile ingrediuntur ut vivant? quia justus ex fide vivit; *et abundantius habeant*, qui perseverando usque in finem salvus erit. Per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur quando veri fideles moriun- C tur, et abundantius habebunt vitam veniendo, quo pastor ille præcessit, ubi nunquam deinde moriantur, sed cum ipso pastore vivant in æterna beatitudine et regnent per omnia sæcula sæculorum.

HOMILIA LXIII.

FERIA IV.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, stans Petrus cum undecim, levavit vocem suam et locutus est eis : Viri Judæi, et qui habitatis Hierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea, etc.

Postquam per Spiritus sancti gratiam, quæ in die Pentecostes effusa est super centum viginti credentes qui fuerunt in cœnaculo Sion positi, et loquebantur D variis linguis, mirati sunt isti qui affuerunt, stupentes admiraculum tam laudabile. Alii quidam in hoc laudabant Deum, alii vero ebrietati deputabant diversam locutionem, non rite intelligentes, quod factum fuerat; unde Petrus apostolus, sicut modo lectum est, *levavit vocem suam et locutus est eis :* manifestans laudabile Dei donum. Non solum ergo, inquiunt, qui natura sunt Judæi ex diverso orbe convenerunt? verum et qui in præputio nati eorum adhæsere ritui. *Alii autem irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti;* irridentes licet mystice tamen vera testantur; quia non vino veteri quod in nuptiis Ecclesiæ deficit, sed musto sunt gratiæ spiritalis impleti, jam enim vinum novum in utres novos venerat, cum

apostoli non in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus, Dei magnalia resonarent.

Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. Spiritus sanctus gloriam individuæ Trinitatis mundo prædicaturus, tertia convenienter hora descendit, et quia supra dicitur. *Erant in oratione perseverantes*, recte spiritum sanctum orationis hora percipiunt, ut ostendatur legentibus, quia spiritus sancti gratia non facile percipitur, nisi gratia a carnalibus supernorum intentione levetur: tria enim tempora quibus Daniel in die flectere genua sua et adorare legitur, tertia, sexta, nona, hora ab Ecclesia intelligitur? Quia et Dominus tertia hora spiritum sanctum mittens, sexta ipse crucem ascendens, nona animam ponens, easdem nobis horas cæteris excellentius est intimare et sanctificare dignatus. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*, verbum effusionis ostendit muneris largitatem, quia non ut olim prophetis et sacerdotibus tantum, sed omnibus passim in utroque sexu conditionis et personis Spiritus sancti esset gratia condonanda, quæ sit enim omnis caro Propheta consequenter exponit: *Et prophetabunt*, inquiens, *filii vestri et filiæ vestræ*, et cætera. *Et dabo prodigia in cœlo sursum et signa in terra deorsum*: prodigia in cœlo cum Domino nascente novum sidus apparuit? Illo crucem ascendente, sol obscuratus et ipsum cœlum est tenebris obductum. Signa in terra, quia Domino spiritum emittente contremuit, monumenta aperuit, saxa fissit, et multa quæ dormierunt, sanctorum corpora rediva protulit. *Sanguinem et ignem et vaporem fumi.* Sanguinem Dominici lateris. Ignem Spiritus sancti, vaporem compunctionis et fletuum. Quia sicut ab igne sumus, ita ab ardore Spiritus sancti ignis amoris nascitur. Nam et sanguinem de mortua carne vivaci rivo profluere, quia contra naturam est nostrorum corporum, signi loco factum credere restat: cujus videlicet, nisi nostræ salutis ac vitæ quæ de illius utique morte nascitur? Potest etiam in igne fidelium illuminatio, in vapore vero fumi Judæorum, qui nolunt credere, cæcitas intelligi: unde et legem daturus Dominus in igne fumoque descendit, quia et humiles per claritatem suæ ostensionis illuminat, et superborum oculos per caliginem erroris obscurat. *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem.* Hoc in Domini passione partim factum, partim ante diem Domini magnum, id est, judicii futurum creditur. Tunc enim sol obtenebratus est. Sed luna in sanguinem versa palam hominibus apparere non potuit? quæ tunc ut pote in Pascha XV existens interdum fuerat mortalium visibus objectu telluris occulta. Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit: hoc est, quod alibi Petrus ait, *quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Beatus ille, qui in recta fide et bonis operibus studet in præsenti vita dies suos finire, quia pro omni labore suo merebitur Domino retribuente in futura vita cum sanctis angelis plenam mercedem et gloriam percipere sempiternam ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIV.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; et ego resuscitabo eum in novissima die, etc.

Dum dixit, *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum*, continuo subjunxit, *et ego suscitabo eum in novissima die*: credat quod speravit. Videbit quod quod adhuc non videndo credidit; manducabit quod non esuriit; satiabitur eo quod sitit. Ubi? In resurrectione mortuorum, *quia ego resuscitabo eum in novissima die.*

Scriptum est enim *in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.* Quare hoc dixit? O Judæi, Pater vos non docuit quomodo me potestis cognoscere; omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient: et si ab hominibus audivit, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Homines foras verbum seminare possunt, sed in vanum laborant, nisi intus Deus docens aperiat sensus. Ille est Deo docibilis, quem Dominus intus veritatis instruit agnitione et amore.

Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Quomodo trahit Pater? docendo delectat; non necessitate credidit sed voluntate: Filius dicebat, Pater docebat, homo qui videbatur loquebatur, sed ut Deus in corde audientis interius docebat: ideo subjunxit:

Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem: nolite putare Patrem esse visibilem vobis: *nemo vidit Patrem, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Ego sum a Patre, et ideo Patrem video; quid est autem *vos trahi a Patre* nisi discere a Patre: quid est discere a Patre? nisi audire Patrem, nisi audire Verbum Patris? id est, me. Ne forte ergo cum dico vobis *omnis qui audit a Patre et didicit*, dicatur apud vos, sed nunquam vidimus Patrem? quomodo autem discere potuimus a Patre? a meipso audite, *non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est a Deo, hic vidit Patrem, ego novi Patrem, ab illo sumus*, sed quomodo verbum ab illo cujus est verbum non quod sonat et transit, sed quod manet cum dicente et trahit audientem.

Amen, amen dico vobis: qui credit in me habet vitam æternam. Revelare se noluit quid esset, nam compendio dicere potuit, *qui credit in me habet me*: ipse enim Christus verus Deus, et vita æterna: qui credit ergo in me it ad me, et qui it ad me, habet me. Quid est autem habere me? habere vitam æternam. Mortem assumpsit vita æterna, mori voluit: sed de tuo, o homo, non de suo; accepit a te ubi moreretur pro te. Assumpsit ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Nam *qui credit*, inquit, *habet vitam æternam*, non quod patet sed quod latet: vita enim æterna Verbum in principio erat apud Deum, et Deus

erat Verbum, et erat lux vita hominum: mori venit, sed tertia die resurrexit.

Ego sum, inquit, *panis vitæ*, et unde superbiebant.

Patres, inquit, *vestri manducaverunt manna et mortui sunt*. Quare manducaverunt et mortui sunt: quia quod videbant credebant, quod non videbant non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, manducaverunt, Moyses et Aaron et cæteri sancti qui fuerunt in populo, manna, et non sunt mortui: qui spiritaliter visibilem cibum intellexerunt, spiritaliter esurierunt. Alii vero manducaverunt et permanserunt in infidelitate, sicut Judæi audierunt loquentem Christum, sed non spiritaliter verba ejus intellexerunt. Ideo dixit eis: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt;* qua morte: nisi infidelitatis. Nam communi morte mortui sunt et sancti qui fuerunt inter eos: ideo signavit Dominus his verbis mortem spiritalem, non carnalem: patres ergo istorum, id est mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando: ideo et Dominus volens ostendere talium filios hinc ad eos cœpit, *Quid murmuratis in invicem, murmuratores filii murmuratorum: patres vestri manna manducaverunt, et mortui sunt*. Non quia malum erat manna, sed quia male manducaverunt.

Hic est panis qui de cœlo descendit. Hunc panem significavit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt in signis diversa, in re quæ significatur paria sunt: Apostolum audi: *Nolo enim vos*, inquit, *ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes escam spiritalem manducaverunt*: spiritalem utique non corporalem. Alteram quia illi manna, nos aliud. Spiritalem vero, quam nos: sed patres nostri non patres illorum, quibus nos similes sumus non quibus illi similes fuerunt. *Hic est* ergo *panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur*. Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, nunquid pertinet ad visibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris, qui manducat in corde, non qui præmittente:

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: ideo vivus, quia de cœlo descendit et manna, sed manna umbra erat, iste veritas est.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Hoc quando caperet caro, quod dixit, panem, carnem, vocatur caro quod non capit caro: et ideo magis non capit caro quia vocatur caro: hoc enim exhorruerunt, hoc assimulatum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt. *Caro mea*, inquit, *est pro mundi vita*. Noverunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt, fiunt corpus Christi si volunt vivere de spiritu Christi; de spiritu

A Christi non vivit, nisi corpus Christi; quisquis vivere vult, credat in Christum: manducet spiritaliter spiritalem cibum, incorporetur corpore Christi et non sit putridum membrum quod resecari mereatur. Sit pulchrum, sit sanum, sit aptum capiti suo Christo videlicet Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXV.

FERIA V.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, Philippus, descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum, etc.

Post passionem Stephani protomartyris, ut liber
B Actuum apostolorum testatur, *facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Hierosolymis et omnes* dispersi sunt *per regiones Judææ et Samariæ præter apostolos*: unde et Philippus unus de septem Diaconibus ut præsens lectio commemorat, *descendens in civitatem Samariæ prædicabat illis Christum*.

Intendebant autem turbæ his quæ a Philippo dicebantur. Unanimiter audientes verbum Dei, et videntes signa quæ faciebat. Beneficiis gratiæ cœlestis provocati sunt ad perficiendam fidem Domini.

Multi enim qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant; multi autem paralytici et claudi curati sunt. Juxta illud sancti Evangelii narrat historia, *quod convocatis Jesus duodecim discipulis dederit illis virtutem et potestatem super omnia*
C *dæmonia, ut et languores curarent, et misit illos prædicare regnum Dei et sanare infirmos. Illi autem egressi circuibant castella evangelizantes et curantes ubique*. Quod etiam liber Actuum apostolorum manifeste narrat completum, *cum virtute magna Apostoli testimonium reddebant resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis*. Unde etiam legitur hic quod de miraculis, quæ fecit Philippus in Samaria, magnum esset gaudium in illa civitate, quoniam hi qui vere crediderunt in Christum anima et corpore sanati sunt: illi vero qui per simulationem se finxerunt credere, et perfido corde magis diabolo quam Christo servire elegerant, nequitiæ suæ justam retributionem perceperunt. Unde hic consequenter legitur quod *Simon qui ante fuerat*
D *in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum*, licet baptizatus a Philippo fuisset, tamen simulationis suæ et hypocrisis vindictam non evasit. Devictus ergo beati Philippi verbis et virtute veraciter se credere quoadusque baptisma susciperet simulavit. Ut quomodo laudis erat avidissimus, ita ut Christum se credi vellet, sicut historiæ narrant, artes ab eo quibus miracula faceret edisceret, quod jam successores ejus fecisse docentur, qui auctoris sui malignis artibus instituti, Ecclesiam fraude qualibet ingressi baptisma furari consueverunt. Cum autem per Petrum et Joannem qui missi fuerunt in Samariam imponere credentibus manus ut acciperent Spiritum sanctum, multi credentium donum Spiritus sancti se percepisse manifestis indiciis osten-

debant. Videns hoc miraculum Simon : *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus : obtulit eis pecuniam dicens : Date mihi hanc potestatem ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo ; pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* At ille licet se pœnitere velle finxisset, tamen qui in malitia cœpta usque in finem perseveravit, iniquitatis suæ condignam mercedem cœlesti vindicta recepit. Ideo enim Spiritus sanctus in columbæ specie super baptizatum Salvatorem descendit ut eos qui se accipere velint, simplices esse doceret, nam qui fel amaritudinis in corde reservat quamlibet baptizatus videatur : non est iniquitatis suæ vinculis absolutus, sed si ad punctum hora baptizandi purgatus : mox acriori est dæmone septempliciter oppressus. Frustra ergo gratiam spiritus emere tentat, qui se mente corvina non curavit exuere. Quapropter valde necesse est unicuique Christiano ut juxta Pauli doctrinam, *corde credat ad justitiam, ore autem confiteatur ad salutem.* Ipsam fidem festinet bonis operibus adornare et in hoc usque in finem vitæ perseverare, quatenus per gratiam Salvatoris mereatur gaudium cœleste simul cum sanctis angelis in æterna beatitudine possidere, præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

HOMILIA LXVI.

ITEM FERIA V.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, convocatis Jesus duodecim discipulis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, ut et languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicunque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos, etc.

Concessa primum potestate signorum misit prædicare regnum Dei ut promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, et nova facerent, qui nova prædicarent : unde nunc quoque cum fidelium numerositas excrevit intra sanctam Ecclesiam : multi sunt qui vitam virtutum tenent : et signa virtutum non habent : quia frustra miraculum foris ostenditur : si deest quod intus operetur. Nam juxta magistri gentium vocem *linguæ in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus.*

Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Solet quæri quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis ne virgam ferrent, cum dicat Marcus, *et præcepit eis, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum*, quod ita solvitur : ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda : sicut sub alia significatione intelligitur tentatio de qua dictum est : *Tentat vos Dominus Deus noster : ut sciat si diligatis eum :* illa seductionis est, hæc probationis. Utrumque ergo accipiendum est a Domino apostolis dictum : ut et nec virgam ferrent, et ut non nisi virgam ferrent : cum enim secundum Matthæum diceret eis : *Nolite possidere aurum neque argentum*, et cætera, continuo subjecit : *dignus est operarius cibo suo :* unde satis ostendit cur eos possidere hæc, ac ferre noluerit, non quo necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat : ut eis hæc deberi monstraret ab illis quibus Evangelium credentibus annuntiarent. Claret autem hæc non ita præcepisse Dominum tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium : alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus exquirebat, ne cuiquam gravis esset ; sed potestatem dedisse in qua scirent sibi ista deberi. Cum autem a Domino aliquid imperatur nisi fiat, inobedientiæ culpa est. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hoc ergo ordinans Dominus, qui eum ordinasse dicit Apostolus, his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, illa apostolis loquebatur : ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria nec magna nec minima, ideo posuit, *nec virgam*, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus, ac per hoc addendo : *dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit, et illustravit unde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit, *nequid tollerent in via nisi virgam tantum*, ut intelligatur quia potestate a Domino accepta, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus, aliam portandam putaret sollicitus : ne opus esset, cum ex illa potestate possit accipere. Quod vero secundum Marcum non portari vel haberi duas tunicas : sed expressius indui prohibet dicens, *et ne induerentur duabus tunicis*, quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare? Aliter in duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum ; non quo in locis Scythiæ et Galatiæ frigidis regionibus una quis tunica debeat esse contentus, sed quod in tunica vestimentum intelligamus : non alio vestra aliud nobis futurorum timore servemus. *Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete et inde ne exeatis*, dat constantiæ generale mandatum,

ut hospitalis necessitudinis jura custodiant, alienum a prædicatore regni cœlestis astruens cursitare per domos et inviolabilis hospitii jura multare. Nec otiose secundum Matthæum domus quam ingrediantur apostoli eligenda decernitur, ut mutandi hospitii necessitudinisque violandæ causa non suppetat. *Et quicunque non receperint, vos exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.* Pulvis excutitur de pedibus suis in testimonium laboris sui : quod ingressi sint in civitatem et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excitetur pulvis, ut nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium qui Evangelium spreverunt. Allegorice autem, qui verbo humiliter intendunt, si aliquibus ut homines terrenæ levitatis nævis obscurantur per ea mox quæ recipiunt Evangelicæ prædicationis vestigia purgantur. Qui vero perfidia vel negligentia vel etiam studio contemnunt : horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur; excutiendum pedum pulmo ne gestis inanibus et pulveri comparandis mentis castæ vestigium polluatur.

Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique. Quod evangelizarent, vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius, *prædicabant*, inquit, *ut pœnitentiam agerent : et ungebant oleo multos ægrotos et sanabant.* Dicit et Jacobus : *Infirmatur quis in nobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super ipsum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Unde patet ab ipsis Apostolis nunc sanctæ Ecclesiæ morem esse contraditum, ut Pontificiali benedictione consecrato oleo perungantur ægroti, *prædicabant autem ut pœnitentiam agerent;* et supra, *misit illos*, inquit, *evangelizare Regnum Domini.* Quia videlicet utrumque juxta Joannis Baptistæ vel ipsius Salvatoris exemplum prædicabant : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum :* regni enim cœlorum januis propinquare est de his quemque, quibus ab eo discesserat pœnitere, et per opera justitiæ ad vitam festinare perpetuam præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXVII.

FERIA VI.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis aperiens Petrus os suum, dixit : Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis : hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis, etc.

Quasi doctus magister prius incredulos commissi reatus admonet, ut justo timore compunctis consilium salutis postmodum opportunius impendat, ut quia scientibus legem loquitur, ipsum Christum esse qui a prophetis esset promissus ostendit, nec tamen hunc auctoritate sua Dei filium nominat, sed virum pro- A batum, virum justum, virum a mortuis suscitatum; non cum cæteris, atque communi resurrectione, id est, in finem sæculi dilata, sed tertia die celebrata, ut singularis et gloriosæ resurrectionis assertio testimonium æternæ divinitatis acquireret. Cum enim cæterorum corpora corruptioni probaret subesse post mortem, hunc utique, de quo dicitur : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, comprobat humanæ fragilitatis expertem, probat etiam humanæ conditionis merita supergressum : et ideo Deo magis quam hominibus conferendum; qualibus vero apud gentiles apostoli prædicationis utantur exordiis, in Cornelii Centurionis historia, et in sermone apostoli Pauli, Athenis habito, doceberis : *Providebam Dominum coram me semper, quoniam a dextris est mihi ne* B *commovear*, et cætera : *Veniens*, inquit, *in ea quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper manet.* Hoc providens, ut in eum post temporalia peracta recurrerem, quomodo favet mihi ut stabiliter in eo permaneam; et hoc quod peccatum non feci, nec dolus inventus est in ore meo, non humanitati sed divinitati ascribam; propter hoc et in cogitationibus meis jucunditas, et in verbis exsultatio, propter resurrectionem scilicet quia per eam liberatus est mundus, insuper et caro mea non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet, quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis, neque sanctificatum corpus per quod et alii sanctificandi sunt corrumpi patieris; quia notas mihi fecisti vias, quibus itur ad æternitatem, in quibus post C tristitiam passionis, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Et ascendenti in cœlis dabis delectationes in dextera tua usque in finem; quia neque derelictus in inferno, descendit quidem Christus secundum animam ad inferos, ut quibus oportuit, subveniret; sed non est derelictus in inferno, qui citissimo reditu corpus resurrecturum petivit. Tertia videlicet die resurrexit a mortuis et quadragesima postea die ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

HOMILIA LXVIII.

ITEM FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

D *In illo tempore, factum est in una dierum, et Jesus sedebat docens, et erant Pharisæi sedentes, etc.*

Ubi Dominus sedens docuerit, quando Scribis et Pharisæis consedentibus paralyticum curavit, Lucas breviandi gratia præteriit, sed Matthæus et Marcus qui narrant, quæstionem facere videntur, quoniam quidem Matthæus in civitate sua, Marcus in Capharnaum, hoc eum fecisse testatur. Quæ difficilius solvetur, si juxta Matthæum etiam Nazareth intelligenda est dicta civitas Christi ad distinctionem videlicet regionis Transmarinæ Gerascenorum, de qua transfretando, sicut Matthæus scribit, venerat Galilæam : vel certe ipsa Capharnaum, civitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam ipse fecerat.

debant. Videns hoc miraculum Simon *: quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus : obtulit eis pecuniam dicens : Date mihi hanc potestatem ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo ; pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* At ille licet se pœnitere velle finxisset, tamen qui in malitia cœpta usque in finem perseveravit, iniquitatis suæ condignam mercedem cœlesti vindicta recepit. Ideo enim Spiritus sanctus in columbæ specie super baptizatum Salvatorem descendit ut eos qui se accipere velint, simplices esse doceret, nam qui fel amaritudinis in corde reservat quamlibet baptizatus videatur : non est iniquitatis suæ vinculis absolutus, sed si ad punctum hora baptizandi purgatus : mox acriori est dæmone septempliciter oppressus. Frustra ergo gratiam spiritus emere tentat, qui se mente corvina non curavit exuere. Quapropter valde necesse est unicuique Christiano ut juxta Pauli doctrinam, *corde credat ad justitiam, ore autem confiteatur ad salutem.* Ipsam fidem festinet bonis operibus adornare et in hoc usque in finem vitæ perseverare, quatenus per gratiam Salvatoris mereatur gaudium cœleste simul cum sanctis angelis in æterna beatitudine possidere, præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

HOMILIA LXVI.

ITEM FERIA V.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, convocatis Jesus duodecim discipulis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, ut et languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicunque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos, etc.

Concessa primum potestate signorum misit prædicare regnum Dei ut promissorum magnitudini attestaretur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, et nova facerent, qui nova prædicarent : unde nunc quoque cum fidelium numerositas excrevit intra sanctam Ecclesiam : multi sunt qui vitam virtutum tenent : et signa virtutum non habent : quia frustra miraculum foris ostenditur : si deest quod intus operetur. Nam juxta magistri gentium vocem *linguæ in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus.*

Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Solet quæri quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis ne virgam ferrent, cum dicat Marcus, *et præcepit eis, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum*, quod ita solvitur : ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda : sicut sub alia significatione intelligitur tentatio de qua dictum est : *Tentat vos Dominus Deus noster : ut sciat si diligatis eum :* illa seductionis est, hæc probationis. Utrumque ergo accipiendum est a Domino apostolis dictum : ut et nec virgam ferrent, et ut non nisi virgam ferrent : cum enim secundum Matthæum diceret eis : *Nolite possidere aurum neque argentum*, et cætera, continuo subjecit : *dignus est operarius cibo suo :* unde satis ostendit cur eos possidere hæc, ac ferre noluerit, non quo necessaria non sint sustentationi hujus vitæ, sed quia sic eos mittebat : ut eis hæc deberi monstraret ab illis quibus Evangelium credentibus annuntiarent. Claret autem hæc non ita præcepisse Dominum tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium : alioquin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus exquirebat, ne cuiquam gravis esset ; sed potestatem dedisse in qua scirent sibi ista deberi. Cum autem a Domino aliquid imperatur nisi fiat, inobedientiæ culpa est. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hoc ergo ordinans Dominus, qui eum ordinasse dicit Apostolus, his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, illa apostolis loquebatur : ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria nec magna nec minima, ideo posuit, *nec virgam*, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus, ac per hoc addendo : *dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit, et illustravit unde hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit, *nequid tollerent in via nisi virgam tantum*, ut intelligatur quia potestate a Domino accepta, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus, aliam portandam putaret sollicitus : ne opus esset, cum ex illa potestate possit accipere. Quod vero secundum Marcum non portari vel haberi duas tunicas : sed expressius indui prohibet dicens, *et ne induerentur duabus tunicis*, quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare? Aliter in duabus tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum ; non quo in locis Scythiæ et Galatiæ frigidis regionibus una quis tunica debeat esse contentus, sed quod in tunica vestimentum intelligamus : non alio vestra aliud nobis futurorum timore servemus. *Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete et inde ne exeatis*, dat constantiæ generale mandatum,

ut hospitalis necessitudinis jura custodiant, alienum a prædicatore regni cœlestis astruens cursitare per domos et inviolabilis hospitii jura multare. Nec otiose secundum Matthæum domus quam ingrediantur apostoli eligenda decernitur, ut mutandi hospitii necessitudinisque violandæ causa non suppetat. *Et quicunque non receperint, vos exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.* Pulvis excutitur de pedibus suis in testimonium laboris sui : quod ingressi sint in civitatem et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excitetur pulvis, ut nihil ab eis accipiant, ne ad victum quidem necessarium qui Evangelium spreverunt. Allegorice autem, qui verbo humiliter intendunt, si aliquibus ut homines terrenæ levitatis nævis obscurantur per ea mox quæ recipiunt Evangelicæ prædicationis vestigia purgantur. Qui vero perfidia vel negligentia vel etiam studio contemnunt : horum vitanda communio, fugienda synagoga censetur; excutiendum pedum pulmo ne gestis inanibus et pulveri comparandis mentis castæ vestigium polluatur.

Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique. Quod evangelizarent, vel quomodo curarent apostoli, Marcus exponit plenius, *prædicabant*, inquit, *ut pœnitentiam agerent : et ungebant oleo multos ægrotos et sanabant.* Dicit et Jacobus : *Infirmatur quis in nobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super ipsum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Unde patet ab ipsis Apostolis nunc sanctæ Ecclesiæ morem esse contraditum, ut Pontificiali benedictione consecrato oleo perungantur ægroti, *prædicabant autem ut pœnitentiam agerent;* et supra, *misit illos*, inquit, *evangelizare Regnum Domini.* Quia videlicet utrumque juxta Joannis Baptistæ vel ipsius Salvatoris exemplum prædicabant : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum :* regni enim cœlorum januis propinquare est de his quemque, quibus ab eo discesserat pœnitere, et per opera justitiæ ad vitam festinare perpetuam præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXVII.

FERIA VI.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis aperiens Petrus os suum, dixit : Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis : hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis, etc.

Quasi doctus magister prius incredulos commissi reatus admonet, ut justo timore compunctis consilium salutis postmodum opportunius impendat, ut quia scientibus legem loquitur, ipsum Christum esse qui a prophetis esset promissus ostendit, nec tamen hunc auctoritate sua Dei filium nominat, sed virum probatum, virum justum, virum a mortuis suscitatum; non cum cæteris, atque communi resurrectione, id est, in finem sæculi dilata, sed tertia die celebrata, ut singularis et gloriosæ resurrectionis assertio testimonium æternæ divinitatis acquireret. Cum enim cæterorum corpora corruptioni probaret subesse post mortem, hunc utique, de quo dicitur : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, comprobat humanæ fragilitatis expertem, probat etiam humanæ conditionis merita supergressum : et ideo Deo magis quam hominibus conferendum; qualibus vero apud gentiles apostoli prædicationis utantur exordiis, in Cornelii Centurionis historia, et in sermone apostoli Pauli, Athenis habito, doceberis : *Providebam Dominum coram me semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear*, et cætera : *Veniens*, inquit, *in ea quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper manet.* Hoc providens, ut in eum post temporalia peracta recurrerem, quomodo favet mihi ut stabiliter in eo permaneam; et hoc quod peccatum non feci, nec dolus inventus est in ore meo, non humanitati sed divinitati ascribam; propter hoc et in cogitationibus meis jucunditas, et in verbis exsultatio, propter resurrectionem scilicet quia per eam liberatus est mundus, insuper et caro mea non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet, quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis, neque sanctificatum corpus per quod et alii sanctificandi sunt corrumpi patieris; quia notas mihi fecisti vias, quibus itur ad æternitatem, in quibus post tristitiam passionis, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Et ascendenti in cœlis dabis delectationes in dextera tua usque in finem; quia neque derelictus in inferno, descendit quidem Christus secundum animam ad inferos, ut quibus oportuit, subveniret; sed non est derelictus in inferno, qui citissimo reditu corpus resurrecturum petivit. Tertia videlicet die resurrexit a mortuis et quadragesima postea die ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

HOMILIA LXVIII.

ITEM FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, factum est in una dierum, et Jesus sedebat docens, et erant Pharisæi sedentes, etc.

Ubi Dominus sedens docuerit, quando Scribis et Pharisæis consedentibus paralyticum curavit, Lucas breviandi gratia præteriit, sed Matthæus et Marcus qui narrant, quæstionem facere videntur, quoniam quidem Matthæus in civitate sua, Marcus in Capharnaum, hoc eum fecisse testatur. Quæ difficilius solvetur, si juxta Matthæum etiam Nazareth intelligenda est dicta civitas Christi ad distinctionem videlicet regionis Transmarinæ Gerascenorum, de qua transfretando, sicut Matthæus scribit, venerat Galilæam : vel certe ipsa Capharnaum, civitas Christi est dicta, quam non nascendo, sed virtutibus illustrando suam ipse fecerat.

Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus; et quærebant eum inferre, et ponere ante eum. Curatio paralytici hujus, animæ post diuturnam illecebræ carnalis inertiam ad Christum suspirantis salvationem indicat; quæ primo omnium ministris qui eam sublevent, et Christo afferant, id est, bonis doctoribus, qui spem sanationis, opemque intercessionis suggerant indiget. Qui bene Marco narrante quatuor fuisse reperiuntur, sive quia quatuor Evangelii libris omnis prædicantium virtus, omnis sermo firmatur, seu quia quatuor sunt virtutes, quibus ad promerendam sospitatem fiducia mentis erigitur, de quibus in æternæ sapientiæ laude dicitur : sobrietatem enim et sapientiam docet et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus; quas nonnulli versis nominibus prudentiam, fortitudinem, temperantiam, et justitiam appellant.

Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum per tegulas. Desiderant paralyticum Christo offerre, sed turba interposita ab omni parte recluduntur, quia sæpe anima post infirmi corporis desidiam ad Deum resipiscens, supernæque gratiæ remedio cupiens innovari, priscæ consuetudinis obstaculo retardatur, sæpe inter ipsas orationis secretæ dulcedines, et quasi suave cum Domino colloquium, turba cogitationum interveniens aciem mentis ne Christus videatur intercludit. Et quid inter hæc agendum, non utique in infimis exterius qua turbæ tumultuantur remanendum, sed tectum domus, in qua Christus docet, ascendendum, id est, sacræ Scripturæ sublimitas est appetenda, lexque Domini cum Psalmista die noctuque meditanda : *In quo enim corrigit junior viam suam, in custodiendo,* inquit, *sermones tuos.*

Et submiserunt illum cum lecto in medium ante Jesum. Patefacto tecto æger ante Jesum summittitur, quia reseratis Scripturarum mysteriis ad notitiam Christi pervenitur. Hoc est, ad ejus humilitatem fidei pietate descenditur; et bene domus Jesu regulis contecta describitur, quia sub contemptibili litterarum velamine, si adsit qui reseret doctor, divina spiritalis gratiæ virtus invenietur; quod autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci.

Quorum fidem ut vidit, dixit : Homo, remittuntur tibi peccata tua. Hominem Dominus a paralisi curaturus, primo peccatorum vinculo dissolvit, ut ostenderet eum ob nexus culparum actuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari, sic et illi paralytico qui juxta Probaticam piscinam diu motum atque frustra præstolabatur, sanato a Domino dicitur : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et bene is cui peccata dimittebantur homo vocatur, qui hoc ipso quod homo erat non posset dicere, Non peccavi. Simul etiam ut ille qui homini dimittebat intelligeretur Deus. Intuendum sane, quanti propria cujusque fides apud Deum valeat, ubi tanti valuit aliena, ut totus homo repente, id est, exterius interiusque jam salvatus exsurgeret, aliorumque merito aliis laxarentur errata.

Et cœperunt cogitare scribæ et Pharisæi, dicentes : Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Verum dicunt scribæ, quia nemo dimittere peccata nisi Deus esse potest, qui per eos quoque dimittit quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus vere Deus esse probatur, qui dimittere peccata quasi Deus potest. Verum Deo testimonium reddunt; sed personam Christi negando falluntur. Errant itaque Judæi, qui cum Christum et Deum esse, et peccata dimittere posse credant. Jesum tamen Christum esse non credunt. Sed multo dementius errant Ariani, qui cum Jesum et Christum esse et peccata posse dimittere Evangelii verbis devicti negare non audeant, nihilominus tamen Deum negare non timent. At ipse perfidos salvare desiderans et occultorum cognitione, et virtute operum Deum se esse manifestat.

Respondens enim *dixit ad illos : Quid cogitatis in cordibus vestris?* Eidem namque Domino Deo qui dicit : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas,* sapientissimus adorator ait : *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum.* Eadem ergo, inquit, majestate et potentia qua cogitationes vestras intueor,-possum et hominibus delicta dimittere : ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur.

Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata, an dicere : Surge et ambula? Verum sint paralytico peccata dimissa solus noverat qui dimittebat, surge autem et ambula, tam ille qui surgebat quam hi qui surgentem videbant approbare poterant. Fit igitur carnale signum ut probetur spiritale.

Ut autem sciatis quia filius hominis potestatem habet in terra dimittere peccata. Si et Deus est juxta memoratum Isaiæ testimonium qui delet iniquitates nostras, et filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, ergo idem ipse et Deus et filius hominis est, ut et homo Christus per divinitatis suæ potentiam dimittere peccata posset, et idem Deus Christus per humanitatis suæ fragilitatem pro peccatoribus mori.

Ait paralytico : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Spiritaliter de lecto surgere est animam se a carnalibus desideriis ubi ægra quiescebat abstrahere. Lectum vero tollere est, ipsam quoque carnem per continentiæ frena correptam spe cœlestium præmiorum, deliciis privare terrenis, ipse est enim lectus qui per singulas noctes lavatur a David, id est, per uniuscujusque noxæ maculis digno pœnitentiæ flumine castigatur. Sublato autem lecto domum ire ad paradisum redire est. Ipse est enim vera domus quæ hominem prima suscepit, non jure amissa sed fraude, tandemque restituta per eum qui fraudulento hosti nihil debuit. Aliter, sanus qui languebat tectum repertat domum : cum anima peccatorum remissione accepta, ad internam sui custodiam cum ipso corpore refert, ne post veniam quid, unde iterum juste feriatur, admittat.

Et confestim surgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat et abiit in domum suam, magnificans Deum, et cætera. Mira divinæ potentiæ virtus, ubi, nulla temporis interveniente morula, jussa Salvatoris salus festina comitatur : merito qui adfuerant damnatis blasphemiæ jaculis ad laudem tantæ majestatis stupentia corda convertunt, qui cognoverunt veram Dei potentiam, glorificaverunt Deum Dominum, videlicet nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto unus Deus potentialiter regnat et veraciter vivit per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIX.

SABBATO.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis convenit universa civitas audire verbum Dei, etc.

In superioribus hujus capituli sententiis narratur, quomodo Paulus indiciis prædicaret Christum prænuntiatum esse a prophetis, ad salutem generis humani mittendum, et per passionem suam genus humanum ipsum redempturum affirmans illud testimoniis propheticis, sed quia Judæi hæc audientes facile credere noluerunt, rogaverunt Paulum ut sequenti sabbato iterum de eadem re sermonem faceret ad populum.

Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Judæorum et colentium advenarum, Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. Audierunt enim ipsi prædicatores verbi Dei quod Deus de stirpe David venturum esse Christum promisisset. Sic enim Isaias Novi Testamenti mysteria prægustans ait : *Et constituam vobis testamentum sempiternum sancta David fidelia*, quod in Hebraica veritate ita legitur, *et feriam vobiscum pactum sempiternum.* Misericordias David fideles, inde secuti sunt multi Judæorum et colentium advenarum, quod etiam melius legitur colentium Deum sicut in Græco vidimus, significat autem eos qui natura gentiles erant, sed religione Judæi, quos Græci proselytos nuncupant, sed quoniam ipsi apostoli sentiebant Judæos incredulos esse et rebelles, eo quod nolebant recipere verbum Dei.

Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lumen gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Audientes autem gentes glorificabant verbum Domini; et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. Judæi autem concitaverunt religiosas mulieres et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu sancto. Pulvis juxta Evangelii præceptum excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quod in illorum ingressi sunt civitatem et prædicatio apostolica ad illos usque pervenerit : sive excutitur pulvis ut nihil ab eis accipiant ne ad victum quidem necessarium, qui Evangelium spreverint, *discipuli quoque replebantur gaudio et Spiritu sancto*, in Græco habet discipuli *autem*, ut intelligamus Judæis fidem persequentibus discipulos e contrario spiritali gaudio ditatos, et merito quia omnis qui recte credit in Deum et bonis operibus ipsam fidem usque ad finem vitæ suæ ornat, gaudium Spiritus sancti et veram beatitudinem in contemplatione Dei percipiet, e contrario vero qui increduli erant Deo et verbis ejus pravis operibus repugnant, pœnam gehennæ in futuro percipient : quia in extremo judicio ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

HOMILIA LXX.

ITEM SABBATO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore surgens Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, etc.

Si virum a Dæmonio liberatum, moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum significare dicimus, consequenter femina febribus tenta, sed ad imperium Domini curata, carnem ostendit a concupiscentiæ suæ fervore per continentiæ præcepta frænatam; omnis enim amaritudo et ira et indignatio, et clamor et blasphemia spiritus immundi furor est. Fornicationem vero immunditiam, libidinem concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, febrem illecebrosæ carnis intellige.

Et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri, et dimisit illam. Modo Salvator rogatus, modo ultro curat ægrotos, ostendens se contra peccatorum quoque passiones et precibus semper annuere fidelium, et ea quæ ipsi minime in se intelligunt et intelligenda dare vel etiam non intellecta dimittere; juxta quod Psalmista postulat, *delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine.*

Et continuo surgens, ministrabat illis. Naturale est febricitantibus incipiente sanitate lascessere et ægrotationis sentire molestiam, verum sanitas quæ Domini confertur imperio, simul tota redit, sed et tanto robore comitante, ut eis continuo qui se adjuverant ministrare sufficiat. Ut, juxta leges tropologiæ, membra quæ servierant immunditiæ ad iniquitatem ut fructificarent morti, serviant justitiæ in vitam æternam.

Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant *illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.* Solis occubitus passionem mortemque significat illius qui dixit : *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi*, et Sole occidente plures dæmoniaci quam ante sanantur ægroti. Quia qui temporaliter in carne vivens paucos Judæorum docuit, calcato regno mortis omnibus per orbem gentibus fidei salutisque dona transmisit. Cujus ministris quasi vitæ lucisque præconibus Psal-

mista canit, *iter facite ei qui ascendit super occasum*. Super occasum quippe Dominus ascendit, qui unde in passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit.

Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Christus Filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum Christum. Dæmonia Filium Dei confitebantur, et attestante Evangelista sciebant ipsum esse Christum, quia quem dierum quadraginta jejunio fatigatum diabolus hominem cognoverat, nec tentando valebat an et Dei Filius esset experiri, jam nunc per signorum potentiam vel intellexit vel potius suspicatus est esse Filium Dei. Non igitur ideo Judæis eum crucifigere persuasit, quia Christum sive Dei Filium non esse putavit; sed qui se morte illius non prævidit esse damnandum : vere enim de hoc mysterio a sæculis abscondito dicit Apostolus : *Quod nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quare autem dæmonia Dominus se loqui prohibeat, Psalmista manifestat, qui ait, *peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas?* et cætera. Ne eum quis dum prædicantem audit, sequatur errantem, improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris sæpe permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtexat. Alias autem non sibi dæmones, qui inviti confitebantur, jubentur silere de Christo, sed et illi qui ab eo sanati sponte confiteri volebant; imo ipsi Apostoli qui eum post resurrectionem toto erant orbe prædicaturi, ante passionem ejus præcipiuntur omnino reticere de illo; ne divina scilicet majestate prædicata passionis dispensatio differretur, et dilata passione, salus mundi, quæ per hanc futura erat, negaretur.

Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum, etc. Si occasu solis Domini mors exprimitur, quare non die redeunte resurrectio illius indicetur, cujus manifestata luce a credentium turbis inquiritur et in gentium deserto inventus, ne abeat detinetur; maxime cum hæc prima sabbati quo resurrectio celebrata est, egressio, quæsitio, et inventio contigerit, in quibus omnibus manifestatur bonitas et misericordia Domini nostri Jesu Christi, in quo vivimus, movemur, et sumus, et per cujus clementiam ad futuram vitam pervenire nos speramus præstante ipso creatore et redemptore nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXI.

DOMINICA OCTAVA PENTECOSTES.

Lectio libri Apocalypsis.

In diebus illis, vidi ostium apertum in cœlo : et vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc et ostendam tibi quæ oportet fieri, etc.

Descriptis Ecclesiæ operibus, quæ esset et qualis futura esset recapitulat a Christi nativitate, eadem aliter dicturus, totum enim tempus Ecclesiæ variis in hoc libro figuris repetit. *Ecce,* inquit, *ostium apertum in cœlo ;* convenienter ostium cœleste ascensuris aspicit, cui celsa mysteria pandi promittuntur; vel quia ostium Christus est, qui illum crediderit natum et passum conscendit cœlum, id est, Ecclesiæ altitudinem, et videt futura spiritalis effectus, sicut dicit : *Et statim fui in spiritu. Et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc, statim fui in spiritu*, simile est utique hoc priori voci quæ dixerat : *Quod vides scribe in libro. Et ecce sedes posita erat in cœlo : et supra sedem sedens* Ecclesiam in cœlesti conversatione positam Dominus inhabitat. Gregorius Papa solum Dei in visione Micheæ angelicas potestates interpretatur, quarum mentibus altius præsidens, inferius cuncta disponit.

Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinii. Jaspidis color aquam, sardinii ignem significat, quibus duobus judicium novimus celebrari. *Sicut enim*, inquit, *in diebus Noe, ita erit et adventus filii hominis.*

Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ. Iris quæ fit sole nubes irradiante, et post diluvium primo propitiationis judicio factus est, intercessu sanctorum, quos Dominus illustrat, Ecclesiam muniri designat. Qui bene smaragdo lapidi nimiæ viriditatis comparatur, quo enim hæreditatem inmarcessibilem fide profectiori exspectant, eo potentius etiam cæteros orando protegunt.

Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et supra thronos viginti quatuor, sedentes seniores. Ecclesiam quam propter societatem fidei in una sede viderat, eamdem per geminum testamentum de patriarchis et apostolis generatam in XXIV sedilibus cernit, sedentem autem, propter judiciariam ejus in Christo dignitatem. *Sedebant enim et judicabant universa membra, sed in uno et per unum caput.* Nam quomodo poterunt sancti in judicio sedere stantes ad dexteram judicis. Possunt etiam viginti quatuor seniores in illis intelligi, qui perfectionem operis quæ senario numero commendatur, clara Evangelii prædicatione consummant. Nam quater seni XXIV faciunt.

Circumamictos vestimentis albis et in capitibus eorum coronas aureas. Id est, bonis operibus indutos perenni mentis memoria gaudia superna quærentes. Sæpe enim capitis nomine, mens solet intelligi.

Et de throno processerunt fulgura, et voces, et tonitrua. Hoc est quod Marcus ait, *illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.*

Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei. Unum Spiritum dicit septiformem, unus est enim Spiritus, septiformitas autem perfectio est et plenitudo. Commemorato vero Spiritu sancto convenienter unda baptismi sequitur, in qua idem Spiritus percipi creditur.

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Propter fidem veri baptismatis refertur ad vitrum, in quo non aliud videtur exterius quam quod

gestat interius, crystallo quoque quod de aqua in glaciem et lapidem pretiosum efficitur baptismi gratia figuratur.

Et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Cunctas throni Dei, id est, Ecclesiæ, partes lumen Evangelii de præteritorum futurorumque scientia replet.

Et animal primum simile leoni, etc. Hæc animalia multifarie interpretantur. Beatus autem Augustinus, juxta ordinem libri istius, Matthæum in leone dicit intelligi, qui regiæ dignitatis in Christo prosapiam narrat, quia vicit leo de tribu Juda. Catulus enim leonis Juda : et in quo ut rex a rege timetur, a Magis adoratur : ubi etiam rex cum servis rationem ponit : rex nuptias filio facit, et ad ultimum rex segregat oves ab hædis. Lucam in vitulo, quia hostia magna fuit in lege : ejus enim non solum principia circa templum et sacrificia diversantur, sed et ita concluditur : *Et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum.* Facies vero hominis Marcum significat, qui nihil de regali et sacerdotali Domini potentia locutus, tantum hominis Christi gesta simpliciter narrat. Aquila autem Joannes est, qui nativitatem Verbi velut ortum solis perspicaciter aspectat : animalia hæc nunc Evangelistas, nunc totam significant Ecclesiam, cujus fortitudo in leone, victimatio in vitulo, humilitas in homine, sublimitas in aquila volante monstratur.

Singula eorum habebant alas senas, perfectione suæ doctrinæ Ecclesiam ad alta sublevant : senarius enim numerus ideo perfectus dicitur, quia primitus suis partibus impletur. Unum quippe quod est sexta senarii pars, et duo, quod est tertia, et tria, quod est dimidium eumdem senarium faciunt. Aliter aliæ senæ quatuor animalium, quæ sunt viginti et quatuor, totidem veteris instrumenti libros insinuant, quibus Evangelistarum et fulcitur auctoritas et veritas comprobatur.

Et in circuitu et intus plena sunt oculis. Sancta Ecclesia et coram Deo et coram hominibus se vigilanter attendit : cujus interiores oculos aspexerat Psalmista, cum dicit, *Omnis gloria ejus filiæ regum ab intus*; exteriores vero, cum continuo subdit, *in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Aliter, sive litteram attendas, sive allegoriam quæras, lucem semper in Evangelio reperis. Alia translatio sic habet, *plena oculis ante retro*, quia lux Evangelii et ænigmata legis irradiat, et novæ gratiæ mundo fulgur infundit.

Et requiem non habent die ac nocte, dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus omnipotens. Sancta animalia cuncto tempore sæculi unam dominationem deitatis, omnipotentiam et æternitatem Sanctæ Trinitatis affirmant, manente intellectualis creaturæ perpetua in cœlestibus laude.

Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum. Animalibus personantibus laudem, id est, Evangelistis prædicantibus Christi dispensationem, omnis Ecclesia quæ in præpositis constat et populis, hoc enim geminatus duodenarius numerus significat, statim cadens in faciem adorat viventem in sæcula sæculorum.

Et mittebant coronas suas ante thronum. Deo videlicet assignantes quidquid virtutis, quidquid habebant dignitatis, quippe qui ex nihilo cuncta creaverat et dominator est omnium rerum, qui vivit et regnat in unitate, Trinitate perfecta Deus per omnia sæcula sæculorum.

HOMILIA LXXII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte, etc.

Princeps Judæorum venit ad Jesum nocte. Cupiens secrete ejus allocutione plenius discere mysteria fidei, cujus aperta ostensione signorum aliquatenus jam rudimenta perceperat, qui quoniam prudenter ea, quæ ab illo fieri videbat, intelligere curavit, subtiliter ea quæ ab illo quærebat, investigare promeruit.

Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. A Deo igitur ad magisterium cœleste mundo exhibendum eum venisse confessus est, Deum cum illo fuisse miraculis prodentibus intellexit, necdum tamen ipsum Deum esse cognovit. Sed quia quem magistrum noverat veritatis, studiose docendus adiit, merito et agnitionem divinitatis ejus perfecte doctus subiit, merito utriusque nativitatis ejus, divinæ scilicet et humanæ, sed et passionis atque ascensionis illius arcana percepit, nec non etiam modum secundæ generationis, ingressum regni cœlestis, et alia perplura doctrinæ Evangelicæ sacramenta Deo revelante didicit.

Respondens Jesus dixit : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Quæ sententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quanto constat, quia sine hujus luce fideles esse nequeunt. Quis etenim sine lavacro regenerationis remissionem peccatorum consequi et regnum valet intrare cœlorum ? Sed Nicodemus, qui nocte venit ad Dominum, necdum lucis mysteria capere noverat. Nam et nox in qua venit ipsam ejus, qua premebatur, ignorantiam designat, necdum enim eorum numero sociatus erat, quibus ait Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Sed inter eos potius remanebat, quibus dicit Isaias : *Surge, illuminare, Hierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est.*

Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo homo potest nasci, cum sit senex : nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci ? Quia enim secundæ nativitatis adhuc nescius perseverabat, de salute autem sua jam sollicitus exstiterat, necessario de una quam noverat nativitate, an posset iterari, vel quo ordine regeneratio posset impleri, quærebat : ne hujus expers remanendo vitæ cœlestis particeps esse

nequiret. Notandum autem, quia quod de carnali dixit, hoc etiam de spiritali est regeneratione sentiendum. Nequaquam videlicet eam postquam semel expleta fuerit, posse repeti. Sive enim hæreticus sive schismaticus facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est, a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio et invocatio tanti nominis videatur annullari. Et quia Nicodemus ad primam Domini responsionem sollicitus quomodo sit intelligenda diligenter inquirit, meretur jam planius instrui, et quia secunda nativitas non carnalis est, sed spiritalis audire.

Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Cujus nativitatis modum subsequenter exponens, prorsusque a carnali distinguens, ait :

Quod natum est de carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Natura spiritalis invisibilis, carnalis est visibilis ; atque ideo carnalis generatio visibiliter administratur, visibilibus incrementis, qui in carne nascitur per ætatum momenta proficit : spiritalis autem generatio tota invisibiliter agitur. Nam videtur quidem qui baptizatur, in fontem descendere, videtur aquis intingi, videtur de aquis ascendere ; qui autem in illo lavacrum regenerationis egerit minime potest videri : sola autem fidelium pietas novit, quia peccatum in fontem descendit, sed purificatus ascendit ; filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit. Filius prævaricationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit ; filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascendit ; filius diaboli descendit, sed filius Dei ascendit : sola hæc Ecclesia mater quæ generat novit. Cæterum oculis insipientium videtur talis exire de fonte qualis intravit, totumque ludus esse quod agitur. Unde in fine videntes gloriam sanctorum dicent gementes in tormentis : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii, quomodo ergo computati sunt inter filios Dei ?* Ait apostolus Joannes : *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Quod ergo natum est, ex Spiritu sancto est, quia qui ex aqua et Spiritu regeneratur invisibiliter, in novum mutatur hominem et de carnali efficitur spiritalis. Qui ideo recte non solum spiritalis, sed etiam Spiritus vocatur, quia, sicut substantia spiritus invisibilis est nostris aspectibus, ita is qui per gratiam Dei renovatur, invisibiliter fit spiritalis et Dei filius, cum visibiliter omnibus caro et Filius hominis appareat.

Non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed non scis unde veniat et quo vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Spiritus ubi vult spirat, quia ipse habet in potestate, cujus cor gratia suæ visitationis illustret, *et vocem ejus audis*, cum, te præsente, loquitur is qui Spiritu repletus est. *Sed non scis unde veniat, et quo vadat*, qui etiam si, te præsente, quempiam Spiritus ad horam impleverit non potes videre, quomodo intraverit et quomodo redierit qui natura est invisibilis. *Sic est omnis qui natus est ex spiritu*, et ipse enim invisibiliter agente spiritu incipit esse quod non erat, ita ut fideles nesciant unde veniat et quo vadat, id est, qui gratia regenerationis venit in adoptionem filiorum Dei, et vadit in perceptionem regni cœlestis. Quærente adhuc Nicodemo quomodo hæc possent fieri,

Respondit Jesus et dixit ei : Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? Non quasi insultare volens ei, qui magister vocetur, cum sit ignarus sacramentorum cœlestium, sed ad humilitatis illum viam provocans, sine qua janua cœlestis non potest inveniri.

Amen, amen dico tibi quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis ? Terrena illis dixit ut in superiore lectione invenimus, cum de passione ac de resurrectione sui corporis quod de terra assumpserat loqueretur dicens : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Non tamen credebant verbo quod dixit, sed ne hoc quidem intelligere valebant quod non de alio quam de templo corporis sui diceret ; qui ergo terrena audientes non capiebant, quanto minus ad cœlestia, id est, divinæ generationis capienda mysteria sufficiunt : addit autem adhuc Dominus, et de cœlestibus sacramentis et de terrenis instruere eum quem videt sapienter ac diligenter his quæ audit intendere. Cœlestis namque est ascensio ejus ad vitam sempiternam, terrena vero exaltatio ejus ad mortem temporalem. Dicit ergo de cœlestibus :

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Merito quæritur quomodo dicatur Filius hominis vel descendisse de cœlo, vel eo tempore quo hæc in terra loquebatur jam fuisse in cœlo. Non enim caro Christi descendit de cœlo, neque ante tempus ascensionis erat in cœlo, et qua ratione dicitur, *nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo*, nisi quia una Christi persona est in duabus existens naturis. Atque ideo filius hominis recte dicitur et descendisse de cœlo, et ante passionem fuisse in cœlo : quia quod in sua natura habere non potuit hoc in filio Dei a quo assumptus est habuit. Sed et hoc quærendum quomodo dictum sit, *et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo*, cum omnes electi se veraciter confidant ascensuros in cœlum, promittente sibi Domino : *quia ubi sum ego illic et minister meus erit.* Cujus tamen nodum quæstionis apertissima ratio solvit, quia videlicet mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus electorum omnium caput est, itemque omnes electi ejusdem capitis membra sunt, dicente Apostolo : *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et rursum : *Vos enim estis corpus Christi, et membra de membro.* Nemo ascendit in cœlum nisi Christus in corpore suo, quod est

Ecclesia, qui in seipso quidem primum cernentibus apostolis eminentioribus nimirum membris suis ascendit; et exinde in membris suis quotidie ascendens se colligit in cœlum. Quisquis in cœlum ascendere desiderat ei qui de cœlo descendit et est in cœlo, se vera fidei et dilectionis unitate conjungit; aperte intelligens quia nullo alio ordine, nisi per eum qui descendit de cœlo, potest ascendere in cœlum. Unde alias ipse dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Mira magisterii cœlestis arte Dominus magistrum legis Mosaicæ ad spiritualem legis ejusdem sensum inducit, recordans historiæ veteris, et hanc in figuram suæ passionis atque salvationis humanæ factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorum quia pertæsus in eremo populus Israel itineris longi ac laboris, murmuravit contra Dominum et Moysen: ideoque Dominus misérit in illum ignitos serpentes, ad quorum plagas et morsus plurimorum cum clamarent ad Moysen et ille oraret, jussit eum Dominus facere serpentem æneum et ponere pro signo. *Qui percussus,* inquit, *aspexerit eum, vivet;* et ita factum est. Plagæ igitur serpentium ignitorum venena sunt et incentiva vitiorum, quæ animum quem tangunt spiritali morte perimunt. Et bene murmurans contra Dominum populus serpentium morsibus sternebatur ut, ex ordine flagelli exterioris, agnosceret quantam intus perniciem murmurando pateretur, exaltatio autem serpentis ænei, quem dum percussi perspicerent sanabantur, passio est nostri redemptoris in cruce, in cujus solum fide regnum mortis et peccati superatur. Recte etenim per serpentes peccata, quæ animam simul et corpus ad interitum trahunt, exprimuntur, non solum quia igniti, quia virulenti, quia ad perimendum sunt statuti, verum etiam quia per serpentem primi parentes nostri ad peccandum persuasi, ac de immortalibus sunt peccando mortales effecti. Recte per serpentem æneum Dominus ostenditur qui venit in similitudinem carnis peccati. Quia sicut æneus serpens effigiem quidem ignitis serpentibus similem, sed nullum prorsus in suis membris habuit ardorem veneni nocentis, quin potius percussos, a serpentibus sua exaltatione sanabat: sic nimirum sic Redemptor humani generis non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendo, credentes in se ab omni peccato et ab ipsa etiam morte liberaret.

Ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Cujus quidem verbi patet sensus, quia qui credit in Jesum non solum perditionem evadit pœnarum, sed et vitam percipit æternam. Et hoc inter figuram distat et veritatem: quia per illam vita protelabatur temporalis, per hanc vita donatur sine fine mansura. Sed curandum solerter est ut quod intellectus bene sentit: operatio condigna perficiat: quatenus confessio recte nostræ fidei, pie et A sobrie conversando ad perfectionem promissæ nobis vitæ mereatur attingere, verum quia hæc de filio hominis dicuntur, qui exaltari meruit et mortem potuit pati, ne putaret Nicodemus filium tantum eum hominis esse, a quo vita esset exspectanda perpetua, curavit ei Dominus etiam divinitatis suæ patefacere sacramentum, unumque et eumdem filium hominis mundi ostendere Salvatorem, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus S. Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXIII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ sancti apostoli Pauli ad Corinthios.

Fratres, si Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam B *resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides nostra*, etc.

Hæc a falsis apostolis erant tradita, qui Christum neque natum, neque in carne passum, neque resurrexisse asserebant. Quos et Joannes apostolus denotat, qui Christum in carne venisse negabant. Unde dicit, *qui negat Christum in carne venisse, hic est Antichristus.* Et *qui negat Filium, nec Patrem habet,* isti ambulabant et quorumdam fidem ne imprudentes a mundi sapientibus judicarentur subvertebant, quia prudentes sæculi stultum judicant, cum audiunt resurrectionem mortuorum. *Quod si*, inquit, *verum est quia Christus non resurrexit, falsi sumus prædicatores*, C *et fides nostra inanis est.* Hoc enim crediderunt Apostolo prædicante, quia mortui resurgent, et hac spe attracti sunt ad fidem, quod utique ad detrimentum illorum proficere asserit, si crediderint, quod futurum non est. Et pudoris est ut aliquis profiteatur, hoc credidisse quod falsum est. Et verecundiam ergo illis incutit, et labores illorum dicit infructuosos, si quod a falsis apostolis audierunt verum est, quod mortui non resurgent. Quod nemo utique de se patitur audire ut videntes hoc contra se esse revertentur ad primam fidem.

Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium dicimus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit. Qui asserit quod D Christum Deus a mortuis, suscitavit, falsus est testis si non est factum. Virtutem tamen Dei prædicat, non utique ut inimicus qui tam admirabile factum virtuti ejus ascribit. Quod si verum est, quia excitavit Christum a mortuis, quid hic dicturus est qui et testis contra Deum factus est, et opus ejus stultitiam asserit

Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris: ergo qui dormierunt in Christo, perierunt. Terret illos ut quia nemo sibi male vult, doleat illos hoc cœpisse credere quod contra ipsos est; quis enim peccata sibi remissa nolit audire? *Et qui dormierunt*, ait, *in Christo, perierunt.* Addit

ad terrorem quia charorum suorum excessus noluit æstimare perditionem. Qui enim sub hac spe de sæculo exierunt, sive occidi non timuerunt, quia resurgere exemplo Christi crediderunt, et non est verum, perierunt. Hoc illis dicit quod amore suorum defunctorum nolunt audire, ut illis imputetur quod prius per errorem volebant audire. Sunt etiam veræ connectiones in ratiocinatione falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur, quæ tamen ad hoc inferuntur a bono et docto homine ut, in his erubescens ille cujus errorem consequitur, eumdem errorem relinquat, quia si in eodem manere voluerit, necesse est ut etiam illa quæ damnat tenere cogatur.

Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Manifestum est, quia et in hac vita præsenti et in futura speramus in Christo, nec enim hic deserit servos suos Christus, sed reddit illis gratiam et in futuro erunt in gloria æterna. Si autem futuræ vitæ spes non esset, omnibus hominibus, quod dixit, miserabiliores essemus. Ut quid enim jejunia, vigiliæ, exitus, munda vita, justitia, misericordia, mors, si pro his nulla merces erit in futuro? increduli autem vel ac vita fruuntur.

Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium; quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Hoc dicens tangit pseudoprophetas, qui Christum natum negabant, ac per hoc non resurrexisse carnem. Qui enim natus non est nec moritur. Sic autem probat Christum resurrexisse a mortuis, quia homo fuit : ut dubium non sit hominem a Deo a mortuis excitatum, ut quia peccato hominis mors inventa est, Christi justitia resurrectionem meruit mortuorum.

Sicut enim *in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Hoc dicit quia sicut Adam peccans mortem invenit et omnes ejus origine tenuit, ut dissolverentur, ita Christus non peccans et per hoc vincens mortem, quia qui non peccat vincit mortem, quia mors exspectatio justorum. Omnibus ergo qui sunt ex ejus corpore acquisivit vitam, id est, resurrectionem, quamvis generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adam omnes sive justi sive injusti moriuntur, ita et in Christo tam omnes credentes quam diffidentes resurgant, licet ad pœnam increduli, tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient, jam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, eo quod credere noluerunt. *Sicut in Adam*, inquit, *omnes moriuntur, ita et in Christo vivificabuntur.* Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo; sicut per Adam omnes mortales in pœna facti sunt filii sæculi, ita et per Christum omnes immortales fiunt in gratia filii Dei.

Unusquisque autem in suo ordine : nunc ordines resurrectionis vult exponere : ne Deo putarent fabulosum esse, quia factum adhuc non est in cæteris. Ordines illis exponit et tempora quando factum sit et quando futurum est ut resurgant mortui : *primitiæ Christus* sicut et in Actibus apostolorum testatur scriptum esse in Moyse, *si passibilis Christus, si prior surgens ex mortuis*, etc. Prior ergo resurrexit ut forma fieret credentibus sibi.

Deinde [*ii*] *qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.* Hoc duplici modo intelligendum, quia et in adventu ejus secundo sancti resurgent juxta fidem Apocalypsis Joannis, sicut et in primo adventu cum resurrexit, multa corpora sancta resurrexerunt ad protestationem evictæ mortis ac spoliatæ; sub una ergo significatione duplicem adventum Domini comprehendit, hoc est, primum quando venit ut salvaret genus humanum, et secundum, quando venturus est judicare vivos ac mortuos et sæculum per ignem.

HOMILIA LXXIV.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore accesserunt ad Jesum quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, etc.

Duæ erant hæreses in Judæis, una Pharisæorum, et altera Sadducæorum, Pharisæi traditionum et observationum quas illi deuteroses vocant, justitiam proferebant, unde et divisi vocabantur a populo. Sadducæi autem qui interpretantur justi et ipsi vendicabant sibi quod non erant. Prioribus et corporis et animæ resurrectionem credentibus confitentibusque angelos et spiritus sequentia, juxta Acta apostolorum, omnia denegabant.

Et interrogaverunt eum dicentes : Magister, Moyses scripsit nobis : Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine filiis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem et suscitet semen fratri suo. Vide distantiam litteræ et spiritus. Juxta litteram nubere cogitur in vita, ut defuncti semen suscitet frater, Spiritus autem Magister est castitatis.

Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem et mortuus est sine filiis; et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio; et tertius accepit illam, similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen et mortui sunt. Novissima omnium mortua est et mulier. Qui resurrectionem corporum non credebant, animas judicantes interire cum corporibus, recte istiusmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos qui resurrectionem asserant mortuorum, potest autem fieri ut fere in gente eorum aliquando hoc acciderit.

In resurrectione ergo cujus eorum erit uxor : siquidem septem habuerunt eam uxorem. Turpitudinem fabulæ opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem. Verum mystice septem hi fratres sine filiis defuncti reprobis quibusque congruunt, qui per totam hujus sæculi vitam, quæ septem diebus volvitur a bonis operibus steriles existunt : quibus viritim morte misera præreptis, ad ultimum et ipsa mundana conversatio quam illi sine vitali opere transegerant quasi uxor infecunda transibit.

Et ait illi Jesus. Filiis sæculi hujus nubunt et

traduntur ad nuptias. Cum Dominus dicat, nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, quod ipse quædam vel hic de gloria resurrectionis, vel alibi de dispensationis, aut etiam divinitatis suæ mysterio dixisse invenitur quæ multi qui addiderant vel resistendo vel contemnendo non acceperunt, non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas misisse ante porcos. Non enim eis dedit qui capere non poterant, sed eis qui poterant et simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat, et cum eum tentatores interrogabant, respondebatque illis ita, ut quid contradicerent haberent, quamvis venenis suis contabescerent potius quam illius cibo saturarentur, alii tamen qui poterant capere ex illorum occasione multa utiliter audiebant.

Illi autem qui digni habebuntur sæculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubunt neque ducunt uxores. Non ita intelligendum est, quasi digni tantum vel resurrecturi vel sine nuptiis futuri sint, indigni autem, id est, peccatores, vel minime resurrecturi, vel ad nuptias resurrecturi sint credendi: sed ita potius sentiendum quod omnes et resurrecturi, et absque nuptiis sint in sæculo illo mansuri, Dominus autem Salvator ut ad gloriam resurrectionis animos excitaret inquirendam, de electis solummodo voluit facere sermonem. Si autem in resurrectione neque nubunt neque ducunt uxores, resurgunt ergo corpora, quæ possunt et nubere uxores: hoc est feminarum et virorum certis discreta membra speciebus: sed nulla concumbendi voluptate vel necessitate mancipata. Nemo quippe dicit de lapide et arbore et his rebus quæ non habent membra genitalia, quod non nubant neque ducant uxores: sed de his qui cum possint nubere, tamen alia ratione non nubunt.

Neque enim ultra mori poterunt. Quia connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem. Ubi ergo mori non est neque connubia.

Æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. Æquales angelis et filii sunt Dei, qui gloria resurrectionis innovati, sine ullo mortis metu, sine ulla labe corruptionis, sine ullo terreni status actu perpetua Dei visione fruuntur, ad quam necesse est angelicæ dignitatis æqualitatem, quisquis tunc accedere desiderat, nunc minimis fratribus condescendat.

Quia vero resurgunt mortui et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. Ad comprobandam resurrectionis veritatem, multis aliis manifestioribus exemplis uti potuit, e quibus est illud, *suscitabuntur mortui, et resurgent, qui in sepulcris sunt*. Quæritur itaque quid sibi voluerit Dominus hoc proferre testimonium, quod videtur ambiguum, vel non satis ad resurrectionis pertinens veritatem; sed Sadducæi quinque tantum libros Moysi recipiebant, prophetarum vaticinia respuentes. Stultum ergo erat inde proferre testimonia quorum auctoritatem non sequebantur: porro ad æternitatem animarum probandam de Moysi ponit exemplum: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*. Et statim infert:

Deus autem non est mortuorum, sed viventium. Ut comprobaret animas permanere post mortem, quod illi inter cætera negabant, neque poterat enim fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent, consequenter introduceretur et corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malave gesserunt, *omnes enim vivunt ei*, omnes videlicet illi quorum Dominus est Deus vivunt ei, vita utique vera qua justi vivunt, etiam quando corpore moriuntur. De qua alibi Dominus ait, *Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet*. Crede ergo, etsi mortuus fueris vives; si autem non credis, et cum vivis mortuus es: vidua enim quæ in deliciis vivit, mortua est. *Respondentes autem quidam scribarum dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum interrogare quidquam*. Principes sacerdotum Sadducæi et scribæ quærentes occasionem calumniæ et verbum aliquod invenire quod pateret insidiis: quia in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant, sed apertissime comprehensum Romanæ tradunt potestati, ex quo intelligimus venena invidiæ posse quidem superari, sed difficile conquiescere. Unde scriptum est, *per invidiam diaboli mors introivit in orbem terrarum*: imitantur autem eum, qui sunt ex parte ejus, per charitatem ergo et misericordiam conditoris nostri collata est nobis salus æterna et vita perpetua, cujus mandatis si rite obedierimus æternam vitam in cœlesti regno percipiemus præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXV

FERIA V.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quæ oporteat dicere, etc.

Cum ergo propter Christum ducimur ad judices, voluntatem tantum nostram pro Christo debemus offerre; cæterum ipse Christus qui in nobis habitat loquitur pro se, et Spiritus sanctus in respondendo gratiam ministrabit.

Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem supra vos? Merito refutatur hic frater qui magistro supernæ pacis unitatisque gaudia commendanti terræ divisionis vult ingerere molestiam, merito hominis vocabulo notatur. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, nonne homines estis. et secundum hominem ambulatis? Negatque se Do-

minus hominum esse divisorem, ad quos et secum et cum angelis pacificandos venerat. *Non enim est Deus dissensionis sed pacis, et multitudinis credentium erat cor et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Solus autem fraternitatis divisor et auctor dissentivus est ille, de quo supra dicitur, *qui non colligit mecum dispergit;* et de membris illis: *Omne regnum in se ipso divisum desolatur, et domus supra domum cadit.*

Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Sicut supra Dominus adversum blasphemos et hypocritas multa dixerat, sic et hinc occasione hujus stulti petitoris, adversus avaritiæ pestem qua plerique mortalium satisque superque B laborant et turbas et discipulos præceptis pariter et exemplis munire satagit. Et notandum quod non ait, *cavete ab avaritia*, sed adjunxit, *ab omni*, quia nonnulla simpliciter hominibus geri videntur, sed internus arbiter qua intentione fiant qui cernit, judicat. Quis enim cum fratre hæreditatem dividens adultos agro proprio fructus in horrea recondi pro crimine deputaret? sed ipse est testis judex ut scriptum est.

Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit : et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi et bona mea. Non in eo reprehenditur iste dives, quod terram C coluerit, natosque ex ea fructus in horrea collegerit, sed quod omnem vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum posuerit, fructusque quos uberiores solito terra protulerat, suos fructus, et sua bona computans, non pauperibus erogaret, juxta imperium Domini dicentis, *quod superest date eleemosynam :* sed factis receptaculis majoribus suæ in futurum luxuriæ reservare studuerit.

Anima, inquiens, *habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.* Cui simile in Ecclesiastico legitur, *est qui locupletatur parce agendo, et est pars mercedis illius in eo quod dicit, inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus, et nescit quod tempus prætereat et relinquat omnia aliis.* D

Dixit autem illi Dominus : Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te : quæ autem parasti cujus erunt? Qui multa tibi deliciarum tempora stultus in vita promittebas, proxima hac nocte morte præreptus aliis congregata relinques. Hæc Deo ad hominem dicere, est pravas ejus machinationes subita animadversione compescere. Aliter, in nocte ablata est anima quæ in obscuritate est cordis amissa, in nocte ablata est, quæ considerationis lucem habere noluit, ut quod poterat pati præviderel. Unde bene discipulis futura cogitantibus, Paulus apostolus dicit : *Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat : omnes enim vos* A *filii lucis estis, et filii diei;* non sumus noctis neque tenebrarum, dies enim exitus tanquam fur in nocte comprehendit : quando stultorum animas futura non præmeditantes ejicit.

Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. Stultus est, et in nocte rapiendus, ergo qui vult esse in Deum dives, non sibi thesaurizet, sed pauperibus possessa distribuat. Sic enim sapiens et filius lucis esse merebitur. Unde bene Psalmista cum de avaro quolibet divite præmisisset, Sed et frustra conturbatur, thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea, mox ubi cordis sui thesaurum locasset, aperuit, dicens : *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.* Illa quippe substantia apud Deum est quæ bono animo et corde humili pauperibus et egentibus a fidelibus distribuitur, quia illis merces æterna, in regno cœlesti pro hoc recompensabitur a judice vivorum et mortuorum Jesu Christo Domino nostro, qui reddet unicuique secundum opera sua, bonis præmia vitæ æternæ, malis pœnam perpetuam. Ipsi honor gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXVI.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Joannis apostoli.

Charissime, Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum, etc.

Intente oportet audire, fratres charissimi, diligenterque memoriæ commendare, simul et operibus adimplere, quod nobis Joannes apostolus in præsenti docet lectione dicens : *Deus charitas est;* charitas autem dilectio est pura et immaculata, pura ab omni labe peccati, pura a cogitatione perversa, pura ab otiosa et inutili loquela, pura ab omni opere malo, pura ab omni concupiscentia mala, et ab omni malitia pura, [charitatis] castus amor, dilectio sincera, dilectio vera, fidelis amor qui nutrit omne bonum, amor, qui fugit et odit omne malum, amor sine quo nihil est bonum, amor a quo procedit omne bonum. Hunc qui habet omne bonum habet, quia ipsum Deum habet, quia *Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis : quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* In hoc probatur charitas Dei Patris in nobis esse, quia unicum filium suum misit mori pro nobis. In hoc probatur Christi Filii Dei charitas in nobis, quia mortuus est pro nobis, justus pro injustis, ut justificemur, et digni Deo per opera bona et voluntatem puram in Domino. Et ita pro mortuis moritur ut nos qui eramus mortui in peccatis, et in delictis necati, ab omni liberaret peccato, remissionemque nobis donaret omnium criminum atque a morte nos revocaret ad vitam. Salus pro infirmis, mortuus est Christus, ut nobis salutem donaret æternam.

In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Nullis ete-

nim meritis hominum Deus Pater dilexit homines : sed sola tantum gratuita misericordia sua in tantum dilexit homines ut unicum filium suum mitteret mori pro peccatis hominum, ne homines amplius moriantur in peccatis, quicunque ejus obedierint præceptis. Et quia per inobedientiam primi hominis Adam moriebantur omnes homines Deo in peccatis : ideo obediens esse dignatus est, Deus ipse filius Dei Domino Patri suo usque ad mortem, ut pro hominum moreretur vita et salute, ut omnibus sibi credentibus vitæ viam aperiret, eosque secum ad æternam et beatam immortalitatem perduceret unde per culpam ceciderant.

Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus invicem diligere. Cum ergo in tantum nos Deus nullis nostris præcedentibus meritis dilexit, ut diximus : cur nos invicem odio habemus, nisi ut diabolo satisfaciamus et Dei voluntati repugnemus? Cur invidia proximi stimulamur, nisi ut ingratam dilectionem nobis faciamus? Cur iracundia et zelo mordemus proximos? nisi ut Dei mandata despiciamus et non Deo sed diabolo nos mancipemus. Et cum hæc ita sint, fratres, omni intentione, omni cautela, omni festinatione, omnique sollicitudine fugere ista et his similia mala debemus, et omni studio per Dei misericordiam devitare : ut æterna possimus supplicia evadere. Meminisse sollicite debemus, quia in tantum nos Deus dilexit, ut filium suum unicum mori mitteret pro nobis : et quia Dei filius etiam mortuus est pro nobis : et quia nihil Deo pro tanta et pro tam inæstimabili pietate sua retribuere digne valemus, nisi ut nos invicem puro corde et casta ac sincera charitate diligamus in Deo non iniquo et noxio amore sæculari. Nihil nostris proximis faciamus quod nobismetipsis fieri nolumus : nihil boni quod nobismetipsis fieri optamus, proximis nostris invideamus ; talibus enim verbis fratres mei cognoscere possumus : quia contra talem facere dilectionem, ut audistis contra Deum facere est, quia Deus est dilectio : Nemo dicat in hominem pecco : quando non diligo fratrem meum : jam si audes fac contra Deum : et noli diligere fratrem tuum. Nam qui non diligit manet in morte : Qui autem diligit inhabitat in eo Spiritus sanctus Deus. *Quia Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo.* Omnis enim qui non diligit Deum alienus est ab eo, et hic est Antichristus, et quamvis intret in basilicam numerari inter filios Dei non potest. Habere enim baptismum et malus esse potest, accipere sacramentum corporis et sanguinis Domini, et malus esse potest. Nam de talibus scriptum est, *qui manducat et bibit indigne judicium sibi manducat et bibit.* Christianus enim vocari, et malus esse potest, habere autem charitatem et malus esse non potest. Hoc est ergo proprium hominibus a Deo donum, ipse est salutaris fons : ad hunc bibendum docet nos Apostolus, ad hunc bibendum nos hortatur Spiritus sanctus, quia *si diligamus invicem Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est,* ipso largiente

A Domino nostro Jesu Christo cui sit laus, honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXVII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore. Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, etc.

Purpuram regii habitus esse colorem marinis e conchulis vinctam nemo fere qui dubitet : nam conchulæ ferro circumcisæ lachrymas purpurei coloris quibus lana tingatur emittunt, byssus vero genus est quoddam lini, nimium candidi et mollissimi : quod Græci papaten vocant. Admonuerat ergo Dominus supra facere, *amicos de mammona iniquitatis, qui*
B *cum ab hac vita defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.* Quod audientes Pharisæi deridebant, verum ille quæ proposuerat exemplis astruens, ostendit ideo divitem purpuratum irremediabiliter apud inferos tortum, quia pauperem Lazarum, a quo in vitæ tabernacula recipi posset amicum sibi facere neglexerat : nonnulli autem putant præcepta Veteris Testamenti districtiora esse, quam novi : sed hi nimirum improvida consideratione falluntur. In illo enim non tenacia sed rapina multatur, ibi res injuste sublata restitutione quadruplici punitur : hic autem dives iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed propria non dedisse ; nec dicitur, quia vi unumquempiam oppressit : sed quia in acceptis rebus, se extulit. Hinc ergo hinc summopere colligendum est :
C qua pœna multandus sit, qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Et sunt nonnulli qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum, quod si videlicet culpa non esset nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives qui torquetur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset : nemo quippe vestimenta præcipua nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur : quam culpam possumus melius etiam e diverso colligere! quia si abjectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista de Joanne vigilanter non diceret, *erat indutus pilis camelorum.* Sed notandum nobis magnopere est in ore veritatis de superbo divite, et de humili paupere, quantus sit ordo narrationis :
D Ecce enim dicitur, *homo quidam erat dives,* et protinus subjungit

Erat quidem mendicus nomine Lazarus. Certe plus solent in populo nomina divitum, quam pauperum sciri. Quid est quod Dominus de paupertate et divite verbum faciens, nomen pauperis dicit, nomen divitis non dicit, nisi quod Deus humiles novit atque approbat et superbos ignorat. Unde et quibusdam de miraculorum virtute superbientibus in fine dicturus est, *Nescio vos,* unde scitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis. At contra Moysi dicitur, Novi te ex nomine : Ait ergo de divite, *Homo quidam,* ait de paupere, *Egenus nomine Lazarus.* Ac si aperte dicat, pauperem humilem scio, superbum divitem

nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per judicium reprobationis ignoro.

Qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis : sed et canes veniebant et lingebant ulcera ejus. Plenus ulceribus mendicus Lazarus ante januas divitis jacet, qua de re una, Dominus duo judicia explevit : habuisset enim fortasse aliquam excusationem dives, si Lazarus pauper et ulcerosus ante ejus januam non jacuisset, si remotus fuisset, si ejus inopia non esset in oculis importuna ; rursus si longe esset dives ab oculis ulcerosi pauperis minorem tolerasset tentationem pauper in animo. Sed dum egenum et ulceratum ante januam divitis et deliciis affluentis posuit, in una eademque re et ex visione pauperis non miserentis divitis cumulum damnationis intulit, et rursum ex visione divitis, tentatum quotidie pauperem probavit, cui certe poterat ad pœnam sufficere paupertas, etiam si sanus fuisset, rursum suffecisset ægritudo, etiamsi subsidium adesset ; sed ut probaretur amplius pauper, simul hunc et paupertas et ægritudo labefecit, atque insuper videbat procedentem divitem obsequentibus cuneis fulciri et se in infirmitate et inopia a nullo visitari : Nam quia nemo ei ad visitandum aderat, testantur canes qui licenter vulnera lingebant, ex una ergo re omnipotens Deus duo judicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante januam divitis jacere permisit, ut et dives impius damnationis sibi augeret ultionem, et tentatus pauper cresceret ad remunerationem.

Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. Sinus Abraham requies est beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, quo post hanc vitam recipiuntur, sepultura inferni pœnarum profunditas quæ superbos immisericordes post hanc vitam devorat.

Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum in sinu ejus ; et ipse clamans dixit : Pater Abraham miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior hac flamma. O quanta sublimitas judiciorum Dei ! quam districte agitur bonorum actuum malorumque retributio ! certe superius dictum est : quia in hac vita Lazarus cadentes micas de mensa divitis quærebat, *et nemo illi dabat*, nunc de supplicio divitis dicitur quia de extremo digito Lazari distillari aquam in ore suo concupiscit. Qui ergo mensæ suæ vel minima dare noluit, in inferno positus, usque ad minima quærenda pervenit : sed notandum valde est, quid sit quod dives in igne positus linguam refrigerari petit. Mos quippe est sacri elogii ut aliquando aliud dicat, sed ex eodem dicto aliud innuat. Superius hunc superbum divitem Dominus non loquacitati vacantem dixerat, sed superflue convivantem, neque hunc de loquacitate narravit, sed cum elatione et tenacia de edacitate peccasse ; sed quia abundare in conviviis loquacitas solet, is qui hic male convivatus dicitur apud inferos gravius in lingua ardere perhibetur. Sed cum gravi valde pavore pensandum est quod sequitur :

Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala ; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Ecce enim cum dicitur, *Recepisti bona in vita tua*, indicatur et dives iste boni aliquid habuisse ex quo in hac vita bona reciperet, rursumque dum de Lazaro dicitur, quia recepit mala, profecto monstratur et Lazarum habuisse malum aliquod, quod purgaretur, sed mala Lazari purgavit ignis inopiæ et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ.

Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Qua in re valde quærendum est quomodo dicatur, ut hi, qui volunt ad vos transire non possint, quia enim hi, qui in inferno sunt, ad beatorum sortem transire cupiant, dubium non est, qui vero jam in beatitudinis sorte suscepti sunt quo pacto dicitur quia transire ad eos, qui in inferno cruciantur, volunt ? Sed sicut transire reprobi ad electos cupiunt, id est, a suppliciorum suorum afflictione migrare, ita ad afflictos atque in tormentis positos transire justorum est, mente ire per misericordiam, eosque velle liberare, sed qui volunt de beatorum sede ad afflictos atque in tormentis positos transire, non possunt, quia justorum animæ quamvis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, jam tamen auctoris sui justitiæ conjuncti tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur. Sed postquam ardenti diviti de se spes tollitur, ejus animus ad propinquos quos reliquerat, recurrit, quia reproborum mentem pœna sua quandoque inutiliter erudit ad charitatem, ut jam tunc etiam suos spiritaliter diligant, qui dum hic peccata diligerent, nec se amabant. Unde nunc sequitur :

Et ait : Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Qua in re notandum, ardenti diviti quanta ad supplicium cumulantur. Ad pœnam namque suam ei et cognitio servatur et memoria. Cognoscit enim Lazarum, quem despexit, fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit. Perfecta quippe ei ultio de paupere non esset, si hunc de retributione non cognosceret. Et perfecta pœna in igne non esset, si non hoc quod ipse patitur suis timeret ; ut ergo peccatores amplius in supplicio puniantur et eorum vident gloriam, quos contempserunt, et de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amaverunt. Credendum vero est, quod ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos conspiciunt, ut eos videntes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Justi vero in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod mi-

misericorditer evaserunt. Tantoque majores ereptori A suo gratias referant quanto vident in aliis quod ipsi perpeti si essent neglecti potuerunt, quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint.

Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas, audiant illos. Sed qui verba Dei despexerat hoc audire non posse suos sequaces æstimabat, unde respondit dives :

Non, Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Cui mox veraci sententia dicitur :

Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Quia nimirum qui verba legis despiciunt, redemptoris præcepta qui ex mortuis surrexit quanto minus implebunt, tanto hæc B difficilius, et nimirum constat, quia cujus implere dicta renuunt : ei procul dubio credere recusant. Inter hæc notandum est, quod ei dicitur, *memento, fili,* ecce enim Abraham filium vocat quem tamen a tormento non liberat, quoniam hujus infidelis populi præcedentes patres fideles quia multos a sua fide deviasse considerant, eos nulla compassione a tormentis eripiunt, quos tamen per carnem filios recognoscunt. In tormentis autem dives positus quinque fratres habere se perhibet, quia superbus isdem Judaicus populus qui ex magna parte damnatus est, sequaces suos, quos super terram reliquit, quinque sensibus corporis deditos novit. Quinario ergo numero fratres quos reliquerat exprimit : quia eos ad spiritalem intelligentiam non assurgere in inferno C positus gemit. Petit ut ad eos Lazarus mittatur, cui quod Moysen et prophetas habeant dicitur. Sed ut quod non credunt nisi quis ex mortuis resurrexerit. Cui protinus respondetur : *Si Moysen et prophetas non audiunt nec si quis ex mortuis resurrexerit credent ei.* Certe de Moyse Veritas dicit : *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi,* de me enim ille scripsit. Impletur ergo quod per Abrahæ responsionem dicitur, ex mortuis enim Dominus resurrexit, sed Judaicus populus quia Moysi credere noluit, ei etiam qui resurrexit ex mortuis credere contempsit. Cumque Moysi verba spiritualiter intelligere renuit, ad eum de quo Moyses locutus fuerat non pervenit. Nam Moyses de Domino nostro Jesu Christo auditoribus suis ita pronuntiavit dicens : *Prophetam vobis* D *suscitabit Dominus de fratribus vestris tanquam me, ipsum audietis.* Unde adhuc scriptum est, *et quicunque non audierit prophetam, illum exterminabitur de populo suo,* quia ipse est Dominator cœli et terræ, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN NATALI SANCTORUM NABORIS ET NAZARII.

Lectionem et Evangelium require in natali sanctorum plurimorum.

Lectio Epistolæ B. Petri apostoli.

Benedictus Dominus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, etc.

HOMILIA LXXVIII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ B. Pauli apostoli ad Colossenses.

Fratres, mortificate membra vestra quæ sunt super terram, etc.

Quia immortales post resurrectionem effecti peccare ultra non poterimus, mortales vero sequitur ut peccent. Sicuti ergo ex diversis membris peccatorum compositum mortalem hominem supponit propter quod et mortales talia agere possint, nam quod dixit, *membra quæ sunt super terram,* ut dicat actus pravos quos solent mortales sequi. Mortificatis ergo istis membris resurgimus in fide prius. Quomodo autem præcedit mors secundum spiritum resurrectionem, quæ est secundum spiritum, sic præcessura est mors secundum carnem resurrectionem, quæ futura est secundum carnem.

Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. Neque enim beatus Apostolus ad abscissionem manuum aut pedum aut genitalium immiti nos præceptione compellit, sed corpus peccati et quæ sit ejus destructio consequenter exponit. *Ut jam,* inquit, *non serviamus peccato,* a quo etiam se liberari cum ejulatu postulat dicens, *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur exstructum, et ad ejus attinet portionem quidquid et facto et dicto vel cogitatione peccatur. Notandum quod idolorum culturam avaritiam vocavit, quasi quæ a similitudine Dei eos possit divellere. Nec enim possibile est ut quis se a pravis negotiis abstineat, qui plus habendi cupiditate tenetur, ideo avaritiam idolorum servituti comparat. Neque hoc silendum arbitror, quod sicut fornicationis genera sunt tria, quod per commistionem sexus utrumque perficitur secundum quod absque femineo tactu pro quo Jeremiæ patriarchæ Judæ filius a Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur : super quo Apostolus, dico, inquit innuptis et viduis, *bonum est illis si sic permanserunt sicut ego. Quod si se non continent nubant, melius est enim nubere quam uri,* tertium quod animo ac mente concipitur de quo Dominus in Evangelio, *qui viderit,* ait, *mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est eam in corde suo.* Ita philargyriæ genera sunt tria : primum quod renuntiantes divitiis a facultatibus suis spoliari non sinit, secundum quod ea quæ a nobis dispersa sunt, vel indigentibus distributa, resumere nobis majore cupiditate persuadet : tertium quod ea quæ ne antea quidem possidebamus desiderari et acquiri compellit ; et ut ostenderet quomodo non potest quis ista sine noxa facere, *propter quæ,* inquit, *venit ira Dei super filios diffidentiæ,* non solum peccare nos absurdum est, sed et resurgentes si deliquerimus

pœnam necessariam expectabimus, in quibus et vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis, dudum quidem agebantur a vobis quando cum præsenti vita totam spem vestram demetiebamini, nihil amplius exspectantes.

Nunc autem deponite et vos omnia, jam ultra secundum illa vivere vos non convenit qui maxime in immortalitate eritis, in qua consistere nunc forma existimamini. Sed discedendum est nobis ab his omnibus, et deponere debemus *iram*, *indignationem*, *malitiam*, *blasphemiam*, *turpem sermonem de ore nostro*. Sciendum autem quod iræ tria sunt genera, unum quod exardescit intrinsecus, aliud quod in verbum et opus effectumque prorumpit, quod odium nuncupatur, de quibus et Apostolus, *nunc autem deponite*, inquit, *et vos omnia*, *iram et indignationem*; tertium quod non ut illa fervens ad horam digeritur, sed per dies et tempora reservatur quod anni centum dicitur, quæ omnia æquali sunt a nobis horrore damnanda. Quapropter si illam summam divini præmii cupimus adipisci de quo dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, non solum hæc e nostris actibus amputanda est, sed etiam de intimis animæ radicitus exstirpanda.

Nolite mentiri invicem. Non dixit alterutrum, sed invicem, hoc enim vult dicere, quoniam non est justum ut cum simulatione vobis narretis, sed sincera mente. Et quoniam membra nominavit, actus seipsum sequentes adjicit.

Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus. Ex integro, inquit, convenit vos mortalem deponentes hominem, deponere etiam et actus consequentes illum.

Et induite novum, eum qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum. Consentanea agere debetis huic novo, quem induti estis, renovati et facti secundum imaginem ejus, qui istius recreationis nobis auctor exstitit, ut dicamini Christiani: Itaque inconvertibiles manere vos in bono per omnia convenit, hoc enim vobis in futuro aderit pro possibilitate in præsenti vita. Deinde et ostendens hujus recreationis bonum, inquit:

Ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. At ubi, inquit, in illa transformatione constiterimus, ultra non erit discretus Judæus et gentilis, nam circumcisionis et præputii discretio interempta est, eo quod immortales sumus effecti, ita ut neque barbarus, neque liberi, neque servi possint ulterius perspici, Christo in omnibus apparente, ad cujus similitudinem immortalitate potiemur, præstante ipso omnium bonorum largitore, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXIX.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere, etc.

Postquam hortatus est audientes, ut se præpararent ad omnia sustinenda pro veritate atque justitia, et non absconderent bonum, quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent ut cæteros docerent non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona sua opera referentes, incipit eos informare et docere quid doceant, tanquam si quærerent dicentes: *Ecce volumus omnia sustinere pro tuo nomine et doctrinam tuam non abscondere*. Sed quid est hoc ipsum quod vetas abscondi, et pro quo jubes omnia tolerari: nunquid aliud dicturus es contra ea quæ in lege scripta sunt: *non*, inquit, *nolite* enim *putare quoniam veni solvere legem aut prophetas. Non veni solvere sed adimplere*. In hac enim sententia sensus duplex est, et secundum utrumque tractandus est. Nam qui dicit, *non veni solvere legem*, *sed adimplere*, aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet. Ergo prius consideremus quod primo posui. Nam qui addidit quod minus habet non utique solvit quod invenit, sed magis perficiendo confirmavit. Sive ergo ea quæ de se prophetata sunt complere venit inhumanatus, sive illa quæ antea propter infirmitatem audientium rudia et imperfecta fuerant complere, iram tollens et vicem talionis excludens et occultam in mente concupiscentiam habere prohibens.

Amen, quippe, *dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege donec omnia fiant*. Promittuntur cœli novi et terra nova quæ facturus est Dominus Deus, si enim nova creanda sunt, consequenter hæc erunt transitura. Quod autem sequitur, *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege donec hæc omnia fiant*, ex figura litteræ ostenditur quod etiam quæ minima putantur in lege sacramentis specialibus plena sunt, et omnia recapitulantur in Evangelio. Inter litteras ergo, Iota minor est cæteris, quæ uno dicto fit, apex autem etiam ipsius est aliqua in summa particula, quibus verbis ostendit in lege ad effectum etiam minima quæque produci. Apte autem Iota Græcum et non Ioth Hebræum posuit, quia Iota in numero X significat, et decalogum legis enumerat, cujus quidem apex et perfectio est Evangelium.

Qui, ergo, *solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*. Itaque nec minima quidem mandatorum Dei, nisi cum piaculo Dei constituti esse solvenda, futuros minimos, id est novissimos ac pœne nullos denuntians minima solventes. Nulla autem his minora possunt esse, quæ minima sunt, minimum est autem omnium, Domini passio et crucis mors, quam si quis tanquam erubescendam non confitebitur, erit minimus, confitenti vero magnæ in cœlo vocationis gloriam pollicetur. Aliter autem suggillat Pharisæos hoc capitulo, qui contemptis mandatis Dei statuerunt proprias traditiones quod non eis prosit doctrina in populis, si vel parvum quod in lege præceptum est destruant. Mandata ergo minima significantur per unum Iotam aut unum apicem, sicut supra osten-

sum est; *qui ergo solverit et docuerit sic*, id est, secundum id quod solvit, non secundum id quod invenit et legit, *minimus vocabitur in regno cœlorum:* ubi nisi magni esse non possunt. Potest et hoc moraliter accipi; solvit autem mandatum Dei is qui non implet, quanquam non in mandato solutionem faciat, sed in semetipso, firmum est enim Dei mandatum et potest solvi scriptura, lex ergo quodammodo ligatio est, qui autem ligationes Dei excidit, ipse mandata solvit, in semetipso et non in ipsis. Talis quidem ille minimus vocabitur in regno cœlorum: quia despectissimus est in Ecclesia sanctorum. Nam et regnum cœlorum hic præsentem Ecclesiam significat, sicut et alibi, ubi scriptum est: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare;* et *Regnum Dei intra vos est.* Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; in faciendo enim legis mandata magni nomen meretur ille qui docet quia *non doctores, nec auditores, sed factores legis justificabuntur apud Deum.* Quibus merces etenim ab ipso bonorum omnium largitore in futuro retribuetur, Domino videlicet Jesu Christo qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXX.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Impossibile est ut non veniant scandala: væ autem illi per quem veniunt, etc.

Dicit et Apostolus, *Oportet autem et hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Impossibile ergo in hoc mundo erroribus ærumnisque plenissimo scandala sæpissime non venire, *sed væ illi*, qui quod impossibile est non venire suo vitio facit, ut per se veniat ubi quamvis generali sententia vel aliquis falsus frater, vel ipse Judas qui proditioni animum præparabat intelligi queat, tamen juxta consequentiam sermonis hic locus ad superiora respicit, ubi Dominus de eleemosyna danda locutus a Pharisæis irridetur. Qui enim recta loquentem vituperat, scandalum profecto, id est, offendiculum et ruinam auditoribus præbet infirmis, maxime si et ipse cum Pharisæis legis videatur habere scientiam. Quem increpans Apostolus ait, *et peribit infirmus in tua scientia frater propter quem* Christus *mortuus est.*

Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. Secundum morem provinciæ loquitur, quod majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur, et revera utilius est innoxium pœna quamvis atrocissima, temporaria tamen, vitam finire corpoream quam fratri nocentem mortem animæ mereri perpetuam. *Attendite vobis, si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Tale quid et in Deuteronomio legimus, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Quo igitur ordine scandala declinare, et væ perpetuum vitare possimus insinuat, si nos videlicet ipsos ne quem lædamus attendimus, si peccantem cœlo justitiæ corripimus, si ex corde pœnitenti misericordiæ pietatisque viscera pandimus.

Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. Septenario numero non veniæ dandæ terminus ponitur, sed vel omnia peccata dimittenda vel semper pœnitenti dimittendum præcipitur. Solet etenim sæpe per septem cujuscunque rei aut temporis universitas indicari, unde et in psalmo canitur: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Et dixerunt apostoli ad Dominum: Adauge nobis fidem. Dixerat super Dominus, *qui fidelis in minimo et in majore fidelis est*, et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Et ideo Apostoli qui in alieno ac minimo, hoc est, in terrenorum contemptu jam fuere fideles, in suo sibi ac majore fidem postulant augeri.

Dixit autem Dominus: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro: Eradicare et transplantare in mare, et obediret vobis. Fidem perfectam grano sinapis comparat, quæ sit videlicet et ad faciem humilis et in pectore fervens, vilis quidem passim contuentibus nullarumque virium apparens, sed pressuris attrita quid intus gerat ostendens. Sed et notandum quod granum sinapis ad purgationem capitis saluberrime prodest, nam si optime tritum et cribellatum tepide pingui mulso admisceas, et hoc jejunus contra solem calidum vel in balneo gargarizes, omnem humorem noxium, etiam si crassior fuerit, de capite purgat et imminentium quoque imbecillitatum facit pericula vitari. Sic profecto fides tentationum pistillo probata, ab omni levium cogitationum superficie cribo discretionis castigata, et perfectæ dilectionis melle dulcorata omnes de corde, quod est interioris nostri hominis caput, vitiorum sentinas, non solum ad præsens exhaurit, sed et in futurum ne recolligi valeant præcavet. Arbor autem morus eradicanda et in mare transplantanda vel simpliciter posita potest intelligi, quod videlicet consummatæ fidei indicium sit verbo elementis imperare, ut quod de uno specialiter dictum est, hoc generaliter de omnibus sentiendum credatur.

Quis autem vestrum, habens servum arantem aut pascentem? Hæc parabola docet ut fides quo virtutibus foris excellentior, eo in ipsa conscientia fiat intus humilior. Servus quippe arans aut pascens, quilibet Ecclesiæ doctor intelligitur, de quo Dominus ait: *Nemo mittens manum suam in aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei.* Et alteri sese amare testanti, tertio respondit: *Pasce oves meas.*

Qui regresso de agro dicet illi: Statim transi, recumbe; et non dicet ei: para quod cœnem. Serius de agro regreditur cum intermisso ad tempus opere prædicandi, ad conscientiam doctor recurrit, atque a publico locutionis ad curiam cordis rediens sua secum secretus, acta vel dicta retractat. Cui non

statim Dominus *transi, recumbe* dicit, id est, transi de hac vita mortali et in æternæ vitæ beata sede refovere. Hæc enim postea dicturus interim post pastum atque agriculturam domi sibi jubet parare quod cœnet, hoc est post laborem apertæ locutionis, humilitatem quoque propriæ considerationis exhibere.

Et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam. Præcingi est, mentem humiliatam ab omnibus fluctuantium cogitationum sinibus, quibus operum gressus impedire solet constringere, nam qui vestimenta præcingit, hoc agit utique ne incedens involvatur ad lapsum, ministrare vero Deo est minimum se per omnia et absque gratiæ ejus auxilio nihil virium habentem profiteri. Minister enim a minore statu, id est, subjectione, sicut et Magister a majori vocabulum sumpsit. Ministrat ergo conditori, qui ejus naturam considerans ejusque judicia pertimescens, de suis se virtutibus humiliat.

Et tu posthæc manducabis et bibes. Postquam, inquit, ipse tuæ prædicationis opere delectatus, tuæque compunctionis epulis fuero refectus, tunc demum tu transeas et recumbes, æternisque meæ sapientiæ dapibus in æternum reficieris.

Nunquid gratiam habet servo illi qui fecit quæ sibi imperaverat? non puto. Sic et vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Si homo, inquit, ab homine servo non uniforme sed multiplex ministerium exigit, nec tamen ei gratiam habet, quanto magis vos, qui sine me nihil potestis facere, non temporum longitudinem et laborum merita pensare debetis, sed amore et famulatu spontaneo novis semper studiis augere priora. Itaque dicite, *servi inutiles sumus. Servi* quidem qui pretio empti estis, *inutiles* vero quia Dominus bonorum vestrorum non indiget.

Quod debuimus facere, fecimus. Revera debuimus, quia qui non venit ministrari, sed ministrare, debitores sibi nos fecit ne nostris videlicet operibus confidentes, sed de ejus semper examine paventes, cum propheta dicamus: *Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis?* Dabit enim ille in futuro judicio unicuique mercedem condignam, bonis videlicet vitam æternam et malis pœnam perpetuam. Cui sit laus, honor et potestas in omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXI.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Joannis apostoli.

Charissimi, nolite mirari si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, etc.

De humanitate erga proximos et de cavendo odio, præsenti lectione admonemur ut audistis dilectissimi nobis; *nolite mirari*, inquit, *si odit vos mundus*: mundi enim nomine in Scripturis sæpissime amatores mundi dicuntur; *nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Per
A magnam Domini nostri Jesu Christi clementiam translati sumus, per ejus passionem et mortem atque resurrectionem de morte et potestate diaboli ad liberam Domini nostri Dei servitutem, de tenebris æterni supplicii ad beatitudinis æternæ gaudia sumus perducti; et hoc in nostra situm est potestate, utrum mortem eligamus, an vitam. Mortem eligimus si in odio proximi et in amore persistimus mundi. Vitam ergo eligimus si Deum toto corde, tota mente totaque virtute diligimus et proximos nostros sicut nosmetipsos.

Qui non diligit, manet in morte. Redeat unusquisque ad cor suum, si ibi inveniet charitatem, id est dilectionem Dei et proximi puram, securus sit, quia transivit de morte ad vitam. Ne ergo putetis, fratres,
B leve esse odisse aut non diligere fratrem, audite quod sequitur:

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Jam enim si continebit quis odium fraternum, nunquid homicidium in corde suo contemnit? quamvis enim manus non moveat ad occidendum hominem, per odium proximi jam ut homicida reus est ante Deum. Vivit ille et iste jam interfector judicatur: quia si non proximum, tamen seipsum et animam suam occidit in odio vel invidia proximi sui.

Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum: et ubi odium vel invidia manet, non habet locum ibi charitas, quæ Deus est, nisi per longam benignitatem, humanitatem
C proximi, per confessionem et pœnitentiam emendet: nam ubi non est charitas, id est, ubi Spiritus sanctus in corde hominis locum non habet, diabolum habet habitatorem. Quapropter, dilectissimi, abjicite de cordibus vestris odium et invidiam, quæ præparant in vobis diaboli mansionem. Estote benigni erga proximos et diligite eos et Spiritui sancto per confessionem et pœnitentiam puram, dignum in cordibus vestris habitaculum per opera misericordiæ præparate.

In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas nostras ponere. Exemplum enim Christi et apostolorum nos imitari oportet ut doctrina vel prædicatio nostra operibus comprobetur; nihil enim
D turpius quam si bonum quod quisque prædicat, explere opere negligat: tunc enim prædicatio utiliter profertur quando efficaciter adimpletur. Proinde sacerdotes nullius hominis inimicitias formidare habent, sed oppressores pauperum, et potentes inique agentes palam debent arguere atque ad indulgentiam inopum et ad sui emendationem sollicite provocare. Quod si arguunt, in charitate Dei et proximi fideles probantur existere. Sed si qui contra divites inique agentes non se ad corrigendum erexerint sacerdotes, mercenarios se, non pastores esse, demonstrant, et a Dei charitate extraneos, quia vident lupum venientem et fugiunt, dum malos redarguere metuunt. Et pro aliorum iniquitate damnantur, si

eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non A arguunt.

Qui autem habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Si enim nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri, jam percutiat viscera tua charitas: et non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ, ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non curas dare fratri tuo, animam tuam quomodo poteris ponere pro fratre tuo? Jacet pecunia in sinu tuo, quam fures tibi auferre possunt, et si illam non auferunt fures, moriendo illam deseris, etiamsi te illa viventem non deserat. Quid inde facturus es? esurit frater tuus, in necessitate positus est, non habet ipse, B tu habes. Considera enim quod simul estis empti, unum est pretium vestrum amborum. *Christi enim sanguine redempti estis.* Quomodo enim te Christianum esse gloriaris, si opera Christi non feceris? nihil enim tibi prodest Christianum nomen si operibus te christianum esse non probaveris.

Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate: præstante Domino nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto Deus vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus similitudinem hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos. C *Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent quia jam parata sunt omnia,* etc.

Quis est iste homo, nisi ille de quo per prophetam dicitur, *et homo est et quis cognoscit eum*, qui fecit cœnam magnam quia satietatem nobis internæ dulcedinis præparavit. Qui vocat multos, sed pauci veniunt. Quia nonnunquam ipsi qui ei per fidem subjecti sunt, æterno ejus convivio male vivendo contradicunt. *Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.* Quid hora cœnæ nisi finis est mundi? in quo nimirum nos sumus? sicut jam dudum Paulus testabatur dicens: *nos in quos fines sæculorum devenerunt.* Si ergo jam hora cœnæ est, cum vocamur, tanto minus debemus excusare nos a convivio Dei quanto D propinquasse jam cernimus finem sæculi. Idcirco autem hoc convivium Dei non prandium, sed cœna nominatur, quia post prandium cœna restat, post cœnam vero convivium nullum restat, et quia æternum Dei convivium vobis in extremo præparabitur: rectum fuit ut hoc non prandium, sed cœna vocaretur. Sed quis per hunc servum qui a patrefamilias ad invitandum mittitur nisi prædicatorum ordo signatur? Ad repellendum autem fastigium nostrum *jam parata sunt omnia*, quia ad abstergendum mentis nostræ torporem in cœna Dei ille nobis singularis agnus occisus est, qui tulit peccata mundi.

Et cœperunt omnes simul excusare. Offert Deus quod rogari debuit. Non rogatus dare vult quod vix sperari poterat ut dignaretur largiri postulatus et tamen contemnitur. Paratus delicias refectionis æternæ denuntiat, et tamen simul omnes excusant. Sed dicunt aliqui, excusare nolimus, ad illud enim supernæ refectionis convivium et vocari et pervenire gratulamur. Qui verum profecto dicunt si non plus terrena quam cœlestia diligunt, si non amplius rebus corporalibus quam spiritualibus occupantur. Unde hic quoque ipsa excusantium causa subjungitur, cum protinus subinfertur:

Primus dixit ei: Villam emi, et necesse habeo exire et videre illam; rogo te, habe me excusatum. Quid per *villam* nisi terrena substantia designatur? exit ergo videre illam qui sola exteriora cogitat propter substantiam.

Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te habe me excusatum. Quid in *quinque jugis boum* nisi quinque corporis sensus accipimus? qui recte quoque juga vocati sunt quia in utroque sexu geminantur. Qui videlicet corporales sensus, quia comprehendere nesciunt interna, sed sola exteriora cognoscunt, et deserentes intima, ea quæ extra sunt tangunt, recte per eas curiositas designatur. Grave namque curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius dicit, semper ei sua intima abscondit. Sequitur *rogo te habe me excusatum.* Dum enim dici rogo, et tamen venire contempsit, humilitas sonat in voce, superbia in actione. Et ecce hoc dijudicat pravus quisque cum audit, nec tamen ea quæ dijudicat agere desistit.

Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire. Quid per *uxorem* nisi voluptas carnis accipitur? nam quamvis bonum sit conjugium, atque ad propagandam sobolem providentia divina constitutum, nonnulli tamen non per hoc fecunditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis, et ideo per rem justam significari potest non incongrue res injusta. Ad cœnam nos ergo æterni convivii summus paterfamilias invitat, sed dum hunc terrena cura occupat, illum alieni actus sagax cogitatio devastat, alterius etiam mentem voluptas carnis inquinat, fastidiosus quisque ad æternæ vitæ epulas non festinat.

Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos, introduc huc. Ecce qui terrenæ substantiæ plus justo incubat, venire ad Dominicam cœnam recusat. Qui labori curiositatis insudat, præparata vitæ alimenta fastidit. Qui carnalibus desideriis inhæret, spiritalis convivii epulas respuit. Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur. Cur hoc? quia, juxta Pauli vocem, *infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Pauperes autem et debiles dicuntur qui judicio suo apud semetipsos infirmi sunt. Nam pauperes et quasi fortes sunt, qui et po-

siti in paupertate superbiunt. Cæci vero sunt qui nullum ingenii lumen habent: claudi quoque qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum morum vitia in membrorum debilitate signantur, profecto liquet quia sicut illi peccatores fuerunt qui vocati venire noluerunt, ita hi quoque pauperes sunt, qui invitantur et veniunt, sed peccatores superbi respuuntur et peccatores humiles eliguntur. Sed deductis ad cœnam pauperibus, quid puer subjungat audiamus:

Domine, factum est ut imperasti et adhuc locus est. Multi tales ad Dominicam cœnam ex Judæa collecti sunt. Sed multitudo quæ ex Israelitico populo credidit, locum superni convivii non implevit, intravit autem jam frequentia Judæorum, sed adhuc locus vacat in regno ubi suscipi debeat numerositas gentium. Unde et eidem servo dicitur:

Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Cum de vicis et plateis ad cœnam Dominus invitat, illum videlicet populum designat, qui tenere legem sub urbana conversatione noverat; cum vero convivas suos colligi ex viis et sepibus præcipit, nimirum agrestem populum colligere, id est, gentilem quærit. Notandum vero quod in hac invitatione tertio non dicitur *invita*, sed *compelle intrare*. Nam sunt nonnulli qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt, his, ut superius diximus, plerumque contingit ut eos in carnalibus desideriis suis mundi hujus adversitas feriat, sæpe namque aut longa ægritudine tabescunt, aut afflicti injuriis concidunt, aut percussi gravioribus damnis affliguntur, seque ipsos in suis desideriis reprehendentes ad Dominum corda convertunt. Qui ergo hujus mundi adversitatibus fracti ad Dei amorem redeunt, atque a præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid isti nisi compelluntur ut intrent? sed valde est tremenda sententia, quæ protinus subinfertur. Ait enim:

Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Ecce per se vocat, per angelos vocat, per patres vocat, per prophetas vocat, per apostolos vocat, per pastores vocat, plerumque per miracula vocat, plerumque per flagella vocat, aliquando per hujus mundi prospera vocat, aliquando per adversa, nemo contemnat ne dum vocatus excusat, cum voluerit intrare non valeat.

HOMILIA LXXXIII.

FERIA IV.

Lectio libri Sapientiæ.

In diebus illis dixit Salomon filiis Israel: Diligite justitiam qui judicatis terram.

Admonet sapientia divina præpositos populi Dei quibus judicandi data est potestas, ut justitiam diligant et æquitatem in judicio conservent. Alias potest hæc sententia ad omnes generaliter pertinere, qui ratione vigent et intelligibilem mentem habent; ut terram, hoc est carnem suam, judicantes justitiam diligant, scilicet ut non faciant carnis curam in concupiscentiis, sed spiritus imperio illam subjicientes virtutibus, quibus anima nutritur, maxime operam impendant deinde corpori suo secundum necessitatem et non secundum voluptatem consulant, recolentes semper illam sententiam legis: *Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. In bonitate autem de Domino sentit qui sanctam Scripturam secundum pietatem legit atque intelligit. Et in simplicitate cordis eum quærit qui humiliter ejus voluntati se subjicit ad custodiendum videlicet mandata ipsius. Nam qui pie Deum quærit honorat sanctam Scripturam et non reprehendit quod nondum intelligit et propterea non resistit. Quod est mitem esse de quo in Evangelio ait: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.*

Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum. Periculosum est enim humana præsumptione Deum tentare, cum scriptum sit, *Non tentabis Dominum Deum tuum*, sed salubre est fide recta illum honorare, quia justus ex fide vivit.

Perversæ enim cogitationes separant a Deo, probata virtus corripit insipientes. Manifestum est quod omnis cogitatio impia et prava voluntas nullo modo jungatur Deo; non concordet summo bono, *quia non est societas lucis ad tenebras, nec conventio Christi ad Belial.* Ubi autem bona intentio et studium sacrarum virtutum inerunt cordi, insipientium semper vitia reprobant atque arguunt errores, unde necesse habent amatores veræ sapientiæ ut mundent sua corda et totam intentionem animi in affectum vertant conditoris sui.

Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Huic testimonio Jacobus apostolus paria sentiendo in Epistola sua scripsit dicens: *Nunquid potest, fratres mei, ficus olivas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens et disciplinatus inter vos, ostendat bonam conversationem in mansuetudine sapientiæ. Quasi zelum amarum habetis et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem, non est ista sapientia de sursum descendens* a Patre luminum, *sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum*, nequaquam enim in malevolam mentem vera sapientia intrat, nec in facinoroso homine habitare poterit.

Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Unde Manichæum, Arium et Eunomium cæterosque hæreticos dogmata sua erroribus plenissima sine Spiritus sancti gratia condidisse, certissimum constat; quia spiritus Domini bonus semper deducit in viam rectam, malignus autem spiritus seducit et

secutores suos in laqueum perditionis æternæ secum trahit, de quo et subditur :

Corripietur superveniente iniquitate. Quia cum retributionis tempus advenerit, omnes impii et peccatores pro iniquitatibus suis pœnam recipient perpetuam.

Benignus est enim spiritus sapientiæ et non liberabit maledictum a labiis suis, quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator verus, et linguæ illius auditor. Hæc sententia destruit errorem eorum qui sicut bonas cogitationes a Deo nobis constat inspirari. Ita etiam malas ipso instigante putant in nostra mente generari. Cum nullo modo Deus qui summe bonus est et omnes homines vult salvari, atque ad agnitionem veritatis pervenire, necessitatem mali verbi aut pravi actus alicui imponat, per quæ perire possit. Sicut Jacobus apostolus ostendit dicens : *Nemo ergo cum tentatur dicat quod a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse enim neminem tentat.*

Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum. Spiritus ergo sanctus, qui in primordio creaturarum invisibili potentia ferebatur super aquas, majestate sua omnem implet et continet creaturam, sine dono virtutis suæ replet orbem Ecclesiæ in qua quotidie universis sui ostendit largitatem : inde est quod subjungitur :

Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Quia, ut Paulus ait, *Alii per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu. Alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Hæc enim omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Qui cum Patre et Filio vivit et regnat unus Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXIV.

ITEM FERIA IV.

Lectio Isaiæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus : Audi, Jacob serve meus, et Israel, quem elegi, faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus, etc.

Nunc cum prophetica lectio legeretur, audistis, fratres charissimi, Israeliticum populum ad fidem incitantem et bona spiritalia eis promittentem prophetam atque dicentem : *Audi, Jacob serve meus, et Israel, quem elegi.* Bene enim servum prius et postea nominavit electum, quia propter servitium sancti nominis Dei electionem quisque merebitur ante Deum ut justus efficiatur, ac deinde cum quis vitia et peccata supplantat et Domini sui voluntatem sequitur ut Jacob supplantator interpretatur, tunc postremo Israel, quod est vir videns Deum, recte dici potest, qui jam ad æternam Dei visionem bonis festinat operibus, *faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus*, quia in principio nascentis Ecclesiæ omnes credentes et præceptis meis obedientes de persecutorum manibus conservavi, et a crudelitate sævientium eum. *Quia ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Quia misericors sum et multarum miserationum, delebo omnes iniquitates tuas in aspersione sanguinis mei ; quem pro totius mundi fundam redemptione :* delens chirographum maledictionis, quod Adam meruit in paradiso transgressione præcepti, quod contra humanum genus scriptum erat, *et peccatorum tuorum ultra non recordabor.* O plebs fidelis, quæ tibi si in me recte ac sincere credideris in baptismate dimissurus sum. Deduc me in memoriam et judicemus simul, narra si quid habes ut justificeris. Vide simul et recogita ea quæ passus es non immerito sustinere, quia peccata multa quæ gessisti hoc tibi promerebantur, ut tanto tempore sub potestate diaboli jaceres ; cui tanto tempore deseruisti me derelinquens, et præcepta mea quasi nihil contemnens. Sed et nunc scito me misereri tui non ob meritum tuum, sed propter meam tantum clementiam.

Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi. Nunc quia conversus a malitia tua, idola vana muta quæ non profuerunt tibi dereliquisti, et ad me per pœnitentiam scelerum conversus, et supplicando et deserendo vitia et peccata, electus meus vocaberis, quia jam es mea secutus præcepta.

Effundam enim aquas super sitientem. Qui sitit fontem salutaris doctrinæ, effundam super eum per ora sanctorum doctorum in Ecclesia, vel etiam fontem baptismatis effundam super fideles ut emundentur ab omnibus sceleribus suis, et remissionem omnium percipiant peccatorum, et fluenta Evangelicæ doctrinæ effundam super corda arida, quæ nunc usque ad baptismum nullum fructum boni operis protulerunt.

Et effundam de spiritu meo super semen tuum, et benedictionem meam super generationem tuam, dicit Dominus omnipotens. Ac si diceret, quia per manus impositionem sanctorum meorum sacerdotum post baptismi sacramentum, effundam super filios meos quos mihi sponsa Ecclesia parturivit, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et adimplebo eos spiritu timoris et amoris mei, et hæreditabo eos in benedictione perpetua qui meis fideliter obedire præceptis curaverint ; agnoscat ergo catholicus Christianus fructus operis sui, quia et nihil sunt bona quæ fecerat, nisi de sancti Spiritus irrigatione processerint. Unde dicit Apostolus, nullas homini proficere virtutes sine charitate. Idemque dicit charitatem Dei diffusam esse *in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Cavendum est ergo ne forte bona quæ facimus elatione perdamus. Nam omni se merito despoliat qui de studiis industriæ suæ in se magis quam Domino gloriatur. Nam sunt enim et nostra unde nos gloriari vult mundus, cum suis amatoribus periturus, quæ omnimodis repudiare debemus, ut bona conscientia de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono Dei et promissione futuri regni ineffabiliter gloriemur. per Jesum Christum

Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXV.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore accedentes discipuli ad Jesum dixerunt illi : Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant et inveniant escas, etc.

Die declinata turbas Salvator reficit, quia vel fine sæculorum propugnante, vel cum sol justitiæ pro nobis occubuit, spiritalis inediæ fuimus tabe salvati.

Ait autem ad illos : Vos date illis manducare. Provocat apostolos ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus magnitudo signi notior fiat : simul insinuans, quia per eos quotidie jejuna nostra sunt corda pascenda. Quid enim aliud Petrus cum per epistolas loquitur, nisi ut verbi pabulo corda nostra male jejuna satientur? Quid Paulus? Quid Joannes per epistolas loquentes operantur, nisi ut mentes nostræ cœlestia alimenta percipiant, et inediæ suæ fastidium quo moriebantur vincant? *At illi dixerunt : Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces.* Nondum erant apostolis plus quam quinque panes Moysaicæ legis et duo pisces utriusque testamenti, quæ diutius abdito mysteriorum latentium quasi nullis abyssi tegebantur atque alebantur occulta.

Erant autem fere viri quinque millia. Quia quinque sunt exteriores hominis sensus, quinque millia viri Dominum secuti ; designant eos qui in sæculari adhuc habitu positi exterioribus quæ possident bene uti noverunt : qui recte quinque panibus aluntur, quia tales necesse est legalibus adhuc præceptis institui. Nam qui mundo ad integrum renuntiant, et quatuor sunt millia et septem panibus refecti : hoc est et Evangelica perfectione sublimes, et spiritali sunt gratia docti. Cujus significandæ distantiæ causa, mystice reor in introitu quidem tabernaculi quinque columnas deauratas, ante oraculum vero, id est, Sancta sanctorum quatuor fieri jussas, quia videlicet incipientes, per legem castigantur ne peccent ; perfecti autem per gratiam, ut devotius Deo vivant admonentur.

Ait autem ad discipulos suos : Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. Et ita fecerunt. Diversi convivantium discubitus diversos per orbem conventus Ecclesiarum quæ unam catholicam faciunt designant. Qui bene non solum quinquageni, sed attestante Marco, etiam centeni discubuerunt : nam quia quinquagesimus pœnitentiæ psalmus est, centenarius autem numerus de læva transit in dextra. Quinquageni ad convivium Domini discumbunt, quia adhuc in pœnitentia commissorum positi verbi auditum percipiunt : centeni autem quia jam præsumpta veniæ spe de solo vitæ æternæ desiderio suspirant.

Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in cœlum et benedixit illis : et fregit et distribuit discipulis suis ut ponerent ante turbas. Et manducaverunt omnes et saturati sunt. Turbis esurientibus Salvator non nova creat cibaria, sed acceptis his quæ habuerant discipuli, benedixit, quia veniens in carne non alia quam prædicta sunt prædicat ; sed prophetiæ dicta mysteriis gratiæ gravida demonstrat. Respicit in cœlum, ut illuc dirigendam mentis aciem, ibi lumen scientiæ doceat esse quærendum ; frangit et ante turbas ponenda distribuit discipulis : quia clausa legis et prophetiæ sacramenta eis quæ per mundum prædicent patefacit, largitor omnium bonorum Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVI.

FERIA VI.

Lectio Joelis prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus : Exsultate, filiæ Sion, et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio. Et implebuntur horrea frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca ; fortitudo mea magna, quam misi in vos. Et comedetis vescentes et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia ; et non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum : et ego Dominus Deus vester, et non est amplius, et non confundetur populus meus in æternum.

Dedit, inquit, vobis Deus Pater doctorem justitiæ, sive tribuit vobis alimenta justitiæ, et descendere fecit ad vos pluvias temporaneas atque serotinas : pluvia tempestiva est quando primum doctrinam suscipimus ; pluvia serotina, quando laboris nostri fructus recipimus, et ad perfectam sanctarum Scripturarum scientiam pervenimus. Potest pluvia temporanea et serotina Vetus et Novum accipi Testamentum. Et non solum, inquit, hoc dedit, sed fecit vos novis virtutum frugibus abundare, et saturari, atque inebriari frumento et vino et oleo, de quo sæpe diximus : et annos quos perturbationibus in vobis regnantibus perdidistis quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo erucaque consumpserat. Deus vos perire non passus est, tunc *comedetis* fruges justitiæ, *et saturabimini ; et laudabitis nomen Domini Dei vestri qui fecit vobiscum mirabilia.* Si autem post pœnitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus? negans pœnitentiam, et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ ; in tantum enim Deus recipit pœnitentes, ut vocet eos populum suum, et nequaquam asserat confundendos et habitatorem se in eorum medio repromittat, nec amplius eos alium habituros Deum, sed in eum toto animo confisuros, qui in illis maneat in æternum regnans in cœlo et in terra, non derelinquet omnes qui sperant in se, sed vitam eis tribuit in regno cœlesti et requiem sempiternam Jesus Christus Dominus

noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVII.

ITEM FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore venit ad Jesum vir cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat, etc.

Priori lectioni quam de abjectione Synagogæ fideque Ecclesiæ atque iterum instaurationis Synagogæ sumus interpretati consequenter archisynagogi filia moriens subjungitur, quam dum suscitare properat Dominus, præoccupat hemorroïssa mulier, præripit sanitatem, fitque ut post veniens prior salute potiatur. Æthiopia enim præveniet manus ejus Deo, et cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.

Et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus. Si caput Christi Deus, pedes ejus consequenter incarnatio, qua terram nostræ mortalitatis tetigit, accipiendi sunt. *Cecidit* igitur archisynagogus *ad pedes Jesu*, qui legislator cum tota patrum progenie Christum in carne apparentem longe sibi dignitatis gloria præferendum esse cognovit.

Quia filia unica erat illi fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. Ipsa Synagoga quæ sola legali institutione composita quasi unica Moysi nata erat, quasi duodecimo ætatis anno, hoc est, tempore pubertatis appropinquante moriebatur, quæ nobiliter a prophetis educata, postquam ad intelligibiles annos pervenerat, postquam spiritales Deo fructus gignere debebat, subito errorum languore consternata spiritalis vitæ vias ingredi desperabiliter omisit, et si non a Christo succurreretur, horrendam per omnia corruisset in mortem.

Et contigit dum iret, a turba comprimebatur. Ad puellam pergens sanandam Dominus a turba comprimitur, quia genti Judææ salutaria monita præbens quibus ægram intus ejus conscientiam erigeret, noxia carnalium populorum est consuetudine gravatus.

Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim. Mulier sanguine fluens Ecclesia est ex gentibus congregata, quæ ingenito carnalium delectationum polluta fluxu, atque a cœtu jam fuerat segregata fidelium, sed dum verbum Dei Judæam salvare decerneret, paratam jam promissamque aliis præripuit spe certa salutem. Notandum est quod archisynagogi duodenis sit filia, et mulier hæc ab annis duodecim sanguine fluxerit; hoc est eodem quo hæc nata sit tempore illa cœperit infirmari, una enim pene eademque sæculi hujus ætate et synagoga in patriarchis nasci, et gentilium natio per orbem cœpit idololatriæ sanie fœdari, nam et geminæ fluxus sanguinis, hoc est et super idololatriæ superstitione, et super his quæ carnis ac sanguinis oblectatione patrantur, potest intelligi.

Quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari. Medicos sive falsos theologos, sive philosophos legumque doctores sæcularium, qui multa de virtutibus vitiisque subtilissime disserentes utilia se vivendi credendique instituta mortalibus dare promittebant.

Accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus, et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Accedit et Dominum tangit Ecclesia, quia ei per fidei veritatem appropinquat. Accedit autem retro sive juxta id quod ipse ait : *Si quis mihi ministrat, me sequatur.*

Et ait Jesus : Quis est qui me tetigit? Non ut ipse nesciat doceatur, sed ut virtus fidei quam noverat, imo quam ipse dederat, in muliere declaretur interrogat.

Negantibus autem omnibus, dixit Petrus et qui cum illo erant : Præceptor, turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis : Quis me tetigit? Quem turbæ comitantes passim comprimunt, una credula mulier Dominum tangit, quia qui diversis inordinate glomerantium hæresibus affligitur, sola catholicæ Ecclesiæ fideliter corde quæsitatur.

Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exisse, etc. Non ergo latet eum qui fimbriam tetigerit; id est, incarnationis mysteria donec ad majora capienda perveniat perfecte amando crediderit.

At ipse dixit illi : Filia, fides tua te salvam fecit : vade in pace. Ideo filia, quia fides tua te salvam fecit; nec dixit fides tua te salvam factura est, sed salvam fecit. Ideo enim quia credidisti, jam salva facta es.

Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei : Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. Salvata a profluvio sanguinis muliere, mox filia principis mortua nuntiatur, quia dum Ecclesia a vitiorum labe mundata et ob fidei meritum, filia est cognominata. Continuo Synagoga perfidiæ simul invidiæque letho soluta est; perfidiæ quidem, quia in Christo credere noluit; invidiæ vero, quia Ecclesiam credidisse doluit.

Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ : Noli timere, crede tantum, et salva erit. Pater puellæ cœtus doctorum legis accipitur, de quo Dominus ait, *super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi* : qui si credere ipsi voluerint etiam subjecta ei Synagoga salva erit.

Et cum pervenisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem, et matrem puellæ. Supra publice viduæ filius suscitatur, hic removentur plures arbitri. Puto ergo quod in eo quoque pietas ibi Domini declaretur; quia vidua mater unici non patiebatur moras, et ideo ne amplius afficeretur maturitas additur. Est jam forma sapientiæ in viduæ filio cito Ecclesiam crediturum, in archisynagogi filia crediturus quidem Judæos, sed ex pluribus paucio-res.

Flebant autem omnes et plangebant illam. Nunquid possunt, inquit, *filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus : venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* Igitur Synagoga quia sponsi lætitiam qua vivere posset amisit,

quasi inter plangentes mortua jacens, ne hoc quidem ipsum quare plangatur intelligit.

At ille dixit : Nolite flere, non est mortua, sed dormit. Hominibus mortua qui suscitare nequiverant Deo dormiebat, in cujus ditione et anima recepta vivebat, et caro suscitanda quiescebat.

Et deridebant eum, scientes quia mortua esset : quia verbum resuscitantis deridere quam credere malebant, merito foras excluduntur, indigni qui miraculum resurgentis viderent.

Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens : Puella, surge. Tenens ergo manum puellæ Jesus sanavit eam, quia nisi prius mundatæ fuerint manus Judæorum, quæ sanguine plenæ sunt, Synagoga eorum mortua non consurgit.

Et reversus est spiritus ejus, et resurrexit continuo. Marcus ita dicit, *et confestim surrexit puella, et ambulavit* spiritualiter insinuans, quia quisquis a morte animæ Christo sibi manum confortante resipiscit, non modo a sordibus exsurgere vitiorum, sed et in bonis continuo perficere debet operibus.

Et jussit illi dari manducare. At testimonium quidem vitæ resuscitatam manducare præcipit, ut non phantasma, sed veritas crederetur. Sed et si quis a spiritali morte surrexerit, cœlesti necesse est mox pane satietur, et divini scilicet verbi et sacrosancti altaris particeps effectus.

Et stupuerunt, inquit, *parentes ejus, quibus præcipit ne alicui dicerent quod factum erat.* Juvenis extra portam, turba multa comitante atque intuente, suscitatur. Lazarus de monumento vocatus in tantum populis innotuit ut ob eorum qui viderunt testimonium, plurimæ Domino turbæ cum palmis occurrerent, et multi propter illum abirent ex Judæis et crederent in Jesum. Quartum vero mortuum Dominus nuntiante discipulo agnoscit, sed quia qui pro ejus ereptione Dominum precarentur vivi defuerant, *dimitte*, inquit, *ut mortui sepeliant mortuos suos*, id est, mali malos noxiis laudibus gravent, et quia non adest justus qui corripiat in misericordia, oleum peccatoris impinguet caput suum. Justum est et valde condignum ut conditori et Salvatori nostro Jesu Christo debitas laudes dicamus et gratias illi in omnibus referamus, et pro beneficiis suis atque donis gratulantes devoti in ejus servitio usque in finem perseveremus, quia si hoc fiet, gaudii cœlestis cum sanctis angelis ejus in perpetuum participes erimus præstante ipso qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXXXVIII.

SABBATO IN DUODECIM LECTIONIBUS.

Lectio Joelis prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus : Effundam spiritum meum super omnem carnem ; et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas meas effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras,
A *et luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit : omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, etc.

Hunc locum beatus apostolus Petrus impletum tempore Dominicæ passionis exposuit, quando descendens die Pentecostes Spiritus sanctus datus est Apostolis, ita ut mirarentur qui aderant et dicerent : *Nonne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt, et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus : Parthi, et Medi, et Elamitæ ?* etc. Neque vero omnis qui acceperit Spiritum sanctum statim habebit et gratiam spiritalem, sed per effusionem Spiritus sancti diversas gratias consequentur, alii prophetiam ut filii et filiæ qui majoris sunt meriti, alii somnia ut senes jam provectioris ætatis,
B alii visitationes ut juvenes qui vicerunt malignum ; servi vero et ancillæ qui adhuc Spiritum timoris habent et non dilectionis, quia perfectio foras mittit timorem, non habebunt prophetiam, non somnia, non visiones, sed Spiritus sancti effusione contenti, fidei tantum et salutis gratiam possidebunt. Tunc dabit *prodigia* Dominus *in cœlo et in terra :* in cœlo, quia sol est versus in tenebras, et luna in sanguinem ; in terra, quia tam vehementi et insolito motu terra contremuit ut monumenta aperta et saxa disrupta sint, quod autem dicit sanguinem et ignem et vaporem sive pavorem fumi, sanguis ille est, de quo et in Psalmista legimus : *Ut intingatur pes tuus in sanguine*, et in Isaia : *Quam rubicunda sunt vestimenta tua*, et quem percusso latere Salvatoris
C mistis aquis Romanus miles effudit, et ignis Spiritus sancti qui descendit de cœlo, et in Actibus apostolorum legimus : *Apparuerunt illis dispartitæ linguæ, tanquam ignis seditque supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spiritu sancto et cœperunt loqui aliis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Hic est ignis quem venit Dominus mittere super terram, et antequam pateretur in discipulis optabat ardere. Sol quoque est versus in tenebras, quando pendentem Dominum suum videre non ausus est. Et luna in sanguinem : quod juxta historiam factum esse credamus et ab evangelistis silentio prætermissum. Neque enim omnia quæ fecit Jesus scripta referuntur : *Quæ si scribantur per singula, ne ipsum quidem arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros.*
D Hæc omnia priusquam dies Domini veniat magnus et horribilis futura describit, dies autem Domini magnus et horribilis, aut resurrectionis esse credendus est, aut certe multa post tempora dies judicii qui vere magnus est et horribilis. Sed quod sequitur, *et erit omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit*, et hoc apostolus Paulus refert ad tempus Dominicæ passionis, magis de resurrectionis die intelligendum est.

HOMILIA LXXXIX.

IN EODEM FESTO.

Lectio libri Levitici.

In diebus illis locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Cum in-

gressi fueritis terram quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem. Qui elevabit fasciculum coram Domino ut acceptabilis sit pro vobis, etc.

Terram a Domino datam evangelicam doctrinam et conversationem frequenter docuimus : ipsa enim terra dicitur propter fructus virtutum quæ ex ea oriuntur, ab ipso autem data est ; neque enim mediatore ad hanc usus est, sed proprio eam annuntiavit ore. Quando ergo ingressi sunt et messuerunt segetes ejus hi qui susceperunt salutare verbum. Illi enim sunt et messores intelligibilis segetis, ad quos Dominus dicebat : *Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam.* Manipulum autem primitiarum intelligibilis Sacerdos Christus, corpus proprium offerebat. Quia enim capitulum sive summa messis, verbi videlicet Salvatoris et divinæ prædicationis mortuorum erat resurrectio, verus manipulus et veræ primitiæ nostræ messis tunc intelligibilis Sacerdos Christus corpus proprium a mortuis suscitavit. De quo Paulus dicebat : *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium.* Sed quando hoc factum est? *Altera die sabbati. Et sanctificabit illum* sacerdos, esse autem primam diem Dominicæ passionis ea quæ ante hoc diximus ostenderunt, in qua Dominus suam hostiam non sine ratione dispensavit, ab altero die sabbati numerari præcepit quinquaginta dies, Dominicum diem procul dubio volens intelligi ; hic enim est altera dies sabbati : in hac enim resurrectio facta est, a qua hebdomadæ numerantur septem usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, Dominica rursus die Pentecostes celebramus festivitatem in qua sancti Spiritus adventum meruimus.

Et sic offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitationibus vestris, panes primitiarum duos ex duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Novum sacrificium, dicens, legis sacrificia vetera exclusit. Evangelica autem pro illis introduxit. Deinde addens de *habitationibus vestris* Ecclesiam significavit, et panes quidem primitiarum duos, id est, legem et Evangelium. Sunt ergo ex duabus decimis similæ fermentatæ, ex doctrina quæ perfectam Dei divinitatem et perfectam humanitatem tradit, nec aliter coqui nisi per talem doctrinam possint. Sed primitiæ sunt Domino : primum enim Dominus cum legem perfecit et Evangelium post hoc docuit : *Audite quia dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis, omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio.* Conjunxit enim hic legem Evangelio, propter quod ejus primitiæ dicuntur.

Et vocabitis hunc diem celeberrimum atque sanctissimum : omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis et in generationibus vestris. Quid ergo in ea est quod in his excellit : ecce enim et alios dies sanctos appel-

A lat, sed et de hoc primum, inquit, et appellabitis *hunc diem celeberrimum*, et post hoc *atque sanctissimum*, ut in eo cognosceres quid cum aliis commune, et quid in se proprium habet. In ipso enim gentium vocatio non prædicari solum, sed et operari cœpit, quando Parthi, et Medi, et Elamitæ, et qui habitabant Mesopotamiam, Judæam et Pamphyliam, omnesque reliquæ gentes quas Lucas dinumeravit, audire Apostolos linguis suis magnalia Dei loquentes prædicantesque cœperunt. Nullum ergo opus servile in illo die faciamus, id est, quod ad servitutem pertinet, sed legitimum sempiternum in cunctis habitaculis et generationibus nostris servemus, nihil servile operandum in tempore quo ad nos venit Spiritus, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas, cui cum B Patre, et Filio laus, honor et gloria permanet in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XC.

IN EODEM FESTO.

Lectio libri Deuteronomii.

In diebus illis dixit Moyses : Audi, Israel, quæ ego præcipio tibi hodie ; cum intraveris in terram quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, et obtinueris eam atque habitaveris in illa : tolles de cunctis frugibus tuis primitias et pones in cartallo, pergesque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit ut ibi invocetur nomen ejus, etc.

Per hæc verba quibus instruebantur Israelitæ quomodo in terra possessionis suæ primitias Domino offerrent in cartallo per gratiarum actionem, C eo quod erepti sunt de Ægypto, instituimur et nos ut intrantes per spiritualem Jordanem, hoc est, per baptismum et fidem sanctæ Trinitatis in terram Ecclesiæ ponamus in cartallo conversationis nostræ primitias bonorum operum, et deferamus Deo in altare fidei catholicæ, quatenus ea ibi suscipiat sacerdos noster, ille utique qui secundum ordinem Melchisedech a Deo factus est nobis pontifex, ibique confiteamur Domino : dicamusque ei, quod Syrus spiritalis qui interpretatur sublimis vel humectans persequeretur patrem nostrum protoplaston videlicet parentem, ita ut deciperet eum per superbiam et gulam, et transgressorem faciens privaret possessione paradisi. Unde incola factus est in Ægypto istius mundi, ubi peregrinatus in paucissimo nu-D mero, quia multis idololatriam sequentibus pauci permanserunt fideles. Sed postquam per legis conditionem plures excreverunt, qui scientiam et credulitatem unius Dei percepere, afflixerunt eos Ægyptii spiritales, maligni scilicet spiritus, qui imponentes onera gravissima peccatorum oppresserunt genus humanum. Sed Deus omnipotens conditor et creator noster respexit humilitatem nostram et laborem atque angustiam, et misit unigenitum Filium suum qui manus Dei et brachium dicitur, ut eriperet nos de potestate tenebrarum et transferret in locum pacis, quatenus filii lucis efficeremur : tradiditque nobis terram *lacte et melle manantem* : Ecclesiam videlicet præsentem ubi et lac est innocentis

et facilis doctrinæ unde nutriantur sensu parvuli, et mel suavis atque multiplicis scientiæ unde satientur intellectu perfecti. Qui ergo hujuscemodi dona Deo offert convivium spiritale in domo Dei cum Levitis veris et advenis potest facere, quia et cum ministris Dei et fratribus suis atque cum omnibus qui se intelligunt in hoc mundo advenas esse et peregrinos, dapibus virtutum et scientiæ spiritalis feliciter reficietur atque implebitur, sicque post completum tempus mortalis vitæ, Deo largiente, perveniet ad regnum cœleste, ubi cum sanctis ejus lætabitur in æternum: ipso præstante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat cum Deo Patre in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCI.

IN EODEM FESTO.

Lectio libri Levitici.

In diebus illis dixit Dominus ad Moysen: Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea custodieritis, et feceritis ea, dabo vobis pluviam temporibus suis. Et terra gignet fructum suum, et pomis arbores replebuntur. Et apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem: et comeditis panem vestrum in saturitate, et absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris; dormietis et non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transibit terminos vestros. Persequemini inimicos vestros et corruent coram vobis; persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum e vobis decem millia: cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio. Respiciam vos et crescere faciam; multiplicabimini, et firmabo pactum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos et ero vester Deus, vosque eritis populus meus. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum ne serviretis eis, et qui confregi catenas cervicum vestrarum ut incederetis erecti, etc.

Quomodo a Judæis inveniemus omnimodo hæc secundum litteram impleta, cum multi Dei prophetæ custodientes ejus mandata et in præceptis ejus ambulantes, in multa fuerunt afflictione constituti nec panem suum cum satietate, sed cum egestate comederunt, quemadmodum Ezechiel cui ab ipso hoc Deo præceptum est: sed et Paulus eos qui in lege et Prophetis justificati sunt exponens dicebat: *circuierunt in melotis et in pellibus caprinis, humiliati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Illud autem magis intendere in his quæ dicta sunt oportet, quia custodientibus Dei mandata, triginta benedictiones in præsenti lex posuit. Sic enim eas numero invenies unamquamque benedictionem ab alia per conjunctionem in septuaginta editione discernens, quia tot annorum existens Dominus, de quo ait Paulus, *ut occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, venit ad baptismum quatenus donationis perfectionem per ætatem quam agens baptizatus est renuntiaret et ostenderet, et sic perfectus secundum tempus factus prædicare Evangelium cœpit in quo omnis est vitæ et donationis plenitudo, et conversationis retributionisque quæ hic significavit. Ait enim, et *dabo vobis pluviam temporibus suis*, dicit autem verbum Dei ut pote descendens de cœlo gratiæ, de quo Moyses sic dixit, *attende, cœlum, et loquar, et audiat terra verba ex ore meo; exspectetur sicut pluvia eloquium meum. Et terra gignit fructum suum:* id est corpus nostrum: hujus enim boni fructus sunt, castitas, sobrietas, abstinentia. *Et pomis arbores replebuntur*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *Ligna campi dabunt fructum suum.* Ligna autem campi sunt animæ motus, ut pote qui sunt motibus intelligibilis nostræ terræ, videlicet carnis sublimiores. Horum enim fructus est veritas, justitia, mansuetudo, compassio et his similia. *Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem.* Quia enim tritura terræ colligit fructus, vindemia arborum recte fructus corporis ait fructus animæ comprehendere sive occupare quia hoc maximæ quidem benedictionis, uno eodemque tempore stabile et fecundum corpus atque animam in virtutibus possidere. *Et absque pavore habitabitis in terra vestra, dabo pacem in finibus vestris.* Si enim corpus stabile fuerit et anima fructificet, securi in terra nostra habitabimus, quia caro non concupiscit contra spiritum. Unde nec bellum per terram transibit, neque habebit tempus in resurrectione concupiscentiarum, de quibus ait Jacobus, *unde bella et lites in vobis, nonne hinc, ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris*, quibus destructis pax in terra nostra lege Dei refrenata profligitur. *Et dormietis*, inquit, in retributionis autem specie etiam hoc Scriptura sacra posuit, dormitio enim, ut pote requies, mors sanctorum dicitur: *Et non erit, qui ex terra eat.* Qui enim sic vixit quemadmodum in superioribus dictum est, non habebit qui eum terreat tempore mortis, quæ nobis dormitio est propter spem mortuorum resurrectionis. Non habebit autem qui exterreat. Nihil sibi conscius de quo terreatur. *Auferam malas bestias*, videlicet dæmones. Bestiæ enim sunt ex simili malitia primum sicut latentes: deinde ut venenum importabile et mortiferum habentes. *Persequimini inimicos vestros.* Non possunt enim ante faciem eorum, qui secundum legem vivunt, stare. *Et corruent coram vobis.* Qua morte? quæ est utique per jejunium et orationem, hoc enim modo nostri intelligibiles inimici dæmones interimuntur, ut nequaquam ultra contra nos possint reviviscere: *Persequentur quinque de vobis centum alienos:* sive, ut Septuaginta transtulerunt, *expellent quinquaginta centum millia.* Quinquaginta dicimus spiritalem hominem, quia die Pentecostes Spiritus de cœlo descendit. Ergo spiritalis ille qualem Paulus dicebat, *Spiritalis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur:* id est, qui scientiam perfectam habet ad subtilem eorum quæ agenda sunt discretionem, hic quamvis validum dæmonem, verbi gra-

illa qui est ex eis supra centum, et qui Legio appellatur propter multitudinem obedientium ei malorum spirituum et cooperantium valet superare atque vincere. *Et centum e vobis decem millia.* Qui enim non solum scientiam habet subtilem, sed et vitam perfectam atque consummatam : hic duplex quodammodo spiritalis est, et propterea centenario numero horrendius est, sicut duplicem fructum ferens in spiritu atque perfectum. Ait enim : Et *cadent inimici vestri in conspectu vestro gladio.* Illum dicens quem Paulus sic scribens exposuit : Cum enim prius dixisset inimicorum millia, id est, *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus,* subinfert, *propterea accipite armaturam Dei,* quam sigillatim dinumerans ait : *et gladium spiritus,* quod est verbum Dei. *Respiciam vos.* Quid est enim melius quam respici a Deo : cujus respectus salus est, adversario autem mors est. *Et crescere faciam et multiplicabimini.* Auget nos quidem cum parva bona quæ agimus maxima facit apparere. *Comedetis vetustissima veterum,* sive, ut Septuaginta transtulerunt [a], id est, quæ vobis per legem et prophetas promissa sunt. Et vetera veterum : quæ per patriarchas in eorum benedictionibus promisit. *Et vetera novis supervenientibus projicietis.* Quæ sunt nova : Evangelica scilicet ; nam cum maxima sint ea quæ per patriarchas, legem et prophetas pollicita sunt, tamen per Evangelium promissa majora sunt ; propter quod horum comparatione illa a nobis superflua judicantur. Ecce enim capitulum quod totam benedictionem confirmat infert : id est, quæ per Evangelium acta sunt et impleta per gratiam, *ponam tabernaculum meum in medio vestri* ; vel sicut, Septuaginta : *constituam testamentum meum vobiscum,* quod est hoc in quo nova præmisit, cujus sic propheta Jeremias memoriam facit, *et constituam vobis testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus vestris.* His enim conjuncta sunt, et quæ sequuntur maxime. *Et non abominabitur anima mea vos.* Animam suam Deus voluntatem suam dicit ; *Ambulabo inter vos et ero vester Deus, vosque eritis populus meus.* Aperte autem etiam hæc a Propheta prædicta sicut Septuaginta editio continet scripta sunt, hic Deus vester non reputabitur alius ad eum, posthæc in terra visus est, et cum hominibus conversatus est, quod non egisset si nos aversaretur. Non ergo nos abominatus est, sed et inambulare in nobis per carnem voluit, et fieri noster Deus cum esset et prius : sed ignotus quia nos errori conjuncti eramus : postea autem per gratiam ejus a peccatis abluti et donis virtutum abundanter repleti perveniemus sempiternam ad lucem.

HOMILIA XCII.

IN EODEM FESTO.

Lectio Epistolæ B. Pauli apostoli ad Romanos.

Fratres, justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Cum pertractaret apostolus Paulus quod nemo ex operibus veteris legis salvus fieri potuisset, adjunxit quod in præsenti lectione audistis. *Justificati igitur ex fide,* ad exemplum Abrahæ cujus filii esse omnes dicuntur fideles, quia Abraham pater omnium credentium interpretatur. Qua ratione ostenditur quod nulla generis nobilitate quis justificabitur ante Deum, nisi qui recte crediderit in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sanctam et individuam Trinitatem unum Deum esse unius substantiæ et unius majestatis in omnibus et per omnia coæqualis : qua ratione conclusa pacem nos habere hortatur, dicens : *Pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum :* quia nullis nostris meritis, sed omnes Dei magna gratia et misericordia simul salvati, ideo subjecti esse debemus Deo et pacem Dei non tantum sancti invicem custodire, et concordi inter nos vivere charitate, quia omnes in Christo fratres sumus omnesque uno pretio Christi sanguinis redempti sumus. Sequitur :

Per quem et accessum habemus per fidem in gratiam istam in qua stamus. Quia per passionem Christi et mortem, atque resurrectionem et ascensionem in humana carne ad cœlos nos accessum habemus ad Deum et reconciliati sumus Deo fideliter in eadem qua redempti sumus gratia ; si in digna conversatione et recta fide cupimus permanere. Quoniam nos omnes qui eramus longe a Deo per peccatum, per Christi gratiam facti sumus prope : et qui ante jacuimus in morte, nunc ad Christum erecti sumus et stamus in vita, si in præceptis ejus permaneamus.

Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quia speramus per adoptionem gratiæ Dei quia sumus Deo in filios computati ; æternam gloriam simul cum eo et omnibus sanctis ejus nos possessuros.

Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem. Dei namque fideles et devoti famuli, non solum in spe æternæ beatitudinis gloriantur, sed etiam in saluberrimis tribulationibus magnitudinem præmii considerant, sicut Jacobus ait : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes* et tribulationes *varias* pro Christi nomine *incideritis* ; quia adversitatis sustinentia, quæ fit propter Deum magnum exspectat gaudium in futuro, unde gaudere debemus aliquid pati pro nomine Dei : ut acquiramus de tribulatione finienda præmium infinitum. In consideratione enim præmiorum nullum possumus condignum æstimare laborem. Habemus enim quod honeste gloriemur ac sine periculo. Magna enim gloria est de imis ad summa crescere, de nihilo ad maxima pervenire ; quod et de limo ad cœlum et de servitute vocamur ad regnum : si tamen

[a] Hoc loco in exemplari ms. expuncta erat illa LXX interpretum translatio.

omni sæculari gloria et jucunditate contempta, in illo solo quod nobis futurum promittitur gloriemur.

Probatio vero spem operatur, spes autem non confundit. Nam spes futurorum bonorum omnem confusionem expellit : unde probatur hunc non habere spem, qui in præceptis confunditur Christi. Sequitur :

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Magnitudo enim promissorum beneficiorum excitat in homine charitatis magnitudinem, quæ perfecte confidit, nec timere nec desperare novit.

Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quomodo nos Deus diligit ex hinc cognoscimus quia non solum nobis per filii sui mortem peccata dimisit, sed et Spiritum sanctum nobis dedit qui nobis omnia futura bona demonstrat, et in fide recta, in spe firma et charitate perfecta corroborat : si nos bonis operibus dignos ejus habitatione præparemus. Si enim ex toto corde diligimus, nihil erit in nobis, unde peccati desideriis serviamus. Et quid est diligere Deum nisi illi occupare animum concipere fruendæ visionis ejus affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum quem ipse censuit diligendum, in ipso amore servare legitimum modum per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCIII.[1]

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, egrediente Jesu ab Jericho, secuta est eum turba multa : et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret, et clamarunt, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David, etc..

Multi latrones erant in Jericho qui egredientes et descendentes de Hierosolymis in Jericho interficere et vulnerare consueverant : idcirco Dominus venit Jericho cum discipulis, ut liberaret vulneratos et multam turbam secum traheret. Denique postquam ab Jericho voluit egredi, *secuta est eum turba multa.* Si mansisset Hierosolymis et nunquam ad humilia descendisset, turba usque hodie sederet in tenebris et umbra mortis. Sed et duo cæci erant juxta viam; cæcos appellat, qui necdum dicere poterant in lumine tuo videbimus lumen. Secus viam quia videbantur quidem habere legis notitiam : sed viam quæ Christus est ignorabant : quos plerique Pharisæos intelligunt et Sadducæos, alii vero utrumque populum et Veteris Testamenti et Novi : quod alter scriptam legem, alter naturalem sequens sine Christo cæcus erat. Hi quia per se videre non poterant, audierunt præconia Salvatoris et confessi sunt filium David. Sin autem uterque cæcus refertur ad populum Judæorum : hoc quod sequitur, *increpabat eos turba*, super ethnicos intelligendum, quos Apostolus monet, ne glorientur et superbiant contra radicem suam, sed cum ipsi ab errore priorum inserti fuerunt ex oleastro in bonam olivam, nequaquam debeant invidere priorum saluti. *Miserere nostri, fili David.* Increpantur a turbis et nihilominus non tacent, sed crebrius id ipsum ingeminant, ut desiderium veræ lucis ostendant.

Stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis faciam vobis? Dicunt : Domine, ut aperiantur oculi nostri. Cæci erant, quo pergerent ignorabant. Sequi non poterant Salvatorem, multæ foveæ in Jericho, multæ rupes et prærupta in profundum vergentia : idcirco Dominus stat, ut venire possint, et vocari jubet ne turbæ prohibeant, et interrogat quasi ignorans quid velint ut ex responsione cæcorum manifesta debilitas pereat, et virtus ex remedio cognoscatur.

Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum. Tangit oculos : et præstat artifex quod natura non dederat : aut certe quod debilitas tulerat donat misericordia. Statimque *viderunt et secuti sunt eum*, qui ante in Jericho contracti sedebant et clamare tantum noverant; postea sequuntur Jesum non tam pedibus quam virtutibus, quia ipse *est via, veritas et vita*, Dominus videlicet noster Jesus Christus qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCIV.

HEBDOMADA IV POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli.

Charissimi, humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis : omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis, etc.

Modo, fratres charissimi, audivimus beatum Petrum apostolum ad humilitatem nos cohortantem atque dicentem, *humiliamini sub potenti manu Dei.* Manus Dei potestas ejus datur intelligi, quia in Deo compaginatio membrorum non invenitur, qui ubique et in omnibus totus plenus est atque perfectus, sed more hominum de Deo loquitur Scriptura ut apertius majestatem atque potentiam sui creatoris homines intelligant : et intelligentes quæ sit voluntas Dei opere adimplere contendant, unde gaudia sibi sempiterna conquirant. Sequitur, *ut vos exaltet in tempore visitationis.* Quia quisquis hic in præsenti sæculo ejus se subdiderit voluntati et præceptis ejus assensum commodaverit, et ea, quantum divina gratia posse dederit, operibus adimplere sategerit carnis superbiam conterendo, in die ultimæ retributionis exaltabitur a Domino atque ad æternæ beatitudinis præmia perducetur : *Omnem sollicitudinem vestram, projicientes in eum : quoniam ipsi cura est de vobis :* ut Psalmista nos admonet, dicens, *jacta cogitatum tuum in Deum et ipse te enutriet.* Et alibi, *quærentes autem Dominum non deficient omni bono.* Et ipse Dominus in Evangelio : *Nolite solliciti esse dicentes quid manducabimus aut quid bibemus : scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite* ergo pri-

mum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Sobrii estote et vigilate. Semper in sobrietate et modestia habetote vestram vitam carentes semper astutia diaboli, et vigilate jugiter in custodia mandatorum Dei et in custodia animarum vestrarum. Sequitur :

Quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Diabolus enim nunquam dormiens, nunquam ab insidiis hominum requiescens semper die et nocte circuit tentando et insidias ponendo hominibus qualiter quemquam illorum quod Dei voluntati subjecti sunt sua valeat suggestione decipere. *Quærens quem devoret*, non corpore, sed anima quemque ad nociva et inutilia valeat pertrahere carnalia desideria.

Cui resistite fortes in fide. Exemplo Christi et sanctorum ejus, contemnentes dulcedinem carnalis concupiscentiæ et recordantes jugiter, quid sit illis amaritudinis præparatum qui desideriis terrenis inserviunt, nec converti a malitia sua per pœnitentiam volunt : Nos ergo fideliter Domino adhærere satagamus, ejusque præcepta jugiter meditemur, carnis nostræ desideria conteramus et resistamus fortiter diabolo hosti nequissimo, in fide recta, in spe firma : a Domini Dei omnipotentis misericordia in charitate perfecta ad servitium ejus in operibus; misericordiæ et pietatis, ut ejus largiente gratia mereamur et de hoste triumphum et æternæ beatitudinis præmium. Sequitur :

Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo, per incarnationem unigeniti filii sui quem pro mundi misit mori salute.

Modicum passus. Qui in hoc mundo quamvis modici temporis, multas sustinuit pro nobis injurias, ad ultimum etiam crucifixus est et occisus est, pro redemptione nostra : et mori dignatus est pro nobis, modicumque temporis retentus a morte, statimque die resurrexit tertia, ipse perficiet bonum in nobis quod cœperat : nosque in sua semper voluntate et in divina religione confirmet et corroboret, et in perseverantia bonorum operum ipsi gloria et imperium, laus et gratiarum actio in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCV.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore erant appropinquantes ad Jesum publicani et peccatores ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit et manducat cum illis.

Quia non solum justus peccare per inertiam, sed et peccator resipiscere per solertiam potest, postquam sal infatuatum foras mitti debere narratum est, mox pœnitentium cohors intus admissa describitur, qui ad audiendum Dei verbum appropinquantes, non solum ad colloquendum, sed etiam ad con- A vescendum recepti sunt, quod videntes Pharisæi dedignati sunt, quia vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem, quamvis et justi soleant recte peccatoribus indignari. Sed est aliud quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ, sed qui ægri erant ita, ut ægros se esse nescirent : quatenus quod erant agnoscerent cœlestis eos medicus blandis fomentis curat, benignum paradigma objicit, et in eorum corde vulneris tumorem premit. Ait namque :

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat donec inveniat illam? Ecce mira dispensatione pietatis similitudinem Veritas dedit, quam et in se ipse homo B recognosceret, et tamen hæc specialiter ad ipsum auctorem hominum pertineret. Quia enim centenarius est numerus perfectus, ipse centum oves habuit, cum Angelorum substantiam et hominum creavit : sed una ovis tunc periit : quando peccando homo pascua vitæ dereliquit. Dimisit autem nonaginta novem oves in deserto, quia illos summos Angelorum choros reliquit in cœlo. Cur autem cœlum desertum vocatur, nisi quod desertum dicitur derelictum, tunc autem cœlum homo deseruit, cum peccavit. In deserto autem nonaginta novem oves remanserant, quando in terra Dominus unam quærebat : quia rationalis creaturæ numerus angelorum videlicet et hominum, qui ad videndum Deum conditi fuerant pereunte homine erat imminutus, et ut C perfectius summa ovium integraretur in cœlo : homo perditus quærebatur in terra.

Et cum invenerit illam imponit in humeros suos gaudens. Ovem in humeris suis imposuit quia humanam naturam suscipiens peccata nostra ipse portavit.

Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem quæ perierat. Inventa ove ad domum rediit quia pastor noster reparato homine ad regnum rediit, ibi amicos et vicinos invenit, illos videlicet angelorum choros, qui amici ejus sunt, quia voluntatem ejus continue in sua stabilitate custodiunt : vicini quoque ejus sunt quia claritate visionis illius sua assiduitate perfruuntur, et notandum quod non dicat, congra- D tulamini ovi inventæ, sed mihi quia videlicet ejus est gaudium vita nostra, et cum nos ad cœlum reducimur, solemnitatem lætitiæ illius implemus.

Dico vobis quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia. Plus de conversis peccatoribus, quam de stantibus justis gaudium erit in cœlo, quia plerumque hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cœlestem patriam anxie non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis usum præbent, quanto se perpetrasse illicita nulla meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia

valde securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora.

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? Qui signatur per pastorem ipse et per mulierem. Ipse enim Deus ipse et Dei sapientia. Et quia imago exprimitur in drachma mulier drachmam, perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem Dei fuerat peccando a similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam quia sapientia Dei apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est, lumen vero in testa est divinitas in carne, accensa autem lucerna everrit domum quia mox ut ejus divinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit, domus namque everritur cum consideratione reatus sui humana conscientia perturbatur. Eversa vero domo invenitur drachma, quia dum perturbatur conscientia hominis reparatur in nomine similitudo conditoris.

Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. Quæ amicæ vel vicinæ nisi illæ potestates sunt cœlestes, jam superius dictæ, quæ tanto supernæ sapientiæ juxta sunt, quanto ei per gratiam continuæ visionis appropinquant, sed intuendum cur ista mulier decem drachmas habuisse perhibetur, angelorum quippe et hominum naturam ad cognoscendum se Dominus condidit, quam dum consistere ad æternitatem voluit, eam procul dubio ad suam similitudinem creavit. Decem vero drachmas habuit mulier, quia novem sunt ordines angelorum, sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus creatus est qui a conditore suo nec post culpam periit, quia hunc æterna sapientia per carnem miraculis coruscans ex lumine testæ reparavit. *Ita dico vobis : Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Pœnitentiam agere est et perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriæ quis defleat et tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? aut quid si iræ culpas jam lugeat, et tamen adhuc invidiæ facibus tabescat? Sed minus est valde quod dicimus, ut qui peccata deplorat ploranda minime committat. Nam cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse a quibusdam etiam licitis studeat abstinere quatenus per hoc conditori suo satisfaciat : ut qui commisit prohibita sibimetipsi abscindere debeat etiam commissa [*Forte leg.* concessa], sicque in recta fide et bonis operibus religiose vivens, ad gloriam Deo opitulante perveniet sempiternam.

HOMILIA XCVI.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Petri apostoli ad Colossenses.

Fratres, omne quodcunque facitis in verbo aut in A *opere, omnia in nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo et Patri per ipsum*, etc.

Quodcunque, inquit, aut dicitis aut agitis, intuentes in Christo, debitam gratiarum actionem Deo et patri referre properate pro illis, quæ per Christum vobis sunt præstita. Etenim psalmis et hymnis et canticis spiritualibus gratiarum actionem vocavit hoc dicens quoniam in cordibus vestris gratias agite Deo, quodcunque, aut dicitis, aut agitis, sic et dicite et agite sicut justum est dicere illos qui talia assequi digni sunt habiti. Hæc enim est vera gratiarum actio, deinde et in hac parte imitans illa quæ ad Ephesios scripserat, vertitur ad specialem consolationem dicens :

Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet, in Do- B *mino.* Uxores jubet subditas esse maritis.

Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Viros admonet diligere suas uxores, nec moleste erga illas versari.

Filii, obedite parentibus per omnia : hoc enim placitum est Domino. Suadet filiis ut obediant parentibus.

Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros ut non pusillo animo fiant. Patribus suadet ut non superflue tristent filios suos.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus : scientes quod a Domino accipietis retri- C *butionem hæreditatis. Domino Christo servite.* Jubet et servos obedire suis dominis inspicientes in illam mercedis remunerationem, quæ a Deo illis retribuetur pro fideli servitio, et ita facite sicut et justum est facere eos qui a Deo sibi mercedem tribui exspectant, non sicut hominibus servientes, sed sicut illi a quo et mercedis vicem sibi tribui exspectant. Quicunque enim præcepta apostolica rite servaverit, et Deo per fidem et bona opera placere studuerit, sine dubio remunerationis cœlestis particeps erit, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCVII.

ITEM FERIA IV.

D

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro et in carcerem mittaris. Amen, dico tibi non exies inde donec reddas novissimum quadrantem, etc.

Ex præcedentibus et consequentibus manifestus est sensus, quod nos Dominus atque Salvator, dum in istius sæculi via currimus, ad pacem et ad concordiam cohortetur, juxta Apostolum dicentem : *Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Nam et in præcedenti capitulo dixerat : *Si offeres munus tuum ad altare et ibi re-*

cordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te. Et hoc infinito statim infert, esto benevolus aut benignus adversario tuo, et reliqua. Et in consequentibus jubet, *Diligite inimicos vestros et benefacite his qui vos oderunt, et orate pro persequentibus vestris.* Judicem intelligo Christum, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Ministrum intelligo angelum: *Et angeli,* inquit, *ministrabant ei;* et cum angelis suis venturum credimus ad judicandos vivos ac mortuos. Carcerem intelligo pœnas videlicet tenebrarum, quas alio loco exteriores vocat. Credo propterea quod intrinsecus sint in ipso manentes, vel si etiam quid secretius cogitari potest gaudium divinorum præmiorum, de quo dicatur servo bene merito, *Intra in gaudium Domini tui.* Quemadmodum etiam et in hac ordinatione reipublicæ vel a secretario vel a prætorio judicis extra mittitur qui in carcerem truditur. Quadrans genus nummi est, qui habet duo minuta, unde in alio Evangelio mulier illa paupercula et vidua dicitur misisse in corbonam quadrantem, in alio duo minuta, non quod dissonent Evangelia, sed quod unus quadrans duos minutos nummos habeat. Hoc est ergo quod dicit: Non egredieris de carcere donec etiam minuta peccata tua persolvas. De solvendo autem novissimo quadrante potest non absurde intelligi aut pro eo positum quod nihil relinquatur impunitum, sicut loquentes etiam dicimus usque ad fæcem, cum volumus exprimere aliquid ita exhaustum ut nihil relinqueretur, vel ut significarentur nomine quadrantis novissimi terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum hujus mundi et ea novissima terra invenitur, ut incipiens a cœlo secundam aerem numeres, aquam tertiam, quartam terram.

Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Justitia ergo minor est regni Dei non mœchari corporum conjunctione, justitia ergo major est regni Dei non mœchari in corde. Multo facilius custodit ne mœchetur in corpore quisquis non mœchatur in corde; illud ergo confirmavit qui hoc præcepit, *non veni solvere legem, sed adimplere.* Sane considerandum est quod non dixit Omnis qui concupierit mulierem, sed Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, id est, hoc fine et hoc animo attenderit ut eam concupiscat quod jam non est titillari delectatione carnis, sed plane consentire libidini, ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit satietur. In his autem duobus, talem differentiam veteres voluerunt quod alterum propassionem, alterum vero passionem nominaverint; inter passionem autem et propassionem hoc interest, quod passio reputatur in vitio, propassio licet culpam habeat, tamen non tenetur in crimine; ergo qui viderit mulierem et anima ejus fuerit titillata, hic propassione percussus est; si vero consenserit, et de cogitatione affectum fecerit, sicut scriptum est in David: transierunt in affectum cordis, de propassione transivit ad passionem. Et huic non voluntas peccati deest, sed occasio. *Quicunque* igitur *viderit mulierem ad concupiscendum,* id est, si sic aspexerit ut concupiscat et facere disponat, iste recte *mœchatus eam* dicitur *in corde suo.*

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quia supra de concupiscentia mulieris dixerat, recte nunc cogitationem et sensum in diversa volutantem nuncupavit oculum. Per dexteram autem et cæteras corporis partes, voluntatis atque affectuum initia demonstrantur: ut quod mente concepimus, ne opere compleamus: cavendum igitur est, ne quod in nobis optimum est cito labatur in vitium. Si enim dexter oculus et dextera manus scandalizant, quanto magis ea quæ in his sinistra sunt? si anima labitur, quanto plus corpus, quod est ad peccatum proclivius?

Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Ergo et dextra manus accipitur dilectus adjutor et minister in divinis operibus. Nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu actio recte intelligitur, ut sinistra manus intelligatur in operibus quæ huic vitæ sunt necessaria, dextra vero in illis actibus in quibus electi Dei in præsenti laborant vita, ut gloria illis per hoc in futuro retribuatur sempiterna, per conditorem et redemptorem nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XCVIII.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, cum introisset Jesus Hierosolymam in templum, etc.

Quod ingressus civitatem Dominus primo templum adiit formam nobis religionis, quam sequamur, præmonstrat, ut cum forte villam aut oppidum, aut aliud quemlibet locum, in quo sit domus orationis Deo consecrata intramus, primo ad hanc divertamus, et postquam nos Domino per orationum studia commendaverimus, sic deinde ad agenda ea propter quæ venimus temporalia negotia recedamus.

Et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exivit in Bethaniam cum duodecim. Non hoc semel fecit, sed per omnes quinque dies ex quo Hierosolymam ascenderat, usque ad tempus passionis, hoc ipsum semper agere solebat, ut per diem in templo doceret, noctibus vero exiens moraretur in monte Oliveti, sicut in Luca legimus. Docendo enim incredulis officium correctionis sedulus impendebat, commanendo autem apud fideles gratiam eis benignitatis propitius exhibebat. Bene autem dicitur, *quia circumspectis omnibus exivit in Bethaniam.* Inspicit quippe internus arbiter omnium corda, et cum in

contradicentibus ac resistentibus veritati, non invenit ubi caput reclinet, secedit ad fideles, et in eis qui obediunt verbo, mansionem sibi una cum Patre facere gaudet, Bethania namque domus obedientiæ dicitur.

Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit. Esuriit vel veritatem humanæ carnis ostendens, vel esuriens salutem credentium et æstuans ad incredulitatem Israelis.

Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea; et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum. Et respondens Jesus dixit ei : Jam non amplius in æternum quisquam ex te fructum manducet. Quomodo Dominus multa in parabolis dicere, ita etiam nonnulla in parabolis facere solebat. Quid enim causæ erat ut esuriens fructus in ficulnea quæreret, quorum tempus nondum esse, quilibet homo noverat, arboremque quia fructum per id temporis non haberet, æternæ sterilitatis maledictione damnaret, nisi quia plebem quam verbo docebat, hoc etiam facto terrebat, ne quis habendo folia et fructum non habendo, hoc est verba justitiæ absque operibus prætendendo excidi, et in ignem mereretur projici. Unaquæque enim arbor non de floribus, non de foliis, sed fructu suo cognoscitur, id est, unusquisque homo non de æstimatione famæ vel sermonum pompa : sed de suarum testimonio probatur actionum.

Et veniunt Hierosolymam, et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. Quod maledicendo ficum infructuosam per figuram fecerit Dominus, hoc idem mox apertius ostendit ejiciendo improbos e templo. Neque enim aliquid peccavit arbor, quæ esuriente Domino poma non habuit, quorum necdum tempus advenerat, sed peccavere sacerdotes qui in domo Domini sæcularia negotia gerebant, et fructum pietatis quem debuerant quemque in eis Dominus esuriebat, ferre supersederant. Arefecit Dominus arborem maledicto, ut homines hæc videntes sive audientes multo magis intelligerent sese divino condemnandos esse judicio, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis velut de sonitu, et tegumento blandirentur viridantium foliorum.

Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum. De vasis dicit illis quæ mercandi gratia inferebantur, cæterum absit ut vasa Deo dicata Dominus ejiceret de templo, vel introferri prohiberet in templum, ubi futuri sui examinis insigne prætendit exemplum. Sed potius immunda et profana eliminat vasa de templo, ac ne amplius inferantur prohibet, quando non solum de Ecclesia omnes repellit ac deturbat reprobos, verum etiam ne ultra ad turbandam Ecclesiam intrent, æterno eos verbere compescit.

Et docebat, dicens eis : Nonne scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Omnibus, inquit, Gentibus, non uni genti Judææ, nec in uno Hierosolymæ urbis loco, sed in toto orbe terrarum, et nequaquam taurorum et hircorum, et arietum, sed orationis.

Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Qui ad accipienda munera in templo residebant, profecto quia quibusdam non dantibus læsiones exquirerent dubium non erat. Domus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo assistere noverant, ut aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritaliter necare.

Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. Non rami tantum aut stipes infructuosæ fici, sed ipsa etiam radix arefaciendo, sententiam divinæ in se reprobationis ostendit, et Joannes ait, *quia securis ad radicem arborum posita est.* Arefacta est itaque ficus a radicibus, ut ostenderetur gens impia non ad tempus, et ex parte corrigenda externorum incursibus, et mox miserante Domino post actam pœnitentiam priscæ restituenda libertati, ut sæpe factum sacra historia refert, sed æterna potius damnatione ferienda, arefacta est radicitus, ut intimaretur nefanda plebs non solum humana gloria forinsecus, verum etiam divino intus favore funditus esse destituenda.

Et respondens Jesus ait illis : Habete fidem Dei. Amen dico vobis quia quicunque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Solent gentiles qui contra Ecclesiam maledicta scripsere, improperare nostris quod non habuerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transferre potuerint. Quibus respondendum, non omnia scripta esse quæ in Ecclesia sunt gesta, sicut etiam de factis ipsius Christi, Dei et Domini nostri Scriptura nostra testatur, unde et hoc quoque fieri potuisse, ut mons ablatus de terra mitteretur in mare, si necessitas fieri id poposcisset, quomodo legimus factum precibus B. Patris Gregorii, Neo-Cæsariæ Ponti antistitis viri meritis et virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant. Verum quia montis nomine nonnunquam diabolus significatur, videlicet propter superbiam qua se contra Deum erigit, et esse vult similis Altissimo, mons ad præceptum eorum qui fortes fide sunt tollitur de terra, et in mare projicitur, cum prædicantibus verbum doctoribus sanctis, immundus spiritus ab eorum corde repellitur, qui ad vitam sunt præordinati, et in turbulentis amarisque infidelium mentibus, vesaniam suæ tyrannidis exercere permittitur, non quod ibi et ante sedem regnumque non habuerit, sed quod tanto acrius in eos quoslibet desævit, quanto amplius se dolet a læsione piorum fuisse depulsum, quem tamen victoria Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, liberans electos suos de manibus, ipsum hostem humani generis pro nequitia sua claustris inferni damnabit in perpetuum.

HOMILIA XCIX.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ ad Romanos.

Fratres, existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, etc.

Quod ad comparationem æternæ gloriæ, quam sanctis suis Deus ante sæcula præparavit, nihil condignum quis in hoc sæculo possit passionis sustinere; in præsenti lectione apostolus Paulus breviter intimavit dicens : *Existimo* enim *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. In quo enim mortale quid immortali potest comparari, aut invisibili visibile, aut æternis temporalia? Si qua tamen in præsenti vita velut quædam possint semina gloriæ colligi, futura ista semina ex tribulationibus et passionibus, quæque patiuntur propter Dominum colliguntur. Sicut alibi idem dicit Apostolus, quod enim in præsenti momentaneum est, et leve, immensum est enim pondus gloriæ futuræ, quam exspectamus qui non respicimus ad ea quæ videntur, sed ea quæ non videntur et æterna sunt, proinde enim omnis tribulatio qualiscumque sit, quæ acciderit, quamvis sæva, quamvis longa videatur, quasi momentaneum ac leve esse putari oportet. Quicumque enim ad futuram aspicit gloriam, quæ nobis est revelata, atque quæsita, ubi transformabitur corpus nostrum mortale, conformis gloriæ corporis Filii Dei.... Quanto majores enim tribulationes in hoc mundo pro Christo patimur, tanto amplius nobis magnitudinem gloriæ credamus cumulari.

Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Exspectatio creaturæ exspectatio hominis rationabilis est, qui exspectat diem judicii, quo revelabitur quanta sit gloria præparata his qui in hoc sæculo fideliter pro Deo tribulationes sustinent, et laborant in Domini voluntate.

Vanitati enim creatura subjecta est. Id est, omnis homo vanitati hujus mundi invitus est subjectus, quandiu temporalibus deditus est rebus, vel quandiu istis transitoriis utitur, quæ transeunt tanquam umbra.

Non volens. Non enim sicut sponte peccavit homo, sic etiam sponte damnatus est : sed voluntate ejus qui disponit universa, cujus etiam homo contempsit præcepta. Subjectus est autem homo vanitati, quandiu in hac mortali vixerit carne. Sequitur.

Quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Creatura autem recte dicitur homo, quandiu creaturæ non creatori deservit. Cum autem fidem perceperit, et Dominum Deum suum agnoverit, et ejus obedire cœperit voluntati, non jam creatura, sed Dei filius nuncupatur. Ista autem creatura, id est, homo, cum divina inspirante gratia crediderit, liberabitur a servitute corruptionis, ut non interitui serviat, cui serviunt omnes peccatores, quandiu in peccatis permanent. *Liberabitur* autem ab ista corruptione et nequitia, per fidem *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, ita ut jam non carni, nec terrenis serviat desideriis, non diabolo sed Christo, cujus gloriæ particeps et cohæres ipsius gratia efficiatur.

Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit. Quod dicit omnis creatura, nunc angelorum et hominum naturam dicit, quia ut in Evangelio Dominus ait : sicut angeli gaudent super pœnitentes, ita dolent et ingemiscunt super converti nolentes, et quotidie nostra spectantes certamina, dolent valde cum convincimur a diabolo; cum vero vincimus multo plus gaudent. Quapropter si cum sanctis Angelis in cœlo gaudere cupimus, eorum nunc gaudium in bona nostra conversatione, dignis moribus in castitate vitæ magno studio perficere debemus, ut cum deficiamus ab hac vita carnali, *recipiant nos in æterna tabernacula* simul gaudere cum illis.

Non solum autem illa sed nosmetipsi. Id est, apostoli et apostolici viri in Ecclesia sanctorum successores apostolorum.

Primitias Spiritus, id est, pignus et dona sancti Spiritus *habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri*. Gemimus enim adoptivos filios Dei fratres nostros, quos docere et instituere missi sumus, donec videamus eos in omni bono proficere, ut filii Dei et hæredes Christi effici mereantur. Donec ergo nos, inquam, qui instituimur ab eis negligimus et moramur, et emendationis nostræ tempus longius protelamus, nec non invisibilibus delectamur, ad dolores apostolos commovemus, ac luctum similiter et sanctis prædicatoribus disciplinam docentibus dolorem ingerimus, qui cum nostras prospiciunt iniquitates, magno se affligunt luctu pro excessibus nostris, et divinam pro nobis implorant pietatem, humiliter de præteritis veniam postulantes, et de futuris custodiam. Hæc ergo et his similia diligenter ac fideliter cogitantes non aquiescamus eis, qui per liberum arbitrium in superbiam elati præcipitare semetipsos, magis quam elevare conantur, sed humiliter consideremus illud quod Apostolus dicit, *Deus qui operatur in vobis et velle et perficere*, gratias agamus Domino ac Salvatori nostro, qui nos nullis præcedentibus meritis vulneratos curavit, et inimicos reconciliavit, et de captivitate redemit, de tenebris ad lucem reduxit, de morte ad vitam revocavit, et humiliter confitentes fragilitatem nostram illius misericordiam deprecemur. Ut quia nos secundum Psalmistam misericordia sua prævenit, dignetur in nobis non solum custodire, sed etiam augere munera et beneficia sua, quæ ipse dignatus est dare, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA C.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

Misericors est Deus super ingratos, et majore vel multiplici scilicet sua misericordia, qua etiam jumenta salvat, temporalia bona largiendo vel cœlestia bona singulari gratia, qua electos solum glorificat inspirando. Sed sive hoc sive illud sive utrumque intelligas, magna Dei bonitate fit, quæ nobis imitanda præcipitur, si filii Dei esse volumus, gloriamque filiorum Dei obtinere.

Nolite judicare; et non judicabimini, nolite condemnare, et non condemnabimini. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est, quo animo fiant in meliorem partem interpretemur.

Dimittite, et dimittetur, date et dabitur vobis. Dimittere nos injurias, dare beneficia jubet, ut et nobis peccata dimittantur, et vita detur æterna. Qua sententia brevi sed eximia cuncta, quæ latissime de conversando cum inimicis mandaverat, comprehendendo concludit.

Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem [dabunt] in sinum vestrum. Huic simile est quod alibi dicit, *ut et ipsi recipiant vos in æterna tabernacula.* Non enim pauperes ipsi, sed Christus mercedem his qui eleemosynam fecere redditurus est. Quam tamen in sinum dare dicuntur, quia promerendo illius occasionem dedere, cum vel egentibus miserti vel improbe sævientes fortiorum sunt, et tolerati patientia, et beneficentia sustentati, et ad ipsam aliquoties fidem indulgentiæ gratia probati.

Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Et Apostolus ad eleemosynam Corinthios hortans, inter alia dicit, *qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet.* Potest autem de omnibus, quæ mente, manu, lingua, gerimus accipi, quia tu reddes singulis, inquit, secundum opera eorum.

Dicebat autem illis et similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadent? Sensus hujuscemodi sententiæ pendet ex superioribus, ubi de danda eleemosyna et injuria dimittenda præcipitur. Si te, inquit, ira contra violentum, et contra potentem philargyria cæcaverit, nunquid tua mente vitiata vitium ejus curare poteris? Aut ille solus qui injuriam fecit, et non tu etiam qui ferre nesciebas reus deputaberis? At si mitem te, tranquillumque pectoris ejus improbitas invenerit, et ille ad pœnitentiam movebitur, et tu patientiæ præmio donaberis, quia cæcum vidente oculo, hoc est, corde sereno ducere curabas ad lumen.

Non est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Si magister, qui utique quasi Deus potuit non suas ultum ire injurias, sed ipsos maluit insecutores patiendo reddere mitiores, eamdem necesse est discipuli, qui puri homines sunt, regulam perfectionis sequantur.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Oculus hic pro sensu mentis ponitur, et hoc ad superiora respicit, ubi cæcum a cæco duci, id est, pec-

A cantem a peccatore castigari non posse præmonuit. Multi enim superbia vel odio, philargyria vel avaritia, vel alio quolibet crimine præventi levia hæc aut nulla judicantes acerrime corripiunt, quos subita viderint ira turbatos, oculum mentis a solito puritatis statu quasi festuca irruente mutasse, atque immemores Dominici præcepti, quo ait, *Nolite condemnare et non condemnabimini*, magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere.

Et quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo, ipse trabem in oculo tuo non videns? Hæc cum fratre agis verbi gratia quod ira ille peccavit, tu odio reprehendis. Quantum autem inter festucam et trabem, tantum inter iram
B distat atque odium. Odium est enim ira inveterata, quæ quasi vetustate ipsa tantum acceperit, ut merito appelletur trabes. Fieri autem potest ut si irasceris homini velis eum corrigi; si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere, et ideo impossibile dicitur, ut festucam fratris oculo demat, qui suo trabem gestat in oculo.

Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. Id est, primum expelle abs te odium, et deinceps poteris jam eum quem diligis emendare. Et est vere multum cavendum, et molestum hypocritarum, id est, simulatorum genus, qui cum omnium vitiorum accusationes odio et livore suscipiant, etiam consultores videri se volunt, et ideo pie cauteque vigilan-
C dum est, ut cum aliquem reprehendere vel objurgare necessitas coegerit, primo cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo caruimus, et si nunquam habuimus, cogitemus et nos homines esse, et habere potuisse. Si vero habuimus et non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem, non odium sed misericordia præcedat, sicque doctrina salubris ex dilectione Dei et proximi confirmata, tam doctori quam etiam auditori ad æternam proficiet salutem, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CI.

D

IN VIGILIA SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Lectio Jeremiæ prophetæ.

Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te.

Non quod ante conceptionem ut hæresis suspicatur fuerit, Jeremias, sed quod præscierit eum futurum Dominus, cui necdum facta jam facta sunt, secundum illud quod Apostolus loquitur qui vocat ea quæ non erant, quasi ea essent. Quidam hunc locum super Salvatore intelligunt, qui proprie propheta est gentium, et per apostolos vocavit omnes nationes. Iste enim vere priusquam in utero formaretur virginali, et antequam exiret de vulva matris, sancti-

catus in utero est, et notus Patri, quippe qui semper in Patre, et in quo semper Pater.

Et dixi : Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me : Noli dicere, Quia puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis; et universa quæ mandavero tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum ut eruam te, dicit Dominus. Quando autem venit in corpus humanum, dicit in exordio : *Nescio loqui, quia juvenis ego sum.* Juvenis propter dispensationem, senex juxta hoc, quod primogenitus omnis creaturæ. Juvenis quia in consummatione jam sæculi, et in extremo hujus vitæ tempore advenit. Dicit itaque, *nescio loqui*, scio enim quædam majora loqui, scio eloquium tuum, scio verbum tuum Sion, tibi scio loqui, hominibus nescio loqui, juvenis sum.

Et misit Dominus manum suam et tetigit os meum; et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo; et constitui te super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes, dicit Dominus omnipotens. Considerandum quod quatuor tristibus duo læta succedant. Neque enim poterant ædificari bona, nisi destructa essent mala, nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima. Omnis enim plantatio quam non plantavit cœlestis Pater eradicabitur, et ædificatio quæ super petram non habet fundamentum, sed in arena exstructa est, sermone Dei suffoditur atque destruitur, illam quam consumet Jesus spiritu oris sui, et destruet adventu præsentiæ suæ, omnem scilicet sacrilegam perversamque doctrinam disperdet in perpetuum. Porro ea quæ elevantur contra scientiam Dei, et in sua confidunt sapientia, quæ apud Deum stultitia est dissipabit atque deponet, ut ædificentur pro his humilia, et in locum superiorum quæ destructa sunt et evulsa, exstruantur atque plantentur, quæ ecclesiasticæ conveniunt veritati, et impleatur illud quod dicit Apostolus, *Dei ædificatio, Dei agricultura estis.*

HOMILIA CII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias.

Sacrosancta præcursoris Domini nobilitas non solum a parentibus, sed et a progenitoribus gloriosa descendit, quatenus adventus illius fidem non subita inspiratione conceptam, verum habita magis propagatione susceptam liberius prædicaret.

De vice Abia. Viginti quatuor de sacerdotibus ordines in ministerio domus Domini sorte a Salomone sunt divisi, in quibus Abia familiæ, de qua Zacharias ortus est, sors contigit octava. Non frustra primus Novi Testamenti præco in octavæ sortis vice nascitur, quia sicut septenario sæpe numero propter sabbatum vetus Testamentum, sic Novum aliquoties octonario propter sacramentum resurrectionis exprimitur. Unde quia non aliter quam per observantiam utriusque Testamenti regni cœlestis aula

A penetratur, recte et in templo Salomonis mysticus quindecim graduum ascensus fuisse narratur.

Et uxor ejus de filiabus Aaron; plena igitur laudatio, quæ genus, mores, officium, factum, judicium comprehendit. Genus in majoribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in justificatione judicium.

Erant autem justi ambo ante Deum. Beatus qui in conspectu Dei justus est atque laudabilis, evenit quippe ut laudent homines eum, qui non est laudabilis, et ei detrahant, qui minime detractione dignus est. Solus Deus et in laude et in vituperatione justus est judex.

Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini, sine querela, etc. Plerumque justitia durior

B hominum iram provocat, quæ vero temperata est, ipsa suæ dulcedinis gratia etiam invidiæ quærimoniam vitat. Quando enim facimus mandatum Dei, et in concupiscentia nostra vanæ gloriæ sordes spargimus, ut hominibus placeamus, non illud absque querela facimus.

Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ, etc. Qui enim sorte eligitur humano judicio non comprehenditur. Ille igitur quærebatur, quem iste figurabat verus in æternum sacerdos cui dicitur, *tu es sacerdos in æternum,* qui non hostiarum cruore, sed proprio Patrem Deum generi reconciliaret humano. Sed tunc sanguis fundebatur in specie, sacerdos ordinabatur, nunc quia veritas venit, relinquamus speciem et veritatem se-

C quamur. Tunc quidem vices erant, nunc autem est perpetuitas. Quem alium significabat Zacharias sacerdos, nisi eum sacerdotem, cui sacrificium non esset commune cum cæteris, qui non manufactis templis sacrificaret pro nobis, sed in sui corporis templo nostra peccata vacuaret?

Sorte exiit ut incensum poneret, etc. Incensum autem in sancta sanctorum a pontifice deferri, expectante foras templum omni populo decima die septimi mensis est jussum, et hanc diem expiationis sive propitiationis vocari, quæ apud nos ob varium lunæ discursum, qua menses computant Hebræi, modo in mense Septembri, modo incidit in Octobri, qui scilicet mensis quo pascha geritur, et ordine conditionis et edicto legis anni principium tenet, dicente

D Domino : *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.*

Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi, etc. Non immerito angelus videtur in templo, quia veri sacerdotis jam nuntiabatur adventus, et cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Bene angelus, et in templo et juxta altare, et a dextris apparet, quia videlicet et veri sacerdotis adventum in mysterium sacrificii universalis et cœlestis doni gaudium prædicat. Nam sicut per sinistram præsentia, sic per dexteram sæpe bona prænuntiantur æterna.

Ait autem ad illum angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Eli-

sabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. Deprecationem dicens exauditam partum continuo promittit uxoris, non quod ille qui pro populo oblaturus intraverat, relictis verbis vocis pro accipiendis filiis orare potuerit, sed quod dicit : *Exaudita est deprecatio tua*, populi redemptionem significat. Quod vero adjungit, *et uxor tua pariet tibi filium*, ejusdem redemptionis ordinem pandit, quod videlicet natus Zachariæ filius redemptori illius populi præconando sit iter facturus.

Et erit gaudium tibi et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. Notandum quod nato præcursore multi gaudent, nato autem Domino annuntiat angelus, *gaudium magnum quod erit omni populo*, quia videlicet hic salutem multis prædicare, ille omnibus qui volunt advenit donare.

Et erit magnus coram Domino. Non corporis hic, sed animæ magnitudinem declaravit, est coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis, est etiam parvitas animæ et pueritia virtutis.

Vinum et siceram non bibet. Sicera interpretatur ebrietas, quo vocabulo Hebræi omne quod inebriare potest poculum, sive de pomis, sive de frugibus, seu de qualibet alia materia confectum significant. Proprium vero in lege Nazarenorum erat, vino et sicera tempore consecrationis abstinere, unde Joannes, Samson et Jeremias, cæterique tales ut semper Nazareni, id est, sancti manere possent, semper his abstinere satagunt.

Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Non est dubium verum hoc angeli esse promissum, siquidem sanctus Joannes, antequam nasceretur, matris adhuc in utero positus Spiritus accepti gratiam designavit.

Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Cum Joannes, qui Christo testimonium perhibens, in ejus fide populos baptizabat, dicitur filios Israel ad Dominum Deum ipsorum convertisse, patet profecto Christum esse Dominum Deum ipsorum.

Et ipse præcedet ante illum in Spiritu et virtute Eliæ. Bene in spiritu et virtute Eliæ præcedere dicitur, quia sicut ille præco venturus judicis, ita hic præco factus est redemptoris.

Ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. Corda patrum in filios convertere est spiritalem sanctorum antiquorum scientiam populis prædicando infundere. Prudentia vera justorum est, non de legis operibus justitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere. Sic ergo plebs Domino perfecte præparatur. Cum in recta fide et sancta conversatione ad Domini servitium pleniter convertitur.

HOMILIA CIII.

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Lectio Isaiæ prophetæ.

Hæc dicit Dominus : Audite, insulæ, et attendite, populi de longe.

Post vocationem reliquiarum populi Israel, et abjectionem increduli populi permanentis, de quibus dixerat, *non est pax impiis* dicit Dominus, transit ad ecclesias de gentibus congregatas, et eis sub insularum nomine loquitur, quæ persecutorum quasi maris fluctibus patent, et ex omni parte sæviente naufragio conduntur potius, quam moventur. Ac ne quis putet violentam esse expositionem nostram, et non ad gentes pertinere quod dicitur, sed ad synagogas populi Judæorum, sequitur, *et attendite populi*, sive gentes *de longe*, hoc est ab extremis finibus terræ, vel ut LXX transtulerunt : *Post multum tempus stabit*, hoc est, non hoc tempore quo dicuntur, sed post multa fient tempora.

Dominus, inquit, *ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*. Quod nunc interim audientibus videtur obscurum, postea autem cunctis gentibus notum fiet, quando Gabriel Joseph de partu dixerit virginali, *et vocabis nomen ejus Jesum*, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Et posuit os meum quasi gladium acutum, posuit quoque os ejus quasi gladium acutum, ut spiritu oris sui interficiat impium. De quo gladio ipse in Evangelio loquitur, *non veni pacem mittere in terram sed gladium*, malos a bonis separans. Veni enim dividere hominem contra Patrem suum, et filiam contra matrem suam, et nurum contra socrum suam.

Et in umbra manus suæ protexit me. In umbra manus Dei se esse protectum asserit, ut carnis vilitas divinitatis potentia tegeretur, angelo ad virginem nuntiante, *Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*.

Posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Quando dicitur sagittam electam, ostendit habere Deum sagittas plurimas, sed non electas, quæ sagittæ prophetæ sunt et apostoli qui in toto orbe decurrunt. De quibus in alio loco canitur : *Sagittæ acutæ potentissimæ, populi sub te cadent*, et iterum, *Sagittæ potentes acutæ cum carbonibus desolatoriis*. Christus autem de multis sagittis et filiis plurimis, una sagitta electa et filius unigenitus est, quam in pharetra sua abscondit, id est, in humano corpore, ut habitaret in eo plenitudo divinitatis corporaliter, raraque esset credentium fides, et cui supra dicitur : *Tu es Deus absconditus et nesciebamus*. Quam sagittam et sponsa vulnus accipiens loquitur in Cantico canticorum : *Vulnerata charitate ego sum*.

Et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. Servus, quia cum in forma Dei esset formam servi est dignatus assumere. Ostendit eum appellari servum, qui sit formatus ex utero, qui et in Psalmo dicit, *de ventre matris meæ Deus meus es tu*. Et Israel, quia natus de semine Judæorum. Quodque de nullo alio servorum intelligi potest, jungitur, *quia in te gloriabor*. Dicit enim ei ipse in Evangelio, *Pater, glorificavi nomen tuum*, qui in Psalmo loquitur, *exurge, gloria mea; exurge, psalterium et cithara*, id est, omnium virtutum chorus, *dedi te in*

lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Id est, ut illumines universum mundum et salutem meam, per quam omnes salvi fiant, usque ad extremum terræ facias pervenire. Hæc enim per apostolorum prædicationem facta cognoscimus, de quibus Psalmista prædicens ait: *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Reges videbunt et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, qui elegit te.* Hæc fient quando venerit Christus in gloria Patris cum angelis suis, et sederit in throno gloriæ suæ judicare vivos et mortuos; tunc omnes adorabunt eum, propter Dominum Deum Patrem suum, quia fidelis est qui elegit eum. Sive ita intelligendum, reges quorum cor in manu Dei est, et Ecclesiæ principes sunt, adorabunt eum, quia fidelis est Dominus sanctus Israel. De Christo etenim et quæ sequuntur intelligi possunt, dicit enim *in tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* Hoc testimonio Apostolus usus dicens, *tempore opportuno exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tempus placitum et opportunum, et dies salutis passio Salvatoris est et resurrectio. Cui et idem Pater in subsequentibus ait: *Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram et possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt, exite, et his qui in tenebris, relevamini.* In fœdus populi, subauditur Judæorum, his, videlicet, qui ex illis credere voluerunt, et suscitabit terram, quæ in idololatriæ jacebat erroribus. Et possidebit hæreditates desertas, quæ habitatorem non habebat Dominum, et dicit his qui peccatorum vinculis stringebantur, exite, quia funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Et his qui sedebant in tenebris et lucem videre non poterant, ait: relevamini; hi enim omnes postquam conversi fuerint et clarum Christi lumen aspexerint, pascentur in viis et semitis sanctarum Scripturarum, et dicent: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocabit,* super aquam refectionis educabit me, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CIV.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium.

Verbum impletionis sancta Scriptura in bonorum tantum ortu vel obitu, vel actu ponere consuevit, quorum vitam plenitudine perfectionis habere significat. Denique *Elisabeth impletum est tempus pariendi,* impleti dies Mariæ ut pareret, implevit Salomon ædificare domum Domini, defunctus est Abraham, vel alius aliquis patrum senex et plenus dierum, et postquam venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum; at contra dies impiorum inanes et vacui. Viri enim sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.

Et audierunt vicini et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Habet sanctorum editio lætitiam plurimorum quia commune est bonum, justitia enim communis est virtus, et ideo in ortu justi futuræ vitæ insigne præmittit, et gratia secuturæ virtutis exultatione vicinorum præfigurante signatur.

Et factum est in die octavo venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Mire sanctus Evangelista præmittendum putavit, quod plurimi infantem patris nomine Zachariæ appellandum putarent, ut advertas matri nomen alicujus displicuisse degeneris, sed in sancto infusum Spiritu, quod ab angelo ante Zachariæ fuerat prænuntiatum, et quidem ille mutus intimare vocabulum filii nequivit uxori, sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod didicerat a marito.

Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant patri ejus quomodo vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Joannes est, inquit, *nomen ejus,* hoc est, non ei nos nomen imponimus, quia jam a Deo nomen accepit, habet vocabulum suum quod agnovimus, non quod elegimus. Nec mireris, si nomen mulier quod non audivit asseruit, quando ei Spiritus sanctus qui angelo mandaverat revelavit, neque poterat Domini ignorare prænuntium quæ prophetaverat Christum, et bene additur, *quia nemo in cognatione ejus vocatur hoc nomine,* ut intelligas nomen non generis esse, sed vatis.

Apertum est illico os ejus et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum, et factus est timor super omnes vicinos eorum. Quia vox clamantis in deserto nata est, merito est lingua parentis soluta. Neque enim patrem a laudibus silere decebat, qui Verbi præcone sibi nato gaudebat, quippe cui labia, quæ incredulitas vinxerat, fides jam solvit. Verum hæc etiam allegorice si quis perscrutari desideres, Joannis celebrata nativitas, gratiæ Novi Testamenti est inchoata sublimitas. Cui vicini et cognati patris nomen, quam Joannis imponere malebant, quia Judæi qui legis ei observatione quasi affinitate juncti erant, magis justitiam, quæ ex lege est sectari, quam fidei gratiam suscipere cupiebant. Sed Joannes, hoc est, gratiæ Dei vocabulum, mater verbis, pater litteris intimare satagunt, quia et lex ipsa psalmique ac prophetæ apertis sententiarum vocibus gratiam Christi prædicant, et sacerdotium illud vetus figuratis cæremoniarum et sacrificiorum umbris, eidem testimonium perhibet. Pulchreque Zacharias octava die prolis editæ loquitur, quia per Domini resurrectionem quæ octava die post septimam sabbati facta est, occulta sacerdotii regalis arcana patuerunt, linguaque pontificum Judæorum quam diffidentiæ vincula strinxerant, intelligentiæ rationabilis est voce soluta.

Et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc, et posuerunt in corde suo, dicentes: Quid putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat

cum illo. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Ecce enim unum Zachariæ silentium, non ipsi tantum cui datur ad pœnam incredulitatis et signum credendi proficit, sed et cum aufertur, omnes vicinos ejus miraculo ac timore stupefacit, omnia circumquaque montana fama nati prophetæ perfundit, omnes qui audire poterant, ad perquirendum diligentius pueri qui natus est modum statumque sollicitat, ut his videlicet atque hujusmodi futurus Christi propheta commendetur auspiciis, itemque, ut ita dixerim, præcursorem veritatis præcurrentia signa præbeant.

Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit dicens : Benedictus Dominus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ Israel. Ecce loquela quæ sola est ablata diffidenti, cum spiritu prophetiæ est restituta credenti. Visitavit autem Dominus plebem suam quasi longa infirmitate tabescentem, et quasi venditam sub peccato unici Filii sui sanguine redemit, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CV.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Petri apostoli.

Charissimi, omnes unanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, humiles, non reddentes malum pro malo, et maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, etc.

Quia superius diversas personas conditionis et sexus congrua sibi discretione docebat, jam nunc omnes communiter admonet in fidei Dominicæ causa unum cor et unam habere animam.

Quia in hoc vocati estis ut benedictionem hæreditate possideatis. Dicente videlicet judice, *venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.* Potest benedictio hæreditatis et illa intelligi, qua Ecclesiam in futura vita perpetua benedixit, unde etiam nunc spe futurorum gratulabunda canit, *exaltabo te, Deus rex meus, et benedicam nomen tuum in æternum, et in sæculum sæculi.* Quod ergo quisque in futuro invenire desiderat, hoc in præsenti meditari et agere satagat, et conditorem videlicet, et proximum sincera voce benedicere et seipsum etiam pariter divina ac fraterna benedictione dignum reddere, quia

Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala. Quia beatus Petrus malum nos pro malo reddere vetuerat, imo maledicentibus benedicere jusserat, recte prophetico testimonio astruit, superna inspectione, et bonos semper videri, et malos, quatenus meminerimus, et nostram patientiam qua toleramus malos, et nostram benevolentiam qua persequentibus bona optamus æterno præmio remunerandam, et persecutores nostros si pœniteri noluerint digno plectendos esse supplicio. Si vero pœnituerint, nos quoque pro ipsorum salute, quam deprecabamur a Domino coronam justæ congratulationis accepturos.

Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis. De his dicit quæ nobis ab adversariis per verba contumeliosa, per damna rerum temporalium, per tormenta corporis accidunt. Hæc enim et hujusmodi omnia cum fidelibus irrogantur, duntaxat qui boni æmulatores sunt, et hoc secundum scientiam nequaquam eis nocere possunt, sed palmam magis patientiæ æquanimiter tolerantibus afferunt, et e contra illis qui irrogant pœnam accumulando æternam plurimum nocent. Si quis autem hujusmodi adversis victus deficit, non huic ille qui malum intulit, sed ipsi sibi qui hoc patienter ferre recusavit nocuit.

Sed et si quid patimini propter justitiam, beati eritis. Non solum, inquit, nihil vobis nocet, qui bonum facientibus mala irrogat, sed etiam cum vos propter bona quæ exsecratur hostis insequitur, causam vobis majoris beatitudinis præstat, cum patientiæ vestræ vires exercet, juxta illud Evangelicum : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris. Quid est Dominum sanctificare in cordibus nostris, nisi sanctitatem ejus, quam sit incomprehensibilis gloriæ, intimo cordis affectu intueri, quantam in se sperantibus vincendi fortitudinem dare valet, cujus inæstimabilis sanctitas fulget. Qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CVI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, cum turbæ irruerent ad Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth.

Stagnum Genesareth idem dicunt esse quod mare Galilææ et mare Tiberiadis. Sed mare Galilææ ab adjacente provincia dictum, mare Tiberiadis a proxima civitate, quæ olim Cennerech vocata, sed ab Herode tetrarcha, instaurata in honorem Tiberii Cæsaris, Tiberias est appellata. Porro Genezar a laci ipsius natura, qui a crispantibus aquis de ipso sibi excitare auram perhibetur, Græco vocabulo quasi generans sibi auram dicitur.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum. Duæ naves secus stagnum positæ circumcisionem et præputium figurant, quas bene Jesus vidisse perhibetur, quia in utroque populo novit Dominus qui sunt ejus, eorumque cor a fluctibus sæculi hujus ad futuræ vitæ tranquillitatem, quasi ad soliditatem littoris videndo, hoc est, misericorditer visitando provehit.

Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Piscatores sunt Ecclesiæ doctores qui rete fidei comprehensos, et de profundo ad lumen elatos, quasi pisces littori, sic terræ viventium advehunt, quasi quædam retia piscantium sunt complexæ prædicantium dictiones, quæ eos quos cœperint in fide non amittant. Unde et retia quasi retinentia sunt vocata.

sed hæc retia modo laxantur in capturam, modo lota plicantur, quia non omne tempus est habile doctrinæ, sed nunc exercenda lingua doctori, nunc suimet cura gerenda.

Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Navis Simonis est Ecclesia primitiva, de qua Paulus ait : *Qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes*, bene una dicta, *quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* De qua docebat turbas, quia de auctoritate Ecclesiæ usque hodie gentes docet.

Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Quod primo rogavit Simonem navim a terra reducere pusillum, significat vel temperate utendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic a terrenis in profunda sacramentorum recedatur, ut ea penitus non intelligant, vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum, ut qui dicit item Petro, *duc in altum et laxate retia vestra in capturam*, ad remotiores gentes quibus postea prædicatum est, pertineat.

Et respondens Simon dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam. Nisi Dominus cor illustraverit auditorum, doctor in nocte laborat. Nisi in verbo supernæ gratiæ laxata fuerint instrumenta disputationum, frustra vocis suæ prædicator jaculum mittet, quia fides populorum non sapientia verbi compositi, sed divinæ vocationis munere prævenit.

Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Præ multitudine piscium rete rumpebatur, quia nunc a confessione fidei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam, hæresibus scindant. Rumpitur autem rete, sed non labitur piscis, quia suos Dominus etiam inter persequentium scandala servat.

Et annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adjuvarent eos. Alia navis, ut prædiximus, est Ecclesia de gentibus, quæ et ipsa non sufficiente una navicula piscibus impletur electis, quia *novit Dominus qui sunt ejus, et apud ipsum certus est suorum numerus electorum.* Dumque tot in Judæa credituros non invenit, quot ad fidem vitamque prædestinatos novit æternam, quasi aliæ navis receptacula piscibus quærens suis, corda quoque gentium fidei gratia replet, et bene rupto reti socia navis advocatur, quoniam ante Judas proditor, ante Simon magus pisces nequissimi capti sunt, ante Ananias et Saphira rete fidei subdole tentabant ingredi, ante ut Joannes testatur, multi discipulorum ejus abierunt retro, etiam non cum illo ambulabant, ac deinde Barnabas et Paulus ad gentium sunt apostolatum segregati.

Et venerunt et impleverunt ambas naviculas, ita ut mergerentur. Harum impletio navium usque in finem

A sæculi crescet. Sed quod impletæ merguntur, hoc est, in submersionem premuntur, non enim submersa, sed sunt periclitata, Apostolus exponit dicens : *In novissimis diebus erunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes*, etc. Nam mergi navis, est homines in sæculum ex quo elati per fidem fuerant morum pravitate relabi, quale et ipse Petrus adhuc in infirmitate positus hoc loco demonstrat. Unde sequitur.

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Quia carnales quique in Ecclesia regimen spiritualium in quibus maxime Christi persona eminet, a se quodammodo repellunt. Non enim hac voce linguæ, dicunt bonis ministris Dei ut eos a se repel-

B lant, sed voce morum et actuum suorum suadent a se recedi. Ne per bonos regantur et eo vehementius quo deferant eis honores, et tamen factis suis a se recedere admonent, ut honorificentiam eorum significaverit Petrus cadens ad pedes Domini. Mores autem in eo, quod ait : *Exi a me, Domine, quia peccator homo sum*, quod tamen quia non fecit Dominus, non enim recessit ab eis, sed eos subductis navibus ad littus perduxit, significat in bonis et spiritalibus viris, non esse oportere hanc voluntatem ut peccatis turbarum commoti, quo quasi securius tranquilliusque vivant, munus ecclesiasticum deserant.

Et ait ad Simonem Jesus, Noli timere. Confortat Dominus timorem carnalium animosque fragilium consolando erigit, ne quis vel de suæ conscientia

C culpæ tremens vel de aliorum innocentia stupens, sanctitatis iter formidet aggredi, quod autem sequitur.

Ex hoc jam homines eris capiens, ad ipsum Petrum specialiter pertinet. Exponit ei Dominus quid hæc captura piscium significet, quod videlicet ipse, sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines, totusque facti hujus ordo quid in Ecclesia, cujus ipse typum tenet, quotidie geratur ostendat. Quod vero subjungitur,

Et subductis ad terram navibus relictis omnibus secuti sunt eum, potest significare finem temporis quod ab hujus mundi salo qui Christo inhæserint penitus recessuri sint. Sciendum est autem hanc eamdem non esse lectionem, qua Matthæus et Marcus binos

D de naviculis piscatores primo Petrum et Andream, deinde filios Zebedæi a Domino narrant esse vocatos. Non enim eos Lucas nunc a Domino vocatos, sed tantum Petro fuisse prædictum quod homines esset capturus insinuat. Nam et post resurrectionem Domini legimus eos esse piscatos. Unde datur intelligi eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Matthæus et Marcus narrant, quando eos binos vocavit. Tunc etsi non subductis ad terram navibus, tanquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt, tanquam vocantem ac jubentem ut sequerentur, postea vero fide recta imbuti et doctrina Salvatoris sui pleniter instructi, firmiter et stabiliter apud suum permanserunt Dominum et magistrum, cujus

gratia ad vitam perducti sunt æternam, et ibi cum ipso regnabunt in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CVII.

IN VIGILIA SANCTI PETRI APOSTOLI.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, etc.

In lectione Actuum apostolorum quæ nunc ob memoriam beatorum apostolorum lecta est, quorum nos hodie natalitia venerando prævenimus, audistis charissimi nobis, *Petrus*, inquit, *et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*. Apostoli hora nona templum ingressi, primo claudum, deinde debilem sanabant, deinde ad vesperam usque laborantes, multa hominum millia verbo fidei imbuebant. Hoc et in ipso suo actu figuraliter se agere demonstrabant, quia Dominus noster appropinquante mundi fine in hunc mundum ad salvandos omnes sibi credentes venerat, et apostolos suos quasi ad ipsam vesperam mundi per totum orbem ad multitudinem hominum docendam direxit.

Et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur : quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Hunc cum vidisset Petrus cum Joanne dixit : respice. At ille respexit in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis, ait autem Petrus :

Argentum et aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi : in nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Qui confestim surrexit. In claudo isto si consideremus mystica sacramenta cognoscimus præostensa. Per Speciosam portam templi ubi iste claudus sanabatur, evangelicam possumus intelligere prædicationem, per quam templum Dei, id est Christi Ecclesia spiritali pulchritudine decoratur. In qua qui mente debiles per infidelitatem et ignorantiam nominis Christi simul et anima claudi sunt, remedium salutis accipiunt per evangelicam Christi prædicationem. Denique Speciosa illa porta templi, quam diximus evangelicam prædicationem intelligi, claudum suscipit, id est incredulos, et integrum reddit, dum ad perpetuam sanitatem animæ illos commovendo, exhortando et docendo perducit : sicut claudus iste cum esset ad Speciosam portam templi respiciens in Petrum et Joannem accepit sanitatem, ita et nos claudi antequam veniremus ad agnitionem Christi, vere claudi eramus, quia in via justitiæ claudicabamus. Claudicabamus autem non corporis gressu, sed internæ mentis excessu. Qui enim alienus est a via justitiæ, a via veritatis, id est a fide et agnitione Christi Filii Dei vivi, hic quamvis rectos pedes corporis habeat, totus claudus est, quia mente et anima claudicat, iter enim fidei ac veritatis in obeditione præceptorum Christi, non gestibus tantum corporis inceditur, sed gestibus mentis internæ. Unde non dubium est, quia dudum claudicabamus a via justitiæ, cum veram viam salutis ac vitæ Christum Dominum nostrum nesciebamus. Sed postquam venimus ad Speciosam portam templi, ut prædiximus, verbum vitæ audiendo, intelligendo simul et operando, et ad apostolos, id est ad eorum exempla, per illorum sanctorum successorum prædicationem fide respeximus, tunc stabiliti et confirmati sunt gressus mentis nostræ, ut jam non claudicaremus amplius in via iniquitatis, sed rectis bonorum operum gressibus per iter justitiæ ambulemus.

Et apprehensa Petrus *manu dextra claudi, allevavit eum*. Bene quem verbo erexit etiam dextra confortat, quia sermo docentis, in corde audientis minus valet, si non etiam propriæ actionis commendetur exemplis.

Et exiliens stetit, et ambulabat, et intravit cum illis in templum. Ordo perfectionis est egregius, primo illum resurgere qui jacuerat, deinde iter arripere bonæ operationis, et sic æterni regni januam simul cum sanctis apostolis intrare. Ideo, fratres charissimi, quotiescunque beatissimorum apostolorum memoriam celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus sine aliqua dilatione profectu bonorum operum currere debemus, et reddere illis in Dei laudibus honorificentiam debitam; qui nobis æternam salutem per effusionem sui sanguinis pepererunt, qui tantam hostiam in semetipsis pro nostra propitiatione Domino obtulerunt. Præsertim cum ipse Dominus dixit ad illos : *Qui vos honorat, me honorat, et qui vos spernit, me spernit.* Quisquis ergo debita veneratione honorat apostolos et martyres Christi, Christum honorat, quem diligit, et cum ipsis sanctis apostolis atque martyribus, simulque cum omnibus sanctis æternæ beatitudinis præmia consequetur, largiente Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per immortalia sæcula. Amen.

HOMILIA CVIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jesus Petro : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te.

Virtutem nobis perfectam dilectionis præsens Domini nostri interrogatio ostendit, perfecta enim dilectio est, qua Dominum ex toto corde, tota anima, tota virtute, proximum autem tanquam nos ipsos diligere jubemur, et neutra harum dilectio sine altera valet esse perfecta, quia nec Deus vere sine proximo, nec sine Deo vere potest proximus amari.

Dicit ei : Pasce agnos meos. Ac si aperte diceret, hæc sola et vera est probatio integri in Domino amoris, si erga fratres studueris cum sollicitudine exercere labores. Nam quicunque fratri opus pietatis, quod valet, impendere negligit, minus juste se conditorem diligere ostendit, cujus mandata in sustentanda proximi necessitate contemnit.

Dicit ei iterum : Simon Joannis, amas me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Simon namque *obediens*, Joannes dicitur *Dei gratia*, et propterea recte primus apostolorum cum de amore suo requiritur Simon Joannis, id est obediens Dei gratia vo-

catur, ut liquido cunctis ostendatur, hoc quod majore præ cæteris obedientia Domini jussis obsequitur, quod ardentiori illum charitate amplectitur, non humani meriti, sed muneris esse divini. Cauta ac temperata et simplici voce ait : *Domine, tu scis quia amo te.* Quod est aperte dicere, scio quidem quia ipse te, ut tu melius nosti, integro corde diligo, qualiter vero te alii diligant mihi quidem ignotum, sed tibi sunt omnia nota.

Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me? et dicit ei : Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Provida autem pietate Dominus tertio Petrum an se diligat interrogat, ut ipsa trina confessione vincula quæ illum ter negando ligarunt, absolvat. Et quoties territus ejus passione se illum nosse negaverat, toties ejus resurrectione recreatus, quod illum toto amet corde, testatur. Sed hoc pastori est fixo corde tenendum, ut eos quibus præest, non quasi suos proprios, sed ut Domini sui gregem tractare meminerit, juxta illud quod Petro dicitur : si diligis me, *pasce oves meas.* Meas, inquit, non tuas; meas tibi oves commendatas scito, et has quasi meas regere; si me perfecte amas, recole, ut meam videlicet in eis gloriam, meum dominium, mea non tua propria quæras. Dilectio ampliorem quam amor retinet qualitatem, et ideo dicente Domino : *Simon Joannis, diligis me,* non ausus est Petrus fateri dilectionis se habere mensuram, sed humiliter se profitetur amare. Superior enim amori dilectio reperitur. Denique tertia appellatione Dominus interrogans Petrum, quia non sicut prioribus vicibus duabus dixerat, diligis, sed amas me, *contristatus est Petrus;* cur et in tertia interrogatione non dixerit diligis me, sed amas me, velut non jam de sublimi ordine dilectionis, sed de inferiore amoris gratia percunctatus.

Amen, amen dico tibi : cum esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Ac si patenter dicat quanta me charitate diligis; hinc aliquando probabis cum pro parvulorum meorum vita usque ad mortem certando perveneris. Et ut illi in corpore possint et mente salvari ipse tormenta corporis omnia quæ adversarium infligere libet, forti mentis constantia tolerabis, in extensione enim manuum positionem membrorum ejus qui cruci erat aptandus insinuat. In cinctione alterius, impositionem vinculorum quibus a persecutore erat arcendus exprimit. In ductu quo nollet, ipsam mortis ac passionis acerbitatem indicat, quam corporalis ejus infirmitas horrebat : cujus animi infirmitas spiritalis etiam adversa pro Domino lætabatur cuncta sufferre : non enim voluntatem suam, sed voluntatem quærebat ejus qui misit eum Christi.

Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Clarificavit quippe Petrus morte sua Deum, quando hoc judicio, quantum Deus esset colendus amandusque monstravit; dum ipse data optione mallet crucis subire tormentum quam a co-

A festis verbi prædicatione cessare. Quem ut nos imitemur faciat ille qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CIX.

IN NATALI SANCTI PETRI.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis, misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia, etc.

Hunc Herodem Claudii anno.... sui vero regni 70, ab Angelo percussum narrat historia.

Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. De hoc Jacobo Clemens Alexandrinus historiam quamdam dignam memoria refert : *Et is,* inquit, *qui obtulerat judici ad martyrium Jacobum scilicet motus etiam* B *ipse confessus est se esse Christianum. Ducti autem sunt ambo pariter ad supplicium, et cum ducerentur in via rogavit Jacobum dari sibi remissionem. At ille parumper deliberans, pax tibi, inquit, et osculatus est eum, et ita ambo simul capite plexi sunt.*

Videns autem quia placeret Judæis, apposuit apprehendere Petrum. Quem cum apprehendisset misit in carcerem, etc. Quemadmodum sanctus Petrus missus sit in carcerem ligatus duabus catenis, et traditus quatuor quaternionibus militum, et quemadmodum inde liberatus sit per angelum Domini, audivit per ordinem dilectio vestra. Missus ergo in carcerem est sanctus Petrus causa nominis Christi, sed pœnam carceris horrere non poterat, qui ipse in carcere templum Dei erat. Ligatus erat duabus catenis, sed C catenas criminum in ipso carcere a credentibus detrahebat. Custodiebatur a quatuor quaternionibus militum, id est a sedecim, sicut enim centurio centum, ita quaternio IV sub se milites habet : sed sub ipsa custodia quatuor Evangelia ad fidem venientibus insinuabat. Nec humanam custodiam poterat timere, qui divina custodia servabatur. Cum ergo diligenter Petrus custodiretur in carcere a quatuor quaternionibus militum, ligatus duabus catenis, venit angelus Domini ad eum, ut audivit dilectio vestra, et aperuit ei januas carceris, et ait ei :

Surge et tolle vestimentum tuum, et operi te, et calcea te calceamento, et veni; sequere me; at ille surgens sequebatur eum. Et cum venisset ad portam D ferream cum angelo, statim ab se eadem porta aperta est eis. Nec mirum sane, si sancto Petro porta ferrea sponte aperta est : qui portas jam infernorum in potestate acceperat, dicente Domino ad eum : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non prævalebunt ei. Et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveris super terram erunt soluta et in cœlo.* Ille ergo sancto Petro portam ferream aperuit qui portas inferni patefecit. Ille de morte Petrum eripuit, qui mortem ipsam devicit. Sed quod tunc circa sanctum Petrum secundum litteram gestum est, circa nos quoque mystice geri cognoscimus si fidem Petri sequamur. Sumus enim et nos in hoc mundo velut in carcere constituti. Si ergo a Deo visitari

meremur, mittitur ad nos angelus Dei, et dicit ad unumquemque nostrum : Præcinge te et calcea te calceamentis tuis et operi te vestimento tuo et sequere me. Præcingimus enim nos, si lumbos corporis nostri pudicitiæ cingulo circumdamus, dicente Apostolo : Sint lumbi vestri in castitate. Calceamus et pedes nostros, si gressus vitæ nostræ præceptis evangelicis ac fidei muniamus, ut securi spinas peccatorum et iniquitatis tribulos conculcemus. Operimus et nos vestimento nostro, si vestem illam nuptialem, id est gratiam baptismi integram conservamus in nobis. Si hæc itaque fideliter impleamus, statim cadent catenæ de manibus nostris, id est catenæ peccatorum, quibus constricti et colligati secundum animam tenebamur. Sed nec aliter de carcere, id est de mundi hujus errore evadere possumus, nisi a Domino B per angelum visitemur. Aperietur nobis porta ferrea, id est porta mortis, et pœna quam Filius Dei passionis suæ virtute comminuit. Et tunc venimus ad domum Mariæ ad Ecclesiam Christi, ubi Maria mater Domini habitat, et illic occurrit nobis puella nomine Hrode. Convenienter autem hujusmodi nomen Hrode salutis nostræ mysterium est. Hrode enim secundum litteram Græcam rosa nuncupatur. Venientibus ergo nobis ad domum Mariæ Hrode occurrit, id est congregatio sanctorum quæ sanguine martyrum glorioso velut rosa pretiosa refulget in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti gratia baptismi traditur, per quam emundamur ab omni sorde peccati, ut mundi efficiamur. Quia ergo tantam circa nos Dei misericordiam C recognoscimus, ut indigni ad tantam ejus gratiam vocaremur pie ac juste in conspectu ejus vivere et conversari debemus, ut in adventu ejus gloriæ non cum immundis et impiis pœnas, sed cum sanctis et electis ejus promissa regni cœlestis et remunerationem vitæ perpetuæ consequamur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in vera unitate Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CX.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi.

Philippus iste est frater Herodis, de quo supra D diximus, tetrarcha Itureæ et Trachonitidis regionum, qui in honorem Tiberii Cæsaris Cæsaream, quæ nunc Paneas dicitur, appellavit, et est in provincia Phœnicis.

Et interrogabat discipulos suos dicens : Quem dicunt homines esse filium hominis? Non dixit, quem me dicunt esse homines, sed *filium hominis*, ne jactanter de se quærere videretur. Et nota quod ubicunque scriptum est in Veteri Testamento filius hominis, in Hebræo positum sit filius Adam? illudque quod in psalmo legimus: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* In Hebræo dicitur, *filii Adam*. Pulchre autem interrogat, *quem dicunt esse homines filium hominis*, quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt,

A qui vero divinitatem ejus intelligunt, non homines, sed dii appellantur.

At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum et disputationem longissimam texere, quare Dominum nostrum Jesum Christum, alii Joannem putaverunt, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis, cum sic errare potuerint in Elia et Jeremia, quomodo Herodes erravit in Joanne dicens: quem ego decollavi Joannem ipse surrexit a mortuis, et virtutes operantur in illo.

Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Simon Petrus : Tu es Christus Filius Dei vivi. Prudens lector, attende quod ex consequentibus textuque sermonis apostoli nequaquam homines, sed dii appellentur. Cum enim dixisset, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* subjecit, *Vos autem quem me esse dicitis?* illis quia homines sunt humana opinantibus, vos qui dii estis, quem me existimatis? Petrus ex persona omnium apostolorum profitetur, *tu es Christus Filius Dei vivi.* Deum vivum appellat, ad comparationem deorum eorum qui putantur dii, sed mortui sunt, Saturnum, Jovem, Cererem, Liberum et cætera idolorum portenta significans.

Respondens Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Quod caro et sanguis revelare non potuit, id est, doctrina humana, Spiritus sancti gratia revelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus et filius appellandus sit, siquidem Barjona in lingua nostra sonat filius columbæ. Alii simpliciter accipiunt quod Simon, id est, Petrus filius sit Joannis juxta alterius loci interrogationem : *Simon Joannis, diligis me? Qui respondit : Domine, tu scis ;* et volunt scriptorum vitio depravatum ut pro Barjoanna, hoc est, filius Joannis, Barjona scriptum sit una detracta syllaba. Joanna autem interpretatur Domini gratia. Utrumque autem nomen mystice intelligi potest, quod et columba Spiritum sanctum, et gràtia Dei donum significet spiritale. Illud quoque quod ait, *quia caro et sanguis non revelavit tibi*, apostolicæ narrationi comparatur in qua ait, *continuo non acquievi carni et sanguini*, carnem ibi et sanguinem Judæos et Pharisæos volens intelligi, ut hoc quoque sub alio sensu demonstretur quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam Christus Dei Filius revelatus sit.

Et ego dico tibi. Quid est quod ait, *Et ego dico tibi*, quia tu dixisti, *tu es Christus Filius Dei vivi*, et ego tibi non sermone casso et nullum habente opus, sed dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.

Quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut ipse lumen apostolis donavit, ut lumen mundi appellentur, et cætera quæ ex Domino sortiti sunt vocabula sunt; ita et Simon

qui credebat petram Christum, Petri largitus est nomen. Hoc secundum metaphoram petræ recte dicitur ei, *ædificabo Ecclesiam meam* super te, sive *super hanc petram*, id est, super illum quem modo confessus es dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi :* sive super hanc petram, super confessionem Petri.

Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ego portas inferi vitia reor, atque peccata, vel certe hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Nemo itaque putet de morte dici, quod apostoli conditioni mortis subjecti non fuerint, quorum martyria videt coruscare.

Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, et solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant, non quod sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quod habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus. Omni igitur electorum Ecclesiæ juxta modum culparum pœnitentis ligandi ac solvendi datur auctoritas, sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni cœlorum et principatum judiciariæ potestatis accipit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint regni cœlestis ingredi, unde nos necesse est tota intentione, fratres charissimi, et fidei quam docuit sacramenta discere, et congruentia fidei opera demonstrare. Necesse est omni vigilantia multiplices subtilesque portarum inferi cavere insidias, quatenus juxta Psalmistæ vocem de his adjuvante Domino eripi, atque ad annuntiandas ejus laudes, portas filiæ Sion, hoc est, gaudia mereamur supernæ civitatis intrare. Nec sufficere nobis ad salutem arbitremur si turbis negligentium, vel quorumlibet indoctorum fide vel actibus adæquemur, quibus in litteris sacris unica est credendi pariter et vivendi regula præscripta, sed quotiescunque nobis errantium ingeruntur exempla, nos confestim avertentes oculos mentis nostræ, ne videant vanitatem, magis quid veritas ipsa decernat sedulo corde scrutemur sequentes exemplum beati Petri, qui spretis errantium sectis, veræ fidei arcanum quod cognoverat

A indubia oris confessione protulit, inseparabili cordis cura servavit. Sicque fiet ut nobis supra petram fidei aurum, argentum, lapides pretiosos, hoc est, perfecta virtutum opera construentibus nihil tribulationum ignis detrimenti afferat, nihil tentationum turbines prævaleant, quia potius adversitatibus probati, accipiemus coronam vitæ, quam ille nobis ante sæcula promisit, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXI.

IN NATALI SANCTI PAULI.

Lectio Actuum apostolorum.

In diebus illis : Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, etc. Præsens lectio
B Actuum apostolorum pronuntiat, fratres charissimi, quomodo apostolus Paulus, cujus singularem hodie festivitatem colimus, ex persecutore Christianorum, prædicator et doctor factus est Christianorum. Christus enim occidit in eo sævitiam et reviviscere fecit in eo mansuetudinem veram : impleta est enim in eo prophetia beati patriarchæ Jacob qui cum Benjamin filium suum benediceret ait : *Benjamin lupus rapax mane comedit prædam, et vespere dividet spolia.* Qui enim nunc Paulus post conversionem dictus est, antea cum in impietate exsisteret Saulus vocabatur, quia cum commutavit opera mutavit et nomen. Erat enim de tribu Benjamin, eratque lupus mane, id est, primo persecutor Christianorum, vespere, id est postea, per
C Christi gratiam mutatus, divisit spolia, id est, gentibus mirifice evangelica sacramenta divisit. Audiamus eum mane comedentem prædam ; *Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini,* petit et accepit epistolas a principibus sacerdotum in Damascum ubi jam magna pars fidelium erat, ut quoscunque inveniret *hujus vitæ viros ac mulieres,* in Christum credentes, *vinctos adduceret in Jerusalem* ad martyrium.

Et dum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco, et subito circumfulsit eum lux de cœlo, et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris ? Quia quod uni ex fidelibus meis persequendo feceris, me hoc
D scito passurum. Quid frustra insanis contra nomen meum, quia jam olim omnium Judæorum manibus occidisti martyrem meum Stephanum? Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus oravit pro te.

Et ille : *Quis es, Domine ?* Et Dominus ad illum : *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris* infidelis, sed *surge et ingredere civitatem, ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Et surgens nihil videbat, et ita *erat tribus diebus non videns, et non manducavit neque bibit.* Ad hoc carnale istud lumen aliquod temporis perdidit, ut spiritale veracius per hanc pœnam percipere posset. Et hoc ideo triduo perdidit, quia Dominum non crediderat tertia die resurrexisse. Ananias quidam discipulus Christi erat

Damasco. Cui dixit Dominus : *Surge, vade in vicum qui dicitur Rectus, et quære Saulum*, et accede ad eum, et signa eum charactere meo, multa enim patietur pro nomine meo. Et ille : *Domine, audivi de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis*; ait illi Dominus : *Vade, quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum in gentibus coram regibus et principibus terræ*. Ideo enim prostrata est in eo superbia, ut erigatur humilitas, et devotio obsequii. Prostrata sunt in eo jam vitia, ut sanctitas erigatur. Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum impium, et fecit nobis Paulum prædicatorem pium; baptizavit lupum et fecit agnum, postque cœpimus habere eum prædicatorem, quem habuimus antea persecutorem; ecce quomodo vespere divisit spolia. Cœpit enim ubique statim prædicare Christum contra B quem antea fortiter expugnavit; nunc patiebatur Paulus quod fecerat Saulus; Saulus lapidavit Stephanum, Paulus lapidatus est propter Christum; Saulus Christianos virgis cecidit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas una minus ideo accepit, ut iterum cæderetur pro Christo. Nam omnia quæ antea fidelibus irrogarat supplicia, multo majora ipse passus est pro Christo tormenta. Si consideremus, dilectissimi nobis : via nostra Christus est. Christum attendite, pati venit, sed glorificari; contemni, sed etiam exaltari; mori, sed etiam resurgere. Ista cogitantes, fratres charissimi, non desperemus, quia etsi peccatores sumus, magnum medicum habemus. Ipsum medicum audite, *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Utilitas C autem rei gestæ hujus hæc est : Apostolus ipse commemorat in epistolis suis, dicit enim, ad hoc sibi datam veniam omnium peccatorum suorum, ut nemo de se desperet, qui fuerit in magnis peccatis involutus, et in magnis sceleribus irretitus, quasi veniam non sit accepturus, si conversus fuerit ad eum, qui pendens in cruce, pro persecutoribus suis oravit, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Factus ille ex persecutore est prædicator et doctor Gentium, *qui prius*, inquit, *fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus*. Vides meritum, pœna debetur. Ergo pœna non redditur, sed misericordiam pro pœna consequitur. Gratia enim salvi efficimur de peccatis nostris, largiente D ipso Domino nostro, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, respondens Simon Petrus, dixit ad Jesum : Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis, etc.

Tunc respondens Petrus dixit : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Grandis fiducia! Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos manu et arte quærebat, et tamen loquitur confidenter, *reliquimus omnia*. Et quia non sufficit tantum relinquere, jungit quod perfectum est, *et* A *secuti sumus te*, fecimus quod jussisti, quid igitur nobis dabis præmii?

Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Non dixit, qui reliquistis omnia, hoc enim et Socrates fecit philosophus, et multi alii divitias contempserunt; sed *qui secuti estis me*, quod proprie apostolorum est atque credentium; *in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ*, quando ex mortuis de corruptione resurgent incorrupti, *sedebitis et vos* in soliis judicantium condemnantes *duodecim tribus Israel*, quia vobis credentibus illi credere noluerunt. Hic discimus cum discipulis suis judicaturum Jesum; unde et alibi Judæis dixit : *Si ego in Belzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices erunt vestri*. Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum illo judicaturos putare deberemus : duodenario quippe numero universa quædam significata est judicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas; quæ duæ partes, id est, tria et quatuor, altera per alteram partem multiplicatæ duodecim faciunt. Nam et quatuor ter et tria quater duodecim sunt, et si qua alia hujus duodenarii numeri quæ ad hoc valeat ratio reperit. Alioquin quoniam in locum Judæ traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus Paulus, qui plus omnibus illis laboravit, ubi ad judicandum sedeat non habebit, qui profecto cum aliis sanctis ad numerum judicum se pertinere demonstrat, cum dicit : *Nescitis quia angelos judicabimus?* De ipsis quoque judicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, judicantes duodecim tribus Israel, tribus Levi, quæ tertia decima est ab eis judicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam gentes cæteras judicabunt. Quod autem ait, *in regeneratione*, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi, sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem.

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi et novissimi primi. Locus iste cum illa sententia congruit in qua Salvator loquitur, *non veni pacem mittere, sed gladium*, veni quippe separare hominem a patre suo et matrem a filia, et nurum a socru, et inimici hominis domestici ejus. Qui ergo propter fidem Christi et prædicationem Evangelii omnes affectus contempserint, atque divitias et sæculi voluptates, isti centuplum recipient et vitam æternam possidebunt. Ex occasione hujus sententiæ quidam introducunt mille

annos post resurrectionem dicentes, nobis tunc A centuplum omnium rerum quas dimisimus et vitam æternam esse reddendam, non intelligentes quod si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit centum recipiat in futuro. Sensus igitur iste est: qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritalia recipiet, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius numerus comparetur. Unde dicit et Apostolus, qui unam tantum domum et unius provinciæ parvos agros dimiserat, quasi nihil habentes et omnia possidentes. Qui enim Deum propitium habet, et illi rite servierit, nullius rei quæ ad salutem pertinet penuriam sustinebit, sed per ipsum in hoc sæculo solatium congruum habet, et in futura vita gaudium possidebit æternum B per Jesum Christum Dominum nostrum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXIII.

HEBDOMADA VII POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ Pauli ad Romanos.

Fratres, quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, etc.

Audistis, fratres charissimi, in lectione præsenti dicentem Apostolum, *an ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, ut sicut Christus tertia die resurrexit a mortuis, ita et nos in aqua C demersi, et mundo, atque diabolo mortui, et Christo consepulti, cum post tertiam mersionem elevamur de fonte, quasi Christus resurgimus, novi et immaculati, omnium peccatorum sorde deposita.

Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Tribus enim modis baptismum accipitur in Scripturis, aquæ, Spiritus sancti, qui quasi ignis omnia exurit peccata, et sanguinis in martyrio, propter nomen Christi effusi: de quo Salvator ait: *Baptismo habeo baptizari* in sanguine meo, ostendens nos propterea ita baptizari ut per mysterium consepeliamur Christo criminibus morientes, et D renuntiantes pristinæ vitæ, ut quomodo Pater glorificatus est in Filii resurrectione, ita et per nostræ conversationis novitatem post baptismum Christus ab omnibus glorificetur, ut nec signa quidem veteris malitiæ agnoscantur in nobis. Nec enim aliquid velle aut cupere debemus quod volunt aut cupiunt illi quicunque adhuc veteris vitæ erroribus implicantur.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis, simul et resurrectionis erimus. Si enim mundo morimur et concupiscentiis ejus, et consepulti nunc fieri cupimus Christo in morte peccati, in morte corporis nostri resurrectionis ejus merebimur esse participes. Et si in hac vita fuerimus novi et immutati in conversatione sancta permanentes, novi et immutati erimus cum Christo in æterna gloria.

Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est. Omnes fideles Christi, dicit Apostolus, cum Christo esse simul crucifixos, qui ante abrenuntiationem peccati, vel diaboli servitutem, veterem hominem Adam imitando, peccabant, per abrenuntiationem vitiorum atque per baptismum... quia membrum corporis Christi effecti sunt per sancti lavacri mysterium. Christus quidem innoxium suum corpus appendit ut nos noxium suspendamus a vitiis, *ut destruatur corpus peccati ut ultra non serviamus peccato.* Hoc est, ut omnia in nobis vitia, quæ post baptismum commisimus, per puram confessionem et pœnitentiam veram, simulque per eleemosynarum largitatem destruantur penitus, quia unum vitium membrum est peccati. Sicut Christus non ex parte, sed integer est crucifixus, ita ut prædiximus per confessionem, necesse est ut destruatur in nobis totum peccati corpus, ut fiat caro nostra justitiæ mancipium, quod solebat esse delicti. *Omnis enim qui facit peccatum servus est peccati.*

Qui enim mortuus est peccato per confessionem et detestationem peccati, *justificatus est a peccato.* Mortuus est enim omnino qui non peccat, et qui crucifixus est per pœnitentiam peccatis, dolore ac compunctione peccati, vix poterit etiam peccare.

Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivimus etiam cum illo. Si commortui non sumus Christo, nec convivemus cum Christo, quia ejus membra non sumus.

Scientes quod Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ita et nos si hic voluntate mortui fuerimus peccatis, secundam non timemus mortem, nec tenebimur a gehenna.

Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel, id est, non possumus iterum aqua baptizari, quia Christus non potest iterum crucifigi pro nobis. Sicut alibi dicitur: *Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, iterum baptizari,* quia ibi non pœnitentiam denegat, sed iterationem baptismi.

Quod autem vivit, vivit Deo, in gloria deitatis.

Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, si fueritis pariter confessi, *vivere autem Deo in Christo Jesu Domino nostro,* in operibus bonis et conversatione sancta, Dei vos misericordia protegente, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXIV.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen, dico vobis quia nisi abundaverit justitia vestra plus

quam scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum, etc.

Id est, nisi non solum illa minima legis præcepta impleveritis, quæ inchoant hominem, sed ista quæ a me adduntur, qui *non veni solvere legem, sed adimplere, non intrabitis in regnum cælorum.* Justitia Pharisæorum est, ut non occidant; justitia eorum qui intraturi sunt in regnum Dei est, ut non irascantur sine causa : minimum est ergo et non occidere, et qui illud solverit minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem illud impleverit ut non occidat, non continuo magnus erit et idoneus regno cælorum ; sed tamen ascendit aliquem gradum ; perficitur autem si nec irascitur sine causa : quod si perfecerit multo remotior erit ab homicidio ; quapropter qui docet ut non irascamur, non solvit legem ne occidamus, sed implet potius ut foris dum non occidimus, et in corde dum non irascimur innocentiam custodiamus.

Audistis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit reus erit judicio. In lege enim indicabatur, ut qui occidebat et ipse occideretur :

Ego autem dico vobis. Id est, novus homo vobis novis nova loquor : *Quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio.* Videndum est quantum intersit inter justitiam Pharisæorum et Christianorum quæ introducit in regnum cælorum : ibi enim occisio reum facit judicio, hic autem ira nihilominus reum facit judicio.

Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Hoc verbum proprie Hebræorum est : raca enim dicitur κένοι, id est, inanis et vacuus quem nos possumus vulgata injuria absque cerebro nuncupare. Si de otioso sermone reddituri sumus rationem, quanto magis de contumelia ? Sed et signanter additur, *qui dixerit fratri suo, Raca,* frater enim nullus est, nisi qui eumdem nobiscum habet patrem. Cum ergo similiter credat in Deum et Christum Dei noverit sapientiam, qua ratione stultitiæ elogio denotari potest ? Quid interest inter reum judicio et reum consilio, et reum gehennæ ignis ? Nam hoc postremum gravissimum sonat et admonet gradus quosdam factos a levioribus ad graviora donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideo si levius est reum esse judicio quam esse consilio, item levius est esse reum consilio, quam reum esse gehennæ ignis. Oportet levius esse intelligatur irasci sine causa fratri quam dicere, Raca, et rursus levius esse dicere Raca, quam dicere, Fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorentur. Raca enim obscurum est, quia nec Græcum est nec latinum, nonnulli autem de Græco trahere voluerunt ejus interpretationem putantes pannosum dici : Græce enim pannus rachus dicitur. Probabilius autem dicitur vocem esse significantem non ad aliquid aliud nisi indignanis animi motum exprimendum, ut sunt apud grammaticos interjectiones, cum dicitur a dolente, heu ! vel ab irascente hem ! quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ nec in

A aliam linguam facile transferuntur : quæ causa utique coegit tam Græcum interpretem quam Latinum vocem ipsam ponere, cum quomodo eam interpretaretur non inveniret. Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur et eum motum retineat corde, mente conceptum : jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio non significantem aliquid, sed illum animi motum, ipsa eruptione testantem qua feriatur ille cui irascitur : plus est utique quam si surgens ira silentio premeretur. Si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quod jam certam ejus vituperationem in quem profertur designet et notet, quis dubitet amplius hoc esse quam si solus indignationis sonus ederetur ? Itaque in primo unum est, id est, ira sola, in secundo
B duo, ira et vox quæ iram significat, in tertio tria, id est, ira et vox quæ iram significet, et in voce ipsa certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres reatus, judicii, consilii, et gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc defensioni datur locus, in consilio autem quanquam et judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad consilium pertinere sententiæ probatio quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant conferunt, quo supplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum : gehenna vero ignis nec damnationem habet dubiam sicut judicium, nec damnati pœnam sicut consilium. In gehenna quippe certa est et damnatio et pœna damnati, gehenna nomen compositum est
C ex ge et henna ; ge enim vallis interpretatur, gehenna autem vallis gravida ; fuit enim vallis filiorum Ennon juxta Jerusalem, in qua multa jacuere cadavera mortuorum : unde et inferni gehenna congruit nomini.

Si ergo offeres munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Non dixit, Si tu habes adversus fratrem tuum : sed, Si *frater tuus habet aliquid adversum te,* ut durior reconciliationis tibi imponatur necessitas. Quandiu ergo illum placare non possumus, nescio an consequenter munera nostra offeramus Deo. Docet utique eum qui in fratrem impacificus est pacis ho-
D stiam juste Domino offerre non posse. Si in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus, tunc enim ipse habet adversum nos frater. Nam nos habemus adversus illum si ille nos, ubi non opus est pergere ad reconciliationem. Non enim veniam postulabis ab eo qui fecit tibi injuriam, sed tantum dimittis sicut tibi dimitti a Domino cupis quod ipse commiseris. Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus ; pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Spiritaliter templum nostrum

interior homo est, altare fides, munus prophetia, doctrina, oratio, hymnus, psalmus, et si quid tale spiritalium donorum aliquid occurrerit. Ita etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc prius coram Domino feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed et celerrimo dilectionis affectu. Atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas offeres munus tuum; omne enim munus quod recta fide et perfecta dilectione a quoquam homine Deo offertur ab ipso gratanter accipitur, et ei mercedem condignam in cœlesti regno ipse tribuet: qui vivit et regnat in unitate et trinitate perfecta Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXV.

IN OCTAVA APOSTOLORUM.

Lectio libri Ecclesiastici.

Hi sunt viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum: et filii eorum propter eos usque in æternum manent; generatio eorum et gloria eorum non derelinquetur, corpora eorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum vivent in sæcula. Sapientiam eorum narrabunt omnes populi, et laudem eorum pronuntiat omnis Ecclesia sanctorum.

Hæc verba viri sapientis non solum sanctis apostolis atque prophetis conveniunt, sed etiam omnibus sanctis atque fidelibus, qui fidem catholicam tenentes non cessant quotidie pio labore bona opera exercere. Et non tam sibimetipsis bene conversando consulunt, ad promerendam æternam requiem; verum etiam omnibus auditoribus suis student voluntatem Dei intimare, quatenus per rectam fidem et bonam operationem studeant ad salutem perpetuam pervenire. Illi, inquit, *viri sunt misericordiæ*, qui recta fide et bonis operibus misericordiam Domini promeruerunt. Nam *misericordia ejus a progenie in progenies est timentibus eum*. Horum actiones bonæ non defuere in retributione, sed cum semine eorum, hoc est, unius Dei cultoribus qui nepotes et hæredes fiebant fidei et religiosæ conversationis eorum, testamentum legis Dei firmum stetit, et propago sobolis eorum propter illorum merita longo tempore mansit: nec gloria sanctorum patrum ulla oblivione delebitur, sed corpora ipsorum in pace quiescentia exspectant resurrectionis diem, ut accipiant gloriam incorruptionis. Nomen autem eorum celebre apud posteros suos perseverat, qui sapientiam ipsorum ubique prædicant, et laudabilem vitam eorum quotidie in Ecclesia sanctorum magnis laudibus exaltant. Hæc quidem juxta historiam ad patriarchas et prophetas pertinere videntur quorum semen, hoc est Israelitæ propter eorum merita et promissiones, quæ ad ipsos factæ sunt, sæpe de angustiis liberatum est, et veniam peccatorum non sua justitia, sed parentum suorum fide et actione bona promeruit. Unde est illud, quod Moyses pro eodem populo Israe-

A litico peccante orans Abraham et Isaac et Jacob quibus promissiones datæ sunt ducit in memoriam, ut eorum meritis Dominus placatus peccantibus filiis donaret indulgentiam. Sic et David meritum filios ejus in multis adjuvat, ob cujus memoriam etiam Dominus filiis ejus multo tempore regnum servavit, sed sacratiore sensu viri misericordiæ sunt Apostoli Domini nostri Jesu Christi, et prædicatores Novi Testamenti: qui verbo Evangelii et sacro baptismate filios Deo dignos quotidie pariunt, qui imitatores parentum suorum facti in fide et conversatione eorum exempla sequuntur. Horum scilicet corpora post finem vitæ præsentis dormiunt in spe resurrectionis, exspectantes futuram gloriam, quando semen bonorum operum illorum cœlesti mercede a superno ju-
B dice removeretur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXVI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore, jussit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, etc.

Discipulis præcipit transfretare et compellit ut ascendant in naviculam. Quo sermone ostenditur invitos eos a Domino recessisse dum amore præceptoris ab eo nolunt separari. Quare coegerit discipulos ascendere navem, et ipse mox dimisso populo in montem oraturus abierit Joannes manifeste de-
C clarat, qui completa refectione illa cœlesti continuo subjecit: *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*, ubi necessarium nobis vivendi monstrat exemplum, ut in bonis quæ agimus humani favoris retributionem vitemus, neque nos operatio virtutum spiritalium, ad concupiscentiam reflectat temporalium voluptatum. Nonnullis etenim contigit, ut dum per meritum vitæ sublimioris mirandi minoribus ac laudabiles existerent et jure honorandi putarentur, acceptis pecuniis sive prædiis inchoata justitiæ rudimenta perderent. Et cum carnalibus sese illecebris atque avaritia incauti corrumperent, ipsis etiam a quibus honorabantur pro bonis, denuo pro malis actibus, non solum in fasti-
D dium, verum etiam devenirent in odium. Minusque multo periculosum est in his quæ recte agimus adversantium improbitate fatigari, quam honorantium favore demulceri. Hic etenim securiorem sæpe corrumpit animum: illa circumspectum semper reddit et cautum. Unde Dominus viam nobis vitæ quam sequamur nuntians, cum hi qui virtutes ejus admirabantur regem eum facere vellent, *fugit in montem orare*. Cum vero illi qui virtutibus ejus invidebant eum morti tradere disponerent, occurrit promptus, et vinciendum se crucifigendumque furentibus obtulit. Evidenti nos informans exemplo ut parati simus ad adversa sæculi toleranda, cauti ad blandimenta, cum forte arriserint declinanda, et ne nos

prospera mundi, si affluant, emolliendo decipiant, crebris a Domino precibus imploremus. Quo autem disci.uli Dominum præcederent Marcus ostendit, qui narrat quod Dominus coegerit discipulos suos ascendere navim, et præcedere se trans fretum ad Bethsaidam dum ipse dimitteret populum. Bethsaida est ergo in Galilæa civitas Andreæ et Petri et Philippi Apostolorum prope stagnum Genezareth ut in Locorum libris invenimus: ubi merito monet quomodo dicat Marcus peracto discipulos miraculo panum venisse trans fretum ad Bethsaidam: cum videatur dicere Lucas quod in locis Bethsaidæ factum fuerit miraculum illud memorabile et refectio cœlestis. Ait enim: *Assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaida; quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum, et excepit illos*, et cætera quæ sequuntur usque ad completam illam refectionis sacræ historiam: nisi forte intelligamus in eo quod Lucas ait, *in locum desertum qui est Bethsaida*, non ipsius vicinia civitatis, sed loca deserti ad eam pertinentis esse designata; Marcus enim dicit aperte, quod præcederent eum ad Bethsaidam, ubi ipsius civitatis fines constat esse notatos. Lucas vero, qui dicit: *in locum desertum qui est Bethsaida*. Potest, nisi fallor, recte intelligi non Bethsaidam, sed locum desertum ipsius: id est, ad ejus confinia pertinentem. Narrat autem Evangelista Joannes manducasse panem turbas juxta Tyberiadem et ascendentes navim discipulos venisse trans mare in Capharnaum, quæ ambæ sunt civitates in Galilæa juxta stagnum Genezareth quod etiam Tyberiadis a civitate Tyberiade vocatur.

Et dimissa turba, ascendit in montem orare solus. Si fuissent cum eo discipuli Petrus et Jacobus et Joannes qui viderant gloriam transformati, forsitan ascendissent in montem cum eo. Sed turba ad sublimia sequi non poterat, nisi docuisset eam juxta mare in littore et aleret in deserto. Quod autem ascendit solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quinque millia hominum satiavit exceptis mulieribus et parvulis: sed ad eum qui audita morte Joannis recessit in solitudinem. Non quod personam Domini separemus, sed quod opera ejus inter Deum hominemque divisa sint. Ubi est notandum quod non omnis qui orat ascendit in montem: est enim oratio quæ peccatum facit; sed bene orat qui Deum orando quærit. Hic a terrenis ad superiora progrediens, verticem curæ sublimioris ascendit. Qui vero de divitiis aut de honore sæculi, aut certe de inimici morte sollicitus obsecrat, ipse in infirmis jacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem Dominus, non ut pro se obsecret, sed ut pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit Pater in potestatem filii, filius tamen ut formam hominis impleret, obsecrandum patrem putat esse pro nobis, quia advocatus noster. *Advocatum* enim, inquit Joannes, *habemus apud Patrem, Jesum Christum*. Si advocatus est debet pro meis intervenire peccatis, non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quoniam omnia quæ

A velit possit, et advocatus et judex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis.

Vespere autem facto, solus erat ibi. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. Erat enim ventus contrarius. Recte quasi inviti et retractantes Apostoli a Domino recesserant, ne illo absente naufragium sustinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur, et turbatur mare, et periclitantur Apostoli, et tandiu imminens naufragium perseverat, quandiu Jesus non venit. Labor quidem discipulorum in remigando et contrarius eis ventus labores Ecclesiæ sanctæ varios designat, quæ inter undas sæculi adversantes et immundorum flatus spirituum ad quietem patriæ cœlestis, quasi ad fidam littoris stationem, B pervenire conatur. Ubi bene dicitur quia navis erat in medio mari, et ipse solus in terra, quia nonnunquam Ecclesia tantis gentilium pressuris, non solum afflicta, sed et fœdata est, ut si fieri posset, redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur. Unde est illa vox ejus inter undas procellasque tentationum verrentium, deprehensa, atque auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis, *Ut quid, Domine, recessisti longe? despicis in opportunitatibus, in tribulatione;* quæ pariter vocem inimici persequentis exponit in sequentibus ipsius psalmi, subjiciens: *Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat usque in finem.* Verum ille non obliviscitur orationem pauperum, neque avertit faciem suam a sperantibus in se, quin C potius et certantes cum hostibus ut vincant adjuvat, et victores in æternum coronat. Unde hoc in loco apte quoque, per Marcum dicitur, *qui vidit eos laborantes in remigando*. Videt quippe Dominus laborantes suos in mari, quamvis ipse positus in terra, quia etsi ad horam differret, videretur auxilium tribulatis impendere, nihilominus tamen ne in tribulationibus deficiant suæ respectu pietatis corroborat, et aliquando etiam manifesto adjutorio victis adversitatibus, quasi calcatis sedatisque fluctuum voluminibus liberat, sicut hic quoque subsequenter insinuatur cum dicitur:

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Stationes et vigiliæ militares inter horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit, *quarta vigilia noctis* venisse ad eos Dominum, ostendit eos D tota nocte periclitatos, et extremo noctis tempore eis auxilium præbitum. Laborant ergo toto noctis opacæ tempore, sed diluculo appropinquante, et lucifero solis dieique exortum promittente venit Dominus, et superambulans tumida freti terga comprimit, quia cum pressuris obsita fragilitas humana pusillitatem virium suarum considerat, nil erga se aliud quam tenebras angustiarum, et æstus cernit hostilium confligentium. Cum vero mentem ad superni lumen præsidii, et perpetuæ dona retributionis erexerit, quasi inter umbras noctis repente exortum luciferi conspicit, qui diem proximum nuntiet. Lucifer namque cum plurimum tres horas noctis, id est, totam vigiliam matutinam illuminare perhibetur, aderitque

Dominus, qui sopitis tentationum periculis plenam A libertatis fiduciam suæ protectioni attribuat. Sequitur :

Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt, dicentes : quia phantasma est. Si juxta Marcionem et Manichæum Dominus noster non est natus ex virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc apostoli timent ne phantasma videant? Adhuc hæretici putant phantasma fuisse Dominum, nec veram assumpsisse carnem de virgine. Denique Theodorus Pharinitanus quondam episcopus ita scripsit, corporale pondus non habuisse secundum carnem Dominum, sed absque pondere et corpore super mare deambulasse. At contra fides catholica, et pondus secundum carnem habere eum prædicat, et onus corporeum, et B cum pondere atque onere corporali incedere super aquas non infusis pedibus. Nam Dionysius egregius inter ecclesiasticos scriptores, in opusculis de divinis nominibus, hoc modo loquitur : « Ignoramus enim qualiter de virgineis sanguinibus, alia lege præter naturalem formabatur, et qualiter non infusis pedibus, corporale pondus habentibus et materiale onus, deambulabat in humida et instabili substantia. » Intuendum est igitur quomodo Marcus dicat, quod circa quartam vigiliam noctis veniret ad eos Dominus ambulans super mare et vellet præterire eos. Quomodo autem volebat Dominus eos præterire tanquam alienos, ad quos de periculo naufragii liberandos advenerat? nisi ut ad horam turbati et paventes, sed continuo liberati, amplius ereptio- C nis suæ miraculum stuperent, ac majores ereptori suæ gratias referrent, quia et in tempestatibus passionum quæ pro constantia fidei a perfidis ingeruntur talis nonnunquam previsio divinitus ostenditur. Sæpe enim ita fideles in tribulatione positos superna pietas deseruisse visa est, ut quasi laborantes in mari discipulos præterire Jesus voluisse putaretur. Unde est illud Ecclesiæ martyrii certamine desudantis. *Quare mei oblitus es, quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus, dum confringuntur omnia ossa mea?* etc. Sed dicant inimici terrentes : *Ubi est Deus eorum?* quasi naufragium fessis nuntiantes Apostolis, dicit ipse Deus eorum : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combu-* D *veris et flamma non ardebit in te.* Quod autem sequitur, *et præ timore clamaverunt*, confusus clamor et incerta vox magni timoris indicium est. Sed verum est Psalmistæ testimonium, *quia prope est Dominus timentibus se, et non derelinquit omnes qui sperant in eum.* Unde et subditur :

Statimque Jesus locutus est eis dicens : Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Quod primum versabatur in causa, hoc curat, et timentibus præcipit dicens, *habete fiduciam. Nolite timere*, et quod sequitur, *ego sum*, nec subjungit quis sit : vel ex voce nota poterant eum intelligere, quia per obscuras noctis tenebras loquebatur, vel ipsum esse scire poterant quem locutum ad Moysen noverant, *hæc dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.*

Respondens autem Petrus, dixit ei : Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse ait : Veni. In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus. Interrogatis discipulis, quem homines dicerent Jesum, Dei filium confitetur. Volente ad passionem pergere, licet erret in re, tamen non errat in affectu; nolens eum mori quem filium Dei fuerat paulo ante confessus. In montem cum Salvatore inter primos ascendit, et in passione solus sequitur. Peccatum negationis quod ex repentino timore descenderat, amarissimis statim abluit lacrymis. Post passionem cum esset in lacu Genezareth et piscarentur, et Dominus staret in littore aliis paulatim navigantibus, ille non patitur moras, sed accinctus, statim præcipitatur in fluctus. Eodem igitur fidei ardore quo semper cætera nunc quoque cæteris tacentibus credidit, se posse facere voluntatem magistri, quod ille non poterat per naturam, *jube me,* inquit, *venire ad te supra aquas.* Tu præcipe et illico solidabunt, unde ac leve fiet corpus quod per se grave est.

Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. Qui putant Domini corpus ideo non esse verum, quia super molles aquas molle et aerium incesserit? respondeant quomodo ambulaverit Petrus, quem utique verum hominem non negabunt.

Videns vero validum ventum, timuit, et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac. Ardebat animi fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat; paululum ergo relinquitur tentationi ut augeatur fides, et intelligat se non facilitate postulationis, sed potentia Domini conservatum.

Et continuo extendens manum apprehendit eum. Nisi ergo Dominus extendisset manum, qui alibi negantem respexit Petrum, ipse Petrus protinus mergeretur in profundum, nec etiam evaderet infernum. Respexit Dominus et ad pœnitentiam convertit, manum extendit et indulgentiam tribuit, et sic salutem perfectam discipulus invenit. Quia juxta Pauli vocem *non est volentis neque currentis, sed miserantis Dei.* Nec enim nostro salvabimur merito, sed illius dono.

Et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti? Si apostolo Petro de cujus fide et ardore mentis supra diximus, quod confidenter rogaverit Salvatorem dicens, *Domine, si tu es, jube me venire ad te supra aquas*, quia paululum timuit, dicitur ei, *modicæ fidei, quare dubitasti?* quid nobis dicendum est, qui hujus modicæ fidei nec minimam quidem habemus portiunculam. Mystice autem quod Petrus a Domino jussus venire, fluctus maris calcat quo veniat ad Jesum, significat Ecclesiam cujus ipse pastor est, tendentem ad cœlestem patriam, fluctus hujus sæculi vestigio rectæ fidei et gressibus bonorum operum, superando calcare, et quod Petrus tempestate territus in fluctibus mergi cœpit, infirmiores quosque in Ecclesia quos procella persecutionum seu turbo ten-

tationum terret, et a tenore fidei sive a statu bonorum actuum paululum reflectit, exprimit. Quos tamen ne funditus in perfidiam et in voraginem peccatorum mergantur, porrecta divinæ propitiationis dextra extrahit. Et sicut Petrum erutum de abyssi pelago, ita illos ereptos de persecutorum scandalo in firmo quietis supernæ solo juxta se collocabit. Quia impossibile est ut eorum aliquis pereat, quos censura justi judicis prædestinatos habet ad vitam æternam. Unde ipsa Veritas ait, *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Novit enim Dominus pios de tentatione eripere, et non est impotens inter turbines tempestatum hujus sæculi suos ab omni nequitia pravorum illæsos custodire. Sed videamus quod sequitur :

Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus. Prima ergo trepidantium et periclitantium subventio est, incussum cordibus expellere timorem, secunda tempestatum ferias suæ præsentiæ virtute compescere. Nec mirandum si ascendente in naviculam Domino ventus cessavit. In quocumque enim corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox universa vitiorum et adversantis mundi, sive spirituum malignorum bella compressa quiescunt.

Qui autem in navicula erant, venerunt et adoraverunt eum dicentes : Vere Filius Dei es. Ad unum signum tranquillitate maris reddita, quæ post nimias procellas interdum et casu fieri solet, nautæ atque vectores vere Dei filium confitentur, et Arius in Ecclesia prædicat creaturam. Non ergo ipsum non juxta hæreticorum dementiam creaturam, inter omnia creatam, sed creatorem ante omnia simul cum Patre et Spiritu sancto existentem atque manentem credamus et confiteamur, et in ipsa confessione dignis bonorum operum laudibus veneremur eum et prædicemus in conspectu filiorum hominum ipsum esse filium Dei unigenitum, narrantes virtutes ejus et mirabilia ejus, quæ fecit qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXVII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos.

Fratres, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu et reverentia; etenim Deus noster ignis consumens est.

Quomodo alibi dixit, quæ videntur temporalia sunt, quæ vero non videntur æterna, et inde sumpsit exhortationis et consolationis argumentum, pro malis quæ in præsenti tempore toleramus, sic etiam hic facit, ac dicit, firmi debemus existere ut habeamus gratiam, hoc est gratias agamus Deo, non solum debemus æquanimiter ferre præsentia mala, sed etiam gratias illi pro futuris bonis offerre. *Per quam*, inquit, *serviamus bene placentes Deo.* Hoc est, sic quippe placentes, Deo servimus cum ei per omnia gratiæ deferuntur. *Omnia*, inquit, *facite*, *sine murmuratione et sine hæsitatione*, quod quippe quis operatus fuerit murmurans recidetur, et perit merces ejus. Sicut etiam Israelitæ quale judicium perceperunt propter murmurationem, propterea inquit, *non murmuretis*. Non enim placet Deo quando cum murmuratione servitur, et non ei pro omnibus gratiæ deferuntur, et pro tentationibus, et pro spiritalibus. *Nihil ergo supinum loquamur, nihil impudens, sed submittamus nos ut venerabiliter ac reverenter esse possimus*, hoc est, cum reverentia et metu Domini.

Charitas fraternitatis maneat, et hospitalitatem nolite obliscivi : per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Intuere quomodo eos præcipit præcepta præsentia custodire : non enim eis alia superimponit, non dixit : Efficiamini amatores fratrum, sed *permaneat charitas fraternitatis.* Et iterum non dixit hospitales efficiamini, tanquam si non essent, sed *hospitalitatem nolite oblivisci* : ex tribulationibus enim poterat fortasse contingere. *Per hanc enim*, inquit, *quidam placuerunt*, *angelos hospitio recipientes.* Attendis quantus honor, quantum lucrum, sive secundum aliam editionem quidam latuerunt, hoc est, nescientes, in hospitio receperunt, propterea et multa merces ejus, qui nesciens eos angelos esse in hospitio recepit. Nam si sciret, nihil mirum esset. Quidam dicunt quod in hoc loco etiam Loth significatur.

Mementote vinctorum, tanquam simul vincti; et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus. Fornicatores et adulteros judicabit Deus. Contemplare quantus illi de pudicitia sermo profunditur. *Pacem*, inquit, *cum omnibus sectamini et sanctificationem, ne quis fornicator vel pollutus.* Et iterum, *fornicarios autem et adulteros judicat Deus.* Sed videamus nunc qualiter honorabiles esse nuptias in omnibus dicat et thronum immaculatum, quoniam videlicet in sanctitate pudicitiæ facit conversari fidelem. Hic etiam Judæos pulsat, qui pollutum putabant conjugalem concubitum, et dicebant ex lecto conjugis surgentem mundum non posse constare. Non igitur pollutum est, quod ex natura conceditur, o ingratissimi et insensatissimi Judæi, sed quod ex prava voluntate descendit. Nam si honorabiles quædam sunt nuptiæ, mundæ etiam sunt. Cur itaque ex his pollutionem fieri existimatis, et primo ponens honorabile connubium in omnibus et thorum immaculatum, ostendit quia juste intulit quæ sequuntur. Si enim connubium est concessum, juste fornicator suppliciis afficitur, juste punientur adulteri. Hic adversus hæreticos dimicat, et vide quam bene non dixit, iterum nullus sit avarus, sed simul dicens. Tunc intulit veluti commune consilium, non velut ad ipsos solos sermones dirigens.

Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Sint, inquit, *mores sine avaritia*, non dixit nolite possidere, sed *sint mores sine avaritia*, ostendit philosophiam cujusque voluntatis. Etenim supra dixerat, *et rapinam substantiarum vestrarum cum gaudio suscepistis*, unde ostendit eos non esse avaritiæ deditos. Juste

ergo eos admonet, *sufficientiam*, inquit, *habentes præsentium*, quod plurimi post exinanitionem substantiarum suarum, postea cupiunt sub obtentu eleemosynæ iterum congregare divitias, propterea inquit, *sint mores sine avaritia*, hoc est, ut illud exspectemus quod usui opus fuerit, et pro necessariis tantum curam geramus. Quod ergo dicit aliquis, sive ipsorum necessariorum nobis contingat habere suffragia, non est hoc, crede mihi, non est.

Ipse quippe *dixit : Non te deseram, neque derelinquam ; ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor* est, *non timebo quid faciat mihi homo.* Iterum, in tentationibus consolatio : ipse quippe dixit et protinus nulla ratione mentitus, quoniam *te non derelinquam*, proinde cum confidentia nos dicere possumus, *Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo.* Promissum habes, non debes hæsitare. Ipse promisit non ambigas, quod autem dicit, *non te derelinquam :* non de pecuniis tantum dicit, sed etiam de aliis cunctis. *Dominus*, inquit, *mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo*, et recte, hoc igitur etiam nos in universis tentationibus exclamemus, et Deum habentes propitium humana omnia irrideamus. Sicut enim Deo indignante nihil nobis proderit, ac si cuncti amici consistant, sic etiam Deo nos diligente nulla nobis erit necessitas, nulla læsio, ac si nos cuncti hostiliter insequantur. *Non timebo*, inquit, *quid faciat mihi homo.*

Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. In hoc loco etiam de adjutorio in fratres eum existimo dicere : hoc est enim quod dicit, *qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum contemplantes exitum conversationis imitamini fidem.* Quid est contemplantes ? sæpius animo versantes, et apud nosmetipsos examinantes, considerantes, subtiliter discutientes, inquit, *exitum conversationis*, hoc est, perseverantiam usque in finem, quoniam finem habuit bonum eorum conversatio, *Optimam intuentes*, inquit, *eorum vitam imitamini fidem.* Ex vita munda, fidem firmatam dicit ; quomodo ? quoniam credunt de futuris. Non enim ostenderent vitam mundam si hæsitarent de futuris.

Jesus Christus heri et hodie, ipse in sæcula sæculorum. Heri omne præteritum significat tempus, hodie præsens ex sæcula sæculorum, futurum sine termino. Tanquam si diceret, Audistis pontificem, sed non pontificem qui desinat esse, semper idem ipse est. Veluti si essent quidam qui dicerent, quod non est, sed alter venturus est. Ad hoc respondit, quod qui fuit heri ipse hodie et in sæculum, nam hodieque Judæi dicunt alium esse venturum expertes semetipsos, ab eo redientes qui verus est pontifex declinaverunt in errorem, ut Antichristum putent esse venturum ; quem errorem quicunque secutus fuerit, si non se correxerit, nec pœnitentiam condignam inde egerit, inferni cruciatum nullo modo evadere poterit.

HOMILIA CXVIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, cum egressus esset Jesus in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat dicens : Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam ?

Audierat, credo, iste quæsitor vitæ æternæ a Domino, tantum eos qui parvulorum velint esse similes, dignos esse introitu regni cœlestis, atque ideo curam gerens tractatus certioris possit sibi non per parabolas, sed aperte quibus operum meritis vitam æternam consequi possit exponi.

Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum ? Nemo bonus nisi unus Deus. Quia magistrum vocaverat bonum et non Deum vel Dei filium confessus erat, discit quamvis sanctum hominem, comparatione Dei non esse bonum. De quo dicitur : *Confitemini Domino quoniam bonus.* Unus autem Deus bonus non pater solus intelligendus est, sed et filius qui dicit : *Ego sum Pastor bonus*, sed et Spiritus sanctus, *quia Pater de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Id est, ipsa una et individua Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, solus et unus Deus bonus est. Non igitur Dominus se bonum negat, se esse Deum significat. Non se magistrum bonum non esse, sed magistrum absque Deo nullum bonum esse testatur.

Præcepta nosti : Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. Hæc est puerilis innocentiæ castitas, quæ nobis imitanda proponitur si regnum Dei volumus intrare. Notandum sane quod justitia legis suo tempore custodita, non solum bona terræ, verum etiam suis cultoribus vitam conferebat æternam.

Et ille respondens ait : Magister, hæc omnia observavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit illi : Unum tibi deest. Non est putandus homo iste vel voto tentantis, ut quidam putavere, Dominum interrogasse, et de sua esse vita mentitus, cum se legis mandata custodisse dicebat, sed simpliciter ut vixerit esse confessus, quia si mendacio aut simulationis noxa reus teneretur, nequaquam intuitus arcana cordis ejus diligere diceretur Jesus. Diligit enim Dominus eos qui mandata legis, quamvis minora, custodiunt, sed nihilominus quod in lege minus fuerat, his qui perfecti esse desiderant ostendit : quia non venit solvere legem aut prophetas, sed adimplere. Ad quam profecto adimpletionem pertinet, quod hic consequenter adjungit.

Vade, quæcunque habes vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me. Quicunque perfectus esse voluerit debet vendere quæ habet, et non ex parte vendere, sicut Ananias fecit et Saphira, sed totum vendere, et, cum vendiderit, dare omne pauperibus, et sic sibi præparare thesaurum in regno cœlorum. Nec hoc ad perfectionem

sufficit, nisi post contemptas divitias Salvatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur quam voluntas. Multi divitias relinquentes Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. Qui enim dicit se in Christo credere, debet quomodo ille ambulavit et ipse ambulare, sicque perveniet ad regnum cœleste.

HOMILIA CXIX.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore venit Jesus in regionem Gerasenorum. Et exeunti ei de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. Qui domicilium habebat in monumentis, etc.

Homo iste qui spiritu vexabatur immundo, et Domino vesanus sed mox curandus occurrit, figuram habebit populi gentilis, qui usque ad tempora Dominicæ incarnationis dæmoniacis delusus doctrinis, idola pro Deo colebat. *Qui domicilium habebat in monumentis*, quia in mortuis operibus, hoc est, in peccatis delectabatur. Quid enim sunt corpora perfidorum, nisi quædam defunctorum sepulcra? in quibus non Dei habitat sermo, sed anima peccatis mortua recluditur.

Et neque catenis jam quisquam eum poterat ligare, quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare. Catenis et compedibus, graves et duræ leges significantur gentium, quibus et in eorum republica peccata cohibentur. *Ruptisque catenis*, ut Lucas scribit, *agebatur a dæmonio in desertum*, quia etiam transgressis legibus, ad ea scelera cupiditate ducebatur, quæ jam vulgarem consuetudinem excederent.

Et semper nocte ac die in monumentis et in montibus erat, clamans et concidens se lapidibus. Semper nocte ac die furiebat dæmoniosus: quia gentilitas sive adversis rerum casibus laboraret, seu pax et prosperitas aliqua mundi blandientis arrideret, nequaquam a servitio malignorum spirituum collum mentis excutere noverat, sed per operum fœditatem quasi in monumentis jacebat. Per fastum superbiæ in montium jugis errabat, per verba durissimæ infidelitatis, quasi arreptis furibunda cautibus seipsam concidebat. Sed attestante Joanne Baptista, Dominus de lapidibus suscitavit filios Abrahæ, cum dura infidelium corda ad gratiam pietatis convertit.

Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et adoravit eum, et clamans voce magna, dixit: Quid mihi et tibi, Jesu Fili Dei altissimi? Quanta Arii vesania, Jesum creaturam et non Deum credere, quem Filium Dei altissimi dæmones credunt et contremiscunt? quæ impietas Judæorum eum dicere in principe dæmoniorum ejecisse dæmonia, quem ipsa dæmonia fatentur nihil secum habere commune, qui hoc ipsum quod tunc per dæmoniaci clamavere furorem, postmodum in delubris idolorum dicere et confiteri non cessarunt, Jesum videlicet esse Christum Filium Dei

A altissimi, nec se aliquid cum illo pacis aut societatis habere.

Adjuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi, spiritus immunde, ab homine. Hostis humanæ salutis non exiguum sibi ducit esse tormentum ab hominis læsione cessare, quantoque hunc diutius possidere solebat, tanto difficilius dimittere consentit. Unde studendum summopere est, ut siquando ut homines a diabolo superemur, mox ejus laqueos evitare satagamus, ne si aliquanto tardius ipsi resistatur, laboriosius quandoque pellatur.

Et interrogabat eum quod tibi nomen est? Et dicit ei, Legio nomen mihi est, quia multi sumus. Non velut inscius nomen inquirit, sed ut confessa publice peste quam furens tolerabat, virtus curantis gratior emi-
B caret. Sed et nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam dæmones ejicere norunt solent dicere, patientes non aliter valere curari, nisi quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus, visu, auditu, gustu, tactu et alio quolibet corporis aut animi sensu vigilantes, dormientesve pertulerunt confitendo patenter exponant. Quod vero dicebat spiritus: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus*, significat populum gentium non uni cuilibet, sed innumeris ac diversis idololatriæ cultibus esse mancipatum, cui contra scriptum est, quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Unde bene in Babylonis constructione linguarum unitas, per spiritum superbiæ inscissa in Hierosolyma est, per gratiam
C sancti Spiritus linguarum varietas adunata. Et illa confusio, hæc visio pacis interpretatur, quia videlicet electos in pluribus linguis et gentibus, una fides ac pietas toto orbe pacificandos confirmant, reprobos autem plures sectæ quam linguæ dissociando confundunt.

Et precabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. In Evangelio Lucæ ita scriptum est, *et rogabant eum ne imperaret illis, ut in abyssum irent.* Sciebant ergo dæmones aliquando futurum ut per adventum Domini mitterentur in abyssum, non ipsi futura prædivinantes, sed Prophetarum de se dicta recolentes, ideoque gloriam Dominici adventus quam mirabantur, ad suam pertimescebant tendere damnationem.

D *Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus. Et concessit eis statim Jesus.* Ideo permisit eis quod petebant, ut per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio præberetur, pastores enim ista cernentes statim nuntiant civitati. Erubescat Manichæus si quippe de eadem substantia, et ex eodem auctore hominum bestiarumque sunt animæ, quomodo ob unius hominis salutem duo millia porcorum suffocantur? In quorum tamen interitu figuraliter homines immundi, vocis et orationis expertes indicantur, qui in monte superbiæ pascentes lutulentis oblectantur in actibus, talibus enim per cultus idolorum possunt dæmonia dominari. Nam nisi quis porci more vixerit, non in

eum diabolus accipiet potestatem ad approbandum tantum, non autem ad perdendum accipiet.

Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: et magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari. Significat autem hoc, quod jam clarificata Ecclesia et liberato populo gentium a dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerunt cæca et profunda curiositate submersi. Et notandum quod spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Salvator petentibus, quos certe in abyssum posset relegare, concederet. Rem necessariam docere nos volens, ut scilicet noverimus eos multo minus posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscunque potuerunt. Hanc autem potestatem Deus bonus occulta justitia nobis dare potest, injusta non potest.

Qui autem pascebant eos, fugerunt et nuntiaverunt in civitatem et in agros. Quod pastores porcorum fugientes ista nuntiant, significat quosdam etiam primitates impiorum quanquam Christianam legem fugiant, potentiam tamen ejus pergentes stupendo et mirando prædicare.

Et egressi sunt videre quid esset factum: et veniunt ad Jesum, et vident illum qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanæ mentis, et timuerunt, etc. In Evangelio Lucæ scriptum *sedentem ad pedes ejus.* Significat autem multitudinem vetusta suavitate delectatam honorare quidem, sed nolle pati Christianam legem, dum dicunt quod eam implere non possunt, admirantes tamen fidelem populum a pristina perdita conversatione sanatum. Sedere namque ad pedes Domini est eum a quo dæmonia exierant, eos qui a peccatis correcti fuerint, fixa mentis intentione vestigia sui Salvatoris, quæ sequantur intueri, vestitum sumere est, virtutum studia quæ vesani perdiderant jam sana mente recipere. Cui figuræ apte congruit illa Domini parabola, in qua rediens ad patrem filius luxuriosus et prodigus, mox stola prima cum annulo induitur, manifeste insinuans, quia quisquis vero corde de admissis pœnituerit? potest donante Christi gratia prima justitiæ opera de quibus ceciderant cum annulo inviolatæ fidei recuperare.

Et rogare eum cœperunt ut discederet a finibus eorum. Conscii fragilitatis suæ Geraseni, præsentia Domini se judicabant indignos, non capientes verbum Dei nec infirma adhuc mente pondus sapientiæ sustinere valentes. Quod et Petro ipsi viso piscium miraculo contigisse legitur, et vidua Sarepthana B. Heliæ cujus sensit hospitio benedici, nihilominus se putavit præsentia gravari. *Quid mihi et tibi*, inquit, *vir Dei, ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ et occideres filium meum?*

Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo: et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. Hæc ex illa Apostoli sententia recte possunt intelligi cum ait, *cupio dissolvi et esse cum Christo*, multo magis optimum, manere autem in carne necessarium propter vos, ut sic quisque intelligat post remissionem redeundum sibi in conscientiam bonam, et serviendum Evangelio propter aliorum etiam salutem, ut deinde cum Christo requiescat, ne cum præpropere jam vult esse cum Christo, negligat ministerium prædicationis fraternæ redemptioni accommodatum. Quid vero Matthæus duos dicit a dæmonum legione curatos, Marcus autem et Lucas unum commemorant, intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris et famosioris quem regio illa maxime dolebat, et pro eujus salute plurimum satagebat: hoc volentes significare duo Evangelistæ, solum commemorandum judicarunt, de quo facti hujus fama latius præclariusque flagraverat. Sed et allegoriæ summa concordat quia sicut unus a dæmonio possessus, sic et duo populi gentilis typum non inconvenienter exprimunt. Nam cum tres filios Noe generaverit, unius solum familia in possessionem ascita est Dei, ex duobus reliquis diversarum nationum quæ idolis manciparentur procreati sunt populi, de illis tamen quicumque ad fidem Christi pervenerint, et baptismate ipsius a peccatis abluti sunt regni Dei consortes esse meruerunt, quia juxta Salvatoris sententiam, *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Per eundem.

HOMILIA CXX.

HEBDOMADA VIII POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Pauli ad Romanos.

Fratres, humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, etc.

Magna sollicitudo et cura salutis vestræ ac devotio æterni profectus vestri coram Deo nos admonet ex Apostolica lectione aliquantulum tractare vobiscum quam audistis. *Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ*, quia nondum potestis pleniter audire divinum. Sive ita humana ratione dignum loquor quod omnes mecum sentire possunt, et ne ullus abnuere. *Sicut enim*, inquit, *exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Inglorium quidem est, ut ita quis virtutibus sicut vitiis serviat; multo enim amplius et multo intentius est honoranda justitia, et ideo dicit humane se loqui. Si ergo humane, inquit, et communiter ago, eadem postulo, similia requiro. Dudum ergo patrum nostrorum pedes currebant ad dæmonum templa; nostri nunc currant ad Ecclesiam Dei. Pedes qui prius libenter currebant ad effundendum proximi sanguinem, nunc multo libentius ad liberandum proximum currant. Manus quæ prius veloces erant aliena diripere, nunc sint multo velociores ad propria largienda. Oculi qui prius in-

tendebant ad pulchritudinem mulierum, vel alienum aliquid ad concupiscendum, nunc multo intentius circumspiciant pauperes, debiles, egenos ad miserandum. Aures quæ delectabantur auditu vano, nunc convertantur ad audiendum verbum Dei, ad explananda divina præcepta, et ad capiendam sapientiæ disciplinam; lingua quæ conviciis et maledictionibus aut turpiloquiis erat assueta, nunc convertatur ad benedicendum Deum, in omni tempore sermonem sanum proferat, et honestum, et qui ædificet audientes, mendacium deserat, et veritatem loquatur cum proximo suo. Sed quid opus est hæc singula prosequi, cum pateat omnibus uniuscujusque membri ministerium, et ita quod antea quis exhibuit vitiis, nunc ad virtutes et ad opera justitiæ aptare contendat. Et actum quem exhibuit ad adulterium, ad castitatem nunc et sanctificationem omnino convertat. Et ita omnia membra quæ ante iniquitati servire dependebant, hæc conversio in melius proposita ad serviendum justitiæ sanctificationique dependat. Sequitur :

Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Hoc est, ab omni justitia alieni, quia non est acceptum Deo simul justitiæ peccatoque servire. Unde sequitur :

Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? In quorum recordatione maxima est verecundia his qui diligunt justitiam et veritatem. Quia omnis qui cognoscit aut diligit bonitatem in malis actibus suis erubescit.

Nam finis illorum mors est. Id est, retributio illorum, pœna perpetua.

Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum æternum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Notandum vero est esse libertatem culpabilem alienum esse ab operibus justitiæ et laudabilem servitutem esse justitiæ in sanctificatione. Quisquis autem servus erit justitiæ, liber est a peccato, et servus est simul sapientiæ et pietatis, pudicitiæ et castitatis, et omnium una virtutum, quorum finis, id est retributio, vita æterna est. Unde fratres nosmetipsos incessanter discutere debemus per singula quæ gessimus aut gerimus, et in unoquoque actu considerare cui serviamus, an peccato ad iniquitatem et ad interitum nobismetipsis, nisi eam citius deseramus, an justitiæ in sanctificationem ad promerenda nobis æternæ vitæ gaudia. Nisi enim prius per pœnitentiam peccato moriamur, non possumus per justitiam vivere Deo.

Stipendia enim peccati mors. Peccatum enim nisi per confessionem et pœnitentiam atque eleemosynarum largitatem destruatur, accipit remunerationem pœnam æternam.

Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. Bene enim additum est, *vita æterna in Christo Jesu*, quia illi, qui resurgunt in confusionem et opprobrium sempiternum, habent quidem vitam æternam, sed in confusione et pœna æterna; justi vero qui resurgunt, ad gaudia sempiterna ha-

A bent vitam æternam in Christo Jesu Domino nostro, simul cum illo æterna gaudia possidentes, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXI.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, cum multa turba esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis suis, ait illis : Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, et si dimisero eos jejunos, deficient in via, etc.

In hac lectione consideranda est in uno eodemque redemptore nostro distincta operatio divinitatis et humanitatis. Quis enim non videat hoc quod super turbam miseretur Dominus, ne vel inedia vel viæ B longioris deficiat labore, affectum esse et compassionem humanæ fragilitatis? Quod vero de septem panibus et pisciculis paucis quatuor millia hominum saturavit, divinæ opus esse virtutis manifestum est. Mystice autem hoc miraculo designatur, quod viam sæculi præsentis aliter incolumes transire nequimus, nisi nos gratia redemptoris nostri alimento sui verbi reficiat. Hoc vero typice inter hanc refectionem, et illam quinque panum ac duorum piscium distat, quod ibi litteris veteris instrumenti spiritalis gratia plena esse signata est, hic autem novi veritas ac gratia testamenti fidelibus ministranda monstrata est. Sane utraque refectio in monte celebrata est, ut aliorum Evangelistarum narratio declarat, quia utriusque scriptura testamenti, recte intellecta, al- C titudine nobis cœlestium et præceptorum mandat, et præmiorum utraque altitudinem Christi, qui est mons, domus Domini in vertice montium, consona voce prædicat. Qui enim ædificatam super se civitatem sive domum Domini, id est, Ecclesiam in alto bonorum extollit operum, et cunctis manifestam gentibus exhibet; ipse hanc ab infimis delectationibus abstractam pane cœli reficit, atque ad appetitum supernæ suavitatis, dato pignore cibi spiritalis accendit. *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.* Turba autem triduo Dominum propter sanationem infirmorum suorum sustinet, cum electi quique fide sanctæ Trinitatis lucidi, Domino pro suis suorumque peccatis animæ videlicet languoribus perseveranti in- D stantia supplicant, item turba triduo Dominum sustinet, quando multitudo fidelium peccata, quæ perpetravit per pœnitentiam declinans ad Dominum, se in opere, in locutione atque in cogitatione convertit. *Et si dimisero eos jejunos in domum suam deficient in via.* Dimittere jejunos in domum suam Dominus non vult ne deficiant in via. Quia videlicet conversi peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ sancto pabulo dimittantur. Ne ergo lassentur hujus peregrinationis itinere, pascendi sunt sacra admonitione.

Quidam enim ex eis de longe venerunt. Est autem qui nil fraudis et nihil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei servitium festinavit. Iste de

longinquo non venit, quia per incorruptionem et innocentiam proximus fuit. Alius, nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, sola autem conjugia expertus, ad ministerium spiritale conversus est, neque iste venit e longinquo, quia usus conjunctione concessa per illicita non erravit. Alii vero post carnis flagitia, alii post falsa testimonia, alii post facta furta, alii post illatas violentias, alii post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei servitium convertuntur, hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto etenim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Dentur igitur alimenta eis etiam, qui de longinquo veniunt, quia conversis peccatoribus doctrinæ sanctæ cibi præbendi sunt, ut in Deum vires raperent quas in flagitiis amiserunt. Item Judæi quicumque in Christo crediderunt, de prope ad illum venerunt, quia legis et Prophetarum erant litteris edocti de illo, credentes vero ex gentibus de longe utique venerunt ad Christum, quia nullis paginarum sacrarum monumentis de ejus erant fide præmoniti.

Et responderunt ei discipuli sui : Unde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine? Et interrogavit eos : quot panes habetis? Qui dixerunt : Septem. Bene septem panes in ministerio novi testamenti ponuntur, in quo septiformis gratia Spiritus sancti plenius fidelibus cunctis, et credenda revelatur et credentibus datur. Neque hordeacei fuisse produntur, sicut illi quinque de quibus quinque sunt hominum millia saturata, ne iterum sicut in lege vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur, hordei etenim medulla tenacissima palea tegitur.

Et præcepit turbæ discumbere super terram. Supra in refectione quinque panum turba supra fenum viride discumbebat, nunc ubi septem panibus reficienda est, supra terram discumbere præcipitur, quia per scripturam legis carnis desideria calcare et comprimere jubemur. *Omnis enim caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni.* In novo autem testamento ipsam quoque terram ac facultates temporales derelinquere præcipimur, vel certe, quia mons in quo turba Dominicis panibus reficiebatur, altitudinem, ut supra diximus, redemptoris nostri significat, ibi super fenum, hic super terram reficitur. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines et Jerusalem terrenam carnali spe et desiderio tegitur; hic autem remota omni cupiditate carnali convivas novi testamenti, spei permanentis firmamentum tanquam ipsius montis soliditas, nullo feno interposito continebat.

Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent, et apposuerunt turbæ. Dominus accipiens panes dabat discipulis suis, ut ipsi acceptos turbæ apponerent, quia spiritalis dona scientiæ tribuens Apostolis per eorum ministerium voluit Ecclesiæ suæ per orbem vitæ cibaria distribui. Quod autem fregit panes, quos discipulis daret, apertionem designat sacramentorum, quibus ad perpetuam salutem nutriendus erat mundus. Cum enim ait Dominus ipse : *Et nemo novit filium nisi Pater, neque patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare*, quod nisi panem vitæ nobis per se aperiendum demonstravit, ad cujus interiora cernenda per nos ipsos penetrare nequimus, cui contra Propheta mirabilem quorumdam famem deplorans aiebat, *parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* Quod est aliis verbis dicere, indocti quæsierunt pabulum verbi Dei, quo ad virtutem bonæ operationis convalescerent refici, nec erat magistris deficientibus qui eis Scripturæ arcana patefaceret, eosque ad viam veritatis instrueret. Acceptis autem ad frangendum panibus Dominus gratias agit, ut et ipse quantum de salute generis humani congaudeat ostendat, et nos ad agendas semper Deo gratias informet, cum vel terreno pane carnem, vel animam cœlesti superna gratia largiente reficimus.

Et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et jussit apponi. Si in panibus septem scriptura novi testamenti designatur, in cujus lectione per gratiam sancti Spiritus internas mentium epulas invenimus, quid in piscibus, quos benedicens pariter Dominus turbæ jussit apponi, nisi sanctos accipimus illius temporis quo eadem est condita scriptura, vel quorum ipsa scriptura fidem, vitam et passiones continet, qui de turbulentis hujus sæculi fluctibus erepti, ac divina benedictione consecrati refectionem nobis internam, ne in hujus mundi transeuntis excursu deficeremus, exemplo suæ vel vitæ præbuere vel mortis.

Et manducaverunt, et saturati sunt. Manducant de panibus Domini ac piscibus, et saturantur qui audientes verba Dei et exempla intuentes, ad profectum vitæ correctionis per hæc excitari atque assurgere festinant, quibus apte congruit illud Psalmistæ, *edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum*, etc.

Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas. Quod turbis saturatis superat, Apostoli sustollunt, et septem sportas implent, quia vero sunt altiora perfectionis præcepta vel potius exhortamenta, et consilia, quæ generalis fidelium multitudo nequit servando et implendo attingere, quorum exsecutio illos proprie respicit, qui majori sancti Spiritus gratia pleni generalem populi Dei, conversatione mentis atque operis sublimitate transcendunt. Qualibus dicitur : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes*, etc. Unde bene sportæ quibus Dominicorum sunt condita fragmenta ciborum propter septiformem Spiritus gratiam, septem fuisse memorantur. Nam quia sportæ junco et palmarum foliis solent contexi, merito in sanctorum significatione ponuntur. Juncus quippe super aquas nasci consuevit, palma vero victricem ornat manum. Ex junceis vasis recte comparantur electi, cum radicem cordis, ne forte ab amore æternitatis arescat,

in ipso vitæ fonte collocant. Assimilantur et eis, quæ de palmarum sunt foliis contexta, cum in defectu jam æternæ retributionis memoriam puro in corde retinent. Et bene turba, quamvis reliquias Dominici prandii non caperet, manducasse tamen et saturata esse narratur, quia sunt nonnulli, qui etsi omnia sua relinquere nequeunt, tamen esurientes et sitientes justitiam, saturantur, cum audiendo mandata legis Dei ad vitam perveniunt æternam. Bene quatuor millia, ut ipso etiam numero docerent Evangelicis se pastos esse cibariis, per Dominum nostrum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos.

Fratres, nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu, etc.

Nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu. Lex enim Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Ex quo intelligitur quotidiana gratia Christi omnes sanctos ab hac lege peccati et mortis, in quam jugiter vel nolentes coguntur, incurrere, cum remissionem debitorum suorum a Domino precantur absolvi. Videtur ergo, non ex persona peccatorum, sed ex illorum qui vere sancti atque perfecti sunt, hanc beatum Apostolum prompsisse sententiam, *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago, et video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Lex enim*, ait, *Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Magnam in hoc dedit securitatem, *quia quod impossibile erat legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne.* Hæc dicit ut baptizatos securos reddat qui liberati a peccato sunt, *quoniam quod impossibile erat*, inquit, *legis*, cui impossibile? nobis scilicet impossibile erat mandatum legis implere, quia subjecti eramus peccato ut justificatio legis impleretur in nobis, *qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Per hanc etenim hostiam carnis, quæ oblata est pro peccato, damnavit peccatum, hoc est fugavit peccatum, et abstulit, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui legem secundum spiritum custodimus, et non secundum carnem. In qua parte secundum ea quæ supra exposuimus impossibilis erat lex, et infirma. Id enim egit mors Domini, ne mors timeretur, et ex eo jam appeterentur temporalia bona, nec metuerentur temporalia mala, in quibus carnalis erat illa prudentia in qua impleri legis præcepta non poterant; hæc autem prudentia in homine Dominico exstincta et ablata justitia legis impletur cum secundum carnem non ambulatur, sed secundum Spiritum. Unde verissime dictum est, *Non veni solvere legem, sed adimplere. Plenitudo ergo legis charitas, et charitas eorum est qui secundum spiritum ambulant.* Hæc enim ad gratiam pertinent Spiritus sancti, quando enim non erat charitas justitiæ sed timor, lex non implebatur. Ideo igitur damnatum dicit peccatum, ut impleretur in nobis justificatio legis datæ a Moyse. *Sublati enim de conditione legis, facti sumus amici ejusdem*, justificati enim amici sunt legis. Quomodo autem impletur in nobis justificatio, nisi cum datur remissio omnium peccatorum? ut sublatis peccatis justificatus appareat mente serviens legi Dei, hoc est non secundum carnem ambulans, sed secundum spiritum, ut devotio animi, qui est spiritus, non consentiat desiderio peccati, quia per carnem seminatur concupiscentia animæ, quod est peccatum.

Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt. Hic jam aptius quasi inter nos et Judæos in medio statuens legem Moysi, dicit: *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt*, hoc est, Judæi quos dicit secundum carnem Israel, qui ea quæ carnis sunt, sapiunt in eo quod secundum carnem legem intelligunt: *Qui vero secundum spiritum*, de his dicens, quos Judæos dicit spiritu non littera, *quæ sunt spiritus sentiunt.*

Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita et pax in Christo Jesu Domino nostro. Nunquid non unum atque idem est, quod dicis, *prudentia carnis mors est*: cui mors est? animæ, sine dubio; qui enim legem secundum carnem, id est, secundum litteram intellexerit, non venit ad Christum qui est vita, et ideo *prudentia carnis mors est, prudentia vero spiritus vita et pax*, vitam namque et pacem quæ est Christus habet qui spiritaliter intelligit legem, et bonis operibus implet quod recte in mandatis Dei sibi præceptum intelligit; hic cum Christo ipso præstante in vita regnabit æterna, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore accesserunt ad Jesum Pharisæi et Sadducæi tentantes, et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis, etc.

Signum de cœlo quærunt et quia multa hominum millia secundo paucis de panibus satiavit, nunc in exemplum Moysi manna cœlitus misso et per omnia passim disperso populum omnem multo tempore reficiat. Quod in Evangelio Joannis post edulium panum turbas ab eo quæsisse legimus dicentes: *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi, quod operaris, patres nostri manducaverunt in deserto, sicut scriptum est, panem de cœlo dedit illis manducare.*

At ille respondens ait eis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum; et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis? Secundum historiam autem sensus iste

manifestus est, quod ex elementorum ordine atque consonantia possint et sereni et pluvii dies prænosci, scribæ autem et Pharisæi qui videbantur esse legis doctores ex Prophetarum vaticinatione, non poterant intelligere Salvatoris adventum : spiritaliter autem quod dixit Dominus, *facto vespere dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum*, significat quod per sanguinem passionis Christi in primo adventu indulgentia peccatorum datur. *Et mane: Hodie tempestas, rubet enim cum tristitia cœlum* : significat quod in secundo adventu igne præcedente venturus est. *Faciem ergo cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis.* Signa temporum dixit de adventu suo, vel passione cui simile est roseum cœlum vespere, et item de tribulatione ante adventum suum futurum, cui simile est mane roseum cum tristitia cœlum.

Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ. Non ergo datur signum generationi illi, id est tentantium Dominum et insultantium verbis ejus, tale utique signum, quale tentantes quærebant, hoc est, de cœlo, quibus tamen multa cœlestia signa dabat in terra. Cæterum generationi quærentium Dominum, requirentium faciem Dei Jacob, signum de cœlo ostendebat, quando cernentibus Apostolis ascendit in cœlum, quando misso de Spiritu primitivam implevit Ecclesiam : quando ad impositionem manus Apostolorum in Samaria, Cæsarea, Epheso, aliisque urbibus ac locis plurimis, gratiam de cœlo Spiritui sancto credentibus ministravit. Quid autem signum Jonæ sibi velit, jam supra dictum est, Sequitur :

Et, relictis illis, abiit. Relictis scribis et Pharisæis quibus dixerat, *Generatio mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei nisi signum Jonæ*, recte abiit trans fretum et gentium secutus est populus.

Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. Quærat aliquis, et dicat, quomodo panes non habebant qui statim impletis septem sportis ascenderunt in naviculam et venerunt in fines Magedan, ibique audiunt navigantes, quod cavere debeant a fermento Pharisæorum et Sadducæorum, sed Scriptura testatur quod obliti sint eos secum tollere. Quod autem navigaturi trans fretum obliti sunt viaticum sumere secum, indicium est quam modicam carnis curam haberent in reliquiis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas quæ naturaliter cunctis mortalibus inest intentione Dominici comitatus mente excesserat. Unus vero panis quem secum habebant in navi mystice ipsum panem vitæ Dominum videlicet Salvatorem designat : cujus amore quia semper intus reficiebantur in corde minus de terreno pane quo corpus pasci solet curabant :

Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. In Marco ita scriptum est : *Videte et cavete a fermento Pharisæorum et fermento Herodis.* Fermentum Pharisæorum est decreta legis divinæ traditionibus hominum postponere, vel certe legem verbis prædicare, factis impugnare, fermentum est Sadducæorum Dominum tentare, nec doctrinæ ejus aut operibus credere : sed insultando alia quibus credere debeant petere. Fermentum Herodis est adulterium, homicidium, temeritas jurandi, simulatio religionis, et quod omnium est caput et origo scelerum odium ac persecutio in Christum, et præcursorem ejus, præconemque primum regni cœlestis. A quo utrorumque fermento, etiam Apostolus nos prohibens ait : *Itaque epulemur non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

At illi cogitabant inter se dicentes : Quia panes non accepimus. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis inter vos, modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis neque recordamini quinque panum [in] quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis? Neque septem panum [in] quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. Per occasionem præcepti quo Salvator jusserat dicens : *Cavete a fermento Pharisæorum et fermento Herodis :* docet eos quid significent quinque panes et septem sive pisciculi, aut quinque millia hominum et quatuor millia quæ pasta sunt in eremo, quo licet signorum magnitudo perspicua sit, tamen aliud spiritali intelligentia demonstretur. Si enim fermentum Pharisæorum et Sadducæorum et fermentum Herodis non corporalem panem, sed traditiones perversas et hæretica significat dogmata, quare et cibi, quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam integramque significent? Istiusmodi fermentum, quod omni ratione vitandum est, habuit, Marcion et Valentinus, et omnes hæretici; fermentum hanc vim habet ut si farinæ mistum fuerit, quod parvum videbatur, crescat in majus, et ad saporem suum universam conspersionem trahat. Ita et doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus jecerit, in brevi ingens flamma succrescet, et totam hominis possessionem ad se trahet. Hoc est de quo et Apostolus loquitur, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Tunc intellexerunt quod non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum. Quod eis utile erat persuasit, quod nocivum vitare jussit; doctrina enim superstitiosa et hæretica gravat magis quam adjuvat, mergit et non erigit. A bono ergo magistro discipuli instructi intellexerunt in fermento seductionem Pharisæorum et Sadducæorum, imo omnium hæreticorum qui contraria sapiunt veritati expressam vitandam esse, quam et omnino ipsi vitaverunt et nobis fugiendam esse censuerunt, quatenus omnem errorem spernentes et viam veritatis per omnia sequentes, pœnam æternam evadere et vitam æternam promereri festinemus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXIV.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore abiit Jesus sabbato per sata : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas et manducare, etc.

Ut in alio quoque Evangelista legimus propter nimiam importunitatem ne vescendi quidem habebant locum, et ideo quasi homines esuriebant; quod autem spicas segetum manibus confricabant et inediam consolabantur, vitæ austerioris indicium, non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium.

Pharisæi autem videntes dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. Nota quod primi apostoli Salvatoris, litteram legis Sabbatis destruunt adversum Ebionitas, qui cum cæteros recipiant Apostolos, Paulum quasi transgressorem legis repudiant.

At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, quos non licebat ei edere ; nec his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus ? Ad confutandam calumniam Pharisæorum veteris recordatur historiæ, quando David fugiens Saulem in Nobaia, et ab Achimelech sacerdote susceptus, postulavit cibos, qui cum panes laicos non haberet, dedit ei consecratos, quibus non licebat vesci nisi solis sacerdotibus et Levitis, et hoc tantum interrogavit, si mundi fuerint a mulieribus. Et illo respondente ab heri et nudiustertius, non dubitavit panes dare, melius arbitratus, Propheta dicente : *Misericordiam volo et non sacrificium*, de famis periculo homines liberare, quam Deo offerre sacrificium; hostia enim placabilis Deo, hominum salus est. Opponit ergo Dominus et dicit, si et David sanctus est et Achimelech pontifex a vobis non reprehenditur, sed legis uterque mandatum probabili excusatione transgressi sunt, et fames in causa est, cur eamdem famem non probatis in Apostolis, quam probatis in cæteris? Quanquam et in hoc multa distantia sit : isti spicas in sabbato manu confricant; illi panes comederunt Leviticos, et ad Sabbati solemnitatem accedebant neomeniarum dies, quibus in convivio requisitus fugit ex aula regia. Observa quod panes propositionis nec David nec pueri ejus acceperint antequam se a mulieribus mundos esse responderunt.

Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt ? Calumniamini, inquit, discipulos meos, cur per segetes transeuntes spicas triverint, et hoc fecerunt famis necessitate cogente : cum ipsi Sabbatum violetis in templo immolantes victimas, cædentes tauros, holocausta super lignorum struem incendio concremantes, et juxta alterius Evangelii fidem, circumcidentes parvulos in Sabbato, et dum aliam legem servare cupitis Sabbatum destruatis. Nunquam autem leges Domini sibi contrariæ sunt, et prudenter

A ubi transgressionis discipuli sui argui poterant, David et Achimelech dicit exempla sectatos. Verum autem et absque necessitatis obtentu Sabbati prævaricationem in ipsos refert, qui calumniam fecerant.

Dico autem vobis quia templo major est hic. Hic non pronomen, sed adverbium loci legendum, quod major templo sit locus qui Dominum templi teneat.

Si autem sciretis quid est : Misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Quid est, *misericordiam volo et non sacrificium* supra diximus. Quod autem sequitur, *nunquam condemnassetis innocentes*, de Apostolis intelligendum est. Et est sensus, misericordiam comprobastis Achimelech, B eo quod fame periclitante David refocillare et pueros ejus, quare simili modo meis discipulis fame laborantibus non compassi estis, qui vos pane verbi cœlestis quotidie pascunt, quatenus ejus satietate repleti ad vitam possitis pervenire perpetuam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXV.

HEBDOMADA IX POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Pauli ad Romanos

Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, etc.

C Apertissime nos beatus Apostolus, fratres charissimi, præsenti lectione quam audistis, carnis desideriis non debere servire docet, dicens : *Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.* Neque propterea nos fecit Deus ad imaginem suam, ut carnis servituti essemus obnoxii, sed potius ut creatori suo anima deserviens ipso servitio ac ministerio carnis uteretur. Sed fortasse dicat aliquis quomodo carni non sumus debitores? cum et victum ei et indumentum providere naturæ necessitate cogamur? Sed ut ostenderet Apostolus non carni aliquid conferre propriæ necessitatis culpabile esse, sed ipsam vitam carnis concupiscentiis mancipare, ideo addidit, *si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Secundum carnem vivere est D carnalibus desideriis indulgere. In hoc ergo negat Apostolus nos debitores esse, sicut et alibi dicit : *Et carnis curam non feceritis in concupiscentiis ejus.* Non utique denegat, et ibi carnis curam habendam in necessariis vitæ usibus, sed ejus concupiscentiis consentire. Sequitur : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* Qui ergo secundum spiritalia vivit desideria, et mortificat actus carnis suæ, ipse vivit propter inhabitantem in se Spiritum vitæ. Isto enim modo quis actus carnis mortificare potest? Nam fructus spiritus est charitas, odium actus est carnis. Odium ergo per charitatem mortificatur et exstinguitur. Gaudium in Deo similiter fructus est spiritus. Tristitia hujus sæculi quæ mortem

operatur, carnis est actus, hæc ergo exstinguitur si A perfectum in nobis est gaudium in Deo. Pax fructus est spiritus, dissensio et discordia carnis sunt. Sed certum est discordiam mortificari posse per pacem. Castitas et continentia fructus spiritus sunt, adulterium et fornicatio carnis sunt. Verum est enim mortificari posse libidinem per continentiam, et emundari mala acta, adulteria et fornicationes, sicut pœnitentia [*F.*, patientia] impatientiam exstinguit, et bonitas malitiam perimit, et mansuetudo ferociam, et castitas impudicitiam necat, talique ordine qui per spiritum actus carnis mortificaverit, vivet. Sequitur :

Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Nam qui in peccatis sunt spiritu Diaboli aguntur, qui autem Spiritu sancto gubernari merentur, B et qui secundum doctrinam Spiritus sancti vivunt, ipsi Spiritu Dei aguntur.

Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, non spiritum illum in quo timore tantum Domino servire debeatis, sed eam legem qua per dilectionem potius Deo serviatis : sed per spiritum servitutis in timore, qui est initium sapientiæ et scientiæ Dei, cum primo Dominum cœperit timere et diabolo repugnare in quo spiritu timoris Domini quisque Domino servire debet initio bonæ conversationis, quasi puer sub pædagogis, ut discat timere Dominum, et mandata ejus custodire, quo usque ad perfectionem bonorum operum ætas perveniat et mereatur adoptionis spiritum percipere, et esse jam Filius Dei per assueta bona opera, sicut in sequentibus dicit idem Apostolus : C

Sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum Dei. Ut non jam timore pœnæ Deo serviamus, sed pura perfectaque dilectione quæ prædictum ab homine expellit timorem ; cum ergo peccatis mortui erimus per pœnitentiam et confessionem, et desierimus esse quod fuimus servi peccati, illi serviendo per assueta opera pietatis et justitiæ, ac per Spiritus sancti gratiam et vocari et esse jam Filii Dei mereamur.

In quo clamamus : Abba Pater. Quia jam per sanctificationem sancti Spiritus, quem bonis et sanctis moribus meremur in nobis manere, fiduciam habemus, Deum nobis Patrem nominare, cum nos filios ejus esse cognoscimus in adimpletione volun- D tatis ejus. Ideo voluntate simplici operemur omnia bona quæ possumus, ut filios nos Dei esse comprobemus, in dilectione et non jam in timore servientes. Quia qui vocat patrem, filium se esse profitetur. Debet ergo patrum moribus placabilis filius inveniri, ne pro nomine quoque in vanum usurpato majori pœnæ subjiciatur.

Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Ipse quippe Spiritus servitutis per quem in timore tantum Domino servivimus, testimonium reddit spiritui adoptionis, in quo perfecte per charitatem Deo servierimus, quod sumus filii Dei. Quia non nisi filii Dei arrham sui spiritus percipere merentur.

Si autem filii et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Mercedem namque servus exspectat, hæreditatem filius sperat. Ideoque satagamus ut non jam servi per timorem Domino simus servientes, sed per amorem Patris omnia bona facientes, ut mereamur hæreditatem incorruptionis et immortalitatis, æternæ simul gloriæ possidere, et illud etiam adipisci quod ipse nobis Salvator adoptavit a Patre, dicens : *Pater, volo ut ubi sum ego, illic sint et ministri mei.* Hoc modo cohæredes suos Christus non solum in partem hæreditatis, sed etiam in consortium beatitudinis æternæ perducit, cui sit honor, laus et gratiarum actio, una cum Patre et Spiritu sancto, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXVI.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimento ovium, intus autem sunt lupi rapaces, etc.

Et de omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant. Sed specialiter de hæreticis intelligendum, qui videntur continentia, castitate, jejunio quasi quadam pietatis se veste circumdare, intrinsecus vero habentes animum venenatum simpliciorum fratrum corda decipiunt. Ex fructibus ergo animæ quibus innocentes ad ruinam trahunt, lupis rapacibus comparantur.

Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Quæramus ab hæreticis, qui duas inter se contrarias dicunt esse naturas, si juxta intelligentiam eorum arbor bona malos fructus facere nunquam potest, quomodo Moyses arbor bona peccaverit ad aquam contradictionis : et David, Uria interfecto, cum Bethsabee concubuerit? Petrus quoque in passione Deum negaverit, dicens, *Nescio hominem ?* aut qua consequentia Jethro socer Moysi arbor mala, qui utique in Deum Israel non credebat, dederit consilium Moysi bonum ? et Achior Holopherni aliquid utile sit locutus? et comicus dixerit, quod bene dictum Apostolus comprobavit, *corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ?* et cum non invenerint, quid respondeant, nos inseremus et Judam arborem quondam bonam fecisse fructus malos, postquam prodiderit Salvatorem, et Paulum arborem malam eo tempore quo persequebatur Ecclesiam Christi, fecisse postea fructus bonos quando in vas electionis de persecutore translatus est. Tandiu ergo arbor bona fructus non faciet malos, quandiu in bonitatis studio perseverat, et mala arbor manet in fructibus peccatorum quandiu ad pœnitentiam non convertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit, incipit id esse quod nondum cœperit.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Quia unusquisque perversus per validam judicii sententiam de terra viventium eradicatus in gehennæ ignem mittitur qui hic boni operis fructum fecisse non invenitur.

Igitur *ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Qui sunt ergo fructus, quibus inventis cognoscamus arborem malam: dicit Apostolus: *Manifesta opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et qui sunt per quos cognoscimus arborem bonam, idem ipse Apostolus consequenter dicit: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia*, etc.

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent, neque qui dixerint, *Domine, Domine*, cohæredes illius erunt. Quid enim meriti est Domino dicere, *Domine?* nunquid Dominus non erit, nisi dictus fuerit a nobis? et quæ officii sanctitas est nominis nuncupatio, cum cœlestis regni iter potius obedientia voluntatis non Dei nuncupatio repertura sit? Ergo, sicut supra dixerat, eos qui haberent vestem bonæ vitæ non recipiendos propter dogmatum nequitiam, ita nunc e contrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cum polleant integritate fidei turpiter vivant, et doctrinæ integritatem malis operibus destruant. Utrumque enim Dei servis necessarium est, ut et opus sermone, et sermo operibus comprobetur, huic sententiæ potest illud videri contrarium: *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto.* Sed moris est Scripturarum dicta pro factis accipere, ut statim in consequentibus approbatur, refutari eos qui jactant sive operibus scientiam Domini, et audiant a Salvatore: *Recedite a me, operarii iniquitatis, nescio vos.* Et Apostolus hunc sensum loquitur: *Confitentur se Dominum scire, factis autem negant.* Quoniam secundum Salvatoris sententiam, *qui mandata Dei recte credens operibus bonis consummaverit et docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; qui autem docuerit et non fecerit, minimus vocabitur in regno cœlorum.*

HOMILIA CXXVII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos.

Fratres, si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis, justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum, etc.

Hoc dicit, quia si pro peccatoribus filium suum Deus occidi permisit, quid faciat pro justificatis, nisi servet eos ab ira, id est, tutos illos præstet ab illusione diaboli? ut securi sint in die judicii cum cœperit perfidos ultio devastare, quoniam enim bonitas Dei nullum perire vult, mortem dignissimam dedit, ut intelligentibus Dei gratiam circa se adderet dignitatem et gloriam. Ingrati hi sunt qui, Deo vocante, dissentiunt, Dei gratiam abnuentes ut in proposito erroris et malignitatis permaneant. Non puto sane quod otiosa sit apud Paulum varietas ipsa verborum, quod aliquando infirmos, aliquando impios, aliquando peccatores nominat, pro quibus Christum mortuum dicit, et quamvis imperitum se fateatur in sermone, non tamen arbitror quod in his ille imperitia, sed potius profundam scientiam variaverit. Per hæc namque tria omne peccati colligitur genus: aut enim ignorans Deum quis et nolens servare mandatum, vincitur fragilitate carnis, et illecebris præsentis vitæ decipitur, et infirmus appellatur; aut sciens volensque contemnit mandatum et odit disciplinam Dei, ac projicit sermones ejus post se, et peccator nominatur; atque ita Paulus qui se imperitum, ut diximus, in sermone profitetur, in tribus his diversitatibus universa pro quibus Christus prædicatur mortuus esse complexus est. Quod si interdum etiam hi qui sub lege sunt, et Deum colere videntur, impii in Scripturis divinis nominantur, idcirco fit quia relinquentes Deum patrum suorum, deos gentium colunt: quod vero Paulus se cum peccatoribus numerat, qui aliis dicit: *Nos natura Judæi et non ex gentibus peccatores*, humilitatis ejus est virtus; imitatur enim illum qui, cum peccatum non fecisset, peccatum pro nobis factus est, et cum Deus esset inter homines conversatus est. *Commendat ergo suam charitatem Deus in nobis:* hic commendat et confirmat, et amabilem facit pro beneficiis præstitis. Quod enim Christus, cum adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est, spem nobis dat quod multo magis nos a peccato purgatos et justificatos, ab ira quæ imminet peccatoribus salvavit per ipsum, et qui alienos et inimicos ita dilexit, ut pro nobis ad mortem unicum suum daret, multo magis suos effectos et reconciliatos sibi æterna salute donabit. *Multo ergo*, inquit, *magis justificati nunc in sanguine ipsius salvati erimus ab ira per ipsum.* In superioribus quidem dixerat: *Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum;* et nunc dicit: *Multo magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum.* Ex quo ostendit quod neque fides nostra, sine Christi sanguine, neque sanguis Christi nos sine fide nostra justificat; ex utroque tamen multo magis sanguis Christi nos quam fides nostra justificat, et ideo mihi videtur cum in superioribus simpliciter dixerit, *justificati ex fide*, hic addidisse, *multo magis ergo nunc justificati in sanguine ejus*, ut doceret quia ab ira ventura, etiamsi fides nostra nos salvet, etiamsi opera justitiæ, super hæc tamen omnia multo magis sanguis Christi salvos nos faciat ab ira ventura. *Si enim cum essemus reconciliati, sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Manifestum est quia si ut reconciliaret nos sibi Deus, filium suum morti tradidit: quanto magis reconciliatos salvos faciet in vita ipsius. Si enim mors Salvatoris profuit nobis, quanto magis vita ipsius cum resurgit a mortuis, quia sicut mors ejus a diabolo nos eruit, ita et vita ejus de die judicii nos liberabit: ergo Christus pro impiis mortuus est, et Christus Deus est; quomodo non regnabit inventus

in vita Dei justus, quando ne periret, morte Dei quæsitus impius. In vita enim Dei salvi erimus, quia in vita nostra perieramus. Sed cum audimus et vitam Dei, et mortem Dei discernamus quid unde sit, vitam quippe attulit nobis, mortem vero accepit a nobis, nec tamen pro suo merito, sed pro nostro, *fuimus*, inquit, *et nos naturæ filii iræ sicut et cæteri.* In hac ira cum essent homines per originale peccatum tanto gravius et perniciosius, quanto majora vel plura insuper addiderunt: *Necessarius erat mediator*, hoc est reconciliator, *qui hanc iram sacrificii singularis, cujus erant umbræ omnia sacrificia legis et prophetarum, oblatione placaret.* Cum autem Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis, sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est, iræ nomen accepit. Quod ergo per mediatorem reconciliamur Deo et accipimus Spiritum, ut ex inimicis efficiamur filii Dei, *quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, hæc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Si enim,* inquit, *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.* Et reliqua. Evidenter ostenditur non esse aliquam substantiam quæ, secundum definitionem Marcionis et Valentini, naturaliter sit inimica Deo. Alioquin si quod inimicum est, naturæ esset et non voluntatis, qui inimici sunt Deo reconciliationem utique non haberent, ubi autem ex inimico quis amicus efficitur, certum est quod dum ea opera agit, quæ non amat Deus, inimicus est Dei, et ejus quisque tam gravis et tam odibilis efficitur inimicus, quam multiplicaverit opera inimicitiis digna. Sunt ergo mensuræ et gradus quidam in his peccatorum qualitate et quantitate distincti, qui inimici sunt Deo, unde et ille qui supra omnes peccavit a Paulo ultimus inimicus destruendus esse memoratur. Versa autem vice et ordine, etiam eos qui reconciliati sunt per mortem Filii ejus, in amicis haberi certum est, et esse aliquem ita amicum, sicut Moyses amicus Dei appellatus est; esse quoque alios, quibus dicit Salvator: *Jam non dico vos servos, sed amicos.* Credo autem esse adhuc magis familiares aliquos in cœlestibus amicos apud Deum, vel illos qui semper vident faciem Dei, vel eos qui semper astant in conspectu Altissimi, ut supra diximus esse quemdam novissimum inimicum, ita ut et ibi pro virtutum meritis habeantur aliqui summi, aliqui posteriores amici; cum hæc autem ita sint nescio, si is qui adhuc permanet in his operibus quæ odit Deus, et pro quibus inimicitiæ sunt inter Deum et homines reconciliatus esse Deo per sanguinem Christi merito dicatur. Quomodo enim reconciliatus est, qui est inimicus? Paulus ergo merito et de se, et sibi similibus dicit: *Qui cum inimici essemus, reconciliati sumus per sanguinem Filii ejus.* Grandis pudor est, ubi talis reconciliatio facta est, ubi inimicitias inter Deum et homines, non sermo peccatoris, sed sanguis intercessoris absolvit, iterum non converti ad inimicitias, et agere ea quæ odit ille, quem nobis non nisi effusio sanguinis sacri reconciliaverat.

Non solum autem hoc, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Non tantum pro accepta salute et securitate Deo gratias agendas docet, sed et gloriandum per Jesum Christum in Deo qui dignatus est ex impiis et inimicis dici nos suos amicos, ut omnia beneficia per Christum consecutos nos gaudeamus, et ut quia per ipsum cognovimus Dominum gloriantes in eo reddamus ei honorificentiam parem Deo Patri ipso sibi idoneo teste prædicante, *ut honorificent*, inquit, *Filium, sicut honorificant Patrem:* qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXVIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore dixit Joannes ad Jesum: Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum, etc.

Joannes præcipua devotione Dominum amans, ideoque redamari dignus, excludendum beneficio putavit eum qui non utatur officio. Sed Dominus docet neminem a bono quod ex parte habet arcendum, sed ad hoc potius quod nondum habet esse provocandum. Nam sequitur:

Jesus autem ait: Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Hac doctus sententia dicit Apostolus: *Sed sive occasione, sive veritate Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Sed licet ille gaudeat, etiam de his qui Christum annuntiant non sincere, et tales aliquando in nomine Christi signa facientes, ab aliorum salute sentiantur non esse prohibendi, non tamen ipsis per talia signa secura sua conscientia redditur quin potius in illa die, cum dixerunt, *Domine, Domine, in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus*, responsum accipient, *quia nunquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Itaque in hæreticis et malis catholicis non sacramenta communia in quibus nobiscum sunt et adversum nos non sunt, sed divisionem paci veritatique contrariam qua adversum nos sunt et Dominum non sequuntur, nobiscum detestari et prohibere debemus.

Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen, dico vobis, non perdet mercedem suam. Legimus in propheta David ad excusandas excusationes in peccatis, quia multi peccatorum suorum quasi justas prætendunt occasiones, ut quod voluntate delinquunt, videantur necessitate peccare: Dominus autem scrutator cordis et renum, et qui futuras cogitationes in singulis contuetur, dixerat: *Quisquis unum parvulum receperit in nomine meo, me recipit.* Poterat aliquis causari et dicere, Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, ut

hospitalis esse non possim, et hanc excusationem levissimo præcepto diluit, ut calicem aquæ et hoc frigidæ juxta Matthæum toto animo porrigamus : *frigidæ*, inquit, *aquæ*, non calidæ, ne et in calida paupertatis et penuriæ lignorum occasio quæreretur. Tale quid et Apostolus ad Galatas præcipit, *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis*. Et discipulos ad magistrorum refrigeria cohortatur : et quia poterat qualibet tendere [*Forte*, prætendere] paupertatem et præceptum eludere, priusquam illud proponat imminentem solvit quæstionem, dicens : *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.*

Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. Quanquam hæc generalis possit esse sententia adversum omnes qui aliquem scandalizant, tamen juxta consequentiam sermonis, etiam contra Apostolos dictum intelligi potest, qui inter se disputantes, quis esset illorum major, videbantur invicem de dignitate contendere, et si in hoc vitio permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos vident inter se de honore pugnare. Quod autem dixit : *Bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus*, secundum ritum provinciæ loquitur, quod majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum ligato saxo dimergerentur. Et revera melius est innoxium, pœna, quamvis atrocissima, temporali tamen, vitam finire corpoream, quam lædendo fratrem mortem animæ mereri perpetuam. Recte autem, qui scandalizari potest pusillus appellatur. Qui enim magnus est quodcunque viderit, quodcumque passus fuerit non declinat a fide ; qui autem pusillus est animo et parvus occasiones quærit quomodo scandalizetur. Propterea denique oportet nos maxime his consulere qui parvi sunt in fide, ne occasione nostri offendantur et recedant a fide, ac decidant a salute. Notandum sane, quod in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. In quantum enim sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum ponitur, utilius permittitur scandalum nasci, quam veritas relinquatur. Item per molam asinariam sæcularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, et per profundum maris extrema damnatio designatur : qui autem ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit vel exemplo, melius profecto erat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa cæteris invitabilem demonstrarent, quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam, bonum quippe est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam inexstinguibilem. Quia supra docuerat ne scandalizemus eos, qui credunt in eum, nunc consequenter admonet, quantum cavere debeamus eos qui scandalizare nos, id est, verbo vel exemplo suo ad ruinam peccati propellere certant. Manum quippe nostram appellat, necessarium amicum. Cujus opere atque auxilio quotidiano opus habemus. Sed talis si nos lædere in causa animæ voluerit, excludendus est a nostra societate, ne si cum perdito in hac vita partem habere volumus, simul in futuro cum ipso pereamus ; quod autem subjungitur :

Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur, in verme putredinem gehennæ, sicut in igne ardorem designat, sive vermem dicit : seram scelerum pœnitudinem, quæ nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit. Ut ignis sit pœna extrinsecus serviens, et vermis dolor interius accusans.

Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis. In pede sicut et in manu, charos inemendabiles docet alienandos a nobis, ne per immunditiam eorum, quos castigare nequimus, et ipsi polluti pereamus. Sed manus propter opus necessarium nobis : pes, sunt dicti tales propter ministerium discursisque nostris usibus accommodos.

Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum ; bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. In oculo quoque propter scandalum eruendo, iidem nostri carnaliter amici, spiritaliter vero adversarii designantur. Sed cum nos eorum consultis ac provisione opus habemus, illi vero consilio nos pravo decipere atque in iter erroris deflectere quærunt ; scandalum quippe sermo Græcus, quod nos offendiculum et ruinam et impactionem pedis dicere possumus, quod quantum possumus, devitare debemus quatenus pœnam gehennæ evadentes ad vitam possimus pervenire sempiternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXIX.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos quippe non intratis, nec introeuntes sinitis intrare, etc.

Habent Scribæ et Pharisæi legis Prophetarumque notitiam, sciunt esse Christum filium Dei, non ignorant natum esse de virgine, sed dum adventum ejus corporeum a Prophetis prædicatum, doctrinæ simulatione abscondunt, et prædam de subjecta sibi plebe appetunt, nec ipsi introeunt in regna cœlorum, nec eos qui poterant intrare permittunt. Hoc est quod in Osee propheta Dominus arguit dicens : *Absconderunt sacerdotes viam, interfecerunt sicimam.* Et

rursus sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus, vel certe omnis magister qui verbo ædificat, et scandalizat malis operibus discipulos suos, claudit ante eos regnum cœlorum.

Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Non eo studio servamus quæsita quo quærimus. Scribæ et Pharisæi totum lustrantes orbem propter negotiationes et diversa lucra, tam a discipulis captanda, quam per imagines sanctitatis, id studii habebant de gentibus facere proselytum, id est, advenam, et incircumcisum miscere populo Dei. Sed qui ante dum esset ethnicus, simpliciter errabat et erat semel filius gehennæ, videns magistrorum vitia et intelligens destruere eos operibus, quod verbis docebant, revertitur ad vomitum suum, et gentilis factus, quasi prævaricator, majore pœna dignus erit, filius autem vocatur gehennæ, quomodo filius perditionis, et filius hujus sæculi. Vocatur filius gehennæ, ad illam præparatus, non ex illa generatus; unusquisque enim cujus opera agit, ejus filius appellatur.

Væ vobis, duces cæci, quia dicitis : Quicunque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti et cæci, quid enim majus est? aurum an templum quod sanctificat aurum? et quicunque juraverit in altari nihil est, quicunque autem juraverit in dono quod est super illud, debet.

Cæci : quid enim majus est, donum an altare quod sanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ sunt super illud. Et qui juraverit in templo, jurat in illo et in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum. Supra, ut visum nobis est, exposuimus quid significaret traditio Pharisæorum dicentium, donum quodcunque est ex me tibi proderit, nunc duplex et ad unam avaritiæ occasionem trahens Pharisæorum traditio condemnatur, ut arguantur cuncta pro lucro facere et non pro timore Dei. Sicut enim in philacteriis et fimbriis dilatatis opinione sanctitatis captabant gloriam, et per occasionem gloriæ quærebant lucra, sic alia traditionis inventa stropha impietatis arguit præceptores. Si quis in contentione seu in aliquo jurgio vel in causa ambigua jurasset in templo, et postea convictus esset mendacii, non tenebatur criminis reus. Si autem jurasset in auro et pecunia quæ in templo sacerdotibus offerebantur, statim in quo juraverat cogebatur exsolvere. Rursum si quis jurasset in altari, perjurii reum nemo tenebat; si autem perjurasset in dono vel in oblationibus, hoc est, in hostia, in victimis, in simila, et cæteris, quæ offeruntur Deo super altare, hæc studiosissime repetebant. Arguit ergo eos Dominus et stultitiæ et fraudulentiæ, quod multo majus sit templum, quam aurum quod sanctificatur a templo, et altare, quam hostiæ quæ sanctificantur ab altari, totum autem faciebant non ob Dei timorem, sed ob divitiarum cupiditatem. Spiritaliter autem quod Dominus dixit, *quid enim majus est aurum an templum quod sanctificat aurum*; et iterum : *quid enim majus est donum an altare quod sanctificat donum* : ita intelligendum est, templum et altare ipsum Christum, aurum et donum laudes et sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus : non enim ille per hæc sed ista per illum sanctificantur.

Væ autem *vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere et illa non omittere.* Multa in lege præcepta sunt, quæ typos proferunt futurorum : alia vero quæ aperta sunt, et illuminant oculos juxta Psalmistam dicentem, *mandatum Domini lucidum illuminans oculos*, quæ statim opera desiderant, verbi gratia : non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, et cætera, Pharisæi autem quia præceperat Dominus, interim ut intellectus mysticos dimittamus, propter alimoniam sacerdotum et Levitarum, quorum pars erat Dominus, omnium rerum offerri in templo decimas, hoc unum habebant studii, ut quæ jussa fuerant comportarentur, cætera quæ erant majora utrum quis faceret an non parvi pendebant. Et ex hoc itaque capitulo arguit eos avaritiæ, quod studiose etiam vilium olerum decimas exigant, et judicium in disceptatione negotiorum, misericordiamque in pauperes pupillos et viduas, et fidem in Deum, quæ magna sunt, prætermittant : *Hæc*, inquit, *oportuit facere*, id est, judicium, misericordiam, et fidem, ut et nos veraciter de nostra miseria judicantes, et Dei charitatem quam donavit ipse diligentes, pie recteque vivamus. Justum ejus judicium confitentes quo miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus : *Judicium quidem ex uno in condemnationem*; et magnæ charitati ejus gratias agentes, de qua ipse idem dicit, gratiæ prædicator, *commendat autem suam charitatem Deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est.* Oportuit et illa non omittere, id est, eleemosynas fructuum terrenorum, quia per rectam fidem et sacrarum virtutum operationem simul cum elemosynarum largitate debet quisque studere ut ad vitam perveniat æternam, largiente ipso mediatore Dei et hominum, Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXX.

HEBDOMADA X POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ ad Corinthios.

Fratres, non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt, etc.

Ecce quam peritus medicus apostolus Paulus cœlestis medici Christi veri veraxque discipulus, qui ad removendam diuturnam infirmitatem nostram, et ad instaurandam in nobis corporis et animæ sanitatem nobis a Domino destinatus, ostendit salubria quæ tenenda sunt, ubique in prædicatione sua demonstravit quæ noxia, quæ cavenda sunt, unde in

præsenti lectione quam audistis, sub figura infidelis Israelitici populi nos admonet dicens : *Fratres, non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.* Nam illi propter malam cupiditatem in deserto prostrati sunt, ita ut nullus ex illa innumerabili plebe qui de Ægypto exierant nisi duo terram repromissionis intrarent, quod nobis in eorum figura cavendum est; Ægyptus enim hunc mundum significat, unde nos sumus per abrenuntiationem diaboli et omnium operum ejus egressi, et omnibus concupiscentiis carnis abnegantes, Deo nos servituros promisimus, ut terram repromissionis, quod est regnum cœleste, sive terram viventium, mereamur in hæreditatem percipere; si autem in deserto, hoc est in vasta mundi solitudine post sponsionem quam Domino fecimus iterum ad concupiscentiam mundi labimur, timendum est nobis, ne claudatur subita mortis interruptione, porta regni cœlestis, quæ nobis aperta est, quo usque in justo permanemus opere, et voluntate fugienda est, fratres charissimi, rerum temporalium insana cupiditas, quæ mortiferis hominem laqueis irretitum in hoc sæculo ut exerceat distentat, et cruciat, in futuro autem inextinguibilibus mancipat flammis.

Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, *sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Scimus enim quia idolum nihil est nisi vana superstitio et offensio Dei, et qui idola colit diabolum colit, et Deum fortiter offendit, unde similis illi dicitur, qui confidit in eo, nisi quod idolum pertransiit uno momento, pœna autem quæ idolum colentibus præparatur nunquam præteribit, sed æterna est.

Neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Fornicatio autem, similiter ad idolorum pertinet culturam, cum creatura pro creatore colitur, et anima in diis vanis fornicatur, verum sponsum suum Christum contemnens; similiter et qui corpus suum quod in templum sibi optaverat Deus, per donum Spiritus, quod in baptismo mersis tradidit, per immunditiam fornicationis templum efficit diaboli, disperdet illum Deus nisi cito per pœnitentiam et confessionem atque per bonum continentiæ convertat se ad Dominum Deum suum, emundans ei templum suum jejuniis, vigiliis, orationibus, cæterisque pietatis operibus, eleemosynarumque largitate, dignum iterum Domino in corde suo habitaculum præparet, sanctum, et bonorum operum floribus adornatum.

Neque tentemus Christum sicut quidam eorum tentaverunt et a serpentibus perierunt. Tentat enim Dominum suum qui ultra suam ipsius custodiam incerto se periculo tradit. Similiter qui scienter [facit] quæ Dominus prohibuit ne faceret, eaque facientibus mortem minatur, non istam communem sed æternam, nisi scito reversi et emendati per pœnitentiam fuerint.

Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore. Unde cavendum A valde est, cum vel in infirmitates corporis vel in alias hujusmundi angustias pro peccatis nostris inciderimus, ne contra Dominum murmuremus, quia vel propter mala merita nostra ad correptionem nostram hæc patimur, vel ad probationem, ut justiores etiam coram Domino simus effecti si tanta ac talia patienter in nomine Domini cum gratiarum actione portemus.

Hæc omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram. Omnia quæ incredulis Judæis contigerunt, secundum merita sua receperunt, sed tamen ideo scripta sunt, ne nos existimemus impune nos posse peccare.

Itaque qui se existimat stare in perfectione bonorum operum, *videat ne* per inanem gloriam *cadat. Tentatio* B *vos non apprehendat*, *nisi* quantum *humana* potest sustinere et superare fragilitas; *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari super id quod potestis.* Qui se semper pollicitus est sui nominis causa tribulatis affuturum. Ut in Psalmo : *multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberavit eos Dominus.*

Sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere. Ipse tentationes a nobis diaboli insuperabiles aufert, sicut in oratione quam ipse composuit nos docuit orare dicens, *et ne nos inducas in tentationem*, ne amplius nos patiatur tentare diabolum quam nostra possit fragilitas sustinere, *sed liberet nos ab omni malo*, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et re- C gnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXI.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare, etc.

In villico hoc quem Dominus ciebat de villicatione, et laudavit eum, quod in futurum sibi prospexerit, non omnia debemus ad imitandum sumere : non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut D de ipsa fraude eleemosynas faciamus, aut eos a quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tanquam debitores Dei et Domini nostri fas est intelligi, cum justi et sancti significentur hoc loco, qui eos introducunt in tabernacula æterna, qui eis in necessitatibus suis terrena bona communicaverunt, de quibus etiam dicit, *quod si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam*, sed etiam e contrario dicuntur istæ similitudines, ut intelligamus, si laudari potuit ille a domino, cui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo, qui secundum ejus præceptum ulla opera faciunt. Villici sane vocabulo dicimus eos, qui pecunias habent, non jam dominos suæ, sed alienæ potius rei dispensatores esse dispu-

tandos, qui si juxta hujus servi exemplum sedulo A finiendæ villicationis ac rationis reddendæ tempus præviderint, facile terrenorum delectatione simul et dilectione nudati, plus sibi de amicis conquirendis in futuro quam divitiis in præsenti colligendis prospicere curabunt.

Ait autem villicus intra se, Quid faciam quia Dominus meus aufert a me villicationem, fodere non valeo: ablata quippe villicatione fodere non valemus, quia finita hac vita, in qua tantum licet operari, nequaquam ultra bonæ conversationis fructum ligone devotæ compunctionis licet inquirere.

Mendicare erubesco, et cætera. Mendicare confusionis est, illo scilicet pessimo genere mendicandi, quo virgines illæ fatuæ mendicasse referuntur, quæ ingruente tempore nuptiarum, oleo virtutum defi- B ciente, sapientibus dixerunt : *Date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ extinguuntur.* Et de quo Salomon ait, *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate et non dabitur ei.*

Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo? at ille dixit : Centum cados olei; dixitque illi : Accipe cautionem tuam et sede cito, scribe quinquaginta. Deinde alii dixit : Tu vero, quantum debes? qui ait : Centum coros tritici; ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta: Cadus Græce amphora est, continens urnas tres. Corus vero modiis triginta completur. Quod autem de centum cadis olei quinquaginta scribi fecit a debitore, et de centum coris tritici octoginta, ad nihil aliud valere arbitror nisi ut ea C quæ similiter inter sacerdotes atque Levitas Judæos quisque operatur in Christi Ecclesia, abundet justitia ejus super scribarum et Pharisæorum, ut cum illi decimas darent, isti divinas [*Forte*, divitias] dent, sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zachæus, aut certe duplicet decimas, aut duas decimas dando superet impendia Judæorum. Nisi forte quis simpliciter accipiendum putet, quod omnis qui indigentiam cujuslibet pauperis sanctorum, vel ex dimidia vel certe ex quinta parte, quantum viginti vel quinquaginta ad centum sunt, alleviaverit, certa suæ misericordiæ sit mercede donandus.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Audiant sapientes D hujus sæculi, ut stultam sapientiam deserere, et sapientem Dei stultitiam queant discere, quanti eorum sapientiam divina æquitas æstimaverit : quos non vere prudentes sed in generatione sua prudentes esse commemorat. Juxta hoc, quod alibi dicitur : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes, nec non amatores æternæ vitæ;* filios lucis appellando non aliud eos qui sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt quam filios esse tenebrarum : filii autem lucis et filii hujus sæculi vocantur, quomodo filii regni et filii perditionis. Cujus enim agit quisque opera, ejus cognominatur et filius.

Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Mammona iniquitatis ob hoc appellat istam pecuniam, quam possidemus ad tempus, quia mammona divitiæ interpretantur, nec sunt istæ divitiæ, nisi iniquis qui in eis constituunt spem atque copiam beatitudinis suæ, a justis vero cum hæc possidentur, est quidem ista pecunia; sed non sunt illis divitiæ, nisi cœlestes et spiritales, quibus indigentiam suam spiritaliter supplentes, exclusa egestate miseriæ, beatitudinis copia ditabuntur. Si autem hi, qui præbent eleemosynam de iniquo mammona faciunt sibi amicos, a quibus in æterna tabernacula recipiantur, quanto magis hi qui spiritales largiuntur epulas, qui dant cibaria conservis in tempore suo, certissima debent spe summæ retributionis erigi per largitorem omnium bonorum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Romanos.

Fratres, nescitis quia cum exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati in mortem, sive obeditionis ad justitiam.

Ne aliquid profitentes, aliud faciamus, et cum servi Dei dicimur, gestis servi diaboli inveniamur, præmonet et denuntiat ejus nos servos esse cujus voluntatem explemus operibus : et non parum obesse Deum confiteri Dominum, et actibus diabolo famulari. Nam hoc olim Deus denotat et accusat, dicens, *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me;* et Dominus ait in Evangelio : *Nemo potest duobus dominis servire;* et in lege dictum est, *Deus non irridetur.* Hoc est ergo quod in hoc loco Apostolus docet, quia unusquisque in manu sua habet et in arbitrii potestate, ut aut peccati servus sit, aut justitiæ, ad quamcunque enim partem declinaverit obediens, et cuicunque parere voluerit, hæc sibi eum vindicat servum, in quo, ut dixi, absque ulla cunctatione in nobis esse ostendit arbitrii libertatem, in nobis namque est exhibere obedientiam nostram, vel justitiam vel peccatum. Nemo autem potest duobus simul dominis servire, peccato et justitiæ, aut enim unum odio habebit, peccatum scilicet, et alium amabit, id est, justitiam. Aut unum patietur, peccatum duntaxat, et alium contemnet, id est, justitiam. Simile ergo est, et quod dixit Apostolus, *servi estis ejus, cui obedistis, sive peccati, sive justitiæ.* Sed et omnis qui peccatum facit, servus est peccati, ad hoc respicit quamvis non adjecerit, et omnis qui fecerit justitiam, servus est justitiæ. Quod fortassis putet aliis idcirco subrelictum, ut quasi ex consequentibus debeat intelligi, mihi tamen videtur consulto non additum, neque enim conveniebat dici, quia omnis qui facit justitiam servus est justitiæ, ut omnis qui facit peccatum servus est peccati : nam et ipse diabolus sine dubio peccati servus est, quippe

qui discessit a servitute justitiæ et in conspectu Domini omnipotentis rebellavit, propter quod et apostata appellatus est. Constat ergo ex his sermonibus Pauli, quibus dicit, quia *cui vos exhibetis servos ad obediendum servi estis, cui obedistis, sive peccati sive justitiæ*, quia sponte nostra ipsi exhibemus nullo cogente vel peccato servire vel justitiæ per obedientiam nostram, et ideo horum semper meminisse debemus, ne inanes querelas in peccati excusatione proferamus, dicentes quia diabolus fecit ut peccator essem, aut naturæ necessitas, aut fatalis conditio, aut cursus astrorum; sed audi apertam Pauli sententiam, qua dicit, *cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obedistis, sive peccati sive justitiæ.*

Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis. Credentes autem in Christum servi facti sumus justitiæ, ejus enim servi dicimur cui obedimus, et quia justum est obedire Christo, et ipse enim justitia est, et quæ præcepit justa sunt, idcirco dicit *servos nos factos justitiæ*, ex corde non ex lege, ut professio nostra animi judicio promatur, per naturam enim inducti sumus ad fidem non per legem, in qua forma doctrinæ, Dei imperio facti sumus, qui finxit naturam, in natura enim habemus ut cognoscamus a quo et per quem et in quo sumus creati. Forma ergo doctrinæ est in quam tradidit nos creator naturaliter, hoc est, quod supra dixit, *ipsi sibi lex sunt, dum vident naturæ suæ esse quod credunt*, ut quod Judæis lex et prophetæ prædicarunt de Christo, hoc gentiles ex corde confidant. Hinc refert gratias Domino, quia cum essemus servi peccati obedivimus ex corde credentes in Christum ut serviremus Deo, non per legem Moysi sed per legem naturæ. Quod enim dicit *gratias Deo, quia fuistis servi peccati*, ostendit omnes homines primo servire peccato, sic enim scriptum est, *quia non justus super terram qui faciat bonum et non peccaverit.* Primo enim necesse est in omni homine illud compleri quod scriptum est, Sed ubi venit mandatum, peccatum revixit; hoc vero quod sequitur ad paucos dicitur, ad eos qui jam emendantur, quod dicitur: *Gratias autem Deo, quia fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi estis.* Servi ergo fuimus omnes peccati, sed ubi tradita est nobis forma doctrinæ et huic non utcunque, neque solis verbis, sed ex corde, ex animo, ex tota devotione eligimus obedire, liberamur a servitute peccati et efficimur servi justitiæ. Quod autem dixit, *formam doctrinæ, in qua traditi estis*, requirendum puto, quomodo unusquisque tradatur. Invenimus namque, quia eos qui non probantur Deum habere in notitiam, tradat Deus secundum desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, et alios qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei tradat in passiones ignominiæ, de quibus in locis suis prout potuimus diximus, et hic ergo qui semetipsos exhibent servos justitiæ per obedientiam, Deus tradat ut instituantur et imbuantur, secundum formam justitiæ, movet me etiam hoc, quod non dixit obedistis ex corde doctrinæ, in quam traditi estis, sed formam doctrinæ posuit: nec puto quod unum esse senserit Apostolus doctrinam et formam doctrinæ. Sed mihi videtur quod formam doctrinæ minus esse scierit, quam ipsam doctrinam, et nunc quidem in præsenti vita dum in corpore sumus, et aggravat terrenum hoc habitaculum sensum multa cogitantem, formam doctrinæ habemus, non ipsam doctrinam, sicut idem Apostolus in aliis dicit: *Nunc autem videmus per speculum in ænigmate*, ipsa autem doctrina sit, de qua dicit, *tunc autem videbimus facie ad faciem.* Unde et in præsenti vita puto, quod formam atque umbram virtutum tenere possimus: ipsas vero virtutes tunc cum venerint illa quæ perfecta sunt, et ideo justus nunc magis ut mihi videtur in umbra virtutum quam in ipsis virtutibus vivit.

Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. Expositio est in his eorum quæ superius diximus. Si enim ultra non servietis peccato, certum est quod liberati ab eo servi facti estis justitiæ, sed requiritur, quis est qui liberat a peccato: sine dubio veritatis agnitio. Sic enim dicebat Jesus ad Judæos qui crediderunt ei, *Si credideritis verbo meo, agnoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Veritas est ergo quæ liberat a peccato, et veritatis agnitio; certum est autem quia omnis qui liberatus fuerit a peccato justitiæ serviat. Quod autem dicimus justitiæ serviat, quoniam justitia una est ex virtutum choro, simile est, ut si diceremus: quia si quis liberatus est a peccato serviet veritati et serviet sapientiæ et serviet pudicitiæ et serviet pietati. Quæ omnia cum cæteris speciebus virtutum, oportet servum Dei, ut in eis bene operando usque in finem perseverans ad vitam perveniat sempiternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Qui fidelis est in minimo, et in majore fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majore iniquus est.

Sunt qui viscera pietatis et opera misericordiæ, quæ proximis debentur ignorantes, merito se castitatis, vigiliarum, longæ orationis, plenæ fidei, jejuniorum, cæterarumque virtutum, quæ Dei dilectio gignere solet, veraciter fideles existimant; sed ipso judice attestante, *qui fidelis est in minimo*, id est, in pecunia cum paupere participanda, *in majore fidelis est*, illo videlicet actu, quo specialiter adhærere Creatori, et unus cum eo spiritus effici desiderat. At qui temporalia quæ possidet recte dispensare dissimulat, æternorum sibi gloriam de qua tumet evacuat. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere*, et

sicut idem dicit, *qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necesse habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credit vobis. De iniquo mammona, quod divitias malorum significet, supra explanatum est, quarum mentionem Salvator faciens alibi dicit, *quia fallacia divitiarum suffocat verbum.* Veras autem divitias vel ipsa æternæ vitæ gaudia de quibus scriptum est, *quæ divitiæ hæreditatis ejus in sanctis,* vel virtutum spiritalium quibus ad vitam pervenitur copiam significat, de quibus dicit Isaias : *divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus.*

Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Alienæ sunt a nobis hujus sæculi B facultates, id est, extra naturam sitæ : nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possimus. Nostra autem possessio regnum cœlorum, nostra vita est, nostræ opes sunt spiritalium operum fructus, de quibus Salomon ait, *redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus.* Arguit ergo Pharisæos fraudis et avaritiæ, qui quoniam in facultatibus suis fideles non fuerunt, communia conditoris bona privatim habere malentes, nec Christum accipere meruerunt quem publicanus ille cujus paulo ante memini Zachæus ut acquirere posset dimidiam partem bonorum suorum obtulit.

Nemo servus potest duobus dominis servire. Quia non valet simul transitoria et æterna diligere : si enim æternitatem diligimus, cuncta tempora- C lia in usu non in affectu possidemus.

Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Hæc verba diligenter consideranda sunt, nam qui sint duo domini consequenter exponit dicens :

Non potestis Deo servire et mammonæ. Audiat hoc avarus, audiat qui censetur vocabulo Christiano, non posse simul mammonæ, hoc est, divitiis, Christoque se servire. Et tamen non dixit, qui habet divitias, sed qui servit divitiis; qui enim divitiarum servus est, divitias custodit, ut servus; qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas, ut dominus : sed qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus princeps hujus sæculi a Domino dicitur. Ergo aut D unum odiet, et alterum diliget, ut fieri debet, odiet scilicet diabolum, diliget Deum; aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Adhærebit scilicet diabolo, cum quasi ejus præmia temporalia sectatur, contemnet autem Deum, non dixit odiet, sed sicut solent minas postponere cupiditatibus suis, qui de bonitate ejus ad impunitatem sibi blandiuntur, quibus per Salomonem dicitur : *Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas : Miseratio Dei magna est.*

Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, et deridebant illum. Monebat quidem Scribas et Pharisæos non superbe sapere, non de sua justitia A præsumere, sed et peccatores publicanosque recipere pœnitentes, et sua quæ forte inciderent eleemosynis peccata redimere. Sed illi præceptorem misericordiæ, humilitatis et parcimoniæ, duas maxime deridebant ob causas, quia scilicet vel minus utilia, neque unquam facienda quasi noxius imperaret, vel certe utilia a se jam facta superfluus ingereret.

Et ait illis : Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Justificant se coram hominibus, qui peccatores quidem quasi infirmos desperatosque contemnunt, se autem ipsos quasi perfectos in omnibus cunctæque fragilitatis expertes eleemosynarum remedio opus habere non credunt. Sed hæc noxii tumoris altitudo, quam sit juste damnanda, videt ille, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, Jesus Christus Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXIV.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, rogavit Jesum quidam Pharisæus ut pranderet apud se, et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium, etc.

Causam Pharisæi cogitationis Evangelista Marcus aperuit dicens : *Pharisæi enim et omnes Judæi nisi crebro manus lavent non manducant, tenentes traditionem seniorum, et a foro venientes nisi baptizentur non comedunt.*

Et ait Jesus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quid deforis est calicis et catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Et Marcus quidem refert eos baptismata calicum et urceorum lectorumque et æramentorum observare solitos, sed magis sub nomine vasorum, ipsi mendacii et simulationis arguuntur, quod aliud ostendant hominibus foris, aliud domi agant, formam pietatis habentes extrinsecus, sed intus vitiorum sorde deformes, vult enim Dominus explicare latius, quæ supra breviter de mundando cordis oculo protulerat.

Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? Qui, inquit, utraque mundari desiderat. Hoc contra Manichæos, qui animam tantum a Deo, carnem vero putant a diabolo creatam, hoc contra illos, qui corporalia peccata, fornicationem videlicet, immunditiam, libidinem, furtum, rapinam, et cætera talia quasi gravissima detestantur, spiritalia vero, quæ non minus damnat Apostolus, hoc est, *amaritudinem, iram, indignationem, clamorem, blasphemiam, superbiam et avaritiam, quæ est idolorum servitus,* ut levia contemnunt.

Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Quod necessario victui et vestimento superest date pauperibus, juxta quod et Joannes præcipit : *qui habet duas tunicas det non*

habenti, neque enim ita facienda jubetur eleemosyna ut te ipsum consumas inopia : sed ut tui cura corporis expleta, inopem quantum vales sustentes, vel ita intelligendum, quod superest, quod tam multo scelere præoccupatis, solum remedium restat dare eleemosynam, qui sermo ad omnia, quæ utili miseratione fiunt, valet, non solum enim qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, et cætera hujusmodi; verum etiam, qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, et qui emendat verbere, in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, et tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo, quod corripit, et aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa itaque genera sunt eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamur ut dimittantur nobis nostra peccata, sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. An vero, quod ait, *date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis*, ita intellecturi sumus, ut Pharisæis non habentibus fidem Christi etiamsi non in eum crediderint, nec renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto munda sunt omnia, tantum si eleemosynas dederint, sicut quidam eas dandas putant cum sint immundi omnes, quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est : *mundans fide corda eorum*, et tamen verum est, quod audierant, *date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Qui enim vult ordinate eleemosynam dare, a se ipso debet incipere et eam sibi primum dare, est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimeque dictum est, *miserere animæ tuæ placens Deo*, propter hoc renascimur ut Deo placeamus, cui merito displicet quod nascendo contraximus. Hæc est prima eleemosyna, quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus. Propter dilectionis ordinem dictum est, *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum*. Cum ergo increpasset eos quod forinsecus se lavarent, intus autem rapina et iniquitate pleni essent, admonens quamdam eleemosynam, quam sibi homo debet primitus dare, et interiora mundare; verumtamen, inquit, *quod superest date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Deinde ut ostenderet quod admonuisset, et quod ipsi facere non curarent, ne illum putarent eorum eleemosynas ignorare : *Sed væ vobis*, inquit, *Pharisæis*. Tanquam diceret, Ego quidem commonui vos eleemosynam dandam per quam vobis munda sint omnia.

Sed væ vobis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus. Has enim novi eleemosynas vestras ne de illis me nunc vos admonuisse arbitremini.

Et præteritis judicium et charitatem Dei : qua eleemosyna possetis ab omni inquinamento interiore mundari, ut vobis munda essent et corpora quæ lavatis. Hoc est enim *omnia*, et interiora scilicet, et exteriora, sicut alibi legitur, *Mundate quæ intus*

A *sunt, et quæ foris sunt munda erunt*. Sed ne istas eleemosynas, quæ fiunt de fructibus terræ respuisse videretur,

Hæc autem, inquit, *oportet facere*, et *judicium*, et charitatem Dei, ut et nos veraciter de nostra miseria judicantes, et Dei charitatem, quam donavit ipse, diligentes, pie recteque vivamus, justum judicium ejus confitentes, quoniam miseri effecti sumus, de quo dicit Apostolus : *Judicium quidem ex uno in condemnationem*, et magnæ charitati ejus gratias agentes, de qua idem ipse dicit gratiæ prædicator : *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est*.

Hæc autem oportuit facere, et illa non omittere, id B est, eleemosynas fructuum terrenorum. Non ergo se fallant qui per eleemosynas, quaslibet largissimas fructuum suorum vel cujusque pecuniæ impunitatem se emere existimant, in facinorum immanitate, ac flagitiorum nequitia permanendo.

Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis et salutationes in foro. Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt, qui breve et incertum vitæ nostræ curriculum quo-peccata humiliter plangere debueramus, pro prioratu invicem superbe certando peccatis amplius onerare non metuimus.

Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non patent, et homines ambulantes supra, nesciunt. Et hæc superstitionem Pharisæorum sententia redarguit, quia C foris speciem rectæ doctrinæ prætendant : intus vero quid fœditatis gerant occultent, instar monumentorum quæ cum superficiem terræ communis ostendant, intus vermescentium sunt cadaverum plena, de quibus Psalmista cum diceret, *sepulcrum patens est guttur eorum*, mox, quid dixisset aperuit, adjungens, *Linguis suis dolose agebant*.

Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis. Quam misera conscientia, quæ audito Dei verbo sibi contumeliam putat fieri, et commemorata pœna perfidorum se semper intelligit esse damnandam! Unde mihi meisque similibus unicum suffugium semper est Domino cum Propheta supplicare, *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas,* D *tunc non confundar dum respicio in omnia mandata tua*.

At ille ait : Et vobis legisperitis væ, qui oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis eorum sarcinam. Non possunt onera legis portari eo modo quo isti legisperiti ea imponebant hominibus, unde recte audivit, quod sarcinas ejus uno digito non tangerent, hoc est, ne in minimis quidem eam perficerent, quam se contra mortem [*Forte* morem] patrum sine fide et gratia Jesu Christi et servare et servandam tradere præsumebant. Atque ideo jugum Christi suave et sarcinam ejus levem, ubi requies est animarum, procul abjicere et exterminare tentabant, cum scriptum sit :

Justus ex fide vivit, et apostolus Petrus his, qui credentes ex gentibus circumcidi docebant, protestetur, et dicat, *et nunc quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos potuimus portare, sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari quemadmodum et illi*. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXV.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Pauli ad Corinthios.

Fratres, scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu, etc.

B De divinis charismatibus et de distributione donorum Spiritus sancti, quæ omnipotens Deus per Spiritum suum sanctum fidelibus suis dispensat Paulus apostolus breviter disputans ait, ut in præsenti lectione audistis: *Scitis enim quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes:* hoc est, antequam veræ fidei rationem cognovissetis, et ante agnitionem filii Dei idola muta et vana colebatis. *Ideo notum vobis facio quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu.* Optat Apostolus ut jam irrationabiles immobilesque non sitis, cum religione enim et mores notare debetis, et noscere fidei rationem.

Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Quomodo enim operarios iniquitatis Dominus non agnoscit, quamvis virtutes operentur, ita et Christus eos non cognoscit qui eum Dominum Jesum, tantum voce, non rectis operibus confitentur. Ut ipse ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.*

Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hic vult ostendere gratias Spiritus sancti multas esse, ac divisas: non ipsam divinam substantiam esse divisam, unde ipsæ gratiæ largiuntur. Dicendo enim semper idem omnia se dicere de Spiritu sancto declarat: unde subditur, *hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Manifesta est enim prædicatio unius Deitatis uniusque substantiæ Patris et Filii et Spiritus sancti, qui sua potestate Dominus Deus singulis quibusque prout vult gratiarum dona largitur.

Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Ut appareat illum Spiritum sanctum accepisse, ut increduli credant, et credentes firmentur.

Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ. Sapientiæ sermo est, sapienter et aperte ac rationaliter loqui et posse disserere vel docere quod nove-

A rit. Sane qui ex dono habet sapientiam, sine suo conatu loquitur et labore, et nemo potest illi resistere. Sequitur:

Alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum. Ut sciat legis mysteria explanare, et de præteritis etiam cognoscere.

Alteri fides in eodem Spiritu. Quia alii veracior atque perspicacior intellectus datur ad fidem.

Alii gratia sanitatum in uno Spiritu. Per ipsum datur Spiritum sanctum ut curare possit ægrotos.

Alii prophetia. Et futura prædicant.

Alii discretio spirituum. Ut quali quis spiritu veniat, vel loquatur intelligat.

Alii genera linguarum. Ut multis ac diversis linguis valeat loqui.

Alii interpretatio sermonum. Ut quod alii diversis loquuntur linguis, is per donum sancti Spiritus possit interpretari alius ad notitiam.

Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Bene de eodem Spiritu scriptum est: *ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Bonus igitur magister est, idem paracletus Spiritus, qui omnia nos docet, quæ Christus docere promisit. Hoc quoque non solum die Pentecostes, hoc est, in adventu Spiritus sancti celebrare debemus, sed ita necesse est agamus, ut quotidie eum ad nos castis operibus et castis pectoribus invitemus. Ita enim puri atque purgatis sensibus et cogitationibus esse debemus: ita nos oportet ori et cordi adhibere cu-
C stodiam, ut nos dignos semper ejus visitatione et illuminatione faciamus, ut videamur liberi esse ab omni immunditia cogitationum, quia, ut dixi, perversæ cogitationes separant a Deo. Studeamus liberi esse ab omni obtrectatione, omnique malitia, *quia in malevolam animam non ingreditur sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis.* Per iram ac superbiam animæ negligentium Spiritus sancti custodia et protectione nudantur. Non ergo per hujusmodi passiones contristemus Spiritum sanctum, sed potius eum ad sedem cordis nostri per gratiam humilitatis et pacis ac mansuetudinis evocemus, ac lætificemus eum operibus nostris, ut emundati penitus ac purificati habitaculum Dei efficiamur, et Spiritus sanctus, qui descendisse die octava legitur, in nobis
D semper esse dignetur. Præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum æterno Patre et eodem Spiritu sancto honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXVI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, cum appropinquaret Jesus Jerosolymam, videns civitatem, flevit super illam, dicens. Quia si cognovisses et tu, etc.

Quod flente Domino illa Jerosolymorum subversio describatur, quæ a Vespasiano et Tito Romanis principibus facta est, nullus qui historiam eversionis ejusdem legit, ignorat. Sed quærendum prius

est, quid sit quod dicitur, *videns civitatem flevit super illam dicens quia si cognovisses et tu*. Flevit etenim pius Redemptor ruinam perfidæ civitatis, quam ipsa sibi civitas non cognoscebat esse venturam, cui a flente Domino recte dicitur, *quia si cognovisses et tu*, subaudit, flevisses, sed modo quia nescis quid immineat exsultas. Unde et subditur :

Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptatibus daret, ventura mala non prospiciens, in die sua, quæ ad pacem ei esse poterant habebat. Cur vero bona præsentia ad pacem habuerit, manifestatur, cum subditur :

Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Si enim cordis ejus oculis mala quæ imminerent abscondita non essent, læta in præsentibus prosperis non fuisset. Cujus mox etiam pœna, quæ de Romanis, sicut B prædixi, principibus imminebat adjuncta est, cum dicitur :

Quia venient in te dies; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique; et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt. Hoc quoque quod additur : *Et non relinquent in te lapidem super lapidem*. Etiam ipsa jam ejusdem civitatis transmigratio testatur, quia dum nunc in eo loco constructa est ubi extra portam Dominus crucifixus fuerat : prior illa Jerusalem funditus est eversa. Cui ex qua culpa eversionis suæ pœna fuerit illata, subjungitur :

Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Creator quippe omnium per incarnationis mysterium hanc visitare dignatus est, sed ipsa timoris et amo- C ris illius recordata non est, unde etiam per Prophetam in increpatione cordis humani aves cœli ad testimonium deducuntur, cum dicitur : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium Dei*.

Et ingressus in templum, cœpit ejicere ementes et vendentes in illo, dicens illis : Scriptum est, quia domus mea domus orationis est. Qui enarravit mala ventura, protinus in templum ingressus est, ut de illo vendentes et ementes ejiceret, profecto innotans, quia ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit, eversionem quippe describens, sed vendentes et ementes in templo feriens, in ipso effectu sui operis ostendit, unde radix prodiit per- D ditionis :

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Qui ad accipienda munera in templo residebant, profecto quia quibusdam non dantibus læsionem exquirerent dubium non erat. Domus ergo orationis, spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo assistere noverant, ut aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritaliter necare. Quia vero Redemptor noster prædicationis verba nec indignis et ingratis subtrahit, postquam disciplinæ vigorem ejiciendo perversos tenuit, donum mox gratiæ ostendit. Nam subditur :

Et erat docens quotidie in templo. Hæc juxta historiam breviter tractando transcurrimus : nunc eadem morali intellectu discutienda repetamus : *Videns civitatem flevit super illam, dicens quia si cognovisses et tu*. Hoc semel egit, cum perituram civitatem esse nuntiavit, hoc quotidie Redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos pervenisse considerat. Plangit enim eos qui nesciunt cur plangantur, qui juxta Salomonis verba lætantur cum male fecerunt, et exsultant in rebus pessimis, qui, si damnationem suam, quæ eis imminet, agnovissent, semetipsos cum lacrymis delictorum plangerent. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi sunt*, suam hic diem habet anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore, cui ea quæ adsunt ad pacem sunt, quia dum rebus temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla venturæ pœnæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est ubi justi lætabuntur. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, perversa anima rebus præsentibus dedita in terrenis voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia, quia prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent, dumque in præsentis vitæ oblectatione se deserit, quid aliud, quam clausis oculis, ad ignem vadit : *Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo*. Qui unquam sunt humanæ animæ majores inimici, quam maligni spiritus, qui hanc a corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam deceptoriis delectationibus fovent : quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant. *Et circumdabunt te, et coangustabunt te undique*. Maligni spiritus undique animam coangustant, quando ei non solum operis, verum etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, ut quæ prius se per multa dilatavit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. *Et ad terram consternent te, et filios tuos qui in te sunt*. Tunc anima per cognitionem reatus sui ad terram consternitur, cum caro, quæ in vitam suam credidit redire ad pulverem urgetur. Tunc in morte filii illius cadunt, cum cogitationes illicitæ, quæ modo ex illa prodeunt, in extrema vitæ ultione dissipantur, sicut scriptum est, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Quæ scilicet duræ cogitationes intelligi etiam per lapidum significationem valent : nam sequitur, *et non relinquent in te lapidem super lapidem*. Perversa etenim mens, cum perversæ cogitationi adhuc perversionem adjicit, quid aliud quam lapidem super lapidem ponit, sed in destructa civitate super lapidem lapis non relinquitur, quia cum ad ultionem suam anima deducitur, omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur. *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*, perversam quamcunque animam omnipotens

Deus modis multis visitare consuevit; nam assidue hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando vero miraculo, et ut vera quæ nesciebat, audiat et tamen adhuc superbiens atque contemnens aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta malum quod fecit erubescat, sed quia visitationis suæ tempus minime cognoscit, illis in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno judicio damnationis suæ societate colligatur. *Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo et ementes.* Sicut templum Domini in civitate est, ita et in plebe fideli vita religiosorum, et sæpe nonnulli religionis habitum sumunt, sed dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercium terrenæ negotiationis tribuunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur, justitiam enim vendere est, hanc pro præmii acceptione servare. Ementes vero in templo sunt, qui dum hoc persolvere proximo, quod justum est non volunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt dato patronis præmio emunt peccatum. Quibus bene dicitur: *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quia dum nonnunquam perversi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladiis occidunt, ubi vivificare proximos orationis suæ intercessione debuerunt. Templum quoque et domus Dei est ipsa mens atque conscientia fidelium, quæ si quando in læsionem proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident, et simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos, qui in nullo rei sunt, læsionis gladios defigunt. Mens enim fidelium, non jam domus orationis, sed spelunca latronis est, quando relicta innocentia et simplicitate sanctitatis illud conatur agere, unde valeat proximis nocere; sed quia contra perversa hæc omnia verbis Redemptoris nostri per sacras paginas indesinenter instruimur, nunc usque ad hoc agitur quod factum fuisse prohibetur, cum dicitur. *Et erat docens quotidie in templo.* Cum enim mentem fidelium ad cavenda mala subtiliter erudit, quotidie Veritas docet, Jesus Christus videlicet, Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXVII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, non omnis caro eadem caro, sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piscium. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria, sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium, alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim ab stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum, etc.

In his omnibus iste sensus est. Si genera carnis cum sint cuncta mortalia, differunt tamen inter se pro diversitatibus animantium; etsi corpora enim

A sint omnia visibilia, differunt tamen inter se pro diversitatibus locorum, unde alia est cœlestium gloria, alia terrestrium, et si in locis sublimibus, cum sint cuncta cœlestia, differunt etiam ipsa claritate luminum, non mirum est, quod in resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum, cum ex eadem massa omnis caro sit. Unde et quomodo in his tanta diversitas est, ut una impensa faceret genera diversa, dicant nunc sophistæ mundi et scrutatores siderum, si valent comprehendere, quæ extra se sunt cum quid intra se sit nesciant. Denique omnes mundani philosophi, quia mentem suam legi Dei humiliare, ut fidem ejus susciperent noluerunt, diversa semper et contraria asserentes, inanissimis disputationibus invicem se confuderunt,

B quia in nullo horum testificatur veritatis signum. Agnitum est, quod ante positum verbum commendat doctrinam sicut et Deus discrevit disciplinam nostram quæ non verbis probatur, sed virtute, cui non possunt verba resistere. Quemadmodum enim ex una impensa diversa animantium caro est, ita et unius carnis hominis diversæ erunt dignitates in resurrectione, ut talis unusquisque appareat, qualis fuerit meriti, quippe cum hic etiam diversitatem corporum videamus: *Et corpora,* inquit, *cœlestia, et terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium.* Cœlestia corpora sunt resurgentium, terrestria autem antequam moriantur, aut surgant, ut quia Christus cœlestis est, ex eo corpora cœlestia dicantur. Ex Adam vero quia ter-

C restris est terrestria corpora. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, stella enim ab stella differt in claritate.* Unius naturæ comparatione utitur ad indiscretæ substantiæ reddendam rationem, quia sicut sol et luna et stellæ cum sint unius quidem naturæ, diversæ tamen claritatis sunt, ita et homines cum sint unius generis, merito tamen dissimiles erunt in gloria, ut claritatem solis illorum dignitas exsequetur, qui centesimum numerum habent, qui ut perfecti essent primi gradus æmuli fuerunt. De quibus dictum est: *tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui.* Lunari autem claritati hi comparandi sunt, qui sexagesimum numerum bonis operibus mercati sunt, ut secundi gradus meritum haberent. Stellis autem

D clarioribus eorum merita comparanda sunt, qui tricesimum numerum, tertii gradus dignitatem, justis laboribus quæsierunt. Sequentibus vero stellis, quæ inter claras et obscuriores mediæ sunt, peccatores homines coaptandi sunt, qui de tribus nullius gradus honorem adipisci noluerunt, cæteris [Tetricis] autem stellis et omnium novissimis perfidorum resurrectio similis est, quia errorem secuti, stellis in errorem ducentibus comparandi sunt, sicut dicit in Epistola sua Judas apostolus, *infidelitas enim non potest claram resurrectionem habere, quia sicut carbo cinere suo coopertus obcæcatur,* ita et hi perfidia sua erroris tenebris circumdati luce carebunt. Ita et resurrectio mortuorum: exempla dat ut non sit du-

bium resurrectionem futuram mortuorum, ut accepta ratione nemo ambigat.

Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminare est sepelire ut corrumpatur, resurgere autem, in incorruptela, jam exsuscitatum non posse corrumpi, sed habere claritatem immortalitatis. *Seminatur in ignominia, surget in gloria.* In ignominia seminatur dum in tetrico ponitur, fit fetidum et scatet vermibus. Resurgere autem est in gloria, quia exsuscitatum et lumen erit, et nullam squaloris injuriam patietur.

Seminatur in infirmitate, surget in virtute. In infirmitate seminatur, quia immobile est et irregibile; surgit autem in virtute, quia jam totum vivum erit ac vegetum.

Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, licet enim pronuntiemus nonnullas esse spiritales naturas, ut sunt angeli, archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certe aer iste subtilis, tamen [a] incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt, habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo tenuius, quam nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam, ita dicentis, *Et corpora cœlestia et corpora terrestria;* et iterum, *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Quibus manifeste colligitur nihil esse incorporeum nisi Deum solum; et idcirco ipsi tantummodo posse penetrabiles omnes spiritales atque intellectuales esse substantias, eo quod solus et totus et ubique et in omnibus sit, ita ut cogitationes hominum et internos motus, aditaque mentis universa inspiciat atque perlustret. De ipso siquidem solo pronuntiavit beatus Apostolus dicens : *Unius enim est sermo Dei, et efficax et acutior super omnem gladium ancipitem et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque, et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Et beatus David, *Qui fingit,* inquit, *sigillatim corda eorum.* Et iterum : *Ipse enim novit occulta cordis.* Animale corpus est, dum cibis sustentatur ut juvat, spiritale autem cum horum nihil indigebit conversum in vitam. Omnia supradicta hoc sensu clauduntur, non enim corpus animale semper hic habere potest Spiritum sanctum. Tunc vero, id est, resurrectione semper manebit in sanctis. Surget corpus spiritale, quod possit ire obviam Christo.

Sicut scriptum est : *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.* Notandum est, quod cum duos Adam dicit ejusdem naturæ utrosque demonstrat. Quod contra Manichæos et Apollonaristas facit, qui negant Dei verbo perfectum hominem esse susceptum. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale est. Deinde quod spiritale.

Primus homo de terra terrenus, secundus homo de A *cœlo cœlestis dicitur.* Quia non humanæ fragilitatis ritu, sed divinæ majestatis nutu, et conceptus est, et enixus. Nam usque adeo naturam nostram habuit, ut secundus Adam dicatur, et homo, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXXXVIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, respondens Jesus discipulis suis dixit : Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus, etc.

Hactenus ea quæ per quadraginta annos necdum fine veniente futura erant, hinc ipse finis desolationis, quæ B a Romano exercitu facta est, Domini verbis exponitur.

Tunc qui in Judæa sunt fugiant in montes. Ecclesiastica narrat historia, cunctos qui in Judæa erant Christianos imminente Hierosolymorum excidio commonitos a Domino loco decessisse, et trans Jordanem in civitate quadam Pella nomine donec desolatio Judææ compleretur habitasse.

Et qui in medio ejus, discedant : et qui in regionibus, non intrent eam. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Videtur quidem ad congruam pertinere admonitionem ut qui extra sunt, non in eam intrent. Qui autem in medio sunt quomodo discedent ab exercitu jam civitate circumdata ? nisi forte quod præmisit, *tunc,* id est, *tunc qui in Judæa sunt fugiant,* non ad ipsum C tempus obsidionis, sed ad proximum ante obsidionem tempus, cum se primo miles Romanus per Galilææ vel Samariæ fines cœpisset diffundere pertinere dicamus, ut tunc fugere quisque, cum fugere adhuc tempus esset, accelerarct. *Dies autem ultionis hi sunt,* Dominici videlicet sanguinis ultionem petentes.

Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Væ præsente captivitate prægnantibus et nutrientibus sive mammantibus, ut quidam interpretantur, quarum vel uteri et manus filiorum sarcinæ prægravatæ fugæ necessitatem non minimum impediunt ; lege Regum historiam, ubi uxor Jonathæ malum captivitatis propera fuga vitando, lapso suo filio, perpetuo illum claudum recepit.

Erit enim presuras magna super terram, et ira po- D *pulo huic.* Hæc pressura et ira populo illi usque hodie per omnes gentes disperso individua comes adhæret, non tamen in æternum adhæsura credenda est : nam postquam ordinem ejusdem pressuræ vel iræ Dominus ostendit dicens,

Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, protinus juxta Prophetiam, quæ canit, *in ira misericordiæ memor eris,* subjunxit, atque ait :

Donec impleantur tempora nationum. Tempora quippe nationum illa sunt, quæ commemorat Apostolus dicens, *quia cæcitas ex parte facta est in*

[a] Vid. Dionys. Petavii Dogmata theolog. t. III, tract. de Angelis, lib. I, cap. 2, p. 3, edit. Antuerp. EDIT.

Israel donec plenitudo gentium introiret et sic omnis Israel salvus fieret, qui eum promissa salute fuerit potitus, patrium quoque rediturus ad solum, et metropolis quondam suæ possessionem atque inhabitationem speratur, quia non in perpetuum sed donec tempora nationum impleantur, ira premendus esse narratur. Quid autem, impletis nationum temporibus, et sic omni Israel salvato sequatur, Dominus ex ordine manifestat. Nam et de hoc secundum Matthæum discipuli interrogantes, non solum templi evertendi tempus, sed et signum adventus ejus, et consummationis sæculi, quærebant.

Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum. Quia ergo sicut Dominus in sequentibus B intimat apparente universali judicio *cœlum et terra transibunt*, et sicut in Joannis Apocalypsi legimus, *mare jam non erit*, merito eodem incumbente judicio sonitus maris et fluctuum confunditur, terrarum orbis prementibus se invicem colonis inficitur, maxima cœli luminaria percussis horrore novo radiis turbatam faciem velant, et quomodo impulsæ ad casum arbores fragores motusque sui præmittere solent indicia, sic termino appropiante quasi paventia nutant ac trement elementa. Ergo quod ait Matthæus, *Sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo*, ipsam judicii præsentiam significat, quando apparente veræ gloria lucis omnia mundi lumina tenebris umbrisque comparantur. Quod vero dicit Lucas, *erunt signa in* C *sole et luna et stellis*, præcursores vicini ejusdem judicii quasi nuntios indicat. E quibus est illud prophetæ, *sol vertetur in tenebras et luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus et manifestus.* Item quod Lucas ait, *et in terris pressura gentium*, ipsum esse reor quod Antichristi tempora describens Matthæus dicit : *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo nec fiet.* Quod autem Lucas subjungit, *Præ confusione sonitus maris et fluctuum*, præco est illius, quod inter cætera mutabilia sæculi Joannes mare abiturum conspexit.

Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi. Credo ipsum judicis adventum hac sententia designari quando juxta alte- D rius loci parabolam omnes, hoc est prudentes et fatuæ virgines insolito clamore suscitatæ lampades ornant, idem sua secum opera numerant, pro quibus maximo cum timore jam jamque instantem æterni discriminis exspectant eventum. Nam eatenus absque ullo timore judicis universus pene orbis acturus est, Apostolo attestante, qui ait : *Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Tunc itaque superveniente universo orbi timore et exspectatione districti examinis, multi qui in hoc mundo florere videbantur, cum se sine fructu conspexerint, arescent. Tunc fides quæ sine operibus viruerat, probante se justi judicis igne A marcescet, quia fides sine operibus mortua est in semetipsa. Reddet enim tunc judex vivorum et mortuorum Dominus noster Jesus Christus unicuique secundum opera sua.

HOMILIA CXXXIX.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos dies illa : tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ, etc.

O stulta præsumptio cordis humani, cum lamentabilem finem cupiditatis, ebrietatis et crapulæ nec B ipso judice contestante prævideat, sed edictum regis æterni more servi nequam postquam didicerit spernat! Et certe si quis nobis peritus ac sapiens medicus ita præciperet : Attendite, inquiens, vobis, ne quis verbi gratia de illius et illius herbæ succo avidius sumat, quod si fecerit repentinus ei superveniet interitus, quanto quisque studio præmonentis medici mandata servaret, ne videlicet vetitum gustando periret. At nunc animarum simul et corporum salvator ac Dominus jubet ebrietatis herbam et crapulæ vitandam, nec non curarum sæcularium, velut mortiferos succos esse cavendos, et quanti tamen nostrum his non solum sauciari, sed et etiam consumi non timent! Nulla credo alia causa nisi quia fidem quam medicis præbent, dictis C Domini præbere contemnunt. Si enim credidissent, credendo utique timerent, timendo autem impendens periculum caverent; sed illi e contra torpendo, quam juste dictum sit probant, Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante filium hominis. Qui ante filium hominis stare, eique juxta Apocalypsim Joannis die noctuque in templo ejus servire desiderat, nec ab ejus aspectibus in ignem æternum maledictus abjici : non solum ab illecebris sæcularibus castigari sed et orare et vigilare, et hoc non certis quibusdam diebus sed omni tempore facere debet. Juxta quod Psalmista ait : *Benedicam Dominum in omni tem-* D *pore, semper laus ejus in ore meo.* Sic namque merebitur habitare in domo Domini et in sæculum sæculi laudare eum. Præstante ipso Redemptore et Salvatore generis humani Domino videlicet nostro Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto in unitate perfecta regnat in sempiterna sæcula. Amen.

HOMILIA CXL.

HEBDOMADA XII POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ B. Pauli ad Corinthios.

Fratres, notum vobis facio Evangelium, etc.

Hic prætermisso ordine prædicandi, ad doctrinam se contulit resurrectionis, eo quod nonnulli Corinthiorum de resurrectione dubitabant.

Quod et accepistis. Id est, quod acceptum habuistis. Et hæc dicit, ne illi hoc non credidisse viderentur.

In quo et statis. Id est, in bonis operibus perseverantes, in cujus doctrina ad cœlestia estis erecti.

Per quod et salvamini. Id est, per cujus doctrinam salutem speratis, et animarum et a diversis infirmitatibus corporum, quia sine fide resurrectionis perit omnimodo spes salutis.

Qua ratione prædicaverim vobis. Ac si diceret, Tota ratio prædicationis nostræ hæc est, ut resurrectionem credatis. Hoc est enim præmium omnium qui Christum crediderunt, alioquin superfluus est omnis labor jejuniorum, et omnium tribulationum, quas in hac vita pro Christo patimini.

Si retinetis, nisi frustra credidistis. Id est nisi obliti estis, vel certe, si fidei vestræ vel laboris præmium resurgendo non speratis, vane creditis.

Tradidi enim vobis inprimis, id est, ex quo vobis in primordio prædicavi tradidi mysterium resurrectionis, quod vel nostræ constat, vel primum....

Quod et accepi. Accipere se dixit sive a lege, sive a senioribus, sive ab ipso Domino per revelationem.

Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. Ut majore posset beatus Apostolus auctoritate firmare quod prædicabat, hunc esse Christum salvatorem mundi dicit, *quem Moyses et Prophetæ annuntiaverunt*, ideo et secundum Scripturas prædictum esse commemorat, ut illud, Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet; et illud, *Traditus est propter iniquitates nostras*, et *livore ejus sanati sumus*, et multa alia in divinis de passione ejus invenies Scripturis.

Et quia sepultus est. Ut illud Isaiæ, *et dabit impios pro sepultura ejus, et divites pro morte sua.* Item ipse, *Sepultura ejus sublata est de medio.*

Et quia surrexit tertia die secundum Scripturas. Habes in Osee, *vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.*

Et quia visus est Cephæ, id est, Petro. Cephas enim Syrum nomen est. Apparuit Petro sicut in Evangelio scriptum est, *quia apparuit Simoni.*

Et post hoc undecim. Quando ad eos januis clausis intravit. Hoc intelligendum, quia in Evangelio non omnes scriptæ sunt visiones, sed tantum quæ ad audientium sufficerent fidem.

Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul; ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Ut enim major fides haberetur, multitudinem testium interposuit. Ex quibus multi vivere dicuntur, qui possint interrogati dicere quæ viderunt. Multi vero jam dormire dicuntur in morte.

Deinde visus est Jacobo. Jacobo Alphæi seorsum apparuit, ferunt enim quod ipse Jacobus Alphæi testatus sit, in cœna Domini dicens, non se comesturum panem usquedum videret Christum a mortuis resurgentem.

Deinde Apostolis omnibus. Multi hic Apostolos, illos omnes septuaginta quos Dominus misit ad prædicandum intelligi volunt.

Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est et mihi. Visus est illi in via quando lux circumfulsit eum sive in templo. Hæc ideo dicit, ne putarent eum audita potius quam visa narrare. *Tanquam abortivo* dicit, quia est synagogæ mortuus, et natus ecclesiæ, *tanquam abortivo*, de cujus vita fuerat desperatum nisi per gratiam Domini violenter fuisset attractus. Attractus autem prædicationibus non catenis et præ stupore novitatis invitus, qui erat in legis eruditione perfectus, sive ideo abortivus, quia merito synagoga eum male conceptum imperfectumque peperit.

Ego enim sum minimus apostolorum. Hæc de se propter humilitatem dicit; cæterum erat minimus tempore non labore: nam alibi ait, *plus omnibus laboravi.*

Qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Quare non sit dignus ipse exponens ait, *Quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Docet nos exemplo suo etiam si ad præsens proficiamus, deflere præterita, melius est enim dimissa recordari peccata, quam oblivisci commissa. Scriptum est enim, *Fili, peccasti, ne adjicias iterum, sed et de præteritis deprecare.*

Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit. Quia gratia qua redempti sumus laborem conatuum non meritum quæsivit. Quotidiana autem gratia post baptismum quotidianum servitium laboris exspectat, in quo quisque bene operans usque in finem perseveraverit in perpetuum salvus erit.

HOMILIA CXLI

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisæus et alter publicanus, etc.

Publicanus humiliter orans ad illa præfatæ viduæ, hoc est Ecclesiæ membra pertinet, de quibus supra dicitur, *Deus autem faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se.* Pharisæus autem merita jactans, ad ea, de quibus terribilis in conclusione sententia subditur, *verumtamen filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?*

Pharisæus stans, hæc apud se orabat dicens: Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Quatuor sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, vel cum bonum a semetipsis habere se existimant; aut si sibi datum desuper credunt pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe jactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere, quod habent, quia Pharisæus iste jactantiæ peste laborasse deprehenditur, qui idcirco de templo absque justificatione descendit,

quia bonorum operum merita sibi quasi singulariter A tribuens, oranti publicano se prætulit.

Jejuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Ezechiel propheta de ostensis sibi cœli animalibus scribit, *et totum corpus plenum erat oculis in circuitu ipsorum quatuor.* Corpora quippe animalium idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter prævidens, mala solerter cavens, sed nos sæpe dum aliis rebus intendimus, fit, ut alia negligamus, ibi procul dubio oculum non habemus. Nam ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad implendam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habuerat, sed ad humilitatis custodiam non habebat, et quid prodest, quod contra hostium insidias pene tota civitas caute custoditur, si B unum foramen apertum relinquitur, unde ab hostibus intretur?

Et publicanus, a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Quantam veniæ fiduciam digne pœnitentibus præbet quod publicanus qui reatum suæ nequitiæ perfecte cognovit, flevit, confessus est, etsi injustus ad templum venit, justificatus a templo rediit! Typice autem Pharisæus Judæorum est populus qui ex justificationibus legis extollit merita sua; publicanus vero gentilis est, qui longe a Deo positus confitetur peccata sua: quorum unus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando C appropinquare meruit exaltatus.

Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Et de utroque populo præfato, et de omni superbo vel humili recte potest intelligi, sicut et illud quod alibi legimus, Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur; quapropter et de verbis elati Pharisæi, quibus humiliari meruit, possumus ex diverso formam humilitatis qua sublimemur assumere, ut sicut ille consideratis et pejorum vitiis, et suis virtutibus, est elatus ad ruinam, ita nos non nostra solum pigritia, sed et meliorum virtutibus inspectis, humiliemur ad gloriam, quatenus unusquisque nostrum hæc apud se supplex ac submissus obsecret, Deus omnipotens mise- D rere supplici tuo, quia non sum, sicut innumeri servi tui contemptu sæculi sublimes, justitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum qui post flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt esse devoti; qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero quo fine hoc faciam, quave a te districtione pensetur ignoro, quia, ut Scriptura dicit, *judicia Dei sunt abyssus multæ*, hic enim novit omnia, et non est quidquam absconditum coram oculis ejus, ipse enim solus vivit, et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXLII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ B. Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt, etc.

Corpora nostra membra Christi sunt, sed in novo homine, qui secundum Deum creatus est, quia ipse est caput Ecclesiæ.

Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Quia meretrici adhærentia membra desinunt esse membra Christi.

An nescitis quia qui adhæret meretrici, unum corpus sit? Hoc dicit, quia qui contaminationi se admiscet, unum fit cum eo, cui se admiscet; fornicatio enim ambos unum facit ut quomodo in natura sic et in macula unum sint.

Erunt (inquit), duo in carne una. Manifestum est, ut quia mulier de viro est, ambo in carne unum sint.

Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Quoniam in bene agentibus spiritus Dei est communis cum Deo et hominibus. Cum sic dicitur unum ut non addatur, quid unum, et plura unum dicuntur, eadem natura atque essentia non dissidens, neque dissentiens significatur; cum vero additur quid unum, potest aliquid significari ex pluribus unum factum quamvis diversis natura, sicut anima et corpus non sunt utique unum, quid enim tam diversum? nisi addatur aut subintelligatur quid unum, id est, unus homo, aut unum animal; inde Apostolus *qui adhæret meretrici*, inquit, *unum corpus est*, non dixit unum sunt aut unum est, sed addidit corpus, tanquam ex duobus diversis masculino et feminino unum corpus adjectione compositum. *Et qui adhæret Domino*, inquit, *unus spiritus est*, non dixit, qui adhæret Domino unum est, aut unum sunt, sed addidit spiritus: Diversus enim natura spiritus hominis et spiritus Dei, sed inhærendo fit unus spiritus ex diversis duobus, ita ut sine humano spiritu beatus sit Dei spiritus perfectus, beatus autem hominis spiritus non nisi cum Deo. Quamobrem sive ita dicatur Deus de Deo, ut et singulis hoc nomen conveniat, non tamen ut ambo simul duo dii, sed unus Deus sit. Ita enim sibi cohærent; quod etiam in distantibus diversisque substantiis fieri Apostolus testis est. Nam et solus Domini spiritus, spiritus est, et solus hominis spiritus utique spiritus est, tamen si hæreat Domino, unus spiritus est. Quanto magis ibi, ubi est omnino inseparabilis atque æterna connexio? Sic ordinata est mens naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit, nisi Deus, denique cum illi penitus adhæserit unus erit spiritus, cui rei attestatur Apostolus dicens, *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est*, accedente quidem ista ad participationem naturæ, veritatis et beatitudinis illius, non tamen crescente illo in natura veritatis beatitudine sua; in illa itaque natura cui feliciter inhæserit immutabile videbit omne, quod viderit, tunc sicut ei divina Scriptura promittit, *satiabitur in bonis desiderium ejus*, in immuta-

bilibus, hoc est, ipsa trinitate Deo suo, cujus imago est, et ne uspiam deinceps violetur, erit in abscondito vultus ejus, tanta ubertate ejus impleta, ut eam nunquam peccare delectet.

Fugite fornicationem. Recte fugiendam monet fornicationem, per quam filii Dei fiunt filii diaboli.

Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Ostendit fornicationem gravissimum esse peccatum, quia ex hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio perit, non totum. Totum enim corpus vir est et mulier, quia portio viri est mulier, quicunque enim aliud peccatum admiserit extra se peccat : fornicarius vero in carnem suam peccat. Age si laqueo vitam finiat, aut ferro se trucidet, non in corpus suum videtur peccare? non in corpus suum peccat, sed in animam cui vim facit, fornicari autem corporale delictum est, quod et corpus contingit et animam, non enim sine desiderio carnis, quia habet et caro proprium motum, anima concupiscit, ut peccet in carnem, quamvis sine anima nihil possit per id quod in carnem quæ ex se est peccat. Ad originem enim retulit, in corpus suum dicitur peccare, ut desinat a fornicatione, quasi sibi parcens. Novatiano tamen hic is qui fornicatur non in corpus suum videtur peccare sed in Christi. Aliter enim pronuntiat hoc, ut etiam illum qui fornicatur in Spiritum sanctum dicat peccare, propter causam qua scissus est ab Ecclesia. Hoc nulla ratione astrui potest, corpus enim Christi non est unus aut duo Christiani, sed omnes, *singuli autem membra sunt.* Quomodo ergo qui fornicatur in Christi corpus peccat, cum non omnes contaminet? Quod si ita esset, ut Novatiano videtur, cætera omnia peccata extra Deum essent, et sola fornicatio peccatum esset in Deum. Etiam qui vadit ad idola non peccat in Deum, nec qui negat in persecutione, quia omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus Christi est, sicut illi videtur. Si autem et hoc aliter voluerit pronuntiare, ut neget aliquod extra corpus esse peccatum, cogetur dicere quia omnis quicunque quodcumque peccatum fecerit, in Deum peccat, et in Spiritum sanctum, ut et fur et perjurus, et mendax in Spiritum sanctum, peccare dicatur, quomodo est illud quod ait Dominus, *quia omnia peccata et blasphemiæ remittentur hominibus, qui autem peccaverit in Spiritum sanctum non remittetur ei neque hic neque in futuro.* Apparet utique exceptis peccatis cæteris aliud esse peccatum, quod peccatum dicitur in Spiritum sanctum. Quibusdam iterum videtur quia qui fornicatur ideo in corpus suum dicitur peccare, quia Ecclesiæ membrum est, et se contaminans in Ecclesiam peccat, cujus membrum est. Quia ergo Ecclesiæ membrum est, dicendum est illi cum fornicatur, quia non sibi sed in Ecclesiam peccat. Porro autem dicit Apostolus quia qui fornicatur per id quod in portionem suam deliquit, in corpus suum peccat. *An nescitis,* inquit, *quoniam qui adhæret meretrici unum corpus est? erunt enim,*

A *inquit, duo in carne una.* Nunquid posset hoc dici de aliis atque aliis quibusque facinoribus hominum? liberum est enim animo humano in aliis quibusque sceleribus et unum aliquid eorum operari, et eo ipso tempore alibi cogitatione distendi, in fornicationis autem ipso opere ac tempore non licet animo ad aliud aliquid cogitandum liberum esse, sic enim totus homo absorbetur ab ipso, et in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit, quod caro sit, et spiritus vadens, et non rediens. Sic ergo possumus intelligere quia *omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus proprium peccat,* ut videatur Apostolus in tantum exaggerare voluisse fornicationis malum, ut in com-
B paratione hujus cætera extra corpus habenda esse dixerit, quæcunque peccata, et solo hoc tantummodo fornicationis malo in corpus proprium peccare dixerit, quia majore libidinis ardore quo superior nullus est, voluptas ipsius corporis tenet servum efficitque captivum. Ait *an nescitis corpora vestra templum Dei?* dixit, hic *templum Spiritus sancti* quem habetis a Deo; superius *templum Dei* dixit, hic *templum Spiritus sancti* quia in substantia, hoc est spiritus, quod Deus. Hoc idcirco dixit ut corpora nostra incontaminata servemus, ut possit illic Spiritus sanctus habitare.

Et non estis vestri, empti enim estis pretio magno. Manifestum est, qui emptus est, non est sui arbitrii, sed ejus a quo emptus est, ut non suam, sed illius
C faciat voluntatem. Et quia chare empti sumus propensius Deo nostro servire debemus, ne offensus a qua nos redemit morti nos reddat, quam enim charissimo pretio nos emit ut sanguinem suum daret pro nobis!

Clarificate *et portate Deum in corpore vestro.* Hoc est *clarificate et portate Deum in corpore,* ut secundum legem ejus ambulemus, per legem enim suam ipse videtur in nobis; *portate,* inquit, *Deum,* hoc est, imaginem Dei in rebus bene gestis ostendite. Duo sunt peccata et duo genera peccatorum, aut enim in Deum homo peccat, aut in hominem. Peccatur autem in Deum etiam corrumpendo templum ejus in te, etenim Dominus redemit te sanguine Filii sui
D quanquam et antequam redimereris, cujus eras, nisi ejus qui condidit omnia? Peculiariter tamen quodammodo habere voluit redemptum sanguine filii sui. *Non estis,* inquit, *vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Dominum in corpore vestro,* Ergo ille a quo redemptus es efficit te domum suam. Nunquid tu vis domum tuam everti? si nec Deus suam, hoc est, te ipsum? Si tibi non parcis propter te ipsum, parce tibi vel propter Deum, qui te fecit templum suum, templum enim Dei sanctum est quod estis vos, et qui templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Ideo necesse est ut studeat unusquisque mundare cor suum ab omni concupiscentia mala, et vitam suam ab omni sorde peccatorum et opere nefario, quatenus mereatur in

se habitatorem habere Deum; qui in unitate et Trinitate perfecta omnipotens Deus regnat per omnia sæculorum. Amen.

HOMILIA CXLIII.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jesus Pharisæis: Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit, etc.

Non putet quisquam de hæreticis dictum et schismaticis, quanquam et ita ex superfluo possit intelligi, sed ex consequentibus textuque sermonis ad diabolum refertur, quod non possint opera Salvatoris Belsebub operibus comparari; ille cupit animas hominum tenere captivas, Dominus liberare; ille prædicat idola, hic unius Dei notitiam; ille trahit ad vitia, hic ad virtutes revocat. Quomodo ergo possunt habere concordiam inter se quorum opera divisa sunt?

Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittentur hominibus. Omnia peccata et blasphemiæ non passim dimittuntur omnibus hominibus, sed his qui dignam pro erratibus suis in hac vita pœnitentiam egerint. Neque ullum habet locum pravæ assertionis, vel Novatianus, ut pœnitentibus eis qui in martyrio lapsi sunt, veniam neget esse tribuendam, vel Origenes, ut asserat post judicium universale transactis licet sæculorum voluminibus innumeris, cunctos peccatores ac blasphemos veniam peccatorum esse consecuturos, atque ad regnum cœleste perducendos, cujus errorem sequentia quoque Domini verba redarguunt, cum subsequitur:

Spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Qui ergo manifeste intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non possit, stimulatus invidia calumniatur Christum, Deique verbum, et opera Spiritus sancti dicit esse Belsebub: isti non dimittetur, neque in præsenti sæculo neque in futuro. Non quod negemus et ei si pœnitentiam agere voluerit posse dimitti, ab eo qui vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; sed quod ipsi judici et largitori veniæ credentes qui et se pœnitentiam semper accepturum et hanc blasphemiam nusquam dicit esse remittendam, credamus hunc blasphemum exigentibus meritis sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad ipsos dignæ pœnitentiæ fructus esse perventurum. Juxta hoc quod Joannes Evangelista, de quibusdam blasphemiæ suæ merito excæcatis veracissime scripsit: *Propterea non poterant credere*, quia iterum dixit Isaias: *Excæcavit oculos eorum, et induravit eorum cor ut non videant oculis, et intelligant corde et convertantur et sanem illos.* Sola ergo blasphemia in Spiritum sanctum, qua quisque in similitudinem diaboli et angelorum ejus contra conscientiam suam majestatem Deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, sicut Evangelista Marcus manifeste declarat, qui posito hoc Domini testimonio subjunxit, atque ait: *Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet:* nam

A neque hi, qui Spiritum sanctum non esse, neque qui hunc Deum quidem esse, sed Patre Filioque minorem credunt et confitentur, quia non invidentia diabolica, sed humana ignorantia ducti faciunt, hoc irremissibilis blasphemiæ crimine tenentur. Quapropter principes Judæorum et quique similis invidiæ peste corrupti majestatem blasphemant, sine fine peribunt.

Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Ac si aliis verbis diceret, quicunque convitia dixerit contra me, scandalizatus quippe carne mea, et me hominem tantum arbitrans quod filius sim fabri, et fratres habeam Jacobum, et Joseph, et Judam, et homo vorator, et vini potator sim, talis opinio atque blasphemia quanquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam
B propter corporis vilitatem. Nam in eo quod sequitur:

Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro, ex his verbis Deum datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro laxare; quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinari debeat sciunt, aut non gravibus culpis errore ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant si adhuc in vita hac positis minime fuerint relaxata. Hoc autem sciendum est, quia illic saltem
C de minimis nil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat promereatur.

Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam et fructum ejus malum; ex fructu siquidem arbor agnoscitur. Constringit eos syllogismo, quem Græci vocant Apciton [Aphucton], nos autem inevitabilem possumus appellare, qui interrogatos hinc inde concludit, et utroque cornu premit. Si inquit, diabolus est malus bona opera facere non potest, si autem bona sunt quæ facta cernitis, sequitur ut non sit diabolus qui ea facit: neque enim fieri potest, ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum.

D *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Progenies viperarum* eos dicit, quia diaboli filios eos appellat: in tantum enim quis filius ejus est, in quantum eum peccando imitatur. Quod enim dicit *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* ostendit illos arborem malam, et tales adferre fructus blasphemia redundantes, qualia habebant semina diaboli.

Ex abundantia enim cordis os loquitur. Humanum quidem judicium sæpe fallit, quia cor proximi nescit, nisi ex ore et opere pensare: Dominus autem ipsum opus et sermones nostros, quos cordis os loquitur judicat, qui ex qua intentione promantur verba non ignorat.

Bonus homo de bono thesauro profert bona; et ma-

lus homo de malo thesauro profert mala. Thesaurus cordis, intentio est cogitationis, ex qua proventum operis æternus arbiter judicat, unde fit plerumque ut minora bona, nonnulli majore cœlestis gratiæ mercede operentur; videlicet propter intentionem cordis, qua majora voluerant patrare bona si possent; alii majora virtutum opera ostentantes, ob incuriam cordis tepidi, minora a Domino præmia sortiantur. Sed in hoc loco vel ipsos Judæos Dominus blasphemantes ostendit, de quali thesauro, hoc est, de abscondito cordis blasphemiam proferant, vel cum superiori quæstione hæret sententia, quod quomodo non possit bonus homo proferre mala, nec malus bona opera facere: sic non possit Christus mala, diabolus bona opera facere.

Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Hoc quoque hæret cum superioribus et est sensus: Si otiosum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non absque periculo ejus qui loquitur profertur, et in die judicii redditurus est unusquisque rationem sermonum suorum, quanto magis vos qui opera Spiritus sancti calumniamini et dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia, reddituri estis rationem calumniæ vestræ? Otiosum verbum est quod sine utilitate et loquentis dicitur et audientis, hoc est si omissa ratione de rebus frivolis loquamur et fabulas narremus antiquas. Cæterum qui scurrilitatem replicat, cachinnis ora dissolvit, et aliquid profert turpitudinis: hic non otiosi sermonis, sed criminosi tenebitur reus.

Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Ex præcedentibus adhuc pendet sententia ubi ait: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ex malis verbis dubium non est quod damnetur homo a Deo, qui ea protulerit. Justificari autem ex bonis verbis nullo modo poterit, nisi de intimo cordis ea recta intentione proferat. Bona autem etiamsi sint, et non recto studio fuerint prolata, justificare non poterunt loquentem; sicut nec Caiphas in prophetando justus inventus est, qui dixit: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Illa ergo verba justificant loquentem, qui bonum quod ore profert, medullitus corde retinet et intentione sana profert; in verborum enim pondere probatio consistit vitæ humanæ, quia, ut Salomon ait, *mors et vita in manibus linguæ: et qui custodit os suum custodit ab angustiis animam suam. Qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala.*

HOMILIA CXLIV.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, interrogatus Jesus a Pharisæis quando venit regnum Dei, respondit eis et dixit: Non venit regnum Dei cum observatione, etc.

Interrogabant de tempore regni Dei, quia, sicut infra Lucas aperuit, existimabant quod veniente Jerosolymam Domino, confestim regnum Dei manifestaretur, ita ut et ipsi Apostoli hac opinione ducti, post resurrectionem ejus interrogantes dicerent, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel*; et alibi Cleophas, *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.*

Non venit autem regnum Dei cum observatione; neque dicent: Ecce hic. Quia quando veniat neque ab angelis, neque ab hominibus potest observari, sicut tempus Dominicæ incarnationis, certissimis et prophetarum vaticiniis præfixum, et angelorum est manifestatum præconiis, adeo ut conceptus, natus et baptizatus, prædicans, etiam moriens et resurgens, atque ad cœlos rediens comitantibus indesinenter vel angelorum, vel hominum, vel certe miraculorum sit declaratus indiciis.

Ecce enim regnum Dei intra vos est. Regnum Dei se ipsum dicit, intra illos utique positum, hoc est in cordibus eorum ubi credidere regnantem, unde scriptum est: *Prope est verbum in ore tuo,* hoc est verbum fidei quod prædicamus.

Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desiderabitis videre unum diem filii hominis, et non videbitis. Hoc est regnum Dei quod venturum speramus, diem videlicet Christi videre, et bene unum diem, quia in illa beatitudinis gloria, de qua Propheta suspirans aiebat *quia melior est dies una in atriis tuis super millia*: tenebrarum interruptio nulla est, nulla saltem memoria miseriæ vel doloris quæ prima abierunt, lucem perpetuæ pacis obnubilat. Hujus ergo Dei bonum est desiderare præsentiam, nec tamen magnitudine desiderii nobis omnia fingere, quasi instet dies Domini. Unde et apte Dominus ventura prænuntiando subjunxit,

Et dicent vobis: Ecce hic, ecce illic; nolite ire, neque sectemini. Quamvis hæc sententia non solum ad tempus sed etiam ad personam possit intelligi. Ad tempus quidem quia exstitere nonnulli, qui curricula computantes ætatum, certum se consummationis sæculi annum, diem et horam dicerent invenisse: contra auctoritatem Domini dicentis: *Non est vestrum nosse tempora et momenta*; ad personam vero quia multi contra Ecclesiam venere, multi venturi sunt hæretici, qui se Christos asseverent, quorum primus Simon Magus, extremus autem ille major cæteris est antichristus. Si qui ergo dixerint, *Ecce hic, ecce illic*, id est, in hac vel illa persona, vel hora venire vel venturum esse regnum Dei, non sequendi, quia altiora se quærere et infanda dicere non timent.

Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die sua. Hoc est, quod Psalmus ait: *Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit*, quia videlicet secundus Salvatoris adventus non in humilitate ut prius; sed in gloria sit, et majestate futurus, et palam sit *coruscans de sub cœlo*: hoc est, in aeris medio geretur, testante Apostolo, qui ait, *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera.*

Primum autem oportet illum multa pati et reprobari

a generatione hac. Loquens multa Dominus de adventus sui gloria, terrorem quoque passionis paucis inserere curavit, ut cum morientem cernerent, quem glorificandum audierant, dolorem passionis spe promissæ glorificationis mitigarent, simulque se ipsi pararent, si gloriam regni diligerent, mortis non horrere periculum. Generationem autem non tantum Judæorum, verum omnium reproborum appellat a quibus etiam nunc filius hominis in corpore suo, hoc est, in ecclesia multa patitur et reprobatur.

Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in die filii hominis. Subitum adventus sui diem plurimis affirmat exemplis : nam quem fulguri cito omnia transvolanti comparaverat, eumdem diebus Noe vel Loth, quando repentinus mortalibus supervenit interitus, æquiparat.

Edebant et bibebant, uxores ducebant, et dabantur ad nuptias. Non hic juxta vesanum Marcionis et Manichæi, et Tatiani principis encratitarum dogma conjugia vel alimenta damnantur, cum in his successionis, in illis naturæ sint posita subsidia. Sed juxta quod Apostolus ait, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,* immoderatus potius licitorum usus arguitur; neque enim quia hæc agebant, sed quia his se totos dedendo Dei judicia contemnebant, aqua vel igne perierunt.

Usque in diem qua intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Noe arcam ædificat cum Dominus ecclesiam de viris fidelibus quasi lignis levigatis adunando construit, quam perfecte consummatam ingreditur, cum hanc in die judicii præsentia suæ visionis æternus habitator illustrat. Sed cum arca ædificatur, iniqui luxuriantur, cum vero intratur, intereunt, quia qui sanctis hic certantibus insultant, eis illic coronatis, æterna damnatione plectentur.

Similiter sicut factum est in diebus Loth : edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et ædificabant. Prætermisso Dominus illo maximo et infando Sodomorum scelere, sola ea quæ levia vel nulla putari poterant delicta commemorat, ut intelligas illicita quali pœna feriantur, si licita et ea sine quibus hæc vita non ducitur immoderatius acta igne et sulphure puniuntur.

Qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignis et sulphur de cœlo et omnes perdidit. Hactenus Loth in Sodomis, id est, electorum populus inter reprobos ut advena moratur, et ipse aspectu et auditu justus, et juxta interpretationem nominis Loth, eorum flagitia quantum valet declinans. Exeunte autem Loth Sodoma peribit, quia in consummatione sæculi exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. Ubi notandum quod ignis et sulphur, quæ de cœlo pluisse commemorat, non ipsam perennis supplicii flammam, sed subitaneum diei illius significat adventum; neque enim ignis ille perpetuus superveniens impios puniet, sed ipsi potius a conspectu judicis ejecti, in ignem mittentur æternum. Quamvis et eidem igni sulphur non

A dubitemus inesse testante Joanne qui utrumque ignem et subitæ scilicet correptionis et sempiternæ concremationis describens ait, *et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos, et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis et sulphuris*, ubi et bestia et pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

Secundum hæc erit qua die filius hominis revelabitur. Pulchre revelabitur, qui interim non apparens omnia videlicet tunc apparens judicabit.

In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa. Hactenus de eo, quod regnum Dei, id est Christus, non cum observatione, sed insperatus adveniat; nunc a qualibus idem adventus exspectari debeat ostenditur. In tecto ergo est qui
B excedens carnalia tanquam in aura libera spiritaliter vivit, vasa ejus in domo concupiscentiæ sunt carnales, quas in imis amaverat, sed superna petens in hoc mundo reliquerat, quas imminente judicio necesse est nullatenus repetat, illam enim horam non eam qua judex venit, sed qua venturus est dicit.

Et qui in agro, non redeat retro. Qui operatur in Ecclesia, et sicut Paulus et Apollo plantat et rigat, non respiciat ad sæculum cui renuntiavit.

Memores estote uxoris Loth. Uxor Loth significat eos qui in tribulatione retro respiciunt, et se ab spe divinæ promissionis avertunt. Et ideo in statuam salis facta est, ut admonendo homines ne hoc faciant tanquam condiat cor eorum, ne sint fatui.

Quicunque quæsierit animam suam salvam facere,
C *perdet illam.* Duobus modis hæc sententia recte potest intelligi, sed ad unum omnino finem uterque intellectus refertur, ut videlicet adversa pro Christo pati, imo ipsam mortem non timeamus obire, qui enim, minante mortem persecutore, si non negaverit Christum, magis eligit ad tempus salvare animam suam negando, æternæ hanc procul dubio perditioni præparat, item qui salutem animæ suæ quærit æternam temporaliter eam inter persecutorum manus perdere, hoc est, in mortem dare non dubitat. Utri autem sensui congruat apte quod sequitur.

Et quicunque perdiderit illam, vivificabit eam. Id est qui hic perdiderit, illic vivificabit, qui propter Christum morti tradiderit, tota die æstimans eam ut ovem occisionis exsurgente tunc et adjuvante Christo
D liberam eam inveniet propter nomen Christi.

Dico vobis : Illa nocte erunt duo in lecto uno. Dixerat supra Dominus eum qui in agro sit redire non debere : quod ne de his tantum, qui aperte de agro redituri, hoc est, palam Dominum negaturi sunt dictum putares, pergit ostendere nonnullos qui cum faciem in anteriora tenere videantur, animo tamen ac mente retro respiciant. In illa ergo nocte dixit ne illa tribulatione tam tenebrosa ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, duo erunt in lecto, illi videlicet, qui otium et quietem eligunt : neque negotiis sæcularibus, neque negotiis ecclesiasticis occupati, quæ illorum quies lecti nomine significata est.

Unus assumetur et alter relinquetur. Non quasi de duobus hominibus dictum est, sed de duobus generibus affectionum. Qui enim propter Deum continentiæ studuerit, ut sine sollicitudine vivens cogitet quæ Dei sunt, assumetur a Deo; qui vero vel humanæ laudis amore et alia qualibet vitiorum correptione, statum monasticæ vitæ, quo imbutus est, læserit, hic ubi relinquendus sit Hieremiæ lamentationes insinuant, qui otiosæ cujuslibet et peccatricis animæ sub Judææ specie lapsum describens ait, *viderunt eam hostes et deriserunt sabbata ejus.*

Duæ erunt molentes in unum. Molentes appellat eos, qui in plebibus constituti reguntur a doctoribus agentes ea quæ sunt hujus seculi. Quos et feminarum nomine significavit, quia consiliis ut dixi peritorum regi eis expedit; et molentes dixit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum, quas tamen in unum molentes dixit, in quantum de ipsis rebus et negotiis suis præbent usibus ecclesiæ : unaquæque enim hujus mundi actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit, atque ex se velut farinas projicit, quia inquieto corde semper minutissimas cogitationes gignit.

Una assumetur, et altera relinquetur. Assumetur ea pars quæ connubia propter amorem tantum generis exercuerit, terrenamque substantiam ob acquirenda cœlestia dispensaverit; relinquetur autem quæ conjugiis ob illecebras carnis servierit, terrena vero si qua ecclesiæ vel pauperibus obtulerit, ideo fecerit ut quasi redemptio Domini his amplius abundet.

Duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur. Sicut supra in lecto, et molentes in unum posuit, sic et hic in agro uno reor intelligendum, significat autem eos qui operantur in ecclesiæ ministerio, tanquam in agro Dei, cui suus agricola dicebat : *Dei agricultura estis;* assumetur autem ille, qui non adulterans verbum Dei, sed sicut ex Deo coram Deo locutus fuerit in Christo : qui vero Christum annuntiaverit non caste, sed occasione, relinquetur ab eo.

Respondentes dicunt illi : Ubi, Domine? Qui dixit eis : Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Duo Salvator interrogatus, ubi scilicet boni assumendi, et ubi sint mali relinquendi, unum dixit, aliud subintelligendum reliquit : sanctos enim secum futuros asseverando reprobos nimirum a sua visione secernendos, et ideo non alibi quam cum diabolo damnandos insinuat. Ubicumque ergo fuerit Dominus corpore, illuc congregabuntur electi, qui ejus passionem humilitatemque imitando tanquam de ejus carne saturantur, quorum per resurrectionem renovabitur ut aquilæ juventus ut vivant et regnent cum salvatore suo in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXLV.

IN VIGILIA SANCTI LAURENTII.

Lectio libri Ecclesiastici.

Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ et a labiis operantium mendacium, etc.

Dominus enim et rex Deus et salvator ecclesiæ est Jesus Christus qui et caput et sponsus ejus est, unde Apostolus monendo mulieres viris suis subditas esse ad Ephesios scripsit dicens : *Mulieres viris suis subjectæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut et Christus caput est Ecclesiæ, ipse* salvator est corporis. Et item : *Viri,* inquit, *uxores vestras diligite sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Hic ergo adjutor et protector factus est sponsæ suæ cum tradidit semetipsum pro illa ut liberaret illam *a perditione,* in quam per prævaricationem primi hominis lapsa est, *et a laqueo linguæ iniquæ,* a blasphemia nimirum idololatriæ, ne immolaret neque serviret creaturæ potius quam creatori, *et a labiis operantium mendacium,* hoc est doctrinis falsis philosophorum atque hæreticorum.

Et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam. Hoc testimonio exprimit persecutores Ecclesiæ qui propter odium nominis Christi persequuntur fideles et tradunt eos suppliciis diversis morti afficiendos, quatenus eos avertant a confessione catholicæ fidei et a cultura veri et unius Dei. Quos bene comparat sævis bestiis quæ rugitu forti et feroci hiatu escam appetunt. Sed de his Dominus electos suos liberat, cum animas eorum a persecutionum æstibus illæsas servat, propter quarum eversionem sævi persecutores corpora maxime laniant. Unde sequitur :

De manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumciderunt me. Portas ergo tribulationum, quas melius sentire possumus quam ora principum et tyrannorum, unde minæ prodeunt, et fraudulentæ suasiones indictionesque suppliciorum, ut sive per ficta blandimenta, seu per atrocia tormenta servos Dei fidem Christi abnegare faciant? Sed immittit angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos.

Et a pressura flammæ quæ circumdedit me : et in medio ignis non sum æstuatus. Hoc plerumque historialiter in passionibus martyrum contigisse legimus, ut sicut tres pueri in camino ignis ab ardore flammæ illæsi servati sunt, ita et isti ab incendio ignis incontaminati servarentur. Sed quia hoc omnibus martyribus Dei non est concessum, cum plurimi eorum in igne corporaliter concremati essent; verumtamen animæ eorum libere cœli secreta petierunt, melius hic ignem et flammam validum persecutionis æstum intelligimus, qui licet sanctos Dei temporaliter affligere posset, usque ad animæ tamen internecionem pertingere non potuit. Ideo subjungit :

De altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta.

Subauditur *liberavit me :* non enim prævalebat vis nefanda inimicorum usque ad interitum pervenire animarum, quem hic ventrem inferi appellat, nec lingua coinquinata blasphemiis, nec verba mendacia a rege iniquo, et lingua injusta prolata potuerunt aliquo modo violare sanctorum præcordia, sed licet corpora pœnis variis afficerent et morti temporali addicerent, animæ tamen in confessione nominis Christi usque ad finem vitæ perstiterunt. Unde et felicius post mortem in æterna vita cum sanctis angelis Dei sine fine gaudebunt. De quo et subditur:

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Vitam suam in inferno appropinquare dicit, quia carnis vita quotidie deficiendo ad mortem appropinquat, infernus enim hic pro morte positus est quia mors carnis prævaricationis primæ est vindicta, sicut infernus peccatricium animarum perpetua pœna. Sed mortem carnis nemo evadit. *Quis est enim homo qui vivit et non videbit mortem?* Unde alibi scriptum est: *Nemo est ergo qui semper vivat, et hujus rei habeat fiduciam*, inferni vero cruciatum sancti homines per gratiam Christi evadere possunt, quia de carnis vinculo absoluti ad cœleste gaudium mox migrabunt.

Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret. Respiciens aerem ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo est : quoniam erues sustinentes te, Domine, et liberas eos de manibus angustiæ. Dominus Deus noster, videns ecclesiam membra sua undique ab hostibus circumdari, et humanum solatium defieri : inde quærit adjutorium unde novit omnium bonorum venire profectum, non suis ergo meritis, nec humanis actibus, sed misericordiæ Dei tribuit, quod si ab inimicis ereptam et liberatam esse agnoscit : et non solum liberatam, imo etiam honore virtutum sublimatam, atque miraculorum fulgore glorificatam. Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXLVI.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me, etc.

Postquam discipulis mysterium suæ passionis et resurrectionis ostendit, hortatur eos ad sequendum suæ passionis exemplum, et omnibus propter se tribulationem perpessis, salutem in futuro promittit animarum ; non tamen omnibus, verum perfectioribus quanta ipse passurus, quodve a mortuis esset resurrecturus aperuit, *si quis vult*, inquit, *post me sequi, abneget semetipsum ;* tunc autem nos ipsos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur. *Et tollat crucem suam et sequatur me.* Duobus etenim modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam affici- A tur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus, pensemus qualiter utroque modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar.* Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis, nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis, ait : *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?* Perfectus quippe prædicator ut exemplum daret abstinentiæ crucem portabat in corpore, et qui in se trahebat damna infirmitatis alienæ crucem portabat in corde.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Magna et mira sententia quemadmo- B dum sit hominis in animam suam amor, ut pereat ; odium ne pereat, si male amaveris, tunc odisti ; si bene oderis, tunc amasti felices qui oderunt custodiendo ne pereant amando.

Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Cum persecutio ab adversariis deest, valde vigilantius cor custodiendum est, nam pacis tempore quia licet vivere, libet etiam ambire, plerumque autem et avaritiam vincimus, sed adhuc obstat, quod vias rectitudinis minori tenemus custodia perfectionis. Nam sæpe labentia cuncta despicimus ; sed tamen adhuc humanæ verecundiæ usu præpedimur, ut rectitudinem quam servamus in mente, nondum exprimere valeamus in voce, et tanto Dei faciem ad justitiæ C defensionem negligimus, quanto humanas facies contra justitiam veremur.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Pro Israel datur commutatio Ægyptus et Æthiopia, et pro anima humana illa sola retributio quam Psalmista canit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.*

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis. Quia qui in hominis natura minor est Patre, ipse in unitate unius ejusdemque est gloriæ cum Patre.

Et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Petrus prædicatione mortis Dominicæ scandalizatus, sententia Domini fuerat increpatus, provocatis disci- D pulis suis ut abnegent se et tollant crucem suam, et morientium animo magistrum sequerentur, grandis terror audientium, et qui posset principe Apostolorum perterrito etiam aliis Apostolis metum injicere. Idcirco tristibus læta succedunt, et dicit : *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis.* Times mortem, audi gloriam triumphantis ; vereris crucem, ausculta angelorum ministeria. *Et tunc*, inquit, *reddet unicuique secundum opera ejus*, non est distinctio Judæi et Græci, viri et mulieris, pauperum et divitum, ubi non personæ, sed opera considerantur.

Amen, dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis

venientem in regno suo. Regnum Dei in quo filius Dei idem, qui et filius hominis regnat, hoc loco præsens Ecclesia vocatur; et quia nonnulli ex discipulis usque adeo victuri in corpore erant, ut Ecclesiam Dei constructam conspicerent, et contra mundi hujus gloriam per auctoris sui potentiam erectam consolatoria promissione nunc dicitur: *Sunt quidam de his stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*, hoc est, ostendentem potestatem suam. Sed cum tanta Dominus subeundæ mortis præcepta ederet quid necessarium fuit, ut ad hanc subito promissionem veniret? Quod si subtiliter attendimus, quanta dispensatione pietatis agatur, agnoscimus; discipulis enim rudibus, etiam de præsenti vita aliquid promittendum fuit ut possent robustius in futura solidari: quod etiam ubicunque fuerit, gratia Dei factum erit qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis pervenire, ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CXLVII.

IN NATALI SANCTI LAURENTII.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam, etc.

Beati Laurentii, fratres charissimi, hodie festa celebramus, qui fidelis est inventus Domini sui dispensator in omnibus, nam ecclesiæ opes a magistro commendatos sicut fideliter dispensavit, ita a Domino Deo suo feliciter meruit coronari; unde et de fideli dispensatore præsens Lectio retulit, quam audistis: *Qui parce*, inquit, *seminat, parce et metet*, quia quanta hic quisque pro Domino de terrenis istis et transitoriis dederit, tanta in futuro recipiet præmia, si ea bono ac simplici dederit animo; multi enim multa donantes perdunt mercedem, quia recipiunt ab hominibus, quam exquirunt laudem. Unde sequitur, *et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet*, ac si diceret: Qui bonum quod potest ea tantum intentione agit, ut futura et æterna a Domino recipiat præmia, econtrario fructus boni seminis messurus est in cœlesti patria.

Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Id est, voluntarius, non coactus. Sequitur

Hilarem enim datorem diligit Deus, ideoque secundum illam faciamus Salomonis sententiam, *in omni dato hilarem vultum ostende, quia Deus scrutatur cordis arcana*, hilarem vult hic esse in labore suo doctorem, unde Paulus alibi ait: *Si enim volens hoc ago mercedem habeo, si autem invitus, dispensatio mihi credita est, quam si digne non facio, ultionem recipio.*

Potens est enim Deus omnem gratiam abundare facere in nobis. Facit suam Deus semper in omnibus misericordiæ largitatem, quicunque sincero corde ejus quæsierint bonitatem. Proinde nostrum est tantum voluntatem nostram puriter Deo commendare, et omnia quæcunque bona ejus gratia largiente valeamus, ejus misericordiæ non nostris unquam meritis deputemus. Ipse in nobis omnem suam gratiam dignabitur implere:

Ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum. Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum. Quia qui hic fideliter Domini sui commissa dispensat desiderabilem illam evangelici servi mereatur audire sententiam: *Euge, bone serve, in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Quid est enim gloriosius homini quam dare terrena et transitoria, et emere cœlestia regna? offerre Domino acceptissimum munus sinceram voluntatem, et devotæ mentis industriam et indefessam vocem laudationis, et Christum comitari? cum venire cœperit judicare cohæres Christi fieri? angelis adæquari? Honoremus igitur, fratres charissimi, beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superari. Gaudeamus quoque gaudio spiritali, et de felicissimi viri fine gloriemur in Domino, cujus oratione et patrocinio adjuvari nos sine cessatione confidimus, si ejus solemnia dignis moribus et sanctis operibus celebremus; corroboremus nos invicem spiritu charitatis ad superandas omnes tentationes et insidias, mirum constantes simus, et in omni bono unanimes contra omnium vitiorum stimulos fidei clypeo muniamur, per eum qui vicit diabolum et nobis illum vincere valetudinem dedit, Jesus Christus Dominus noster cui laus et gloria per omnes æternitates. Amen.

HOMILIA CXLVIII.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Se dicebat ipsum esse mortificandum et multiplicandum: mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum fide omnium populorum; jam vero exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia, subjungit:

Qui amat animam suam, perdet eam; quod duobus modis intelligi potest: qui amat perdet, id est si amas, perde, si cupis vitam tenere in Christo, noli timere mori pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam; noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita; hoc autem quod posterius dixi magis habere videtur evangelicus sensus. Sequitur enim:

Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo quod supra dictum est, qui amat, subintelligitur, in hoc mundo, ipse utique perdet; qui autem odit, utique in hoc mundo, in vitam æternam ipse custodit eam. Magna et mira sententia quemadmodum hominis sit in animam suam amor ut pereat odium ne pereat: si male amaverit,

tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Hic animæ nomine vita præsens designatur vel etiam hujus vitæ delectatio, quæ perdita est, ut feliciter invenias voluntatem tuam in regno Dei quam fortiter vicisti in hoc sæculo; nam sancti martyres odio habuerunt hanc præsentem vitam, pro Christi nomine dum magis voluerunt hanc præsentem vitam perdere quam Christum negare, implentes quod sequitur:

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quid est *me sequatur*, nisi me imitetur? *Christus enim passus est pro nobis*, ut ait Apostolus Petrus, *relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus.* Ecce quid dictum est, *si quis mihi ministrat me sequatur?* quo fructu? qua mercede? quo præmio?

Et ubi sum, inquit, *ego*, illic et ministri mei erunt. B Merces est amoris et operis pretium quo ministratur Christo esse cum illo cui ministratur, ubi enim bene erit sine illo, aut quomodo male esse cum illo poterit? Audi evidentius:

Et si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis. Quo honore nisi ut sit cum filio ejus? Quod enim superius ait, *ubi ego sum illic et minister meus erit*, hoc intelligitur exposuisse cum dicit *honorificabit eum Pater meus.* Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ibi ubi est unicus non æqualis factus divinitati, sed conscius æternitati. Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta promittitur considerandum est, *si quis mihi ministrat me sequatur*, hoc intelligi voluit, ac si diceret, si quis me non sequi- C tur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Jesu Christo qui non sua quærunt sed quæ Jesu Christi; hoc enim est, *me sequatur*, vias ambulet meas, non suas, sicut alibi scriptum est: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Igitur qui tali modo sequitur Dominum Christum, scilicet ut mandata ejus custodiens in fide recta usque in finem perseveret, ipse cum eo in cœlesti regno gaudebit in perpetuum.

HOMILIA CXLIX.

IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

Lectio libri Ecclesiastici.

In omnibus his requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit et dixit mihi creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo D *meo*, etc.

Dei filius verbum et sapientia Dei patris locutus per Salomonem in persona sapientiæ quod est ipse, annuntians humano generi quod in eis requiescere et in illis manere desideraret, quia homo ad imaginem Dei factus, si in Deo manere voluerit, mundo corde et sincera voluntate Deus in eo manet, et ipse in Deo. Unde in præsenti lectione, quam audistis loquitur sapientia Dei ad homines filius Dei: *In omnibus his requiem quæsivi*, ut est illud quod Apostolus ait: *Deus enim vult omnem hominem salvum fieri et in agnitionem veritatis venire, ut relicto errore terrenæ concupiscentiæ et desideriis expugnatis carna-* A *libus mundo corde et casto corpore dignum sapientiæ Dei habitaculum in se præparet unusquisque.* Nam subditur: *Et in hæreditate ejus morabor.* Hæreditas Dei sunt omnes diligentes Deum, et ejus voluntatis fideles cooperatores in suam ipsorum salutem. *Tunc præcepit et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Dei sapientia, id est, Dei filius manens in æternitate cum Patre æquali per omnia Patri in majestate, hominem quem ad suam imaginem fecit æternæ immortalitatis possessorem esse constituit; sed seducto a diabolo, et per peccatum mortali facto, sua misericordia proposuit humana se indui mortalitate, ut humanitatem iterum ad æternam reduceret immortalitatem.

Et dixit mihi. Multis modis antea per patriarchas et prophetas suum huic mundo nuntiavit adventum.

In Jacob inhabita. In eis enim se habitare promisit, qui vitia et peccata supplantant, et conculcant ea bonæ operationis studio divina gratia largiente: sequitur.

Et in Israel hæreditare. Id est, in his qui in castitate et bonorum operum sanctitate Dei visione dignos se exhibent, ut est illud: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Et in electis meis mitte radices. Hi sunt enim electi Dei, qui omnia oblectamenta hujus mundi tota deserunt voluntate, qui huic mundo inhærent sola tantum necessitate, de quibus dicit Apostolus: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*, id est, necessitate tantum, et non delectationis consensu.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Hierusalem potestas mea. In talibus enim Dei sapientia filius Dei manere dignatur, qui bonorum operum exemplis speculum vitæ aliis præbent in semetipsis, et in sancta Ecclesia sanctis moribus sibimetipsis et aliis operantur salutem, et ad æternæ pacis visionem festinant.

Radicavi in populo honorificato, et in partes Dei mei hæreditas illius. Elegit enim Deus præ omnibus gentibus Israeliticum populum peculiarem, quia Israel vir videns Deum dicitur, eos vult spiritualiter intelligi, qui castitate vitæ in sancta conversatione ad æterna semper gaudia contemplanda festinant. Quod eorum tantum donum est, qui divina gratia largiente pro solo appetitu æternæ gloriæ continentiæ vel etiam virginitatis propositum servant.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Cedrus atque cypressus qui summi odoris sunt arbores, et altiores cæteris in Libano arboribus, qui ecclesiam significant excelsioris in ecclesia virtutis viros possumus intelligere, id est, virgines qui centesimum merentur metere fructum. Quod manifeste signatum est in beatissima Dei genitrice Maria, cujus hodie annuum diem beatissimæ assumptionis celebramus in cœlum, quia quod Deus Dei filius se in hunc mundum ad redemptionem humani generis venisse promisit, non per nuptam quamvis sanctam, ut legimus multis in scripturis, non

per viduam castam, sed per solum hoc virgineum corpus implevit. Quia quasi sol oriens nitidus ab omni pollutionis sorde processit ex utero virginis matris felix certe et omni laude dignissima, quæ de cœlo suscepit prolem et mundo genuit salvatorem: cum igitur tanta sint merita virginitatis, non tamen repudiandus est thorus castitatis: quia bonum virginitatis non nisi a conjugali thoro procedit, castitas igitur in virgine alta est et summa si in corde simul persistit et corpore, sed castitas conjugalis sanctior est quæ in corde simul persistit et corpore constat, quam illa quæ in corde tantum est casta et corde diversis est modis adulterata, sive in jactantia aut in superbia aut etiam in appetitu libidinis. Unde, dilectissimi, nobis omni studio servemus, non solum corpus, sed etiam cor nostrum ab omni quod odit Dominus, et in omni quod ei placet confirmare cor nostrum ejus misericordiam postulemus; et inter hæc omnia toto cordis affectu nos auxilium beatæ Virginis imploremus, quia dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece Christo Domino nostro commendare dignatur in cœlis; quod ipse præstare dignetur qui in trinitate perfecta regnat et dominatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CL.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, intravit Jesus in quoddam castellum; et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria, etc.

Hæc lectio superiori pulcherrima ratione connectitur, quia videlicet illa dilectionem Dei et proximi verbis et parabolis, hæc autem ipsis rebus et veritate designat. Duæ quippe istæ Domino dilectæ sorores duas vitas spiritales quibus in præsenti sancta exercetur Ecclesia, demonstrant. Martha quidem actualem, qua proximo in charitate sociamur; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore suspiramus. Activa enim vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere ad humanitatis viam, superbientem proximum revocare, infirmitatis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere ut nihil agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem creatoris sui animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Hæc utrique vitæ congruere nemo qui dubitet, et contemplativæ quidem uniformis perfectio est, exutam mentem a cunctis habere terrenis eamque quantum humana imbecillitas sinit unire cum Christo, activæ vero quam frequens sit ministerium, gentium magister edocet, qui creberrimis epistolarum dictis suos pro Christo terra marique labores ac sua pericula commemorat. In quibus etiam visiones et revelationes Domini commendans, non minus se in speculativa virtute quod est imitabile, consummatum fuisse significat. Unde dicit, sive enim mente excidimus Deo, sive sobrii sumus vobis.

Quæ stetit et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. De illorum persona loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt, ideoque cunctos qui Christo devoti esse velint huic mancipandos autumant.

Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Et beatus David solum hoc necessarium homini esse definiens, Deo jugiter inhærere desiderat dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*; et alibi: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini et visitem templum sanctum ejus.* Una ergo et sola est theoria, id est, contemplatio Dei cui merito omnia justificationum merita, universa virtutum studia postponuntur.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur, neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthæ judicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima subinfertur cum dicitur *quæ non auferetur ab ea.* Activa etenim vita cum corpore deficit: quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat ubi nemo esurit? quis potum tribuat sitienti ubi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat ubi nemo moritur? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur, quia amor ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit. Contemplativa ergo vita minime aufertur, quia subtracta præsentis sæculi luce perficitur in æterna gloria per Jesum Christum Dominum nostrum qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLI.

HEBDOMADA XIII POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ ad Corinthios.

Fratres, fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes [*simus*] *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*, etc.

Dubitandum non est, dilectissimi, omnem observationem Christianam conditionis esse divinæ et quidquid in ecclesiæ consuetudine est receptum de traditione apostolica et de sancti Spiritus prodire do-

ctrina. Unde dicit in præsenti lectione apostolus, *fiduciam talem habemus per Christum ad Deum*, quia novimus vos non posse per vosmetipsos credidisse, sed divina tantum agente gratia : *non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*, Ac si diceret : Nihil nostra possumus facere prudentia et virtute, ut ipse Dominus ait : *Sine me nil potestis;* neque per nos rusticanos homines unquam fieri potuit, ut tanta esset fidelium multitudo festinantium ad salutem, sine gratia Dei. Unde subditur :

Sed sufficientia nostra ex Deo est. Qui omnia quæcunque voluerit operatur in servis suis.

Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti. Ut adimpleretur prophetia quæ dicit : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud;* et ipse Dominus : *Non enim vos estis*, inquit, *qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis;* et iterum, *Ego enim dabo vobis os et sapientiam.* Unde enim nisi a Spiritu sancto Apostoli tam idonei fuerunt ut tanta per eos divina mysteria credentibus revelarentur? Sequitur :

Non littera. Non enim omnia hæc in litteris veteris legis repererunt, sed Spiritus sancti docente gratia didicerunt.

Littera enim occidit. Quia in lege litteræ nulla remissio, sed semper ultio exercetur, ut hoc est : Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur.

Spiritus autem vivificat. Id est, lex gratiæ spiritalis omnem hominem vult salvum fieri et in agnitionem veritatis venire, æternamque vitam omnibus fideliter quærentibus præstat.

Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria. Quæ mortificat peccatores et damnat, et tantum observantibus eam præsentia bona promittit, et de futuris nec mentionem facit, et tamen in magna gloria erat observanda, quia umbram futurorum bonorum monstravit. *Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur* per Christi passionem atque resurrectionem, quæ omnium superexcellit gratiam.

Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Si enim quod evacuari potest in gloria est, quanto magis quod ad æternam gloriam ducit glorificandum est operibus sanctis et justis, ut æterna etiam gloria per hæc mereatur? Nam sicut orto sole lumen obtunditur lunæ, cum tamen suo tempore magnum habeat lumen, ita comparatione gloriæ evangelicæ obumbratur omnis gloria veteris legis. Nam si ministerium damnationis gloria est, quanto magis ministerium justitiæ, dimittendo peccata hominibus et de filiis diaboli filios Dei faciendo? Quo contra sunt qui dicuntur in hac vita beati, quibus omnia hujus mundi prospera cedunt, quæ beatitudo simul cum ipsa mundi evanescit prosperitate; hi autem vere beati dicuntur qui spe futuræ beatitudinis beati sunt, qui hic multa propter Deum sustinent adversa, et quanto majores et multipliciores hujus sæculi tolerant injurias, tanto semper sunt in animo lætiores, quia tanto major eis gloria cumulatur, qui non hic, sed in illa vita beati futuri sunt, quia ibi omnium beatorum beatitudo perfecta erit. Quapropter si ad illam beatam vitam pervenire volumus, sollicite vivere debemus semperque terminum vitæ hujus sollicite considerare. Unusquisque nostrum in contemplatione illius vitæ, hujus sæculi prospera caveat. Scriptum est enim : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in æternum non peccabis.* Ideo mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in anima Christo. Nam tunc quisque vivere creditur, si sæculi desideriis moriens in solo Deo vivere delectetur. Largiente ipso et auxiliante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLII.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, etc.

Decapolis est, ut ipso nomine probat, regio decem urbium trans Jordanem ad orientem circa Ippum et Pellam et Gadaram contra Galilæam. Quod ergo dicitur, quia Dominus venit ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos, ipsos fines Decapoleos eum intrassè significat, neque enim mare transnavigasse dicitur, sed potius ad mare usque venisse atque ad ipsum pervenisse locum qui medios fines Decapoleos longè trans mare positos respiciebat.

Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur ut imponat illi manum. Surdus et mutus est qui nec aures audiendi Dei verbum, nec os aperit proloquendi. Quales necesse est ut hi qui loqui jam et audire divina eloquia longo usu didicerunt, Domino sanandos offerant, quatenus eos quos humana fragilitas nequit, ipse gratiæ suæ dextera salvet.

Et apprehendens eum de turba seorsum. Apprehendens namque infirmum de turba seorsum educit, cum mentem peccatis languidam visitatione suæ pietatis illustrans, a consuetis humanæ conversationis moribus evocat, atque ad sequenda præceptorum suorum itinera provocat.

Misit digitos suos in auriculas ejus. Mittere digitos in auriculas est per dona Spiritus sancti aures cordis ad intelligenda ac suscipienda verba salutis aperire. Nam digitum Dei appellari Spiritum sanctum testatur ipse Dominus cum dicit Judæis : *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* quod exponens alius Evangelista dicit : *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmonia?* Et magi in Ægypto superati dixerunt : *Digitus Dei hic est;* et lex in tabulis digito Dei scripta est lapideis. Digiti ergo Dei in auriculas ejus missi qui sanandus erat, dona sunt sancti Spiritus, quibus corda, quæ a via veritatis aberraverunt ad sciendam salutis viam, ad audiendam discendamque revelat. Et quia cognita veritatis luce, sequi confessio debet, apte subjungitur :

Et exspuens linguam ejus tetigit. Exspuens quippe Dominus, linguam tetigit ægroti cum ad confessio-

netur fidei ora catechizatorum instituit, cum ora illa bruta ad verbum sapientiæ proferendum tactu suæ pietatis imbuit; sputo namque Domini saporem designat sapientiæ.

Et suspiciens in cœlum. Suspexit namque in cœlum, ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmantibus medelam doceret esse quærendam.

Ingemuit. Ingemuit autem non quia ipsi opus esset cum gemitu aliquid petere a Patre, qui cuncta petentibus donat cum Patre, sed ut nobis gemendi daret exemplum; cum vel pro nostris vel pro nostrorum erratibus proximorum, supernæ præsidia pietatis invocamus.

Et ait illi: Ephphata, quod est adaperire. Quod autem ait ephphata, id est, adaperire, ad aures proprie pertinet. Aures etenim ad audiendum aperiendæ: lingua vero ut loqui posset a retinaculis erat suæ tarditatis solvenda.

Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Ille etenim solus recte loquitur, sive Deum confitendo, sive aliis prædicando, cujus auditum, ut cœlestibus possit auscultare, et obsecundare mandatis divina gratia reserat, cujus linguam Dominus tactu sapientiæ quæ ipse est ad loquendum instituit. Talis autem merito potest dicere cum Psalmista, *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*; et cum Isaia, *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam suscitare eum qui lapsus est verbo; erigit mane, mane erigit mihi aurem ut audiam quasi magistrum.*

Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui. Si sciebat eos, sicut ille, qui notas habebat et præsentes et futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat, ut quid hoc præcipiebat nisi quia pigris volebat ostendere quanto studiosius quantoque ferventius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant; studendum quippe est omni homini qui vult ad vitam ingredi ut bene docens et bene operans, præsentem vitam consummare contendat, quia sic absque ullo dubio ad gaudia æterna Deo miserante perveniet.

HOMILIA CLIII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, non prædicamus nosmetipsos, sed Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Hoc est, non nostram gloriam annuntiamus ne quis nos dicat propter nos ipsos evangelisare, ut nobis proficiat forte ad tempus. *Sed Jesum Christum Dominum nostrum* annuntiamus, subjicientes nos virtuti majestatique ejus. Quando ergo nullum concutimus, nullum glorificamus, et Christum Dominum nostrum loquimur, quid est ut elati judicemur? quasi pro nostra propria utilitate quærimus ut gloriosi appareamus.

Nos autem servos vestros per Jesum, in tantum se servum Christi esse probat ut jubente ipso ministrum se horum in prædicatione testetur, et pro utilitate horum subjectum in ministerio Evangelii. Servos ergo dicens ministros significat, sed humiliter loquens sic dixit, ut vere ostenderet non ad suam gloriam prædicari a se Evangelium, sed ad claritatem Domini Christi, cui obedit, qui servit, sicut ipse Dominus ait: *Ego sum in medio vestrum, ut non ministrer, sed ut ministrem.* Non merito horum quibus ministrat, sed propter imperium Domini.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Hoc dicit quia misericordia Dei factum est; ut nos, inquit, qui fuimus incredibiles in ignorantia, hoc est, in tenebris per nos daret Deus lumen cæteris gentibus. Quantum se adhuc humiliat, ut Dei solius et Christi gloriam proferat; illuminantur enim ut cognitionem habeant gloriæ Dei per Christum, ideo gloriæ Dei ait cognitionem, id est, non Dei solius, sed et Christi, qui est gloria ejus ut significaret non Deum solum cognosci, sed et opera ejus et misericordiam et providentiam, qua et condidit, et salvavit genus humanum vivens in Christo per gloriam virtutis suæ.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. Thesaurum sacramentum significavit Dei in Christo, quod credentibus manifestatur, incredulis vero quodam velamine tectum est, quia, sicut thesaurus in occulto ponitur, ita et sacramentum Dei intra hominem, id est, in corde humano absconditur. Hunc ergo thesaurum in animo et corpore dicit esse a Deo datum, ut eminentia virtutis ejus appareat per homines, prædicatores duntaxat ut reconcilietur omnis lingua creatori suo.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; nunc ostendit propter quod idonei erant prædicatores quia semper illis in necessitate adfuit Deus, ideo pressuram ait passi, sed non coangustati, hoc est, non permisit Deus tantum nos opprimi, ut cederemus inopiam passi, sed non destituti, id est, in inopia positi adfuit pastor Deus.

Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Verum est, quia consulebat eis Deus, ne satis sibi facerent de his inimici.

Dejecti, sed non perimus. Id est, verberibus prostrati obstante Deo non mortificati, sive enim clausi sive vinculati, adjutorio Dei manus hostium evadebant. Denique Paulus et Silas cum essent clausi jam cæsi, et pedes eorum essent in nervo conclusi, alacres hymnum canebant Deo, fortiores his facti qui non erant cæsi.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Dubium non est quia in martyribus Christus occiditur, et in his qui pro fide patiuntur aut exilia, aut vincula, aut verbera Christi passiones sunt.

ut et vita ejus in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt, quæ ostendunt meritum ad futuram vitam quam promisit Christus, unde alio loco dicit: *Cum infirmor tunc potens sum*; et iterum: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quod nobis præstare dignetur, ipse Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLIV.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes et dicentes: Miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, etc.

Transeunte per domum principis Domino Jesu et pergente ad domum suam sicut supra legimus: *Ascendens naviculam transfretavit et venit in civitatem suam*: clamabant duo cæci dicentes: *Miserere nostri, fili David.* Et tamen non sanati sunt in itinere, non transitorie, ut putabant, sed postquam venit in domum suam, accedunt ad eum et introeunt. Quod autem dicunt cæci, *fili David*, audiat Marcion et Manichæus et cæteri hæretici, qui vetus laniabant instrumentum, et discant salvatorem appellari filium David; si enim non est natus in carne, quomodo filius David vocatur?

Et dicit eis Jesus: Creditis quia possum hoc facere vobis? Fidem eorum ipse nosceus interrogat, ut fidem confessio promat, et confessionem virtus consequatur salusque virtutem comitetur, quia ut Apostolus ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Dicunt ei: Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Per *utique* foris affirmant quod intus corde credulo gestant, et Deo firma professio factum meruit divinæ pietatis. *Secundum fidem*, inquit, *vestram fiat vobis*: Hoc est quia fides jam mentem illuminat, oculorum lucem ipsa vobis restituat.

Et aperti sunt oculi eorum. Quia secundum Prophetæ sententiam, omnis qui crediderit in illum non confundetur. Quia ipsa *ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Et comminatus est eis Jesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. Et Dominus propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam hoc præcepit: et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium. Nota ergo aliquod inter se justum esse contrarium.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmone, locutus est mutus. Homo iste gentilem populum significat qui mutus erat, quia confessionem veræ fidei in ore non habebat; nec non et surdus, quia audire legem Dei non consentiebat. Quod enim Græce dicitur κωφὸς, magis tritum est sermone communi, ut surdus potius quam mutus intelligatur, sed moris est scripturarum, κωφὸν indifferenter vel mutum vel surdum dicere. Hic ergo homo dæmonium habebat, quia idololatriæ per omnia deditus erat. Cum ergo per prædicatores sancti Evangelii ad salvatorem perducebatur, ablato errore gentilitatis, confessionem nominis Dei clarius resonare incipiebat.

Et miratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam sic apparuit in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones. Turba opera Dei confitetur et dicit nunquam sic apparuisse in Israel: in turba nationum confessio est. Pharisæi autem quia negare virtutem Dei non poterant, opera calumniantur et dicunt: *In principe dæmoniorum hic ejicit dæmonia*, per suam calumniam usque hodie Judæorum infidelitatem demonstrantes.

Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Cernis quod æqualiter et villis et urbibus et castellis, id est et magnis et parvis Evangelium prædicaverit ut non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium: *Circuibat civitates*, hoc habens operis, quod mandaverat pater, et hanc esuriem ut doctrina sua salvos faceret infideles. *Docebat in synagogis et in villis Evangelium regni*, et post prædicationem atque doctrinam curabat *omnem languorem et omnem infirmitatem*; nil quippe ei impossibile est, qui cuncta creavit et omnium dominatur Jesus Christus Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLV.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore cœpit Jesus exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam, etc.

Exprobratio civitatum Corozaim et Bethsaida et Capharnaum capituli hujus titulo panditur quod ideo exprobraverit eis quæ post factas virtutes et signa quam plurima non egerint pœnitentiam.

Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida. Quæramus ubi scriptum sit quod in Corozaim et Bethsaida Dominus signa fecerit. Supra legimus: *Et circuibat Jesus civitates et omnes vicos curans omnem infirmitatem*, etc. Inter cæteras ergo urbes et vicos æstimandum est quoque in Corozaim et Bethsaida Dominum signa fecisse.

Quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Notandum quod Tyrus metropolis est Phœnicis in tribu Nephtalim. Hæc quondam insula fuit posita alto mari, sed nunc contigua terræ. Sidon quoque urbs est Phœnicis insignis olim terminus Chananæorum ad aquilonem respiciens et postea regionis Judææ. Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed non eam possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere. Interpretatur autem Tyrus angustia et Sidon venatio, et significans gentes quas venator diabolus in angustia peccati comprehendit, sed salvator Jesus per Evangelium absolvit.

Et tu, Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes. In altero exemplari reperimus: Et tu Capharnaum, quæ usque ad cœlum exaltata es usque ad inferna descendes; et est duplex intelligentia: vel ideo, *ad inferna descendes*, quia contra prædicationem meam superbissime restitisti, et ideo quia exaltata usque ad cœlum meo hospitio, et meis signis atque virtutibus tantum habens privilegium majoribus plecteris suppliciis, quia his quoque credere noluisti. In Capharnaum autem, quæ interpretatur villa pulcherrima, condemnatur incredula Jerusalem, cui dicitur per Ezechielem: *Justificata Sodoma soror tua ex te.* Unde et consequenter subditur:

Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Minoris ergo injustitiæ Sodoma, et quasi justa esse dicitur in comparatione majoris injustitiæ. Jerusalem cum illa exemplis Loth non fuerit correcta et ista filii Dei verbis et miraculis semper exstiterit ingrata, imo prophetas nec non et ipsum Salvatorem occidit, et apostolos ejus persecuta est.

Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi. Remissior enim eorum erit pœna, quorum minor est culpa, et in eos fortior procedet vindicta quorum major est noxia. *Justus enim est Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui reddet unicuique secundum opera ejus.*

HOMILIA CLVI.

IN NATALI SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Lectio Epistolæ ad Ephesios.

Fratres, jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, etc.

Ad id quod supra dixerat peregrinis testamentorum repromissionis, nunc respondet: ergo *tam non estis hospites*, id est peregrini. Et ad illud quod promiserat alienatis a conversatione Israel, modo respondet, *estis cives sanctorum et domestici Dei*, quia qui aliquando longe fuistis, non habentes repromissiones de Christo, vel salute vestra, nunc prope estis, et non solum prope, sed etiam cives sanctorum.

Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum. Hoc est, supra novum et vetus testamentum collocati; quod enim apostoli prædicaverunt, prophetæ futurum dixerunt. Quamvis dicat ad Corinthios: *Deus primum posuit in ecclesia apostolos, secundo prophetas*, sed alii prophetæ sunt: illo enim loco de ordinatione ecclesiæ disputat; hic vero de fundamento ecclesiæ; prophetæ enim disposuerunt, nam apostoli fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum, *super petram ædificabo Ecclesiam meam*, hoc est, in catholicæ fidei confessione statuo fideles ad vitam. Nam et David disposuit domum Dei, et significavit locum ubi fuerat, Salomon vero fundavit eam.

Ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto, in quo et vos Ephesii ædificamini in templum ex vivis lapidibus Deo summo. Quod si universa ædificatio, sive ex Judæis sive ex gentibus constructa et compaginata per angularem lapidem qui duos parietes conjungit, crescit in unum templum unius Dei, nonne nobis omni labore studendum est, ut fiamus illi lapides, de quibus scriptum est, *lapides sancti volvuntur super terram*, cum fuerimus vivi lapides ex omni parte dolati, leves, politi, nullam scabridinem habentes ædificemur in templum, faciamus in nobismetipsis habitaculum Deo, ut dignetur in Spiritu sancto habitare in nobis; duos enim populos in se suscepit Salvator, et fecit unum in Domino, sicut et lapis angularis duos parietes continet in unitate domus firmatos; fideles enim superficies sunt templi Dei in spiritu conversantes ut possint hæredes fieri cœlestis habitationis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore facta est et contentio inter discipulos quis eorum videretur esse major, etc.

Require in Passione Domini, quæ legitur in quarta feria.

HOMILIA CLVII.

IN PASSIONE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Lectio libri Sapientiæ.

Expectatio justorum, lætitia, spes autem impiorum peribit, etc.

Require in Natale plurimorum martyrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, misit Herodes et tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem, uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, etc.

Vetus narrat historia Philippum Herodis majoris filium sub quo Dominus fugit in Ægyptum, fratrem hujus Herodis, sub quo passus est Christus, duxisse uxorem Herodiadem filiam Regis Aretæ, postea vero socerum ejus, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam et in dolorem mariti prioris inimici ejus nuptiis copulasse. Quis sit autem hic Philippus evangelista Lucas plenius docet dicens, *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Itureæ et Trachonitidis regionis.* Ergo Joannes Baptista qui venit in spiritu et virtute Heliæ eadem auctoritate, qua ille Achab corripuerat et Hiezabel, arguit Herodem et Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, et non liceat fratre vivente, germanum illius uxorem ducere, malens periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei.

Et cum dies opportunus accessisset, Herodes natalis suæ cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis

Galilææ. Soli mortalium Herodes et Pharao leguntur diem natalis sui gaudiis festivis celebrasse, sed uterque rex infausto auspicio festivitatem suam sanguine fœdavit; verum Herodes tanto majore impietate quanto sanctum et innocentem Doctorem veritatis et præconem vitæ ac regni cœlestis occidit, et hoc pro voto ac petitione saltatricis, neque enim caput occisi ante convivas inferre puduit; nam Pharao nil talis vesaniæ commisisse legitur, sed tantum peccantem sibi eunuchum vita privari jubens, quo longius a veræ cultu religionis aberat, eo levius in violatione suæ festivitatis deliquit. Attamen ex utriusque exemplo probatur, utilius esse nobis diem mortis futuræ timendo et caste agendo sæpius in memoriam revocare, quam diem nativitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur in mundo, et electi ad requiem per mortem transeunt e mundo.

Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ : Pete a me quod vis, et dabo tibi, et juravit illi, etc. Non excusatur Herodes quod invitus et nolens propter juramentum homicidium fecerit, quia ad hoc forte juravit, ut futuræ occisioni machinas præparet. Alioquin si ob jusjurandum fecisse se dicit, si patris, si matris postulasset interitum facturus fuerat an non? quod in se repudiaturus fuit, contemnere debuit et in Propheta.

Quæ cum exisset, dixit matri suæ : Quid petam? At illa dixit : Caput Joannis Baptistæ. Herodias timens ne Herodes aliquando resipisceret, vel Philippo fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio solverentur, monet filiam, ut in ipso statim convivio caput Joannis postulet, dignum opus saltationis, dignum sanguinis præmium.

Et contristatus est rex : propter jusjurandum et propter simul recumbentes noluit eam contristare, sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco, etc. Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater Jesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant; dissimulator enim mentis suæ, et artifex homicida, tristitiam præferebat in facie, cum lætitiam haberet in mente, scelusque excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. Quod autem subjicit : *Et propter simul recumbentes,* vult omnes sceleris ejus esse consortes, ut in luxurioso impuroque convivio cruentæ epulæ deferrentur.

Et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. Quo audito discipuli ejus venerunt et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento. Hoc juxta litteram factum sit, nos autem usque hodie cernimus in capite Joannis prophetæ, Judæos Christum qui caput Prophetarum est perdidisse; alter : Decollatio Joannis minorationem famæ illius qua Christus a populo credebatur insinuat, sicut exaltatio in cruce Domini salvatoris profectum designabat fidei, qua ipse qui prius a

A turbis Propheta esse putabatur Dominus Prophetarum et Christus Dei filius a cunctis fidelibus est agnitus. Minutus ergo capite Joannes, exaltatus est in cruce Dominus, quia sicut idem Joannes ait, *illum oportebat crescere, Joannem autem minui;* illum autem qui Propheta æstimabatur, Christum cognosci, et eum qui Christus pro virtutum sublimitate putabatur, Christi esse prophetam, et præcursorem decebat intelligi, quod ipsum quoque distinctione temporis quo uterque illorum natus est, satis aperte signatum est : qui Joannes quidem quem oportebat minui, cum diurnum lumen decrescere incipit natus est, Dominus autem qui vera lux mundi est, eo anni tempore, quo dies crescere incipit, luciflua nobis suæ dona nativitatis exhibuit; qui vivit et regnat cum
B Deo Patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLVIII.

HEBDOMADA XIV POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ ad Galatas.

Fratres, Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus, etc.

De lege per Moysen data populo Israel, et de promissionibus Abrahæ sanctissimi patriarchæ, tractans Apostolus, ut in præsenti lectione audivit dilectio vestra, *Abrahæ dictæ sunt,* inquit, *promissiones* redemptionis et salvationis humani generis *et semini ejus,* ut dicitur ei : *In semine tuo benedicen-*
C *tur omnes tribus terræ,* ut maledictionis pars prima deleretur, et benedictio daretur pro maledictione omnibus qui Dei credere et obedire voluerint præceptis. *Non dicit : Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus,* quia per nullius hominis merita nec promissio, nec ipsa data est benedictio, et facta redemptio in sola gratuita Christi Filii Dei misericordia.

Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Hic docet Apostolus non posse per Legem, quæ postea data est, repromissiones quæ ante factæ sunt ad Abraham destrui, et posteriora prioribus præjudicare, cum repromissiones prædictæ Abraham ante
D quadringentos et triginta annos Legis datæ fuerint, quod benedicerentur in semine ejus, hoc est in Christo, universæ nationes, et ab omni maledictionis vinculo liberarentur.

Nam si ex lege hæreditas. Ac si dicatur : Si per legis observationem nobis redderetur æternæ patriæ hæreditas, quæ per Adam perdita est, *jam non ex promissione.* Non enim ad evacuandam promissionem vel destruendam data est Lex, ut in consequentibus dicitur :

Quid ergo Lex? Propter transgressiones omnino posita est. Propter offensiones enim multas, quas fecit Dei populus, lex transgressiones prohibendi data est, *donec veniret semen,* id est Christus, *cui*

repromiserat mundi liberationem. Lex *ordinata per angelos* mansit peccata prohibens, ut qui per arbitrii libertatem noluerunt innocentes exspectare promissum, legalibus vinculis præpediti et in servitutem mandatorum redacti, custodirentur usque in adventum futuræ in Christo fidei, quæ impletionem promissio afferret. Quod autem ait, *ordinata per angelos*, hoc vult intelligi quod in omni Veteri Testamento, ubi angelus primo visus refertur, postea quasi Deus loquens inducitur, Mediator in illo, id est, Deus ipse judex et rector loquebatur. Qui dixit : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, mediator Dei et hominum.* Inter dantem et accipientem Legem medius dicitur. Sic Lex ipsa quæ post promissionem data inter repromissionem et completionem ejus media subrepsit, in custodiam repromissionis ejusdem, non in subversionem est data :

Mediator autem unius non est partis, sed inter Deum et hominem est medius : id est, qui suum humano generi in hunc mundum promisit adventum ut cum pacificaret Deo homines et reconciliaret.

Deus autem unus est. Hoc ideo addit, ne quis putaret Christum ab unitate divinæ naturæ posse dividi, quia mediatoris suscepisset officium. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus, nequaquam alter in humanitate, alter in deitate est, sed in utraque idem unus est : nec purus homo conceptus, nec purus homo natus est, sed Deus Verbum Dei assumpsit carnem pro salute humana, in qua qui impassibilis erat Deus, homo passibilis appareret ; in qua immortalis Deus non posse mori, et homo mortalis mori posse ostenderetur, qui peccatum non admisit, sed pœnam pro nobis suscepit, ut per indebitam mortem ablueret culpam nostram. Agamus ergo gratias, dilectissimi, Deo Patri per Filium ejus in Spiritu sancto, quia propter multam charitatem qua dilexit nos, misertus est nostri ; et cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo, ut essemus in ipso nova creatura novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis, et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione recedere. Memento capitis tui, et cujus sis corporis membrum reminiscere, qui erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum, per baptismatis sacramentum Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis actibus effugare, et diaboli iterum subire servitium, quia pretium redemptionis tuæ sanguis est Christi. Ipse in veritate judicabit, qui misericordia te redemit, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in unitate Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLIX.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Beati oculi qui vident quæ vos videtis, etc.

Non oculi scribarum et Pharisæorum, qui corpus Domini tantum videre, sed illi Beati sunt oculi qui ejus possunt cognoscere sacramenta. De quibus dicitur : *Et revelasti ea parvulis. Beati oculi* parvulorum, quibus et se et Patrem Filius revelare dignatur.

Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ auditis, et non audierunt. Abraham exsultavit ut videret diem Christi, et vidit, et gavisus est. Isaias quoque, Michæas et multi alii prophetæ viderunt gloriam Domini, qui et propterea *videntes* sunt appellati. Sed hi omnes, a longe aspicientes et salutantes, per speculum et in ænigmate viderunt ; apostoli autem impræsentiarum habentes Dominum convescentesque ei, et quæque voluissent interrogando discentes, nequaquam per angelos aut varias visionum species opus habebant doceri. Quos vero Lucas multos prophetas et reges dicit, Matthæus apertius prophetas et justos appellat : ipsi sunt enim reges magni qui tentationum suarum motibus non consentiendo succubuere, sed regendo promoverunt :

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans eum dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Legisperitus, qui de vita æterna Dominum tentans interrogat, occasionem, ut reor, tentandi de ipsis Domini sermonibus sumpsit, ubi ait : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Sed ipsa sua tentatione declarat quam vera sit illa Domini confessio, qua Patri loquitur : *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.*

At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est, quomodo legis? Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. Dum legisperito respondet, perfectum nobis Salvator iter vitæ cœlestis ostendit, cui primo de dilectione Dei, proximi, Legis scripta proponenti dicit : *Recte respondisti ; hoc fac et vives.* Deinde post inductam parabolam respondenti illum fuisse proximum vulnerato, qui fecit misericordiam in illum, adjecit : *Vade, et tu fac similiter* ; id est, tali misericordiæ studio proximum tuum necesse habentem diligere et sustentare memento, apertissime declarans solam esse dilectionem et ipsam non verbotenus ostentatam, sed operis exsecutione probatam, quæ perpetuam ducat ad vitam.

Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est proximus meus? Quanta inanis gloriæ dementia, legisperitus, ob vulgi favorem captandum, quo sapienter respondisse jactaretur, primum

se Legis fatetur ignorare mandatum : vere, juxta Salvatoris sententiam, sapiens et prudens in lege, sed quia non humiliari cum parvulis Christi, sed seipsum justificare desiderat, beatos oculos columbarum, innocentiæ lacte lotarum, quibus Christi arcana videre posset, accipere recusat. Cui profecto Dominus ita responsum temperavit suum, ut et omnem qui misericordiam faceret, cuilibet proximum doceret; et tamen hæc eadem parabola specialiter ipsum Dei Filium, qui nobis per humanitatem proximus fieri dignatus est, designaret. Neque enim ita proximum, quem sicut nos diligere jubemur, super Christo interpretari debemus, ut moralia mutuæ fraternitatis instituta sub allegoriæ regulis extenuare et auferre conemur.

Suspiciens autem Jesus dixit : Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho. Homo iste Adam intelligitur in genere humano : Hierusalem civitas pacis illa cœlestis, a cujus beatitudine lapsus in hanc mortalem miseramque vitam devenit; quam bene Jericho, quæ *luna* interpretatur, significat, variis videlicet defectuum laboribus erroribusque semper incertam.

Et incidit in latrones. Latrones diabolum et angelos ejus intellige, in quos qui descendebat incidit; nam nisi prius intus intumesceret, foris tentatus tam facile non recederet. Vera est enim satis sententia quæ dicit : *Ante ruinam exaltabitur cor.*

Qui etiam dispoliaverunt eum. Gloria videlicet immortalitatis et innocentiæ veste privarunt. Hæc est enim prima stola, qua, juxta aliam parabolam, luxuriosus filius per pœnitentiam annulis ornatur, et qua protoplasti amissa cognoverunt esse se nudos, tunicasque pelliceas naturæ mortalis induti sunt.

Et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Plagæ peccata sunt, quibus naturæ humanæ integritatem violando, seminarium quoddam, ut ita dicam, augendæ mortis fessis indidere visceribus. Abierunt autem, non ab insidiis aliquatenus cessando, sed earumdem insidiarum fraudes occultando. Semivivum reliquerunt, quia beatitudinem vitæ immortalis exuere, sed non sensum rationis abolere valuerunt. Ex qua enim parte sapere et cognoscere Deum potest, vivus est homo; ex qua vero peccatis contabescit et miseria deficit, mortuus idem lethiferoque est vulnere fœdatus.

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præteriit. Similiter et Levita cum esset secus locum, et videret eum pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est. Samaritanus, qui interpretatur *custos*, Dominum significat (cui rectissime Propheta, ne hos latrones possit incurrere, supplicat : *Custodi me*, inquiens, *a laqueo quem statuerunt mihi et a scandalis operantium iniquitatem*); *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendens de cœlo* vitæ præsentis iter arripuit, et venit secus eum qui vulneribus tabescebat inflictis, id est, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, compassionis nostræ susceptione finitimus et misericordiæ factus est collatione vicinus.

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Peccata quæ in hominibus invenit, redarguendo cohibuit, spem veniæ pœnitentibus, terrorem pœnæ peccantibus incutiens : alligat enim vulnera dum præcipit : *Pœnitentiam agite*; infundit oleum, dum addit : *Appropinquabit enim regnum cœlorum*; infundit vinum dum dicit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.*

Et imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum, et curam ejus egit. Jumentum ejus est caro, in qua ad nos venire dignatus est, in quo sauciatum imposuit, quia peccata nostra portavit in corpore suo super lignum; et juxta aliam parabolam, inventam quæ erraverat ovem humeris suis impositam reportavit ad gregem. Itaque imponi jumento est in ipsam incarnationem Christi credere ejusque mysteriis initiari, simul et ab hostis incursione tutari. Stabulum autem est Ecclesia præsens, ubi reficiuntur viatores de peregrinatione hac, in æternam patriam redeuntes, et bene jumento impositum duxit in stabulum, quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus, Ecclesiam intrabit :

Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario et ait : Curam illius habe. Altera dies est post Domini resurrectionem, nam et ante quidem per Evangelii sui gratiam illuminaverat *hos qui in tenebris et in umbra mortis* sedebant, sed potior resurrectione celebrata perpetuæ lucis splendor effulsit. Duo denarii sunt duo Testamenta, in quibus æterni regis nomen et imago continetur. Finis enim legis est Christus, qui altera die prolati dantur stabulario, quia tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Altera die stabularius denarios, quorum pretio vulneratum curaret, accepit, quia Spiritus sanctus adveniens docuit apostolos omnem veritatem, quo gentibus erudiendis instare atque Evangelium prædicare sufficerent.

Et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Supererogat stabularius quod in duobus denariis non accepit, cum dicit Apostolus : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Itemque et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, *sed non usi sumus hac potestate, ne quem vestrum gravaremus.* Cui rediens quod promiserat debitor reddet, quia veniens in judicio Dominus dicit : *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in regnum domini tui.*

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Juxta litteram manifesta est Domini sententia, nullum nobis amplius quam qui miseretur esse proximum, sicut Hierosolymitæ civi, non sacerdos, non Levita ex eadem gente, imo in

eadem urbe nati et nutriti, sed externæ gentis accola, quia magis misertus est, factus est proximus. Sacratiore autem intellectu, quoniam nemo magis est proximus quam qui vulnera nostra curavit, diligamus eum quasi Dominum Deum nostrum, diligamus quasi proximum : nihil enim tam proximum quam caput membris. Diligamus etiam eum qui imitator est Christi; hoc est enim quod sequitur :

Et ait illi Jesus : Vade et tu fac similiter. Id est, ut vere te proximum sicut te ipsum diligere manifestes, quidquid vales in ejus vel corporali vel spiritali necessitate sublevanda devotus operare, sicque ad regni cœlestis præmia poteris pervenire.

HOMILIA CLX.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos.

Fratres, habentes fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei.

Hic ostendit distantiam pontificis et hostiarum, et tabernaculi, et Testamenti, et repromissionis, et multam differentiam : siquidem illa quidem temporalia, hæc autem æterna; illa quidem infirma, hæc autem perfecta; illa quidem formæ, hæc autem veritas. Non enim juxta legem mandati, inquit, carnalis, sed juxta virtutem vitæ insolubilis, et *tu es sacerdos in perpetuum*. Ecce perpetuitas sacerdotis et Testamento illo dixit quod vetustum est; quod autem veterascit et senescit proximum est interitui. Hoc autem Testamentum Novum et remissionem peccatorum habet, illud autem nihil hujusmodi; illud quidem manu factum, hoc autem non manu factum; illud quidem sanguinem hircorum habebat, hoc autem Domini; illud quidem stantem sacerdotem, hoc autem sedentem. Quoniam igitur cuncta illa minora sunt, hæc autem majora, propterea, inquit, *habentes, fratres, fiduciam.* Unde? Sicut enim confusionem faciunt peccata, sic fiduciam omnium remissio peccatorum, et quod cohæredes effecti sumus, et quod tanta dilectione fruimur. *In introitu*, inquit, *sanctorum.* Introitum hic cœlum dicit et accessum ad spiritalia. Quam dedicavit, hoc est, quam construxit, quam præparavit et quam initiavit. Dedicatio quippe dicitur initium utendi. Quam præparavit, inquit, et per quam ipse perrexit viam novam, hinc satisfactionem spei declarat novam dicens, conatur enim ostendere cuncta majora nos habere. Siquidem nunc apertæ sunt portæ cœli, quod neque ad Abraham contigit. Viam novam dixit vitæ, sed viam illam vocavit, hoc est præcepta; ipse autem dedicavit novam, dedicavit autem illam hac ratione quoniam ipse in ea perrexit. Velamentum autem vocavit : cum enim elevatus est in excelsum, tunc apparuerunt cœlestia.

Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda. In quo accedamus, scilicet fide, spiri-

A tali cultura, veraci corde, sine simulatione, in satisfactione fidei, quia nihil est visibile horum, neque sacerdos jam, neque sacrificium, neque altare. Propterea, inquit, *in plenitudine fidei* sic oportet credere, quomodo certi sumus de visibili etenim et adhuc amplius. Hinc enim aliquando carnis sensus erant in his quæ videntur, illic autem nequaquam, quia spiritu spiritalia percipimus, et non licet hæsitare de iis; ideo ait : *Aspersi corde a conscientia mala*, ostendens quia non fides sola, sed etiam vita cum virtute quæritur, quia fides sine operibus otiosa est. Illi autem corpora mundabant, nos conscientiam. *Et abluti aqua munda.* Lavacrum baptismatis in hoc loco dicit : baptismum enim corporis mundatio non est, sed animæ, si fides adest baptizato,
B sive parentum, sive suimet ipsius, si ad rationabilem ætatem perveniret.

Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem : fidelis est enim qui repromisit. Nihil enim scruteris, nil rationis exspectes : fide opus habent hæc omnia, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Sicut Deus fidelis est in promissis suis, ita fideles vult nos esse in promissis nostris, quæ vovimus, diabolo contradicere et Christo dicere.

Et consideremus invicem in provocatione charitatis et bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam. Quid est intelligamus *invicem?* si quis fuerit virtute præditus, hunc imitemur, et intendamus in eum, ut diligamus et diligamur; ex dilectione quippe bona opera fiunt.
C Magnum quippe bonum est congregatio : ipsa namque charitatem operatur ferventiorem et ex ea cuncta bona opera generantur. Nihil namque bonum, quod non per charitatem fit; istam igitur confirmemus invicem, quia plenitudo Legis charitas est. Non enim laboris opus habemus aut sudoris; si dilexerimus invicem, spontanea nobis vita prosternitur ducens ad virtutem et ad cœlestia. Sicut enim in itinere contingit, si quis initium comprehendit rectam viam, ducitur ubi oportet, sic etiam in charitate tantum arripe principium, et statim manum tibi præbens, ipsa te ducit et dirigit. *Sicut*, inquit, *est consuetudinis quibusdam.* In hoc loco non solum admonuit, sed etiam culpavit et terruit unitatem charitatis scindentes.

D *Sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.* Quem diem designat, nisi diem judicii, in quo singulorum merita examinantur? Vel etiam extremum diem vitæ nostræ; dicit enim alio loco : *Dominus prope est, nihil solliciti estis*, id est, de terrenis ; et item :

Nunc propius est nobis salus nostra quam cum credidimus, tempus quippe abbreviatum est; voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis. Sponte namque peccantibus nobis, postquam accepimus veritatis agnitionem, ultra non relinquitur hostia pro peccatis, sicut in veteri Lege donatum fuit hostias offerre sæpius pro peccato. Neque enim Christus ipse

iterum immolandus est pro peccatis nostris, hoc enim semel factum est, et secundo non est opus; sed magis opus est post acceptam gratiam permanere in fide et charitate bonorum operum. Arbores quæ institutæ sunt et cæteram habuerunt diligentiam agricolarum, adhibitam manibus atque laboribus, si nullam referant laboris vicissitudinem, radicitus evulsæ, igni tradentur; tale quiddam et in causa contingit baptismatis; cum enim Christus nos instituerit et irrogatione spiritali potiti fuerimus, si deinde nullum fructum afferamus, ignis nos exspectabit gehennæ et flamma inexstinguibilis. Paulus igitur hortatur ad charitatem et fructificationem bonorum operum, ex utilibus invitans. Quæ sunt autem hæc utilia, quoniam introitum habemus ad sancta, dedicavit nobis viam novam; postquam ex utilibus mutavit ad opera bona, vult etiam nunc ex metuendis et tristibus idipsum item facere; postquam enim dixit : *Non derelinquamus congregationem nostram, quemadmodum quibusdam usus est; sed exhortantes tanto amplius quanto videtis appropinquantem diem*, intulit dicens : Sponte namque peccantibus nobis postquam accepimus agnitionem veritatis, [opus est, inquit, bonis operibus; opus est enim et valde opus : sponte namque peccantibus nobis postquam accepimus veritatis agnitionem] ultra non relinquitur hostia pro peccatis. Mundatus es, liber es a criminibus, factus es filius Dei; si ad primum vomitum reversus fueris, aliud te exspectat judicium, nisi per pœnitentiam renovatus fueris. Ideo subsequenter ait :

Terribilis autem quædam exspectatio judicii ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. In hoc non pœnitentiam exclusit, neque propitiationem quæ fit per pœnitentiam; neque repellit per desperationem delinquentem : non enim ita est inimicus salutis nostræ ut secundi baptismatis lavacrum, hoc est pœnitentiæ, excludat. Non enim dixit, Non est ultra pœnitentia; neque dixit, Ultra non est remissio; sed *Hostia*, inquit, *ultra non est*, hoc est crux secunda ultra non est : una namque perfecit in perpetuum eos qui sanctificantur, non sicut Judæi; cautos nos volens efficere, ne ultra vel Christi crucem vel hostias Judaicas exspectemus pro peccatis, et quicunque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, ignis æmulatio devorabit eum. Quapropter unusquisque ad pœnitentiæ, dum tempus habet, medicamentum confugiat, ne igni tradatur æterno, quia juxta sacræ Scripturæ sententiam, *Qui bona egerunt, ibunt ad vitam æternam : qui vero mala egerunt, in supplicium æternum.*

HOMILIA CLXI.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore exeuntes Pharisæi consilium faciebant adversum Jesum, quomodo eum perderent, etc.

Exeuntes eos dicit, non adeuntes, vel appropinquantes, quia eorum mens prava semper a Domino aversa fuit, nec pertinebant ad eorum sortem qui-

A bus Scriptura dicit : *Accedite ad eum, et illuminamini*, et cætera. Exeuntes videlicet cum magistro suo diabolo, de quo scriptum est : *Exivit Satan a facie Domini. Consilium fecerunt quomodo vitam perderent.* Non quomodo vitam ipsi invenirent. Quod autem Domino iniqui moliuntur insidias, livor in causa est : quid enim fecerat ut Pharisæos ad interfectionem sui provocaret? Nempe quod homo extenderat manum. Quis enim Pharisæorum in die Sabbati non extenderat manum, portans cibos, calicem porrigens, et cætera quæ victui necessaria sunt? Si ergo manum extendere et alimenta sublevare vel potum in sabbato non est criminis, cur hoc mali arguant quod ipsi coguntur facere, præsertim cum iste cæmentarius nihil tale portaverit, sed ad præceptum

B Domini salvam extenderet manum, neque enim ille qui dixit : *Et facta sunt omnia*, Sabbato laborare poterat convinci.

Jesus autem sciens, secessit inde. Sciens insidias eorum, quod vellent perdere Salvatorem suum, recessit inde, ut Pharisæis contra se impietatis occasionem auferret. Secessit quasi homo, fugiens persequentium insidias, quia neque adhuc venerat hora passionis ejus, neque extra Jerusalem fuit locus passionis. Secessit fugiens sese odio persequentes, sed ibi accessit ubi plures invenit sese per amorem sequentes. Nam subditur :

Et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. Ecce Pharisæi, magistri videlicet plebis, unanimi Dominum consilio perdere quærunt; at turba indo-

C cta et vulgus undecunque collectum unanimi illum dilectione sequuntur. Illi videntes opera virtutum ejus, et verba doctrinæ audientes, nihil amplius discere quam ut eum persequerentur, volebant; isti, opinione tantum ducti virtutum ejus, congesto agmine permaximo veniunt ad audiendum eum, opemque salutis flagitandam.

Et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Præcepit enim hoc, non propter timorem mortis, ne forte proditus jam occideretur, cui erat in potestate anima sua, sed parcendo Judæis, ne ipsi invidia trucidarentur innocentem persequendo. De quibus alibi legitur, *vere stultos interficit iracundia, et parvulos occidit invidia.* Nos autem, tropologice, in-

D struit, ut cum aliquid magni fecerimus, laudem forinsecus non quæramus.

Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Quod enim propheta de illo futurum prædixit, necesse erat in ipso impleri, ut innocentia et mansuetudo ejus verum comprobaret prophetarum oraculum. Puer ergo Domini est Jesus, quia formam servi accepit et habitu inventus est ut homo; sed tamen electus, *quia ipse*, sicut Scriptura dicit, *electus est ex millibus*, verus scilicet David, vir secundum cor Domini inventus, qui fecit omnes voluntates ejus. Electus est enim in opus quod nemo alius fecit, ut redimeret genus humanum et pacificaret mundum cum

per viduam castam, sed per solum hoc virgineum corpus implevit. Quia quasi sol oriens nitidus ab omni pollutionis sorde processit ex utero virginis matris felix certe et omni laude dignissima, quæ de cœlo suscepit prolem et mundo genuit salvatorem: cum igitur tanta sint merita virginitatis, non tamen repudiandus est thorus castitatis: quia bonum virginitatis non nisi a conjugali thoro procedit, castitas igitur in virgine alta est et summa si in corde simul persistit et corpore, sed castitas conjugalis sanctior est quæ in corde simul persistit et corpore constat, quam illa quæ in corde tantum est casta et corde diversis est modis adulterata, sive in jactantia aut in superbia aut etiam in appetitu libidinis. Unde, dilectissimi, nobis omni studio servemus, non solum corpus, sed etiam cor nostrum ab omni quod odit Dominus, et in omni quod ei placet confirmare cor nostrum ejus misericordiam postulemus; et inter hæc omnia toto cordis affectu nos auxilium beatæ Virginis imploremus, quia dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece Christo Domino nostro commendare dignatur in cœlis; quod ipse præstare dignetur qui in trinitate perfecta regnat et dominatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CL.

IN EODEM FESTO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, intravit Jesus in quoddam castellum; et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria, etc.

Hæc lectio superiori pulcherrima ratione connectitur, quia videlicet illa dilectionem Dei et proximi verbis et parabolis, hæc autem ipsis rebus et veritate designat. Duæ quippe istæ Domino dilectæ sorores duas vitas spiritales quibus in præsenti sancta exercetur Ecclesia, demonstrant. Martha quidem actualem, qua proximo in charitate sociamur; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore suspiramus. Activa enim vita est panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere ad humanitatis viam, superbientem proximum revocare, infirmitatis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissis nobis qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere ut nihil agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem creatoris sui animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Hæc utrique vitæ congruere nemo qui dubitet, et contemplativæ quidem uniformis perfectio est, exutam mentem a cunctis habere terrenis eamque quantum humana imbecillitas sinit unire cum Christo, activæ vero quam frequens sit ministerium, gentium magister edocet, qui creberrimis epistolarum dictis suos pro Christo terra marique labores ac sua pericula commemorat. In quibus etiam visiones et revelationes Domini commendans, non minus se in speculativa virtute quod est imitabile, consummatum fuisse significat. Unde dicit, sive enim mente excidimus Deo, sive sobrii sumus vobis.

Quæ stetit et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. De illorum persona loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt, ideoque cunctos qui Christo devoti esse velint huic mancipandos autumant.

Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima; porro unum est necessarium. Et beatus David solum hoc necessarium homini esse definiens, Deo jugiter inhærere desiderat dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*; et alibi: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini et visitem templum sanctum ejus.* Una ergo et sola est theoria, id est, contemplatio Dei cui merito omnia justificationum merita, universa virtutum studia postponuntur.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur, neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthæ judicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima subinfertur cum dicitur *quæ non auferetur ab ea.* Activa etenim vita cum corpore deficit: quis enim in æterna patria panem esurienti porrigat ubi nemo esurit? quis potum tribuat sitienti ubi nemo sitit? Quis mortuum sepeliat ubi nemo moritur? Cum præsenti ergo sæculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, ut in cœlesti patria perficiatur, quia amor ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat, viderit, in amore amplius ignescit. Contemplativa ergo vita minime aufertur, quia subtracta præsentis sæculi luce perficitur in æterna gloria per Jesum Christum Dominum nostrum qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLI.

HEBDOMADA XIII POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ ad Corinthios.

Fratres, fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes [*simus*] *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*, etc.

Dubitandum non est, dilectissimi, omnem observationem Christianam conditionis esse divinæ et quidquid in ecclesiæ consuetudine est receptum de traditione apostolica et de sancti Spiritus prodire do-

ctrina. Unde dicit in præsenti lectione apostolus, *fiduciam talem habemus per Christum ad Deum*, quia novimus vos non posse per vosmetipsos credidisse, sed divina tantum agente gratia : *non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*, Ac si diceret: Nihil nostra possumus facere prudentia et virtute, ut ipse Dominus ait : *Sine me nil potestis*; neque per nos rusticanos homines unquam fieri potuit, ut tanta esset fidelium multitudo festinantium ad salutem, sine gratia Dei. Unde subditur :

Sed sufficientia nostra ex Deo est. Qui omnia quæcunque voluerit operatur in servis suis.

Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti. Ut adimpleretur prophetia quæ dicit: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud*; et ipse Dominus : *Non enim vos estis*, inquit, *qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*; et iterum, *Ego enim dabo vobis os et sapientiam*. Unde enim nisi a Spiritu sancto Apostoli tam idonei fuerunt ut tanta per eos divina mysteria credentibus revelarentur? Sequitur :

Non littera. Non enim omnia hæc in litteris veteris legis repererunt, sed Spiritus sancti docente gratia didicerunt.

Littera enim occidit. Quia in lege litteræ nulla remissio, sed semper ultio exercetur, ut hoc est : Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur.

Spiritus autem vivificat. Id est, lex gratiæ spiritalis omnem hominem vult salvum fieri et in agnitionem veritatis venire, æternamque vitam omnibus fideliter quærentibus præstat.

Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria. Quæ mortificat peccatores et damnat, et tantum observantibus eam præsentia bona promittit, et de futuris nec mentionem facit, et tamen in magna gloria erat observanda, quia umbram futurorum bonorum monstravit. *Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur* per Christi passionem atque resurrectionem, quæ omnium superexcellit gratiam.

Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Si enim quod evacuari potest in gloria est, quanto magis quod ad æternam gloriam ducit glorificandum est operibus sanctis et justis, ut æterna etiam gloria per hæc mereatur? Nam sicut orto sole lumen obtunditur lunæ, cum tamen suo tempore magnum habeat lumen, ita comparatione gloriæ evangelicæ obumbratur omnis gloria veteris legis. Nam si ministerium damnationis gloria est, quanto magis ministerium justitiæ, dimittendo peccata hominibus et de filiis diaboli filios Dei faciendo? Quo contra sunt qui dicuntur in hac vita beati, quibus omnia hujus mundi prospera cedunt, quæ beatitudo simul cum ipsa mundi evanescit prosperitate; hi autem vere beati dicuntur qui spe futuræ beatitudinis beati sunt, qui hic multa propter Deum sustinent adversa, et quanto majores et multipliciores hujus sæculi tolerant injurias, tanto semper sunt in animo lætiores, quia tanto major eis gloria cumulatur, qui non hic, sed in illa vita beati futuri sunt, quia ibi omnium beatorum beatitudo perfecta erit. Quapropter si ad illam beatam vitam pervenire volumus, sollicite vivere debemus semperque terminum vitæ hujus sollicite considerare. Unusquisque nostrum in contemplatione illius vitæ, hujus sæculi prospera caveat. Scriptum est enim : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in æternum non peccabis*. Ideo mori oportet hominem in carne mundo, ne moriatur in anima Christo. Nam tunc quisque vivere creditur, si sæculi desideriis moriens in solo Deo vivere delectetur. Largiente ipso et auxiliante Domino nostro Jesu Christo qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLII.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, etc.

Decapolis est, ut ipso nomine probat, regio decem urbium trans Jordanem ad orientem circa Ippum et Pellam et Gadaram contra Galilæam. Quod ergo dicitur, quia Dominus venit ad mare Galileæ inter medios fines Decapoleos, ipsos fines Decapoleos eum intrassé significat, neque enim mare transnavigasse dicitur, sed potius ad mare usque venisse atque ad ipsum pervenisse locum qui medios fines Decapoleos longè trans mare positos respiciebat.

Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur ut imponat illi manum. Surdus et mutus est qui nec aures audiendi Dei verbum, nec os aperit proloquendi. Quales necesse est ut hi qui loqui jam et audire divina eloquia longo usu didicerunt, Domino sanandos offerant, quatenus eos quos humana fragilitas nequit, ipse gratiæ suæ dexterâ salvet.

Et apprehendens eum de turba seorsum. Apprehendens namque infirmum de turba seorsum èducit, cum mentem peccatis languidam visitatione suæ pietatis illustrans, a consuetis humanæ conversationis moribus evocat, atque ad sequenda præceptorum suorum itinera provocat.

Misit digitos suos in auriculas ejus. Mittere digitos in auriculas est per dona Spiritus sancti aures cordis ad intelligenda ac suscipienda verba salutis aperire. Nam digitum Dei appellari Spiritum sanctum testatur ipse Dominus cum dicit Judæis : *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt?* quod exponens alius Evangelista dicit : *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmonia?* Et magi in Ægypto superati dixerunt : *Digitus Dei hic est*; et lex in tabulis digito Dei scripta est lapideis. Digiti ergo Dei in auriculas ejus missi qui sanandus erat, dona sunt sancti Spiritus, quibus corda, quæ a via veritatis aberraverunt ad sciendam salutis viam, ad audiendam discendamque revelat. Et quia cognita veritatis luce, sequi confessio debet, apte subjungitur :

Et exspuens linguam ejus tetigit. Exspuens quippe Dominus, linguam tetigit ægroti cum ad confessio-

nem fidei ora catechizatorum instituit, cum ora diu bruta ad verba sapientiæ proferenda tactu suæ pietatis informat; sputo namque Domini saporem designat sapientiæ.

Et suspiciens in cœlum. Suspexit namque in cœlum, ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmantibus medelam doceret esse quærendam.

Ingemuit. Ingemuit autem non quia ipsi opus esset cum gemitu aliquid petere a Patre, qui cuncta petentibus donat cum Patre, sed ut nobis gemendi daret exemplum, cum vel pro nostris vel pro nostrorum erratibus proximorum, supernæ præsidia pietatis invocamus.

Et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Quod autem ait ephphetha, id est, adaperire, ad aures proprie pertinet. Aures etenim ad audiendum aperiendæ; lingua vero ut loqui posset a retinaculis erat suæ tarditatis solvenda.

Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Ille etenim solus recte loquitur, sive Deum confitendo, sive aliis prædicando, cujus auditum, ut cœlestibus possit auscultare, et obsecundare mandatis divina gratia reserat, cujus linguam Dominus tactu sapientiæ quæ ipse est ad loquendum instituit. Talis autem merito potest dicere cum Psalmista, *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*; et cum Isaia, *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam suscitare eum qui lapsus est verbo; erigit mane, mane erigit mihi aurem ut audiam quasi magistrum.*

Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui. Si sciebat eos, sicut ille, qui noverat habebat et præsentes et futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat, ut quid hoc præcipiebat nisi quia pigris volebat ostendere quanto studiosius quantoque ferventius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent quando illi qui prohibebantur tacere non poterant; studendum quippe est omni homini qui vult ad vitam ingredi ut bene docens et bene operans præsentem vitam consummare contendat, qui sic absque ullo dubio ad gaudia æterna Deo miserante perveniet.

HOMILIA CLIII.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Corinthios.

Fratres, non prædicamus nosmetipsos, sed Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Hoc est, non nostram gloriam annuntiamus ne quis nos dicat propter nos ipsos evangelizare, ut nobis proficiat forte ad tempus. *Sed Jesum Christum Dominum nostrum annuntiamus*, subjicientes nos virtuti majestatique ejus. Quando ergo nullum concutimus, nullum gravamus, et Christum Dominum nostrum fatemur, quid est ut elati judicemur? quasi pro nostra

A propria utilitate prædicantes, ut gloriosi appareamus. *Nos autem servos vestros per Jesum.* In tantum se servum Christi esse probat ut jubente ipso ministrum se horum in prædicatione; testetur, et pro utilitate horum subjectum in ministerio Evangelii. Servos ergo dicens ministros significat, sed humiliter. Ideo quia sic dixit, ut vere ostenderet non ad suam gloriam prædicari a se Evangelium, sed ad claritatem Domini Christi, cui obedit, qui servit, sicut ipse Dominus ait: *Ego sum in medio vestrum, ut non ministrer, sed ut ministrem.* Non merito horum quibus ministrat, sed propter imperium Domini.

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Hoc dicit,
B quia misericordia Dei factum est; ut nos, inquit, qui fuimus incredibiles in ignorantia, hoc est, in tenebris per nos daret Deus lumen cæteris gentibus. Quantum se adhuc humiliat, ut Dei solius et Christi gloriam proferat; illuminantur enim ut cognitionem habeant gloriæ Dei per Christum, ideo gloriæ Dei ait cognitionem, id est, non Dei solius, sed et Christi, qui est gloria ejus ut significaret non Deum solum cognosci, sed et opera ejus et misericordiam et providentiam, qua et condidit, et salvavit genus humanum visum in Christo per gloriam virtutis suæ.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. Thesaurum sacramentum significavit Deus in Christo, quod credentibus manifestatur, incredulis vero quo-
C dam velamine tectum est, quia, sicut thesaurus in occulto ponitur, ita et sacramentum Dei intra hominem, id est, in corde humano absconditur. Hunc ergo thesaurum in animo et corpore dicit esse a Deo datum, ut eminentia virtutis ejus appareat per homines, prædicatores dumtaxat ut reconcilietur omnis lingua creatori suo.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: nunc ostendit propter quod idonei erant prædicatores quia semper illis in necessitate adfuit Deus, ideo pressuram ait passi, sed non coangustati, hoc est, non permisit Deus tantum nos opprimi, ut cederemus inopiam passi, sed non destituti, id est, in inopia positi adfuit pastor Deus.

D *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.* Verum est, quia consulebat eis Deus, ne satis sibi facerent de his inimici.

Dejecti, sed non perimus. Id est, verberibus prostrati obstante Deo non mortificati, sive enim clausi sive vinculati, adjutorio Dei manus hostium evadebant. Denique Paulus et Silas cum essent clausi jam cæsi, et pedes eorum essent in nervo conclusi, alacres hymnum canebant Deo, fortiores his facti, qui non erant cæsi.

Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Dubium non est quia in martyribus Christus occiditur, et in his qui pro fide patiuntur aut exitus, aut vincula, aut verbera Christi passiones sunt.

ut et vita ejus in corpore eorum palam fiat. Passiones enim sunt, quæ ostendunt meritum ad futuram vitam quam promisit Christus, unde alio loco dicit : *Cum infirmior tunc potens sum*; et iterum : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Quod nobis præstare dignetur, ipse Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLIV.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes et dicentes : Miserere nostri, fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, etc.

Transeunte per domum principis Domino Jesu et pergente ad domum suam sicut supra legimus : *Ascendens naviculam transfretavit et venit in civitatem suam* : clamabant duo cæci dicentes : *Miserere nostri, fili David*. Et tamen non sanati sunt in itinere, non transitorie, ut putabant, sed postquam venit in domum suam, accedunt ad eum et introeunt. Quod autem dicunt cæci, *fili David*, audiat Marcion et Manichæus et cæteri hæretici, qui vetus laniabant instrumentum, et discant salvatorem appellari filium David; si enim non est natus in carne, quomodo filius David vocatur ?

Et dicit eis Jesus : Creditis quia possum hoc facere vobis ? Fidem eorum ipse noscens interrogat, ut fidem confessio promat, et confessionem virtus consequatur salusque virtutem comitetur, quia ut Apostolus ait : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Dicunt ei : Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis. Per *utique* foris affirmant quod intus corde credulo gestant, et Deo firma professio factum meruit divinæ pietatis. *Secundum fidem*, inquit, *vestram fiat vobis :* Hoc est quia fides jam mentem illuminat, oculorum lucem ipsa vobis restituat.

Et aperti sunt oculi eorum. Quia secundum Prophetæ sententiam, omnis qui crediderit in illum non confundetur. Quia ipsa *ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.

Et comminatus est eis Jesus dicens : Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa. Et Dominus propter humilitatem fugiens jactantiæ gloriam hoc præcepit : et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium. Nota ergo aliquid inter se justum esse contrarium.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmone, locutus est mutus. Homo iste gentilem populum significat qui mutus erat, quia confessionem veræ fidei in ore non habebat, nec non et surdus, quia audire legem Dei non consentiebat. Quod enim Græce dicitur κωφὸς, magis tritum est sermone communi, ut surdus potius quam mutus intelligatur, sed moris est scripturarum, κωφὸν indifferenter vel mutum vel surdum dicere. Hic ergo homo dæmonium habebat, quia idololatriæ per omnia deditus erat. Cum ergo per prædicatores sancti Evangelii ad salvatorem perducebatur, ablato errore gentilitatis, confessionem nominis Dei clarius resonare incipiebat.

Et miratæ sunt turbæ dicentes : Nunquam sic apparuit in Israel. Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmones. Turba opera Dei confitetur, et dicit nunquam sic apparuisse in Israel : in turba nationum confessio est. Pharisæi autem quia negare virtutem Dei non poterant, opera calumniantur et dicunt : *In principe dæmoniorum hic ejicit dæmonia*, per suam calumniam usque hodie Judæorum infidelitatem demonstrantes.

Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem. Cernis quod æqualiter et villis et urbibus et castellis, id est et magnis et parvis Evangelium prædicaverit ut non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium : *Circuibat civitates*, hoc habens operis, quod mandaverat pater, et hanc esuriem ut doctrina sua salvos faceret infideles. *Docebat in synagogis et in villis Evangelium regni*, et post prædicationem atque doctrinam curabat *omnem languorem et omnem infirmitatem*; nil quippe ei impossibile est, qui cuncta creavit et omnium dominatur Jesus Christus Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLV.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore cœpit Jesus exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam, etc.

Exprobratio civitatum Corozaim et Bethsaida et Capharnaum capituli hujus titulo panditur quod ideo exprobraverit eis quæ post factas virtutes et signa quam plurima non egerint pœnitentiam.

Væ tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida. Quæramus ubi scriptum sit quod in Corozaim et Bethsaida Dominus signa fecerit. Supra legimus : *Et circuibat Jesus civitates et omnes vicos curans omnem infirmitatem*, etc. Inter cæteras ergo urbes et vicos æstimandum est quoque in Corozaim et Bethsaida Dominum signa fecisse.

Quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Notandum quod Tyrus metropolis est Phœnicis in tribu Nephtalim. Hæc quondam insula fuit posita alto mari, sed nunc contigua terræ. Sidon quoque urbs est Phœnicis insignis olim terminus Chananæorum ad aquilonem respiciens et postea regionis Judææ. Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed non eam possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere. Interpretatur autem Tyrus angustia et Sidon venatio, et significans gentes quas venator diabolus in angustia peccati comprehendit, sed salvator Jesus per Evangelium absolvit.

Et tu, Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes. In altero exemplari reperimus: Et tu Capharnaum, quæ usque ad cœlum exaltata es usque ad inferna descendes; et est duplex intelligentia: vel ideo, *ad inferna descendes*, quia contra prædicationem meam superbissime restitisti, et ideo quia exaltata usque ad cœlum meo hospitio, et meis signis atque virtutibus tantum habens privilegium majoribus plecteris suppliciis, quia his quoque credere noluisti. In Capharnaum autem, quæ interpretatur villa pulcherrima, condemnatur incredula Jerusalem, cui dicitur per Ezechielem: *Justificata Sodoma soror tua ex te.* Unde et consequenter subditur:

Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Minoris ergo injustitiæ Sodoma, et quasi justa esse dicitur in comparatione majoris injustitiæ. Jerusalem cum illa exemplis Loth non fuerit correcta et ista filii Dei verbis et miraculis semper exstiterit ingrata, imo prophetas nec non et ipsum Salvatorem occidit, et apostolos ejus persecuta est.

Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi. Remissior enim eorum erit pœna, quorum minor est culpa, et in eos fortior procedet vindicta quorum major est noxia. *Justus enim est Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui reddet unicuique secundum opera ejus.*

HOMILIA CLVI.

IN NATALI SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Lectio Epistolæ ad Ephesios.

Fratres, jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, etc.

Ad id quod supra dixerat peregrinis testamentorum repromissionis, nunc respondet: ergo *tam non estis hospites*, id est peregrini. Et ad illud quod promiserat alienatis a conversatione Israel, modo respondet, *estis cives sanctorum et domestici Dei*, quia qui aliquando longe fuistis, non habentes repromissiones de Christo, vel salute vestra, nunc prope estis, et non solum prope, sed etiam cives sanctorum.

Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum. Hoc est, supra novum et vetus testamentum collocati; quod enim apostoli prædicaverunt, prophetæ futurum dixerunt. Quamvis dicat ad Corinthios: *Deus primum posuit in ecclesia apostolos, secundo prophetas*, sed alii prophetæ sunt: illo enim loco de ordinatione ecclesiæ disputat; hic vero de fundamento ecclesiæ; prophetæ enim disposuerunt, nam apostoli fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum, *super petram ædificabo Ecclesiam meam*, hoc est, in catholicæ fidei confessione statuo fideles ad vitam. Nam et David disposuit domum Dei, et significavit locum ubi fuerat, Salomon vero fundavit eam.

Ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto, in quo et vos Ephesii ædificamini in templum ex vivis lapidibus Deo summo. Quod si universa ædificatio, sive ex Judæis sive ex gentibus constructa et compaginata per angularem lapidem qui duos parietes conjungit, crescit in unum templum unius Dei, nonne nobis omni labore studendum est, ut fiamus illi lapides, de quibus scriptum est, *lapides sancti volvuntur super terram*, cum fuerimus vivi lapides ex omni parte dolati, leves, politi, nullam scabridinem habentes ædificemur in templum, faciamus in nobismetipsis habitaculum Deo, ut dignetur in Spiritu sancto habitare in nobis; duos enim populos in se suscepit Salvator, et fecit unum in Domino, sicut et lapis angularis duos parietes continet in unitate domus firmatos; fideles enim superficies sunt templi Dei in spiritu conversantes ut possint hæredes fieri cœlestis habitationis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore facta est et contentio inter discipulos quis eorum videretur esse major, etc.

Require in Passione Domini, quæ legitur in quarta feria.

HOMILIA CLVII.

IN PASSIONE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Lectio libri Sapientiæ.

Expectatio justorum, lætitia, spes autem impiorum peribit, etc.

Require in Natale plurimorum martyrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

In illo tempore, misit Herodes et tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem, uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, etc.

Vetus narrat historia Philippum Herodis majoris filium sub quo Dominus fugit in Ægyptum, fratrem hujus Herodis, sub quo passus est Christus, duxisse uxorem Herodiadem filiam Regis Aretæ, postea vero socerum ejus, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam et in dolorem mariti prioris inimici ejus nuptiis copulasse. Quis sit autem hic Philippus evangelista Lucas plenius docet dicens, *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Itureæ et Trachonitidis regionis.* Ergo Joannes Baptista qui venit in spiritu et virtute Heliæ eadem auctoritate, qua ille Achab corripuerat et Hiezabel, arguit Herodem et Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, et non liceat fratre vivente, germanum illius uxorem ducere, malens periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Dei.

Et cum dies opportunus accessisset, Herodes natalis suæ cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis

Galilææ. Soli mortalium Herodes et Pharao leguntur A diem natalis sui gaudiis festivis celebrasse, sed uterque rex infausto auspicio festivitatem suam sanguine fœdavit; verum Herodes tanto majore impietate quanto sanctum et innocentem Doctorem veritatis et præconem vitæ ac regni cœlestis occidit, et hoc pro voto ac petitione saltatricis, neque enim caput occisi ante convivas inferre puduit; nam Pharao nil talis vesaniæ commisisse legitur, sed tantum peccantem sibi eunuchum vita privari jubens, quo longius a veræ cultu religionis aberat, eo levius in violatione suæ festivitatis deliquit. Attamen ex utriusque exemplo probatur, utilius esse nobis diem mortis futuræ timendo et caste agendo sæpius in memoriam revocare, quam diem nativitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur in mundo, B et electi ad requiem per mortem transeunt e mundo.

Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis, et dabo tibi, et juravit illi, etc. Non excusatur Herodes quod invitus et nolens propter juramentum homicidium fecerit, quia ad hoc forte juravit, ut futuræ occisioni machinas præparet. Alioquin si ob jusjurandum fecisse se dicit, si patris, si matris postulasset interitum facturus fuerat an non? quod in se repudiaturus fuit, contemnere debuit et in Propheta.

Quæ cum exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ. Herodias timens ne Herodes aliquando resipisceret, vel Philippo fratri amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudio C solverentur, monet filiam, ut in ipso statim convivio caput Joannis postulet, dignum opus saltationis, dignum sanguinis præmium.

Et contristatus est rex: propter jusjurandum et propter simul recumbentes noluit eam contristare, sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco, etc. Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater Jesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant; dissimulator enim mentis suæ, et artifex homicida, tristitiam præferebat in facie, cum lætitiam haberet in mente, scelusque excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. Quod autem subjicit: D *Et propter simul recumbentes*, vult omnes sceleris ejus esse consortes, ut in luxurioso impuroque convivio cruentæ epulæ deferrentur.

Et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. Quo audito discipuli ejus venerunt et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento. Hoc juxta litteram factum sit, nos autem usque hodie cernimus in capite Joannis prophetæ, Judæos Christum qui caput Prophetarum est perdidisse; aliter: Decollatio Joannis minorationem famæ illius qua Christus a populo credebatur insinuat, sicut exaltatio in cruce Domini salvatoris profectum designabat fidei, qua ipse qui prius a turbis Propheta esse putabatur Dominus Prophetarum et Christus Dei filius a cunctis fidelibus est agnitus. Minutus ergo capite Joannes, exaltatus est in cruce Dominus, quia sicut idem Joannes ait, *illum oportebat crescere, Joannem autem minui*; illum autem qui Propheta æstimabatur, Christum cognosci, et eum qui Christus pro virtutum sublimitate putabatur, Christi esse prophetam, et præcursorem decebat intelligi, quod ipsum quoque distinctione temporis quo uterque illorum natus est, satis aperte signatum est: qui Joannes quidem quem oportebat minui, cum diurnum lumen decrescere incipit natus est, Dominus autem qui vera lux mundi est, eo anni tempore, quo dies crescere incipit, luciflua nobis suæ dona nativitatis exhibuit; qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLVIII.

HEBDOMADA XIV POST PENTECOSTEN.

Lectio Epistolæ ad Galatas.

Fratres, Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus, etc.

De lege per Moysen data populo Israel, et de promissionibus Abrahæ sanctissimi patriarchæ, tractans Apostolus, ut in præsenti lectione audivit dilectio vestra, *Abrahæ dictæ sunt*, inquit, *promissiones* redemptionis et salvationis humani generis *et semini ejus*, ut dicitur ei: *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ*, ut maledictionis pars prima deleretur, et benedictio daretur pro maledictione omnibus qui Dei credere et obedire voluerint præceptis. *Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus*, quia per nullius hominis merita nec promissio, nec ipsa data est benedictio, et facta redemptio in sola gratuita Christi Filii Dei misericordia.

Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quia post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. Hic docet Apostolus non posse per Legem, quæ postea data est, repromissiones quæ ante factæ sunt ad Abraham destrui, et posteriora prioribus præjudicare, cum repromissiones prædictæ Abraham ante quadringentos et triginta annos Legis datæ fuerint, quod benedicerentur in semine ejus, hoc est in Christo, universæ nationes, et ab omni maledictionis vinculo liberarentur.

Nam si ex lege hæreditas. Ac si dicatur: Si per legis observationem nobis redderetur æternæ patriæ hæreditas, quæ per Adam perdita est, *jam non ex promissione*. Non enim ad evacuandam promissionem vel destruendam data est Lex, ut in consequentibus dicitur:

Quid ergo Lex? Propter transgressiones omnino posita est. Propter offensiones enim multas, quas fecit Dei populus, lex transgressiones prohibendi data est, *donec veniret semen*, id est Christus, *cui*

repromiserat mundi liberationem. Lex *ordinata per angelos* mansit peccata prohibens, ut qui per arbitrii libertatem noluerunt innocentes exspectare promissum, legalibus vinculis præpediti et in servitutem mandatorum redacti, custodirentur usque in adventum futuræ in Christo fidei, quæ impletionem promissio afferret. Quod autem ait, *ordinata per angelos*, hoc vult intelligi quod in omni Veteri Testamento, ubi angelus primo visus refertur, postea quasi Deus loquens inducitur, Mediator in illo, id est, Deus ipse judex et rector loquebatur. Qui dixit: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, mediator Dei et hominum.* Inter dantem et accipientem Legem medius dicitur. Sic Lex ipsa quæ post promissionem data inter repromissionem et completionem ejus media subrepsit, in custodiam repromissionis ejusdem, non in subversionem est data:

Mediator autem unius non est partis, sed inter Deum et hominem est medius: id est, qui suum humano generi in hunc mundum promisit adventum ut cum pacificaret Deo homines et reconciliaret.

Deus autem unus est. Hoc ideo addit, ne quis putaret Christum ab unitate divinæ naturæ posse dividi, quia mediatoris suscepisset officium. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus, nequaquam alter in humanitate, alter in deitate est, sed in utraque idem unus est: nec purus homo conceptus, nec purus homo natus est, sed Deus Verbum Dei assumpsit carnem pro salute humana, in qua qui impassibilis erat Deus, homo passibilis appareret; in qua immortalis Deus non posse mori, et homo mortalis mori posse ostenderetur, qui peccatum non admisit, sed pœnam pro nobis suscepit, ut per indebitam mortem ablueret culpam nostram. Agamus ergo gratias, dilectissimi, Deo Patri per Filium ejus in Spiritu sancto, quia propter multam charitatem qua dilexit nos, misertus est nostri; et cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Christo, ut essemus in ipso nova creatura novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis, et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione recedere. Memento capitis tui, et cujus sis corporis membrum reminiscere, qui erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum, per baptismatis sacramentum Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis actibus effugare, et diaboli iterum subire servitium, quia pretium redemptionis tuæ sanguis est Christi. Ipse in veritate judicabit, qui misericordia te redemit, Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Deo Patre et Spiritu sancto in unitate Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLIX.

ITEM UT SUPRA.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, etc.

Non oculi scribarum et Pharisæorum, qui corpus Domini tantum videre, sed illi beati sunt oculi qui ejus possunt cognoscere sacramenta. De quibus dicitur: *Et revelasti ea parvulis. Beati oculi* parvulorum, quibus et se et Patrem Filius revelare dignatur.

Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt. Abraham exsultavit ut videret diem Christi, et vidit, et gavisus est. Isaias quoque, Michæas et multi alii prophetæ viderunt gloriam Domini, qui et propterea *videntes* sunt appellati. Sed hi omnes, a longe aspicientes et salutantes, per speculum et in ænigmate viderunt; apostoli autem impræsentiarum habentes Dominum convescentesque ei, et quæque voluissent interrogando discentes, nequaquam per angelos aut varias visionum species opus habebant doceri. Quos vero Lucas multos prophetas et reges dicit, Matthæus apertius prophetas et justos appellat: ipsi sunt enim reges magni qui tentationum suarum motibus non consentiendo succubuere, sed regendo promoverunt:

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans eum dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Legisperitus, qui de vita æterna Dominum tentans interrogat, occasionem, ut reor, tentandi de ipsis Domini sermonibus sumpsit, ubi ait: *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Sed ipsa sua tentatione declarat quam vera sit illa Domini confessio, qua Patri loquitur: *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.*

At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est, quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. Dum legisperito respondet, perfectum nobis Salvator iter vitæ cœlestis ostendit, cui primo de dilectione Dei, proximi, Legis scripta proponenti dicit: *Recte respondisti; hoc fac et vives.* Deinde post inductam parabolam respondenti illum fuisse proximum vulnerato qui fecit misericordiam in illum, adjecit: *Vade et tu fac similiter*; id est, tali misericordiæ studio proximum tuum necesse habentem diligere et sustentare memento, apertissime declarans solam esse dilectionem et ipsam non verbotenus ostentatam sed operis exsecutione probatam, quæ perpetuam ducat ad vitam.

Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est proximus meus? Quanta inanis gloriæ dementia, legisperitus, ob vulgi favorem captandum, quo sapienter respondisse jactaretur, primum

se Legis fatetur ignorare mandatum : vere, juxta Salvatoris sententiam, sapiens et prudens in lege, sed quia non humiliari cum parvulis Christi, sed seipsum justificare desiderat, beatos oculos columbarum, innocentiæ lacte lotarum, quibus Christi arcana videre posset, accipere recusat. Cui profecto Dominus ita responsum temperavit suum, ut et omnem qui misericordiam faceret, cuilibet proximum doceret; et tamen hæc eadem parabola specialiter ipsum Dei Filium, qui nobis per humanitatem proximus fieri dignatus est, designaret. Neque enim ita proximum, quem sicut nos diligere jubemur, super Christo interpretari debemus, ut moralia mutuæ fraternitatis instituta sub allegoriæ regulis extenuare et auferre conemur.

Suspiciens autem Jesus dixit : Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho. Homo iste Adam intelligitur in genere humano : Hierusalem civitas pacis illa cœlestis, a cujus beatitudine lapsus in hanc mortalem miseramque vitam devenit; quam bene Jericho, quæ *luna* interpretatur, significat, variis videlicet defectuum laboribus erroribusque semper incertam.

Et incidit in latrones. Latrones diabolum et angelos ejus intellige, in quos qui descendebat incidit; nam nisi prius intus intumesceret, foris tentatus tam facile non recederet. Vera est enim satis sententia quæ dicit : *Ante ruinam exaltabitur cor.*

Qui etiam dispoliaverunt eum. Gloria videlicet immortalitatis et innocentiæ veste privarunt. Hæc est enim prima stola qua, juxta aliam parabolam, luxuriosus filius per pœnitentiam annulis ornatur, et qua protoplasti amissa cognoverunt esse se nudos, tunicasque pelliceas naturæ mortalis induti sunt.

Et plagis impositis abierunt semivivo relicto. Plagæ peccata sunt, quibus naturæ humanæ integritatem violando, seminarium quoddam, ut ita dicam, augendæ mortis fessis indidere visceribus. Abierunt autem, non ab insidiis aliquatenus cessando, sed earumdem insidiarum fraudes occultando. Semivivum reliquerunt, quia beatitudinem vitæ immortalis exuere, sed non sensum rationis abolere valuerunt. Ex qua enim parte sapere et cognoscere Deum potest, vivus est homo; ex qua vero peccatis contabescit et miseria deficit, mortuus idem lethiferoque est vulnere fœdatus.

Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo præteriit. Similiter et Levita cum esset secus locum, et videret eum pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est. Samaritanus, qui interpretatur *custos*, Dominum significat (cui rectissime Propheta, ne hos latrones possit incurrere, supplicat : *Custodi me*, inquiens, *a laqueo quem statuerunt mihi et a scandalis operantium iniquitatem*); *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendens de cœlo* vitæ præsentis iter arripuit, et venit secus eum qui vulneribus tabescebat inflictis, id est, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, compassionis nostræ susceptione finitimus et misericordiæ factus est collatione vicinus.

Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Peccata quæ in hominibus invenit, redarguendo cohibuit, spem veniæ pœnitentibus, terrorem pœnæ peccantibus incutiens : alligat enim vulnera dum præcipit : *Pœnitentiam agite*; infundit oleum, dum addit : *Appropinquabit enim regnum cœlorum*; infundit vinum dum dicit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur.*

Et imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum, et curam ejus egit. Jumentum ejus est caro, in qua ad nos venire dignatus est, in quo saucium imposuit, quia peccata nostra portavit in corpore suo super lignum; et juxta aliam parabolam, inventam quæ erraverat ovem humeris suis impositam reportavit ad gregem. Itaque imponi jumento est in ipsam incarnationem Christi credere ejusque mysteriis initiari, simul et ab hostis incursione tutari. Stabulum autem est Ecclesia præsens, ubi reficiuntur viatores de peregrinatione hac, in æternam patriam redeuntes, et bene jumento impositum duxit in stabulum, quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus, Ecclesiam intrabit.

Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario et ait : Curam illius habe. Altera dies est post Domini resurrectionem, nam et ante quidem per Evangelii sui gratiam illuminaverat *hos qui in tenebris et in umbra mortis* sedebant, sed potior resurrectione celebrata perpetuæ lucis splendor effulsit. Duo denarii sunt duo Testamenta, in quibus æterni regis nomen et imago continetur. Finis enim legis est Christus, qui altera die prolati dantur stabulario, quia tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Altera die stabularius denarios, quorum pretio vulneratum curaret, accepit, quia Spiritus sanctus adveniens docuit apostolos omnem veritatem, quo gentibus erudiendis instare atque Evangelium prædicare sufficerent.

Et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Supererogat stabularius quod in duobus denariis non accepit, cum dicit Apostolus : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Itemque et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere, *sed non usi sumus hac potestate, ne quem vestrum gravaremus.* Cui rediens quod promiserat debitor reddet, quia veniens in judicio Dominus dicit : *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in regnum domini tui.*

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Juxta litteram manifesta est Domini sententia, nullum nobis amplius quam qui miseretur esse proximum, sicut Hierosolymitæ civi, non sacerdos, non Levita ex eadem gente, imo in

eadem urbe nati et nutriti, sed externæ gentis accola, quia magis misertus est, factus est proximus. Sacratiore autem intellectu, quoniam nemo magis est proximus quam qui vulnera nostra curavit, diligamus eum quasi Dominum Deum nostrum, diligamus quasi proximum : nihil enim tam proximum quam caput membris. Diligamus etiam eum qui imitator est Christi; hoc est enim quod sequitur :

Et ait illi Jesus : Vade et tu fac similiter. Id est, ut vere te proximum sicut te ipsum diligere manifestes, quidquid vales in ejus vel corporali vel spiritali necessitate sublevanda devotus operare, sicque ad regni cœlestis præmia poteris pervenire.

HOMILIA CLX.

FERIA IV.

Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Hebræos.

Fratres, habentes fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei.

Hic ostendit distantiam pontificis et hostiarum, et tabernaculi, et Testamenti, et repromissionis, et multam differentiam : siquidem illa quidem temporalia, hæc autem æterna; illa quidem infirma, hæc autem perfecta; illa quidem formæ, hæc autem veritas. Non enim juxta legem mandati, inquit, carnalis, sed juxta virtutem vitæ insolubilis, et *tu es sacerdos in perpetuum*. Ecce perpetuitas sacerdotis et Testamento illo dixit quod vetustum est; quod autem veterascit et senescit proximum est interitui. Hoc autem Testamentum Novum et remissionem peccatorum habet, illud autem nihil hujusmodi; illud quidem manu factum, hoc autem non manu factum; illud quidem sanguinem hircorum habebat, hoc autem Domini; illud quidem stantem sacerdotem, hoc autem sedentem. Quoniam igitur cuncta illa minora sunt, hæc autem majora, propterea, inquit, *habentes, fratres, fiduciam*. Unde? Sicut enim confusionem faciunt peccata, sic fiduciam omnium remissio peccatorum, et quod cohæredes effecti sumus, et quod tanta dilectione fruimur. *In introitu*, inquit, *sanctorum*. Introitum hic cœlum dicit et accessum ad spiritalia. Quam dedicavit, hoc est, quam construxit, quam præparavit et quam initiavit. Dedicatio quippe dicitur initium utendi. Quam præparavit, inquit, et per quam ipse perrexit viam novam, hinc satisfactionem spei declarat novam dicens, conatur enim ostendere cuncta majora nos habere. Siquidem nunc apertæ sunt portæ cœli, quod neque ad Abraham contigit. Viam novam dixit vitæ, sed viam illam vocavit, hoc est præcepta; ipse autem dedicavit novam, dedicavit autem illam hac ratione quoniam ipse in ea perrexit. Velamentum autem vocavit : cum enim elevatus est in excelsum, tunc apparuerunt cœlestia.

Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda. In quo accedamus, scilicet fide, spiri-
A tali cultura, veraci corde, sine simulatione, in satisfactione fidei, quia nihil est visibile horum, neque sacerdos jam, neque sacrificium, neque altare. Propterea, inquit, *in plenitudine fidei* sic oportet credere, quomodo certi sumus de visibili etenim et adhuc amplius. Hinc enim aliquando carnis sensus erant in his quæ videntur, illic autem nequaquam, quia spiritu spiritalia percipimus, et non licet hæsitare de iis; ideo ait : *Aspersi corde a conscientia mala*, ostendens quia non fides sola, sed etiam vita cum virtute quæritur, quia fides sine operibus otiosa est. Illi autem corpora mundabant, nos conscientiam. *Et abluti aqua munda.* Lavacrum baptismatis in hoc loco dicit : baptismum enim corporis mundatio non est, sed animæ, si fides adest baptizato,
B sive parentum, sive suimet ipsius, si ad rationabilem ætatem perveniret.

Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem : fidelis est enim qui repromisit. Nihil enim scruteris, nil rationis exspectes : fide opus habent hæc omnia, quia *sine fide impossibile est placere Deo*. Sicut Deus fidelis est in promissis suis, ita fideles vult nos esse in promissis nostris, quæ vovimus, diabolo contradicere et Christo dicere.

Et consideremus invicem in provocatione charitatis et bonorum operum, non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam. Quid est intelligamus *invicem?* si quis fuerit virtute præditus, hunc imitemur, et intendamus in eum, ut diligamus et diligamur; ex dilectione quippe bona opera fiunt.
C Magnum quippe bonum est congregatio : ipsa namque charitatem operatur ferventiorem et ex ea cuncta bona opera generantur. Nihil namque bonum, quod non per charitatem fit; istam igitur confirmemus invicem, quia plenitudo Legis charitas est. Non enim laboris opus habemus aut sudoris; si dilexerimus invicem, spontanea nobis vita prosternitur ducens ad virtutem et ad cœlestia. Sicut enim in itinere contingit, si quis initium comprehendit rectam viam, ducitur ubi oportet, sic etiam in charitate tantum arripe principium, et statim manum tibi præbens, ipsa te ducit et dirigit. *Sicut*, inquit, *est consuetudinis quibusdam.* In hoc loco non solum admonuit, sed etiam culpavit et terruit unitatem charitatis scindentes.

D *Sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.* Quem diem designat, nisi diem judicii, in quo singulorum merita examinantur? Vel etiam extremum diem vitæ nostræ; dicit enim alio loco : *Dominus prope est, nihil solliciti estis*, id est, de terrenis ; et item :

Nunc propius est nobis salus nostra quam cum credidimus, tempus quippe abbreviatum est; voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis. Sponte namque peccantibus nobis, postquam accepimus veritatis agnitionem, ultra non relinquitur hostia pro peccatis, sicut in veteri Lege donatum fuit hostias offerre sæpius pro peccato. Neque enim Christus ipse

iterum immolandus est pro peccatis nostris, hoc enim semel factum est, et secundo non est opus; sed magis opus est post acceptam gratiam permanere in fide et charitate bonorum operum. Arbores quæ institutæ sunt et cæteram habuerunt diligentiam agricolarum, adhibitam manibus atque laboribus, si nullam referant laboris vicissitudinem, radicitus evulsæ, igni tradentur; tale quiddam et in causa contingit baptismatis; cum enim Christus nos instituerit et irrogatione spiritali potiti fuerimus, si deinde nullum fructum afferamus, ignis nos exspectabit gehennæ et flamma inexstinguibilis. Paulus igitur hortatur ad charitatem et fructificationem bonorum operum, ex utilibus invitans. Quæ sunt autem hæc utilia, quoniam introitum habemus ad sancta, dedicavit nobis viam novam; postquam ex utilibus mutavit ad opera bona, vult etiam nunc ex metuendis et tristibus idipsum item facere; postquam enim dixit : *Non derelinquamus congregationem nostram, quemadmodum quibusdam usus est; sed exhortantes tanto amplius quanto videtis appropinquantem diem*, intulit dicens : Sponte namque peccantibus nobis postquam accepimus agnitionem veritatis, [opus est, inquit, bonis operibus; opus est enim et valde opus : sponte namque peccantibus nobis postquam accepimus veritatis agnitionem] ultra non relinquitur hostia pro peccatis. Mundatus es, liber es a criminibus, factus es filius Dei; si ad primum vomitum reversus fueris, aliud te exspectat judicium, nisi per pœnitentiam renovatus fueris. Ideo subsequenter ait :

Terribilis autem quædam exspectatio judicii ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. In hoc non pœnitentiam exclusit, neque propitiationem quæ fit per pœnitentiam; neque repellit per desperationem delinquentem : non enim ita est inimicus salutis nostræ ut secundi baptismatis lavacrum, hoc est pœnitentiæ, excludat. Non enim dixit, Non est ultra pœnitentia; neque dixit, Ultra non est remissio; sed *Hostia*, inquit, *ultra non est*, hoc est crux secunda ultra non est : una namque perfecit in perpetuum eos qui sanctificantur, non sicut Judæi; cautos nos volens efficere, ne ultra vel Christi crucem vel hostias Judaicas exspectemus pro peccatis, et quicunque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, ignis æmulatio devorabit eum. Quapropter unusquisque ad pœnitentiæ, dum tempus habet, medicamentum confugiat, ne igni tradatur æterno, quia juxta sacræ Scripturæ sententiam, *Qui bona egerunt, ibunt ad vitam æternam: qui vero mala egerunt, in supplicium æternum.*

HOMILIA CLXI.

ITEM FERIA IV.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore exeuntes Pharisæi consilium faciebant adversum Jesum, quomodo eum perderent, etc.

Exeuntes eos dicit, non adeuntes, vel appropinquantes, quia eorum mens prava semper a Domino aversa fuit, nec pertinebant ad eorum sortem qui-

A bus Scriptura dicit : *Accedite ad eum, et illuminamini*, et cætera. Exeuntes videlicet cum magistro suo diabolo, de quo scriptum est : *Exivit Satan a facie Domini. Consilium fecerunt quomodo vitam perderent.* Non quomodo vitam ipsi invenirent. Quod autem Domino iniqui moliuntur insidias, livor in causa est : quid enim fecerat ut Pharisæos ad interfectionem sui provocaret? Nempe quod homo extenderat manum. Quis enim Pharisæorum in die Sabbati non extenderat manum, portans cibos, calicem porrigens, et cætera quæ victui necessaria sunt? Si ergo manum extendere et alimenta sublevare vel potum in sabbato non est criminis, cur hoc mali arguant quod ipsi coguntur facere, præsertim cum iste cæmentarius nihil tale portaverit, sed ad præceptum B Domini salvam extenderet manum, neque enim ille qui dixit : *Et facta sunt omnia*, Sabbato laborare poterat convinci.

Jesus autem sciens, secessit inde. Sciens insidias eorum, quod vellent perdere Salvatorem suum, recessit inde, ut Pharisæis contra se impietatis occasionem auferret. Secessit quasi homo, fugiens persequentium insidias, quia neque adhuc venerat hora passionis ejus, neque extra Jerusalem fuit locus passionis. Secessit fugiens sese odio persequentes, sed ibi accessit ubi plures invenit sese per amorem sequentes. Nam subditur :

Et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. Ecce Pharisæi, magistri videlicet plebis, unanimi Dominum consilio perdere quærunt; at turba indo- C cta et vulgus undecunque collectum unanimi illum dilectione sequuntur. Illi videntes opera virtutum ejus, et verba doctrinæ audientes, nihil amplius discere quam ut eum persequerentur, volebant; isti, opinione tantum ducti virtutum ejus, congesto agmine permaximo veniunt ad audiendum eum, opemque salutis flagitandam.

Et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Præcepit enim hoc, non propter timorem mortis, ne forte proditus jam occideretur, cui erat in potestate anima sua, sed parcendo Judæis, ne ipsi invidia trucidarentur innocentem persequendo. De quibus alibi legitur, *vere stultos interficit iracundia, et parvulos occidit invidia.* Nos autem, tropologice, in- D struit, ut cum aliquid magni fecerimus, laudem forinsecus non quæramus.

Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem : Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animæ meæ. Quod enim propheta de illo futurum prædixit, necesse erat in ipso impleri, ut innocentia et mansuetudo ejus verum comprobaret prophetarum oraculum. Puer ergo Domini est Jesus, quia formam servi accepit et habitu inventus est ut homo; sed tamen electus, *quia ipse*, sicut Scriptura dicit, *electus est ex millibus*, verus scilicet David, vir secundum cor Domini inventus, qui fecit omnes voluntates ejus. Electus est enim in opus quod nemo alius fecit, ut redimeret genus humanum et pacificaret mundum cum

Deo. Quando enim ipse eligitur, homo est; quando eligit, Deus est : in duabus quidem naturis una persona est Christus. In ipso autem bene complacuit sibi anima Dei, quia ipse solus est Agnus sine peccati macula, de quo et paterna vox dicit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Ponam spiritum meum super eum et judicium gentibus nuntiabit. Ex persona Patris hoc per prophetam dicitur; spiritus quippe ponitur non super Dei Verbum, et super Unigenitum qui de sinu Patris processit, sed super eum de quo dictum est : *Ecce puer meus;* et item : *Requiescet*, inquit, *super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Judicium ergo Dei Dominus Jesus gentibus nuntiavit, quia futurum judicium suum, quod illæ minime crediderunt, per Evangelium suum et per prædicatores Novi Testamenti patefecit, docuitque eas modo agere judicia justa et devitare judicia injusta. Sequitur :

Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Non contendit ergo Christus neque clamavit, neque audita est in plateis vox ejus, *quia cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur :* tradebat autem judicanti se injuste, corpus suum dedit percutientibus, et genas suas vellentibus, *sicut ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum.* Allegorice autem, non audivit quisquam in plateis vocem Christi, quia *lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi qui ingrediuntur per eam;* qui multi non audiunt vocem Salvatoris, quia non sunt in arcta via, sed in spatiosa.

Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet. Arundinem quassatam Judæos dicit, propter quod unus populus erat, et ab invicem discrepabant. *Linum fumigans non exstinguet.* Populum videlicet de gentibus congregatum, qui, exstincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi et qui noxius oculis est tenebrosæque caliginis involvebatur erroribus, quem non solum non exstinxit et redegit in cinerem, sed e contrario de parva scintilla et pene moriente maxima suscitavit incendia, ita ut totus orbis arderet igne Domini Salvatoris, quem venit mittere super terram. Sive aliter, qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris sui, iste quassatum calamum confringit; et qui modicam scintillam contemnit in parvulis, hic linum exstinguit fumigans : quod Christus utrumque non fecit; ad hoc enim venerat ut salvum faceret quod perierat, et ovem erroneam ad gregem in suis sacris humeris reportaret; unde sequitur :

Donec ejiciat ad victoriam judicium. Iste autem qui arundinem quassatam non contrivit et linum fulminans non exstinxit, judicium quoque perduxit ad victoriam, cujus judicia vera sunt justificata in semetipsis, tandiu lumen prædicationis ejus in mundo resplendet, nullusque conteretur nec superabitur insidiis, donec ponat in terra judicium, et impletur illud quod scriptum est : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.*

Et in nomine ejus gentes sperabunt. Merito ergo *in nomine ejus gentes sperabunt*, quia ipse est semen de quo promissum est Abrahæ quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes terræ : de quo et prædictus Isaias ait . *Radix Jesse qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt, ipsumque deprecabuntur.*

In nomine quippe *ejus omnes gentes sperabunt*, quia, ut Petrus ait, *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, per quod possint salvari :* sed *in nomine Jesu*, juxta Pauli vocem, *omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris :* qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA CLXII.

FERIA VI.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore, dum iret Jesus per civitates et castella, docens et iter faciens Jerusalem, ait illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos : Contendite intrare per angustam portam, etc.

Per angustam portam aula salutis intratur, quia necesse est ut per labores et jejunia fallentis sæculi illecebra vincatur; et bene dixit : *Contendite intrare*, quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.

Quia multi, dico vobis, *quærunt intrare et non poterunt.* Quærunt intrare salutis amore provocati, et non poterunt, itineris asperitate deterriti : quærunt hoc ambitione præmiorum, a quo mox laborum timore refugiunt; non quia jugum Domini asperum aut onus est grave, sed quia nolunt discere ab eo, *quoniam mitis est et humilis corde* ut inveniant requiem animabus suis; eoque fit angusta porta qua intratur ad vitam.

Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, tunc *incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis.* Paterfamilias, Dominus videlicet Christus, qui ubique totus est ex divinitate, intus quidem est eis quos in cœlesti patria præsens sua visione lætificat, sed quasi foris est adhuc eis quos in hac peregrinatione certantes occultus consolator adjuvat, juxta quod ipse promisit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Intrabit autem et claudet ostium, quando totum corpus suum, quod est Ecclesia, resurrectionis gloria glorificatum ad suæ contemplationis gaudium perducens, reprobis locum pœnitentiæ tollet, quem nunc pie pulsantibus aperit : nam foris stantes ostium pulsare, est a beatorum sorte secretos misericordiam, quam neglexerant, a Deo frustra flagitari.

Et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis. Quomodo nescit unde sint, cum psalmus dicat : *Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt;* et alibi scriptum sit : *Ipse novit decipientem et eum qui decipitur;* nisi quia scire Dei aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare? Quoniam novit Deus viam justorum, qui autem ignorat, ignorabitur, et scit ergo reprobos, quos cognoscendo, judicat, neque enim judicasset quos minime cognosceret; tamen quodammodo nescit eos unde sint, apud quos fidei et dilectionis suæ characterem non approbat.

Tunc incipietis dicere, Manducavimus et bibimus coram te et in plateis nostris docuisti. Vel simpliciter intelligendum quod fidei mysteria spernentes Judæi, eo se Domino notos arbitrentur, si solum victimas ad templum deferant, et coram Domino epulentur, prophetarum lectioni auscultent, nescientes illud Apostoli : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto;* et alibi : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusionem ipsorum,* id est, in circumcisione carnali. Vel mystice sentiendum manducare eos et bibere coram Domino, qui verbi pabulum digna aviditate suscipiunt; unde ipsi qui hæc dicunt, velut exponendo subjungunt, *et in plateis nostris docuisti :* Scriptura enim sacra aliquando cibus nobis est, aliquando potus. In locis obscurioribus cibus est, quia quasi exponendo frangitur, et mandendo glutitur. Potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Et occulta ergo mandata sacri eloquii et aperta se intellexisse testantur, qui reprobanti se judici quia manducaverint coram illo et biberint conqueruntur. Sed timendum est valde quod additur :

Et dicet vobis, Nescio vos unde sitis : discedite a me, omnes operarii iniquitatis. Non, inquit, legalium festivitatum epulatio juvat, quem fidei pietas non commendat; non Scripturarum scientia Deo notum facit, quem operum iniquitas obtutibus ejus ostendit indignum.

Ibi erit fletus et stridor dentium. Fletus de ardore, *stridor dentium* solet excitari de frigore : ubi duplex ostenditur gehenna, id est, nimii frigoris et intolerabilis esse fervoris; cui beati Job sententia consentit dicentis : *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium.* Vel certe stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque pœniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, quod tam pervicaci improbitate deliquerit.

Et ecce sunt novissimi qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi. Principalis quidem hujus sententiæ sensus ex superioribus patet; quia populi gentium diu sine fide viventes essent ad fidem vocandi, et Judæi, caput fidei et justitiæ per tot sæcula tenentes, futuri essent in caudam. Potest autem et ita intelligi : quia nonnulli, ad sæculum despecti, magnam in futuro sint gloriam habituri; et alii apud homines gloriosi, a districto sint judice dam-

A nandi. Potest et ita, quia multi sero ad Dei servitium venientes magnis vitæ meritis excellant; alii vero, a prima ætate spiritali studio ferventes, ad extremum otio torpente latescant. Tamen hoc sciendum est quod Salvator noster, qui est judex vivorum et mortuorum, unicuique in die judicii propriam mercedem restituet, et ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

HOMILIA CLXIII.

Initium sancti Evangelii secundum Matthæum.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, etc.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Ordo præposterus, sed necessario commutatus : si enim prius posuisset Abraham et postea B David, rursus ei repetendus esset Abraham, ut generationis series texeretur. Ideo autem, prætermissis aliis, horum filium dixit : quia ad hos tantum facta est repromissio de Christo. Ad Abraham enim dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* ad David : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Vel ideo prior positus est David, quia propior fuit Christo.

Abraham genuit Isaac. Recte a capite fidei et ipso initio promissionis Christi genealogia usque ad ipsum Christum dirigitur : hamus utique in fide regis [*Forte*, in retis capite], et in fine genealogiæ positus, quo aduncatus est Leviathan maxillaque ejus perforata, pœnitentiæ ejus janua aperta est. *Genuit*, non fuit, neque generavit. Divinitatem Christi ostendit C dicens Divinitas : *Ego hodie genui te;* item : *Ante Luciferum genui te.* Matthæus, *genuit*, quia filios naturæ, dicit; Lucas, *fuit*, quia filios legis.

Jacob autem genuit Judam et fratres ejus. Ismael primogenitus Abrahæ, et Esau primogenitus Isaac quasi alieni a populo Dei prætermissi sunt, fratres Judæ commemorantur : qui patriarchæ duodecim tribuum, quia erant de populo Dei, non sunt etiam de genealogia Christi alieni.

Judas genuit Phares et Zaram. Isti non sunt primogeniti Judæ; sed qui simul nati sunt, recte simul commemorantur : et istorum uterque nulla culpa ratus est ut excluderetur de genealogia.

De Thamar. Prætermissis legitimis conjugibus, quatuor extraneæ mulieres sumuntur in genealogia D Christi : Thamar enim, sub habitu meretricis in bivio sedens; Raab meretrix, Salmoim principi tribus Judæ de Jericho se jungens; Ruth, mortuo viro suo de Moabitida regione veniens, jungens se Booz; Bersabee, de regis David adulterio concipiens. Hoc factum est ut secundum litteram Domini clementiam admiraremur maximam, quia propter hominis peccatum delendum, non solum de hominibus, sed etiam de peccatoribus et meretricibus nasci dignatus est. Secundum vero sensum [spiritualem], in istis tribus mulieribus Ecclesia ventura ad Dominum de gentilitatis errore significatur: quæ prius aliena et sterilis, postea vero conjuncta est Domino matrona, quæ plures adoptivos filios Deo parit quam Synagoga, quæ

prius, dum proprium habuit virum, generavit. *David regem* dixit, non quasi solus rex de Judæa, sed quia primus regum usque ad transmigrationem Babylonis, velut alii distinguunt a David militiæ.

Ex ea quæ fuit Uriæ. Sola Bersabee non nominatur, pro scelere conjugii sine pœnitentia. Nam aliæ tres non solum non debent culpari, sed et laudem meruerunt. Urias vero nominatur, qui justus occisus est. David vero, etiamsi adulter et homicida, hic nominatur, in exemplum veræ pœnitentiæ ejus, et de suo adulterio talis filius nascitur, ex cujus semine Christus generatur. Ab Abraham usque ad David patriarchæ et duces; a David usque ad transmigrationem reges et a transmigratione deducuntur.

Joram genuit Oziam. In historia Regum legimus *Ochoziam*, *Joab*, *Amasiam*, tres reges, quos hic evangelista prætermisit. Ideoque proposuit evangelista tres tesserascedecades diverso statui temporum ponere; et qui volebat numerum quadraginta duo ponere consecratum, rectius erat ut tres mali reges prætermitterentur, quam nullus ex bonis. Et quia Joram miscuerat se generi pessimo Jezabelis, accipiens filiam Achab Athaliam in conjugio, ex qua generavit Ochoziam: ideo usque in tertiam generationem memoria ejus de sanctæ nativitatis ordine tollitur, dicente Domino in lege: *Ego sum Deus zelotes, visitans peccata patrum in filios usque in tertiam generationem eorum, qui oderunt me.* In illos utique peccata patrum visitantur, qui peccatis odio Domini pertinaces fuerunt; et in illis misericordia efficitur, qui in dilectione Domini permanent. Bonus enim homo, a quovis pertransit, dignus est misericordia; malus vero pœna. Joram utique accepit Athaliam, quæ, defuncto Ochozia, filium ejus et nepotes suos, filios Ochoziæ, occidit; et ipsa regnavit septem annis in Judæa. Quibus mortuis, occultatus est Joab, quem Josabet filia regis Joram, soror Ochoziæ, internecioni quæ exercebatur ab Athalia subtraxit in templum. Qui, occisa avia sua, a Joiada sacerdote nutritore suo in regem ordinatur. Qui mortuo Joiada nutritore suo, filium ejus Zachariam sacerdotem occidit inter templum et altare. Amasias vero Dominum sprevit, et idola adoravit. Isti ergo tres, id est: Ochozias, Joab, et Amasias, Joram hæredes impietatis, merito per omnes a genealogia Christi excluduntur.

Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus. Communis impietatis et coæqualis infamiæ, et omnium transmigrationis Jechoniæ simul et fratrum ejus fecit mentionem. Pro Josia enim in bello contra Necheco regem Ægypti occiso, Joachas filius ejus tres menses in Jerusalem regnavit, et transtulit eum rex Æygpti in Ægyptum, et constituit pro eo fratrem ejus Eliachim, qui et Joachim. Qui duodecim annis regnavit: quem malum coram Domino Nabuchodonosor vinctum catenis duxit in Babylonem; et regnavit Joachim, qui et Jechonias, filius ejus, pro eo tres menses. Quem quoque malum coram Domino, mittens Nabuchodonosor duxit in Babylonem, et

A constituit Sedechiam, patruum ejus, regem pro eo super Judæam. Quem malum coram Domino Nabuchodonosor incendens templum, et auferens vasa Domini, duxit in Babylonem. Si voluerimus Jechoniam in fine prius tessarescedecadis ponere, non quatuordecim, sed tredecim sequuntur. Restat ergo ut Jechoniam priorem sciamus ipsum esse Joachim patrem Jechoniæ filium, qui in Danielis scribitur initio; secundum Jechoniam ipsum esse Joachimum, nepotem Josiæ, qui ipse in Ezechielis initio dicitur. Quorum prior per $\varkappa$ et μ, sequens per χ et μ scribitur. Quod ita apud Græcos et Latinos confusum est scriptorum vitio, et longitudine temporum, ut ab errantibus idem in duorum prophetarum commemoratus putetur principiis. Deinde si dixeris Jecho-

B niam ab Josia genitum, sit nepos non filius. [a] Christianis Joachim Jechoniam fuisse vocatum, licet alio loco Evangelii locum legamus, nullus de filiis dicat, sed si invenerit, recitetur usque evangelista: ideo patrem nuncupat Jechoniam, quia *præparatio Domini*, quia ita hunc sicut et alium merito præparavit Dominus ad transmigrationem. Unde in transmigratione filios Josiæ dicit genitos, cum antea nati sint; quia ad hoc nati sunt præscientia Dei, ut transmigrarentur pro suis peccatis. Secundum vero Augustinum Jechonias bis numeratur, in fine prioris, et in capite deflexionis ad gentes extraneas Babyloniæ. Sed cur pater ejus prætermittitur, nisi quia significat Christum a circumcisione ad præputium, sicut ab Jerusalem ad Babylonem, quodammodo migraturum:

C et hinc utrisque in se credentibus sicut lapidem angularem futurum.

Jacob autem genuit Joseph. Ideo per Joseph, cum non sit pater, genealogia Christi deducitur, primo, quia ut mulierum ordo genealogiæ texetur non est consuetudinis Scripturæ; secundo, ut per Joseph origo Mariæ monstraretur, quia de eadem tribu fuerunt, contestante Lege ut nemo accipiat uxorem nisi de tribu sua. Lucas vero dicit: Cui fuit alter secundum naturam pater, alter secundum legem. Scimus enim hoc præceptum per Moysen, Domino jubente, ut si frater vel propinquus sine liberis mortuus fuerit, accipiat alius uxorem ejus ad suscitandum semen fratris sui vel propinqui. Jacob autem et Heli fratres uterini fuerunt, id est, unius matris Estha nomine,

D quæ post Melch, Mathan affinitatis jure juncta est. Cumque Heli major natu uxorem duxisset, sine filiis defunctus est: in cujus nomine suscitatus est Joseph ex Jacob carnaliter generatus. Hac expositione duorum patrum Pamphylus et Eusebius, Hieronymus, Ambrosius et Eucherius usi sunt. Augustinus vero dicit duos patres habuisse Joseph, unum a quo genitus est, alterum a quo adoptatus fuit. Antiqua etenim consuetudo adoptandi filios in populo Dei erat, ut Jacob nepotes suos, filios Joseph, sibi filios adoptavit Ephraim et Manassen, et illud auxit numerum tribuum Israel: et Moysen filia Pharaonis. Et in Christo hoc factum est, ut dicit Maria: *Fili, quid fecisti nobis*

[a] Locus corruptus, sicut et alii bene multi, quemadmodum legenti nimis patet. EDIT.

sic : ego et pater tuus quærebamus te ; itaque Joseph non genuit Jesum, sed adoptavit. Lucas quadraginta tres a Christo usque ad David, Matthæus a David usque ad Christum viginti octo posuit : quia vel post transmigrationem unus bis numeratur; vel Lucas, avum maternum qui dicit, solvit istam quæstionem, causa adoptandi.

Virum Mariæ, id est, sponsum, quia sponsæ vocantur uxores, sicut sponsi viri et mariti dicuntur. Matthæus genealogiam initio libri sui posuit, quo ad Judæos scripsit, ut intelligant illum jam venisse per hos patres quos [quem] prophetæ venturum esse prædixerant ex eisdem. At vero Lucas non ante sed post baptismum posuit genealogiam Domini, ut nullus postquam audivit vocem Domini dicentis : *Hic est Filius meus dilectus*, credidisset quod filius Joseph fuisset. Ab Abraham usque ad Christum, secundum Matthæum, quadraginta duo sunt in genealogia, hoc est a capite fidei usque ad terram viventium, relicto errore gentilitatis, in figura quadraginta duarum mansionum filiorum Israel de Ægypto in terram repromissionis : quibus tres mansiones prætermissæ sunt, ubi Aaron mortuus est, et ubi populus contra Dominum et Moysen de fastidio mannæ murmuraverunt, et ubi a serpentibus vulnerati, in figuram trium regum qui de genealogia tolluntur. Secundum vero Lucam septuaginta septem in genealogia sunt, inter Adam et Christum, propter remissionem peccatorum, ut Dominus ad Petrum : *Non dico tibi septies, sed septuagies septies.* Item interpretatio nominum. Primum nomen, id est, pater Abram interpretatur *pater excelsus*; Abraham *pater multarum* interpretatur, subaudis *gentium*, significat Christum, quia ipse filios multarum gentium habet, ut dicitur : *Si custodierint filii tui legem meam*. Isaac *risus* interpretatur, quia risit Sara et Abraham præ gaudio, significat Christum, ut : *Ecce annuntio vobis gaudium magnum.* Jacob interpretatur *supplantator*, quia ter supplantavit fratrem suum, primo ex utero matris, secundo per lentem, tertio per benedictionem : significat Christum, quia ter supplantavit diabolum : primo, *Non in solo pane vivit homo ;* secundo : *Non tentabis Dominum Deum tuum*; tertio : *Dominum Deum tuum adorabis*; et alibi : *Nemo potest diripere vasa fortis, nisi prius alligaverit fortem.* Judas *confessio* interpretatur. Sic mater ejus ait : *Nunc confitebor Dominum, quia dedit mihi quartum filium ;* significat Christum, ut *Confitebor tibi, Pater cœli et terræ.* Phares interpretatur *divisio* vel divisit, ut dixit obstetrix : *Quare divisisti maceriam;* significat Christum, ut : *Statuet oves a dextris, hædos autem a sinistris;* et dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis. Sara *oriens* vel *coccineus* interpretatur : oriens, quia prius oriri debuit; coccineus, quia filius coccineus alligatus est digito ejus; significat Christum, ut, *Visitavit nos oriens ex alto*; et : *Quare rubrum est indumentum tuum?* Thamar interpretatur *palma*, et *amara fames*, vel *impetus :* palma propter victoriam, quia suscitavit semen mariti sui; amara,

A propter viduitatem; fames, propter desiderium liberorum; impetus, quia impetum fecerunt in eam ut comburerent : Ecclesiam significat. Esron *sagittam vidit* vel *atrium eorum* interpretatur : sagittam, quia eo tempore natus est quando Chananæi inimicitias exercebant contra Israel pro nece Sichem et Emor; atrium, eo quod ipsius tempore habitabat Israel in tabernaculis et tentoriis : significat Christum, ut : *Sagittæ tuæ acutæ ;* et : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.* Aram *electus* sive *excelsus* interpretatur : significat Christum, ut : *Hic est filius meus dilectus ;* et : *Et excelsus super omnes gentes Dominus.* Aminadab *populus meus spontaneus* interpretatur, eo quod tempore nativitatis suæ habitabat populus Israel sponte in terra Ægypti : signi-

B ficat Christum, ut : *Nemo tollet a me animam meam.* Naason *augurians* vel *augur fortis* interpretatur, eo quod ipsius tempore cœpit Israel in Ægypto augurari et idola adorare : significat Christum, quia auguriabatur de præterito, ut : *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum ;* de præsenti : *Utquid cogitatis mala in cordibus vestris?* de futuro : *Et erunt homines sicuti angeli Dei.* Salomon interpretatur *sensibilis* sive *sensus*, ac ideo factus est dux tribui Judæ : significat Christum, ut : *Quis me tetigit? sentio virtutem de me exisse.* Raab interpretatur *latitudo*, quia prius dilatavit peccatum carnis suæ ut meretrix, et postea dilatatum est genus ejus inter filios Israel : significat Ecclesiam per totum mundum dilatatam.

C Booz interpretatur *in quo robustus* sive *in ipso fortitudo*, qui fortitudinem visus est facere quando accepit Ruth ut suscitaret semen propinqui sui, quod alius vir facere noluit : significat Christum, ut : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham mecum.* Obed interpretatur *serviens*, eo quod bene servivit Deo : significat Christum, ut : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Ruth interpretatur *festinans*, eo quod de terra aliena festinavit ad populum Dei : significat Ecclesiam, quæ festinavit ad Christum. Jesse interpretatur *in sole sacrificium* vel *incensum*, de quo genuit filium, qui pluries sacrificium vel incensum Deo offerre constituit : significat Christum, ut : *In sole posuit tabernaculum suum;* et : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat.*

D David interpretatur *fortis manu sive desiderabilis*, quia vicit Goliam, et diligebat eum omnis Israel : significat Christum, ut : *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio ;* et : *Ecce veniet desiderabilis cunctis gentibus.* Bethsabee interpretatur *filia juramenti* vel *puteus satietatis :* significat Legem, quæ juncta est alii viro, id est Christo, post mortem viri sui, id est post mortem Moysi. Urias *lux mea Deus* interpretatur : significat Moysen, sicut supra diximus. Salomon interpretatur *pacificus*, eo quod dedit illi Deus pacem in regno : significat Christum : *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.* Roboam interpretatur *latitudo* vel *impetus populi* per antiphrasim, eo quod angustum regnum, id est parvum habuit, vel eo quod undecim tribus se diviserunt a regno ejus : significat Chri-

sum, ut : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.* Abia interpretatur *pater Dominus*, quia pater fuit populi, et bene fecit prius coram Domino; significat Christum : *Nolite invocare patrem super terram, unus est Pater vester qui in cœlis est.* Asa interpretatur *dolens, tollens* sive *attollens* : doluit enim peccata populi, abstulit autem idola de regno suo, et exaltavit civitates plures : significat Christum, ut : *Vidit Dominus Jerusalem, flevit super eam*; et : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; et : *Attollite portas, principes, vestras.* Josaphat *ipse judicans*, vel *Domini judicium*, vel *Dominus judicavit*, quia populum suum bene judicavit, vel inter prophetas Domini et Achab judicio discrevit; et quia Dominus judicavit inter ipsum et Achab cum persequerentur eos Syri : significat Christum, ut : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Joram *excelsus* sive *sublimavit* interpretatur : significat Christum, ut : *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.* At vero Ochozias, Joas et Amasias non numerantur in genealogia Christi ob causas superius dictas. Ozias interpretatur *robustus Domini*, qui contra quamlibet gentem pugnabat; vincebat; significat Christum, ut : *Lazare, veni foras.* Joathan interpretatur *consummatus* sive *perfectus*, quia consummavit mandata Domini : significat Christum, ut : *Cum consummasset Jesus omnia verba hæc.* Achar interpretatur *apprehendens* : apprehendit enim idola et coluit : significat Christum, qui *apprehendit manum puellæ, et suscitavit eam.* Ezechias interpretatur *fortis Dominus* vel *Dominus confortavit*, quia confortavit eum Dominus ab iniquitate, et annos vitæ illi adjecit : significat Christum, ut : *Confidite, quia vici mundum.* Manasses *oblitus* interpretatur, quia oblitus est prius mandata Dei, et postea obliviscens idola et fecit mandata Dei : significat Christum, ut : *Dimittantur tibi peccata tua*, id est, obliviscantur. Amon *fidelis* sive *honestus*, quia fidelis fuit pater ejus, et ipse honestus fuit in pulchritudine formæ : significat Christum, ut : *Petite et dabitur vobis*; et : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Josias interpretatur, *ubi est incensum Domini?* quia non solum fecit voluntatem Domini in omnibus, sed etiam tale Pascha fecit Domino quale ante non factum est : significat Christum, ut : *Prolixius orabat*; et : *Dirigatur oratio mea sicut incensum.* Item Eliachim, qui et Joachim, qui scribitur in principio libri Danielis, hic fuit filius Joas, qui non scribitur in genealogia : interpretatur autem *resurrectio Domini*, quia ille transmigravit de Judæa in Babylonem in captivitate; ita Christus de circumcisione ad præputium, ut : *Cum resurrexero, præcedam vos in Galilæam*; et : *Ascendens in altum captivitatem nostram sua duxit virtute captivam*, id est, de terra ad cœlum. Joarim autem interpretatur *præparatio Domini*. Ipse scribitur in principio libri Ezechielis, ipse qui et Jechonias, hic nepos Josiæ et non filius : interpretatur autem *præparatio Domini*, ut : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est*; et : *Si ascendero et præparavero vobis locum.* Babylon *confusio* interpretatur, ut : *Confundantur qui adorant sculptilia.* Galathiel interpretatur *petitio mea Deus*; eo quod tempore ejus petivit populus captivitatis ut reverteretur in terram : significat Christum, ut : *Pater, sanctifica eos quos dedisti mihi.* Zorobabel interpretatur *iste magister de Babylone* : significat Christum, aliquando de confusione, ut : *Venite ad me, omnes*, et cætera; aliquando de erubescenti, ut : *Hic cum publicanis et peccatoribus manducat.* Abiud interpretatur *Deus meus iste* : significat Christum : *Ego et Pater unum sumus.* Eliachim interpretatur *Dei resurrectio* : significat Christum, ut : *Qui credit in me non moritur in æternum, sed ego resuscitabo eum.* Azor interpretatur *adjutus* : significat Christum, ut : *Non sum ego solus, sed Pater mecum est.* Sadoch interpretatur *justificatus* vel *justus* : significat Christum, ut : *Veritatem loquor, quia verax est qui mecum est.* Achim interpretatur *frater meus*, ut : *Dicite fratribus meis ut eant in Galilæam.* Eliud interpretatur *Deus meus es tu* : significat Christum, ut : *Deus meus et Dominus meus.* Eleazar interpretatur *Deus meus adjutor* : significat Christum, ut : *Qui me misit mecum est.* Mathan interpretatur *donans* : significat Christum, ut : *Omne debitum dimisi tibi.* Jacob interpretatur *supplantator.* Joseph interpretatur *auctus* : significat Christum, ut : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili.* Maria interpretatur *stella maris*, sive *illuminatrix*, vel *domina*; quia stella dulcis est nautis, mare amarum est, sic Maria in mare, id est, in mundo fuit inter peccatores : et quia mos est ut stella viros ad portum adducat; sic Maria in mundo ubi natus est Christus, qui omnes ad vitam ducit dum sequantur illum, illuminatrix et domina dicitur, quæ verum lumen et Dominum nobis peperit. Cur mulieres in genealogia etiam peccatrices? Quia ipsæ ad vitam veniant æternam ut viri. Et ideo peccatores recipiuntur, quia ipse dixit : *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

Cur Abraham et David in capite genealogiæ ponuntur secundum Matthæum? quia illis promissus est Christus venturus. Abrahæ dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes*; ad David dictum est : *De fructu ventris tui*, etc. Cur Matthæus incipit genealogiam ab Abraham, Lucas vero a Christo ad Abraham? Ideo Matthæus ab Abraham quia Abraham auctor et caput fidei, ut est : *Credidit Abraham*; ideo vero Lucas a Christo incipit, quia Christus verus genitor humani generis. Cur secundum Matthæum genealogia præcedit baptismum, secundum vero Lucam baptismus genealogiam præcedit : ideo Matthæus [secundum Matthæum] præcedit genealogiam, ut de genere Christi dixisset antequam dixisset de munere gratiæ ejus; Lucas vero [prius] voluit prædicare de gratia divina, quam de genere humano : vel ideo post baptismum dixit Lucas, ut ostenderet vocem Patris vel angelos

testantes de Filio, et quia nemo ascendit ad Patrem nisi post baptismum. Cur Matthæus quadraginta duos posuit ab Abraham usque ad Christum, Lucas vero quinquaginta septem? Ideo quia Matthæus majores Dominici generis, Lucas vero ordine id per adoptionem generationis texuit. Cur Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan, genealogiam texuit? Ideo ut per regalem et sacerdotalem familiam Christi ostenderent generationem : quia ille fuit secundum carnem rex ex regibus, et sacerdos ex sacerdotibus; ut : *Deus judicium tuum regi da;* item : *Tu es sacerdos in æternum.* Cur Matthæus dividit generationes inter quatuordecim? Ideo ut ostenderet patriarchas ab Abraham usque ad David, et reges a David usque ad transmigrationem Babylonis, et regnum postea a Judæis discessisse usque ad Christum. Ideo Lucas quinquaginta septem ab Abraham usque ad Christum, ut ostenderet numeri quinquagesimi mysterium in Veteri et Novo Testamento, qui ad pœnitentiam pertinet : et septimi numeri qui pertinet ad hominem septenum, id est, corde et anima, et mente, et terra, et aqua, et igne, et aere. Lucas a Christo ad Adam ducit, ostendens quod per Christum genus Adæ solvitur a peccato; sive quod ex Christo exeunt qui redeunt ad Patrem. Item quid significat per quatuor genera venire ad Christum, nisi fidem, spem et charitatem? quid per quatuordecim nisi decem verba legis et quatuor virtutes animæ? Prima, prudentia, servire Deo, non idolis; secunda, temperantia, non concupiscere; tertia, justitia, non adulterari; quarta, fortitudo, dimittere, non occidere. Item septies sexies aut sex septies quadraginta duo fiunt. Idem secundum Matthæum significat Ecclesiam, cum septem donis Spiritus sancti scilicet laborantem. Item si in crescenti numero uno, duobus, tribus, quatuor, jungis hos simul, decem fiunt, qui significat Legem veterem in gratia Evangelii esse adimplendam. Per unum enim legem naturæ; per duo, legem Moysi; per tria, legem prophetarum; per quatuor, gratiam Evangelii. Sicut enim ab his procedunt decem, sicut dixit tota Lex in his quatuor Evangelii adimpletur vel in quatuor virtutibus animæ. Item per duo qui remanent post quadraginta, si Jechoniam bis numeraveris; sin autem, duo Testamenta significat : superexstat primus, qui Christum significat, qui est super omnes. Item per quatuordecim ter fidem sanctæ Trinitatis significat, qui est funiculus triplex qui difficile rumpitur. Item secundum Lucam septuaginta in septem. In hoc numero sunt undecim septies; per decem legem significat, et per unum qui super decem remanet, transgressorem legis significat : per septem hominem qui septenus est significat. Et ille qui in hoc numero legem transgreditur, recte erat ut per eumdem numerum redimeretur. Cur Ruth Moabita in genealogia Domini ponitur, cum legatur : Moabitæ non intrabunt in Ecclesiam Dei usque in sæculum? Ideo quia sancta et immaculata moribus super legem facta est. Si enim lex impiis et peccatoribus posita, utique Ruth quæ definitionem legis excessit, intravit in Ecclesiam. Et cur Matthæus *genuit* semper, Lucas vero *fuit* dicit? Quia Matthæus de generatione propria dixit, Lucas de adoptione plurimum dixit. Item Matthæus qui filius, nunc idem postea pater; Lucas vero, qui pater est, nunc filius est postea? Cur Lucas quatuor nomina tantum de patriarchis in genealogia posuit, Judas, Joseph, Simeon, Levi? Propter figuram : in Juda enim illo superiore, Dominicæ passionis mysterium significatur; in Joseph castitatis exemplum; in Simeone, vindicta læsi pudoris; in Levi, officium sacerdotis. Cur Christus non de alia tribu nasci voluit, nisi de Juda tantum? Quia quartus fuit filius Jacob. Ideo quia Ruben maculavit stratum patris, grande scelus ibi commisit. Simeon, et Levi interfecerunt homines pacificos Sichen et Emor, de quibus pater ait : *Odiosum me fecistis Chananæis.* Et ideo non fuerunt digni ut essent patres Christi. Fuit autem de tribu Juda, qui quartus est filius, quia in quarta lege, id est gratia Evangelii, venit nos redimere. Cur Christus per mulierem, et non per aliam creaturam, venire dignatus est? Quia mundus per mulierem periit, recte erat ut per mulierem recuperaretur; ut Sedulius :

> Sola fuit mulier patuit qua janua letho,
> Et qua vita redit sola fuit mulier.

Item per quatuor fuit perditio mundi : per mulierem, per virum, per lignum, per serpentem; per quatuor restauratur : per Mariam, per Christum, per crucem, per Joseph. Quia serpens qui fuit in Israel Christum significat. Ipse de ære factus est, cum quatuor rotundis, et elevatur in caput virgæ ut viderent illum, et fugerent animalia deserti præ timore rotarum : et sic unusquisque sanatur si inspexerit pendentem in capite virgæ, id est in cruce. Timor rotarum, timor prædicationum quatuor Evangeliorum; et sic fugient animalia, id est, dæmones vel cogitationes, de cordibus nostris. Item botrus qui portabatur in desertum a duobus viris in veste : botrus Christus est, duo viri Judæi et gentes. Qui ante ibat, et dorsum ad botrum vertebat, Judæos significat, qui videbantur anteire in Lege et prophetis, habentes mandata Dei, et quibus promissus erat Christus : ergo viderunt illum in veste pendentem, hoc est in cruce, dorsum non faciem verterunt. Qui vero post ibat, gentes sunt, quæ conversæ sunt ad Christum pendentem in cruce. *Christi autem generatio sic erat,* ut dictum est in genealogia. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Christus.* Vel sic erat ut numeraretur genealogia per Joseph, de quo natus non erat Christus, et non per Mariam, de qua natus est Christus, quia non erat mos per feminas genealogias numerari.

DE SEPTEM SIGNIS NATIVITATIS DOMINI.

Multa signa Dominus ante nativitatem suam præfiguratione sui adventus in mundum, præmisit : multa etiam in ipsa nativitate ostendit : de quibus

primum signum erat quod princeps unus per omnem orbem regnabat, quod nunquam antea fuerat; unum totius creaturæ Dominum Christum prænuntians venturum.

Secundum autem signum: erat pax admirabilis super omnem terram, qualis nec ante, nec postea unquam fuerat; veram mundi pacem designans, quæ est Christus ille, qui fecit pacem inter Deum et homines.

Tertium signum fuit, quod, Cæsare concedente, captivis absolutis, in quacunque fuissent captivitate, possessio propria reddebatur: et censum singuli reddere Cæsari profitebantur, qui trium denariorum habentes pensionem, drachmæ nomine censebantur: hoc præsignans quod genus humanum a captivitate et dominio diaboli esset per Christum liberandum et ad patriam paradisi, si fidem sanctæ Trinitatis profiteatur, reducendum.

Quartum signum erat, quod una die mille et triginta fuere servi qui ad proprios redire dominos noluerunt post captivitatem laxatam: hoc prænuntians quod qui a vitiis ad Christum redire noluerit, æternaliter peribit.

Quintum signum fuit stella nova in Oriente orta, cujus ducatu Magi ad Christum pervenerunt: cujus mira supra omnes stellas claritas Dei gratiam significat: per quam non solum ex Judæis, sed et multo plures ex gentibus ad vitam, qui Christus est, perducuntur.

Sextum signum est circulus magnus aureo splendens fulgore circa solem tota illa die nativitatis Christi, significans eum cujus ambitu excellentissimæ etiam naturæ continentur.

Septimum signum erat quod ipsa die tota rivulus olei in urbe Roma trans Tiberim large effluebat: significans gratuitam misericordiam Dei, qua genus humanum Christus venit quærere et salvare quod perierat. Hæc etiam septem signa, septem dona Spiritus sancti significant.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

POENITENTIALE

(ANNO 841.)

(Apud Canisium, Lectiones Antiquæ, tom. II.)

PRÆFATIO

AD HERIBALDUM EPISCOPUM ANTISSIODORENSEM.

Dilecto fratri HERIBALDO episcopo RABANUS peccator, et servorum Dei vilissimus servus, in Christo salutem.

Capitula quædam in petratio [pittatio] conscripta per nuntium Cunradi comitis mihi allata sunt, quæ de diversis quæstionibus me vobis respondere coegerunt. Sed quia sigillatim omnibus respondere non valui, strictim ea denotare curavi. Fuerunt enim ibi loca quædam, quæ de homicidio facto interrogabant; quædam de fornicatione et adulterio; quædam etiam de his, qui ante gradum se libidine polluerunt; quædam autem de illis, qui post gradum acceptum se coinquinaverunt: et tamen ab officio ecclesiastico et ministerio altaris se prohibere noluerunt. Præter cætera quoque alia capita ibi inveni scripta, de quibus me vobis respondere postulastis.

Ego autem ea, quæ in sacris canonibus inde explicita reperi: in præsenti epistola inserere non tardavi. Vos autem inde facite quod justum vobis videtur: et, quod sacra Scriptura vos agere docet. In libris enim Veteris et Novi Testamenti, quam abominabilia sint coram Deo, homicidia, fornicationes, avaritia, maleficia, et magicæ artis scelera, omnesque malorum operum actiones manifestissime declarantur; de quibus hic inserere curavi. Cæterum autem de ipsis divinis libris, si colligere intente volueritis, et eis obedire decreveritis: quid vobis inde agendum et salubre sit, per vosmetipsos valetis investigare, et utile documentum inde accipere. Deus autem dirigat cor vestrum, et studium in omne opus bonum, ut præsenti vita ea doceatis atque agatis, quæ sibi sunt placita; sicque per ejus gratiam ad mercedem plenam, et ad vitam perveniatis æternam.

Prohibentur enim in lege Domini homicidia, et adulteria, sicut supra dictum est, omniaque vitia. Unde in Levitico scriptum est, quod Dominus jusserit populo suo dicens: « Sanctificamini, et estote « sancti, quia ego sanctus Dominus Deus vester. « Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in re« gula, in pondere. Non stabis contra sanguinem

proximi tui. Ne oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit, sanguis ejus super eum.

« Si mœchatus fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriatur et mœchus, et adultera. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, et sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coitu femineo : et uterque operatus est scelus, morte moriantur ; sanguis eorum super eos. Si quis dormierit cum nuru sua : uterque moriantur ; quia scelus operati sunt, sanguis eorum super eos. Qui super uxorem filiam, duxerit matrem ejus : scelus operatus est, sanguis ejus super eos : vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestrum. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo ; sanguis ejus super eam. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam ; nefariam rem operati sunt : occidentur ambo in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverunt ; et portabunt iniquitatem suam. Qui coierit cum muliere menstruata, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficiantur ambo de medio populi. Turpitudinem amitæ et materteræ tuæ non discooperies. Qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudabit : portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt peccatum suum : absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam : turpitudinem fratris sui revelavit, absque liberis erunt. Ne polluatis animas vestras in pecore, et in avibus, et cunctis quæ moventur in terra, et quæ vobis ostendi polluta esse. Vir, sive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Lapidibus obruent eos, et sanguis eorum sit super eos. Custodite leges meas, atque judicia, et facite ea : ne et vos evomat terra, quam intraturi estis, et habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum in vos. »

Sed hoc non solum in Veteri Testamento, sed etiam in Novo cultoribus Dei similiter agere omnino vetatur.

De concupiscentiis vero carnalibus Paulus ad Galatas scribens ita loquitur : « Dico autem, spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum ; spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur : ut, non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis : quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia ; quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes. » Et paulo post : « Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus. »

Cum enim illa omnia vitia quæ supra nominata sunt, tam a legislatore, quam ab apostolo noxia prohibentur, et cultoribus Dei divina auctoritas prohibet facere : pœnamque eis, qui hæc agunt, minatur perpetuam. E contrario vero spiritalia dona laudat Apostolus, hortaturque per omnia sequenda : bonum est, ut caveamus omne peccatum, et omne scandalum, quantum Dominus nos posse donaverit : et faciamus quæ sibi sunt placita, et lex Domini nobis mandat ; quia sic, et in præsenti, et in futuro, ejus misericordiam et protectionem inveniemus. Si enim juxta historiam, legislator transgressoribus mandatorum Dei minatus est carnis mortem, et præsentis vitæ terminum, quanto magis nobis juxta mandatum Salvatoris, et evangelicam doctrinam formidanda est mors animæ, et pœna perpetua, quam illa quæ finem quodammodo habuit ? Ista autem sine termino cruciabit noxios. Unde necesse est ut in præsenti vita, juxta Apostolum, mortificemus membra nostra quæ sunt super terram : hoc est, desideria carnis nostræ, et voluptates terrenas in nobis exstinguere contendamus : vitiaque omnia, quantum Dominus nos posse concedit, procul expellamus : Deique voluntati, et mandatis ejus obtemperare satagamus, quoniam sic mortem perpetuam evadere et ad vitam æternam, Domino largiente, pervenire possumus. Dehinc quoque ad interrogata, quantum possumus, breviter juxta canonum instituta respondere curemus.

INCIPIT POENITENTIALE.

CAPUT PRIMUM.

De homicidiis sponte commissis.

Primum ergo de homicidii perpetratione, quid sacri canones sanciant, et qualiter pœnitentia his agenda sit, qui hoc commiserint, breviter denotare curavimus.

In concilio Ancyrano, cap. 21, de homicidiis scriptum est: « Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur. »

CAPUT II.

Item de homicidiis et falsis testibus.

In concilio Agathensi, cap. 37, de homicidiis et falsis testibus scriptum est: « Itaque censuimus homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint. »

CAPUT III.

De his qui servos suos extra judicem necant; et de domina quæ per zelum ancillam occidit.

Item in concilio Agathensi, cap. 62, scriptum est de his qui servos suos extra judicium necant: « Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit. » Item in concilio Eliberitano, cap. 5, ita scriptum est de domina, quæ per zelum ancillam occiderit, ita ut infra diem tertium animam cum cruciatu effundat: eo quod incertum sit, voluntate an casu occiderit. Si voluntate, post VII annos; si casu, per V annorum curricula, acta legitima pœnitentia, ad communionem admitti placuit. Quod si infra tempora constituta fuerit infirma, accipiat communionem.

CAPUT IV.

De homicidiis non sponte commissis; et de his qui quemlibet occidunt jussu principis.

In concilio Ancyrano, cap. 22, scriptum est de his qui non sponte homicidium commiserint. « De homicidiis non sponte commissis, prior quidem diffinitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit: secunda vero, quinquennii tempus explere. » Quod autem quidam homicidium, quod nuper in seditione et prælio principum virorum perpetratum est, excusant, quasi non necesse sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam; sed quod jussu principum nostrorum peractum sit, et Dei judicio ita finitum (Scimus enim quod Dei judicium semper justum est, et nulla reprehensione dignum, de quo etiam scriptum est: « Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis; qui judicat orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua; » sine quo nec passer cadit super terram. Sed nemo Dei judicia penetrare potest, quoniam scriptum est: Judicia tua abyssus multa. Unde,

A oportet eos considerare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos, coram oculis Dei quasi innoxios excusare possint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, et idololatriæ servituti comparatur, atque propter favorem dominorum suorum temporalium, æternum Dominum contempserunt, et mandata illius spernentes, non casu, sed industria homicidium perfecerunt. Nam de his legimus, qui homines non sponte interficiunt, Deum per legislatorem urbes refugii deputasse, ad

B quas confugientes salvarentur ab ultore sanguinis proximi sui, et non morerentur. Unde in Deuteronomio scriptum est: Hæc lex homicidæ erit. Civitas servanda est. Qui percusserit proximum suum nesciens, et heri et nudius tertius nullum odium

B contra eum habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et in succisione lignorum securis fugerit de manu, aut ferrum lapsum de manubrio, amicum ejus percusserit et occiderit: hic ad unam urbium supradictarum confugiat, et vivat: ne proximus ejus, cujus sanguis effusus est, stimulo doloris percutiat animam ejus. De eo vero, qui per industriam aliquem occiderit, in Exodo ita præceptum est: Si quis per industriam et per insidias occiderit proximum, ab

C altari meo eum evelles, ut moriatur. Et in Deuteronomio: Si quis, inquit, odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, et surgens percusserit eum, et mortuus fuerit, et fugerit ad unam de supradictis urbibus: mittent seniores illius civi-

C tatis, et eripient eum de loco refugii, et tradent eum in manus proximorum ejus, cujus sanguis effusus est, et morietur, nec misereberis ejus. Si ergo eum, quem Dominus dignum morte judicavit, reum non esse quis dicat, quomodo contrarius legi Dei non existit, qui hoc quod Dominus præcepit, casu esse (factum) contendat? Videndum ergo illi est, ne forte ipse in illorum numero sit, quibus per prophetam dicitur: Væ vobis, inquit, qui dicitis malum, bonum; et bonum, malum; lucem, tene-

D bras; tenebras, lucem: vel amarum, dulce; dulce, amarum. Tales ergo mortificant animas, quæ non moriuntur; et vivificant, quæ non vivunt.

Qui ergo malorum operum sine condigna pœni-

D tentia quempiam veniam a Deo percipere dixerit, pœnitens errat: et cum deceptus alios decipere festinat, duplici noxa constringitur: hoc est, proprii erroris et alienæ deceptionis. Sed inter hæc sciendum est quod magna distantia est inter legitimum principem et seditiosum tyrannum: inter eum qui subvertere nititur Christianæ pacis tranquillitatem, et illum qui armis contra iniquitatem certat defendere æquitatem. De quo plurima sub lege vetere et sub Novo Testamento fortium virorum exempla

inveniuntur, quæ possunt nos instruere quid de hujusmodi debeamus sentire.

CAPUT V.

De administratoribus et his qui preces criminales dictant.

De administratoribus autem, qui judicia sæcularia secundum legem majorum suorum exercent, quid sacri canones sentiant, facile est invenire. Nam in decretis Innocentii papæ, cap. 22, ita legitur: « Quæsitum est etiam super his, qui post baptismum administraverunt, aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam protulerunt capitalem sententiam, de his nihil legimus a majoribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates has esse concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum: Dei ministrum datum esse in hujusmodi vindicem; quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent esse concessum? De his ergo, ita ut hactenus servatum est, sic habemus: ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia servabuntur. » Item in eisdem decretis, cap. 25, scriptum est quod qui preces criminales dictant, habeantur immunes.

« Illud etiam sciscitari voluisti: an preces dictantibus liceat concedatur, utique post baptismi regenerationem, a principibus poscere mortem alicujus, vel sanguinem de reatu. Quam rem principes nunquam sine cognitione concedunt, sed ad judices commissa ipsa, vel crimina semper remittunt, ut causa cognita, judicentur. Quæ cum quæsitori fuerint allegata, aut absolutio, aut damnatio pro negotii qualitate profertur. Et dum legum inter improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis. »

CAPUT VI.

De populi necessario commisso.

De populi autem necessario commisso, quomodo inultum soleat præteriri, idem papa quibusdam episcopis de Macedonia ad interrogata respondens, ita scribit dicens: « Provideat ergo dilectio vestra, hactenus talia transisse, et advertite quod utique, ut dicitis, necessitas imperavit, in pace etiam Ecclesias constitutas non posse præsumere. Sed sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem, non potest vindicari, multum solere transire. Priora ergo dimittenda dico de judicio; de reliquo maxima sollicitudine præcavendum. » Non enim hic, ut mihi videtur, iste doctor apostolicus dicit, non necessarium esse populo pro male commissis agere pœnitentiam. Sed, quia in omnes, propter multitudinem non potest vindicari, priora dimittenda judicio; de reliquo maxima sollicitudine præcavendum, ne fiant.

CAPUT VII.

De parricidio.

Parricidium autem quam sit detestabile crimen, judicio facto inter Cain et Abel fratrem suum, Dominus ipse ostendit, cum ad Cain parricidam ait: « Maledictus eris super terram, quæ aperuit os « suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu « tua. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus. « Vagus et profugus eris super terram. » In quo etiam posuit signum; hoc est, ut gemens, et tremens, et profugus viveret semper, nec uspiam sedes haberet quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi discurrunt per diversa loca, et variis vitiis atque gulæ illecebris deserviunt; melius mihi videtur, ut in uno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent: si forte a Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, et nuptiis atque conjugii copula uti, quia sacri Canones hoc eis non concedunt: sicut postmodum de pœnitentibus pro culpis gravibus decreta synodica decernere ostensuri sumus.

CAPUT VIII.

De his quæ partus suos ex fornicatione perimunt.

Itaque in Ancyrano concilio, cap. 20, scriptum est his quæ partus suos ex fornicatione conceptos diversis modis interimunt: « De mulieribus, quæ fornicantur, et partus suos necant: vel, quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant: antiqua quidem diffinitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removeri jussit; humanius autem nunc definimus, ut eis x annorum tempus pœnitentiæ largiatur. » Item in concilio Elibertano, cap. 63, scriptum est de his, qui filios suos ex adulterio necant: « Si qua per adulterium absente viro conceperit, idque post facinus occiderit; placuit vix in fine dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus. »

CAPUT IX.

De his quæ abortum faciunt.

Item in concilio Ilerdensi, cap. 11, scriptum est de his quæ abortum faciunt, vel natos exstinguunt: « Hi vero qui male conceptos ex adulterio fetus vel editos necare studuerunt; vel, in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, in utroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen, ut omni tempore vitæ suæ fletibus et humilitati insistant. »

CAPUT X.

De his qui post sacrum ordinem capitalia crimina committunt, et eorum pœnitentia seu excommunicatione.

De his ergo visum est vobis conscribi, qui sacros ordines habent; vel ante, vel post ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, ut mihi videtur, hæc distantia debet esse, ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerint publice in perjurio, furto, atque fornicatione, et cæteris hujusmodi criminibus, secundum sacrorum Canonum instituta, a gradu proprio deponantur: quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat. Nempe inde detrahunt homines sacrificio Dei, sicut quondam filiis Heli peccantibus fecisse leguntur: et, rebelles hinc atque contrarii ani-

stentes, eorum pravis exemplis quotidie pejores fiunt. Qui autem de prædictis vitiis per occultam confessionem, mala abs se absconse commissa coram oculis Dei, præsente etiam sacerdote, qui eis inducturus est pœnitentiam, confitentur, et semetipsos graviter deliquisse accusant, si veraciter pœnituerint, et semper jejunia, et eleemosynas, vigiliasque, atque sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint. His etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est; qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire, neque mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Nam de illis, qui ad honorem presbyterii sine examine provecti sunt, in concilio Nicæno, cap. 9, scriptum : « Si qui presbyteri sine examinatione provecti sunt : vel cum discuterentur, peccata sua confessi sunt, et homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt. Tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est Catholica defendit Ecclesia. » Item in Neocesareensi concilio, cap. 9, de his ita scriptum est : « Presbyter si præoccupatus corporali peccato provehatur et confessus fuerit de se, quod ante ordinationem suam deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter bonum studium. Nam reliqua peccata plerique dixerunt per manus impositionem posse dimitti. Quod si de se ipso non fuerit confessus, et argui manifeste non potest, potestatis suæ judicio relinquatur. » Item in eodem Concilio, cap. 10, simili modo etiam diaconus : « Si eodem peccato succubuerit, ab ordine ministerii detrahatur. »

De illis, qui post acceptum gradum peccaverint, tertio Apostolorum Canone ita legitur : « Episcopus, presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura : Non judicabit Dominus bis in id ipsum. » Item, in canone apostolorum, cap. 29 : « Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus depositus juste super certis criminibus, ausus fuerit attrectare ministerium dudum sibi commissum, hic ab Ecclesia penitus projiciatur. »

Accusationem autem adversus sacri ordinis viros facile non recipiendam, sed prius causam diligenter examinandam, et postea judicium inferendum Apostolus docet, scribens ad Timotheum : « Accusationem, inquit, adversus presbyterum non recipias, « nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes « coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant. »

Quales autem ipsi testes esse debeant, in Africano concilio manifestatur, ubi, cap. 6 et 15 ita scriptum : « Placuit ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur : vel omnes, quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt, omnes infamiæ maculis aspersi, et histriones, ac turpitudinibus subjectæ personæ. Hæretici etiam,

A sive pagani, sive Judæi. Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia deneganda non est. » Item in eodem, cap. 99 : « Testes autem non admittendos ad testimonium, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt : vel etiam quos ipse accusator de domo sua produxerit. » Ad testimonium autem intra annos XIV ætatis suæ non admittatur. Item, cap. 97 : « Placuit, quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, et unum ex his, de quo prius egerit, probare non valuerit, ad cætera non admittatur. »

De his autem, quorum occulta sunt peccata, nec manifeste ab aliquo argui possunt, si salubriter compuncti pro peccatis confessionem coram episcopo, sive presbytero pœnitentiam agant, occulte
B faciunt, bonum mihi videtur, ut secundum id, quod sibi decretum fuerit ab episcopo sive presbytero, pœnitentiam agant non tepide, non tarde, sed ferventer, et sollicite, ac si se veniam a Domino percepturos, et gradum recuperaturos confidunt. Quod etiam B. Gregorius papa in epistola quam ad Secundinum servum Dei inclusum scripsit, ita probat dicens : « Nam tua sanctitas inde a nobis requisivit, ut sibi rescriberem de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritates, dum dicis de hoc Canones diversos te legisse, diversasque sententias invenisse, alias resurgendi, alias nequaquam posse. Nam nos generaliter a Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur, quia ipsam sequentes, cæteræ in cunctis sententiis unanimes concordant. Nos ergo
C præcedentes nos Patres sequimur; quia auctore Deo, ab illorum doctrina non discordamus. A capite itaque incipientes usque in quartum altaris ministrum hanc formam servandam cognoscimus, ut sicut minorem major præcedit in honore, ita et in crimine : et quem major sequitur culpa, major ei implicetur vindicta : et sic postea pœnitentia credatur fructuosa esse. Quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere? aut domum instruere, et illic non habitare? Post dignam enim satisfactionem credimus posse redire ad honorem, propheta dicente : « Nunquid qui cadit non adjiciet, ut resurgat? » (*Psal.* XL.) Et : « Qui aversus est, « non revertatur? (*Jer.* VIII.) » Idem et peccatori « ait : « In quacunque die conversus ingemueris,
D « salvus eris. » (*Isa.* XXX.) Unde et Psalmista ait : « Cor mundum crea in me Deus, et spiritum re« ctum innova in visceribus meis. Ne projicias « me, » etc. (*Psal.* L.)

« Dum enim petit ne projiciatur prolapsus culpa : alienam quippe rex, simul et propheta rapuisse uxorem se, expavit; propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens addidit : Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Si enim Deo dignam pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret : Docebo iniquos vias tuas. Dum enim peccata sua prospexit propheta, mundata per pœnitentiam, non dubitavit prædicando castigare aliena : et sic, sacrificium de se-

metipso offerre studuit, cum dicebat : Sacrificium Deo spiritus contribulatus. »

« At ista sufficerent : sed omnis sententia, quæ plus sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur, eo facilius creditur. De hoc enim propheta ait : « Nolo « mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et « vivat. » (*Ezech.* XVIII.) De hoc peccantibus dicitur : Peccator in quacunque die conversus ingemuerit, omnes iniquitates ejus in oblivionem tradentur. Si enim Redemptor noster peccatores non perdere, sed vivificare venit, in oblivione delicta peccantium derelinquit; quis hominum condemnanda reservet, cum Apostolus dicat : « Si Deus justificat, quis est qui condemnet? » (*Rom.* VIII.) Ad fontem misericordiæ revertentes, evangelicam proferamus sententiam (*Luc.* xv). « Gaudium est angelis, « inquit, super uno peccatore pœnitentiam agente, « quam supra nonaginta novem justis, qui non indi« gent pœnitentia; » et ovem perditam, nonaginta novem non errantibus relictis, humero ad ovile reportavit. Si ovis errans post inventionem ad ovile reportatur; cur iste post pœnitentiam ad Ecclesiæ ministerium non revocetur? Quid est ergo gravius carnale delictum admittere, sine quo parati [*Forte,* pauci] inveniuntur; aut filium Dei timendo negare? In quo peccato, ipsum B. Petrum principem Apostolorum, ad cujus nunc corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus, sed post negationem pœnitentia secuta est, et post pœnitentiam misericordia data, quia illum ab Apostolatu non dejecit, qui ante ipsum negare prædixit.

« Tibi hæc, fili charissime, dicta sufficiant, ut illum, quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi, quia nullum peccantem reum suum despicit, qui peccantes suo sanguine redimere venit. »

Hinc etiam B. Augustinus ad Petrum diaconum de fide scribens ait : « Omni homini in hac vita esse potest utilis pœnitentia, quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annosus, si ex toto renuntiaverit peccatis præteritis, et pro eis in conspectu Dei, non solum corporis, sed etiam cordis lacrymas fuderit, et malorum operum maculas, bonis operibus diluere curaverit; omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Dominus prophetico eloquio promittit, dicens : « Si « conversus fuerit, et ingemuerit, salvus erit. » Et alio loco dicitur : « Fili, peccasti, non adjicias ite« rum, sed de præteritis deprecare, ut tibi dimittan« tur. » Nunquam esset peccanti indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Si etiam pœnitentia peccatorum prodest, si eam in Ecclesia catholica quis gerat, cui Deus in persona B. Petri apostoli ligandi, solvendique tribuit potestatem dicens : Quæ alligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et, quæ solveris super terram, erunt soluta et in cœlis. »

In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitentiam egerit, et vitam suam Do-

A mino illuminante correxerit, non privabitur indulgentiæ munere, quia Deus, sicut per prophetam dicit, non vult mortem peccatoris, quantum ut revertatur a via sua mala, et vivat anima sua. Verumtamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, cum et in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim, qui ab iniquitatibus recedere negligunt, et sibi de eo veniam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideo unumquemque nostrum sancta Scriptura præmonet dicens : « Ne tardaveris « converti ad Dominum. » Et : « Ne differas de die « in diem, subito enim veniet ira ejus; » et : « In

B « tempore vindictæ disperdet te. » Dicit etiam B. David : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdu« rare corda vestra. » Cui quoque B. Paulus concordat his verbis : « Videte, fratres, ne forte sit in ali« quo vestrum cor malum incredulitatis discedendi « a Deo vivo : sed adhortamini vosmetipsos per sin« gulos dies, donec hodie cognominatur, ut non ob« duretur quis ex vobis fallacia peccati. » Obdurato igitur corde vivit, qui se non convertit, desperans de indulgentia peccatorum. Sive, qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in finem vitæ præsentis in suorum perversitate criminum remaneat. Proinde diligentes misericordiam Dei, metuentesque justitiam, nec de remissione peccatorum desperemus, nec remaneamus in peccatis : scientes quia illa omnium

C hominum, si debita sit exactura æquitas justissimi judicis, quæ non dimiserit misericordia clementissimi redemptoris ? Sicut enim misericordia suscipit, absolvitque conversos; ita justitia rapiet et puniet obduratos. Hi sunt qui, peccantes in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo neque in futuro remissionem accipient peccatorum. Nam et de hoc Isidorus Hispalensis episcopus ad inquisitionem Masonis episcopi ita scribit, dicens : « Verum quod sequenter venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in ejusmodi sententiis decretorum diversitas intelligenda, quod alibi legitur, in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam; alibi post hujusmodi delictum, nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diversitas hoc modo di-

D stinguitur. Illos enim ad pristinos officii gradus redire canon præcipit, quos pœnitentiæ præcessit satisfactio. At contra, hi qui neque a vitio corruptionis emendantur : atque hoc ipsum carnale peccatum, quod admittunt, etiam vindicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiunt. Ergo ita est dirimenda utraque sententia, ut necesse sit illos restaurari in loco honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem meruerunt divinæ pietatis. Hi, nec immerito, consequuntur adeptæ dignitatis statum, qui per emendationem pœnitentiæ recepisse noscuntur vitæ remedium. Id etiam ne forte sit magis ambiguum, divinæ auctoritatis sententia confir-

metur. Ezechiel enim propheta sub typo prævaricantis Hierusalem ostendit post pœnitentiæ satisfactionem, pristinum restaurari honorem posse: Confundere, o Juda, et porta ignominiam tuam. » Et post paululum: « Et tu, inquit, et filiæ tuæ revertimini ab iniquitate vestra. Quod dixit, confundere, ostendit post confusionis et deprecationis opus debere quemquam erubescere, et pro admissis sceleribus verecundam frontem humi prostratam demergere pro eo, quod dignum confusionis perpetraverit opus. Deinde præcepit, ut portet ignominiam depositionis suæ, lugens cum humilitate, quod peccaverit, sicque revocari secundum prophetam ad priorem statum poterit. »

Item Joannes evangelista angelo Ephesi Ecclesiæ inter cætera simile quiddam scribit: « Memor esto, « inquit, unde cecideris, et age pœnitentiam, et « prima opera fac: alioquin veniam tibi, et movebo « candelabrum tuum de loco ejus. » In angelo Ecclesiæ præpositum utique, id est sacerdotem ostendit, juxta Malachiam, qui dicit: « Labia sacerdotis « custodiunt scientiam, et legem exquirunt de ore « ejus, quia angelus Domini exercituum est. » Præpositus ergo lapsus in vitium per evangelistam monetur, ut memor sit, unde ceciderit, et pœnitentiam agat: et prima faciat opera, ut non moveatur candelabrum ejus. Nam candelabrum angeli, doctrina sacerdotalis, vel honor potestatis, quem gestat, intelligitur, juxta quod scriptum est apud Samuelem in damnatione Heli: Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur. Lucerna quippe Dei fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens, justitiæ claritate fulgebat, quam exstinctam propheta asserit, dum ob scelera filiorum, sacerdotis potestatem, meritorumque lumen amisit. Candelabrum ergo, sive lucerna sacerdotis, quæ intelliguntur charismata honoris, tunc penitus, juxta Joannem, exstinguitur, et movetur, quando post delicti casum neglecta pœnitentia, admissa scelera non deflentur. Non enim dixit: Pro eo quod cecidisti, movebo candelabrum tuum de loco suo. Ergo quemque præpositum peccantem, si prævenerit pœnitentia delicti, utique sequetur et meriti. Et in Proverbiis scriptum est: « Qui abscondit scelera « sua, non dirigetur; qui confessus fuerit et reli« querit ea, misericordiam consequetur. » Nam et ipsum, quod canonum censura post VII annos remeare pœnitentem in statum pristinum præcepit, non hoc electione proprii arbitrii sancti Patres, sed potius ex sententia divini judicii sanxerunt. Nam legitur quod soror Aaron Maria, dum obdurationis adversus Moysen incurrisset delictum, illico stigmate lepræ perfusa est. Cumque peteret Moyses ut emundaretur, præcepit eam Dominus extra castra VII diebus egredi, et post emundationem rursus in castra admitti. Maria ergo soror Aaron, caro intelligitur sacerdotis, quæ dum superbiæ dedita sordidissimis corruptionum contagiis maculatur, extra castra septem diebus, et extra collegium sanctæ Ecclesiæ VII annis projicitur. Ubi, post emundationem vitiorum, loci, sive pristinæ dignitatis recipiet meritum. Ecce, in quantum valui, concilii Ancyrani, antiquam plane, et plenam auctoritatem [et] sententiam sacris testimoniis explanavi, ostendens eum posse restaurari proprio honore, qui per pœnitentiæ satisfactionem novit propria delicta deflere. Eum vero non posse restaurari, qui nec luget, quæ agit, et lugenda, sine ullo pudore religionis, vel timore divini judicii committit. » Hucusque Isidorus.

Augustinus ad Bonifacium: « Ut, inquit, in Ecclesia sanciretur, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum disciplinæ, alioquin contra claves Ecclesiæ datas disputaretur, de quibus dictum est: quæ solveritis super terram, soluta erunt et in cœlo. Sed, ne forsitan de criminibus spe honoris ecclesiastici intumescens animus, superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina verior et major esset humilitatis. Nam et David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, et tamen in honore suo permansit; sed non ideo supervacua putanda est posterior diligentia, qui, ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur; experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim invenire multas medicinas multorum experimenta morborum. »

In concilio Ilerdensi, cap. 5, de his qui altario deserviunt, si subito carnis fragilitate corruerint, ita scriptum est: « Hi vero qui altario serviunt, si subito flenda carnis fragilitate corruerint, et Domino respiciente, digne pœnituerint, ita ut mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Episcopi, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare; ita tamen, ut si officiorum suorum loca retineant, non possint ad altiora officia ulterius promoveri. Quod si, iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint, non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, non nisi in exitu, percipiant. »

Item in concilio Carthaginensi, cap. 27, scriptum est: Quod presbyteri et diaconi, in graviore culpa convicti, manus impositionem tanquam laici nequaquam suscipiant. Contra firmatum est: Ut, si quando presbyter vel diaconus in aliqua graviore culpa convicti fuerint, ob quam eos a ministerio necesse est removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus imponatur, vel tanquam fidelibus laicis: neque permittendum esse, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

CAPUT XI.

De presbyteris qui uxores acceperunt, vel fornicati sunt.

Item de presbyteris qui uxores acceperint vel fornicati sunt, in concilio Neocæsareensi, cap. 5, scri-

potest. Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur; si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet, et ad pœnitentiam redigi. »

Item ex decretis Innocentii papæ, cap. 26: « Præterea quod dignum, et pudicum, et honestum est, tenere omnino Ecclesia debet: ut Sacerdotes et Levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant; sicut de Zacharia legimus: nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, et præter ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere; quanto magis si sacerdotes, vel levitæ, pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est. Nec præterit dies, quo vel sacrificiis divinis, vel baptismatis officio, [non] vacent. Nam, si Paulus ad Corinthios scribens ait: « Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi (*I Cor.* VII), » et hoc utique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus et orandi, et sacrificandi jugiter officium est, semper debent ab hujusmodi consortio abstinere. Qui, si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare forsitan usurpabit; aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: « Omnia munda « mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil « est mundum. »

Item ex decretis Leonis papæ, cap. 17, scriptum: « Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ episcopis atque presbyteris: qui cum essent laici, sive lectores, licite et uxores ducere, et filios procreare potuerunt; sed cum pervenerunt ad prædictos gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Unde, et de carnali, fiat spirituale conjugium. Oportet eos, nec dimittere uxores, et quasi non habeant, sic habentes, quo et salva sit charitas connubiorum, et cesset operatio nuptiarum. »

Item in Carthaginensi concilio, cap. 25, Aurelius episcopus dixit: « Addimus, fratres charissimi. Præterea, cum de quorumdam clericorum, quamvis lectorum, erga uxores proprias incontinentia referatur, placuit quod et diversis conciliis confirmatum est: Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, et diaconi, et presbyteri, sed et episcopi secundum priorum statuta, etiam ab uxoribus se abstineant, ut tanquam non habentes esse videantur. Quod si non fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori ætate. »

CAPUT XII.

De his qui, pœnitentiam violantes, rursum prævaricantur.

In concilio Aureliano, cap. 7, scriptum de his qui pœnitentiam violant: « Hi vero, qui susceptam pœnitentiam, religionemque suæ professionis obliti, ad sæcularia relabuntur, placuit eos a communione suspendi, et ab omnium catholicorum conviviis separari. Quod si, post interdictum, cum eo quisquam præsumpserit manducare, et ipse communione privetur. »

In concilio Toletano, cap. 55: « Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam se totonderunt, et rursus laici prævaricantes effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertuntur; postea coram Ecclesia anathemate condemnentur. Non aliter quam hi qui detonsi a parentibus fuerunt, aut sponte sua, amissis parentibus se ipsos religioni devoverunt, et postea sæcularem habitum sumpserunt. Iidem a sacerdote deprehensi, ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, revocentur. Quod si reverti non possunt, apostatæ anathematis sententiæ subjiciantur. Quæ forma servabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus feminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt: et postea, aut vestem mutaverunt, aut ad nuptias transierunt. »

Ex decretis Siricii papæ, cap. 10: « De his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos, et volutabra redeuntes, et militiæ cingulum, et lubricas voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam, generati post absolutionem filii prodidere. De quibus etiam, quia suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint. A Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quia carnali fragilitate cecidere, viatico munere, cum ad Deum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam, et circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. » Item in concilio Arelatensi, cap. 11: « Pœnitentes, quæ defuncto viro aliis nubere præsumpserunt, vel suspecta, vel interdicta familiaritate, cum extraneo [se] junxerint, cum eodem ab Ecclesiæ limine arceantur. Hæc etiam de viro in pœnitentia placuit observari. »

CAPUT XIII.

Quod pœnitentibus in cœna Domini sit remittendum.

Item ex decretis Innocentii papæ, cap. 7, scriptum est: « De pœnitentibus autem qui, sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam egerunt, si nulla intervenit ægritudo, V feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad

confessionem pœnitentis et ad fletus atque lacrymas corrigentis : ac tunc jubere dimitti, cum viderit satis congruam satisfactionem. Si quis autem in ægritudinem incidit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, non de sæculo absque communione discedat. »

CAPUT XIV.

Quod nulli ultima pœnitentia sit deneganda.

In decretis Cœlestini papæ, cap. 15, scriptum est, quod nulli ultima pœnitentia sit deneganda : « Agnovimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui, obitus sui tempore, animæ suæ cupiunt subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore convertenti succurrere, ac periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expedire desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, atque animam sua crudelitate, ne absoluta [esse] possit, occidere; cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam, sic promittat peccatori : « Quacunque die « conversus fuerit, peccata ejus non reputabuntur « ei. » Et iterum : « Nolo mortem peccatoris, sed « tantum ut convertatur et vivat. » Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegaverit. Et desperavit de clementia Dei, qui cum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dextram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna, pœnituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius æstimanda est, quam tempore. Propheta taliter hoc asserente : Cum conversus ingemueris, salvus eris. Cum ergo Dominus sit cordis inspector, quovis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cum se obliget judici cui occulta omnia noverit revelari.

CAPUT XV.

Ut qui pro illicitis veniam petit, etiam a multis licitis se abstineat, nec tempore pœnitudinis lucra negotiationis exerceat.

In decretis Leonis papæ, cap. 22, scriptum est, quod oporteat eum qui pro illicitis veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere : « Aliud quidem est debita justa reposcere, aliud propria, perfectionis amore contemnere; sed illicitorum veniam postulantem oportet etiam a licitis abstinere, dicente Apostolo : « Omnia quidem licent, sed non omnia expe« diunt. » Unde, si pœnitentes habent causam, quam negligere forte non debeant, melius expedit Ecclesiasticum, quam forense judicium. » Item in eisdem decretis, cap. 23, scriptum est : Quod pœnitenti nulla exercere conveniat negotiatio. Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus, et turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est, dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi, quia difficile est inter ementis et vendentis commercium non intervenire peccatum. »

Isidorus in libro Officiorum : « Hi, qui pœnitentiam gerunt, capillos et barbam nutriant, ut demonstrent abundantiam criminum : quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, sicut scriptum est : « Et crinibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. »

CAPUT XVI.

Ne quis post pœnitentiam redeat ad militiam.

Item in eisdem decretis, cap. 24, scriptum est quod aliquis ad militiam sæcularem post pœnitentiam redire non debeat : « Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat : « Nemo militans Deo, applicat se sæcularibus negotiis. » Unde non est liber a laqueis diaboli, qui se militia mundana vult implicare. »

CAPUT XVII.

Quod quibusdam pœnitentibus pristina concedantur conjugia.

In concilio Toletano scriptum est quod quibusdam pœnitentibus pristina reddantur conjugia : « Antiqui et sanctissimi est Patris sententia papæ Leonis, ut is qui in ætate adolescentiæ positus, dum mortis formidat casum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium; si est jugatus, et fonte fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate statum continentiæ. Quod nos de feminis judicamus, similiter de viris censemus, non quidem generaliter et legitime præceptum; sed constat a nobis pro humana fragilitate indultum, ea duntaxat ratione, ut si is, qui pœnitentiæ legibus non est deditus, antea ab hac vita discesserit, quam ex consensu ad continentiam veniant, superstiti non liceat denuo ad uxoris transire amplexus; si autem illius vitæ exstiterit superstes, qui non accipit pœnitentiæ benedictionem, nubat si continere non potest, et alterius uxoris consortio fruatur. Quod de utroque sexu pari modo a nobis manifestum est decerni, ita videlicet, ut in his omnibus sacerdotis ordinatio exspectetur, ut juxta quidem ætatem aptam perspexerit, continentiæ, absolutionis vel districtionis tribuat legem. »

CAPUT XVIII.

De perjurio.

Perjurium in lege divina omnino prohibetur, dicente legislatore : « Non assumas nomen Domini « Dei tui in vanum. Non enim insontem habebit eum « Dominus, qui assumpserit nomen Dei sui frustra. » Unde ipsa Veritas dicit in Evangelio : « Nolite ju« rare omnino, neque per cœlum, neque per ter« ram, » etc. Hinc et in canone scriptum est : « Quicunque vero sciens [a] se perjuraverit, annos VII se pœnitentiæ subdat, et ita deinceps ad communionem revertatur. » Item Ecbertus Anglorum episco-

[a] Forte redundat in ms.

pus definit ita dicens: « Qui juramentum in ecclesia fecerit, aut in Evangelio, sive in reliquiis sanctorum, VII annos: alii judicant XI. Si vero in manu episcopi, aut presbyteri, vel diaconi, seu in cruce posita consecrata, unum annum pœniteat; alii VII annos judicant. Et in cruce non consecrata, I annum pœniteat, vel VII menses, ut alii judicant. Qui autem seductus ignorans, et postea cognoscit, unum annum, vel tres quadragesimas pœniteat. Si quis coactus pro qualibet necessitate, tres quadragesimas, alii annos tres: unum ex his in pane et aqua, ut alii judicant. Item perjurium, III annos pœniteat. Qui suspicatur quod perjurus in juramentum ducitur, sed tamen per consensum jurat, duos annos pœniteat; sed quia in multis locis ab his qui per avaritiam terrenæ possessionis et ecclesiastici ordinis pretium dant, ut terrenarum rerum sibi abundantiam inde acquirant, sæpe perjurium fit illis qui hoc scandalo decipiuntur, justum est ut illis qui hoc faciunt, condicta vindicta retribuatur. Nam de talibus ita statutum est in canonibus. »

CAPUT XIX.

De episcopis sive presbyteris qui per pretium gradum et ecclesiam acquisierunt.

In synodo Rhemensi, cap. 21, scriptum est: « Quicunque presbyter per pretium gradum acquisierit, deponatur. » Ex concilio Aurelianensi, cap. 10: « Ut nullus presbyter ad introitum ecclesiæ xenia donet. » In concilio Turonensi, sive Moguntinensi, cap. 15, scriptum est: « Quicunque presbyter per pretium ecclesiam fuerit adeptus, omnimodo deponatur, quoniam et ille contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur. Item et ille deponatur, qui alium presbyterum legitime ad ecclesiam ordinatum, per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicaverit, quod vitium late diffusum summo studio emendandum est. Idemque interdicendum videtur clericis, sive laicis, ne quis cuilibet presbytero præsumat dare ecclesiam sine licentia et consensu episcopi sui. »

CAPUT XX.

De incestis conjunctionibus, et de eo qui filiolam suam vel matrem duxerit uxorem.

De incestis autem conjunctionibus in concilio Agathensi, cap. 61, ita scriptum est: « Incestis conjugiis nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestos vero nullo conjugii nomine censendos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ pene prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit; si quis fratris germanam uxorem acceperit; si quis novercam duxerit; si quis consobrinæ se suæ sociaverit, quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea, quæ sunt ante nos constituta, non dissolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ, vel privignæ suæ concubitu polluitur; sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. »

Item, de eisdem in concilii Aurelianensis, cap. 11, scriptum est: « Ne frater super torum defuncti fratris ascendat; ne quisquam amissa uxore sorori audeat se sociare. Quod si fecerit, ab ecclesiastica districtione feriatur. »

Item, de iisdem in concilio Ilerdensi, cap. 4: « Qui se incesti pollutione commaculant, placuit, quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia permittantur: cum quibus jam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut Apostolus jussit, oportet. »

Item de his in Ancyrano concilio, cap. 25: « Quidam sponsam habens, sororem ejus violavit, et gravidam tradidit, postmodum desponsatam sibi duxit uxorem. Illa vero, quæ corrupta est, laqueo se peremit. Omnes, qui ejusmodi facti fuerunt conscii, X annos in pœnitentiam redigantur, secundum canones constitutos. » In decretis Siricii papæ, c. 4: « Omnimodis prohibemus, ne quis sponsam alterius ducat uxorem, quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. Desponsatas puellas, et præ aliis raptas, placuit erui et eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiam si eis a raptoribus vis illata constiterit. »

De his quæ duobus fratribus nupserint, vel qui duas sorores uxores acceperint, in Neocæsareensi concilio, cap. 2, ita dictum est: « Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis, cujus [hujus] est conjunctionis vincla dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit vir, aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. »

Item de his qui duabus sororibus copulantur, in Elibertino concilio cap. 61, ita scriptum est: « Si quis post obitum uxoris suæ, sororem ejus duxerit uxorem, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstinere, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis. Item de muliere, quæ duos fratres sumpit conjugio, in canonibus Martini episcopi [sic scriptum]: Si quia mulier duos fratres; aut, si quis duas sorores duxerit, a communione abjiciantur usque ad mortem. In morte eis communio propter misericordiam detur. Si vero supervixerint communione accepta, et de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto. Qui duas in conjugium sorores acceperit, vel filiam fratris, clericus esse non poterit. De eo vero, quod interrogasti: Si ille, qui filiolam suam, quam de sacro fonte baptismatis suscepit, et de eo, qui concubuit cum commatre sua spirituali, et de illo qui filium suum baptizatum, et cujus uxor eum de fonte suscepit, postea in tali copulatione permanere possent? omnino illicitum esse judicamus. Nam in concilio Moguntinensi, cap. 55, de talibus scriptum est: Nullus proprium filium, aut filiam a fonte bap-

tismatis suscipiat, nec filiolam, nec commatrem suam suscipiat uxorem; nec illam, cujus filium, aut filiam ad confirmationem duxerit. Ubi autem factum fuerit, separentur. »

Item in synodo Moguntinensi, c. 56: « Si quisquam viduam uxorem duxerit, et postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre et filio; tales copulationes anathematizari et disjungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri. Quam detestabile, et quam exsecrabile scelus sit unicuique Christiano, filiolam suam sibi ad libidinem jungi, testatur S. Gregorius papa in Dialogis suis, ubi refert quemdam hominem constuprasse filiolam suam, et tribus diebus reservatum esse ad satisfactionem pœnitendi. Sed ille miser, sperans peccatum suum aut latere Deum, aut oblivioni misericorditer datum, neglexit pœnitentiam agere, sed non longe post miserabili morte correptus exspiravit, ita ut sepulcrum ejus igne consumeretur. In hoc opere apparuit ineffabilis Dei clementia, quæ ipsum hominem reservare voluit ad indulgentiam, si ille non tardaret converti. »

Item in synodo Moguntinensi de incestis conjugiis scriptum est: « Si quis fornicatus fuerit cum duabus sororibus, vel cum noverca sua, vel cum sorore sua, vel cum amita sua, sive cum matertera sua, vel cum filia patrui sui, sive avunculi sui, vel amitæ suæ, sive materteræ suæ, vel cum nepte sua, vel cum commatre sua, vel cum filiola sua, quam de fonte baptismatis suscepit, vel ante episcopum ad confirmationem tenuit, vel si qua mulier simili modo fornicata fuerit: abstineat se ab ingressione domus Dei anno uno, et eodem anno nisi festis diebus, et præcipuis solummodo, pane, et aqua, et sale utatur; arma pugnatoria non ferat; osculum nulli præbeat; sacrificium nisi pro viatico minime sumat. Sex deinde annis ingrediatur domum Dei, sed carnibus, et vino, ac sicera minime utatur, nisi festis præcipuisque diebus. De armis vero, vel osculo, sive sacrificio, sicut supra dictum est, faciat. Postea vero duobus annis, quando carne vescitur, a potu omni, qui potest inebriare, se contineat. Quem potum, si biberit, non carne vescitur, absque præcipuis festis diebus. Inde usque ad obitum suum, nisi prædictis festis diebus, a carne abstineat. Tres legitimas ferias in omni hebdomada, et tres quadragesimas in anno legitime custodiat. De armis vero, sicut jam dictum est, faciat, et nunquam conjugio copuletur. Hæc eadem pœnitentia imponenda est parricidis, vel fratricidis, vel consanguineis; sed nisi ex his, qui sponte, per fraudem, et avaritiam hominem innoxium occidunt, quod Theodisca lingua mordicum dicitur. »

CAPUT XXI.

De his qui adulterium committunt.

Adulterium autem non solum lex damnat, sed etiam evangelica auctoritas omnino fieri vetat. Unde et sancti Patres, magisterio cœlesti imbuti, de hoc quid servandum sit sanxerunt. Nam in concilio Ancyrano, cap. 17, scriptum est: « Si cujus uxor adulterata fuit, vel si ipse adulterium commiserit, VII annis in pœnitentia completis oportet eos perfectionem, secundum pristinos gradus, consequi. »

Item in Africano concilio, cap. 69, de his qui uxores, aut quæ viros dimittunt, ut maneant sic, ita scriptum est: « Placuit, ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam, ut neque dimissus ab uxore, nec dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneat, ut sibimet reconcilientur. Quod, si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. »

Item in decretis Innocentii papæ, [cap.] 24, scriptum est quod viri cum adulteris feminis non conveniant: « Et illud desideratum est sciri: cur communicantes viri cum adulteris non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur? dum super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnet, sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant. Non enim habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt, et ideo prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commisso, non facile aliquis ex suspicionibus abstinetur. Qui utique submovetur, si ejus flagitium detegatur. Cum ergo causa par sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit. »

Item in ejus papæ decretis cap. 27, scriptum est: « De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est, qui, viro vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt. Neque possunt adulteri non videri, in tantum, ut etiam hæ personæ, quibus tales conjuncti sunt, etiam adulterium commisisse videantur, secundum illud quod legimus in Evangelio: « Qui dimiserit uxorem suam et duxerit aliam, mœchatur, et qui dimissam duxerit, mœchatur. Et ideo omnes a communione abstinendos. De parentibus autem, et propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi successores illiciti consortii fuisse detegantur. »

In concilio quoque Elibertino, cap. 8, de feminis quæ adulteros maritos reliquerint, et aliis nubant, scriptum est: « Femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit, et alii nubit, prohibeatur, ne ducat. Si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquit, de sæculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis compulerit. »

CAPUT XXII.

De his qui mœchantur.

Item de concilio Elibertino, cap. 30, de mœchis scriptum est: « Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati: Eo quod postmodum per subreptionem ad ulteriorem gradum forsitan promovebantur. Qui autem sunt in tempore præterito ordinati, amoveantur. »

Item in eodem concilio, cap. 31, de adolescentibus qui post lavacrum mœchantur, scriptum est:

« Adolescentes qui post fidem lavacri salutaris fuerint mœchati, cum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti. »

Item in eodem concilio, cap. 47, de eo qui, uxorem habens, sæpius mœchatur, scriptum est : « Si quis fidelis habens uxorem, non semel, sed sæpe fuerit mœchatus, in finem mortis est conveniendus. Quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus rursus mœchatur, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis. »

CAPUT XXIII.

De virginibus Deo sacratis, sive sæcularibus, si mœchaverint.

Item in concilio eodem, cap. 13, de virginibus sacratis scriptum est : « Si mœchaverint virgines quæ se Deo dicaverunt, si pactum perdiderunt virginitatis, atque eidem libidini inservierunt, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasæ aut infirmi corporis vitia lapsæ, tempore vitæ suæ, hujusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se a coitu, placuit eas in finem communionem accipere debere. »

Item, in eodem de virginibus sæcularibus, si mœchatæ fuerint : « Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverunt, duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverunt, post annum sine pœnitentia reconciliari debebunt. Vel si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ sint, placuit post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem. »

Item in concilio Ancyrano, cap. 9, de his quæ virginitatem professæ sunt, et de his quæ sub sororis habitu cum aliquibus commorantur, scriptum est : « Quotquot virginitatem promittentes irritam faciunt sponsionem, inter bigamos computentur. Virgines autem, quæ tanquam sorores cum viris habitare volunt, ab eorum consortio prohibemus. »

CAPUT XXIV.

De his qui se sacris virginibus sociant; et de virginibus non velatis, si mœchaverint.

In decretis Gelasii papæ, cap. 20, de his qui se sacris virginibus sociant, scriptum est : « Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, dicatum Deo propositum, incesta fœdera, sacrilegaque miscere, quos protinus æquum est a sacra communione detrudi : et nisi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. At his viaticum certe de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur. »

Item, in decretis Innocentii papæ, cap. 20, de virginibus non velatis, si deviaverint, scriptum est : « Hæ vero quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta [non] poterit. Nam si Apostolus illas, quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixerat habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ? »

CAPUT XXV.

De his quæ inter se fornicantur, et de his quæ semen virorum suorum pro libidine cibo vel potui miscent.

De feminis quæ inter se fornicantur in Ancyrano concilio scriptum est : « Si mulier cum muliere fornicata fuerit, annos III pœniteat. » Item : « Si mulier more fornicationis ad alteram conjunxerit, tres annos, sicut fornicator, pœniteat. Sic et illa quæ semen viri sui in cibo miscens, ut inde plus ejus amorem accipiat, pœniteat. Mulier sola, si cum se ipsa coitum habeat, tres annos pœniteat. »

CAPUT XXVI.

De his qui se gentilibus vel Judæis junxerunt.

Item de his quæ se gentilibus vel Judæis junxerunt, in concilio Arelatensi scriptum est : « Puellæ fideles quæ gentilibus junguntur, placuit ut aliquanto tempore a communione separentur. »

Item in concilio Elibertino, cap. 78, de fidelibus conjugatis, si cum Judæa vel gentili mœchaverint, scriptum : « Si quis fidelis, habens uxorem, cum Judæa vel gentili fuerit mœchatus, a communione arceatur. Quod si alius eam duxerit, post quinquennium, acta legitima pœnitentia, poterit Dominicæ communioni sociari. »

CAPUT XXVII.

De his qui cum Judæis vescuntur.

Item in concilio Elibertino de Christianis qui cum Judæis vescuntur scriptum est : « Si vero quis clericus, vel fidelis, cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstineri, ut debeat emundari. »

Item in concilio Toletano, cap. 14, scriptum de Judæis : « Suggerente concilio, id gloriosissimus dominus noster canonibus inseri præcepit, ut Judæis non liceat habere uxores, vel concubinas, neque mancipium Christianum in usus proprios comparare; sed filios, qui ex tali conjugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum. Nulla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio præbeatur pœnam Christianis inferre. Si qui vero Christiani ab eis Judaismi ritu maculati sunt, vel etiam circumcisi, non reddito pretio, ad libertatem et religionem redeant Christianam. »

CAPUT XXVIII.

De his qui uxorem simul et concubinam habent.

Item de his qui uxorem habent, si concubinam habuerint, in concilio Toletano, cap. 17, scriptum est : « Si quis habens uxorem fidelis, si concubinam habeat, non communicet. Cæterum is qui non habet uxorem, et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjun-

cilione contentus. Alias vero vivens, abjiciatur donec desinat et ad pœnitentiam revertatur. »

CAPUT XXIX.

De conjugatis qui nubere non possunt.

Quod autem interrogasti de his qui matrimonio conjuncti sunt, et nubere non possunt: si ille aliam, vel illa alium ducere possit? non cum auctoritate, sed de quorumdam statutis respondemus, in quibus scriptum est: « Vir et mulier, si se conjunxerit matrimonio, et postea dixerit mulier de viro quod non possit ei nubere [a], si potest probare per justum indicium, quod verum sit, accipiat alium. »

CAPUT XXX.

De his quæ menstruum sanguinem aliis in cibo vel potu dant; et de his qui magicam artem divinatione et augurio observant.

De his etiam, super quibus interrogasti, id est de illa femina quæ menstruum sanguinem suum miscuit cibo vel potui, et dedit viro suo, ut comederet; et quæ semen viri sui in potu bibit; et de ea, quæ testam hominis combussit igni, et viro suo dedit pro infirmitate vitanda: quali pœnitentia sint plectendæ? Ut nobis videtur, tali sententia feriendi sunt, sicut magi et arioli, qui magicam artem exercuisse noscuntur. Nam de his, qui magicam artem exercent, et auguria attendunt, et divinationem observant, Theodori archiepiscopi gentis Anglorum constitutiones habemus, in quibus scriptum est: « Qui immolat dæmoniis in minimis, unum annum pœniteat; qui vero in magnis, x annos pœniteat. Mulier si qua posuit filiam suam supra tectum, vel in fornacem, pro sanitate febris, VII annos pœniteat. Qui ardere facit grana ubi mortuus est, hoc pro sanitate viventium et domus, v annos pœniteat. Si mulier incantationes vel divinationes fecerit, unum annum, vel tres quadragesimas, vel XL dies, juxta qualitatem culpæ, pœniteat. »

De hoc in concilio Ancyrano, cap. 22, dicitur: « Qui auguria, auspicia, sive somnia, vel divinationes quaslibet secundum mores gentium observant, aut in domos suas hujusmodi homines inducunt, in exquirendis aliqua arte maleficis, aut ut domos suas lustrent; hi, si de clero sunt, abjiciantur; si vero sæculares, quinquennio pœniteant. Qui cibum immolatum comederit, et deinde confessus fuerit, sacerdos considerare debet personam, in qua ætate, vel quomodo edoctus, aut qualiter contigerit, et ita auctoritas sacerdotalis circa infirmum moderetur, et in omni pœnitentia semper, et confessionem omnino, in quantum Deus adjuvare dignetur, cum omni diligentia conservetur. »

CAPUT XXXI.

De sortilegis et auguribus.

Item in concilio Agathensi de sortilegis vel augurium servantibus, scriptum est: « Ne de eo fortasse
A videatur omissum, quod maxime fidem catholicæ religionis instat, quod aliqui Sti clerici, sive laici student auguriis, et sub nomine ficto religionis, quas sanctorum sortes divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione, futura promittunt. Hoc quicunque clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus. »

CAPUT XXXII.

De his quæ fornicantur irrationabiliter.

Item in Ancyrano concilio, cap. 15, scriptum est de his qui irrationabiliter, id est cum pecoribus et masculis, fornicantur: « Quotquot ante vigesimum ætatis annum tale crimen commiserint, XVI annos acta pœnitentia communionem mereantur oratio-
B num. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur vita eorum, qualis tempore pœnitudinis exstiterit, et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem post XX annos ætatis, uxores habentes, in hoc peccato prolapsi sunt, XXV annos pœnitentiam agentes, ad orationis communionem recipiantur. In qua, quinquennio durantes, tunc oblationis sacramenta percipiant. Quod si et uxores habentes, et transcendentes quinquagesimum ætatis annum, ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur. »

Item in eodem concilio, cap. 16: « Eos qui irra-
C tionabiliter vixerint, et in lepra justi criminis alios polluerint, præcepit sancta synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo.

CAPUT XXXIII.

De eucharistia.

Quod autem interrogastis, utrum Eucharistia, postquam consumitur, et in secessum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat antequam in altari consecraretur.

[[b] Ista sententia contraria est sententiis Clementis papæ, et aliorum multorum sanctorum Patrum, qui dicunt corpus Domini non cum cæteris communibus cibis per aqualiculos in secessum mitti.] Superflua est hujusmodi quæstio, cum ipse Salvator dixerit in Evangelio: « Omne quod intrat in os, in ventrem
D « vadit et in secessum emittitur (*Joan.* VI). » Sacramentum [c] corporis et sanguinis, id est [d] ex rebus visibilibus et corporalibus conficitur; sed invisibilem tam corporis quam animæ efficit sanctificationem [et] salutem. Quæ est enim ratio ut hoc quod stomacho digeritur, et in secessum [e] emittitur, iterum in statum pristinum redeat, cum nullus hoc unquam fieri esse asseruerit?

[a] Id est, copulam carnalem habere.

[b] Hæc verba addita fuerant ad marginem ab amanuensi, deinde vel a Stewartio, vel alio, in textum inserta. Vidit Baluzius, vir acutæ naris, illa mentem Rabani evidenter impugnare; ideoque expunxit usque ad verba: *Superflua est hujusmodi quæstio.* Non refragatur ipse Mabillon. in præfat. Sæc. IV Benedicti. B.

[c] In codice Mabillon. legitur: *Sacramentum ergo.*

[d] Delendæ illæ voces, *id est*, quæ desunt in cod. ms. et sensum invertunt. MAB.

[e] Codex Anton. Faurii addit, *ut stercus*. MAB. Annal. T. IV, p. 628.

Nam quidam nuper, de ipso sacramento corporis et sanguinis Domini non rite sentientes, dixerunt: Hoc ipsum corpus [a], et sanguinem Domini, quod de Maria Virgine natum est, et in quo ipse Dominus passus est in cruce, et resurrexit de sepulcro [b]..... cui errori quantum potuimus, ad Egilum abbatem scribentes, de corpore ipso quid vere credendum sit aperuimus. Dicit enim de corpore et sanguine suo ipse Dominus in Evangelio: « Ego sum panis vivus, « qui de cœlo descendi; si quis manducaverit ex « hoc pane, vivet in æternum. Caro enim mea vere « est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui man- « ducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, « habet vitam æternam. » Hanc ergo vitam non habet, qui illum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam illam temporalem vitam sine illo homines utcunque in hoc sæculo habere possunt, qui non sunt per fidem in corpore ejus; æternam vero nunquam, quæ sanctis promittitur. Ne autem putarent sic in isto cibo et potu, quem carnaliter sumunt, et spiritualiter non intelligunt, in fide promitti vitam æternam: ut, qui eam sumerent, nec anima, nec corpore morerentur, huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam cum dixisset, « Qui manducat « carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet « vitam æternam, » continuo subjecit et dixit: « Ego « resuscitabo eum in novissimo die, » ut habeat interim, secundum spiritum, vitam æternam. In novissimo ergo die, quando anima incorruptum corpus suscipiet, tunc anima et corpus cujuscunque sancti, in unum sociata, habebunt vitam æternam, quia adunantur simul caput et membra, et sic totum corpus Christi gaudebit in perpetuum. Caro enim mea « vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Cum enim cibo et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit; id est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta.

CAPUT XXXIV.

[c] *De restitutione Ebonis episcopi.*

De Ebonis autem Rhemensis episcopi depositione atque restitutione non necesse esse æstimo tuæ interrogationi respondere. Videant illi qui hoc egerunt, utrum juste an injuste hoc fecerint. Ego, dum in episcopatu Moguntiensis Ecclesiæ indignus constitutus sum, inveni eum in Hiltineshaim [d] in Saxonia episcopalem sedem habere. Nec eum prohibui præsulis officium gerere, quia audivi, ab Apostolica sede in locum suum restitutum esse. Sicque ad finem vitæ in suo officio remansit. Rogantibus autem quibusdam fratribus, Hincmaro episcopo [Rhemensi] nuper pro hoc ipso epistolam direxi, quia audivi eum, illos quos Ebo post restaurationem suam consecravit, a sacerdotali atque clericali officio removisse. Postquam autem mihi inde responsum opportunum redditum fuerit, tibi intimare curabo.

Hæc igitur tibi, sancte frater, juxta postulationem tuam ad interrogata, quantum ægritudo infirmi corporis mei sinebat, et commoditas temporis permisit, juxta sanctorum canonum instituta et sanctorum Patrum sententias, respondere curavi. Tu autem, qui sospes es, et multorum librorum copiam acquirere et legere vales, si quid melius et congruentius invenire poteris, meæ parvitati in epistolari scriptura intimare non graveris.

[a] Cod. Ant. Faurii addit, *esse*. MAB.

[b] Lacuna hic est in ms. exemplari Canisii, sed sic eam replevit Baluzius: *idem esse quod sumitur de altari*. B.

[c] Hæc addita sunt Pœnitentiali. B.

[d] Vulgo *Hildesheim*.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

COMMENTARIORUM IN EZECHIELEM

LIBRI VIGINTI. (ANNO 842.)

EPISTOLA LOTHARII AUGUSTI AD RABANUM.

Inclytus orthodoxus LOTHARIUS Augustus suo RABANO MAURO salutem.

Desideranti mihi tuo alloquio mutui reddere alloquii officia, vulgari tumultu cæsis auribus circumseptus, facundiæ horror arcet, fateor, cogit dilectionis ardor, et prærogativo suffragio debitum persolvo. Dat vires animi charitas diffusa Dei: suggerit enim verba loquentibus illisque donat edere sermones qui loqui non valent; omnes expetit, universos invitat, et illis occurrit ætatibus quæ vota dicere non sapiunt. Absentia nostra desiderium tuum non coarctet, quod quamvis corporeus indueatur [*Forte*, negetur] aspectus, amplitudinem mentis oculorum visus non coangustat, si subito translatu rapitur in animo; sed ingenti amplitudine spatians, absentiam corporalem spiritali repræsentat officio; quomodo pure diligen-

tium vestes affectus peregrinari (*sic*). Et ideo flagitamus ut desiderium tuo in corde nostra de præsentia crebro augeatur, et tu a conspectu tuo non procul elongatus, animo devoto in tuo semper manens, cunctipotentem Dominum infatigabiliter obsecret vestra assidua flagitatio, nostra pro incolumitate animi, conjugis prolisque, ut represso luctu, concesso regno simul cum bonis lætemur : regnum est enim regnoque sæculi longe præstantius, ubi jam non adversi aliquid contingit unde mœrore alligaris, sed perenni gaudio exsultabis : hoc judicium est verum ad victoriamque perventum. Alii conferunt ex devotione fidei suæ parva vel magna, tu conclusisti muneribus tuis nobis maximum librum ducis nobilissimi Jesu Nave, qui typum veri regis æterni Jesu Christi præferebat, ut Jesum comitemur armati, nec aliter ad capessendam victoriam valemus accedere, nisi Domino virtutum adhæreamus. Optandum vero nobis est, et votis omnibus ambiendum, sub tali magistro victricem tolerare militiam peragendam triumpho illius. Hæc est ergo forma certandi consummatique cursus obtinendæ victoriæ, quæ et formam terrenæ conditionis exsuperat, et ultra corpulentiæ facultatem gratia divini Spiritus erigitur. Beatitudinis tuæ promissio et de divinis aliis libris expositio, ut portator nobis retulit, quærenda nobis via est, et sic quæramus ut sibi nostræ non differas Genesis initium libri usque *viam ligni vitæ*, secundum litteræ sensum, [a] jungas opes, facies, voluntates tuas cum Bedæ, dum quod alter desideravit, uterque proficiat. Jeremiæ sermones, in quibus magni interpretis Hieronymi expositio non A invenitur, ad locum usque Threnos finitos cum oratione, rogo ut spiritali sensu exponas. Ezechiel vero in ultima visione, ab eo loco in quo papæ beatissimi Gregorii homiliæ terminantur, usque ad finem prophetiæ, in qua nostri interpretis sensus juxta anagogen rimantur, etiam ethicam quam quatriduos tua largitio aperiat. Appende beneficia quæcunque largiris, æquatisque lancibus ea quæ rehibentur examina. Si partem receperis, habebis in residuo debitorem; si totum creditor esse desisti, quanto melius est utrumque prospicere quod et sortem repleat et usuram multiplicet; aliud in præsenti, aliud in futuro quod perire non possit. Placet, inquam, habitatio tua nobis, si creditur ab omni jactantia aliena. Plus enim interiorem hominem rustica inventum B solitudo, quam regalis urbium pulchritudo delectat; ubi nulla liventis invidia tranquillum pectus hilari mentitur intuitu, nec fucati sermonis adumbrata blanditiis artifici scelere mutua fabricatur astutia. Juvat animum quidquid adjacet obtutu interiore percurrere : modo de profundis oculos elevare, modo despicere convallia de supernis, tantoque flagrantius ad altiora protendere, quanto cupidius ad alta pervenerit. Vale in Domino, et memento petitionum nostrarum quæ insertæ sunt in duabus epistolis, ut solertia tua tribuat quod benignitas petit, ut propter diuturnitatem temporis, obnixe imploramus, a moderatione tarditatis memoria tua non discedat. Duas tibi epistolas misi, quarum una est legenda tantum, hæc vero altera et legenda, et in libro operis tui C apponenda.

[a] Locus corruptus.

PRÆFATIO

AD PRÆDICTUM PRINCIPEM RESCRIPTA.

Domino serenissimo et excellentissimo imperatori LOTHARIO Augusto, RABANUS, minimus servorum Dei, æternam in Christo optat salutem.

Quantum vos animi mei intentio diligat, Deus testis est; quia et hic vobis semper prospera adesse, et in futura vita æterna bona succedere desidero; et hoc oro assidue ut omnipotentis Dei clementia hic vos a cunctis hostibus protectos diu servet incolumes, et in regno cœlesti simul cum sanctis suis æternæ beatitudinis efficiat participes. Unde etiam voluntatem habeo juxta petitionem vestram et secundum tenorem epistolæ quam mihi misistis, voto vestro satisfacere, et quidquid in studiis sacrarum litterarum vel tractatibus divinarum Scripturarum, divina gratia largiente, laborare potuero, vestræ præsentiæ potissimum dirigere : ut habeatis illud, et simul cum vestris eruditis doctoribus examinantes, quidquid ibi inveneritis bene et congrue dictum, ejus gratiæ hoc deputetis a quo est omne bonum; si quid vero aliter quam regula veritatis doceat ibi positum vobis videatur, hoc etiam mihi citius intimare curetis, ut aut errorem meum corrigam, aut si obscurius dictum sit, planius dicam. Sic enim laboris mei fructum consequar, si illis utilis erit, qui eo uti elegerint. Quod autem in epistola vestra subjunxistis, tres D petitiones simul ponendo, hoc est, ut historicum sensum in exordio Genesis vobis explanarem, et de tractatu beati Hieronymi in Jeremiam prophetam id quod post sextum librum expositionis ejus usque ad finem restat supplerem, feci quantum potui. Et expositionem in librum Genesis condens, sensum in eo historicum nec non et allegoricum opportunis locis juxta sanctorum Patrum documenta, quantum satis credidi, explanavi. Si quis autem majora quærat, legat libros beati Augustini de Genesi ad litteram, et ibi sufficienter omnia exposita inveniet. Expositionem vero in Jeremiam, quantum ex sanctorum Patrum sententiis explanatam inveni, et quantum ex proprio sensu conjicere valui, jam vobis in viginti libris comprehensum transmisi. Quod vero

tertio loco postulastis de Ezechiele in præsenti opusculo, prout infirmitas corporis et parvitas ingenii sivit, confectum habetis : feci enim non quasi successor papæ Gregorii et prædicator plebis Dei, supplendo hoc quod ille homiliarum conditione populum docens inchoavit, et tamen usque ad finem prophetæ non perduxit; sed quasi imitator et discipulus, non solum ipsius memorati papæ, sed et aliorum sanctorum doctorum vestigia sequendo. Condens opus quod rogastis, non tantum in extremam partem, sed in totum prophetam : et singulorum doctorum sententias, quorum dicta legi per singula loca, simul cum nota nominum eorum, posui. Quod autem mihi insuper divina gratia investigare concessit, simul interposui. Et sicut Jeremiæ tractatum in viginti libris consummavi, sic et istum eodem numero terminavi, petens lectorem ut non tædiose accipiat prolixitatem hujus operis, sed legat inde ea quæ sibi elegerit, si totum legere despexerit, sciens quod non incomposite, sed magis utiliter hoc fecerim. Quia si ultra modum brevitati studens, ea quæ sancti doctores necessaria legentibus fore judicabant, intacta præterirem, forsitan scire volentibus difficultatem prophetici libri magis nocerem quam prodessem : non enim omnia quæ inde exposita reperi hic posui, sed tantummodo ea quæ inde necessaria fore judicavi. Septuaginta vero editionem in plerisque locis omisi, ubi eam videlicet ponere non necessarium arbitrabar, præceptum beati Hieronymi in hoc ipso observans, qui de interpretum disceptatione in libro primo tractatus in Isaiam prophetam, ita dicit : « In expositione sanctarum Scripturarum veritatem debemus sequi, non contentionem; » qui et in tractatu Ezechielis ita ait : « Lectorem admoneo ne translationum diversitate turbetur, sed ut in præsenti loco in mensuris templi Hebraica veritate contentus sit. » Nec etiam illud silendum arbitror, quod quibusdam narrantibus comperi, quosdam sciolos me in hoc vituperasse quod excerptionem faciens de sanctorum Patrum scriptis, eorum nomina prænotarem, sive quod aliorum sententiis magis invisus [*Forte*, innixus] essem, quam propria conderem; quibus ad hoc facile respondere possum : quid enim peccavi in hoc quod magistros Ecclesiæ veneratione dignos judicabam, et eorum sententias prout ipsi eas protulerant opportunis locis simul cum nota nominum eorum in opusculis meis interposueram? Magis enim mihi videbatur salubre esse ut humilitatem servans sanctorum Patrum doctrinis innitерer, quam per arrogantiam, quasi propriam laudem quærendo, mea indecenter proferrem, quando hoc summæ humilitatis exemplar et magister ipse Dominus faciendum quodammodo suo exemplo docere videatur, qui in Evangelio contra Judæos incredulos et vituperatores suos disputans ait (*Joan.* VII) : *Qui a semetipso loquitur, propriam gloriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est.* Unde nobilissimi doctores, beatus videlicet Hieronymus, atque Augustinus, nec non et alii similiter, inveniuntur non solum sacrorum librorum testimoniis sua scripta probare, sed etiam præcedentium Patrum dictis suas sententias roborare; quatenus eo acceptiora eorum opuscula legentibus forent, quo certiora ac firmiora per idoneos testes ea esse considerarent. Illi enim qui laudem quærunt, et se ab hominibus videri appetunt, dictent vel scribant quidquid voluerint, et laudatores suos atque adulatores undecunque possint sibi acquirant : *Mihi autem adhærere Deo* omni tempore vitæ meæ *bonum est, et ponere in Domino Deo spem meam. Ut annuntiem omnes laudes ejus in portis filiæ Sion* (*Ps.* LXXII); in illis videlicet portis de quibus scriptum est : *Beati qui ambulant in semitis vitæ, et per portas introeunt in civitatem* (*Apoc.* XXII); quatenus perveniant ad illas portas Jerusalem cœlestis, de quibus per Psalmistam dicitur : *Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te* (*Psal.* CXLVII). Quod illo tempore accidit quando sponsus intraverit, sicut in Evangelio de virginibus legitur : *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua* (*Matth.* XXV). Clausa scilicet non ad custodiæ pœnam, sed in beatitudinem sempiternam, quia nec inde quisquam ulterius exibit, nec aliquis postea novus intrabit. Vitam vestram longævam et diu incolumem Deus omnipotens æterna beatitudine consummare dignetur !

INCIPIUNT

COMMENTARIA IN EZECHIELEM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Visio quatuor animalium; visio rotarum, visio throni Dei et imaginis Dei super thronum.

« Et factum est in tricesimo anno in quarto mense, in quinta mensis. » (*Greg.*). Usus propheticæ locutionis est, ut prius personam, tempus, locumque describat, et postmodum mysteria dicere prophetiæ incipiat; quatenus ad veritatem solidius ostendenda, ante historiæ radicem figat, et post fructus spiritus per signa et allegorias proferat. Ezechiel ita-

que, ætatis suæ tempus indicat, dicens : « Et factum A est in tricesimo anno, in quarto mense, in quinta die mensis. » Locum quoque denuntians adjungit. « Cum essem in medio captivorum juxta fluvium « Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Domini. » Tempus etiam captivitatis insinuat subdens.

« In quinta die mensis ipse est annus quintus « transmigrationis Joachin. » Qui ut bene personam indicet, etiam genus narrat cum subditur : « Et fa- « ctum est verbum Domini ad Ezechiel filium Buzi « sacerdotem. » Sed prima nobis quæstio oritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est dicens : « Et factum est in tricesimo anno ; » *et* namque sermo conjunctionis est, et scimus quia non conjungitur sermo subsequens, nisi sermoni præcedenti. Qui igitur nihil dixerat, cur dicit, « et factum est, » B cum non sit sermo cui hoc quod incipit subjungat? Qua in re intuendum est, quia sicut nos corporalia, sic Prophetæ sensus spiritalia aspiciunt, eisque et illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantiæ absentia videntur. Unde fit ut in mente Prophetarum ita conjuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant simulque in eis fiat, et intus verbum quod audiunt, et foras quod dicunt. Patet igitur causa, cur qui nihil dixerat inchoavit, dicens : « Et factum est in tricesimo anno, » quia hoc verbum quod foris protulit, illi verbo quod intus audierat conjunxit. (*Hieron.*) Tricesimus annus non ut plerique existimant ætatis prophetæ dicitur, necnon jubilæi qui est annus remissionis, sed a duodevicesimo anno Josiæ regis Juda, quando inventus est C liber Deuteronomii in templo Dei usque ad quintum captivitatis annum Joachin cognomento Jechoniæ, qui cum matre ductus est in Babylonem, et cum Daniele tribusque pueris et Ezechiel : quæ est tribus Juda prima captivitas, quando stillavit ira Dei super Jerusalem. Secundum ἀναγωγὴν vero præfiguratur Dominus atque Salvator, qui triginta annos natus venit ad baptismum, quæ in homine perfecta ætas est. Unde et in Numerorum volumine juxta Hebræos, non, ut in Septuaginta continetur, a vicesimo quinto ætatis anno, sed a tricesimo incipiunt sacerdotes in templo ministrare. In quod signum præcessit et Joseph, quando in Ægypto esurienti populo frumenta largitus est, et Joannes Baptista venit ad fluenta D Jordanis, prædicavitque baptismum pœnitentiæ. Quodque scriptum est, « in quarto, » pendente sententia, subauditur mense, statim enim sequitur, « in quinta mensis. » Quod ut manifestius fieret, supra addidere Septuaginta : « Cum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei, in quinta mensis ipse est annus quintus transmigrationis Joachin. » (*Hieron.*) Captivum sedisse populum super flumina Babylonis David prophetat in spiritu : « Super flumina, » inquiens, « Babylonis, ibi sedimus et flevimus » (*Psal.* cxxxvi). Chobar autem aut nomen est fluminis, aut certe juxta interpretationem suam, quia in *grave* vertitur, Tigrim significat et Euphratem, et omnia magna et gravissima flumina, quæ in terra Chaldæorum esse perhibentur, apertosque cœlos, non divisione firmamenti, sed fide credentis intellige, eo quod cœlestia sint illi reserata mysteria. Unde et in baptismate Salvatoris quando Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, apertos cœlos legimus. Quibus reseratis panduntur visiones Dei; non una visio sed plures, dicente Domino per prophetam : « Ego visiones multiplico, et in manibus Prophetarum assimilatus sum (*Osee* xii). » Istæ sunt visiones quas omnis Ezechielis prophetia contexuit, significantiusque juxta Hebræos et cæteros interpretes transmigratio dicitur Joachin et non captivitas, quod Septuaginta transtulerunt. Non enim captus urbe superata, sed voluntate se tradens ductus est in Babylonem. Igitur Joachin, id est Jechoniæ, dicatur prima transmigratio; Sedechiæ autem secunda vel extrema captivitas. (*Greg.*) Sed ipsa Hebræa verba multum nobis ad mysterium interpretandum valent. Nam Chobar interpretatur *gravitudo*, vel *gravitas*. Ezechiel, *fortitudo Dei*; Buzi, *despectus* vel *contemptus*; Chaldæi, *captivantes*, vel *quasi dæmones*. Venit ergo Ezechiel juxta fluvium Chobar, quia fortitudo Dei per incarnationis suæ mysterium propinquare dignata est peccatorum suorum pondera portanti generi humano, quod ab ortu suo quotidie defluit ad mortem, sicut de illo per Psalmistam dicitur : « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* i). » Juxta decursus quippe aquarum plantatus, quia juxta lapsus incarnatus est defluentium populorum; fortitudo ergo Dei ex contemptu vel despectu nascitur, quia redemptor noster humanitatem assumere ex populo perdito et contempto dignatus est. Venit ergo in terram Chaldæorum. Chaldæi interpretantur, ut diximus, captivantes vel quasi dæmones. Iniqui etenim qui et ipsi iniquitates perpetrant, et ad iniquitatem alios suadendo trahunt, nimirum captivantes sunt, qui recte quoque et quasi dæmones interpretantur, quia hi qui et alios ad iniquitatem suadendo pertrahunt, in semetipsis ministerium dæmonum ad iniquitatem suscipiunt, quamvis dæmones per naturam non sint. Venit ergo fortitudo Dei in terra Chaldæorum quia inter eos unigenitus patris apparuit, qui et in semetipsis ad peccatum defluxerant, et ad peccata alios captivantes trahebant. Sed expositionis sermo ad Prophetæ nunc personam redeat. « Et facta est super eum ibi manus Domini. » (*Hieron.*) Ut cernere visiones Dei et intelligere possimus, manu et fortitudine Dei super nos opus est. In qua manu et brachio eductus est populus Israel de Ægypto. Cujus fortitudinis partem etiam magi intellexerunt, dicentes : « Digitus Dei est hic (*Exod.* viii). » Et Salvator in Evangelio : « Si ego in digito Dei ejicio dæmonia : » pro quo in altero Evangelio scriptum est : « Si ego in spiritu Dei ejicio dæmonia (*Luc.* xi). »

« Et vidi et ecce ventus turbinis veniebat ab aqui- « lone, et nubes magna et ignis involvens, et splendor « in circuitu ejus. » (*Greg.*) Intuendum nobis est qui sit in Prophetæ verbis ordo locutionis. Qui enim su-

prius de seipso dixerat: « Aperti sunt cœli, et vidi visiones Domini, » postea tanquam si de alio narraret adjungit: « Et facta est super eum ibi manus Domini. » Ac deinde quasi ad se revertitur et dicit: « Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone. » Quid est hoc quod modo Ezechiel loquitur, modo de Ezechiele? si per totum diceret de se, quæstio non esset; si per totum diceret, quasi de alio, nihilominus quæstio non fuisset. Quid ergo est hoc quod sic variatur sermo propheticus, ut modo Propheta de se loquatur, modo autem de ipso quasi alius loqui videatur? Sed sciendum est quia hi qui prophetiæ spiritu replentur per hoc quod aperte nonnunquam loquuntur de se, et nonnunquam sic de se verba tanquam de aliis proferunt, indicant, quia non propheta, sed Spiritus sanctus loquitur per prophetam. Pro eo ergo quod per ipsos sermo fit, ipsi loquuntur de se, et pro eo quod aspirante sancto Spiritu loquuntur, idem sanctus Spiritus per ipsos loquitur de ipsis, Veritate attestante, quæ dicit: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » Hinc etiam Moyses ait: « Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. » Qui enim non dicit eram, sed erat, profecto aperte indicat, quia is qui per illum de illo loquebatur, alius erat. Hinc Joannes ait: « Vidi illum discipulum, quem diligebat Jesus (*Joan. ult.*). » Unde et Paulus ut non se esse qui loquebatur ostenderet, dixit: « Si experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus (*II Cor.* XIII). » Quia igitur in locutione prophetica alter est qui præsidet, alter qui obsequitur, cum de se ipso Propheta loquitur persona obsequentis est, cum vero per Prophetam Spiritus loquitur, de Propheta sublimitas præsidentis ostenditur. Recte ergo et tanquam de alio dicitur, « facta est super eum ibi manus Domini. » Et de se protinus adjungit:

« Et vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone. » (*Hieron.*) In consolationem populi transmigrantis et revelationem sententiæ Dei Propheta videt maximam visionem. In cujus interpretatione omnes synagogæ Judæorum mutæ sunt, ultra hominem esse dicentium et de hac, et de ædificatione templi, quod in ultimo prophetiæ hujus scribitur aliquid velle conari. Nos autem quæ a majoribus accepimus, et juxta modulum ingenioli nostri spiritalibus spiritalia comparantes, suspicari magis possumus, quam explanare, a benevolis fidelibusque lectoribus veniam deprecantes, ut temeritati, imo fidei nescienti mensuram suam, faveant, magis quam irascantur. Ac primum sciendum spiritum auferentem sive adtollentem, quem nos juxta Aquilam interpretati sumus « ventum turbinis, » et juxta Symmachum et Theodotionem, flatum ac « spiritum tempestatis, » ab aliis in bonam, ab aliis in contrariam partem accipi. Verbum enim Hebraicum *rhua* pro locorum qualitate, vel spiritus, vel anima, vel ventus accipitur. Spiritus ut ibi: « Emitte spiritum tuum, et creabuntur (*Psal.* CIII). » Anima: « Egredietur spiritus ejus, et revertetur in terram suam (*Psal.* CXLV). » Ventus: « In spiritu vehementi confringens naves Tharsis (*Psal.* XLVII). » Et alibi: « Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum (*Psal.* X). » Qui ventum et flatum tempestatis legunt, hoc sentiunt, iram et furorem Dei venire a Babylone, id est, Nabuchodonosor, et Jerusalem post sex annos hujus visionis esse capiendam. Cernitur enim visio quinto anno transmigrationis regis Joachin, qui et Sedechiæ regnanti in Jerusalem quintus erat, quem cum legimus post sex similiter annos, id est, anno undecimo imperii sui urbe capta ductum in Babylonem. His ergo qui habitabunt propter flumen Chobar, et sponte se regi tradiderant, revelatur quod benefecerint obedire sententiæ Dei. In brevi enim et Judæam provinciam et urbem Jerusalem esse capiendam. Quodque nubes magna describitur, intelligamus eam imbres eversionum super Judæam pluviasque allisionum portare. Involutus ignis monstrat ventura supplicia et captivitatis mala. « Splendorque in circuitu ejus, » significat Dei aperta judicia. Qui autem in contrariam partem sentiunt, hoc est bonam, spiritum auferentem sive extollentem, Spiritum sanctum intelligunt; qui auferat ab hominibus vitia atque peccata, sive jacentes adtollat ad sublimia, faciatque recedere ab aquilone vento frigidissimo, a quo exardescunt mala super omnem terram. Et in Jeremia olla illa terribilis a facie aquilonis accenditur. Nubem quoque magnam ad personam Christi referunt, qui venit in Ægyptum hujus sæculi super nubem levem; magnamque proprie dici ad comparationem minorum, Prophetarum videlicet et Apostolorum omniumque sanctorum, de quibus scriptum est: « Et veritas tua usque ad nubes (*Psal.* XXXV). » Et, « mandabo nubibus ne pluant super Jerusalem imbrem (*Isa.* V). » Et alibi: « Nubes pulvis pedum ejus (*Nahum.* I). » Et iterum: « Nubes et caligo in circuitu ipsius (*Psal.* XCVI). » « Ignem quoque micantem et splendorem in circuitu ejus, » juxta illud accipi quod scriptum est: « Deus ignis consumens est (*Deut.* IV), » ad quem mittendum super terram Salvator venisse se dicit (*Luc.* XII), et in nobis omnibusque credentibus ardere desiderat, qui cum terrorem peccatoribus inferat atque supplicia, tamen splendore rutilet, et lumine ac fulgore sit plenus, idcirco nos excoquens ut puris atque purgatis tribuat lætiora. (*Greg.*) Bene autem maligni spiritus immissio « ventus turbinis » appellatur. Turbo quippe ædificium quod tangit, concutiendo subruit. Et omnis antiqui hostis tentatio quæ agitur in mente, ventus est turbinis, quia concutiendo per desideria ab statu suæ rectitudinis evellit. Sed nos ista reticentes, quæ humano generi erunt ab hoste callido in fine ventura, ad solam Judæam ex qua Propheta fuit, et cujus perditionem prophetando conspicit, verba vertamus. Quæ incarnato Domino tanto gravius ab aquilone venturi turbinis pertulit, quanto a sua rectitudine concussa cadens, per torporem mentis in perfidia frigida remansit. Ventus ergo turbinis ab aquilone venit, cum

vitam Judaici populi malignus spiritus in tentatione concussit. Ubi et recte additur : « Et nubes magna. » Quia quanto plus quisque exarsit incredulitate, tanto amplius obcæcari meruit ignorantiæ suæ caligine. Redemptorem quippe humani generis quem in lege ac prophetis intelligentes exspectaverant, videntes negabant. Unde actum est ut eorum mens magna ignorantiæ suæ nube tegeretur ; ne hunc postea inquirentes agnoscerent, quem prius et denuntiare poterant et amare renuebant. Ignis enim nomine, cum per significationem dicitur, aliquando Spiritus sanctus, aliquando autem mentis malitia designatur. De bono enim igne scriptum est : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? (*Luc.* XII). » Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens, a carnalibus suis desideriis concrematur. De malo autem igne dicitur : « Et nunc ignis adversarios consumet, » quia cor pessimum ex sua malitia tabescit. Sicut autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit ; quia et sanctus Spiritus cor quod replet elevat, et ardor malitiæ ad inferiora semper incurvat. Judæa igitur nube suæ ignorantiæ cæcata, quia mox ad persecutionis nequitiam erupit, igne suo involuta est, quæ in obligatione se nequitiæ per eamdem ipsam crudelitatem, qua exarsit, implicavit. Nubem itaque sequitur « ignis involvens, » quia in eis cæcitatem mentis secuta est crudelitas persecutionis. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). » Sed iste ignis alibi exarsit atque alibi splenduit. Nam subditur : « Et splendor in circuitu ejus. » Dum enim persecutio in Judæa agitur, sancta Apostolorum prædicatio, in universo mundo dispersa est, sicut ipsi dicunt : « Vobis missum fuerat verbum Dei, sed quia indignos vos judicastis, ecce imus ad gentes (*Act.* XIII). » De crudelitate ergo malitiæ, quæ mentem Judææ concremavit, omnipotens Deus lucem gentibus sparsit. Quia per hoc quod illa redemptorem suum ac membra ejus persecuta est, sanctis Apostolis per diversa dispersis, nos qui in Judææ circuitu positi in tenebris fuimus, dono cœlestis gratiæ splendorem veri luminis videmus. Unde scriptum est : « Sedentibus in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis (*Isa.* IX). » Iste itaque ignis malitiæ, qui a Judæorum cordibus arsit in persecutione, priusquam sanctos Apostolos sæviendo affligeret, in ipso se exercuit auctore ac redemptore generis humani. Unde et subditur : « Et de medio ejus quasi species electri, id est de medio ignis. » (*Hieron.*) Ergo sentiendum quod in medio ignis et tormentorum Dei electri similitudo sit, quod est auro argentoque pretiosius ; ut post judicium atque tormenta quæ patientibus tristia videntur et dura pretiosior electri fulgor appareat, dum providentia Dei omnia gubernantur, et quæ putatur pœna medicina est. (*Greg.*) Quid electri specie nisi Christus Jesus, mediator Dei et hominum designatur? Electrum quippe ex auro et argento est. In electro dum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero a suo fulgore pallescit ; illud ad claritatem proficit, hoc a claritate temperatur.

Quia igitur in unigenito Dei Filio naturæ divinitatis unita est natura nostra, in qua adunatione, humanitas in majestatis gloria excrevit, divinitas vero a sui fulgoris potentia, humanis se oculis temperavit : per hoc quod humana natura clarior facta est, quasi per aurum crevit argentum. Et quia divinitas a fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innovat omnia, si ita ut est nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potius, quam renovaret. Sed claritatem suæ magnitudinis temperavit nostris oculis Deus, ut dum nobis ejus claritas temperatur, etiam nostra infirmitas per ejus similitudinem in ejus luce claresceret, et per acceptam gratiam, ut ita dicam, suæ habitudinis colorem mutaret. Quasi electrum ergo in igne « Deus homo factus » in persecutione. Quod si quis hæc quæ de primo Domini adventu diximus, etiam de secundo velit accipere, celeri est assensu sequendus. Quia sæpe prophetiæ spiritus in uno quod loquitur, multa simul intuetur. Ventus enim turbinis ab aquilone venit, quia nimirum causa peccatorum exigit, ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet. Terror enim perturbationis ultimæ inde venire dicitur unde generatur. Nam quia ad feriendas frigidas peccatorum mentes judicium perturbationis ultimæ agitur, recte ab aquilone ventus turbinis venire perhibetur. Quæ videlicet concussio apte ventus turbinis dicitur ; quia in illa die cunctorum qui tunc in carne mortali inventi fuerint, in pavore nimio corda commoventur. Cum enim cœperit impleri quod scriptum est, « Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur (*Matth.* XXIV), » quæ mens erit hominis æterni judicis sententiam non formidantis? Ibi enim tunc cuncta simul peccata ante oculos redeunt. Ibi omnia quæ cum delectione acta sunt ad memoriam cum pavore revocantur. Ibi caligo cogitationis miseræ ex pœna proximæ damnationis. Unde et subditur : « Et nubes magna. » Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo cæcitatis, cum unigenitum Dei filium in forma divinitatis conspicere reprobi non permittuntur : « Videbunt enim in quem transfixerunt (*Joan.* XIX). » Et, « tollatur impius ne videat gloriam Dei. » Ubi et aperte subditur, « Et ignis involvens. » Quia videlicet ignis ille judicii qui cœlum, aerem et terram concremat, peccatores jam in sua superbia non permittit erigi, sed involvit, quos procul dubio in pœnæ suæ damnatione constringit. « Et splendor in circuitu ejus. » Quia « sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis (*Matth.* XXIV), » ubi nullus tutus a judicio in sua mente latere permittitur, quia ipso judicis fulgore penetratur, de quo mox judice subditur. « Et de medio ejus quasi species electri, »

id est, de medio ignis. Ipse enim angelis atque archangelis omnibusque virtutibus præsidens, Redemptor noster qui velut in electri similitudinem unus ex utraque natura et Deus permansit in patre et ad redemptionem nostram factus est mortalis cum hominibus : in suo tunc terrore videbitur, eique ignis judicii in reproborum vindicta famulabitur. Hinc enim scriptum est : Dies Domini declarabit, quia in igne revelabitur (*I Cor.* III). Hinc Psalmista ait : « Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX). » Hinc Petrus apostolus dicit : « Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa vero ignis ardore solventur (*II Petr.* III). »

« Et in medio ejus similitudo quatuor animalium. » Et hic aspectus eorum. Similitudo hominis in eis. (*Hieron.*). « In medio ejus. » Subauditur quidem, *electri*, sed melius hunc ignem intelligimus qui credentibus lumen, incredulis supplicium est. In hujus ergo ignis medio erat similitudo quatuor animalium, similitudo non natura, quatuorque animalium quæ postea dicuntur quadriformia, una similitudo est, hominis, ut omnia in mundo rationabilia demonstrentur : « Faciamus enim hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Imago autem et similitudo Dei non est corporis forma, sed mentis, descripta ad similitudinem veræ imaginis Christi, qui est imago Dei invisibilis. Hæc rationales naturæ in quatuor versantur locis. Sive propter quatuor cardines mundi, quibus orbis includitur, sive propter quatuor loca cœlestium et terrestrium et infernorum et supercœlestium. De quibus et Paulus apostolus loquitur : « Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II). » De tribus Pauli testimonium est. Videamus et quartum. « Laudate Deum, cœli cœlorum, et aqua quæ super cœlos est laudet nomen Domini (*Psal.* CXLVIII). » Rursumque ab Apostolo dicuntur cœlestia et alia supercœlestia. Nam quia in die judicii tunc sancti omnes, qui mundum perfecte reliquerunt, judices veniunt, apte mox subditur :

« Et in medio ejus similitudo quatuor animalium. » (*Greg.*) Quid enim per quatuor animalia, nisi quatuor Evangelistæ signantur. Nec immerito per evangelistas quatuor perfectorum omnium numerus exprimitur. Quia omnes qui in Ecclesia modo perfecti sunt, perfectionis suæ rectitudinem per eorum Evangelium didicerunt. In medio enim ejus similitudo quatuor animalium. Quia illi tunc ejus corpori uniti, ejus majestati conjuncti, et simul facti cum eo judices videbuntur, qui modo perfecta opera juxta evangelica præcepta secuti sunt. Hinc est enim quod ipsis sanctis apostolis dicitur : « Vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Hinc Isaias ait : « Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (*Isa.* III). » Hinc Salomon de Ecclesia loquitur dicens : « Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ (*Prov.* XXXI). » Quis hoc loco homo describitur, nisi ille de quo scriptum est : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). » Hæc itaque animalia ut surgere ad sanctitatis virtutem valeant, ad hujus hominis similitudinem tendunt. Sancta enim non essent, si hujus hominis similitudinem non haberent. Quidquid in eis de visceribus pietatis, quidquid de mansuetudine spiritus, quidquid de zelo rectitudinis, quidquid de custodia humilitatis, quidquid de fervore charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute justitiæ, id est, a mediatore Dei et hominum Deo Domino traxerunt. Hujus hominis se similitudinem habere, egregius prædicator ostendit dicens : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*I Cor.* IV). » Ad ejus nos similitudinem surgere admonet, cum dicit : « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo descendit (*I Cor.* XV). » Sanctus enim quisque in tantum ad similitudinem hujus hominis ducitur, in quantum vitam sui redemptoris imitatur. Nam ab ejus mandatis atque operibus discordare, quid est aliud quam a similitudine longe recedere? Plangunt autem vitam delinquentium prædicatores sancti. Sed de ipso nostro capite scriptum est, quia « flevit super Hierusalem. » Gaudent de bonis actibus subditorum, et recte operantes diligunt. Sed de redemptore nostro scriptum est : quia cum adolescens quidam diceret : « Hæc omnia custodivi a juventute mea (*Matth.* XIX), » magis dilexit eum. Portant illatas contumelias prædicatores sancti, et nullam ad invicem contumeliam reddunt. Sed cum redemptori nostro diceretur : « Dæmonium habes (*Joan.* VIII), » non injuriam reddidit, sed mansuete respondit, dicens : « Ego dæmonium non habeo. » Fervent zelo rectitudinis prædicatores sancti, sed redemptor omnium flagello de resticulis facto vendentes et ementes ejecit de templo, cathedras vendentium columbas evertit, et nummulariorum effudit æs. In omni quod fortiter agunt humilitatem tota intentione custodiunt, sed per redemptorem nostrum dicitur : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI). » Persecutores quoque suos diligunt prædicatores sancti. Sed ipse auctor omnium ac redemptor, in passione positus, pro persecutoribus intercedit, dicens : « Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. » Membra sua ponunt in passione pro fratribus, sed pro electorum vita usque ad mortem se tradidit auctor vitæ. Dicatur ergo de sanctis animalibus, quod similitudo hominis in eis est. Quia quod sancta, quod mira sunt, hoc in eis de specie similitudinis est, id est, de virtute imitationis. Caput quippe omnium nostrum Redemptor noster est. Et per Salomonem dicitur : « Oculi sapientis in capite ejus.

stultus autem in tenebris ambulat (*Eccle.* II). » Tunc enim in capite oculos habemus, cum vitam redemptoris nostri tacita cogitatione conspicimus, cum omnis nostra intentio in ejus imitatione se erigit, ne si vias lucis aspicere oculus mentis neglexerit, statim clausus in tenebris erroris cadat. Ad hujus similitudinem hominis surgere festinabat Propheta, cum diceret : « In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas (*Psal.* CXVIII). » Qui etenim vias Domini tacitus in mente considerat, et sese exercere in mandatis illius festinat, quid aliud in semetipso nisi imaginem novi hominis reformat? Quod quia in sanctorum cordibus incessanter agitur, recte nunc de animalibus dicitur : « Similitudo hominis in eis. » Post hanc vero similitudinem, quæ nunc in operibus tenetur, quandoque ad similitudinem gloriæ pervenitur. Hinc etenim Joannes dicit : « Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus ; scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus (*I Joan.* III). » Qui mox unde hoc fieri valeat adjungit dicens : « Quoniam videbimus eum sicuti est, » esse etenim Dei est æternum hunc atque incommutabilem permanere. Nam omne quod mutatur, desinit esse quod fuit, et incipit esse quod non fuit. Dei vero esse est dissimiliter nunquam esse. Unde ad Moysen dicitur : « Ego sum qui sum. Et dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos (*Exod.* III). » Jacobus quoque ait : « Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I). » Itaque per Joannem dicitur : « Similis ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » Quia per hoc quod aspicimus ejus essentiam naturæ, a mutabilitate nostra liberati figimur in æternitatem. Immutabimur quippe in ipso quem videbimus, quia morte carebimus videndo vitam, mutabilitatem nostram transcendemus, videndo immutabilem. Corruptione nulla tenebimur, videndo incorruptum. Erit autem tunc similitudo hominis in corporibus nostris. Hinc enim per Paulum dicitur (*Philip.* III) : « Nostra conversatio in cœlis est. Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. » Erunt ergo tunc electorum corpora, claritati Dominici corporis configurata. Quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam, similitudinem configurationis ejus habebunt per gratiam. Quia itaque similitudo ejus nunc in moribus trahitur electorum; et in resurrectione, sequitur similitudo æternitatis in mente, quoniam videbimus eum sicuti est. Et quia similitudinem quoque illius etiam corpora nostra percipient in configuratione, recte de sanctis animalibus dicatur, « similitudo hominis in eis. »

« Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, et pedes eorum, pedes recti. Et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli. Et scintillæ quasi aspectus æris candentis. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. » (*Hieron.*) De his quæ prophetiæ sermo describit, conabimur quid nobis videatur dicere, cum opiniones singulorum breviter strinxerimus. Quidam quatuor Evangelia, quos nos quoque in prœmio commentariorum Matthæi secuti sumus, horum animalium putant nominibus designari. Matthæi, quod quasi hominem descripserit : « Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. » Leonis, ad Marcum referunt : « Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta : Vox clamantis in deserto, Parate vias Domini, rectas facite semitas ejus. » Vituli, ad Lucæ Evangelium, quod a Zacharia incipit sacerdotium. Aquilæ, ad Joannis exordium, qui ad excelsum evolans cœpit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Super quo quid nobis videretur in supradicto opere diximus, pleniusque in Apocalypsi Joannis horum animalium species ac nomina referuntur ad quatuor evangelistas, quibus quomodo possit omnium animalium descriptio coaptari tentabimus suo loco dicere. Alii vero qui philosophorum stultam sequuntur sapientiam duo hemisphæria in duobus templi Cherubim, nos et Antipodas quasi supinos et cadentes homines suspicantur, plerique juxta Platonem, rationale animæ et irascitivum et concupiscitivum, ad hominem et leonem ac vitulum referunt, rationem et cognitionem et mentem et consilium eamdemque virtutemque atque sapientiam in cerebri arce ponentes, feritatem vero et iracundiam atque violentiam in leone, quæ consistat in felle. Porro libidinem, luxuriam et omnium voluptatum cupidinem in jecore, id est, in vitulo, qui terræ operibus hæreat. Quartamque ponunt quæ super hæc et extra hæc tria est quam Græci vocant συντήρησιν, quæ scintilla conscientiæ, in Cain quoque peccatore postquam ejectus est de paradiso, non extinguitur, et qua victi voluptatibus vel furore ipsaque interdum rationis decepti similitudine nos peccare sentimus, quam proprie aquilæ deputant non se miscentem tribus, sed tria errantia corrigentem, quem in Scripturis interdum vocari legimus spiritum, « qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). » « Nemo enim scit ea quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in eo est, » quem et Paulus ad Thessalonicenses scribens, cum anima et corpore servari integrum deprecatur. Et tamen hanc quoque ipsam conscientiam juxta illud quod in Proverbiis scriptum est : « Impius cum venerit in profundum peccatorum contemnit (*Prov.* XVIII), » cernimus præcipitari apud quosdam et suum locum omittere, qui ne pudorem quidem et verecundiam habent in delictis, et merentur audire : « Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere (*Jer.* III). » Hanc igitur quadrigam in aurigæ modum, Deus regit, et incompositis currentem gradibus refrenat, docilemque facit, et suo parere cogit imperio. Quam disputationem partium animæ, id est, hominis qui minor mundus ab iisdem philosophis appellatur, etiam nos attingemus. Sunt qui simpliciter in quatuor animalibus juxta Hippocratis sententiam, quatuor arbitrantur elementa

monstrari de quibus constant omnia, terram, ignem, aerem, aquam, quæ quomodo sibi misceantur, et cum singula sint, sibi juncta videantur, invicemque se tangant, et in una persona animantium quatuor species habeant ac figuras, non est propositi operis. Quatuor quoque rotas de terrenis ad sublimia consurgentes singulis et quadriformibus junctas animalibus, vel eorumdem elementorum commistionem æstimant, vel quatuor temporum circulum qui ternis conficitur mensibus, annumque vertentem qui ab eo quod semper vertatur, et in se redeat nomen acceperit. De quibus pulchre uno versiculo dictum est :

Ver, æstas, autumnus, hiems, et mensis, et annus.

Quodque dicitur : Erat rota in rota, annum in anno significari putant. De quo alius poeta (*Virgil.*) :

Sua per vestigia volvitur annus.

Firmamenti etiam similitudinem, quæ crystallo comparatur, cœlum hoc quod suspicimus intelligi volunt, sub quo volvuntur et transeunt quatuor animantia, thronumque coloris sapphiri, et sedentem desuper hominem sub humana similitudine, imperium cuncta regentis omniaque habentis sub pedibus suis, omnipotentiæ Dei describi autumant, dicique ad extremum. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini. Per quæ quasi per picturam quamdam et imaginem, providentiam demonstrari, quodque pedes animantium recti esse dicantur, et planta pedis vituli seu rotunda, terrena quæque ad cœlestia subvolare, et omnibus angulis amputatis rotunditatem sequi, quæ omnium figurarum pulcherrima est, scintillas rutilantes cuncta plena luminis indicare. « Et manus hominis sub pennis. » Tam ipsius hominis quam leonis et vituli et aquilæ, ut ratio cuncta sustentet, ac de humilitate terrena, ad cœlestia sublevet. Hæc et ad Evangelia, et ad cuncta quæ supra posuimus, referre possumus. Audisse me memini quatuor perturbationes, de quibus plenissime Cicero in Tusculanis disputat, gaudii, ægritudinis, cupidinis, et timoris, quorum duo præsentia, duo futura sunt, per quatuor significari animalia, de quibus et Virgilius breviter : « Hinc metuunt cupiuntque, dolentque, gaudentque, » quæ regi debeant ratione et potentia Dei, quibusque oppositæ sint imo impositæ virtutes quatuor, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, ut earum gubernentur arbitrio. Quæ quomodo vultibus hominis, leonis, vitulique et aquilæ coaptentur, omnino tacuerunt (*Greg.*). Sancta quatuor animalia, quæ prophetiæ spiritu futura prævidentur subtili narratione describuntur, cum dicitur : « Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. » Quid per faciem, nisi notitia, et quid per pennam nisi volatus exprimitur ? Per faciem quippe unusquisque cognoscitur, per pennam vero in altum avium corpora sublevantur. Facies itaque ad fidem pertinet. Penna ad contemplationem. Per fidem namque ab omnipotente Deo cognoscimur. Sicut ipse de suis ovibus dicit : « Ego sum pastor bonus, et cognosco

A oves meas, et cognoscunt me meæ. » Qui rursus ait : « Ego scio quos elegerim. » Per contemplationem vero quia super nosmetipsos tollimur quasi in aere elevamur. Quatuor ergo facies uni sunt. Quia si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat, hoc nimirum sentit quod Marcus, Lucas et Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio quod Lucas, Marcus et Matthæus. Si requiras quid Marcus, hoc quod Matthæus, Joannes et Lucas. Si requiras quid Lucas, hoc quod Joannes, Matthæus et Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt, quia notitia fidei qua cognoscuntur a Domino Deo ipsa est in uno, quæ est simul in quatuor. Quod enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor recognoscis. « Et quatuor pennæ uni. » Quia B Dei omnipotentis filium Dominum Jesum Christum simul omnes concorditer prædicant, et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo facies ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem : quia in eo quem corporeum aspiciunt quasi faciem intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum atque incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam, quasi in aera levantur. Quia itaque et una est fides incarnationis ejus in omnibus et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur, quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni. Sed quæ virtus esset, si fidem atque contemplationem Domini habentes prædicatores illius sancta opera non haberent? Sequitur : « Et pedes eorum pedes C recti. » Quid per pedes, nisi gressus actuum designantur? Quatuor ergo animalium pedes recti esse describuntur. Quia sanctorum Evangelistarum atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Hi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quæ reliquerint reflectuntur. De quibus scriptum est : « Canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti (*Prov.* XXVI). » Ut vero in eisdem prædicatoribus sanctis, vitæ gravitas, fortitudo atque discretio monstraretur, recte subjungitur : « Et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli. » Quia enim prædicatores sancti boum nomine designantur, docet Paulus apostolus, legis testimonium exponens : « Non obturabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX). In sanctis ergo prædicatoribus planta pe- D dis est vituli, scilicet et mature incedens et fortis et divisa. Quia unusquisque prædicator et venerationem habet in maturitate, et fortitudinem in opere, et divisionem ungulæ in discretione. Non enim facile prædicatio ejus accipitur, si levis in moribus esse videatur. Et nulla erit maturitatis ostensio, si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo. Virtutis autem meritum ipsa fortitudo operis admittit, si discreta in intellectu non fuerit. Ecce enim sacram Scripturam legimus, si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus ; si omnia ad spiritalem allegoriam ducimus, similiter indiscretionis stultitia ligamur, legunt enim sacra eloquia prædicatores sancti et aliquando in historia lit-

teram suscipiunt, aliquando vero per significationem litteræ spiritum requirunt, et modo bona facta patrum præcedentium, sicut juxta litteram inveniunt, imitantur, modo quædam quæ juxta historiam imitanda non sunt, spiritaliter intelligunt, et ad profectum tendunt. Quid aliud prædicatores sancti in suo opere, nisi in pede ungulam findunt, de quibus adhuc aperte subditur: « Et scintillæ quasi aspectus æris candentis. » Æris metallum valde sonorum est. Et recte voces prædicantium æri comparantur, quia « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). » Bene autem æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat et ardet. Ardet enim desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa. Sed de candente ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientium procedunt. Recte autem prædicatorum verba scintillæ appellata sunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. Considerandum quoque est quod scintillæ subtiles valde et tenues sunt. Quia cum prædicatores sancti de cœlesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo, quantum possunt ardere desiderio. Ex eorum ergo lingua, quasi quædam ad nos scintillæ veniunt, quia de cœlesti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter amatur. Neque enim cœlestem gloriam aut tantum videre sufficiunt quantum est, aut tantum loqui prævalent quantum vident. Candens ergo æs scintillas projicit, quando vix tenuiter prædicator loqui sufficit hoc unde ipse fortiter ignescit. Divina autem pietate agitur, ut ex ipsis scintillis tenuissimis audientis animus inflammetur. Quia sunt quidam, qui dum parva audiunt majore desiderio replentur, et inde perfecte in Dei amore ardent, unde vix tenuissimas verborum scintillas acceperint. Verbum quippe prædicationis, semen in corde audientis est. Et auditor bonus inde profert postmodum magnam messem scientiæ, unde parvum prius acceperat semen linguæ.

« Et manus, inquit, hominis sub pennis eorum in quatuor partes. » Possunt hoc in loco quatuor partes regiones quatuor mundi accipi. Scilicet, oriens, occidens, meridies et septentrionalis. Quia sanctorum prædicatio, auctore Deo, in cunctis mundi partibus est egressa. Possumus etiam per quatuor partes, principales quatuor virtutes accipere, ex quibus reliquæ virtutes oriuntur, videlicet, prudentiam, fortitudinem, justitiam atque temperantiam. Quas nimirum virtutes tunc veraciter accipimus, cum earum ordinem custodimus. Prima quippe prudentia, secunda fortitudo, tertia justitia, quarta temperantia est. Quid enim prodesse potest prudentia, si fortitudo desit? Scire etenim cuiquam quod non potest facere pœna magis quam virtus est. Sed qui prudenter intelligit quod agatur, et fortiter agit quod intellexerit, jam procul dubio justus est. Sed ejus justitiam temperantia sequi debet, quia plerumque justitia si modum non habet in crudelitatem cadet, ipsa ergo justitia vere justitia est, quæ se temperantiæ freno moderatur, ut in zelo quo quisque fervet sit etiam temperans, ne si plus ferveat perdat justitiam, cum servare moderamina ignorat. Duæ autem sunt sanctorum prædicatorum vitæ, activa scilicet et contemplativa. Sed activa prior est tempore quam contemplativa, quia ex bono opere tenditur ad contemplationem; contemplativa autem major est merito quam activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat. Quid itaque per manus, nisi activa, et quid per pennas nisi contemplativa vita signatur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est, virtus operis sub volatu contemplationis. Quod bene in Evangelio duæ illæ mulieres designant, Martha scilicet et Maria. « Martha enim satagebat circa frequens ministerium, Maria autem sedebat ad pedes Domini, et verba ejus audiebat (*Luc.* X). » Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi. Una activæ serviebat, per exteriorum ministerium, altera contemplativæ, per suspensionem cordis in verbum. Et quamvis activa bona sit, melior tamen est contemplativa. Quia ista cum mortali vita deficit, illa vero in immortali vita plenius excrescit. Unde dicitur, « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. » Quia igitur activa minor est merito, quam contemplativa, recte nunc dicitur: « Manus hominis sub pennis eorum. » Nam etsi per activam boni aliquid agimus, ad cœleste tamen desiderium per contemplativam volamus. Unde et apud Moysen activa servitus, contemplativa autem libertas vocatur. Et cum utræque vitæ ex dono sint gratiæ, quamdiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum, ad ejus regnum ingreditur, nisi bene prius operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt. Sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt. Illa ergo in necessitate, hæc in voluntate est. Illa in servitute, ista in libertate. Hinc est enim quod ad Moysen dicitur: « Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis, cum quali veste intraverit, cum tali exeat (*Exod.* XXI). » Servus vero Hebræus emptus sex annis servire præcipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum, nisi activæ vitæ perfectio designatur? Quid per septenarium nisi contemplativa exprimitur? Sex vero annis servivit, et septimo egreditur liber, qui per activam quam perfecte exhibuerit ad contemplativæ vitæ libertatem transit. Etenim servus est qui per activam vitam hominibus servire disposuit, et post præsens sæculum ad libertatem veram valeat pervenire: de qua per Paulum dicitur: « Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII). » Tunc etenim vera in nobis libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc ergo non solum activa vita in servitute est, sed

ipsa quoque contemplatio qua super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quies intima in ænigmate videtur. Ipsa tamen in quantalibet sit contemplationis angustia, activa vita jam valde est latior atque sublimior, quæ ad quamdam mentis libertatem transit, temporalia non cogitans, sed æterna. Quia itaque contemplativa vita ad superiora evolat, et activæ vitæ longe superest, quadam ut ita dicam dignitate securitatis suæ, apte nunc dicitur, « et manus hominis sub pennis eorum est. » Quia nisi Deus homo fieret, qui mentes prædicantium ad cœlestia sublevasset, illa quæ apparent animalia non volarent. Nec immerito manus hominis esse sub pennis dicitur, quia de eodem Redemptore nostro scriptum est (Hebr. I): « Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis. » Ejus ergo manus corda nostra portat. Ejus manus in contemplatione nos sublevat. Nisi enim ut dictum est omnipotentis Verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam Verbi excellentiam non volarent. Inde ergo excelsæ factæ sunt hominum mentes, unde inter homines apparuit humilis Deus. Dicatur itaque de sanctis animalibus, dicatur, « et manus hominis sub pennis eorum. »

« Et facies et pennas per quatuor partes habebant, « junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. « Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur, » etc. (Hieron.) Juncta sibi sunt Evangelia hærentque mutuo, et in toto orbe volitantia huc illucque discurrunt, nec habent finem volatus, nec aliquando superantur et recedunt, sed semper ad ulteriora procedunt. Unde et Paulus dicit : « Præteritorum oblivisœns, et in ulteriora me extendens (Philipp. III). » Hoc autem et de virtutibus animæ possumus dicere, et de volatu temporum, commistioneque elementorum, quod præterita relinquentes semper ad priora festinent. Quod autem tempora labantur et fugiant, brevi versiculo demonstratur :

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

(Greg.) Per quatuor partes facies et pennas animalia habent, quia in cunctis mundi regionibus prædicantes demonstrant, quidquid de humanitate, quidquid de divinitate nostri Redemptoris sentiunt. Quia dum incarnatum Deum ubique prædicant, in quatuor mundi partibus facies demonstrant; dumque eum esse unum cum Patre et Spiritu sancto annuntiant, ubique pennæ contemplationis volant. Quorum pennæ junctæ sunt alterius ad alterum. Quia omnis eorum virtus, omnis sapientia, qua cæteros homines contemplationis suæ volatu transcendunt, vicissim sibi in pace atque unanimitate conjungitur. Unde et scriptum est : « Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica (Jacob. III). » Et unde eisdem suis prædicatoribus Veritas dicit : « Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos (Marc. IX). » Penna ergo animalium alterius ad alterum jungitur : quia sanctorum prædicatorum virtus atque sapientia vicissim sibi in charitatis atque concordiæ pace sociatur. Penna autem alterius ab altero divisa esset, si in hoc quod unusquisque in sapientiam evolat, habere pacem cum altero recusaret. Sequitur : « Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Pennata animalia, videlicet prædicatores sancti, cum incedunt minime revertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritalia pertranseunt, ut ad ea quæ dereliquerint ulterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quamdam viam eis incedere, est mente ire semper ad meliora, quo contra de reprobis dicitur : « Nemo mittens manum suam in aratro et respiciens retro, aptus est regno Dei (Luc. IX). » Manum quippe in aratrum mittere est, quasi per quemdam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire, sed retro post aratrum aspicit, qui post exordia boni operis, ad mala revertitur, quæ reliquit. Sed quia hoc electis Dei minime contingit, recte nunc per Prophetam dicitur : « Non revertebantur cum incederent. » Qui cur non revertebantur indicat, cum subjungit : « Unumquodque ante faciem suam gradiebatur. » Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia ad illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Unde et magnum illud pennatum animal dicebat, quod usque ad cœli tertii secreta volaverat : « Unum vero, quæ retro sunt oblitus, in ea quæ sunt ante extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis (Philipp. III). » In anteriora etenim extentus eorum, quæ retro sunt oblitus fuerat, quia temporalia despiciens, sola quæ sunt æterna requirebat. Ante faciem ergo suam gradiuntur sancta animalia, quia et ea quæ reliquerunt, nullo jam appetitu respiciunt, et in æternis quæ appetunt, sub contemplationis suæ oculo boni operis pedem ponunt. Quisquis itaque jam ante faciem suam ambulare decreverit, magna ei consideratione pensandum est, quod aliter retro respicitur ex opere, atque aliter ex cogitatione. Sunt etenim quidam qui magna deliberant, et peccatorum suorum conscii multa ex his quæ possident egenis distribuere pertractant, ut culpas suas ante Dei oculos misericordiæ visceribus rediment. Jamque hæc operari inchoant, et plerumque cum operantur paupertatis timor eorum animum concutit, atque timentes ne egeant, erga egentes tenaces fiunt, seseque ab ea quam cœperant bona operatione suspendunt. Hi nimirum incedentes reversi sunt, quia ante faciem suam ambulare noluerunt. Sunt vero nonnulli qui bona quidem quæ noverunt operantur, atque hæc operantes meliora deliberant, sed retractantes meliora, quod deliberant immutant. Et quidem bona agunt, quæ cœperant, sed in melioribus quæ deliberaverant succumbunt. Hi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione, unde fit plerumque ut et bonum opus eorum minus Deo placeat, quia cum pes mentis in meliori gradu deliberationis inconstanter ponitur, hoc ipsa cogitationis inconstan-

tia accusat. Sed quia perfecti quique magna se discretionis subtilitate conspiciunt, ne ad deteriora unquam vel in opere vel in cogitatione delabantur, quantum quotidie proficiant incessanter pensant, recte de his dicitur, « non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. »

« Similitudo autem vultus eorum facies hominis, « et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies « autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies « aquilæ desuper ipsorum quatuor. » (*Hieron.*) Facies principia dicit Evangeliorum, e quibus homo et leo, hoc est nativitas Christi et prophetæ vox tonantis in eremo dextras partes tenent, vituli autem, id est, victimarum et sacerdotii Judæorum in sinistris est, quod abolitum transivit ad sacerdotium spiritale, de quo dictum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Ita duntaxat ut omnia sibi hæreant unoque corpore censeantur. Aquila autem quæ et super nativitatem, et super prophetiam est, quæ Domini expletur adventu, et super sacerdotium quod præteriit, extra hæc omnia est, de nativitate referens spiritali, quomodo Pater in Filio et Filius in Patre sit, de qua rectissime dicitur : « Generationem ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII.) Ista sunt juxta Apocalypsin, ut ante jam diximus, quatuor animalia plena oculis ante et retro, quorum unum animal simile leonis, et secundum simile vituli, et tertium habere faciem hominis, et quartum simile aquilæ volantis (*Apoc.* IV). Ibique dicuntur in modum Seraphim senas habere alas, duabus faciem, et duabus pedes operientia, duabus autem volantia, et nec in die nec in nocte cessantia, atque dicentia, « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est et qui venturus est. » (*Greg.*) Sed quia electi omnes membra sunt redemptoris nostri, ipse autem redemptor noster caput est omnium electorum per hoc quod membra ejus figurata sunt, nil obstat si etiam in his omnibus et ipse signetur, ipse enim unigenitus Dei filius veraciter factus est homo, ipse in sacrificio nostræ redemptionis dignatus est mori ut vitulus, ipse per virtutem suæ fortitudinis surrexit ut leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur, quia in ipsa morte in qua ex humanitate redemptor noster dormire potuit, ex divinitate sua immortalis permanendo vigilavit. Ipse etiam post resurrectionem suam ascendens in cœlos, in superioribus est elevatus ut aquila. Totum ergo simul nobis est, qui et nascendo homo, et moriendo vitulus, et resurgendo leo, et ad cœlos ascendendo aquila factus est. Sed quia per hæc animalia Evangelistas quatuor, et sub eorum specie simul perfectos omnes jam superius significare diximus, restat ut, quomodo unusquisque electorum istis animalium visionibus exprimitur ostendamus. Omnis etenim electus atque in via Domini perfectus, et homo et vitulus, et leo simul et aquila est. Homo enim rationale est animal. Vitulus autem in sacrificio mactari solet; « leo vero fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum (*Prov.* XXX). » Aquila ad sublimia evolat, et irreverberatis oculis solis radiis intendit. Omnis itaque qui in ratione perfectus est homo est, et quando semetipsum ab hujus mundi voluptate se mortificat, vitulus est. Quia vero ipsa sua spontanea mortificatione contra adversa omnia fortitudinem securitatis habet, unde scriptum est : « Justus autem quasi leo confidens absque terrore erit (*Prov.* XXVIII), leo est. Qui vero sublimiter contemplatur ea quæ cœlestia atque æterna sunt, aquila est. Igitur quomodo [quoniam] justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis leo, per contemplationem vero efficitur aquila : recte per hæc sancta animalia signari unusquisque perfectus potest. Quod idcirco dicimus, ut ea, quæ de quatuor animalibus dicta sunt pertinere quoque etiam ad perfectorum singulos demonstremus. Sed magna nobis de eisdem evangelistis et sanctis prædicatoribus quæstio oritur, cur leo et homo a dextris ipsorum quatuor, vitulus vero a sinistris ipsorum quatuor esse perhibetur : neque enim sine admiratione est, cur duo illa a dextris et unum hoc esse a sinistris dicitur. Et rursus quærendum cur aquila non a dextris vel a sinistris, sed desuper ipsorum quatuor esse memoratur. Duas itaque quæstiones nobis objecimus, quas oportet ut aperiente Domino dissolvamus. Homo igitur et leo a dextris, vitulus vero a sinistris esse perhibetur ; a dextris enim læta, a sinistris vero tristia habemus. Unde et sinistrum nobis esse dicimus hoc, quod adversum esse deputamus : et sicut præfati sumus per hominem incarnatio, per vitulum passio, per leonem vero auctoris nostri resurrectio designatur. De incarnatione autem unigeniti Filii, qua redempti sumus, omnes electi lætati sunt. De morte vero illius ipsi electorum primi sancti Apostoli contristati, qui iterum de ejus resurrectione gavisi sunt. Quia ergo ejus et nativitas et resurrectio lætitiam discipulis præbuit quos ejus passio contristavit, homo et leo a dextris, vitulus vero a sinistris eis fuisse describitur. Ipsi namque evangelistæ sancti de ejus humanitate gavisi sunt, de ejus resurrectione confirmati, qui de ejus passione fuerant contristati. Homo ergo et leo eis a dextris est, quia Redemptoris nostri eos incarnatio vivificavit, resurrectio confirmavit. Sed vitulus a sinistris : quia mors illius eos ad momentum temporis in infidelitate prostravit. Jure autem locus aquilæ non juxta sed desuper esse describitur, quia sive per hoc, quod ejus ascensionem signat, seu quia verbum Patris Deum apud Patrem esse denuntiat, super evangelistas cæteros virtute contemplationis excrevit : cum quibus etsi simul de ejus deitate loquitur, hanc tamen omnibus subtilius contemplatur. Sed si aquila cum tribus aliis adjuncta quatuor animalia esse memorantur, nimirum quomodo desuper ipsorum quatuor describitur, nisi quia Joannes per hoc, quod in principio Verbum vidit, etiam super semetipsum transiit. Nam nisi et se transisset, Verbum in principio non

vidisset. Qui ergo et seipsum trangressus est, non jam solummodo super tria, sed adjuncto et se super quatuor fuit.

« Et facies eorum et pennæ eorum extentæ desuper. Duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum. » (*Hieron.*) Et supra diximus juncta sibi esse Evangelia, et tempora, et omnes rationales creaturas quatuorque virtutes; ita ut qui una caruerit, omnibus careat. Quodque duæ extentæ sunt et in altum se elevant, prædicationem cœlestem significant, et omnia ad Dei tendere majestatem. Duæ autem quibus teguntur corpora, humana excluditur scientia, nec perfectus præbetur intuitus, dicente Apostolo : « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, destruentur ea quæ ex parte sunt (*I Cor.* XIII). » (*Greg.*) Facies et pennæ desuper extentæ describuntur, quia omnis intentio omnisque contemplatio sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cœlestibus appetit, sive enim bono operi, seu vero invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc agit quod bonum est, quoniam ei complacere concupiscit a quo est. Nam qui bona agere videtur, et per hæc non Deo, sed hominibus placere desiderat, intentionis suæ faciem deorsum premit. Et qui idcirco in sacro eloquio ea quæ divinitatis sunt contemplatur, ut per hoc quod intelligit, occupari ad quæstiones possit, qui non dulcedine quæsitæ beatitudinis satiari appetit, sed doctus videri : iste nimirum intellectus sui pennas desuper non extendit. Sed quando sensus sui vigilantiam in terreno appetitu occupat, pennas quas sublevare in altum, et quibus sublevari ipse potuit, in imis deponit. Qua in re pensandum est, ut omne bonum quod agitur per intentionem semper ad cœlestia levetur. Qui enim per bona quæ fecit terrenam gloriam concupiscit, pennas suas et faciem deorsum deprimit. « Duæ, inquit, pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum. » Dictum fuerat facies et pennas eorum extentas desuper atque mox subjunctum est hoc, quod protulimus, quia duæ pennæ singulorum jungebantur, ubi apte intelligitur quia et extendebantur desuper et jungebantur, duæ vero tegebant corpora eorum. Quid autem pennæ animalium nisi alæ nominantur? Qua in re nobis diligenti perscrutatione quærendum est quæ sint quatuor pennæ sanctorum, ex quibus duæ superius extentæ junguntur, duæ vero eorum corpora contegunt. Si enim vigilanter aspicimus, quatuor esse virtutes invenimus, quæ a terrenis actibus omne pennatum animal levant, in futuris videlicet amor et spes; de præteritis autem timor et pœnitentia. Pennæ autem sibimet junctæ superius extenduntur, quia sanctorum mentem amor et spes ad superiora [*Al.*, æterna] elevant. Quæ apte quoque conjunctæ nominantur, quia electi procul dubio et amant cœlestia quæ sperant, et sperant quæ amant. Duæ vero corpora contegunt, quia timor et pœnitentia ab omnipotentis Dei oculis eorum mala præterita abscondunt. Duæ itaque, ut dictum est, pennæ junguntur sursum, quando amor et spes electorum corda ad superiora elevant, ad cœlestia suspendunt. Duæ autem pennæ tegunt corpora, quando eorum mala præterita a conspectu æterni Judicis timor et pœnitentia abscondunt. In eo enim quod se peccasse meminerunt, quia pertimescunt et deflent, quid aliud quam corpus cooperiunt, qui facta carnalia per superducta bona opera a districto examine abscondunt? Scriptum quippe est : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI). » Peccata enim tegimus, cum bona facta malis actibus superponimus. Omne enim quod cooperitur, inferius ponitur, et hoc unde operitur desuper ducitur. Quando ergo abdicamus mala quæ fecimus, et eligimus bona quæ faciamus, quasi tegmen ei rei superducimus, quam erubescimus videri. Quamlibet enim sancti viri in hac adhuc vita sint, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant. Quia omnino est impossibile, ut aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione nunquam delinquant. Unde et beatus Job, qui perfecta quidem hominibus dixerat, Dei tamen vocem audiens, seque ipsum de ipsa sua perfecta locutione reprehendens dicebat : « Manum meam ponam super os meum (*Job.* XXXIX). » In manu quippe operatio, in ore locutio est. Manum ergo super os ponere, est peccata locutionis per virtutem boni operis tegere. Libet, fratres, adhuc in hujus rei testimonium magistrum gentium vocare, qualiter sanctum illud animal alis quatuor innitatur aspicere. Ex quibus duabus ad superiora evolat, duabus vero pennis corpus contegit. Quia præterita quæ egerat, a judicio abscondit. » Videamus igitur quantus hunc amor ad cœlestia elevet : « Mihi vivere Christus, et mori lucrum (*Philip.* I). » Cognoscamus quanta spe ad superiora tollitur. « Nostra conversatio in cœlis est. Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum (*Philip.* III). Videamus si et in tantis virtutibus positus adhuc timet : « Castigo corpus meum et servituti subjicio, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). » Cognoscamus si hunc mala fecisse pœnitet. « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* XV). » In cujus verbis quid aliud quam duritia nostræ mentis accusatur? quia ipse plangit quod ante baptisma commiserat; nos vero et post baptisma multa commisimus, et tamen flere recusamus. Quatuor itaque pennis sancta animalia utuntur, quia per amorem et spem ad cœlestia evolant, et per timorem et pœnitentiam facta in se illicita deplorant. Qua in re quæstio oritur, quia si duæ pennæ, quæ elevantur, amorem et spem, duæ vero quæ corpora contegunt, timorem et pœnitentiam designant, cur duæ quæ extentæ sunt, dicuntur esse conjunctæ, et duæ quæ corpus contegunt non dicuntur? Sed hac in re facilis, largiente Deo, ratio occurrit, quod sanctorum pennæ conjunctæ

sunt, amor et spes. Duæ vero pennæ, quæ corpora contegunt, sibimetipsis ad alterutrum conjunctæ non sunt, timor et pœnitentia. David enim pro lapsu carnis timendo et pœnitendo affligitur. Petrus casum perfidiæ flevit amare. Paulus in se crudelitatem præteritæ persecutionis plangit. Omnes tamen unam patriam appetunt; ad unum auctorem omnium pervenire festinant. Duæ ergo singulorum pennæ conjunctæ sunt, et duæ non sunt: quia per amorem et spem unum est quod desiderant, sed per timorem et pœnitentiam diversum est quod deplorant.

« Et unumquodque coram facie sua ambulabat, « ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec « revertebantur cum ambularent, etc. » (*Hieron.*) Qui aratri stivam tenet, non debet respicere post tergum nec imitari uxorem Loth, ne incidat in plagam Deuteronomii, et pereat ὀπισθοτόνῳ insanabili, quo cecidit et Heli (*IV Reg.* III, IV), quia vitio filiorum offenderat Deum: quanto magis quatuor animalia, quæ plena erant lumine atque pennata, quæ sequuntur sanctum Spiritum præcedentem, quæ ita per orbem volitant, et se ad excelsa sustollunt, ut corpora sua protegant pennis historiæ, nec nobis aspectum tribuant pleniorem? (*Greg.*) Dictum superius fuerat: Unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur. Nunc autem dicitur « coram facie sua ambulabat. » Ipsa itaque repetita esse videtur sententia. Sed quia coram in præsenti dicimus, possumus subtilius inquirendo discernere, quod aliud sit ante faciem ambulare atque aliud in præsenti; ante faciem quippe ambulare est anteriora aspiciendo petere; in præsenti vero ambulare, est sibimetipsi absentem non esse. Omnis etenim justus qui vitam suam sollicitus aspicit, et diligenter considerat quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum a bonis decrescat, iste, quia se ante se ponit, coram se ambulat: quippe qui vigilanter videt utrum surgat an defluat. Quisquis vero vitæ suæ custodiam negligit, discutere quæ agit, quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat. Quia qualis sit in suis moribus vel actibus ignorat, nec sibimetipsi præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est. Ille autem veraciter se ante se ponit, sibique in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. Nam sunt multa peccata quæ committimus, sed idcirco nobis gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur. Unde fit plerumque ut et nostra gravia leviter, et proximorum mala levia graviter judicemus. Scriptum quippe est: « Erunt homines seipsos amantes (*II Tim.* III). » Et scimus quia vehementer claudit oculum cordis amor privatus, ex quo fit, ut hoc quod nos agimus, et grave esse non æstimemus, plerumque agatur a proximo et nimis nobis detestabile esse videat. Sed quare hoc, quod nobis vile videbatur in nobis, grave videtur in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspicimus sicut nos. Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districte videremus. Et rursum, si proximum aspiceremus ut nos, nunquam nobis ejus actio appareret intolerabilis, qui sæpe fortasse talia egimus, et nihil nos proximo intolerabile fecisse putamus. (*Hieron.*) Quod autem secundo dicitur, « non revertebantur cum incederent, » utriusque instrumenti indicat sacramentum, quod in quatuor istis animantibus et Lex et Evangelium ad futura festinet, et nunquam retro motum accipiat. (*Greg.*) Ecce enim dicitur: « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. » In electis et reprobis diversi sunt impetus. In electis videlicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad perfidiam, ad desperationem, ad iram, ad jurgia, ad voluptates animum impellit. Impetus vero spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem sequentis gaudii, ad patientiam, ad pacem, ad considerationem vitæ mortalis, et lacrymas mentem pertrahit. Unde necesse est ut magna semper cura cogitare debeamus in omne quod agimus, qui nos impetus ducat; utrum nostra cogitatio per impetum carnis, an per impetum spiritus impellatur. Amare etenim terrena, temporalia æternis præponere, exteriora bona non ad usum necessarium habere, sed ad voluptatem concupiscere, ultionem de inimico quærere, de æmuli casu gaudere, impetus carnis est. At contra amare cœlestia, contemnere transitoria, non ad fructum voluptatis transitura, sed ad usum necessitatis quærere, de inimici morte tribulari, impetus spiritus est. Et quia perfecti quique in istis se semper virtutibus exercent, recte nunc de sanctis animalibus dicitur: « Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. » Sed sciendum nobis est, quod plerumque impetus carnis se sub velamine spiritalis impetus palliat, et quod carnaliter facit mentitur sibi ipsa cogitatio, quia hoc spiritaliter faciat. Nam sæpe quis iracundiæ stimulis victus, contra delinquentes zelo ulciscendæ justitiæ, plusquam necesse est inflammatur, et justitiæ limitem in ultionem transiens agit crudeliter, quod se agere juste suspicatur. Impetus igitur carnis hujus sub specie spiritus velatus est, quando et hoc quod creditur agi juste, sub discretionis moderamine non tenetur. Et sæpe alius nimiæ mansuetudini studens subjectorum vitia aspicit, atque hæc per fervorem zeli corrigere recusat, quod in eis crudeliter non corrigendo multiplicat, fitque ut ejus levitas et sibi sit et subjectis inimica, quod torporem mentis suæ quia patientiam deputat, per carnis impetum ab impetu spiritus elongat. Prima ergo nos cogitatio in requisitione nostri cordis debet excutere, ne ad quædam quæ agimus per apertum carnis impetum ducamur, ne pravis delectationibus animus seductus mala esse cognoscat, et tamen faciat. Secunda vero

nos cura debet vigilantes reddere, ne se impetus carnis quasi sub impetu spiritus latenter subjiciat, et culpas quas agimus, nobis virtutes fingat. Sciendum vero est quia graviores culpæ sunt, quæ superducta specie virtutes imitantur, quia illæ in aperto cognitæ animum confusione dejiciunt atque ad pœnitentiam trahunt; istæ vero non solum in pœnitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevant, dum virtutes putantur. Hoc autem, quod de sanctis animalibus dictum superius fuerat, ut altius confirmetur, iterum replicatur. « Non revertebantur cum ambularent, » quia electi quique sic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Et sicut per Salomonem dicitur: « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem (*Prov.* IV). » In eorum namque animo bonum desiderium atque intellectus lucis intimæ jam pars diei est; sed quia usque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad regna cœlestia perducti in ea luce quam desiderant, jam minus aliquid non habebunt. Sequitur: « Et similitudo animalium et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum. » (*Hieron.*) Carbones autem ignis ardentis et lampades in medio animalium discurrentes de illo loco interpretandæ sunt Isaiæ: « Et comedet ignis sicut fenum materiam, et sanctificabo eos in igne ardente: » De quibus et alibi scriptum est: « Cadent super eos carbones ignis (*Psal.* CXXXIX); » et contra labia dolosa in alio psalmo dicitur: « Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX). » Et in alio loco: « Habes carbones ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adjutorium. » Quamcunque creaturam aspexerimus, fulgurat Dei notitiam, dum ex creaturis creator agnoscitur. (*Greg.*) Aspectus animalium carbonibus ignis ardentibus atque lampadibus comparatur. Quisquis enim carbonem tangit, inceditur, quia qui sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis, accipit ut accendatur in amore charitatis, peccatorum suorum tenebras fugiat, in desiderio lucis exardescat, etiam per verum amorem ardeat, qui prius in iniquitate tantum mortuus, quantum frigidus jacebat. Lampades vero lucem suam longius spargunt, et cum in alio loco sint, in alio resplendent. Qui enim spiritu prophetiæ, verbo doctrinæ, miraculorum pollet gratia, hujus opinio longe lateque ut lampas lucet; et quique bona ejus audiunt, quia per hæc ad amorem cœlestium surgunt, in eo quod se per bona opera exhibent, quasi ex lampadis lumine resplendent. Quia ergo sancti viri quosdam juxta se positos, quasi tangendo ad amorem patriæ cœlestis accendunt, carbones sunt; quia vero quibusdam clam e longe positis lucent, eorum itineri, ne in peccatis [peccatorum] vitæ tenebras corruant, lampades fiunt. Hoc vero inter carbones et lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed ejus loci, in quo jacuerint, tenebras non expellunt. Lampades autem quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant. Qua ex re notandum est, quia sunt plerique sanctorum ita simplices et occulti, seseque in locis minoribus sub magno silentio contegentes, ut vix eorum vita ab aliis agnosci possit. Quid itaque isti nisi carbones sunt, qui et si per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent, nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino scire refugiunt, sibimetipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt.

Hi autem, qui et exempla virtutum prærogant et lumen boni operis per vitam et verbum itinerantibus demonstrant, jure lampades appellantur, quia et per ardorem desiderii et per flammam verbi a peccatorum cordibus erroris tenebras repellunt. Qui igitur in occulto bene vivit, sed alieno profectui minime proficit, carbo est. Qui vero in imitatione sanctitatis positus lumen ex se rectitudinis multis demonstrat; lampas est, qui et sibi ardet et aliis lucet. Sequitur: « Et hæc erat visio discurrens in medio animalium, « splendor ignis, et de igne fulgur egrediens, » etc. (*Hieron.*) De medio animantium splendor ignis et fulgur egreditur, quia si Evangelia sibi colliseris, in medio litteræ vilisque historiæ, Spiritus sancti sacramentum reperies (*Greg.*). Splendor ignis et de igne fulgur egrediens in medio animalium discurrens videtur, quia nisi ab igne veritatis pennata illa animalia calorem susciperent, ipsa in carbonum atque lampadarum similitudinem non arderent. Ignis etenim nomine, sanctus Spiritus figurari solet. De quo in Evangelio Dominus dicit: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? (*Luc.* XII.) » Cum enim carnalis mens sanctum Spiritum accipit, spiritali amore succensa malum plangit quod fecit. Et terra ardet; quando accusante se conscientia, cor peccatoris uritur, atque in dolore pœnitentiæ crematur. Hinc rursus scriptum est: « Deus tuus ignis consumens est (*Deut.* IV). » Quia enim mentem quam repleverit, eam a peccatorum rubigine mundam reddit: Creator noster et ignis dicitur et consumens. Sanctus ergo Spiritus in medio animalium splendor ignis et de igne fulgur egrediens discurrere dicitur, quia universam Ecclesiam replens, in electorum cordibus ex seipso flammas amoris projicit, ut corusci more per terrorem feriat, et ad amorem suum corda torpentia accendat. Sed quia Spiritus sanctus Deus ante sæcula Patri est et Filio coæternus, quærendum nobis est cur discurrere dicatur. Omnis etenim qui discurrit, accedit ad locum, in quo non fuit, et eum deserit in quo fuit. Qua igitur ratione discurrere Spiritum dicamus, dum cuncta intra ipsum sint, et locus nusquam sit ubi non sit? sicut scriptum est: « Spiritus Domini replevit orbem terrarum (*Sap.* I). » Et tamen cum laus sapientiæ describeretur, adjunctum est: « Est enim in illa Spiritus in-

tellectus, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, mobilis.» Et paulo post, «humanus, stabilis.» In quibus rursum verbis magna nobis quæstio oritur, cur iste spiritus, qui implet omnia, simul mobilis et stabilis dicatur; sed si ad usum consuetudinis humanæ recurrimus, sensum citius loquentis invenimus. Homo quippe, qui in ea regione in qua est ubique discurrit, procul dubio ubique obviam venit et repente, ubi non creditur, invenitur. Omnipotens ergo Spiritus, ut ubique præsentia signaretur, simul et mobilis et stabilis dicitur. Stabilis, quia per naturam omnia continet. Mobilis autem dicitur, quia ubique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia stabilis, præsentem se omnibus exhibens mobilis appellatur. Splendor ergo ignis, et de igne fulgur egrediens inter pennata animalia discurrit, quia Spiritus sanctus simul singulis atque omnibus præsto fit, et incendit quos tetigerit. Illuminat quos incendit, ut post frigus pristinum accensi ardeant, et per ignem amoris quem acceperint flammas exemplorum reddant. Fulgur quippe de hoc igne egrediens torpentes percutit, eosque percutiendo excitat et inflammat, ut post amorem illius ardentes pariter et lucentes currant. Unde alias scriptum est: «Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus (*Dan.* VII).» Hi enim qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minime permittuntur. Sed quia uno in loco positi divinitatis in se præsentiam portant et ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Hi autem, qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ ejus ignis ardentes sunt: quia cum ex ejus desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent et alios accendunt. Potest tamen discursus atque mobilitas spiritus requisitione alterius considerationis intelligi, in sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes semper manet: Juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim spe et charitate, et in bonis aliis, sine quibus ad cœlestem patriam non potest perveniri, sicut humilitas, castitas, justitia atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit: adest ut eleventur, et ad semetipsum subtrahit, ut humilientur: adest ut eos ostensa virtute glorificet; recedit ut semetipsos subtracta ejus virtute cognoscant, adest ut ostendat quid per ipsum sint, recedit ut patefaciat, qui vel quales remaneant sine ipso. In his itaque virtutibus sine quibus ad vitam minime pervenitur, sanctus Spiritus in electorum suorum cordibus permanet. In his vero per quas sanctitatis virtus ostenditur, aliquando misericorditer præsto est, et aliquando misericorditer recedit. Discurrens ergo et mobilis spiritus dicitur, quia in signis atque virtutibus juxta uniuscujusque votum continue non habetur. Bene autem inter sancta animalia discurrere perhibetur. Discursus quippe ad celeritatem pertinet. Inter perfectos autem discurrit spiritus, quia

A etsi ab eorum corde ad momentum recesserit, citius redit. Sequitur: «Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.» (*Hieron.*) Quidam vero ne contra priores duas sententias propheta dicere videretur, hoc quod putant esse contrarium, id est «et animalia currebant, et revertebantur,» silendum putaverunt, ne legenti scandalum faceret. Melius est autem in divinis libris transferre, quod dictum est, licet non intelligas quare dictum sit, quam auferre quod nescias. Alioquin et multa alia, quæ ineffabilia sunt, et humanus animus non potest, hac licentia delebuntur. Nos autem hoc dicimus, quod quomodo in Proverbiis in eodem loco scriptum est: «Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne similis ei fias (*Prov.* XXVI),» et B rursum ponitur, quod nobis videtur esse contrarium: «Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur» (*Ibid.*); et utrumque pro temporum et personarum diversitate concordat, dum et stultus contemnitur, quia non recipit sapientiam, et stulta superbia alia decutitur stultitia, juxta quod et Apostolus dicit: «Factus sum insipiens, vos me coegistis (*II Cor.* XII);» ita et in hoc loco debere nos quærere, quare supra secundo dictum sit, «non revertebantur animalia cum incederent,» et nunc semel, «animalia currebant et revertebantur,» essetque quæstio, nisi sequeretur, «in similitudinem fulgoris coruscantis,» quod hebraico sermone dicitur bezec, et interpretatus est Symmachus, quasi species radii fulgoris. Quomodo igitur crebris micat ignibus C æther, et in ictu oculi atque momento discurrunt fulgora et revertuntur, non amittentia matricem, et ut ita dicam, fontem ignis atque materiam: ita et hæc animalia cum inoffenso pergant pede, ad priora festinant. Si autem conatui suo aliquid obsitum viderint, non tam revertantur, quam contra hunc se extendenda rursum et præbitura lumen, quod parumper absconderant, ut dent servis cibaria, in tempore suo, nec tribuant sanctum canibus, nec mittant margaritas ante porcos (*Luc.* XII; *Matth.* VII). Unde et Paulus dicit: «Lac vobis potum dedi, non escam, necdum enim capere poteratis (*I Cor.* III).» Electioque Judæ et Saulis unctio non arguunt Deum ignorantiæ futurorum, sed præsentium monstrant esse judicem. Unde et apostolis præcipitur D (*Matth.* X), ut si indignam domum salutatione perspexerint, excutiant prius pedes, et pax quam domui dederant revertetur ad eos. (*Greg.*) Cum superius dictum est, «non revertebantur cum ambularent,» qua ratione nunc dicitur: «Animalia ibant et revertebantur,» valde sibi hæc videntur esse contraria. Quia «ibant, et non revertebantur,» et «ibant et revertebantur.» Sed qualiter intelligendum sit, citius agnoscimus, si duas vitas, activam scilicet et contemplativam sollicite discernamus. In una enim fixi permanere possumus. In altera autem intentam mentem tenere nullo modo valemus. Cum enim torporem nostrum relinquimus, nosque ipsos ad bonæ operationis studium suscitamus, quo alibi nisi ad

activam imus, a qua reverti post nullo modo debemus, quia qui post illam ad torporem negligentiæ, ad pravitatis nequitias, quas reliquerat redit, esse sine dubio cœleste animal nescit. Cum vero ab activa vita ad contemplativam surgimus, quia diu mens stare in contemplatione non valet, sed omne quod de æternitate per speculum et in ænigmate conspicit (*I Cor.* XIII), quasi furtim hoc et per transitum videt; ipsa sua infirmitate, ab immensitate tantæ celsitudinis animus repulsus in semetipso relabitur: et necesse est, ut ad activam redeat, seque ipsum continue in bona operatione exerceat, ut cum mens surgere ad contemplanda cœlestia non valet, quæque potest bona agere non recuset. Sicque fit ut ipsis suis bonis actibus adjuta, rursus in contemplationem surgat, et amoris pastum de pabulo contemplatæ veritatis accipiat, in qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursum opera rediens, suavitatis Dei memoria pascitur, et foris piis actibus, intus vero sanctis desideriis nutritur. Bene autem revertentia animalia coruscanti fulgori comparantur: quia sancti viri cum ad superna contemplanda evolant, cum primitias sui spiritus in cœlestis patriæ amore ligant, sed gravati humanæ conversationis pondere ad semetipsos redeunt, bona cœlestia, quæ saltem per speculum contemplari potuerunt, fratribus denuntiant, eorumque animos in amorem intimæ claritatis accendunt, quam nec videre sicut est, nec loqui prævalent sicut viderunt. Loquentes autem verbis suis corda audientium feriunt et incendunt. Quasi ergo fulgur coruscans redeunt, qui cum cœlestia loquuntur, quia per eos supernum lumen intermicat, ad amorem cœlestis patriæ mentes audientium inflammant. More itaque coruscantis fulguris cum loquendo percutiunt, ignem spiritalis desiderii spargunt. Alio quoque modo sancta animalia vadunt et redeunt: vadunt enim cum ad insinuandam cœlestis doni gratiam in prædicatione mittuntur, atque ut ad fidem trahant mira coram infidelibus faciunt; sed redeunt quia hæc omnipotentis Domini virtuti tribuentes, sibimetipsis quæ fecerint non adscribunt.

LIBER SECUNDUS.

SEQUITUR CAPUT PRIMUM.

« Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies, et aspectus rotarum et opus earum, quasi visio maris, et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi rota in medio rotæ, per quatuor partes earum euntes, ibant et non revertebantur cum ambularent: statura quoque erat rotis et altitudo et horribilis aspectus, et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quatuor. » (*Hieron.*) Huc usque quatuor animantium, quæ quaternas habebant facies, pictura describitur sequentium spirituum et nubem quæ erat in medio spiritus. Nunc per singula animalia singulæ ponuntur rotæ, quæ non erant junctæ animantibus, sed sequebantur ea: sive una rota apparuit super terram, quæ divisa per quatuor tot habebat facies quot animalia sequebantur, tantaque similitudo erat rotarum quatuor sequentium animalia quatuor, ut una rota verissime crederetur: opusque earum erat atque factura quasi visio tharsis, quam nos in mare vertimus, Aquila hiacinthum posuit, qui lapis cœli habet similitudinem. Aspectusque earum erat quasi rota in rota, ut non unam rotam crederes, sed alteram alteri copulatam. Per quatuor partes ibant, et non trahebantur nec revertebantur retrorsum. Qui enim fieri poterat ut reverterentur, cum sequerentur animalia, quæ semper ad priora se tenderent? Statura quoque rotarum et altitudo tanta erat ut miraculum videntibus faceret: totumque corpus et dorsa erant plena lucis in circuitu, ut nullum membrorum aspiceres quod oculos luminis non haberet: qualemque describunt fabulæ poetarum Argum fuisse centoculum sive multorum oculorum, quem Juno in pavum vertit ob negligentem custodiam, ut quod miraculum est conditoris Dei, hoc condemnatio esset inulti adulterii. Omnia cœlestia et terrestria, et quidquid sub humanam cadit intelligentiam solis rotis volvitur, solis annuum circulum per singulos menses luna decurrit. Lucifer qui ipse vesper est, dum ad orientem et ad occidentem rutilus micat, et noctis tenebras parvo temperat lumine, duobus annis eumdem conficit cursum. Aliaque astra quatuor quæ vocantur errantia, et quidquid fulget in cœlo. Segetum quoque et arborum herbarumque varietates, per quatuor tempora suis currunt rotis, nihilque aspicimus, quod ante non fuerit. « Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulos suos revertitur. Omnes torrentes vadunt in mare, et mare non adimpletur (*Eccle.* I). » Quare? Quia ad fontes suos de matrice abysso revertuntur. Evangeliorum autem, id est quatuor animalium, quæ spirant, vivunt, intelligunt, si quis rotam cursumque consideret, in brevi tempore videbit mundum esse completum sermone apostolico. Rota quoque in rota vel duorum junctura testamentorum est quod indicat scala Jacob, et forceps Isaiæ, et gladius bis acutus: vel evangelia sibi cohærentia, quorum rursus et statura tendit ad cœlum, paululumque quid attingit in terra, et semper properans ad excelsa festinat. De quibus et alibi dicitur: « Lapides sancti volvuntur super terram (*Zach.* IX), » ex quibus ædificatur Jerusalem cœlestis. Hoc ipsum puto significare et illud quod in psalmo canitur: « Vox tonitrui tui in rota (*Psal.* LXXVI). » Et alibi: « Quæ inflammat rotam nativitatis (*Jacob.* III). » Quæ testimonia quem sensum

habeant in suis locis, non hujus est temporis. Totum autem corpus et dorsa plena oculis approbabit, qui viderit nihil esse in evangeliis quod non luceat, et splendore suo mundum illuminet; ut etiam quæ parva putantur et vilia, Spiritus sancti fulgeant majestate. (*Greg.*) Propheta igitur dum sancta animalia videret, adjunxit : Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram. Qua in re quærendum est, cum inferius rotæ describantur, cur una rota prius apparuisse dicitur, nisi quia antiquo populo vetus solummodo Testamentum datum est, quod ad erudiendam mentem illius quasi rota volveretur? Bene autem rota eadem super terram apparuisse dicitur, peccanti autem [enim] homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). » Rota autem super terram apparuit, quia Deus omnipotens legem super corda peccantium dedit. Sed quia hæc pennata animalia sanctos, ut diximus, evangelistas designant, quomodo prius animalia, et postmodum rota una aspicitur, dum ante testamentum vetus fuerit, et postmodum sancti evangelistæ secuti sunt ? Sed intelligere in his possumus, quod illi prius a propheta visi sunt, qui merito transcendunt. Nam quanto S. Evangelium Testamentum vetus præcellit, tanto et prædicatores ejus in descriptione prophetica præferri debuerunt : quamvis sit adhuc aliud, quod in hac descriptione considerari debeat. Quia prophetiæ spiritus sic intra semetipsum anteriora et posteriora simul colligit, ut simul hæc prophetæ lingua proferre non possit, sed ampla quæ videt de dispertitis sermonibus emanat, et nunc ultima post prima, nunc vero prima post ultima loquitur. Unde Ezechiel propheta sub figura sanctæ universalis Ecclesiæ et evangelistarum gloriam per quatuor animalium similitudinem videt, et tamen repente illa subjungit, quæ anterioribus temporibus gesta sunt, ut patenter indicet simul se vidisse, quod carnis lingua non sufficeret simul dicere. Quia vero per quatuor animalia etiam perfectos omnes significari diximus, considerandum quoque est quosdam sanctorum, et ante legem fuisse, qui naturali lege districte viverent, et omnipotenti Domino placerent. Post animalia ergo rota describitur, quia electorum multi apud omnipotentem Deum perfecti et ante legem fuerunt. Sin vero animalia solos, ut diximus Evangelistas debemus accipere, est adhuc aliud, quod considerare debemus. Videbat enim sanctus propheta, quia hæc ipsa verba, quæ obscuritatibus obvoluta proferebat, non judaico populo, sed gentibus panderentur. Nobis igitur loquens, prius animalia, et post rotam describere debuit, quia nos ad fidem Domino largiente venientes, non per legem Evangelium, sed per sanctum Evangelium legem didicimus. Ubi vero vel qualis rota apparuerit adjungit, cum dicit : « Juxta animalia habens quatuor facies. » Ubi adhuc subdit : « Et aspectus rotarum, et opus earum quasi visio maris, et una similitudo ipsarum quatuor et aspectus earum et opera quasi sit rota in medio rotæ. » Quid est hoc quod cum una rota diceretur paulo post adjungitur, « quasi sit rota in medio rotæ, » nisi quod in Testamenti veteris littera Testamentum novum latuit per allegoriam ? Unde et rota eadem, quæ juxta animalia apparuit, quatuor facies habere describitur, quia Scriptura sacra per utraque testamenta in quatuor partibus est distincta. Vetus etenim Testamentum in lege et prophetia, novum vero in Evangeliis atque apostolorum Actibus et dictis. Scitur autem, quia ibi faciem intendimus, ubi quod necesse est videmus. Rota ergo quatuor habet facies, quia prius resecanda mala in populis vidit per legem, postmodum vidit per prophetas, subtilius vero per Evangelium ; ad extremum autem per apostolos ea quæ in culpis hominum resecarentur aspexit. Potest quoque intelligi, quod quatuor facies rota habebat, propter hoc quod Scriptura sacra per gratiam prædicationis extensa in quatuor mundi partes innotuit. Unde et bene eadem rota una prius juxta animalia apparuisse, et postmodum quatuor facies habuisse describitur, quia nisi lex Evangelio concordaret in quatuor mundi partibus, non innotesceret. « Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris. » Recte sacra eloquia visioni maris similia narrantur quia in eis magna sunt flumina sententiarum, cumuli sensuum. Nec immerito mari similis Scriptura sacra dicitur, quia firmantur in ea sententiæ locutionis sacramento baptismatis. Vel certe considerandum est, quia navibus in mare navigamus, cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio nisi illa terra, de qua scriptum est : « Portio mea in terra viventium (*Psal.* CXLI). » Ligno autem, ut dixi, evehitur, qui mare transit, et scimus quia Scriptura sacra lignum crucis per legem nobis prænuntiat, cum dicit : « Maledictus omnis qui pendet in ligno (*Deut.* XXI). » Quod Redemptori nostro Paulus attestatur dicens : « Factus pro nobis maledictum (*Gal.* III), » per prophetas quoque lignum annuntiat, cum dicit : « Dominus regnavit a ligno (*Psal.* XCV). » Et rursum : « Mittamus lignum in pane ejus. » Per Evangelium vero lignum crucis aperte ostenditur, ubi ipsa Domini passio, quæ propheta est, declaratur. Rota ergo in medio rotæ est, quia inest Testamento veteri Testamentum novum. Et, sicut sæpe jam diximus, quod testamentum vetus promisit, hoc novum exhibuit. Et quod illud occulte adnuntiat, hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia ergo Testamenti novi Testamentum vetus est, et expositio Testamenti veteris, Testamentum novum. « Per quatuor, inquit, partes earum ibant, et non revertebantur. » Quo alibi divina eloquia, nisi ad corda hominum vadunt? Sed per quatuor partes euntes ibant, quia Scriptura sacra per legem ad cor hominum vadit, signando mysterium. Per prophetas vadit, paulo apertius prophetando Dominum. Per Evangelium vadit, exhibendo quem prophetavit. Per apostolos vadit, prædicando eum quem Pater in nostra redemptione exhibuit. Habent ergo rotæ facies et pennas, quia ostendunt sacra eloquia notitiam præceptorum

cum exhibitione operum. Et per quatuor partes vadunt, quia distinctis, ut prædiximus, temporibus loquuntur, vel certe quia in cunctis mundi regionibus incarnatum Dominum prædicabant. De quibus aperte mox subditur: « Et revertebantur cum ambularent. » Hæc superius de animalibus dicta sunt, sed non eadem intelligi de rotis, quæ de animalibus possunt. Rotas quippe significare Testamenta diximus. Et Testamentum Vetus ambulavit quidem, cum per prædicationem ad mentes hominum venit; sed post semetipsum reversum est, quia juxta litteram in præceptis suis et sacrificiis usque ad finem servari non potuit. Non enim sine immutatione permansit cum in eo spiritalis intelligentia defuit. Sed cum Redemptor noster in mundum venit, hoc spiritaliter fecit intelligi, quod carnaliter invenit teneri. Itaque dum spiritaliter littera ejus intelligitur, omnis in eo illa carnalis exhibitio vivificat. Testamentum vero novum, etiam per testamenti veteris paginas, testamentum æternum appellatum est, quia intellectus illius nunquam mutatur. Bene ergo dicitur quod « rotæ euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent. » Quia dum novum Testamentum non rescinditur, dum vetus jam spiritaliter intellectum tenetur: post se non redeunt, quæ usque ad finem mundi immutabilia persistunt. Ambulant ergo, sed non revertuntur: quia sic spiritaliter ad cor nostrum veniunt, ut eorum præcepta vel studia ulterius non mutentur. Sequitur: « Statura quoque erat rotis et altitudo et horribilis aspectus. » Quid est quod Scripturæ sacræ eloquiis tria hæc inesse narrantur, ut staturam, altitudinem et horribilem aspectum, id est, terribilem habere memorentur? Quærendum nobis magnopere est, quæ divinæ Scripturæ statura, quæ altitudo, qui horribilis aspectus dicitur. Sciendum est ergo, quia statura ad vitam congruit bene operantis. Unde per Paulum dicitur (*I Cor.* x): « Qui stat, videat ne cadat. » Qui etiam discipulis dicit: « Sic state in Domino, charissimi (*Philip.* IV). » Et propheta, qui se vita ac moribus ante Dominum videbat, ait: « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto (*III Reg.* XVII). » Altitudo est cœlestis regni promissio, ad quam tunc pertingitur, quando mortalis vitæ omnis corruptio subjugatur. Horribilis vero aspectus est terror gehennæ, quæ sine fine reprobos cruciat, et semper in cruciatu conservat. Statura ergo in rectitudine præceptionis est. Altitudo in celsitudine supernæ promissionis. Horribilis vero aspectus, in minis atque terroribus supplicii sequentis. Scriptura igitur sacra staturam habet; quia mores ad standum dirigit, ut auditorum mentes ad terrenam concupiscentiam non curventur. Altitudinem habet, quia in cœlesti patria æternæ vitæ gaudia promittit. Horribilem quoque aspectum habet, quia omnibus reprobis gehennæ supplicia minatur. Ostendit igitur staturam suam in ædificatione morum, ostendit altitudinem in promissione præmiorum, ostendit horribilem aspectum, in terroribus suppliciorum.

A Recta est enim in præceptis, alta in promissionibus, horribilis in minis. Habet staturam cum per prophetam dicit: « Quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam (*Isa.* I). » Et rursum: « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et domesticos seminis tui non despexeris (*Isa.* LVIII). » Habet altitudinem, cum per eumdem prophetam dicit: « Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te. Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam (*Isa.* LX). « Habet horribilem aspectum cum infernum describens, dicit: « Dies ultionum Domini, annus retributionum judicii Sion. Et convertentur torrentes ejus B in picem, et humus ejus in sulphur, et erit terra ejus in picem ardentem, nocte et die non exstinguetur in sempiternum (*Isa.* XXXIV). Igitur Ezechiel propheta cum de rotis loqueretur, adjunxit: « Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsorum quatuor. » Qui enim non ipsarum, sed ipsorum dixit, profecto indicat, quia repente sermo ejus a rotis ad animalia rediit; per quæ nimirum perfecti quique, ut prædictum est, designantur. Corpora igitur animalium sanctorum idcirco plena oculis describuntur; quia sanctorum actio ab omni parte circumspecta est, bona desiderabiliter providens, mala solerter cavens. Et hoc est laboriosius, ubi sanctorum mens vehementer invigilat, ne se ante eorum oculos C mala sub bonorum specie abscondant. Circumspecta ergo est vita sanctorum, ne sic sit libera, ut superba sit: quia sæpe superbia excedit in verbis; et videri appetit libertas puritatis ne sic sit humilis ut formidolosa: quia aliquando timore stringit animum, ut loqui quæ recta sunt non præsumat, sed tamen in ipsa timida cogitatione humilem esse se simulat. Ne sic sit parca ut tenax sit: quia plerumque tenacia parcimonia appetit æstimari ut juste ac necessarie videatur tenere, quidquid egenti proximo misericorditer non vult impendere, ne sic sit misericors, ut effusa sit; quia nonnunquam effusio esse misericordia putatur. Aliud est enim pietatis studio necessaria proximis dare, atque aliud ea quæ possidentur sine mercedis intentione dispergere. Quidquid ergo D agitur in radice intentionis, pensandum est, quo merito apud judicium creatoris habeatur. Unde et idem creator dixit: « Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit (*Matth.* VI). » Oculum videlicet intentionem, corpus vero actionem nominans. Quia si nostra intentio apud Deum simplex fuerit, in ejus judicio nostra actio tenebrosa non erit. Igitur quia sancti viri solerter invigilant, ut se undique aspiciant, ubique custodiant, ne aut mala propter ea ipsa appetant, aut hæc sub specie bonorum agant, scilicet ne se eis vitia virtutes esse mentiantur; totum corpus plenum in circuitu oculis habent: quia omnis eorum actio providentia sollicitudinis et repletur et circumdatur. Hinc est quod

Paulus apostolus, dum cuidam pœnitenti de facinore perpetrato Corinthios prospiceret voluisse misereri, ait : « Si cui aliquid donastis et ego. Nam et ego quod donavi, per vos in persona Christi, ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus (*II Cor.* II). » Si enim parcendum non erat, cur se humilitate tanta voluntati discipulorum magister egregius sociat, ut neque ipse a discipulis, neque ab eo discipuli in compassionis causa divisi viderentur, nisi quia sollicito providentiæ oculo attendit, quod plerumque dum alter donat, alter irascitur ? Et quale est jam misericordiæ sacrificium, quod cum discordia proximo offertur ? Unde certe ait : « Ut non circumveniamur a Satana, non enim ignoramus cogitationes ejus. » Quia videlicet inde in alterius corde rixæ malum solet immittere, unde alterum conspicit pietatis negotium fecisse; imperfectum enim bonum est, quod sic agitur, ut ne quid ei ex alio latere mali subrepat, non attendatur. Nisi forte hoc, quod sine cujuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse. Hoc vero ideo dicimus, ut notum vestræ dilectioni faciamus quia in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro auctore didicimus, qui, dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, quo se nihil debere respondit dicens : « Reges terræ, a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis an ab alienis ? (*Matth.* XVII.) » Cui cum diceretur, « ab alienis, » illico respondit : « Ergo liberi sunt filii. » Sed postquam se liberum esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdidit : « Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui prius ascenderit tolle, et aperto ore ejus invenies staterem ; illum sumens da eis pro me et te. » Qui rursum cum diceret : « Quia omne quod in os intrat, non coinquinat hominem, tunc accedentes discipuli dixerunt : Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt. At ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur : sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum (*Matth.* XV ; *Marc.* VII). » Ecce magistra Veritas, ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, et quod non debuit tributum dedit ; et rursum, quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur. Quia ergo sanctorum mentes, undique se circum inspicientes invigilant, atque in omni suo opere pavoris et sollicitudinis oculum circumducunt, ne aut prava agant, aut recta, quæ præcepta sunt non agant, aut bonis actibus expletis in suis cogitationibus intumescant, et tanto gravius offendant, quanto justi videntur foris, et occultius peccant, recte dicitur totum corpus eorum plenum oculis.

« Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea. Et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ, quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotæ pariter levabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant : et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ, sequentes ea, quia spiritus vitæ erat in rotis. » (*Hieron.*) Quatuor animalia spiritum sequebantur et nubem quæ erat in spiritu, rursumque rotæ dum animalia sequerentur elevantia se de terra, nequaquam animalia, sed spiritum sequebantur, ut ostenderent propriam voluntatem, quia spiritus vitæ erat in rotis. Tria autem et in animalibus et in rotis, pariter indicantur, cum starent, cum ambularent, cum elevarentur ; quæ et animalia et rotæ in commune faciebant. Neque enim stantibus animalibus, rotæ poterant ambulare, nec ambulantibus super terram animalibus, elevare se rotæ, sed quorum una erat actio, una erat et requies et cursus et elevatio. Secundoque dicitur, quia spiritus vitæ erat in rotis : ut nequaquam vile aliquod arbitremur rotarum, quas in carpentis plaustrorum rhedarumque et curruum aspicimus, sed animantia, imo super animantia : « Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus (*I Cor.* II). » Istæ ergo rotæ, in quibus erat spiritus vitæ, omnia ordine faciunt atque mensura, habentque cum animantibus concordiam, sequentes ea, et per ea Spiritum sanctum, imo mediis prætermissis sancti Spiritus societate gaudentes. Quæ omnia juxta priorem intelligentiam, variæ interpretationi prudens lector poterit coaptare. (*Greg.*) » Cumque, inquit, ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ, juxta ea. Et dum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ. » Ambulabant animalia, cum sancti viri in Scriptura sacra intelligunt quemadmodum moraliter vivant. Elevantur vero a terra animalia, cum sancti viri se in contemplatione suspendunt. Et quia unusquisque sanctorum quanto ipse in Scriptura sacra profecerit, tanto hæc eadem Scriptura sacra proficit apud ipsum : recte dicitur : « Cum ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ, et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur similiter et rotæ. » Quia divina eloquia, dum leguntur crescunt ; nam tanto illa quisque intellexit altius, quanto in eis altius intendit. Unde nec elevantur rotæ, si non elevantur animalia. Quia nisi legentium mentes ad alta profecerint, divina dicta velut in imis non intellecta jacent. Cum enim legenti cuilibet sermo Scripturæ sacræ tepidus videtur, sensus divini eloquii ejus mentem non excitat, et in cogitatione sua nullo intellectus lumine emicat ; rota et otiosa et in terra est, quia animal non elevatur a terra. At vero si animal ambulet, id est, bene vivendi ordinem quærat, et per gressum cordis inveniat quemadmodum gressum boni operis ponat,

A ambulant pariter et rotæ. Quia tantum in sacro eloquio profectum invenis, quantum apud illud ipse profeceris. Si vero pennatum animal sese in contemplationem tetenderit, rotæ protinus a terra elevantur. Quia terrena non esse intelligis, quæ prius in sacro eloquio juxta terrenum morem dicta credidisti, fitque ut Scripturæ sacræ verba cœlestia esse sentias, si accensus per contemplationis gratiam temetipsum ad cœlestia suspendas. Et mira atque ineffabilis sacri eloquii virtus agnoscitur, cum superno amore legentis animus penetratur. Quia ergo animal ad alta se sublevat, rota volat; sequitur: « Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotæ pariter levabantur sequentes eum. » Rotæ enim spiritum sequuntur, quia verba sacri eloquii, ut sæpe jam dictum est, juxta sensum legentium per B intellectum crescunt. In una enim eademque sententia Scripturæ, alius sola historia pascitur, alius typicam, alius vero per typum contemplativam intelligentiam quærit. Et fit nonnunquam, ut diximus, ut in una eademque sententia cuncta simul tria valeant inveniri. Quia igitur dicta sacri eloquii cum legentium spiritu excrescunt; recte nunc dicitur, « quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. » Et subditur: « Spiritus enim vitæ erat in rotis. » In rotis enim spiritus vitæ est, quia per sacra eloquia dono spiritus vivificamur, ut mortifera a nobis opera repellamus. Potest autem intelligi, quia spiritus vadit; cum legentis animum di- C versis modis et ordinibus tangit Deus; quoniam hunc per verba sacri eloquii modo in zelo excitans, ad ultionem erigit, modo ad patientiam mitigat, modo in prædicatione instruit, modo ad pœnitentiæ lamenta compungit. Sed recurramus breviter per hæc eadem verba quæ diximus, et videamus quomodo sequuntur rotæ spiritum, qui vitæ spiritus dicitur, et rotis inesse perhibetur. Certe si legentis animum spiritus vitæ in zeli fervore tetigerit, protinus in sacris eloquiis videt, quod Moyses ad castra rediens, et per idola populum peccasse cognoscens (*Exod.* XXXII), hunc per fervorem spiritus gladio stravit; quod Phinees persequendo luxuriam (*Num.* XXV), iram Domini gladio placavit, quod Petrus mentientes sibimet verbo perculit et occidit (*Act.* X), quod Pau- D lus negligentibus disciplinæ virgam minatur (*I Cor.* IV). Si spiritus vitæ legentis animum ad observandam patientiam tangit, statim sequuntur et rotæ; quia in sacris eloquiis invenit (*Num.* XX), quod Moyses et Aaron cum loquentes recta persecutionem populi passi sunt, ad tabernaculum cucurrerunt pro ipso populo exorantes, quem fugiebant. Sancta autem eorum mens et timorem superbientium pertulit, et tamen contra eos ad odium non erupit. Patientia vero est, quæ et ipsum amat, quem portat, nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamen furoris. In eisdem quoque eloquiis invenit (*I Reg.* VIII), quod Samuel, de principatus culmine dejectus, orasse se etiam pro dejicientibus confitetur; quod nemo sanctorum ad cœlestem gloriam nisi patientiam servando pervenit. Quod ipse auctor et redemptor generis humani, sputa, colaphos, spineam coronam, crucem, lanceam pertulit, et tamen pro persecutoribus oravit (*Matth.* XXVI, XXVII). Si vitæ spiritus legentis animum ad studium prædicationis excitat; statim sequuntur et rotæ: quia in sacris eloquiis invenit (*Exod.* V) quod Moyses jubente Domino contra Ægypti regem, in quantis se prædicationis libere verbis erexit, quod Stephanus Judæis perfidentibus diceret: « Vos semper Spiritui sancto restitistis (*Act.* VII), » nec inter lapides timuit. Quod Petrus, fustibus cæsus, ne in nomine Jesu loqueretur, cum magna libertate respondit: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* V). » Quod Paulus catenarum vinculis stringitur (*Philipp.* I), sed tamen verbum Dei non est alligatum (*II Tim.* II). Si vitæ spiritus ad pœnitentiæ lamenta compungit, sequuntur protinus rotæ, cum Scripturæ sacræ verba David pœnitentiam proferunt. Quod rex reprehensus a propheta, quia subjectus cœlesti regi non fuit, subjecto increpanti non erubuit confiteri quod fecit (*II Reg.* XII). Quod publicanus, qui reatum suæ nequitiæ cognovit (*Luc.* XVIII), etsi injustus ad templum venit, justificatus a templo rediit. Quod Petrus negationis maculas lacrymis lavit (*Matth.* XXVI). Quod latro, qui in cruce cognovit culpam suam, in ipsa jam morte invenit veniam (*Luc.* XXIII). De quibus adhuc rotis eadem propheta replicat atque subjungit: « Cum euntibus ibant, et cum stantibus stabant, et cum elevatis a terra, pariter elevabantur et rotæ, sequentes ea, quia spiritus vitæ erat in rotis. » Hæc sunt, sicut nostis, fratres charissimi, ex maxima parte jam dicta; sed iterata descriptione narrantur. Hoc enim solum in his verbis novum adjicitur, quod dictum est, cum stantibus stabant. Sunt enim quidam, qui usque ad hoc proficiunt, ut terrena quæ accipiunt bene dispensare noverint. Misericordiæ intendunt, oppressis obveniunt; hi videlicet vadunt in eo, quod se ad proximi utilitatem tendunt. Cum his ergo rotæ gradiuntur, quia sacra eloquia dictorum suorum passum in ejus itinere disponunt. Et sunt alii, qui in fidem quam acceperunt, ita ad tenendam fortes sunt, ut adversis quibusque resistere valeant, et non solum minime ad perversitatem trahantur perfidiæ, sed etiam perverse loquentibus impugnent, eosque ad rectitudinem trahant. Cum istis stantibus stant etiam rotæ, quia eis rectitudinem suam sacri eloquii verba confirmant, cum in eis audiunt: « State et tenete traditiones quas didicistis (*II Thess.* II). » Et rursum: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide (*I Petr.* V). » Et sunt alii, qui omnia terrena despiciunt, nulla quæ prætereunt possidere dignantur. In Dei se, ut prædictum est, contemplatione suspendunt. Cum his ergo elevatis et rotæ pariter levantur. Quia in quantum quisque ad alta profecerit, in tantum ei et sacra eloquia de altioribus loquun-

tur. Vadunt ergo animalia ad utilitatem proximi. Stant ad custodiam sui. Elevantur ad contemplationem Dei. Sed et rotæ pariter vadunt, stant, elevantur, quia quæsita sacra lectio talis invenitur, qualis et sit ipse a quo quæritur. Ad activam enim vitam profecisti, ambulat tecum : ad immobilitatem atque constantiam spiritus profecisti : stat tecum : ad contemplativam vitam, per Dei gratiam pervenisti, volat tecum. Et rursum subditur : « Quia spiritus vitæ erat in rotis. » Quod idcirco secundo dicitur, vitæ spiritus in rotis esse, quia Scripturæ duo sunt Testamenta, quæ utraque Dei spiritus scribi voluit, ut nos ab animæ morte liberaret, vel certe, quia duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, et dilectio proximi, per quæ utraque nos sacræ Scripturæ dicta vivificant. Secundo ergo dicitur, quia spiritus vitæ erat in rotis : quia dilectionem Dei et proximi capimus in eloquiis divinis, per præcepta sacræ Scripturæ, dicta vivificamur, qui mortui in culpa jacebamus.

« Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis et extenti super capita eorum desuper. » (*Hieron.*) Videtur autem super quatuor animalia, et rotas totidem similitudo firmamenti, quod nos vocamus cœlum, habens speciem crystalli quod est purissimum, et ex aquis mundis atque lucentibus, nimio frigore concrescere dicitur, intantum ut etiam gelu constricta aqua Græco sermone crystallus nominetur. Decebat autem in superioribus esse eximiam puritatem, quæ cuncta protegebat, id est, rationales sapientesque virtutes, et quatuor temporum cursum, et mundi plagas, et rerum omnium ordines et evangelicam prædicationem, quæ ex parte intelligitur, ex parte velatur. « Et similitudo, inquit, supra capita animalium firmamenti, etc. » (*Greg.*) Hanc [Hæc] largiente Domino duobus modis exponimus, ut lectoris judicio, quid eligendum censeat relinquamus. Possunt enim firmamenti nomine cœlestes potestates intelligi. Quod firmamentum recte, quasi aspectus dicitur crystalli : quia videlicet crystallum forte quidem nimis est, sed ex aqua solidatum. Et natura angelica quando creata est liberum arbitrium accepit, ut utrum vellet in humilitate persistere, et in omnipotentis Dei aspectu permanere, an ad superbiam laberetur, et a beatitudine caderet, per similitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus aliis angelis, sancti in sua beatitudine persiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possint, in eis natura sua, quia jam dejici mutabiliter non potest, quasi ad imaginem crystalli durata est, quod crystallum horribile et extensum desuper capita animalium dicitur, quia potestates illæ angelicæ, quæ omnipotentis Dei conspectui assistunt, nobis adhuc in hac corruptione positis terribiles atque pavendæ sunt. Quarum nunc gaudia, quia sensum nostrarum mentium excedunt, super capita animalium esse memorantur. Quis enim in carne corruptibili positus, comprehendere valeat quæ sit illa angelorum ineffabilis et sine fine lætitia? Quæ beatitudo

A sine defectu vultum videre creatoris, atque in ejus dilectione sine immutatione persistere? Potest autem firmamenti nomine ipse per figuram noster Redemptor intelligi, verus Deus super omnia, et factus inter omnia homo perfectus, in quo natura nostra apud Patrem confirmata est. De quo etiam per Psalmistam prophetando dicitur : « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi (*Psal.* LXXIX). » Humana etenim natura, priusquam a Creatore omnium susciperetur, terra erat, nam firmamentum non erat. Peccatori quippe homini dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III). » At postquam assumpta est ab Auctore omnium atque in cœlis sublevata, et super angelos ducta firmamentum facta est, quæ terra fuit. Sed

B firmamentum quod aspicitur, cujus habeat similitudinem subinfertur, cum dicitur : « Quasi aspectus crystalli horribilis. » Crystallum, sicut dictum est, ex aqua congelascit et robustum fit. Scimus ergo quanta sit aquæ mobilitas. Corpus autem Redemptoris nostri, quia usque ad mortem passioni subjacuit, aquæ simile juxta aliquid fuit. Quia nascendo, crescendo, lassescendo et esuriendo, sitiendo, moriendo, usque ad passionem suam per momenta temporum mutabiliter decucurrit. Aqua ergo in crystallum vertitur, quando corruptionis ejus infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis firmitatem est immutata. Sed notandum, quod hoc crystallum horribile, id est pavendum, dicitur. Quis autem nesciat cujus pulchritudinis sit crystallum?

C Et mirum quomodo in hoc crystallo conveniat pulchritudo cum pavore. Sed omnibus vera scientibus constat, quod Redemptor humani generis cum judex apparuerit, et speciosus justis, et terribilis erit injustis. Quem enim mansuetum aspiciunt electi, hunc eumdem pavendum atque terribilem reprobi. Sed hunc ideo terribilem tunc non videbunt electi, quia modo terrorem illius considerare non cessant. Et quia ipse pavor ejus quem in suis cogitationibus tenent eorum mentes protegit, recte subjungitur : « Extenti super capita eorum desuper. » Firmamentum hoc, quod in similitudinem crystalli super capita animalium apparet, et horribile et extensum est, quia bonorum mentes unde terret, inde protegit. Si enim pavendus in eorum

D cordibus non esset, protector et modo a peccatis, et post a suppliciis non fuisset. Quia autem semper considerant qui pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudine conservant. Unde et apte mox subditur : « Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum, etc. » Pennæ virtutum sub firmamento rectæ sunt, quando bonum quod alter habet alteri impendit, ut qui terrenam substantiam accipit, indigentes proximi inopiam sublevet. Qui doctrinæ gratia plenus est, ignorantis proximi tenebras verbo suæ prædicationis illustret. Qui temporali potestate subnixus est, oppressos a violentiis relevet. Qui prophetiæ spiritu plenus est, a vita proximi mala imminentia bona suadendo declinet. Qui gratiam curationis accipit, intercessione sua saluti infir-

mantium pie et humiliter intendat [impendat] : qui A
a terrenis actibus liber soli Deo vacare meruit, pro delinquentibus exoret. Fit autem sæpe, ut qui terrena substantia nimis occupatur, orationi non quantum debet, invigilet. Et fit plerumque, ut is qui ad exorandum Dominum, cunctis mundi oneribus exutus vacat, sustentationem vivendi non habeat. Sed dum dives porrigit alimentum atque vestimentum pauperi, et dum pauper orationem suam animæ divitis impendit, pennæ animalium recte alterius ad alterum tenduntur. Sequitur :

« Unumquodque duabus alis velabat corpus suum. « Et alterum similiter velabatur. » (*Greg.*) Quia per corpus actio, per alas vero virtutes signantur, supra jam diximus. Et cum dicat, « sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum, » quærendum B
est qualiter subditur, « Unumquodque duabus alis velabat corpus suum. » Qua in re hoc patenter indicat, quia et pennas alius ad alterum tendebant, et tamen duabus alis corpus proprium velabant. Quid et hoc, nisi, quia sic debemus virtutes quas accipimus aliis impendere, ut ea in quibus peccavimus, non desinamus caute cogitare, et reatum nostrum quotidie per timorem et pœnitentiam plangere? Duas enim alas superius quibus corpus velabatur, timorem et pœnitentiam diximus. Si ergo in charitate crescamus ut pennas tendamus ad proximos, sic pennas tendamus in proximos, ut nunquam desinamus cogitare et plangere nosmetipsos. Pennæ autem tendantur juxta pennas, ut cooperiant corpora, ut de C
bonis actibus præbeamus exempla, et mala, quæ agimus abscondant a judicio timor et pœnitentia. Possunt etiam per alas has duo præcepta charitatis intelligi, scilicet Dei et proximi. Amando igitur Deum nostra in nobis mala persequimur, id est corpus velamus. Diligendo autem proximum ei in quo possumus prodesse festinamus, id est alas ad alterutrum tendimus. Quæri etenim potest, cur postquam dictum est : « Unumquodque velabat corpus suum, » statim subditur : « et alterum similiter velabatur. » Si enim diceret unum et alterum, loquendi ratio staret, postquam vero dictum est unumquodque, cur adjicitur alterum, cum in unoquoque omnes comprehenduntur. Sed et si perfectorum vitam, et proficientium merita distinguimus, et unumquodque et alterum non D
irrationabiliter positum videmus. Qui enim et sua deflent et virtutum pennas ad proximum in exemplum tendunt, procul dubio perfecti sunt. Sunt autem plerique parvulorum, qui eorum lacrymas conspiciunt et imitantur. Et qui nudi in suis pravitatibus esse potuissent, sanctos vigilantioresque viros conspiciunt, moxque suis pravitatibus irati, accenduntur ut plangant. Inflammantur ad pœnitentiam, atque ut velare sanctos corpora sua conspiciunt, ita ipsi quoque lacrymarum suarum alis velantur, seipsos enim magnis increpationibus feriunt, cur qui virtutes non habent peccata sua minime deplorant, si et illi adhuc plangere non desinunt, qui jam virtutum pennas per exempla ad proximos tendunt.

« Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum « multarum, etc. » (*Hieron.*) Voxque auditur alarum volantium, quasi vox aquarum multarum, quæ juxta Apocalypsin Joannis populos significant, paulatimque proficiens, quasi vox castrorum, et quasi vox sublimis Dei. Quod Hebraice appellatur saddai, et juxta Septuaginta, *vox verbi*, ut universa, quæ prædicantur in mundo, vocem Filii Dei esse credamus. (*Greg.*) Solent enim in sacro eloquio per aquas populi designari. Unde per Joannem dicitur : « Aquæ vero sunt populi (*Apoc.* XVII). » Idcirco autem per aquas populus designatur, quia et in vita sonum habet ex tumultu carnis, et quotidie defluit ex decursu mortalitatis. Ut autem sæpe jam diximus, alæ sunt animalium virtutes sanctorum. Quid est ergo quod propheta alarum sonum audit, quasi sonum aquarum multarum, nisi quod ex omnipotentis Dei pietate illæ alæ virtutum, quæ in paucis prius sanctis sonabant, jam nunc prædicatione diffusa in multorum populorum conversatione resonant? Incarnato enim, passo ac resurgente Domino, pauca pennata animalia fuerunt, quia rari valde exstiterunt, qui cœlestia desiderarent, et virtutum pennis se in alta suspenderent. Sed postquam divinitatis ejus prædicatio in mundo diffusa est, quanti jam parvuli, quanti graviores, quanti fortes juvenes, quanti imbecilles, quantæ conversæ peccatrices, quantæ anus, virgines, per fidem, per spem, per amorem, ad cœlestia evolant; quis dicere, quis æstimare sufficit? Ecce alarum sonus, qui prius in paucis animalibus fuit, jam nunc in populis resonat. Jam nunc mundi multitudinem ad cœleste desiderium pennæ virtutum levant. Bene ergo dicitur : Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum. Quia sicut præfati sumus, ille virtutum sonus, qui in aure Dei prius ex paucis sanctis factus est, postmodum ex aquis multis, id est, ex innumerabilibus est populis multiplicatus. De quo adhuc sono bene additur : « Quasi sonus sublimis Dei. » Quid est quod alarum sonus in sanctis animalibus, quasi sonus sublimis Dei dicitur? Nisi quod omnipotens Deus et ipse implet sanctorum mentes cœlesti desiderio, et ipse exaudit impietas. Ipse etenim creat in sanctorum cordibus amorem, et ipse ex amantibus cordibus suscipit preces. Bene ergo iste alarum sonus, quasi sonus sublimis Dei dicitur. Quia quidquid in sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratiæ, qui merita largitur, qui recte per prophetam sublimis Deus esse memoratur. In Scriptura enim sacra aliquando Deus nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative enim dicitur, sicut scriptum est : « Ecce constitui te Deum Pharaonis (*Exod.* VII). » Et sicut Moses ait (*Exod.* XXII) : « Si quis hoc vel illud fecerit, applica illum ad deos, videlicet ad sacerdotes; » qui rursum dicit : « Diis non detrahes (*Ibid.*), id est, sacerdotibus. Et sicut Psalmista ait : « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit (*Psal.* LXXXI). » Essentialiter autem Deus dicitur, sicut ipse ad Moysen ait : « Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus

Isaac, Deus Jacob (*Exod.* III). Unde Paulus apostolus, volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est dicens: « Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Qui enim nuncupative dicitur Deus inter omnia: Qui vero essentialiter Deus super omnia est. Ut ergo ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memoravit. Quia et electus quisque (sicut præmisimus) vel in exemplo justitiæ, vel pro erogando prædicationis verbo positus, dici Deus potest, sed inter omnia, quoniam nuncupative Deus. Christus autem Deus super omnia, quia naturaliter Deus. Quem ergo Paulus Deum super omnia, hunc Ezechiel propheta Deum sublimem nominat. Postquam vero dictum est, « sonum alarum audiebam, quasi sonum aquarum multarum, » quia adhuc additur, « quasi sonum sublimis Dei, etiam hoc intellegere possumus, quod futurum electis omnibus scimus. Alarum enim sonitus, sicut diximus, fuit in prædicatoribus sanctis, aquarum sonitus in conversis et sequentibus populis. Sed ipse isdem sonitus erit quandoque sublimis Dei, quia multitudo, quæ nunc per sanctos doctores ad fidem trahitur, quandoque in cœlestem patriam congregabitur, ut ibi omnes electi sine fine laudent eum viderint sine fine quem laudent. Postquam ergo propheta sonum alarum, quasi sonum sublimis Dei esse conspexit in cœlis, rursum ad terram rediit, et pennata animalia quid hic agant loquitur, ut illic summa mereantur, dicens:

« Cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, « et sonitus castrorum. » Cum prædicatores sancti mundum prædicando et trahendo circumeunt; et animalia ambulant, et quia hi etiam quos colligunt statim ut crediderunt, in laudem nostri Creatoris insurgunt, fit sonus, quasi sonus multitudinis. Et quia in prædicatione eadem bellum contra aerias potestates sumunt, recte subjungitur: « Et sonus castrorum. » Cum enim sanctis prædicatoribus fideles populi conjunguntur, contra malignos spiritus in procinctu fidei multitudines castrorum fiunt, et dum quotidie fideles quique cœlestibus desideriis replentur, terrena despiciunt, dura sibi certamina pro amore æternæ patriæ proponunt. Contra potestates aerias castra fiunt, quia armati fide et bonis operibus muniti gradiuntur; quasi enim quibusdam castris spiritualis exercitus per Paulum dicitur: « Induite vos armatura Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, et adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI). » Sanctorum autem multitudines castra fiunt, quæ bellum contra aerias potestates susceperunt. De sanctis vero animalibus adhuc subditur.

« Cumque starent, dimittebantur pennæ eorum. » (*Hieron.*) Stantibus autem animalibus, dimittebantur alæ eorum. Vocem enim Dei omnipotentis resonantem in cœlestibus ferre non poterant, sed stabant et mirabantur, et silentio suo Dei potentiam demonstrabant, qui sedebat super firmamentum. (*Greg.*) Stant sancta animalia quando ea quæ Dei sunt intenta contemplatione considerant: sed eorum pennæ deponuntur, quia dum alta Dei judicia aspiciunt, suæ eis virtutes vilescunt, quod aperte exponitur, cum statim subditur:

« Nam cum fieret vox super firmamentum, quod « erat super caput eorum, stabant et submittebant « alas suas. » Firmamentum superius sub intellectu duplici judicavimus exponendum. Possunt enim sicut prædictum est firmamenti nomine cœlestes potestates intelligi. Potest firmamenti nomine unigenitus incarnatus, per hoc quod in eum natura nostra ad æternitatem firmata est, designari. Prius ergo quod sentimus de angelis, et postmodum de Domino angelorum loquamur. Ecce enim dicitur: « Cum fieret vox super firmamentum, stabant et submittebant alas suas. » Quo in loco hoc sciendum est quia submittere non ab inferiori ad superiora tendere, sed a superiori ad inferiora alas deponere debet intelligi, propter hoc quod præmissum est: « Cum starent, dimittebantur pennæ eorum. » Quærendum nobis est itaque quæ sit vox, quæ super firmamentum fit. Sed eamdem vocem melius intelligimus, si ab infimis ad superiora gradientes, quasi quibusdam passibus ascendamus, sicut auditus corporis excitatur voce, ita sensus mentis excitatur intellectu, qui de interioribus agitur. Vox ergo est in mente, quasi quidam sonus intelligentiæ. Sed sciendum est quia nostris sensibus aliquando vox carnis loquitur, aliquando vox animæ, aliquando vox firmamenti, aliquando vox quæ super firmamentum est. Ponamus enim ante oculos, quod quispiam læsus a proximo sit, qui ex humana ratione cogitat ut vicem læsioni reddat, malum pro malo retribuat. Huic vox carnis loquitur in mente: quia cum divina mandata præcipiant (*Matth.* V), bene nos facere his qui nos oderunt, quisquis malefacere se odientibus cogitat, in ejus animo carnis vox sonat. Multa terrena quotidie agimus, post hæc ad orationem redimus, accenditur ad compunctionem animus, sed earum rerum, quas egimus imagines versantur in mente, et intentionem compunctionis præpediunt in oratione, et quod volentes foris egimus, hoc interius patimur inviti: ut quædam cogitationum phantasmata mentem per imagines corporeas dispergant, ne stricte se totam in oratione colligat. Hæc quoque vox carnis est. Cum vero et ista subigimus, atque ab oculis mentis cunctas corporeas imagines effugamus, ipsam in nobismetipsis naturam animæ quærentes qualis sit, quæ carnem vivificare potest, sed semetipsam stringere in bonis cogitationibus sicut desiderat non potest: invenimus quemdam intellectualem spiritum per creatoris potentiam viventem, corpus quod sustinet vivificantem, sed tamen oblivioni subditum, mutabilitati subjectum, quem sæpe timor afficit, lætitia extollit. Ipse itaque intellectus

A animæ vox ejus est, quia sonat quod est, quæ tamen adhuc vox sub firmamento est. Sed transcendentes animam, vocem de firmamento quærimus : cum illa sanctorum angelorum innumera multitudo in omnipotentis Domini conspectu qualis sit investigamus, quæ sit in eis sine fine festivitas visionis Dei, quæ lætitia sine defectu, qui amoris ardor non crucians sed delectans, quantum in eis sit desiderium visionis Dei cum satietate, et quanta satietas cum desiderio, in quibus nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parit, quomodo inhærendo beatitudini sint beati, quomodo contemplando semper æternitate sint æterni, quomodo conjuncti vero lumini facti sunt lux, quomodo aspicientes semper in incommutabilem, mutati sint incommutabilitatem. B Sed cum ista de angelis cogitamus, adhuc vox est de firmamento non super firmamentum. Transeat ergo animus, et ab ipsis transcendat omne quod creatum est, in solo creatoris sui lumine fidei oculos figat, quod unus vivificet omnia, qui creavit Deus, quod ubique est, et ubique totus est, quod incircumscriptus et incomprehensibilis sentiri potest, et videri non potest, quod nusquam deest, et tamen ab iniquorum cogitationibus longe est, quod nec ibi deest, ubi longe est, quia ubi non est per gratiam, adest per vindictam, quod omnia tangit, nec tamen æqualiter omnia tangit, quædam enim tangit ut sint, nec tamen ut vivant et sentiant, sicut sunt cuncta insensibilia, quædam tangit ut sint, vivant, sentiant, nec tamen ut discernant, sicut sunt bruta animalia, C quædam tangit, ut vivant, sentiant et discernant, sicut est humana natura et angelica. Et cum ipse nunquam sibi sit dissimilis, dissimiliter tamen tangit dissimilia. Quod ubique præsens est, et inveniri vix potest. Quod stantem sequimur, et apprehendere non valemus. Ponamus ergo ante oculos mentis, quæ illa natura sit quæ tenet omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia, nec alia ex parte sustinet atque alia superexcedit, neque alia ex parte implet atque circumplectitur, sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet, cujus naturæ potentiam cum strictus in ea cogitat animus, vox super firmamentum fit, quia ejus intellectum concepit, qui et D angelorum sensum sua incomprehensibilitate transcendit. Cum ergo vox super firmamentum fit, stant animalia, et submittunt alas suas, quia sanctorum mentes cum creatoris sui potentiam intenta contemplatione considerant, vilescunt eorum animo virtutes quas habent. Et tanto fiunt apud se humiles, quanto illud eis altum est, quod super angelos sonat. Sæpe etiam sanctorum cogitationibus ipsa, quæ habent bona blandiuntur, ut eorum mentes in aliqua sui fiducia elevent, sed protinus ad occulta Dei judicia recurrunt, quomodo alii ex virtutibus ad infernum per elationem corruunt, alii ex vitiis correcti ad cœlum per humilitatem levantur. Unde nos ad humilitatem revocans propheta terret et admonet dicens : « Venite et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV). » Quis enim digne considerare valeat quantus supernus terror sit consiliorum Dei, quando et alter ex virtutibus in finem tendit ad vitia, et alter a vitiis in virtutibus concludit finem, quia juxta Salomonis vocem (*Eccles.* VIII, IX) : « Sunt justi ad quos pervenit, quasi opus impiorum : et sunt impii, ad quos pervenit, quasi opus justorum : et sunt justi atque sapientes, sed opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futuro servantur incerta. » Et, « est via quæ videtur hominibus recta, et novissima ejus ducunt ad mortem (*Proverb.* XIV). » Hæc itaque occulta profunda judicia cogitare, quid est aliud quam alas deponere, id est, de nulla virtute confidere, sed sub magno timore trepidare?

« Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni, et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper, etc. » (*Hieron.*) Quod firmamentum his, qui deorsum erant habebat similitudinem crystalli : his autem, qui supra, instar lapidis sapphiri videbatur. Quæ similitudo sapphiri thronus erat ejus qui sedebat in similitudinem hominis. Ex quo intelligimus et firmamentum, et crystallum, et sapphirum, et hominem, in similitudine, non in veritate monstrari. Hominem autem Deum Patrem debere intelligi, multa docent testimonia. E quibus illud est in Evangelio (*Matth.* XXI) : « Homo quidam plantavit vineam, et locavit eam agricolis, » et post paululum, « misit servos, et super omnes filium suum. » Rursumque (*Matth.* XXII) : « Homo fecit nuptias filio suo. » Non quod filius excludatur a regno, de quo scripsit Isaias : « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum (*Isa.* VI) ; » et Joannes : « Hæc autem, inquit, dixit Isaias, quando vidit gloriam Filii Dei (*Joan.* XII), » sed quod in Patre regnet, et Filius, omnia enim Filii Patris sunt, « qui est imago Dei Patris invisibilis. » Nam et in Daniele (*Dan.* VII) : Deus Pater sedens inducitur et offertur ei filius hominis ut accipiat regnum. Et in Apocalypsi Joannis (*Apoc.* III, VII), eadem de Filio scribuntur. Et ad pugnam primi martyris Stephani (*Act.* VII), stans ad dexteram Patris, de quo canitur in psalmis : « Dixit Dominus Domino meo : Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum (*Psal.* CIX). » Sicut autem crystallo purissima quæque atque lucentia in cœlestibus demonstrantur, quæ nostrum oculatum corpus illuminent : sic in sapphiro, id est, in throno Dei, et super firmamentum quod cœlum accipimus, abscondita atque secreta et incomprehensibilia Dei sacramenta monstrantur : « Qui posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII). » Et in nube videtur et caligine ; unde et in Exodo scribitur : « Et sub pedibus Dei erat, quasi opus lateris [lapidis] sapphiri, et sicut species firmamenti cœli mundissimi (*Exod.* XXIV). »

Unde et sponsa pulchritudinem sponsi describit in

Cantico : « Venter ejus quasi tabula eburnea super lapidem sapphirum (*Cant.* v). » Et in Joannis Apocalypsi : « Primum fundamentum jaspis, secundum sapphiri scribitur (*Apoc.* xxi). » Et in rationali pontificis in versu et ordine lapidum singulorum, « secundus ordo carbunculum habet et sapphirum, et jaspidem (*Exod.* xxviii). » [*Greg.*] Quid per thronum nisi illæ virtutes angelicæ designantur, quæ ipsos quoque angelos dignitate loci superioris excedunt. Nam cum angeli nuntii dicantur (*Hebr.* i), et sæpe angeli ad annuntianda quædam hominibus veniant, Throni missi ad ministerium nuntii nunquam leguntur. Quia eis longe sublimius creator omnium præsidet. Unde Paulus apostolus ordines cœlestium agminum quos ad tertium cœlum raptus viderat describens, ait : « Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt (*Coloss.* i). » Thronus igitur, ante eos angelorum ordines dixit, quibus illos prælatos esse cognovit. Bene autem thronus lapidi sapphiro comparatur, quoniam lapis sapphirus aereum habet colorem. Virtutes ergo cœlestium lapidi sapphiro comparantur, quia hi spiritus quibus Deus omnipotens altius præsidet, superioris loci in cœlestibus dignitatem tenent. « Super thronum vero similitudo hominis. » Quia et super illas virtutes, quæ et ipsos angelos antecedunt, nostri est gloria Redemptoris. Notandum ergo, qui ordo servatur, super animalia enim firmamentum, super firmamentum thronus, super thronum homo esse describitur, quia et super sanctos homines adhuc in hac corruptione corporis viventes angeli, et super angelos superiores et Deo proximæ angelicæ potestates, super potestates vero Deo proximas, elevatus est « mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* ii). » Sin vero, ut prædiximus, firmamenti nomine mediator Dei et hominum pro assumpta humanitate debet intelligi, quia sub unius nominis appellatione solent prophetiæ spiritum multa signari, vox super firmamentum facta est, quæ super baptizatum Dominum de cœlo sonuit dicens : « Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (*Marc.* i). » Quæramus igitur quomodo hanc vocem animalia audiunt, et alas deponunt. Habacuc requisitus dicat : « Domine, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi (*Habac.* iii). » Sancta itaque animalia vocem super firmamentum audiunt et pertimescunt : quia si solus sine peccato est, in ejus innocentia aspiciunt, in quantum ipsi quotidie delinquant, quæ necesse est ut incessanter defleant. Considerant quoque, quia et ipse auctor vitæ, sine passionis dolore ex hac vita non exivit. Et hæc ergo vox super firmamentum facta est, quia omnipotentis Patris sententia etiam de morte ac resurrectione unigeniti processit. Sed cum vox super firmamentum fit, stant animalia, et submittunt alas suas. Quia sancti quoque, cum ipsum unigenitum flagellatum in hoc mundo conspiciunt, deponunt si quid de suis meritis præsumunt. Nam si ipse hinc sine flagello non exiit, an flagellis digni

A non erunt, qui huc cum peccato venerunt? Ipsum vero firmamentum quod est super caput animalium, id est, quod transiit mentes justorum, habeat super se vocem, quia Redemptor noster eam quam cum Patre disposuit cum [ex] divinitate sententiam, pertulit in carne. Quam audientes justi terrentur, et omnem de suis viribus præsumptionem deponunt. Quibuslibet enim virtutibus polleat, quid digna est vita peccatorum, si et ejus vita pro nobis flagello subjacuit, quæ subdita nulli peccato fuit? Sed ecce gravis nobis quæstio oritur cum dicitur, quod super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni. Si enim per firmamentum Dominus, et per lapidem sapphirum et similitudinem throni, summæ illæ ange-
B licæ potestates figurantur, quomodo super firmamentum, id est, super dominum esse credendæ sunt, cum et mox subditur, « Et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Nam si ita, ut dictum est, firmamentum exprimitur, Dominus et rursus homo accipitur Dominus : qua ratione potest intelligi et ipse super thronum, et ipse sub throno? Sed adstrictos hujus quæstionis nodos ipse solvit, de quo loquimur, quia afflatu sancti Spiritus, ea quæ clausa sunt aperuit. Incarnatus enim unigenitus Patris, per hoc quod « homo factus est, » infra angelos fuit, sicut de eo scriptum est : « Minuisti eum paulo minus ab angelis (*Psal.* viii). » Resurgens et ascendens in cœlis, omnibus angelicis potestatibus præsidet, sicut de eo rursum
C scriptum est : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. » Et sicut ipse ait : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » Firmamentum ergo sub throno, et homo super thronum est, quia per humanæ assumptionis naturam et est ipse sub angelis natus, et ipse super angelos exaltatus. Qui et priusquam per resurrectionis exaltaretur gloriam, divinitate super angelos fuit : sed tamen angelis, ut dictum est, humanitate minoratus, ex qua et morti subjacuit. Atque postquam mortem resurgendo calcavit, humanitatem suam etiam majestatibus angelorum superposuit. Prius itaque thronus super firmamentum, et post homo super thronum visus esse describitur : quia humanitatem suam humani generis Redemptor
D descendendo sub angelis sumpsit, et ascendendo super angelos exaltavit. Sic vero factum eum sub angelis dicimus, sicut factum sub lege prædicante Apostolo audivimus (*Gal.* iv), assumptam ergo humanitatem sub angelis accipimus, pro ea minoratione in qua dignatus est apparere. Nam mox ut verbum caro factum est, mox Deus homo potestate super angelos fuit. De ipso quippe ante passionem scriptum est : « Ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei (*Matth.* iv). » Sed tamen ut humanitatis ejus infirmitas monstraretur, rursum de eo scriptum est : « Apparuit illi angelus de cœlo confortans eum (*Luc.* xxii). » In documento ergo utriusque naturæ, huic et angeli ministrarunt, hunc et angelus confortare describitur. Unus quippe in

utraque natura, quoniam qui Deus ante sæcula exstitit, homo factus est in fine sæculorum. Cui tamen ante passionem suam et angeli ministrabant, et hunc angelus confortat. Post passionem vero atque resurrectionem ejus huic angeli ministrare possunt, sed jam hunc confortare non possunt, quia sicut dictum est, et si prius firmamentum sub throno apparuit, jam tamen homo super thronum est. In cujus persona ut propheta sanctus adunationem [adjunctionem] utriusque naturæ se vidisse ostenderet, protinus adjunxit :

« Et vidi, quasi speciem electri velut aspectum « ignis intrinsecus per circuitum a lumbis ejus, et « desuper, et a lumbis ejus usque deorsum, vidi « quasi speciem ignis splendentis in circuitu, velut « aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. « Hic erat aspectus splendoris per gyrum, hæc visio « similitudinis gloriæ Domini. » (*Hieron.*) Similitudo hominis, qui sedebat super similitudinem throni : qui thronus habebat similitudinem lapidis sapphiri a lumbis et desuper, electro comparatur. Quod electrum et intrinsecus et extrinsecus habebat, quasi ignis aspectum. A lumbis vero et deorsum, ignis erat resplendens in circuitu, ut ostenderet ea quæ supra lumbos sunt, ubi sensus versatur et ratio, non indigere igne nec flammis, sed pretiosissimo metallo et purissimo. Ea vero quæ a lumbis deorsum, ubi coitus, ubi generatio, ubi incentiva vitiorum, purgatione indigere flammarum, ut cum purgata fuerint, habeant sicut arcus similitudinem, quæ vulgo Iris dicitur, cum fuerit in nube in die pluviæ; ἶρις enim, quæ in sancta Scriptura (*Gen.* IX) vocatur *arcus*, et in Apocalypsi Joannis eodem nomine ἶρις dicitur (*Apoc.* IV *et* X), nisi in pluvia et in aquosa nube non potest apparere, diversorum colorum et pulcherrimorum, et sensim in alios transeuntium. Hic arcus signum est clementiæ et testamenti Dei, quod fecit cum hominibus ut quando apparuerit in nube, sciamus nos secundum antiquitatis exemplum nequaquam perituros esse diluvio. Ex quo ostenditur post pœnas atque supplicia, et purgationem peccatorum, futuram misericordiam: duntaxat in his qui Deum meruerint videre regnantem. Unde nunc dicitur : « Hic erat aspectus splendoris per gyrum. » Per gyrum Dei vel throni, vel omnium, quæ perspecta sunt. « Et hæc visio gloriæ similitudinis Dei. » Non quo gloriam Domini viderit, sed similitudinem gloriæ ejus. Visio autem omnis hæc est. Spiritus elevans et nubes magna, et quatuor animalia, et rotæ totidem, sequentes animalia et spiritum, quæ sub firmamento Dei esse meruerunt. Quæ postquam elevata sunt, et audierunt vocem, quasi aquarum multarum, et quasi verbi sublimis Dei, vocemque castrorum et exercitus, dimiserunt alas, et stuporem silentio demonstrarunt. Apparuitque sedens super similitudinem sapphiri, quasi similitudo hominis, qui a lumbis supra habebat speciem electri, et a lumbis deorsum speciem ignis in circuitu. Post quem ter-

A rorem, datur signum misericordiæ, velut aspectus arcus, cum fuerit in nube in die pluviæ. (*Gregor.*) Quid est, quod aspectus hominis videtur in throno, quasi species electri, nisi quod in electro, sicut longe superius diximus, aurum et argentum miscetur, ut res una ex duobus metallis fiat? In qua et per argentum auri claritas temperatur, et per claritatem auri species clarescit argenti. In redemptore autem nostro, utræque naturæ, id est, divinitatis et humanitatis inconfuse atque inseparabiliter sibimet sunt unitæ, ut per humanitatem, divinitatis ejus claritas nostris posset oculis temperari; et per divinitatem humana eo natura claresceret, atque exaltata fulgorem ultra hoc quod creata fuerat haberet. Ipse vero aspectus hominis super thronum

B et species electri, quam vidit, qualis ei apparuerit adhuc describendo adjungit. « Velut aspectus ignis intrinsecus ejus per circuitum, a lumbis ejus et desuper, et a lumbis ejus usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. » Quid est quod mediator Dei et hominum homo Jesus Christus (*I Tim.* II), a lumbis et desuper aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, et a lumbis et deorsum speciem ignis splendentis in circuitu? Investigandum namque est, quare a lumbis et desuper ignem intrinsecus, nec tamen splendentem ignem habere narratur. A lumbis vero et deorsum habere ignis speciem dicitur, non tamen hunc habere intrinsecus memoratur, quia et describitur. Quid enim lumborum nomine nisi propago mor-

C talitatis exprimitur? Propter quod etiam de Levi dicitur (*Gen.* XIV), quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abrahæ. De lumbis vero Abrahæ virgo Maria exiit, in cujus utero Unigenitus Patris per Spiritum sanctum incarnari dignatus est, ex qua incarnatione universo innotuit mundo Deus, sicut et per Psalmistam dicitur : « Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime (*Psal.* XLIV). » Gladium etenim circa femur potentissimus sumpsit, quia sermo prædicationis illius ex incarnatione convaluit. Quid vero iste ignis designat, nisi ardorem sancti Spiritus, qui corda, quæ repleverit accendit, de quo ipsa Veritas dicit : « Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII). » Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis, qui prophetæ apparuit, a lumbis

D superius, intrinsecus per circuitum ignis ardet, a lumbis vero deorsum, non ignis intrinsecus, sed in circuitu resplendet, nisi quod ante incarnationem unigeniti redemptoris nostri sola intra se Judæa ardorem amoris ejus habuit, post incarnationem vero illius in circuitu ejus ignis resplenduit, quia in universo mundo gentibus claritatem sancti Spiritus effudit? Prius ergo intrinsecus ignis erat, sed splendor non erat, quia Spiritus sanctus in multis quidem partibus Judæam replebat, sed ad notitiam gentium necdum ejus lumen emicuerat. A lumbis vero ejus et deorsum ignis in circuitu splendet. Quia postquam de virgine carnem sumpsit, in humano genere longe lateque sancti Spiritus dona

dilatavit. Et notandum quod ignis iste a lumbis superius per circuitum esse describitur, non extrinsecus, sed intrinsecus: quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis atque spiritalibus viris ubique in suis finibus Judæam replebat; nec tamen exibat extrinsecus, quia sese in multitudine gentium non dilatabat. Quæ ardoris flamma visa est, postmodum in circuitu resplendere, quia per mundi cardines in universis gentibus omnipotentis Dei cœpit amor excrescere. Quod tamen intelligi et aliter potest. Quia redemptor noster Deus et Dominus noster Jesus Christus, per humanitatem suam hominibus innotuit, qui per divinitatem suam notus angelis et ante incarnationem fuit. Nobis ergo a lumbis inferius resplendet in circuitu, cujus ignis intrinsecus a lumbis superius ardet in cœlo. Quia illi cœlestes spiritus cum in divinitate sua conspiciunt, et amoris ejus igne accenduntur. Nos vero, qui hunc ex assumpta humanitate diligimus, adhuc in hac corruptibili vita positi splendorem ignis illius foris habemus. Unus itaque sub throno est, qui et super lumbos ignem intrinsecus habet in angelis, et sub lumbis ignem in circuitu habet in hominibus: quia in omne quod ab angelis amatur, per omne quod ab hominibus desideratur, unus est, qui in cordibus ardet amantium. « Velut aspectus, inquit, arcus cum fuerit in nube in die pluviæ. » Arcum omnipotens Deus inter se et homines in signo posuit, ut ultra mundum diluvio non deleret dicens: « Ponam arcum meum in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor fœderis mei vobiscum (*Gen.* IX). Unde et in arcu eodem color aquæ et ignis simul ostenditur, quia ex parte est cœruleus, et ex parte rubicundus; ut utriusque judicii testis sit, unius videlicet faciendi, et alterius facti, sed jam non ulterius faciendi. Quia mundus quidem judicii igne cremabitur, sed aqua jam diluvii non delebitur. Quid est autem, quod splendentem ignem a lumbis hominis throno præsidentis, sicut aspectus arcus cum fuerit in nube in die pluviæ propheta conspexit? Quia enim per ignem, sicut dictum est, ardor sancti Spiritus designatur, quæ similitudo est arcus et spiritus ut ignis, qui apparuit, quasi aspectus arcus apparuisse diceretur, sed si ipsi, quam prædiximus, visioni arcus intendimus, quomodo arcus significat spiritum, videmus. In arcu quippe, sicut præfatus sum, aqua et ignis apparet, et post mediatoris adventum eo virtus sancti Spiritus in humano genere claruit, quo electos Dei et aqua baptismatis lavit et ignis divini amoris incendit. Quasi enim admixto colore aquæ simul et ignis quidam arcus in nube ad propitiationem ponitur, cum Veritas dicit: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei (*Joan.* III). » Qui arcus in nube est in die pluviæ; quia in Dominica incarnatione et in effusione prædicationis ostenditur, ut ad veniam corda credentium Domino parcente revocentur. Nubem enim redemptoris carnem non inconvenienter accipimus. De qua per Psalmistam dicitur: « Qui ponit nubem ascensum suum. » Nubem quippe ascensum suum posuit, quia is qui per divinitatem ubique est, carne ad cœlestia ascendit. Expleta vero omni mystica visione subjungitur: Hic erat aspectus splendoris per gyrum, et hæc visio similitudinis gloriæ Dei. Quid enim in universo mundo sancti Spiritus gratia agat, aspiciens, ait: « Hic erat aspectus splendoris per gyrum. » Quæ vero interius ejusdem sancti Spiritus gloria maneat, considerare volens, sed sicut erat non valens, adjungit: Et hæc visio similitudinis gloriæ Domini; non enim ait, Visio gloriæ, sed similitudinis gloriæ Domini. Ut videlicet ostendatur quia quantalibet se intentione mens humana tetenderit, etiamsi jam phantasias imaginum corporalium a cogitatione compescat, si jam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoverit, adhuc tamen in carne mortali posita, videre gloriam Dei non valet sicut est, sed quidquid de illa est, quod in mente resplendet, similitudo, et non ipsa est. Unde et ille prædicator, qui raptus ad tertium cœlum fuerat, dicebat: « Videmus nunc per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII). » Qua in re non despicienda nobis quæstio oritur, quomodo Joannes evangelista, cum erga miracula redemptoris nostri Judæorum perfidiam etiam ex verbis propheticis descripsisset, adjungit dicens: « Hæc dicit Isaias quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo (*Joan.* XII). » Et si Ezechiel non gloriam, sed gloriæ similitudinem vidit, quid est quod iste similitudinem gloriæ, et ille gloriam vidisse describitur? Sed cum Joannes evangelista prius miracula redemptoris nostri narravit, atque infidelitatem postmodum Judæorum subdidit, hanc ejusdem redemptoris nostri gloriam, quæ in mundo apparuit, Isaiam vidisse manifestat. Omne enim quod in terra mirum divinitus agitur, gloria omnipotentis Dei est, et ejus gloria in omnibus factis videtur. Isaias ergo ejus gloriam in terra vidit: Ezechiel vero ejus gloriam in cœlo sicut est videre non potuit. Quia aliter est gloriam ejus in rebus factis atque aliter in semetipso videre. Hæc ergo ejus gloria, quæ in rebus est videri potest. Illa vero, quæ in ipso est, videri modo nisi per similitudinem non potest, sed si eamdem similitudinem gloriæ vel sublevatus propheta portare potuerit, agnoscamus.

CAPUT II.

Mittitur propheta aa revocandum populum ab erroribus suis.

« Et vidi et cecidi in faciem meam. » (*Hieron.*) Non est elatus visionum magnitudine, sed conscientia fragilitatis humanæ procidit in faciem suam. Unde et Paulus apostolus post ascensionem cœli et paradisi et auditionem verborum ineffabilium, datum sibi dicit angelum Satanæ, qui se colaphizaret ne extolleretur (*I Cor.* XII); et Abraham cecidit in faciem postquam audivit sermones Dei. Et tamen, quia non peccato, sed humilitate corruerat, a Domino

sublevatur, et verba ejus audire jubetur. Sciendum quoque quod aliud sit in faciem cadere, aliud retrorsum. Abraham postquam audivit de nativitate Isaac, cecidit in faciem et risit (*Gen.* xv *et* xviii). Heli autem, qui peccaverat, retrorsum cecidit (*I Reg.* ii); et de Dan in Genesi scriptum est: « Fiat Dan coluber in semita, mordens plantam equi, et cadet eques retrorsum, salutem exspectans Dei. » (*Gen.* xlix). Quia enim ad morsum colubri ceciderat ex equo, propterea Salvatoris exspectat adventum. Et in Evangelio secundum Joannem, qui ad comprehendendum venerant Dominum, postquam ille respondit: « Ego sum, ceciderunt retrorsum in terram (*Joan.* xviii); sermonem ejus, qui Moysi dixerat, « Vade, dic filiis Israel: Qui est, misit me ad vos (*Exod.* iii), » minime sustinentes. Et vidi, inquit, et cecidi in faciem meam. » (*Greg.*) Quid vero de hoc viro fieret, si ita ut est, ejus gloriam vidisset, qui similitudinem gloriæ illius videns, sufferre non valens cecidit? Qua in re cum magno mœrore pensare et considerare cum lacrymis debemus, in quantam miseriam et infirmitatem cecidimus, qui et ipsum bonum ferre non possumus, ad quod videndum creati sumus. Est tamen et aliud quod de prophetæ facto consideremus in nobis. Domini similitudinem gloriæ, quia nos per spiritum prophetiæ videre non possumus, hanc assidue cognoscere, et sollicite contemplari in sacro eloquio, in cœlestibus monitis, in præceptis spiritalibus debemus. Qui cum aliquid de Deo conspicimus, in faciem nostram cadimus, quia ex malis erubescimus, quæ nos meminimus perpetrasse. Ibi enim cadit homo, ubi confunditur. Unde et Paulus quasi quibusdam jacentibus dicebat: « Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? (*Rom.* vi.) » Postquam propheta similitudinem gloriæ Domini contemplatus in faciem suam cecidit, adjungit:

« Et audivi vocem loquentis, et dixit ad me, Fili « hominis, sta super pedes tuos, et loquar tecum. » Ubi adhuc subditur: « Et ingressus est in me spiri« tus, postquam locutus est mihi, et statuit me super « pedes meos, etc. » Ecce divina vox jacenti prophetæ jussit ut resurgeret. Sed surgere omnino non potuisset, nisi in hunc omnipotens Dei spiritus intrasset. Quia ex omnipotentis Dei gratia, ad bona

A opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat, qui jubet. Sic Paulus cum discipulos admoneret, dicens: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini (*Philip.* ii), » mox quis in eis hæc ipsa bona operaretur adjunxit, dicens: « Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate (*Ibid.*). » Hinc est quod ipsa Veritas discipulis dicit: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv). » Sed in his considerandum est, quia si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, ut in eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt, ut dona Dei omnipotentis non sint; cur ex eis omnipotenti Deo gratias agimus? Sed sciendum

B est, quia mala tantummodo nostra sunt; bona autem nostra omnipotentis Dei sunt et nostra, qui ipse aspirando nos prævenit, ut velimus, quia adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ volumus, præveniente ergo gratia et bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum. (*Hieron.*) « Et dixit ad me, inquit, Fili hominis, sta super pedes tuos, et loquar tibi. » Jacens, sermonem Dei audire non poterat. Sed audit cum Moyse, « Tu vero hic sta mecum. » Quod et Daniel accidisse sibi commemorat. (*Greg.*) Notandus est nobis ordo locutionis et operis. Quia prius similitudo gloriæ Domini apparet ut dejiciat, postmodum alloquitur ut elevet, deinde superabundantis gratiæ spiritum mittit ut

C levet, ac super pedes statuat. Nisi enim aliquid de æternitate in mente videremus, nunquam in faciem nostram pœnitendo caderemus, sed jam jacentes vox Domini consolatur, ut in opere surgamus, quod tamen facere nos nostra virtute non possumus. Ipsius ergo nos spiritus implet et levat, et super pedes nostros statuit, ut qui proni in pœnitentia pro culpa jacuimus, recti postmodum in bono opere stemus. Unde et sequitur: « Et ingressus est in me, inquit, spiritus postquam locutus est, mihi et statuit me super pedes meos. » Sed his ita in præsenti libro expositis, postquam propheta ad jussionem Domini erectus stetit, quid ei vox divina juberet in sequentis libri exordio considerandum est.

LIBER TERTIUS.

SEQUITUR CAPUT II.

« Et audivi vocem loquentem ad me, et dicentem « mihi: Fili hominis, mittam ego te ad filios Israel, « ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me, » etc. (*Greg.*) Sic propheta describit sua, ut significet nostra. Nam quid est, quod jacenti dicitur: « Sta super pedes tuos et loquar tecum? » Qui enim jacenti loquebatur, cur non se nisi stanti promittit esse locuturum? Sed sciendum quia alia sunt, quæ jacen-

D tes, alia quæ stantes audire debeamus. Jacenti enim dicitur ut resurgat. Stanti enim præcipitur ut ad prædicationem proficisci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione jacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis, sed cum jam in bono opere surgimus, cum recti jam stare cœperimus, dignum est, ut ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus. Stans ergo propheta, visionem spiritalem vidit, et cecidit, cadens vero jam monitionis verba,

suscepit ut surgeret. Surgens autem præceptum audivit, ut prædicaret. Nam, qui adhuc ex superbiæ vertice stamus, cum jam de æternitatis timore aliquid sentire cœperimus, dignum est ut ad pœnitentiam cadamus. Et cum infirmitatem nostram subtiliter cognoscentes, humiliter jacuimus, per divini verbi consolationem surgere, ad fortiora opera jubemur. Et cum jam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est, et unde nosmetipsos correximus, inde jam prædicantes et alios levemus. Jacenti ergo non præcipitur, ut ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc quod verbo ædificare potest, opere destruat. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur: « Eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis. Et statuit supra petram pedes meos et direxit gressus meos. Immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro. » Prius enim de luto pravitatis deducitur, ut per ejus fidem in petra pedes solidentur. Sed quia rectam fidem recta debet subsequi operatio, gressus ejus directi sunt, ut post directionem gressuum, id est, post perfectionem boni operis in ore acciperet etiam novum canticum prædicationis. Sic Paulus dum superbus Damascum pergeret, Redemptoris voce prostratus jacuit, et qui prædicator futurus erat, non tamen mox ut prædicaret quod viderat audivit, sed ei jacenti dicitur: « Ingredere in civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere (*Act.* IX). » Jacens ergo hoc solum audire potuit, ut surgens disceret quid audiret. Surgens autem hoc didicit, ut quæ cognoverat prædicaret. (*Hieron.*) Crebro ad Ezechiel dicitur, « Fili hominis, » et ad Daniel raro. Quorum uterque in persona ejus qui dixerat, « Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet, » captivum populum consolatur, et retrahit ad pœnitentiam. « Mitto ego te, inquit, ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me, ipsi et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc, » etc. Nequaquam populum Dei Israel, sed gentes apostatrices vocat eos qui a Domino recesserunt. Non solum patres, sed et filii ne peccato patrum filii viderentur obnoxii, sed ut par et patrum et filiorum esset impietas. Porro quod Septuaginta transtulerunt, » irritantes me, « sive, in amaritudinem convertentes, illud significat quod Deus et benignus et dulcis natura, nostris vitiis mutetur in amaritudinem, sicut enim sanctis dicitur: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII); » sic peccatores eum amarum sentiunt; unde et Apostolus bonitatem et severitatem Dei super sanctos et peccatores refert; et de peccatoribus qui jacebant scriptum est: « Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos, Dominus solvit compeditos (*Psal.* CXLV). » Sanctis vero stantibus præmia pollicetur. (*Greg.*) Notandum quod dicitur: « Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me. » Sicut enim duobus modis a Deo receditur, ita duobus modis a Deo apostatæ homines fiunt, nam unusquisque a conditore suo aut fide recedit aut opere. Sicut ergo, qui fide rece-

A dit apostata est, ita qui ad perversum opus quod deseruerat redit, ab omnipotente Deo apostata absque dubietate ulla deputatur, etiamsi fidem tenere videatur. Unum enim sine altero prodesse nihil valet, quia nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant. Sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quam fidelis existeret. Qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat, nam cui ab angelo dicitur: « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei (*Act.* X), » et mox pro eadem ascensione præcipitur ut ad Simonem mittat, qui ei veniens prædicare deberet, constat quia hoc petiit unde meruit exaudiri.

« Et filii dura facie et indomabili corde sunt ad
B « quos ego mitto te, » etc. (*Hieron.*) Hoc in Septuaginta non habetur; magnæque clementiæ est ad tales Deum mittere, nec desperare eorum salutem, et confidentiæ prophetalis quod ad tales ire quoque non timeat. Indomabili autem corde et dura facie juxta illud debemus accipere quod peccatori dicitur: « Nervus ferreus collum tuum, et frons tua ænea. » Qui in sequentibus arguuntur cordis lapidei, quod Deus evulsurum esse se dicit, et pro ille carneum redditurum, ut mollitie sua Dei præcepta suscipiat.

« Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus, si « forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quo« niam domus exasperans est, et scient, quia pro« pheta fuerit in medio eorum, » etc. Simile quid et in Jeremia scriptum est: « Si forte audiant et agant
C pœnitentiam; » et in Evangelio: « Forsitan filium meum verebuntur. » Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium, ne præscientia futurorum mali vel boni immutabile faciat quod Deus futurum noverit. Non enim, quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit. Sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quasi Deus. (*Greg.*) Ecce est una culpa superbiæ, quia prævaricati sunt pactum. Ecce altera obstinationis, quia usque ad diem hanc. Ecce, in iniquitate filiorum, culpa gravis impudentiæ, quia dura facie, quoniam mala quæ faciunt jam nec erubescunt, et nunquam vel post culpas ad pœnitentiam redeunt, quia indomabili corde sunt. Cum vero tantæ pravitatis tan-
D tæque obstinationis sint hi ad quos propheta mittitur, quis jam non videat, quia persona prophetæ etiam perversis hominibus despici valeat? Sed ecce auctoritas personæ tribuitur cum subditur: « Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus. » Ac si aperte diceretur: Quia ex te despicieris, ex mea voce necesse est ut loquaris, nec contemnaris ipse qui mitteris, verba mea proferens, ostende eum qui misit. Sequitur: « Si forte audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est. » Dum constet quod omnipotens Deus omnia sciat, mirandum valde est cur dicitur, « si forte audiant, et si forte quiescant. » Quapropter sciendum est nobis, quia ista dubitatio locutionis Dei, non ex ignorantia, sed ex aliqua significatione

descendit. Nam quis nesciat quod qui fecit et videt omnia, omnia sciat? Et per semetipsam in Evangelio Veritas de Antichristi prædicatoribus dicit : « Dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV). Cur hoc sub dubitatione dicitur, cum quid futurum sit a Domino præsciatur? Unum vero ex duobus est, quia si electi sunt, fieri non potest; si autem fieri potest, electi non sunt. Et tamen dicitur, « ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. » Ista ergo Dominici sermonis dubitatio ex electorum cordibus, designatio tentationis fuit, quia qui electi sunt, ad persistendum, per signa prædicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, si fieri potest, hoc exprimitur, quod electi in corde tentabuntur; nutant enim, sed non cadunt. Deus ergo dicit « si fieri potest, » quia trepidabunt, et tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio itaque sermonis a Domino, in electis exprimit trepidationem mentis; quos electos nominat, quia cernit quod in fide et bono opere persistant. Unde hic quoque dicitur : « Si forte audiant, et si forte quiescant. » Per hoc enim quod dicitur, « Si forte, quia ex magna multitudine pauci audituri sunt, demonstratur. Per dubitationem ergo sermonum Dei, quid significatur aliud nisi paucitas auditorum? Pensemus, rogo, quæ virtus sit in hoc Dominici sermonis effectu, ut dicat, « Si forte vel ipsi audiant, » nobis hoc aperte dicit, quia afflicti, obsessi, inclusi, omnia, quæ in hoc mundo habuimus, bona perdidimus, urbes erutas, eversa castra, depopulatos agros, suffossas Ecclesias vidimus. Et tamen adhuc parentes nostros ad iniquitates sequimur, ab eorum elatione, quam vidimus, non mutamur. Et illi quidem inter gaudia, nos vero, quod est gravius, et inter flagella peccamus. Sed ecce omnipotens Deus iniquitates judicans, jam priores nostros abstulit, jam ad judicium vocavit, nos adhuc ad pœnitentiam exspectat, nos ad revertendum sustinet, et qui in illis jam judicium exercuit, nobis suæ patientiæ longanimitatem prorogat, nec cum nostris prioribus perdat, dicens : « Si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant, quia domus exasperans est. » Omnis anima etiam post acceptam fidem in perversitate sua aut permanens aut revertens domus exasperans vocatur. Quia eum quem per fidem susceperat, repellit a se pravis moribus habitatorem Deum. Nam domus inhabitabitur a domino. Si ergo domus, quare exasperans, si vero exasperans, quare domus, quæ utique jam non inhabitabitur, sed domus, quia in ea Deus per fidem habitare cœperat. Exasperans vero est, quia ab ea pravis moribus pulsus exiit, ut vacua remaneat, quam prius cœlestis inhabitator replebat. Unde etiam sicut Veritatis voce cognovimus, nequissimus spiritus cum septem aliis rediens, domum scopis mundatam invenit, quia mentem a virtutibus alienam replet. Sequitur : « Et scient quia propheta fuerit in medio eorum. » Malis scire bonos aut ad adjutorium salutis proficere, aut ad testimonium

A damnationis solet. Scient ergo, quia in medio eorum propheta fuerit, ut audita prædicatione, aut adjuventur, ut surgant, aut sic damnentur, ut excusatione careant.

« Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque « sermones eorum metuas, quoniam increduli et « subversores sunt tecum : et cum scorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas. Et vultus eorum ne « formides, quia domus exasperans est, » etc. (*Hier.*) Licet dura cervice sint et corde indomabili, tamen mea sunt fortiora præcepta, nec te putes esse deceptum si mittaris ad eos, qui te loquentem non audiant. Ecce prædico tibi quod insaniant, et congregentur adversum te et circumdent te, nullum effugium tibi relinquentes. Hoc autem facient, quia B increduli sunt, et Dei imperia contemnentes. (*Greg.*) Patet ad quam perversos in prædicationem mittitur, qui ne timeat commonetur. Et quia pravi quique bona sibi loquentibus alia iniqua faciunt et adhuc alia minantur, propter illa quæ faciunt dicitur : « Ne timeas eos. » Et propter hoc quod minantur adjungitur : « Neque sermones eorum metuas. » Vel certe, quia reprobi et mala bonis ingerunt, et eorum semper actibus derogant, Propheta missus admonetur ne eorum vel crudelitatem metuat, vel verba pertimescat. In hoc itaque quod dicitur, *ne timeas*, prophetæ datur auctoritas prædicationis. Et quia omnes qui in Deo vivimus organa veritatis sumus, ut sæpe per alium mihi, sæpe vero et aliis loquatur per me : sic nobis boni verbi inesse auctoritas de- C bet, ut is qui præest dicat recta libere, et is qui subest, inferre bona humiliter non recuset. Bonum enim quod majori a minore dicitur, tunc vere bonum est, si humiliter dicatur. Nam si rectitudo sentiendi humilitatem loquendi perdiderit, radicem sensus in ramo linguæ vitiavit. Quod videlicet vitium, jam non ex ramo, sed ex radice est. Quia nisi cor intumesceret, lingua minime superbiret. Inesse ergo priori ad loquendum humilis auctoritas, inesse autem minori libera humilitas debet. Discernenda ergo semper sunt libertas et superbia, humilitas et timor, ne aut timor humilitatem, aut se superbia libertatem fingat. Ezechiel itaque quia non solum populo, sed etiam senioribus loqui mittebatur, ne incautum timorem humilitatem crederet, ut timere D non debeat commonetur, dum dicitur : « Ne timeas eos. » Ac ne forte derogationis eorum verba pertimescat, adjungitur : « Neque sermones eorum metuas. » Cur autem linguas derogantium timere non debeat, etiam causa subjungitur, cum protinus subinfertur : « Quoniam increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. » (*Hier.*) Unusquisque pro moribus suis sortitur vocabulum, scribis et Pharisæis dicitur : « Generatio viperarum. » Et de Herode, qui versipellis erat : « Ite et dicite vulpi huic (*Luc.* XIII). » Et pseudoprophetæ in hoc eodem propheta vulpibus comparantur. Et nunc corde indomabili scorpiones esse dicuntur. Unde et in Evangelio legimus : « Omnes qui ante me venerunt fures fue-

runt et latrones, et non audierunt eas oves (*Joan.* x).» Et quomodo oves perditæ domus Israel audierunt adversarios? Ex quo ostenditur, eos qui audierint fures et latrones ovium vocabulum perdidisse, et alia assumpsisse nomina, ut non quasi oves perierint, sed quasi viperæ, vulpes et scorpiones. (*Greg.*) Timendi enim essent hi quibus loqui mittebatur, si in fide et in opere Deo omnipotenti placuissent. Quia autem increduli et subversores sunt, in sermonibus derogantes, timendi non sunt, quia stultum valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Deo scimus. Debent enim haberi in metu et reverentia judicia justorum, quia membra omnipotentis Dei sunt. Et hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguet e cœlo. Nam perversorum derogatio vitæ nostræ approbatio est, quia jam ostenditur nos aliquid justitiæ habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. Nemo etenim potest in una eademque re omnipotenti Domino atque ejus hostibus gratus existere, nam Deo se amicum denegat, qui ejus placet inimico, et inimicis veritatis adversabitur, qui eidem veritati in mente subjugatur. Unde sancti viri in vocis liberæ increpatione succensi, eos ad sua odia excitare non metuunt quos Deum non diligere cognoscunt. Quod propheta ardenter exhibens, creatori omnium quasi in munere obtulit dicens: « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam illos et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi (*Psal.* CXXXVIII).» Ac si aperte dicat: Pensa quantum te diligo, qui tuorum hostium excitare contra me inimicitias non pertimesco. Justi itaque sicut sine arrogantia loquuntur aliquando bona quæ agunt, ita sine zelo privatæ gloriæ detrahentium sibi linguas redarguunt, quia noxia loquuntur. Cum vero linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia tolerandæ, nec obtrectationis sermo timendus est, ne, dum vituperatio perversorum metuitur, recti operis via deseratur. Unde nunc Ezechieli prophetæ dicitur: « Sermones eorum ne metuas, quia increduli et subversores sunt tecum.» Minus autem mali essent, si hi qui sunt increduli perversores minime fuissent: quia enim ipsi vel cœlestis regni præmia, vel gehennæ esse supplicia non credunt, in suis pravitatibus dimissi, a fide et opere etiam alios subvertunt ut regnum quod ipsi appetere non volunt, nec alter assequatur. Hi namque cum teneriores quosdam bona incipere, mala jam devitare cognoverint, modo irridendo quod in cœlis promittitur, modo despiciendo quod Deus omnipotens de inferni suppliciis minatur, modo laudando bona temporalia, et delectationes præsentis sæculi callida persuasione polliciendo, deflectunt mentes innocentium eorumque itinera pervertunt; gaudent, si quos potuerint a vita revocare, ad mortem trahere; lætantur in pravitatibus suis, exsultant et in alienis. His nimirum pœna sua non sufficit, qui agunt ne soli moriantur. At si fortasse justum quempiam tantæ virtutis invenerint, ut ei loqui contraria non præsumant, quia subversores esse non possunt, statim scorpiones fiunt. Scorpio autem palpando incedit, sed cauda ferit, nec mordet a facie, sed a posterioribus nocet: scorpiones ergo sunt omnes blandi et malitiosi, qui bonis quidem in faciem non resistunt, sed mox ut recesserint derogant, alios quos valuerint inflammant, quæque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occulte non desinunt. Scorpiones ergo sunt, qui blandi et innoxii in faciem videntur, sed post dorsum portant unde venenum fundant; qui in occulto feriunt, quasi mortem latenter trahunt. Unde etiam per Psalmistam dicitur: « Circumdederunt me sicut apes et exarserunt sicut ignis in spinis (*Psal.* CXVII).» Apes in ore mel habent, in aculeo caudæ vulnus; et omnes qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. « Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant et timeant, vel quiescant, quoniam irritatores sunt, etc.» (*Hier.*) Non est ergo cessandum, licet mali sint, quibus loquimur, quin, secundum Apostolum (*II Tim.* IV), opportune, importune, verbum Dei prædicemus, quia potest fieri ut et durus corrigatur ad mollitiem, et qui obediens est mutata voluntate non audiat. (*Greg.*) Dicatur ergo, « increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas, » increduli scilicet Deo, subversores vero infirmantibus proximis, scorpiones autem etiam fortibus ac robustis, quibus etsi in faciem contradicere non præsumunt, tamen ex occulto vulnus derogationis inferunt. Increduli quippe simul et subversores et scorpiones sunt, quia et audita ea, quæ Dei sunt, non credunt, et eos quos prævalent, a bonis moribus subvertunt, et quos inflectere non valent, occultis machinationibus feriunt. Qua in re hoc quoque notandum est, quia cum prophetæ dicitur, « Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas, » nobis consolationis medicamentum profertur, quos sæpe tædet vivere dum nolumus cum malis habitare. Querimur etenim cur non omnes boni sunt, qui nobiscum vivunt; si mala proximorum ferre nolumus, omnes sanctos jam debere esse decernimus, dum esse nolumus, quod ex proximis portemus. Sed hac in re luce clarius patet, dum malos portare renuimus, quam multum adhuc et ipsi minus de bono habeamus. Sæpe vero cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adjuvat locus: idem enim Loth de quo loquimur in Sodomis sanctus exstitit, in monte peccavit (*Gen.* XVIII *et* XIX). Quia autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui et in paradiso cecidit. Sed minus sunt omnia quæ loquimur ex terra, nam si locus salvare potuisset, Satana de cœlo non caderet. Unde Psalmista ubique in hoc mundo tentationes esse conspiciens, quæsivit locum quo fugeret, sed sine Deo invenire non potuit munitum (*Psal.* XVIII)

Ex qua re et ipsum sibi locum fieri petiit, propter quem locum quæsivit dicens : « Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias (*Psal.* XXX). » Tolerandi ergo ubique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Unum vero est pro quo vitari debet societas malorum, ne si fortasse corrigi non valeant, ad imitationem trahant, et cum ipsi a sua malitia non mutantur, eos qui sibi conjuncti fuerint pervertant; unde Paulus ait : « Corrumpunt mores bonos colloquia prava (*I Cor.* XV); » et sicut per Salomonem dicitur : « Noli esse amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas laqueos animæ tuæ (*Prov.* XXII). » Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia et eos sæpe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique societatem debent declinare pravorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, et corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verbo proximorum audiendi quotidie sumimus in mente, sicut flando atque respirando aerem trahimus corpore, et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, ita perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis et assidui iniquitate sermonis. Sequitur : « Verba eorum ne timeas, et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est. » Ac si aperte diceretur : Timendi essent nisi me in suis actibus exasperarent; de quibus adhuc subditur : « Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant et quiescant, quia irritatores sunt. » Omnis qui peccat, quid aliud quam conditoris sui in se iracundiam irritat? Et scimus, quia quoties actu, verbo, quoties cogitatione delinquimus, Deum contra nos toties irritamus; sed tamen sustinet et clementer exspectat per suam patientiam, per prædicatores autem suos verbum nobis exhortationis prorogat. Omnis autem qui recta prædicat, si auditur, iram irritati creatoris super prævaricatorem placat populum. Unde necesse est ut ipse non debeat agere malum quod solet in populo furorem conditoris irritare, propter quod etiam subditur : « Tu autem, fili hominis, audi quæcunque loquor ad te, et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est, » etc. Id est, mala, quæ fieri conspicis, ipse non facias, ne hoc, quod prohibere mitteris, ipse committas. Omnis etenim prædicator intenta debet mente pensare, ne qui missus est lapsos erigere, ipse in pravitate operis cum lapsis cadat. Cur beatus Ezechiel, qui ad prædicationem mittitur, esse exasperans prohibetur; nisi enim, ad loquenda verba cum mittebatur, obediret, omnipotentem Dominum, sicut populus de perverso opere, sic propheta de suo silentio exasperasset. Nam sicut mali ideo Deum exasperant, quia loquuntur vel faciunt mala, ita nonnunquam boni exasperant, quia reticent bona. Illis itaque culpa est perversa agere, istis recta reticere. In hoc ergo cum malis etiam boni simul Deum exasperant, quia

A cum perversa non increpant, eis per suum silentium proficiendi licentiam præstant. Sequitur :

« Aperi os tuum et comede quæcunque tibi do. » (*Hier.*) Dignum te, inquit, præbe sermonibus meis, et cibum suscipe spiritalem, ut quomodo in Evangelio dicitur : « Qui habet aures audiendi audiat, » et hic dicatur : Qui habet apertum os ad comedendum, comedat. Unde et Psalmistæ Dominus loquitur : « Aperi os tuum, et implebo illud (*Psal.* LXXX). » Et ille respondit : « Os meum aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII). » Et apostolus Paulus : « Qui habebat in se thesauros sapientiæ et scientiæ (*Coloss.* II), » et in quo Christus Dominus loquebatur, scribit Corinthiis : « Os meum apertum est ad vos, o Corinthii (*II Cor.* VI). » Et de Salvatore Matthæus refert : B « Aperiens os suum docebat discipulos (*Matth.* V). » (*Greg.*) Aperimus os nostrum cum recta loquimur, et comedimus quæ a Deo accipimus, quia et tribuitur, et augetur in nostris sensibus cibus vitæ cum prædicare cœperimus. Unde propheta alius dicit : « Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Non enim attraheret nisi os aperiret, quia nisi ad prædicandum proximis se impenderet, spiritalis doctrinæ in eo gratia non crevisset. Sequitur :

« Et vidi, et ecce manus missa ad me. » (*Hier.*) Pro manu missa *extentam* Septuaginta transtulerunt, quæ mittitur et extenditur ad eos qui Domini beneficia consequuntur. Contrahitur autem ab his quibus loquitur per prophetam : « Nunquid abbreviata et contracta est manus Domini (*Isa.* L)? » Et in C psalmo : « Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem? » (*Psal.* LXXIII.) Denique extendit in passione pennas suas, suscepitque discipulos, et portavit illos in humeris suis. Et locutus est : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem » (*Isa.* LXV), ut congregaret filios Israel, sicut gallina congregat pullos sub alas suas. Et extensione manuum Moysi Israel superat Amalec.

« In qua erat involutus liber, et expandit illum « coram me. Et erat scriptus intus et foris, scri« ptæque erant in eo lamentationes, carmen et « væ, » etc. Pro involuto libro, Septuaginta « capitulum libri » transtulerunt. « In manu Domini sedentis D super thronum, quæ missa est et extenta. » De quo et in psalmis dicitur : « In capitulo libri scriptum est de me (*Psal.* XXXIX). » Capitulum intelligamus exordium. Iste liber involutus atque signatus scriptusque intus et foris, vel ante et post, tantæ difficultatis fuit, ut nullus potuerit neque in cœlo, neque in terra, neque super terram aperire illum et legere, nisi solus leo de tribu Juda, radix David et Jessæ, quem Joannes in Apocalypsi devorasse se dixit, non totum, sed in capitulo, id est, in principio. Neque enim fieri potest ut humana natura totos libri hujus thesauros devoret. Et expandit illum coram propheta, et legendum cognoscendumque præbuit, qui in Isaia populo non credenti dicitur esse signatus. Usque hodie enim velamen Judæis in veteri posi-

tum est testamento. Scriptusque erat ante et retro. De futuris et de præteritis, vel certe foris in historiæ littera, intus, intelligentia spiritali. (*Greg.*) Liber autem involutus est Scripturæ sacræ eloquium obscurum, quod profunditate sententiarum involvitur, ut non facile sensus penetretur. Sed coram propheta liber expanditur, quia coram prædicatoribus sacri eloquii obscuritas aperitur. Involutum librum manus Domini porrexerat, cum apostolis dicebat: « Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania; et cætera (*Matth.* XIII). » Sed librum quem involutum ostenderat, expandit, cum hoc quod per ænigmata loquebatur, exposuit, dicens: « Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum autem semen, hi sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea est diabolus. Messis vero consummatio sæculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. » Involutus itaque liber expanditur, quando hoc quod obscure prolatum fuerat, per latitudinem intellectus aperitur. Hunc involutum librum Veritas expandit quando in discipulis egit quod scriptum est: « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. » De quo adhuc libro subditur: « Qui erat scriptus intus et foris. » Liber enim sacri eloquii intus scriptus est per allegoriam foris, per historiam. Intus per spiritalem intellectum, foris autem per sensum litteræ simplicem, adhuc infirmantibus congruentem. Intus quia invisibilia promittit, foris quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit. Intus quia cœlestia pollicetur, foris autem, quia terrena contemptibilia, qualiter sint, vel in usu habenda, vel ex desiderio fugienda, præcipit. Sequitur:

« Et scriptæ erant in eo lamentationes, carmen « et væ. » (RAB.) Scripturæ quoque sacræ lamentationes, carmen et væ continent. Quia sic de spe gaudium prædicant, ut in præsenti tamen pressuras atque angustias indicent. Quia si et illic dulcia appetimus, prius necesse est ut amara toleremus. Carmen et væ discipulis prædicabat Dominus quando dicebat: « Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis (*Joan.* XVI). » Ac si aperte diceret: Sit vobis de me interius, quod consulando reficiat, quia erit de mundo exterius, quod sæviendo graviter premat. Aliter lamentationes de his qui ad pœnitentiam provocantur continent, sicut Samuel et apostolus Paulus plangebant atque lugebant Saul et Corinthios, quos salvare cupiebant. Carmen super his, qui Dei digni sunt testimonio, et quibus Psalmista præcepit: « Cantate Domino canticum novum (*Psal.* XCV). » Porro væ super illis qui penitus desperantur, et cum venerint in profundum peccatorum contemnunt. (*Greg.*) Carmen aliquando in bono, aliquando in malo dici non dubium est. Quia et lætum carmen, et lugubre carmen dicere possumus. Sed nos Scripturæ sacræ usum sequentes, quæ pene semper carmen ponere in prosperis solet. Hoc in loco, pro bono prædictum carmen accipimus: nam cum omnipotens Deus populum suum de mari Rubro liberasset, scriptum est: « Tunc Moyses et filii Israel cecinerunt carmen Domino (*Exod.* XV). » Et cum David victoriam de hostibus fecisset, scriptum est: « Locutus est David Domino verba carminis hujus (*II Reg.* XXII). » Salomon quoque ait: « Acetum in nitro, et qui cantat carmina corde pessimo (*Prov.* XXV). » Acetum quippe si mittatur in nitrum, fervescit nitrum protinus et ebullit. Et perversa mens quando per increpationem corripitur, per prædicationis dulcedinem bona suadentur, de correptione fit deterior, et inde in murmurationis iniquitate succenditur, unde debuit ab iniquitate compesci. *Væ* autem in Scriptura sancta sæpius de æterno luctu quam præsenti solet intelligi. Unde scriptum est: « Væ impio in malum, retributio manuum ejus fiet ei (*Isa.* III). » Et beatus Job loquitur dicens: « Si impius fuero, væ mihi est; si autem justus, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria (*Job.* X). » Justorum enim afflictio temporalis. Væ ergo quod dixit a temporali afflictione distinxit, qui et justum afflictionem, et impium væ habere perhibuit, per semetipsam quoque Veritas dicit: « Væ mundo ab scandalis (*Matth.* XVIII). » Et: « Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis (*Luc.* VI). » Et: « Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus (*Luc.* XXI). » Pensandum ergo nobis est, quomodo hæc tria in sacro volumine scripta sint: « Lamentationes, carmen, et væ. » Lamentationes videlicet, quia in eo scripta est pœnitentia peccatorum; carmen vero, quia ibi pronuntiantur gaudia justorum; væ autem, quia illic expressa est damnatio reproborum. Ut ergo peccata punias, lege quæ in hoc volumine scripta sunt lamenta, « Scindite corda vestra et non vestimenta vestra (*Joel.* II). » Et rursus: « Miseri estote et lugete. Risus vester in luctum vertatur, et gaudium in mœrorem (*Jacob.* IV). » Ut autem de promissione gaudii sequentis hilarescas, causam cognosce, quia in hoc volumine scripta sunt carmina laudis æternæ. « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII). » Et sicut per quemdam sapientem de cœlesti Jerusalem dici« tur: Et lapide pretioso et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per omnes vicos alleluia cantabitur (*Tob.* XIII). » Hoc nobis carmen cœlestis patriæ nuntiare cives ejus venerant, qui concorditer clamabant: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). » Sed si adhuc præsenti sæculo mente inhæres, si adhuc terrenis voluntatibus delectaris, amare non potes gaudia æterna, quæ audis. Cognosce ergo in hoc volumine *væ* quod in eo scriptum est, atque ab animo per timorem expelle quod diligis, ut possis ex judicio carmen amare quod legis.

CAPUT III.

Cibatur propheta volumine, mittitur ad filios transmigrationis. Vidit gloriam Dei in campo, etc.

« **Et dixit ad me : Fili hominis, quodcunque inveneris comede.** » (*Greg.*) Quidquid enim in sacra Scriptura invenitur edendum est, quia et ejus parva simplicem componunt vitam, et ejus magna subtilem ædificant intelligentiam.

« Comede volumen istud et vade, loquere filiis Israel. » (*Hieron.*) Nisi ante comederimus apertum volumen, docere non possumus filios Israel. Denique et David postquam ipse misericordiam consecutus est : « Docebo, inquit, iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur (*Psal.* L). »

« Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo. » Ego, inquit, aperui os meum, quia mihi dictum est : « Aperi os tuum, et comede. » Et aperto ore, Dominus largitus est cibos. Ut initia voluntatis in nobis sint, et perfectionem beatitudinis a Domino consequamur, sed volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Attamen et velle et currere, nostri arbitrii est. Pro « aperui » Septuaginta transtulerunt « aperuit, » ut subaudiatur Deus, quia ipse et aperuit os prophetæ, et cibavit eum. (*Greg.*) Scriptura sacra cibus noster et potus est. Unde etiam per prophetam alium Dominus minatur, dicens : « Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei (*Amos.* VIII). » Qui ergo, subtracto suo eloquio, fame ac siti nos dicit atteri, quia ejus verba et cibus noster et potus sint demonstrat. Sed notandum quod aliquando cibus, aliquando potus sunt. In rebus enim obscurioribus, quæ intelligi nequeunt nisi exponantur, sacra Scriptura cibus est, quia quidquid exponitur ut intelligatur, quasi manditur ut glutiatur. In rebus vero apertioribus potus : potum enim non mandendo glutimus. Apertiora ergo mandata bibimus, quia etiam non exposita intelligere valemus. Pro eo autem quod multa Ezechiel propheta obscura atque perplexa auditurus erat, nequaquam ei de sacro volumine dicitur bibe, sed « comede. » Ac si diceretur : Pertracta, intellige, id est, prius mande et tunc degluti; sed in verbis ita sacri eloquii iste debet studii nostri ordo servari, ut hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus, ne alia faciamus, ut cum jam ex magno usu lacrymarum de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei, quæ intelligimus, ad vitam quoque alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt ut nobis prosint, et intentione spirituali aliis conferantur. Unde bene nunc dicitur : « Comede volumen istud, et vadens loquere ad filios Israel. » Ac si ei de sacro cibo diceretur, Comede et pasce, saturare et eructa, accipe et sparge, confortare et labora. Notandum quod propheta subjungit dicens : « Et aperui os meum, et cibavit me volumine illo. » Os in corde esse alius propheta testatur, dicens : « Labia dolosa in corde, et corde locuti sunt mala. » Os ergo aperimus quando sensum ad A intelligentiam sacri verbi præparamus. Itaque ut ad vocem Domini propheta os aperuit, ita ad spiramen Dominici præcepti cordis nostri desideria inhiant ut de cibo vitæ aliquid sumant. Sed tamen hoc ipsum sumere nostrarum virium non est, nisi ipse cibaverit, qui ut comedatur jussit. Ille etenim cibatur, qui per se edere non potest. Et quia ad capienda verba cœlestia idonea nostra infirmitas non est, ipse nos cibat, qui nobis in tempore mensuram tritici temperat, quatenus in sacro verbo dum hodie intelligimus, quod hesterno die nesciebamus, cras quoque comprehendamus, quod hodie nescimus, per divinæ dispensationis gratiam quotidiano alimento nutriamur. Omnipotens enim Deus, quasi toties ad os cordis nostri manum porrigit, quoties nobis intellectum B aperit, et cibum sacri eloquii in nostris sensibus mittit. Cibat ergo nos volumine cum sensum nobis scripturæ suæ dispensando aperit, et ejus dulcedine nostras cogitationes replet. Unde et subditur :

« Et dixit ad me : Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto quod ego do tibi, » etc. (*Hier.*) Principia lectionis et simplicis historiæ esus voluminis est. Quando vero assidua meditatione in memoriæ thesauro librum Domini condiderimus, impletur spiritaliter venter noster, et saturantur viscera, ut habeamus cum apostolo Paulo viscera misericordiæ, et impleatur ille venter de quo Jeremias loquitur : « Ventrem meum, ventrem meum ego doleo, et sensus cordis mei conturbant me. » (*Greg.*) In sacro eloquio nonnunquam C venter pro mente poni consuevit. Unde et per Jeremiam dicitur : « Ventrem meum doleo (*Jerem.* IV), » quod quia de spiritali et non corporeo ventre dixerat, adjunxit : « Sensus cordis mei conturbati sunt. » Neque enim ad salutem populi pertinebat, si propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret, sed ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum prophetæ proferimus cum testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est ut, cum per semetipsam Veritas loquitur, propheta taceat, quia lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim : « Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ vivæ de-D currunt flumina. Ventris autem viscera, quid sunt aliud, nisi mentis interna, id est, recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas? Unde recte nunc dicitur : « Venter tuus comedet et viscera tua replebuntur. » Quia cum mens nostra pabulum veritatis acceperit, interna nostra jam non vacua remanent, sed alimento vitæ satiantur. Ad veterem quippe hominem pertinet præsentem mundum quærere, transitoria de concupiscentiis amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, atque ad multiplicandum aliena quærere, nullum pure propter Deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de

afflictione proximi gaudere : cuncta hæc vetusti sunt hominis, quæ videlicet de radice trahimus corruptionis. Sed qui jam ista exsuperat, et ad præcepta Dominica mentem in benignitatem commutat, de hoc recte dicitur : « Quia vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. » Tunc vero in nostris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetusti hominis vitia transeunt, quando sacri verbi præceptum venter comedet, et viscera medullitus replentur. Sæpe enim quosdam vidimus, tota se mente ad sanctæ lectionis studium contulisse, atque inter verba Dominica recognoscentes in quantis deliquerunt, semetipsos in lacrymis mactare, mœrore continuo affligi, in nullis hujus mundi prosperitatibus delectari, ita ut eis vita præsens oneri, et lux ipsa fastidio fieret, vix ad colloquendum linguam admittere, atque a rigore disciplinæ animum difficile relaxare pro amore conditoris, luctu solummodo et silentio gaudere. Horum venter sacrum volumen comedit, et viscera repleta sunt, quia præcepta vitæ, quæ sensus capere potuit, memoria non amisit, sed hæc collectus in Deo animus lugendo semper et recolendo servavit. Et fit plerumque ut tales quique ex dono cœlestis gratiæ etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo, quod ipsi intrinsecus dulciter ruminant, et proximos suaviter pascant. De quorum profecto ore prædicatio, tanto audientibus dulcis est, quanto eorum actio contraria suis prædicationibus non est, quia de propria vita sumunt, quod per linguam proximis conferunt. Unde recte quoque hic propheta subjungit.

« Et comedi illud, et factum est in ore meo sicut mel « dulce ; » etc. (*Hier.*) Loquitur et David : « Quam dulcia gutturi meo eloquia tua; super mel ori meo (*Psal.* CXVIII). » Et alibi : « Judicia Domini vera, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum (*Psal.* XVIII). » Et, « dulciora super mel et favum. » Et Samson favum mellis in ore leonis invenit (*Jud.* XIV). Et Dominus post resurrectionem partem assi piscis comedit et favum (*Luc.* XXXIV). Et in Proverbiis de ape dicitur, quanquam hoc Hebræa non habeant exemplaria : « Vade ad apem, et disce quomodo operatrix sit; et opus suum castum faciat. Cujus laboribus reges et imperiti pro sanguinitate abutuntur; » quod operati sunt Moyses et prophetæ, et evangelistæ, et apostoli, ut quicunque rex fuerit, cujus cor in manu Dei est, dulcibus fruatur cibis. Qui vero simplex et absque serpentis astutia habet innocentiam columbarum, simplici fide credat atque salvetur, quia ubique insidiæ sunt, et sæpe diabolus transfigurat se in angelum lucis, meique distillat de labiis mulieris meretricis, dulcia repromittens, ut venena interserat. (*Greg.*) Liber qui viscera replevit, dulcis in ore, sicut mel factus est. Quia ipsi de omnipotenti Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare. In ejus quippe ore Scriptura sacra dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius replentur, quia eis suavis est ad loquendum cui interius impressa ad vivendum fuerit. Nam sermo dulcedinem non habet quem vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est, ut qui Verbum Dei loquitur, prius studeat qualiter vivat, ut post ex vita colligat, quæ et qualiter dicat.

« Et dixit ad me : Fili hominis, vade et ingredere « [in Vulg. non est *ingredere*] ad domum Israel, et « loqueris verba mea ad eos, » etc. (*Hier.*) Cui dicitur, « Vade et ingredere ad domum Israel, » ostenditur non fuisse cum populo peccatore, licet in iisdem videretur super flumen Chobar finibus commorari. Scriptum est enim : « Et ego eram in medio transmigrationis juxta flumen Chobar. » Separata enim erat prophetæ conversatio, et iniquorum offendebatur aspectu. Hoc idem faciebat et Moyses procul a castris multitudinis figens tabernaculum : quod cum fuisset ingressus, descendebat columna nubis, et stabat ante ostium tabernaculi.

« Non enim ad populum profundi sermonis et diffici« lis [*Vulg.* ignotæ] linguæ tu mitteris; ad domum Is« rael, neque ad populos multos, et ignoti sermonis, « quorum non possis audire sermonem. Et si ad illos « mitterem te, ipsi audirent te: Domus autem Israel « nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quip« pe domus Israel attrita fronte est, et duro corde, » etc. Quoniam illi ad te nolunt venire; tu perge ad eos. « Non enim habent sani opus medico; sed male habentes. » Neque potes dicere, non possum loqui ad eos, quia linguæ alterius sunt, et invicem nobis barbari sumus. Nec mutuum possumus audire sermonem, quid loquar de uno populo? Si ad diversas te mitterem nationes, tamen auctoritas et potentia mea omnem difficultatem vinceret. Atque utinam tempus instaret, quo ad omnes missurus sum nationes; quo et linguarum daturus sum gratias ut prædicent Apostoli mei, et totum mundum a diversitate linguarum una fide meo subdant jugo; facilius illi audirent, qui profundi sunt, altique sermonis; et nihil habent de levitate Judaica, sed gravi et solido ingrediuntur pede, et cum ignotæ sint linguæ; notæ fidei sunt. Unde sequitur : « Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te. » Denique postea misit, et omnes pariter crediderunt. Unde Paulus et Barnabas loquuntur ad eos : « Vobis quidem oportuerat prædicari verbum Dei, sed quia noluistis suscipere sermonem, ecce convertemur ad gentes (*Act.* XIII). » Et de centurione dicitur, « Neque in Israel tantam fidem inveni (*Luc.* XIII). » [*Greg.*] In ipso jussionis exordio quo propheta ad prædicandum mittitur, aperte et vocatio gentium, et Israelitarum repulsio designatur. Nam cum dicitur : « Non ad populos multos profundi sermonis et ignotæ linguæ mitteris, quorum non possis audire sermones, » atque statim subditur : « Et si ad illos mittereris, illi audirent te, » aperte declaratur obedientia gentium, quæ quandoque prædicatorum voces essent sine tarditate secuturæ; et cum subditur : « Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me, » Judææ duritia designatur, quæ verba prædicantium et cognovit, et sequi noluit. Ignota autem lingua gentium ad obediendum moram fecit, quamn-

vis extranea ab eloquio legis fuit. Bene autem dicitur : « Nolunt audire te, quia nolunt audire me, » secundum hoc quod scriptum est : « Qui vos spernit, me spernit (*Luc.* x). » Causa quoque cur non audiant subinfertur cum dicitur : « Omnis quippe domus Israel attrita fronte est, et duro corde. » Cum domus Israel attrita fronte et duro corde esse perhibetur, quid aliud sentiendum, quidve cogitandum est, nisi quod frontem cordis in impudentia atterit culpa frequens, ut quo crebrius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundetur? Atque ideo ad tantam cordis duritiam quandoque peccator pervenit, ut etiam in correptione sensibilis non sit, quia, qui usu peccandi induruit, nullo modo corripiendis verbum, id est, manum palpantis sentit, sicut Judææ quoque crebrius delinquenti dicitur : « Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. » Vel certe attrita frons est in hujus mundi actibus assueta, quia sicut sunt nonnulli qui quietem cunctis mundi præmiis atque honoribus præponunt, ita nonnulli, ut in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur jurgiis, et quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eo« rum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum « ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam, ne « timeas eos neque metuas a facie eorum, quia domus « exasperans est, » etc. (*Hier.*) Domus Israel attritæ frontis est, et procacis audaciæ, et duro sic corde ut scorpionibus comparetur. Ideo dedi tibi vultum durissimum et frontem, quæ nullo pudore superetur. Ex quo discimus interdum gratiæ esse Dei impudentiæ resistere, et cum locus poposcerit, frontem fronte conterere. Hoc autem tribuitur ne nostra verecundia et humanus pudor pertimescat insidias æmulorum. (*Greg.*) Sicut verecundia laudabilis est in malo, ita reprehensibilis est in bono. Erubescere enim malum sapientiæ est, bonum vero erubescere fatuitatis; unde scriptum est : « Confusio est adducens peccatum. Et est confusio adducens gloriam (*Eccles.* IV). » Qui enim erubescit pœnitendo mala quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit. Qui vero erubescit bona facere, a statu rectitudinis cadit atque ad damnationem tendit, sicut per Redemptorem dicitur : « Qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua (*Luc.* IX). » Et sunt qui bona jam in mente conspiciunt; sed necdum malis aperte contradicunt. Hi nimirum, quia boni sunt in mente, auctoritatem non habent in locutione, apti ad veritatis defensionem non sunt. Ille enim esse debet veritatis defensor, qui quod recte sentit loqui nec metuit, neque erubescit. Unde nunc in magno munere prophetæ promittitur : « Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum. » Quis est autem peccator nisi vulneratus, et qui est prædicator nisi medicus? Si enim non erubescit peccator, qui jacet

A in vulnere, cur erubescat medicus, qui per medicamenta providet salutem. Sæpe vero contingit ut prædicator reverenter audiatur, nonnunquam vero a perversis ita despicitur, ac si eis nihil utilitatis loquatur. Unde recte nunc dicitur : « Ut adamantem et silicem dedi faciem tuam. » Adamas et silex utraque dura, sed unum horum pretiosum est, alterum vile. Adamas ad ornamentum sumitur, silex ab itinerantibus calcatur. Et sæpe contingit ut hos quos correptionem suam conspicimus nimis humiliter audire, verecundemur eis aliqua dicere. Nonnunquam vero evenit ut eos quos increpationem suam videmus postponere, et despectui habere, trepidemus eis verbum prædicationis inferre. Sed si recte sapimus et ad eos a quibus nos honorari conspicimus, et ad B eos a quibus despici videmus, auctoritatem exhortationis vel increpationis sumimus, ut nec illorum humilitatem debeamus erubescere, nec horum superbiam formidare. Dicatur ergo : « Dedi faciem tuam ut adamantem, » id est, si ab auditoribus honoraris : Et, « dedi faciem tuam ut silicem, » si ab auditoribus conculcaris atque despiceris, ut nec per latum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per despectum taceat ex infirmitate. Sequitur : « Ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est. » Hoc jam superius dictum est, sed notandum quam aspera domus habeatur, cujus asperitas tam crebro replicatur. Increpandus itaque peccator est, et nunquam timendus, quia domus exasperans est. Timeri enim homo debuerat, si ipse auctorem om- C nium ut homo timuisset. Nam qui rationis sensum ad timorem Dei non habuit, tanto in nullo timendus est, quanto hoc quod esse debuit, non est. Sequitur :

« Et dixit ad me : Fili hominis, omnes sermones « meos quos loquor ad te, assume in corde tuo, et au« ribus tuis audi; et vade, ingredere ad transmigratio« nem filiorum populi mei, » etc. (*Hier.*) Iste est cibus voluminis, et hæc sunt verba, quibus pro diversitate audientium vel lamenta, vel carmen, vel væ, hominibus loquimur, et tamen notandum quod ante sermones Dei in nostro corde condendi sint, audiendique et intelligendi diligentius et sic ad populum proferendi. « Vade, inquit, ingredere ad transmigrationem sive ad captivitatem, ad filios populi mei. » Et Dominus noster venit ad populum Judæorum, D mittente Patre, ut prædicaret captivis remissionem, et impleretur in eo quod scriptum est : « Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. » (*Greg.*) Vigilanter intuendum est quod voce Domini ad prophetam dicitur, ut prius sermones ejus audiat et postmodum loquatur. Audivimus enim verba Dei si faciamus, et tunc ea proximis recte loquimur, cum prius ipsi fecerimus. Quod bene Marcus evangelista confirmat, cum factum Domini miraculum narrat, dicens : « Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum. » Cujus ordinem curationis insinuat, subdens : « Misit digitos suos in auriculas, exspuensque tetigit linguam ejus. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi :

Ephpheta, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. » Quod vero ad transmigrationem populi admonendam propheta mittitur, non solum ea transmigratio debet intelligi, quæ ejus populi erat in corpore, sed etiam, quæ facta fuerat in mente. Ab Jerusalem quippe ad Babyloniam venerat. Et quid Jerusalem, nisi visio pacis? Quid Babylonia, nisi confusio interpretatur? Quisquis vero a rectis operibus in perversis actibus cadit, quando a bono studio ad vitia defluit, quasi ab Jerusalem ad Babyloniæ civitatem venit. Culmen enim bonæ contemplationis deseruit, atque in transmigratione confusionis latet. Quod illis sæpe solet evenire, qui cum bona agant, in his de sua virtute gloriantur. Unde Psalmista, ne a visione pacis, id est, a bonis actibus captivus ad Babyloniam emigraret, Domino supplicans dicit: « Adjutor meus non emigrabo. » Si enim in se confideret, a justitiæ operibus cadendo migrasset. Sed neque hi, qui ab statu rectitudinis in prava actione ceciderunt, desperandi sunt, quia recte propheta ad transmigrationem Babyloniæ mittitur, et per prophetam alium Dominus dicit: Et venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis. Sæpe enim, qui postquam in confusione vitiorum ceciderit, erubescens mala quæ perpetravit, ad pœnitentiam redit, seque a suis lapsibus bene vivendo erigit. Quid ergo iste, nisi usque ad Babylonem venit, et ibi liberatus? Qui postquam confusus mente perversa perpetravit, hæc ipsa erubescens mala, quæ fecit, se contra se erigit, et bene operando ad statum rectitudinis redit. Sequitur:

« Et loqueris et dices ad eos. Hæc dicit Dominus « Deus, si forte audiant et quiescant. » Quoties divinis vocibus difficultas audiendi repetitur, ut dicatur, « Si forte audiant, » quid aliud quam transmigrati populi duritia designatur? In quibus verbis magna est nostra consolatio, quia si omnipotens Deus prophetam mittens ad perversum populum verba sua denuntiat, difficile audire, cur nos miseri contristamur, cur sæpe a fratribus in nostra admonitione contemnimur? Nam crebro delinquentes alloquimur, frequenter increpamus, sæpe cum eis blandis sermonibus agimus, et tamen si alter audit, alter audire contemnit, alter ex parte verbum exhortationis suscipit, et ex parte recipere recusat, ita ut quotidie impleri videamus hoc quod per prophetam alium narrat Dominus quæ fecerit iratus, cum dicit: « Plui super civitatem unam, et super alteram civitatem non plui. Pars una compluta est, et pars quæ compluta non est, aruit. » Cum enim sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit, alia suscipere recusat, super unam civitatem Dominus pluit, et super alteram non pluit.

« Et assumpsit me spiritus. Et audivi post me vo« cem commotionis magnæ. Benedicta gloria Domini « de loco suo. » etc. (*Hier.*) Deus, de quo scriptum est: « Assumens mansuetos Dominus, ipse assumpsit et prophetam, qui non erat in carne, sed in spiritu, et ambulans in spiritu, carnis opera non implebat, spiritus enim Dei erat in eo. Quamobrem et terrena

A contemnens rapitur a spiritu, et audit post se vocem commotionis magnæ, præteritorum obliviscens, et in futurum se extendens, ut inimicorum insidias post tergum relinqueret. Tale quid et in Exodo legimus (*Exod.* XIV), quando Pharao et omnis exercitus ejus persequebatur Israel, et angelus in columna nubis deseruit priora castrorum, venitque post tergum, et tota nocte stetit inter Israel et Ægyptios, ut perterritis adversariis, audiret Israel. « Benedicta gloria Domini de loco suo. » Locus autem Domini est omnis, in quibus hospitium invenit, aut certe filius locus patris, sicut et pater locus est filii, dicente Domino Salvatore: « Ego in Patre, et Pater in me (*Joan.* XIV) ». Hoc idem significat et Michæas: « Ecce Dominus egredietur de loco suo, et descendet super B excelsa terræ. Et commovebuntur montes super eum, et valles tabescent sicut cera a facie ignis, et sicut aqua quæ defertur in præceps (*Mich.* I). » Descendente enim Domino Salvatore, et proficiscente de Patre, excelsa terræ, montesque commoti sunt, et inferiora vallium liquefacta. Potest locus esse gloriæ Domini, et lux inaccessibilis, de qua et Apostolus loquitur. « Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem. » Quando præterita judicia Domini animo revolvimus, audivimus vocem post tergum commotionis magnæ; quando futura corde meditamur, auditur vox de prioribus, et ex his quæ ante sunt. (*Greg.*) Quid est hoc, quod propheta, postquam ad transmigrationem filiorum populi mittitur, vocem post se magnæ commotionis audivit, dicen-C tem: « Benedicta gloria Domini de loco suo? » Conversus quippe ad peccatores Babyloniæ fuerat, et vocem gloriæ Domini de loco suo post tergum audiebat. Locus enim Domini Jerusalem, id est, visio pacis, quia nimirum corda illa vident ea quæ Dei sunt, quæ ad transmigrationem Babyloniæ, id est, ad confusionis vitia, non descendunt. Ibi enim inhabitat Deus, ubi vera pax quæritur, internæ contemplationis gloria amatur. Nam qui ad perversitatem defluunt, locus Dei esse contemnunt. Locus gloriæ Dei est vel sancta quæque anima, vel unusquisque in cœlestibus permanens angelicus spiritus, et gloria Domini de loco suo benedicitur, cum vel ab electis hominibus, vel a sanctis angelis auctori omnium laus æterna cantatur. In eo ergo, quod justi de convertendis D peccatoribus cogitant, quia eorum vitia considerando ad carnales actus oculum ducunt, quasi ad Babyloniam intendant. Qui tamen pro statu suæ rectitudinis, quia in laudem Dei bona sanctorum considerare nunquam desinunt, quamvis per cogitationem alio intendant, quasi post se gloriæ Domini vocem ab Hierusalem, id est, de loco suo audiunt. Quid est ergo, quod post se propheta vocem audivit commotionis magnæ, nisi quod post sermonem prædicationis, qui fit ad corda peccantium, lamenta pœnitentium sequuntur? Perversi enim quippe, dum prava agunt, et a justis recta non audiunt, nesciunt quam sint gravia quæ committunt, atque ex ipsa sua ignorantia in suo stupore securi sunt, et jacentes in culpis

quasi molliter requiescunt, sicut de quodam peccatore et securo populo dicitur: Requievit in fecibus suis, quia securus jacuit in peccatis. Cum vero audire perversi verbum prædicationis cœperint, quæ sint supplicia æterna cognoscere, qui terror judicii, quam subtilis examinatio de singulis quibusque peccatis, illico contremiscunt, implentur gemitibus, et non se capientibus suspiriis anxiantur, atque magno pavore concussi, in luctu et fletibus erumpunt. Prophetam ergo vox magnæ commotionis sequitur, quia post verbum prædicationis, conversorum atque pœnitentium luctus audiuntur. Qui enim prius quieti jacebant in vulnere, tacti postmodum manu medicinæ cum dolore redeunt ad salutem. Sed quid vox ipsa dicat audiamus. « Benedicta gloria Domini de loco suo. » Locus enim maligni spiritus fuerant corda B peccantium, sed cum sibimetipsis irati per pœnitentiam redeunt ad vitam, gloriæ Domini locus fiunt, jam se contra se erigunt, jam pœnitentiæ lacrymis insequuntur mala, quæ commiserunt. Inde ergo auditur benedictio gloriæ in laude Dei, unde prius sonabat Creatoris injuria de amore præsentis sæculi, et corda pœnitentium fiunt jam Domino locus suus, quæ prius in peccatis posita, fuerunt locus alienus. De quibus adhuc subditur:

« Et vocem alarum animalium percutientium alteram « ad alteram, etc. » Audivit post se propheta vocem commotionis magnæ, quia, sicut dictum est, verbum prædicantium luctus pœnitentium sequitur. Audivit post se vocem alarum animalium, quia ex ipso luctu C pœnitentium oriuntur virtutes sanctorum, ut tanto magis in sancta actione proficiant, quanto se ante cognitionem vitæ nequiter egisse meminerunt. Sed est in his verbis magna dubitatio, quia non aperte per prophetam dicitur, utrum unumquodque animal alas suas in semetipsis percutiat, an certe hæc eadem sancta animalia alis suis se vicissim feriant, ut alas hujus alterum, et alas alterius istud tangat. Sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, et dispensante mirabiliter Deo multipliciter exponatur, nos utraque exponere largiente Domino debemus. Sæpe enim alas animalium virtutes diximus esse sanctorum, quomodo ergo unumquodque animal alas suas excutiens alteram ad alteram percutit, D nisi quod aperte datur intelligi quia, si sancta animalia efficimur, virtus virtutem in nobis excitat, dum una alteram ad perfectionem pulsat? Ecce enim habet quis verbi Dei scientiam, atque per eamdem scientiam discit, ut viscera etiam misericordiæ habeat, per scientiam quippe verbi Dei didicit: « Date eleemosynam, ecce omnia munda sunt vobis (*Luc.* XI). » Cum jam esse misericors in eleemosynis cœperit, verba sanctæ auctoritatis legit, et quidquid in eis de misericordia dicitur, uberius per experimentum intelligit. Ibi enim scriptum est: « Pater eram pauperum (*Job.* XXIX). » Quod fortasse antea legebat, et præteribat, sed cum in ejus corde jam misericordia cœperit mitari naturam, quid sit patrem esse pauperum, legit et recognoscit, quia introrsus rediens, intelligit quod foris audit. Aliud namque est eleemosynam ex præcepto facere, atque aliud ex charitate. Ex præcepto enim facere bonum inchoantium est, ex charitate autem bonum facere perfectorum, qui non solum quia jubetur, faciunt, sed etiam diligunt faciendo quod jubetur. Hinc est enim quod in magna virtute per Psalmistam dicitur: « Vide quia mandata tua dilexi, Domine, in tua misericordia vivifica me (*Psal.* CXVIII). » Sic qui castitatis bonum in suo corpore custodit, contra luxuriantes zelo accenditur, ut ab immunditiæ maculis expientur. Et sæpe dum quosdam in lapsibus invenit, edomat, affligit atque ad castitatis munditiam restringit. Cujus si forte mens de immunditia luxuriæ fuerit tentata, ex ipso docet zelo quo alios correxit, semetipsam convenit et erubescit immunda cogitare, quæ se in aliis recolit correxisse. In hoc ergo ala alam percutit, dum virtus virtutem pulsat, et ab immunditia custodit. Sin vero, ut præfati sumus, vicissim se alis suis animalia feriunt, et ala altera ad alteram alam percutitur singulorum: hujus quoque descriptionis largiente Domino sensus patet. Quid est ergo quod hæc pennata animalia alas alteram ad alteram feriunt, nisi quod omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt, et sese ad provectum excitant ex consideratione virtutis alienæ? Non enim uni dantur omnia, ne in superbiam elatus cadat, sed huic datur quod tibi non datur, et tibi datur quod illi denegatur, ut dum iste considerat bonum quod habes, et ipse non habet, te sibi in cogitatione præferat. Et rursum, dum tu habere illum conspicis, quod ipse non habes, te illi in tua cogitatione postponas, et fiat quod scriptum est: « Superiores sibi invicem arbitrantes; » ut enim pauca ex multis loquar, isti miræ abstinentiæ virtus tribuitur, et tamen verbum scientiæ non habet. Illi datur sermo scientiæ, et tamen virtutem perfectæ abstinentiæ adprehendere conatur et non valet. Huic libertas tribuitur vocis, ut oppressis quibusque protectionis solatium impendens, ad defensionem justitiæ libere loquatur; sed tamen adhuc multa in hoc mundo possidens, relinquere omnia vult et non valet. Illi vero jam datum est omnia terrena relinquere, ut nihil in hoc mundo cupiat habere, sed tamen adhuc auctoritatem vocis contra peccantes quosque non præsumit exercere, et qui ideo plus loqui libere debuit, quia jam non habet unde in hoc mundo teneatur, loqui contra alios libere recusat, ne ipsam vitæ suæ quietem perdat. Isti virtus prophetiæ data est, multa jam, quæ ventura sunt prævidet, sed tamen præsentis proximi ægritudinem conspiciens atque compatiens, non valet curare. Illi data est curationis gratia, atque a corpore proximi molestiam quæ in præsenti est orationibus repellit, sed tamen quid seipsum paulo post sequatur ignorat. Mira itaque dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis sua dona dispensat, ut et isti det quod illi denegat, et alteri majus quod alteri minus tribuat, quatenus dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse non habet,

vel ille hunc majus accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, id est, vicissim omnes admirentur, atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri, et quem videt habere quod non habet, eum divino judicio sibi prælatum putet. Alis ergo suis se vicissim animalia feriunt, cum sanctæ mentes alternis se virtutibus tangunt, et tangendo excitant, atque excitata ad provectum volant. Sed inter hæc sciendum est quia, sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt, quod a Deo melius acceperunt quam ipsi, ut eos sibi in cognitione præferant seque illis in humilitate substernant, ita reproborum mentes nunquam considerant quid alter boni amplius, quam ipse, sed quid boni ipse amplius, quam alter habeat, neque pensant, quæ bona spiritus alter acceperit, et ipsis desint, sed quæ bona ipsis et quæ mala adsint alteri. Et cum omnipotens Deus ad hoc singulis virtutes dividat, ut alterum alteri in cogitatione humiliet, ad hoc reprobi pertrahunt bonum, quod acceperunt, ut ex eo in elatione perdantur, dum semper considerant bona quæ ipsi habent, et alii non habent. Et nunquam perpendere student quanta bona alii habeant, et ipsi non habeant. Quod ergo divina pietas in augmentum disponit humilitatis, hoc mentes reprobæ in augmentum vertunt elationis, et ex diversitate munerum a bono deficiunt, unde crescere in humilitatis bono debuerunt. Sequitur:

« Et vocem rotarum sequentium animalia, et vocem commotionis magnæ. » In rotis sacri eloquii Testamenta signari superius diximus. Vox igitur rotarum est sermo testamentorum. Post vocem itaque alarum animalium auditur etiam vox rotarum, quia prædicantium sermone suscepto dum virtutes sanctorum ad altiora agenda evolant, seque vicissim ad provectum pulsant, sanctæ Ecclesiæ status erigitur, ut per universum mundum sacrorum testamentorum paginæ legantur. Ubique etenim jam sanctum Evangelium, ubique Apostolorum dicta, ubique lex et prophetæ sonant. Post alarum ergo sonum vox rotarum sequitur, quia post sanctorum miracula verba sacri eloquii intra sanctam Ecclesiam libere et libenter audiuntur; quæ rotæ animalia sequuntur, quia, sicut superius dictum est, postquam in honore venit vita sanctorum, veneranda quoque apparuerunt hominibus eloquia testamentorum, vel certe rotæ animalia sequuntur, quia in sanctorum Patrum vita cognoscimus quid in sacræ Scripturæ volumine intelligere debeamus. Illorum quippe nobis actio aperit hoc quod in suis prædicationibus pagina testamentorum dicit. Sed quærendum nobis est cur, postquam superius dictum est. « Audivi post me vocem commotionis magnæ, » post vocem quoque alarum atque rotarum subditur, « et vocem commotionis magnæ. » Quod si diligenter aspicitur, inveniri potest quia non otiose repetitur. Duæ quippe sunt commotiones quibus corda nostra commoventur. Una quippe commotio ex timore est, altera ex charitate. Una fit ex luctu pœnitentium, alia ex fervore amantium. Post prædicationis ergo verbum prima commotio est, cum plangimus mala quæ fecimus. Post vocem vero alarum et rotarum, secunda commotio est, dum magnis fletibus quærimus cœlestia bona, quæ audivimus. Ecce enim, quia intra sanctam Ecclesiam de multis patribus virtutum exempla cognoscimus, qui alarum sonitum quotidie audimus, quia ubique sacra eloquia personant, quasi rotarum vocibus excitamur. Et quia per eadem sacra eloquia ad amorem nostri conditoris accendimur, magni ferveris ignibus ardentes esse nos longe adhuc ab omnipotentis Dei facie plangimus. Post primam ergo vocem commotionis magnæ sequitur, quia dum testamenta Dei in aure cordis sonare cœperint, audientium spiritus ex amore compunctus ad lamenta commovetur.

« Spiritus quoque levavit me, et assumpsit me, et « abii amarus in indignatione spiritus mei. » (*Hier.*) Postquam elevatus a spiritu est, et assumptus ab eo, tunc in indignatione et amaritudine spiritus sui abiit quo ferebatur, intelligens indignationem Dei, et quid significaret visio mente pertractans, sive sublimis ipso spiritus sui impetu ferebatur, cupiens ire quo Dominus imperabat, spiritum autem ejus, non Spiritum sanctum, sed spiritum hominis, intelligamus, de quo in multis locis dicitur in Isaia: *De nocte consurgit spiritus meus ad te, Deus* (*Isa.* XXVI). Transferturque propheta, non, ut quidam æstimant, in spiritu, sed in ipso corpore, quod et de Habacuc juxta Theodotionem legimus (*Dan.* XIV). (*Greg.*) Cur qui se assumptum jam a spiritu dixerat, iterum elevatum et assumptum narrat? Sed ad altiora mens prædicantium proficit, cum per eos sensus audientium ad omnipotentis Dei desiderium commovetur. Sed quærendum est nobis, cum spiritus mentem non elevet nisi assumpserit, cur prius « elevavit » et postmodum dicitur « assumit: » sed hoc loco « assumpsit » dictum est, constanter tenuit. Nam sunt nonnulli quos elevat spiritus, sed non assumit, quorum et intellectus ad spiritalia emicat, sed tamen vita in factis carnalibus remanens, non cordat intellectui. Balaam quoque (*Num.* XXIII) per prophetiæ spiritum elevatus erat, sed assumptus non erat, quia et veraciter potuit longe post futura prospicere, et tamen a terrenis desideriis mentem noluit separare, sed quia propheta sanctus scientia elevatus est, et vita pariter assumptus, jam qualis in prædicatione pergat audiamus. « Et abii amarus in indignatione spiritus mei. » Ergo cui dona sancti Spiritus creverant, cur amarus abibat? An omne cor quod idem spiritus assumit, amarum in indignatione sui spiritus facit? Unde sciendum est quia cui adhuc præsens vita dulcis est, etiamsi verbum Dei loqui videatur loqui, elevatus et assumptus prædicator non est. Mentem enim quam Spiritus sanctus replet, in amaritudinem temporalium delectatione æternorum commovet. Dulce enim est esse in rebus humanis, sed ei qui adhuc de cœlestibus gaudia nulla gustavit, quia quanto minus æterna intelligit, tanto delectabilius in temporalibus requiescit. At si quis jam cordis ore gustaverit quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, qui illi hymnidici angelorum chori.

quæ incomprehensibilis visio sanctæ Trinitatis, huic quanto illud dulce fit, quod intus videt, tanto in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet. Rixatur secum de his quæ male egisse se recolit, et sibimetipsi displicet cum ei jam ille placere cœperit, qui omnia creavit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, et punit flendo de factis, supernis inhiat, terrena jam omnia per mentis despectum calcat, et quandiu illud, quod desiderat, adhuc per speciem non habet, flere dulce habet, seseque continuis lamentis affligere, et quia necdum se esse in patria ad quam creatus est videt, in hujus vitæ exsilio nihil ei plus aliud quam sua amaritudo placet, dedignatur etenim subjacere temporalibus, et ardenter suspirat æternis. Sed sciendum est, quia nullus hæc pro amore omnipotentis Domini ex toto corde agere prævalet, nisi is cujus animum Spiritus sanctus assumpserit. Nam quando homo ex sua virtute sufficiat terrena despicere, cœlestia amare, pacem cum Deo quærere, secum rixam subire, in cogitatione semetipsum reprehendere et gemitibus punire? Nullus hæc agere, nisi quem divina gratia roboraverit, valet. Unde et subditur :

« Manus Domini erat mecum confortans me. » Ad bona quippe assurgere perfecte non possumus, nisi nos spiritus et præveniendo elevet, et subsequendo confortet. Sed quærendum cum superius de volumine quod acceperat scriptum sit, « Et factum est in os meum quasi mel dulce, » qua ratione postmodum dicitur : Abii amarus in indignatione spiritus mei. » Mirum quippe valde est, si dulcedo simul et amaritudo conveniant. Sed juxta superiorem sensum sciendum est quia cui sermo Dei in ore cordis dulcescere cœperit, hujus procul dubio contra se animus amarescit. Quo enim in illo subtiliter discit, qualiter se reprehendere debeat, eo se durius per amaritudinem pœnitentiæ castigat qui tanto sibi magis displicet, quanto in sacro volumine amplius de omnipotente Deo videt quod amet; sed quia ad ista proficere sua virtute non valet homo, recte nunc dicitur : « Manus enim Domini erat mecum, confortans me. » Manus enim Domini in sacro eloquio aliquando etiam unigenitus Filius appellatur, quia omnia per ipsum facta sunt, et de cujus ascensione per Moysen Pater omnipotens loquitur, dicens : « Tollam in cœlum manum meam. » Hæc manus, quæ electorum suorum corda confortat, discipulis dicebat : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv). » In omne ergo quod cogitamus, in omne quod agimus, semper orandum est, ut et ipso aspirante cogitemus, et ipso adjuvante faciamus.

« Et veni ad transmigrationem ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta flumen Chobar, et sedi ibi, ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum. » Inter cætera prophetiæ miracula, hoc quoque mirandum habent libri prophetarum, quod sicut in eis verbis res, ita nonnunquam verba rebus exponuntur; ut eorum non solum dicta, sed etiam res gestæ, prophetiæ sint. Unde nunc dicitur : « Veni ad transmigratio-A nem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitant juxta flumen Chobar. » Cum causa exigeret ut indicare debuisset quod ad transmigrationem veniret, quæ dicendi necessitas fuit, ut per fruges locum quoque exprimeret, dicens, « Ad acervum novarum frugum, » nisi quod sæpe per res et loca causæ signantur? Multi quippe Ezechiel prophetante jam captivitatis anni defluxerant, atque ex his qui in captivitatem ducti fuerant, plures jam in morte carnis obierant, ad quorum filios propheta loqui veniebat. Unde et ei superius dicitur : « Fili hominis, ego mitto te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt a me, et patres eorum prævaricati sunt pactum meum usque in diem hanc, et filii dura cervice et indomabili corde sunt, ad quos ego te mitto. » Ex quibus, quia B multi fuerant credituri, atque per obedientiam ad fertilitatem boni operis perventuri, acervus frugum vocantur : quia enim bonæ animæ fruges appellantur Dei propheta alius testatur, dicens : « Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus (*Jer.* II). »

« Et sedi ubi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum. » Notandum quod captivo populo propheta sanctus quanta compassione se copulat, eorumque se mœroribus consedendo et mœrendo conjungit, quia radix verbi est virtus operis, et ille sermo ab audiente libenter accipitur, qui a prædicante cum compassione animi profertur. Sic ferrum cum ferro jungitur, liquatur prius ut postmodum vicissim a seipso teneatur. Si enim prius minime mollescit, postmodum fortiter se tenere non sufficit. C Sic propheta captivo populo consedit, et mœrens in medio eorum exstitit, ut dum per charitatis gratiam condescendendo se ei molliorem redderet, eum statim verbi fortitudine teneret. Sin vero Israeliticus populus, qui domus exasperans vocatur, quia culpas nec inter flagella cognovit nullo mœrore animum depressit. Propheta inter gentes mœrens sedere studuit, ut tacendo ostenderet quid loquendo venerat docere, et priusquam verba faceret in hoc quod mœrens tacuit, formam verborum sumpsit. Sequitur : « Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens. » (*Greg.*) In eo quod septem diebus mœrens sedit; et post diem septimum verba Dominicæ jussionis accepit; ut loqui debuisset; aperte indicat quia eisdem diebus mœrendo tacuerat. D Missus autem ad prædicandum fuerat; et tamen septem diebus sedens tacebat. Quid est hoc, quod nobis sanctus propheta in hoc silentio innuit; nisi quia ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit? Quasi enim quoddam nutrimentum verbi est censura silentii. Et recte per excrementum silentii, crescentem quoque gratiam sermonis accepit, qui ordinate antea per humilitatem tacet. Hinc etenim per Salomonem dicitur : « Tempus tacendi; et tempus loquendi (*Eccles.* III). » Non enim ait, tempus loquendi et tempus tacendi; sed prius tacendi præmittit tempus, et postmodum subdidit loquendi. Quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere. Si ergo propheta sanctus, qui missus ad loquendum

fuerat, diu prius tacuit, ut postmodum recte loqueretur, pensandum nobis est, quanta ei culpa sit non tacere, quem nulla cogit necessitas loqui. Sequitur : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. » Notandum quod eum, quem Dominus ad prædicandum mittit speculatorem esse denuntiat. Cui enim cura aliena committitur, speculator vocatur, ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, ut quidquid venturum est longe prospiciat. Et quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut prodesse possit per providentiam. Hinc propheta alius speculatorem admonet, dicens : « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa.* XL), » ut videlicet qui prædicationis locum accepit, ad altitudinem bonæ actionis ascendat, ad excelsa transeat, et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat, quatenus subjectorum vitam tanto subtilius videat, quanto terrenis rebus quas despicit, animum non supponit. (*Hier.*) Manus autem Domini fit super prophetam confortans eum, ut possit nomen speculatoris accipere et docere quod dicit. Septemque prius diebus versatur inter eos, videns cuncta quæ gererent, ut postea sciret quæ corriperet. Mœret autem sive conversatur in medio eorum, videns scelera et justam Dei pro peccatorum iniquitate sententiam. « Cum autem pertransissent, inquit, septem dies, factum est verbum Domini ad me, dicens : Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. » Qui speculator futurus est, et Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quiescere, et dolere ad ea, quæ videat, nihilque habere eorum in conscientia, quæ in aliis correpturus est. « Et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. » (*Greg.*) Ecce iterum admonetur propheta ne præsumat loqui quod non audierit, sed prius aurem cordis aperiat voci creatoris, et postmodum os sui corporis aperiat auribus plebis. Unde propheta alius dicit : « Inclinabo ad similitudinem aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam (*Psal.* XLVIII). » Qui enim recte prædicat, prius, sicut dictum est, aurem cordis locutioni intime inclinat, ut postmodum os corporis in propositione admonitionis aperiat.

« Si dicente me ad impium, Morte morieris, non « annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur « a via suo impia, et vivat. Ipse impius in iniquitate « sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua « requiram. Si autem annuntiaveris impio, et ille non « fuerit conversus ab iniquitate et a via sua impia, « ipse quidem in iniquitate sua morietur. Tu autem « animam tuam liberabis. » (*Hier.*) Duo sunt impii sive iniqui, ut Septuaginta transtulerunt ; unus qui nihil audit a speculatore, et in sua impietate moritur, cujus sanguis de speculatoris quæritur manibus ; alter cui speculator annuntiat, et ille audire contemnens suo vitio moritur. Ita duntaxat, ut speculator a culpa alienus sit. Ex quo intelligimus ideo Dominum impio comminari et dicere, « Morte moriaris, » ut aver-
A tatur a via sua impia et vivat. Comminatio enim non in homines, sed in peccatores est, nec in eos qui convertuntur a vitiis, sed qui in peccato permanent; magnumque discrimen est Dei tacere sermones ob triplicem causam, vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. Unde et Isaias : « Væ, inquit, mihi misero, quia tacui (*Isa.* VI). » Quodque sequitur : « Tu autem animam tuam liberasti, » illud apostolicum sonat : « Si cujus opus arserit, damnum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III), » ut probet utrum speculator externus a causa sit mortis ejus qui periit an reus. Opus enim magistri salus discipuli est. In quibus verbis quid nobis notandum est, quid sollicite cogitandum, nisi quia nec subjectus ex
B præpositi culpa moritur, nec præpositus sine culpa est, quando verba vitæ non audiens ex sua culpa moritur, subjectus? Impio etenim mors debetur, sed ei ab speculatore via vitæ nuntianda est, et ejus impietas increpanda. Si vero speculator tacet, ipse impius in iniquitate sua morietur, quia impietatis ejus meritum fuit, ut dignus non esset ad quem speculatoris sermo fieret; sed sanguinem ejus Dominus de manu speculatoris requirit, quia ipse hunc occidit, qui eum tacendo morti tradidit. In quibus utrisque pensandum est quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum, quia ubi et subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest, quando tacuit, reus mortis tenetur. O quam liber a commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egre-
C gius qui dicebat, Mundus sum a sanguine omnium ! Non enim subterfugi, quominus ut annuntiarem omne consilium Dei vobis. Si enim non annuntiasset, mundus a sanguine non esset, sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos convincimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, quia sacerdotes vocamur, qui super ea mala, quæ proprie habemus, alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. Cum vero dicitur : « Sanguinem ejus de manu tua requiram, » si in hoc loco sanguinis nomine, mors corporis designatur, valde nobis de nostro silentio augetur metus, quia si in subjectis suis is qui prælatus ad speculandum etiam
D de morte corporis quandoque morituri tam graviter reus punitur, quo reatu de morte animæ subjectorum constringetur, quæ potuisset semper vivere, si verba correptionis audisset ! Sed melius possunt sanguinis nomine peccata signari. Unde quidam cum de peccatis carnis defleret, dixit : « Libera me de sanguinibus Deus, Deus, salutis meæ (*Ps.* L). » Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiretur : quia peccatum subditi culpæ præpositi, si tacuerit, deputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat. Surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est : « Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ (*Prov.* VI). »

Unde hic quoque additur : « Si enim tu annuntia- A
veris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia, ipse quoque in impietate sua morietur. Tu autem animam tuam liberasti. » Tunc autem subjectus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem pertulerit te. Nam morti, cui non contradicis, adjungeris ; et notandum quæ sunt quæ debeant ab spectatore prædicari, nimirum fides et operatio. Nam ait, « Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab iniquitate sua et a via sua impia. » Impietas quippe ad infidelitatem pertinet ; via vero impia, ad pravam actionem. Et omnis speculator hoc habere debet studii, ut prius ad pietatem fidei, postmodum ad piam viam, id est, ad bonam actionem trahat ; sed quia de exhortatione sermo se intulit, innotescere B
breviter debemus in ore pastoris, quantus debeat esse ordo atque consideratio locutionis. Pensare etenim doctor debet quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, quantum loquatur : si enim unum horum defuerit, locutio apta non erit. Scriptum quippe est : « Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti. » Recte autem offerimus, cum bono studio bonum opus agimus. Sed recte non dividimus, si habere discretionem in bono opere postponamus. Considerare etenim debemus quid loquimur, ut juxta Pauli vocem (*Coloss.* IV), « semper sit sermo noster sale conditus. » Pensandum vero nobis est cui loquamur, quia sæpe increpationis verbum, quod hæc admittit
persona, altera non admittit : et sæpe eadem ipsa C
persona secundum factum fit altera. Unde Nathan propheta (*II Reg.* XII) David post adulterium forti increpationis sententia percussit, qui cum de raptore ovis diceret, « Filius mortis est, qui fecit hoc, » ei protinus respondit, dicens : « Tu es ille vir. » Cui tamen cum de Salomonis regno loqueretur, quia culpa defuit, ei se humiliter in adorationem prostravit. In una ergo eademque persona, quia causa dispar exstitit, etiam sermo propheticus dissimilis fuit. Pensandum quoque est quando loqui debeamus, quia sæpe, etsi defertur increpatio, postmodum benigne recipitur, et nonnunquam languescit si hoc quo ante proferri debuit tempus amiserit. Nam et sapiens mulier Nabal ebrium videns (*I Reg.* XXV), increpare D
de culpa tenacitatis noluit, quem digesto vino increpationis suæ verbis utiliter percussit. Et propheta adulantium linguas non esse in subsequenti tempore differendas annuntiat, qui ait : « Confundantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge (*Psal.* LXIX). » Adulatio etenim si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur, et paulisper demulcet animum ut a rigore suæ rectitudinis inolescat in delectatione sermonis. Sed ne crescere debeat, statim est et sine mora abjicienda. Pensandum quoque nobis est qualiter loquamur, nam sæpe verba, quæ hunc ad salutem provocant, alium vulnerant. Unde Paulus quoque Apostolus, qui Titum admonet, dicens : « Argue cum omni imperio (*Tit.* II), » Timotheum exhortatur dicens : « Argue, obsecra, cum omni patientia et doctrina (*II Tim.* IV). » Quid est, quod uni imperium et alii patientiam præcipit, nisi quod unum lenioris, alterum vero ferventioris spiritus esse aspexit ? Leni per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi. Is autem qui per spiritum fervebat, per patientiam temperandus fuerat, ne si plus justo infervesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret. Curandum quoque quantum loquamur, ne si ei, qui multa ferre non valet, verbum vel exhortationis vel increpationis longius trahimus, auditorem nostrum ad fastidium perducamus.

« Sed et si conversus justus a justitia sua fecerit « iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse « morietur, quia non annuntiasti ei, in peccato suo « morietur, et non erunt in memoriam justitiæ ejus « quas fecit, sanguinem vero ejus de manu tua requi- « ram. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non pec- « cet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia « annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti. » (*Hier.*) Sicut impios vel iniquos duos legimus, unum qui non audivit et periit, alterum qui audivit et perseveravit in nequitia, sic duo justi sunt, unus qui non audivit, et periit, alter qui audivit, et conversus ad pœnitentiam, salvavit animam suam. Notandumque quod possit justus cadere, etsi habuerit magistrum ad meliora converti. Et bona igitur opera indigent assiduo præceptore, ne lassus optimo cursu, retrahat pedem. Et impius quidem vel iniquus, si conversus non fuerit, in impietate et in iniquitate sua morietur. Justus autem, si fecerit impietatem atque peccatum, non statim moritur, sed ponitur offendiculum in conspectu ejus sive tormentum. Et, ut Theodotio dixit, « infirmitas, » ut torqueatur, et planam viam non inveniat, et intelligat se languidum. De quibus et Apostolus dixit : « Ideo infirmantur multi apud vos, et dormiunt multi (*I Cor.* XI). » Prodest enim justo intelligere delictum suum, conscientiæque tormentum, et dicere cum Psalmista : « Conversus sum in ærumna mea, dum mihi infigitur spina (*Psal.* XXXI). » Et quomodo impio non sunt obviæ iniquitates, si avertatur a via sua impia, et vivat, sic justo non prosunt antiquæ justitiæ, si novis facinoribus opprimatur. Quod autem intulit : « Ipse morietur, quia non annuntiasti ei, » subauditur potuisse eum vivere, si speculator magisterque docuisset. « Sed et si conversus, inquit, justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. Ipse morietur, quia non annuntiasti ei, in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit. Sanguinem vero ejus de manu tua requiram. » (*Greg.*) Quia justo, qui in peccato cecidit, prædicator tacuit, ejus sanguinis reus tenetur. Et qui sollicitus esse non studuit in prædicatione, factus est particeps ejus in damnatione. Sed cum dicitur : « In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit, » hoc nobis maxime considerandum est quia cum mala committimus sine causa, ad memoriam bona nostra trans-

acta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. Sed quæri potest utrum justo, postquam ceciderit, prædicandum sit, an et priusquam cadat invigilare prædicator debet ne ad casum veniat, procul dubio et priusquam cadat, nam sequitur : « Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, tu autem animam tuam liberasti. » Si ergo prædicator ideo animam suam liberat, quia justo ne peccaret annuntiavit, cum justus ad peccatum prædicatore tacente ceciderit, prædicator, quia tacuit, reus tenetur. Sed quis nostrum rogo ad hæc sufficiat, ut non solum peccatores studiose corripiat, sed et justis invigilet, ne cadant? Nos enim infirmitatis nostræ conscii, cum justos viros conspicimus, admonere eos non præsumimus, ut justitiæ viam teneant, quam quia tenent videmus, et tamen prædicatoris est debitum etiam justos admonere. Unde prædicator egregius dicebat : « Sapientibus et insipientibus debitor sum (*Rom.* I). » In his vero omnibus, quæ de justo ad iniquitatem converso dicta sunt, hoc est laboriosum ad loquendum, hoc valde pertimescendum, quod Dominus dicit : « Ponam offendiculum coram eo. » Ait enim : « Si conversus justus a sua justitia fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. » Nos enim, ait Dominus, quia si iniquitatem fecerit, offendit. Et verum est omnino, quod dicimus, cur adhuc ei Deus omnipotens offendiculum ponit, quem jam impegisse et cecidisse per iniquitatem quam perpetravit, conspicit? Sed districta sunt omnipotentis Dei judicia, et qui peccatorem diu exspectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc, ubi gravius impingat. Peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati, aut peccatum simul et causa et pœna peccati. Omne enim quod prius committitur peccatum est, sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut quia flendo et corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est et causa peccati, quia ex illo oritur

A unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero, quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, et pœna peccati, quia excrescente cæcitate ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam ut unum idemque peccatum, et peccatum sit et pœna peccati, simul et causa peccati. Ponamus ergo ante oculos quempiam rem proximi concupisse, quam quia aperte non valuit, furto deripuit. Sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse jurejurando denegavit. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit et causa peccati, quia per eam pervenit ad rapinam. Ipsum vero furtum, quo rem concupitam diripuit, et peccatum ei factum est, et pœna peccati, quia ex
B retributione jam non repressæ concupiscentiæ factum est, ut veniret ad furtum, et culpa cordis excresceret in opere ex ultione cæcitatis. Sed quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit. Furtum ergo quod ex concupiscentia processit et perjurium protulit, peccatum et pœna peccati factum est culpæ præcedenti, peccatum et causa peccati culpæ subsequenti, quia de illa natum hanc genuit. Unde nunc etiam Dominus dicit : « Si conversus justus a sua justitia, et fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo. » Ac si aperte dicat : Quia pœnitendo audire noluit, ubi jam impegit, justo eum judicio deserens, ponam ei, ut alibi impingat. Quod tamen Deum ponere est nequaquam ad peccandum premere, sed nolle a peccato liberare.
C Sicut de Pharaone dicitur : « Ego indurabo cor Pharaonis (*Exod.* VII); » non enim cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Misericors enim Deus tempus ad pœnitentiam misericorditer relaxat, sed cum ejus gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disponit, districtius ad feriendum vertit, ut cum reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si converti voluisset. Unde scriptum est : « Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II). »

LIBER QUARTUS

SEQUITUR CAPUT III.

Explicito sermone Domini ad prophetam, quo eum speculatorem domui Israel constituit, et annuntiare jussit impio ut avertatur a via sua impia et vivat, justoque præcipit ut non peccet, ne justitiæ ejus quas ante fecit, pereant, et ipse simul intereat. Quid postea sibi Dominus facere præceperit subjungit, dicens :

« Et facta est ibi [*Vulg. tacet* ibi] super me manus « Domini, et dixit ad me : Surgens egredere in campum, et ibi loquar tecum, *etc.* » (*Hier.*) Supra enim
D legimus, « Et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant juxta fluvium Chobar, » recteque ei cui dixerat « sedi, » jubetur ut surgat. Et qui ingressus fuerat ad transmigrationem, audit « egredere, » non in confragosas valles, non in prærupta rupes, sed in campi latitudinem, quæ possit capere gloriam Domini. Unde et Corinthiis dicitur : Dilatamini (*I Cor.* VI), quando ingreditur ad captivos. De quibus dictum est, quod insaniant et persequantur eum, forti manu indiget ut possit resistere, et furorem persequentium sustinere. Quando

autem egreditur in campum, fit quidem super eum manus Domini, quia absque illius adjutorio exire non poterat, sed non additur « fortis. » Ad videndam enim gloriam Dei, non ad pugnandum egreditur. Et hoc animadvertendum, quod in medio captivorum sedentium ipse sedens propheta gloriam Domini non viderit.

« Et surrexi et egressus sum in campum, et ecce « ibi gloria Domini stabat, quasi gloria, quam vidi « juxta fluvium Chobar, etc. » Jubente Domino ingreditur, et jubente egreditur, seditque cum sedentibus, quia stantem illum numerus captivorum audere non poterat. Egressusque in campi latitudinem, videt stantem gloriam Domini, quam prius viderat ambulantem et elevantem se et interdum stantem; quia juxta fluvium sæculi hujus Chobar, qui interpretatur gravissimus, gloria cernebatur, quod significat omnem mundi hujus gloriam præterfluere, et gradum stabilem non habere. Gloria autem Domini stans et perseverans cum stante propheta videtur in campo, quæ in medio captivorum nec stare poterat nec videri.

« Et cecidi in faciem meam, et ingressus est in « me spiritus, et statuit me super pedes meos, et locu- « tus est mihi, et dixit ad me : Ingredere et includere « in medio domus tuæ. » Stantem gloriam Domini non sustinens, cecidit in faciem suam, ut ab ingrediente in eum spiritu levaretur; qui spiritus statuit eum super pedes suos, et locutus est ei dicens : Intra et includere in medio domus tuæ; et est sensus, quia corroboratus es aspectu Dominicæ majestatis, nullum timeas, nec aliquem pertremiscas, sed revertere in domum tuam, vel ad necessitates corporis, ut quidam putant, vel in signum futuræ obsidionis. Et quomodo Isaias discalciatus et nudus trium annorum captivitatem et nuditatem populi nuntiavit, ita et tu clausus domo, opere ipso propheta vicinam obsidionem urbis Jerusalem. (*Greg.*) Quid est hoc, quod prius Dominus in medio Israelitarum locutus ad prophetam suum fuerat, et tamen postmodum dicit : « Egredere in campum, et ibi loquar tecum, » nisi quod prophetiæ suæ gratiam, et prius Judææ infunderet? Hanc postmodum dignatus est in latitudinem gentium demonstrare. Neque enim immerito per campum gentilitas designatur, quæ longe lateque, id est, in universo mundo distenditur, ibi et subditur : « Exsurgens egressus sum in campum, et ecce gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi juxta flumen Chobar. » In campo gloriam Domini propheta vidit, quam juxta flumen Chobar in medio Israelitarum viderat, quia ipsa ejus majestas gentibus apparuit, quæ prius se electis in Judaico populo, revelante spiritu, declaravit. Sequitur : « Et cecidi in faciem meam. » Visa gloria Domini propheta in faciem suam cadit, quia quamvis homo ad intelligenda spiritalia elevatur, ex contemplatione tamen majestatis Dei infirmitatem suæ conditionis intelligit, et quasi statum non habet, qui se ante Dei oculos esse cinerem et pulverem videt. Sequitur : « Et ingressus est in me spiritus, et statuit me super pedes meos. » Cum nos humiliter Deo sternimus, cum esse nos cinerem pulveremque cognoscimus, cum infirmitatem propriæ conditionis pensantes, statum rigiditatis et superbiæ non habemus, omnipotens Deus per suum nos spiritum levat, et super pedes nostros statuit, ut qui humiliter apud nos ex infirmitatis nostræ cognitione jacuimus, et jacemus, in bono post opere quasi super pedes ex rectitudine stemus. Quod cur in campo de propheta agitur, nisi ut specialiter designetur quia etiam electis gentium Spiritus sanctus dandus esset, quia eos quos assumeret, et prius a superbiæ suæ statu dejiceret, et postmodum super pedes suos, id est, super bona opera solidaret. Sicut per Paulum dicitur : Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris. Sequitur : « Et locutus est mihi, et dixit ad me : Ingredere et includere in medio domus tuæ. » Quid est, quod in medio Israelitici populi propheta ad campum educitur, atque ad domum postea de campo revocatur? nisi quod prædicationis gratia Judaico populo ablata in latitudinem gentilitatis sparsa est? Sed tamen in fine mundi dum Judæi ad fidem redeunt, quasi ad domum propheta reducetur, ut in suo populo rursus prædicatio inhabitet, quæ modo velut in campo ita in diversis gentibus fulget : Scriptum quippe est : « Donec plenitudo gentium intraret, tunc omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI). » Quia et per prophetam alterum dicitur : « Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Isai.* X). » Exeat ergo propheta de medio populi ad campum, de campo redeat ad domum, ut et prædicatio, quæ Judææ facta est, egrediatur in gentes, et repletis fide gentibus, recipiat Judæa spiritalis doctrinæ dona, quæ amisit. Includi autem propheta in medio domus suæ præcipitur, quia Antichristi tempore ab eis gentibus, quæ in infidelitate remanserint, plebs conversa Judæorum duris persecutionibus angustatur. Unde scriptum est : Atrium autem, quod erat extra fores templi, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.

« Et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vin- « cula, et ligabunt te eis, et non egredieris de medio « eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato « vel gutturi tuo, et eris mutus, nec ut vir objur- « gans, quia domus exasperans est. » (*Hier.*) Quod in domo clauditur, quod vinculis alligatur, quod non egreditur ad eos inter quos habitat, sed inter multitudinem captivorum solitudinem carceris patitur, ut supra dixi, obsidionis indicium est, quod clausa Jerusalem atque circumdata ab exercitu Chaldæorum, nullum habitantium foras exire permittet. Hæc est olla, de qua Jeremias loquitur, et ipse hic propheta in consequentibus, in qua carnes populi consumuntur. Quod autem lingua prophetæ palato vel gutturi cohæret, et mutus effectus auctoritatem non habet increpantis, causa perspicua est,

« quia domus, » inquit, « exasperans est. » Et est sensus : Tantæ sunt amaritudines, et tantæ adversus Deum contentiones, ut objurgantem non mereantur audire. Ex quo perspicuum est, ubi multitudo fuerit peccatorum, indignos esse peccantes, qui a Domino corrigantur. « Et tu, inquit, fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum, et linguam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. » Quæ, videlicet verba, si per typicæ expositionis ordinem sequimur, Propheta in domo sua vincula suscipit et ligatur, quia in extremis, cum Judæa crediderit, gravissimas Antichristi tempore persecutiones sentiret, ita ut prædicationes ministri iniquitatis non recipiant, sed resistendo hunc vinculis doloris premant. Et in medio eorum non egredietur, quia ad corda pravorum prædicatio non pervenit, dum lingua bonorum ligata tribulationibus tacet. Erunt etenim tunc multi ex Judæis infidelibus, qui eosdem ipsos, qui ex Judæis crediderint, persequentur. Unde notandum est quod hic quoque dicitur quia in domo sua propheta vincula sustineat, ut videlicet designetur, quoniam ex ipso suo genere Judæa, cum fidelis fuerit, tribulationes persecutionis portet. Dum enim Unigenitus summi Patris incarnatus, ac mortuus, resurrexisse atque ad cœlos ascendisse non creditur, sicut per sacræ Scripturæ paginas prædicatur, nimirum apud eos prophetia ligata erit : quæ si ita ut dicta est in eorum intellectum decurreret, quasi gressus liberos suæ prædicationis habuisset. Reprobis ergo tunc prædicatorum scientia tacere compellitur. Unde adhuc subditur : « Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. » Sed quia, Enoch et Elia prædicante, multi ex his, qui tunc ex Judæis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt, sicut de Helia dicitur : « Elias veniet et ipse restituet omnia (*Matth.* XVII). » Qui utrique per Zachariam duæ olivæ (*Zach.* IV), et per Joannem duo candelabra nominantur (*Apoc.* XI).

« Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus tuus : Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat, quia domus exasperans est. » (*Hier.*) Illud quod in Ecclesiaste legimus, « Tempus tacendi, et tempus loquendi, » etiam in sermone prophetico comprobatur, quod ejusdem sit sapientiæ et tacere et loqui pro tempore, et dare conservis in tempore suo, cibaria. Unde Isaias ad populum non credentem : « Tacui, numquid semper tacebo, dicit Dominus? (*Isa.* LXV.) » Qui igitur ob multitudinem peccatorum diu clausum os tenuit, quia vidit aliquos posse converti. De quibus dictum est : « Qui audit, audiat, » et qui a malis quiescit, quiescat et desinat (*Ezech.* III). » Idcirco aperto ore et non propria voluntate, sed Domini jussione loquitur ad populum. Id autem, quod nos possumus, « Qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat; » pro quo Septuaginta interpretati sunt, « qui audit, audiat; et qui

A incredulus, incredulus sit. » Secunda Aquilæ editio transtulit : « Qui audit, audietur; et qui relinquit, relinquetur. » Et est sensus : « Qui habet, dabitur ei; qui autem non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur ab eo (*Matth.* IV). »

« Cum autem, inquit, locutus fuero tibi, aperiam os tuum, et dices ad eos : (*Greg.*) Hæc dicit Dominus Deus tuus. » Tunc enim velut in extremo os prophetæ aperitur, cum in prædicatione Enoch et Eliæ a Judæis ad fidem redeuntibus prophetiæ sacri eloquii de Christo fuisse cognoscuntur. Sed quia hæc typice diximus, nunc verba eadem charitati vestræ moraliter disseramus. Quid est enim quod exire jubetur propheta in campum, nisi quod unusquisque, qui prædicat propter eos quos extra se positos corrigit, atque B ab iniquitate compescit, loquendo ad campum exit? Ibique Domini gloriam videt, quia tanto largius doctrinæ gratiam percipit, quanto se in labore prædicationis ex amore proximorum tendit. Foras ergo eundo in altum visione ducitur, quia unde in alienis cordibus ignorantiæ cæcitatem ministerio suæ locutionis illuminat, inde eum superna gratia in altiore intelligentia exaltat. Sed quia semper prædicator debet ad mentem recurrere, humilitatem atque munditiam intrinsecus custodire, post campum necesse est, ut ad domum redeat, quatenus in his, quæ dicit, qualis etiam ipse sit, intra conscientiam agnoscat. Si enim aut hoc quod loquitur minime custodit, aut de his quæ loquitur temporalem gloriam requirit, loquendo quidem ad campum exit, sed non cogi- C tando semetipsum ad domum redire contemnit. Accepto enim spiritu in medio domus includimur, quoniam per ejus gratiam ad discutienda mentis nostræ secreta revocamur, ut apud semetipsum in Deo animus quiescat, et non jam per exteriores concupiscentias in appetitu laudis et gloriæ, cogitationis mobilitate discurrat. De hac domo cordis cuidam sanato per semetipsam Veritas dicit : « Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. » Per grabatum quippe, in quo carnis est requies, ipsa caro signatur, per domum vero conscientia figuratur. Et quia cum mente mortui in vitiis jacemus, in carnis delectatione quiescimus, infirmi portamur in lecto. Cum vero sanati mente fuerimus, ut jam pulsantibus car- D nis vitiis resistamus, necesse est, ut tentationum contumelias de nostra carne toleremus. Ægro itaque ad salutem reducto præcipitur, « Tolle grabatum tuum, » id est, porta lectum, in quo portatus es, ut sanatus quisque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat ægrotus. Quid est ergo dicere : « Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam (*Joan.* V), » nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ fecisti? Propheta igitur post campum in domo includi præcipitur, ut prædicator semper post gratiam doctrinæ, quam proximis ministrat, ad conscientiam redeat, seque ipsum subtili examinatione discutiat, ne de his, quæ foris prædicat, aliquid ipse apud se intrinsecus transitoriæ laudis quærat. Sed

hæc, quæ breviter sub duplici intellectu discussimus, A placet ut juxta considerationem litteræ leniter tangendo transeamus. Quid enim amplius per ipsa verba historiæ, quam virtus obedientiæ commendatur, cum modo in transmigrationem juxta fluvium Chobar pergere, modo in campum egredi, modo ex campo ad domum redire propheta præcipitur, ut prius ex jussione pergens, et paulo post exiens, atque iterum domum rediens, et semetipsum recludens, semper suæ voluntatis arbitrium, ad divini eloquii præceptum frangat, quatenus in cœlesti visione suspensus, non suam, sed Conditoris sui voluntatem impleat? Cui dicitur: « Et tu, fili hominis, ecce data super te sunt vincula, et ligabunt te in eis, et non egredieris in medio eorum. » Qua in re notandum quod adversa propheta prænoscit, ut contra omnia B paretur. Minus enim mala contra mentem prævalent, quæ inopinata non veniunt. Et tamen, dum contraria prænoscuntur, quanta sit in eo obedientiæ virtus ostenditur, qui et cognoscit, quod adversa passurus est, et tamen voci Dominicæ inobediens non est. Magna autem consideratione indigent verba quæ protinus adduntur: « Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans. » Discernendum quippe nobis est utrum pro solis malis auditoribus, an aliquando etiam pro vitio prædicantis, prædicationis sermo subtrahatur. Quatuor enim qualitatibus res hæc considerata distinguitur. Nam aliquando propter auditores malos, bonis tollitur sermo doctoribus, aliquando vero propter bonos auditores, datur sermo doctoribus et C malis, aliquando autem propter docentium atque audientium justificationem, bonis doctoribus sermo datur, ut et ipsi per meritum crescant, et auditores eorum intellectu et vita proficiant. Aliquando vero, quia neque hi digni sunt accipere, quibus doctrinæ sermo profertur, neque illi doctrinæ verbum proferre, qui locum docendi tenent, prædicationis sermo tollitur, ut utraque pars districte judicetur: propter malos namque auditores, bonis sermo doctoribus tollitur, sicut nunc ad Ezechielem prophetam dicitur: « Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est. » Et sicut Paulo dicitur: « Festina et exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me (*Act.* XXII). » Et sicut volentibus Apostolis prædicare in Asia scriptum est quia « prohibuit eos spiritus Jesu (*Act.* XVI). » Propter bonos auditores etiam malis doctoribus sermo datur, sicut de Pharisæis Dominus dicit: « Omnia quæcunque dixerint vobis, servate et facite. Secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt (*Matth.* XXIII). » Propter docentium quoque meritum et audientium justificationem sermo doctrinæ tribuitur, sicut sanctis apostolis dicitur: « Euntes nunc docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII). » Propter malos auditores et indignam vitam eorum, qui docere debuerunt, sermo doctrinæ subtrahitur, sicut Heli ad corrigendos filios, districtæ increpationis verbum non habuit, quia et ejus negligentia, et filiorum exigebat vita, ut cum eis et populus caderet, et arca Domini capta ad Allophylos transiret (*I Reg.* II). Magna enim omnipotentis Dei est gratia cum inique agentibus, durus a doctoribus sermo increpationis profertur, quo contra nunc dicitur: « Et eris mutus, nec quasi vir objurgans. » Delinquentes etenim objurgasset, si digni ipsa objurgationis gratia fuissent. Sed cum in doctrina atque silentio sit meritorum tanta diversitas, ut sciri facile non possit, utrum ex auditoribus an ex ejus vitio, qui doctrinæ locum videtur tenere, docendi sermo subtrahetur, quid aliud nobis, quam servare semper in rebus dubiis humilitas jubetur, ut et quando loqui possumus, non extollamur, ne forte hæc ipsa locutio nostra gratia non nobis, sed auditoribus nostris collata sit. Et rursus, quando loqui non possumus, hi qui nobis commissi sunt, minime nos dijudicent, ne fortasse non ex nostro, sed ex peccato audientium loqui minime possimus. Ad hoc ergo nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, ut unam certam gratiam teneamus humilitatis, quatenus et nos cum loquimur, ex omnipotentis Dei dono, hoc esse vestrum meritum putemus. Et quando a locutione doctrinæ obmutescimus, quamvis nostra culpa sit, vos tamen hanc esse vestram specialiter credatis, ut dum vicissim mala nobis tribuimus, et bona aliis per humilitatis gratiam fiat, ut doctrinæ sermo, qui ablatus fuerat, redeat. Sequitur: « Cum autem locutus fuero tibi, aperies os tuum, et loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: qui audit, audiat; et qui quiescit, quiescat, quia domus exasperans est. » Sæpe quidam verbum Dei audire desiderant, sed dum alios conspiciunt aurem avertere, etiam ipsi a salutis auditu deviantur. Et plerumque multi quiescere appetunt, atque a cunctis mundi hujus actibus vacare, nullis jam desideriis terrenis succumbere. Sed dum vident alios inquiete agendo proficere, atque in hoc mundo divitiis et honoribus extolli, quia necdum in via rectitudinis firmi sunt, ad prava opera ex aliorum exemplo delabuntur. Hinc est enim, quod in typo infirmantium Psalmista loquens dicebat: « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelatus sum in peccatoribus, pacem peccatorum videns (*Psal.* LXXII). » Hinc iterum dicit: « Dum D superbit impius, incenditur pauper (*Psal.* X). »

CAPUT IV.

Lateris explicatio; de captivitate decem tribuum, et de angustia famis.

« Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones « eum coram te, et describes in eo civitatem Hierusalem, et ordinabis adversum eam obsidionem, et « ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, « et dabis contra eam castra, et pones arietes in « gyro, » etc. (*Hieron.*) Sicut prius diximus: « Intra et includere in medio domus tuæ. Et ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te, et non egredieris, » typum esse prophetam futuræ obsidionis urbis Hierusalem, ita nunc geometrica jubetur in latere arte

describere, ipsumque laterem poni in conspectu prophetæ, ut postquam descripserit, in pulvere Hierusalem omnem adversum eam pingat obsidionem, adumbrans munitiones, et comportatos aggeres, et coronam vallantis exercitus, et arietes in circuitu, per quæ omnia urbes capi solent, munitiones dicuntur quibus urbs clauditur, ne quis obsessorem possit effugere, comportati aggeres, quibus vallum fossæque complentur. Castra militum custodiæ per circuitum, arietes quibus murorum fundamenta quatiuntur, et lapidum junctura dissolvitur. Hoc autem dicitur, ut significetur urbis Hierusalem sub Sedechia rege, vicina captivitas, cujus anno undecimo, et rex et civitas capta est. Pro latere, qui Græce dicitur genere feminino ἡ πλίνθος, Symmachus manifestius interpretatus est, πλίντιον, quem nos laterculum et abacum appellare possumus. In cujus pulvere solent geometræ γραμμὰς, id est, lineas radiosque describere. Ex quo quidam volunt non absurdum esse etiam hujus doctrinæ habere scientiam, illa exempla replicantes, quod Jesus filius Nave exploratores miserit, qui terram describerent, quæ proprie vocatur Geometria, et angelus in Zacharia habuerit funiculum geometricum ad Hierusalem metiendam. Et quod nunc jubetur propheta Hierusalem in pulvere describere, quæ apud eos proprie appellatur, σκηνογράφια, possumus laterem et in suggillationem Israelis accipere, quod in luto et latere servierit Pharaoni, sive ut urbs, quam putabant esse firmam et inexpugnabilem, fragilissimo lateri comparetur, qui ad tactum aquæ illico solvitur. Ut de qua prius dictum est : « Numquid petra durissima vel deserti mons est, filiæ Sion, » vertatur in laterem, qui inundatione Babyloniæ corrumpatur, juxta illud, quod scriptum est : « Propterea adducet Dominus super vos aquas multas, et fortes, regem Assyriorum. »

« Et tu, inquit, Fili hominis, sume tibi laterem, « et pones eum coram te, et describes in eo civita« tem Hierusalem, et ordinabis adversus eam obsi« dionem, et ædificabis munitiones. Et comportabis « aggerem, et dabis contra eam castra, et pones « arietes in gyro. Et tu sume tibi sartaginem fer« ream, et pones eam murum ferreum inter te et « civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et « erit in obsidionem. Et circumdabis eam. Signum « domus Israel. » (*Greg.*) In quibus videlicet verbis, quid aliud juxta historiam, nisi Hierusalem urbis obsidio atque destructio designatur, et peccatoris populi afflictio exprimitur? qui domus exasperans vocatur, cum aperte dicitur : « Ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, pones arietes in gyro. » Sed quia verba prophetiæ sic plerumque narrant historica, ut per hæc etiam mystica describant, oportet ut hæc eadem dicta, quæ protulimus, spiritaliter disseramus, maxime quia in eis interponitur, quod teneri posse ad litteram non videtur, cum dicitur : « Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum, inter te et civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidione, et circumdabis eam. Signum est domui Israel. » (*Hieron.*) Quod supra diximus, et ipsum prophetam et descriptionem lateris munitionibus, aggere arietibusque circumdantem in signum præcedere obsidendæ Hierusalem, hoc nunc manifestius dicitur post multa, quæ media sunt, « Signum est domui Israel, « sartago ferrea, quæ instar muri inter prophetam et urbem ponitur, grandem iram demonstrat Dei, quæ nullis precibus fatigetur nec flectatur ad misericordiam. Sicut enim omnia metalla ferrum domat, nihilque eo durius est, sic incredibilia scelera Hierusalem Deum natura mollem suo vitio fecerunt esse durissimum. Sartago quoque dicitur medius inter populum et Deum murus oppositus, ut ostendat omnem multitudinem in brevi esse frangendam redigendamque ad nihilum. Obfirmatio autem vultus contra urbem, severitatis judicium est juxta illud, quod alibi scriptum legimus : « Facies Domini super facientes mala, ut disperdat de terra memoriam eorum (*Psal.* xxxiii). » (*Greg.*) Quid sartago ferrea necessaria prophetæ fuit, ut hanc inter se et civitatem poneret, quatenus se ab ejus obsidione separaret ? Cum enim dicitur : « Sume tibi sartaginem ferream et pones eam murum ferreum inter te et civitatem, » aperte declaratur, quia per eamdem sartaginem ferream ab obsidione civitatis se liberum reddat. Unde et quod prædixi subjungitur : « Et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem. » Ex qua re ostenditur, quia propheta in eadem obsidione non fuerit, si sartaginem ferream inter se et civitatem murum ferreum ponit, et certe sive in ea captivitate quæ prius, sive in ea, quæ postmodum Israelitico populo contigit, nullus ab ejusdem captivitatis periculo liber fuit, sed omnes simul par calamitas involvit. Quid ergo intelligi juxta litteram potest, ut propheta inter se et civitatem, quæ obsidenda est, sartaginem ferream ponat ? Sed quamvis omne hoc, quod in descriptione lateris sub signo Hierosolymorum civitatis legitur, juxta litteram factum sit, nobis tamen sciendum est, quia typicum aliquid per sartaginem figuratur, sed obsessio Jerosolymorum vera describitur ; ex qua re instruimur ut dum aliud completum juxta historiam scimus, et aliud juxta historiam a ratione vacare cognoscimus, in sacro verbo utraque teneamus, quatenus et obsidionem Jerosolymorum, quæ juxta litteram postmodum facta est, in prophetæ verbis et factis credamus esse figuratam, et tamen per eamdem obsidionem, obsidio alia, id est, interior designetur. In qua re quærimus quid per sartaginem ferream, quæ murus ferreus dicitur, valeat designari. Illam itaque obsidionem, qua Jerosolymorum civitas destructa est jam factam novimus, sed aliam nunc intrinsecus, quæ quotidie agitur, requiramus. De qua per significationem dicitur : « Et tu, fili hominis, sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem. » Sed ante nobis quærendum est, cur Ezechiel propheta vel quoties sublimia conspicit, vel

quoties agere aliqua mystica jubetur, prius filius hominis appellatur. Sæpe enim sublevatur ad cœlestia, et occultis atque invisibilibus rebus ejus mens pascitur. Necesse est ergo ut inter occulta, quæ penetrat, Filius hominis vocetur, ut semper agnoscat quod est, et nunquam extollatur de his ad quæ ducitur. Quid est enim prophetæ ad spiritalia elevato semper « Fili hominis » dicere? nisi eum infirmitatis propriæ memorem facere, ut conscius conditionis infirmæ elevari in cognitione non debeat de magnitudine contemplationis suæ. Quia vero isdem propheta, ut et supra jam diximus, typum prædicantium vel doctorum tenet, recte ei nunc dicitur : « Sume tibi laterem, et pones eum coram te. » Omnis enim doctor cum terrenum quempiam auditorem ad cœlestis verbi doctrinam suscipit, laterem assumit, qui dum loqui cœperit quæ sit retributio cœlestis patriæ, quæ visio pacis supernæ, civitatem Jerusalem describit in latere, quem coram se ponit, quia intenta mente qualitatem audientis considerat, id est, profectum vel defectum conspicit, et juxta ejus intelligentiam prædicationis suæ verba moderatur, ut describi in audientis mentem civitas Jerusalem, id est, visio pacis possit. Dicatur ergo, « Sume tibi laterem ; » id est, proximi cor terrenum, » pones eum coram te : » scilicet ut vitam atque intellectum illius intenta mente custodias. « Et describes in eo civitatem Jerusalem ; » ut ei quæ sint superna gaudia de visione pacis innotescas. Quasi enim jam Jerusalem in latere descripta est, cum terrena mens cœperit quæ sint illa internæ pacis gaudia vera cognoscere, ad conspiciendam gloriam patriæ cœlestis anhelare, quasi interna visio pacis describitur, quando mens quæ prius terrena sapuerat, per amorem jam ad contemplandam gloriam regni cœlestis elevatur : sed mox ut animus amare cœlestia cœperit, mox ut ad visionem pacis intimæ tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius, qui de cœlo lapsus est, invidet, et insidiari amplius incipit, acriores quam consuerat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat, quando possidebat. Unde scriptum est : « Fili, accedens ad servitium Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Unde et dæmoniacus qui a Domino sanatur, ab exeunte dæmone discerpitur, sicut scriptum est : « Et clamans, et multum discerpens eum exiit ab eo (*Marc.* IX). » Debet ergo vigilanter doctor proficienti animæ, quæ illam tentationes sequantur, innotescere, ut cautam se valeat contra maligni spiritus insidias præparare. Unde bene nunc post descriptam civitatem Jerusalem in latere, dicitur prophetæ : « Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem. » In qua enim jam pacis visio describitur, ei necesse est, ut tentationum bellum nuntietur, nam ut valeat illa pacis gaudia æterna pertingere, hanc hic procul dubio oportet tribulationum certamina cumulata sustinere. De qua bene dicitur, « Ordinabi, adversus eam obsidionem. » Prædicator quippe contra erudiendam animam obsidionem ordinat, cum præmuniendo indicat quibus se modis vitia virtutibus opponunt, quomodo luxuria castitatem feriat, qualiter ira tranquillitatem animi perturbet, quantum inepta lætitia vigorem mentis resolvat, qualiter multiloquium munitionem cordis destruat, quomodo invidia charitatem interficiat, quemadmodum superbia arcem humilitatis effodiat, qualiter fallacia, cum veritatem in sermone corruperit, hanc etiam in cogitatione violet, ut qui verum dicere noluit, quod intellexit, jam nec intelligat, quod dicere valeat. Ordinatur ergo a prædicatore obsidio, cum per sanctæ admonitionis verba singulis quibusque vel quibus modis vitia insidientur ostenditur. Et contra Jerusalem, quam describit in latere prædicator munitiones ædificat, quando mala quæque, quam munita contra mentem veniant demonstrat, ut sese vitia sub virtutum specie abscondant, quatenus, sicut sæpe jam diximus, immoderata ira justitia videri appetat et disciplinæ remissio mansuetudo videri velit, et tenacia sese parcimoniam nominet, et inordinata rerum effusio se benevolentiam appellet : quasi enim ædificatæ munitiones contra mentem sunt, quando vitia sub virtutum specie excrescunt, et in alto se ostendunt per imaginem, quæ in imo jacent semper per actionem. Adhuc additur : « Et comportabis aggerem. » Quo enim mens desiderare cœlestia cœperit, et in illam maligni spiritus tentationibus suis terrenas amplius cogitationes exaggerant. Propheta ergo aggerem comportat, cum prædicator sanctus bonis mentibus qualiter terrena desideria subrepere solent denuntiat, atque adhuc additur : « Et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. » Quasi dat contra animam doctor castra, quando malignorum spirituum contra eam collectas atque adunatas insidias indicat, ut aliquando non solummodo ex uno, sed ex cunctis vitiis simul tentent. Nam sunt quædam vitia, quasi per quamdam sibi cognationem propinqua, sicut dissolutio spiritus, appetitus gulæ, et immunditia luxuriæ, sicut multiloquium, fallacia atque perjurium. Ex desolatione [dissolutione] quippe spiritus mens ad ingluviem ventris rapitur, et dum cibis venter tenditur, ad luxuriam caro retrahitur, superbiendo captiva. Et rursum ex multiloquio fallacia generatur, quia valde difficile est, ut qui multa loquitur non etiam mentiatur. Sæpe mendacium etiam perjurio tegitur, ut ante humana judicia veletur. Superbia quoque esse sine invidia aut inani gloria nullatenus potest. Superbus etenim quisque honorem quem ipse ambit, aliis invidet. Et cum hunc fortasse obtinuerit, in elatione gloriæ temporalis attollitur, atque quod alios conspicit minime percipere potuisse, hoc se per inanem gloriam gaudet præ cæteris habere. Sciendum quoque est, quod sæpe nonnulla vitia ad mentem non simul veniunt, sed supponuntur, ut unum alteri in tentatione succedat. Et aliud contra faciem

venit, aliud vero in tentationem se ex latere subjicit, quatenus dum alteri resistitur, ab altero mens decepta rapiatur. Ipsa enim, quæ superius diximus vitia plerumque se alia pro aliis furtive supponunt. Sicut nonnunquam dum iram vincere in nobismetipsis conamur, plusquam necesse est lenitas mentem occupat, ut asperitatem peccantibus, quam oportet minime præponat. Sæpe vero dum nobis inesse incauta lenitas displicet, zelus se ad fervorem trahit, atque extra patientiæ limitem animum captivum ducit. Quia ergo permista simul vitia atque adunata contra mentem veniunt, recte in prædicatoris ore contra descriptam Jerusalem castra proponuntur. Et quia aliquando singula hinc inde mentem feriunt, in gyro arietes ordinantur. Ponit ergo prædicator arietes in gyro, dum caute denuntiat, quam caute luxuria percutit, quam aspere impatientia occidat, quam laboriose avaritia accendit et interimit, quam tumide superbia exstinguit. In gyro itaque arietes ponere, est prædicando ostendere qui undique soleant animam mucrones vitiorum ferire. Sequitur : « Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem. » Quia ferrum forte metallum est, et in sartagine cibus frigitur. Quid per sartaginem ferream, nisi spiritalis zeli fortis frixura signatur? Omnis quippe spiritalis zelus doctoris animam frigit, quia valde cruciatur, dum infirmos quosque æterna deserere, et rebus temporalibus delectari conspicit. Quam bene Paulus sartaginem ferream sumpsit, cum zelo animarum cruciatus dicebat : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* XI.) Ipsum suum cor, quod animarum zelus succenderat, quid aliud, quam sartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat? Quod enim urebatur, sartago erat. Inardescebat enim et coquebat, quia accendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta præparabat ex sua afflicta cogitatione. Sed quid est, quod eamdem sartaginem propheta inter se et civitatem, murum ferreum ponit? nisi quod idem fortis zelus, qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi judicii, inter eum et animam quam a vitiis zelatur testis est, ut etsi audire is qui docetur noluerit, doctor tamen pro zelo, quem exhibet de auditoris negligentia, reus non sit. Murum ergo ferreum inter se et civitatem ponit, quia in ultionis tempore inde doctor a damnationis periculo munitur, unde nunc per zelum custodiæ cordis frixuram patitur. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum. Hinc enim per Psalmistam dicitur : « Zelus domus tuæ comedit me (*Psal.* LXVIII). » Sumamus ergo sartaginem ferream, et ponamus eam murum ferreum inter nos et civitatem, id est, assumamus zelum fortem, ut inter nos et auditoris nostri animam inveniamus hanc postmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inventuri sumus, si nunc eum fortiter teneamus, videlicet docendo, suadendo, increpando, mulcendo. terrendo, aliquando leniter, aliquando

A etiam severius agendo. De qua recte severitate subditur. « Et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidionem. » Quid est obfirmare faciem ad Jerusalem in latere descriptam, nisi ut ei animæ, cui cœlestis pacis doctor visionem denuntiat, si adhuc eam infirmari in suis actibus conspicit, remissiorem et clementiorem se ostendat? Unde scriptum est : « Filiæ tibi sunt? serva corpus earum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas (*Eccli.* VII). » Infirmæ quippe animæ, atque ad appetitum mundi deditæ, aliquando melius ex severitate servantur, ut obfirmata facies, id est, per severitatis custodiam ab omni spe frivolæ remissionis abducta inconstantem animam terreat, atque a dilectione vitiorum districtionis vigore constringat. Quod cum a doctore agitur semper

B necesse est, ut dulcedo et humilitas in corde teneatur : quatenus et multum amet, et nunquam contra eum per elationem superbiat, cui tamen amorem suum et humilitatem pro utilitate ejus prodere recusat. Sequitur : « Et circumdabis eam. » Circumdat doctor auditoris animam, cum in omne, quod in hac vita agitur, tentationum laqueos apponi posse denuntiat, ut dum ubique fit mens pavida, ubique circumspecta quanto timidior, tanto vigilantior vivat. Sequitur : « Signum est domus Israel. » Si ad historiam obsidionis, quæ juxta litteram facta est, signum est domus Israel, quod propheta fecit; si ad mysterium, quod quotidie erga unius cujusque animam a doctore agitur, signum est domus Israel, et hoc quod egit et hoc quod agendo nuntiavit. Quia sicut domus

C Israel obsidionem corporaliter pertulit, ita unaquæque anima, quæ jam servire omnipotenti Deo incipit, obsidentes se insidias malignorum spirituum sentit, a quibus si vere eripi appetit, scire debet quia sua virtute eripi non possit, sed ejus necesse est ut adjutorium speret, qui nos et in carne corruptibili viventes, per redemptionis suæ mysterium potest etiam supernos spiritus, qui sunt sine carne, roborare, Jesus Christus Dominus noster.

« Et tu dormies super latus tuum sinistrum, pones « iniquitates domus Israel super eo, numero dierum « quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, dierum numero trecentos et nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel.

D « Et cum compleveris hæc, dormies super latus « tuum dextrum secundo : et assumes iniquitatem do« mus Juda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem « inquam, pro anno dedi tibi. » (*Hieron.*) Quæramus qui sunt anni trecenti nonaginta, qui pro diebus totidem supputentur, quibus in sinistro latere propheta dormierit, vinctus atque constrictus, ita ut in latus se alterum non moveret, captivitatem et miserias decem tribuum, id est, Israelis ostendens. Et qui alii quadraginta anni, quibus pro Juda et iniquitatibus ejus in dextro jacuerit latere, sive, ut narrat sancta Scriptura (*IV Reg.* XV), dormierit, de Israel hoc dicendum est, quod sub rege Phacee filio Romeliæ, qui undevicesimus regnavit in Israel annis

viginti, venit Theglatphalasar, rex Asur, et cepit Aion et Abel, domum Maacha et Janoe et Cedes et Azor, et Galaad, universamque terram Nephthalim, et transtulit eos in Assyrios. Post quem regnavit in Israel Osee filius Hela annis novem, captusque est cum omni Samaria a Salmanasar rege Assyriorum, et translatus in Hela et Abor fluvios Gozam in civitatibus Medorum. Sexto autem Ezechiæ regis anno, ut sancta Regum narrat historia, captus est Osee. A quo, si per ordinem supputemus, quot annis Israel fuerit in angustia, et jugo pressus captivitatis, sic invenire poterimus : a sexto anno usque ad vicesimum nonum annum, tot enim Ezechias regnavit annis, supputantur anni viginti quatuor ; cui successit Manasses, regnavitque quinquaginta quinque.

Post hunc Ammon regnavit annis duobus, post quem Josias annis triginta duobus. Cui successit Joachim, qui et Eliachim cognominatus est, et regnavit annis undecim. Post quem Joachin cognomento Jechonias, qui statim ductus in captivitatem, regnavitque pro eo Sedechias annis undecim, sub quo capta est Jerusalem templumque destructum est. Fiunt itaque a prima captivitate Israel, quæ facta est sub rege Phacee usque ad undecimum annum Sedechiæ quo templum desolatum est, anni centum septuaginta quatuor. A secunda quando captus est Osee et omnis subversa Samaria anni centum octoginta quinque. Fueruntque desolationis templi anni septuaginta, qui additi primæ captivitati faciunt annos ducentos triginta et quatuor. In secundo enim Darii regis Persarum anno templum exstructum est, a Zorobabel filio Salathiel et Jesu filio Josedech, prophetantibus Aggæo et Zacharia, qui regnavit annis triginta sex, unoque sublato adduntur anni ejus triginta quinque. Post quem regnavit Xerxes filius Darii annis viginti. Post quem Artabanus mensibus quatuor. Xerxes, qui cognominabatur Malepoxei [Μακρόχειρ], annis quadraginta. Post quem Xerces mensibus duobus, et Sogdianus mensibus quatuor. Cui successit Darius cognomento Nothus, qui regnavit annis decem et novem. Post quem Artaxerxes cognomento Mnemon, Darii et Parisatidis filius, regnavit annis quadraginta, qui ab Hebræis Assuerus appellatur, sub quo Mardochæi et Esther narratur historia, quando omnis populus Judæorum de mortis periculo liberatus recepit pristinam libertatem. Fiuntque a secundo anno Darii usque ad extremum annum Assueri anni centum quinquaginta quinque, menses quatuor. Qui additi superioribus annis ducentis triginta quatuor, faciunt annos trecentos octoginta novem, menses quatuor. Dextri autem lateris dormitio, id est, annorum quadraginta, facile supputatur. Post Eliacim enim, qui cognominatus est Joachim, regnavit filius ejus Joachin cognomento Jechonias mensibus tribus, quo regnante ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, et circumdata est urbs munitionibus, « venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam. Et egressus est Joachin rex

A Juda ad regem Babylonis ipse et mater ejus, et servi ejus et principes ejus, et eunuchi ejus. Et suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui, et protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ (*IV Reg.* XXIV). » Et post paululum : « Et transtulit omnem Jerusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus, decem millia in captivitatem, et omnem artificem et clusorem. Nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ (*Ibid.*). » Quo facto cum infinita populi multitudine et cunctis opibus Jerusalem, regnavit Sedechias annis undecim, sub quo capta urbs, templumque destructum est. Cujus solitudo usque ad secundum annum Darii permansit annis septuaginta. Tricesimo autem desolationis templi anno Cyrus B regnavit in Persis, subverso Astyage rege Medorum, qui juxta prophetiam Isaiæ quinquaginta ferme millia hominum de tribu Juda remisit in Jerusalem et vasa templi, quæ Nabuchodonosor asportaverat, et cætera quæ narrat Esdræ historia. Sicuti igitur in Israel, hoc est, decem tribubus a Phacee rege, sub quo Salmanasar Israelitici populi multa vastavit, usque ad quadragesimum annum Assueri, supputamus annos trecentos nonaginta, quando Judaici populi persecutio mitigata est, sic a primo anno Jechoniæ, quando magna pars Jerusalem translata est in Babylonem, usque ad primum Cyri regis Persarum annum, qui desolationis templi erat annus trigesimus, supputantur anni quadraginta. Sub quo Judæorum laxata captivitas est, et libertas populo reddita. C Quidam trecentos nonaginta annos Israelis et quadraginta Judæ jungentes, faciunt annos quadringentos triginta. Et volunt eos impleri a baptismate Salvatoris, usque ad consummationem mundi. Alii vero et maxime Judæi a secundo anno Vespasiani, quando Jerusalem a Romanis capta, templumque subversum est, supputari volunt in tribulatione et angustia, et captivitatis jugo populi constituti annos quadringentos triginta, et sic redire populum ad pristinum statum, ut quomodo filii Israel quadringentis triginta annis fuerunt in Ægypto, sic et in eodem numero finiatur extrema captivitas. Scriptumque est in Exodo : « Habitatio autem filiorum Israel quam habitaverunt in terra Ægypti anni quadringenti triginta (*Exod.* XII). » Et iterum : « Factum est post D annos quadringentos triginta egressus est omnis exercitus Domini nocte. » Satisque miror, cur vulgata exemplaria centum nonaginta annos habeant, et in quibusdam scriptum est centum quinquaginta, cum perspicue et Hebraicum et Aquila, Symmachusque et Theodotion trecentos nonaginta annos teneant, et apud ipsos Septuaginta, qui tamen non sunt scriptorum vitio depravati, idem numerus reperiatur. Difficillimam quæstionem et ne dicam superbe a nullo explanatam, non tam nostri scientia, quam Domini gratia exposuisse nos credimus, impleto illo quod ille pollicitus est : « Quærite et invenietis, petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis (*Matth.* VII). » Qui autem voluerit supputare a prima

captivitate, quæ facta est sub Manahem filio Gaddi, rege Israel, qui regnavit in Samaria decem annis, quando venit Phul rex Assyriorum in terram Israel, et mille talenta accepit argenti, et post eum alios duos annos Phacee, qui regnavit in Israel, inveniet vicesimo octavo anno Assueri regis compleri trecentos nonaginta annos, quando Esther fertur historia, quod credibilius est, neque enim finito imperio Assueri, sed adhuc regnante eo Israel jugum gravissimæ servitutis abjecit.

« Et ad obsidionem Jerusalem converies faciem « tuam et brachium tuum erit exsertum, et propheta-« bis adversus eam. » Præparatione vultus opus est ac robore et confirmatione exserti brachii atque nudati, ut non solum voce, sed et gestu et habitu prophetantis urbis obsidio demonstretur.

« Ecce circumdedi te vinculis et non te convertes « de latere tuo in latus alterum, donec compleas dies « obsidionis (vel conclusionis) tuæ. » Sinistræ partes, quia sine templo et notitia Dei fuerant in Samaria delegantur Israeli : dextræ Judæ, in qua Dei cultus et religio. Et notandum, quod in altero sit peccantium pœna, in altero virtutis exercitatio, nec convertit se de altero in alterum latus, ut nulla cruciatuum requies indicetur, donec impleatur supradictorum dierum perfecta conclusio. Quod dies prophetæ, hoc annus est patientibus. Et quos annos putabat Laban, Jacob erant quasi pauci dies (*Gen.* XXIX). Non solum autem in suppliciis varietas est, pro diversitate meritorum, sed in bonorum quoque retributione Agni in dextera, hædi stant in sinistra. Inde et in alio loco scriptum est : « Cor sapientis in dextera ejus, cor autem stulti in sinistra ejus (*Eccli.* X). » Alia sunt Domini vincula, quibus ligamur in salutem, alia diaboli, quibus decem et octo annis ligaverat mulierem in Evangelio. Unde et « funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur, » quos solvit Dominus per typum Lazari suscitati, qui fasciolis et institis vinctus jacuerat in sepulcro.

« Et tu sume tibi frumentum et hordeum, et fa-« bam et lentem et milium et viciam, et mittes ea « in vas unum, et facies tibi panes numero dierum, « quibus dormies super latus tuum trecentis nona-« ginta diebus, comedes illud. Cibus autem tuus, « quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die, « a tempore usque ad tempus comedes illud, et « aquam in mensura bibes, sextam partem hin, a « tempore usque ad tempus bibes illud, et quasi « subcinericium hordeaceum comedes illud, et ster-« core humano operies illud in oculis eorum. » (*Hieron.*) Jubetur autem propheta famem futuram et inopiam populi Israel opere demonstrare. Sicut enim in rerum omnium penuria non quæruntur ciborum diversitates et deliciæ, sed quomodo venter impleatur, sic nunc propheta frumentum et hordeum, fabam, lentem et milium avenamque mittit in unum vas, facit trecentos nonaginta panes, quos per singulos dies comedat, qui panes habent vicenos siclos, id est, stateres. Siclus autem, id est stater, habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo latinam unciam faciunt, ita ut unus panis decem uncias habere dicatur, quo trahitur magis anima quam sustentatur, sterilitatem cibi aquæ auget sterilitas, sextam enim partem mensuræ Hebraicæ, quæ appellatur hin, jubetur per singulos dies bibere. Porro hin duos choas Atticos facit, quos nos appellare possumus duos sextarios Italicos, ita ut hin mensura sit Judaici sextarii utriusque castrensis, cujus sexta pars facit tertiam partem sextarii Italici. Qui cibus et potus juxta inclytum oratorem non vires tribuit, sed mortem prohibet. Quod autem dicit, « a tempore usque ad tempus comedes vel bibes illud, » a vespere usque ad vesperum significat, licet quidam male ab anno usque ad annum intelligi putent. Ipsique panes instar hordeacei panis subcinericii fiunt. Diciturque ei ut humano stercore operiat eos, non ignorantibus his qui comesturi sunt, solet quippe res incerta miserias temperare, sed videntibus et in oculis eorum, ut ante aspectus horrorem, quam gustus nauseam sustineat. Notandum quoque quod juxta numerum dierum sinistri lateris trecenti nonaginta subcinericii panes jubeantur fieri, et per singulos dies comedi, et de quadraginta dierum dextri lateris panibus omnino taceatur, ut occulte sancta Scriptura significet non eamdem pœnam esse populi peccatoris, et tamen notitiam habeat Dei, et ejus qui a religione veri Dei omnino discesserit. Possumus hic et hoc dicere juxta intelligentiam spiritalem, quod Judaicus populus post offensam Dei usque hodie subcinericios panes comedat, mixtos frumento, hordeo, faba ac lente, milio et avena. Quorum alter hominum, alter jumentorum cibus est. In eo enim, quod videntur in unum Deum credere, habent aliquid et frumenti. Quod autem filium negant, hordeo jumentorum pascuntur, et fabis, quibus comedentium venter inflatur, et mens opprimi dicitur, in tantum ut Pythagoreis quoque cibus detestabilis sit. Propter lentem Esau primogenita perdidit. Milium rusticorum et agrestium et altilium cibus est. Avena sive vicia et olyra bruta pascuntur animalia. Quod autem scribitur juxta Septuaginta Elias fugiens Jezabel (*III Reg.* XIX) invenisse panem ἐγκρυφίαν, id est subcinericium, persecutionis et penuriæ signum est. Unde et a corvis pascitur, ut quia cibum non invenerat in Israel, nationum quæ immundæ erant pasceretur alimentis. Lex quoque ipsa, quam legunt et non intelligunt, subcinericius panis est, et opertus humano stercore. Quamobrem et Paulus apostolus lucra legis et pristinarum cæremoniarum observantiam dicit se habuisse quasi stercora, ut Christum lucrifaceret (*Philip.* III).

« Et dixit Dominus : Sic comedent filii Israel pa-« nem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam « eos. Et dixi : Ah ah ah, Domine Deus, ecce anima « mea non est polluta, et morticinum et laceratum « a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc. « Et non est ingressa in os meum omnis caro im-« munda. Et dixit ad me : Ecce dedi tibi fimum boum « pro stercoribus humanis, et facies panem tuum in « eo. » Prophetas juxta Zachariam viros esse por-

tentosos, qui suis operibus futura portendant, et de quibus loquitur Deus : « In manibus prophetarum assimilatus sum (*Osee* xii), » in multis locis creberrime legimus. Sicut igitur Ezechiel panem comedit in stercore, sic et filii Israel vel omnis populus Judæorum, sive, ut alii putant, decem tribus comedebant panem pollutum in nationibus, licet non sit ad eos comminatio, qui jam ejecti sunt, sed ad eos qui ejiciendi de terra repromissionis. Quod cum propheta didicisset, juxta Aquilam, tertio detestatus est, « Ah ah ah. » Denique impetrat quod rogavit, et sententiæ austeritas mitiori imperio temperata est. Quæritur cur Ezechiel faciliora renuerit, et Osee scorto statim fuerit copulatus, nec contradixerit, imo nec responderit castum habere se corpus, neque commistione meretricis debere maculari, dicente Apostolo : « Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur (*I Cor.* vi). » Ex quo ostenditur figuram fuisse Synagogæ vel Ecclesiæ, non vere juxta litteram perpetratam. Quod ipsum exponentes prophetam plenius disseruimus. Morticinum dicitur, quod absque effusione sanguinis amittit vitam, et in quo moritur anima. Laceratum a bestiis, quod Græce appellatur θηριάλωτον. Quod autem pro humano stercore boum conceditur fimus, leviora significantur mala, dum jubentur quidem coctum in bubulo stercore comedere panem, sed ab humani stercoris longe esse immunditia, et usque hodie in populo Judæorum servatur ista sententia, ut non comedant panem suum in humano stercore, neque enim idolis serviunt, nec varia dæmonum portenta venerantur, sed in fimo bubulo, dum omnia propter carnem et ventrem, et terræ hujus bona operantur, secundum quod dicitur : « Qui fecerit ea, vivet in eis, » nos autem terrena contemnimus, et non solum humani stercoris calcamus cibos, et terrenas delicias putamus esse pro nihili, sed comedimus panem qui de cœlo descendit, et fruimur illo cibo de quo Psalmista decantat : « Panem angelorum comedit homo (*Psal.* lxxvii), » nequaquam Ægyptiis carnibus, sed mannæ tenuitate viventes.

« Et dixit ad me : Fili hominis, ecce ego conteram baculum panis in Hierusalem, et comedent panem in pondere, et in sollicitudine, et aquam in mensura, et in angustia bibent, ut deficientibus pane et aqua corruat unusquisque ad fratrem suum, et contabescant in iniquitatibus suis. » Omnis sinistri et dextri lateris dormitio, et subcinericii panis, sexque specierum varietate commisti mundi mala significans : illo tendit, ut inediam ciborum in Hierusalem et aquæ penuriam incredibilem protestetur. « Ita ut unusquisque corruat ad fratrem suum. » Ab alio auxilium sperans, quod in se esse non prævidet. Natura enim hominum est, ut prementibus malis et angustiarum pondere, in proximo magis quam in se habeant fiduciam. « Contabescuntque in iniquitatibus suis. » Dum pro iniquitatibus cuncta patiuntur. Vereorque ne ista panis contritio, et jam in nostra inveniatur Hierusalem, in qua visio pacis cernitur, quem conterit Dominus, quando irascitur, et indignos nos suo judicat pane. Atque utinam saltem in pondere cum et sollicitudine mereamur accipere, et arentem linguam nimia siccitate, extremus Lazari digitus irroret (*Luc.* xvi). Deficiente autem pane et aqua Ecclesiæ, corruit vir contra fratrem suum, et ubique discordia est, scindentibus nobis Christi tunicam, quam nec milites in passione Salvatoris scindere ausi sunt, et contabescentibus in iniquitatibus nostris, dum Dei justitiam non habemus. Scriptum est in Jeremia, quod « parvuli, » id est, vulgus Ecclesiæ, « petierunt panem, et non fuerit qui eis frangeret (*Thren.* iv). » Paulus vero, qui vir erat, et sciebat Christum panes fregisse legales, ac dedisse discipulis erogandos, loquitur confidenter : « Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est ? (*I Cor.* x). » Baculumque vel fortitudinem panis comedere non possunt, qui lacte infantiæ indigent, nec valent accipere solidum cibum. Nihilque ita vescentis animum roborat, quomodo panis vitæ, de quo scriptum est : « Et panis confirmat cor hominis. »

CAPUT V.

In cæsarie et barba diversa judicia populi significantur ; et de malis futuris super Jerusalem.

« Et tu, Fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et extrahe per caput tuum et barbam tuam, et assumes tibi stateram ponderis, et divides eos, tertiam partem igne combures in medio civitatis, juxta completionem dierum conclusionis, et tertiam partem concides gladio in circuitu ejus. Tertiam vero aliam disperges in ventum, et gladium nudabo post eos, et sumes inde parvum numerum, et ligabis eos in summitate pallii tui. Et ex eis rursum tolles, et projicies in medio ignis, et combures eos igne, et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel. » (*Hieron.*) In consequentibus ænigma capillorum in tres partes divisorum, ipse Dominus edisserit per prophetam dicens : « Tertia tui pars peste morietur, et fame consumetur in medio tui ; » famem et pestilentiam igne esse significans. « Et tertia tui pars gladio cadet in circuitu tuo. » Foris cædes ac bella describens. « Tertiam vero, inquit, partem tuam in omnem ventum dispergam, » eos esse demonstrans, qui ducendi sunt in captivitatem. Post quos se dicit nudare vel effundere gladium suum, ut nec captivitas novissimum sit malorum, sumereque de ipsis dispersis atque captivis, et ligare in summitate pallii sui, eos qui de captivitate redituri sunt in Hierusalem, et ex ipsis quoque tollere aliquam partem et igne flammaque consumere, significans Macedonios, sub quibus habitatores Judæ, et præcipue Hierusalem dura perpessi sunt. Quod autem dicit, *ex eo*, id est, populo Judæorum, sive juxta Septuaginta, *ex ea*, ut subaudiatur urbe Jerusalem. « Egredietur ignis in omnem domum Israel. » Machabæorum historia narrat (*I Mach.* ii, iii, iv) quod quædam pars Judæorum se tradiderit Antiocho Epiphani et eum ad

persecutionem populi concitaret, et multa alia, quæ in eadem scribuntur historia, et in Josephi voluminibus præcipueque dissensione Hyrcani et Alexandri, per quorum occasionem consul Pompeius Jerusalem cepit, et Romanæ ditioni subdidit, quæ postea sub Tito et Vespasiano urbs capta, templumque subversum. Et post quinquaginta annos sub Ælio Adriano usque ad solum incensa civitas atque deleta est, ita ut pristinum quoque nomen amiserit. Quomodo autem in cæsarie et barba pulchritudinis ac virilitatis indicium est, quæ si radantur, fœda nuditas apparet, et universi corporis pars extrema, atque ut ita dicam emortua in capillis ac pilis est: ita Jerusalem et populus ejus emortuus et a vivo Dei corpore separatus fami ac pestilentiæ, cædi et gladio, captivitati ac dispersioni, traditur. De qua dispersione sub figura capillorum aliqua pars ligatur in summitate pallii ut modicum quid rursum tradatur incendio. De quo infinita flamma ae pene universa devastans egreditur in omnem domum Israel. Quod juxta mysticum sensum aliter intelligi potest. Nam et in Job ita scriptum legitur (*Greg. Moral.*, *lib.* II, *c.* 29, 30.) « Et tonso capite corruens in terra adoravit (*Job.* I). » Quid per decisos capillos, nisi sacramentorum subtilitas? Quid per caput nisi summa sacerdotii designatur? Unde et ad Ezechielem prophetam dicitur: « Tu, fili hominis, sume tibi gladium acutum radentem pilos, et assumes eum, et duces per caput tuum et barbam. » Ut videlicet prophetæ facto judicium Redemptoris exprimatur. Qui in carne apparens caput rasit, quia regnum Israelitarum deserens, decorem virtutis ejus amputavit. Quid vero hoc loco per terram, nisi peccator exprimitur? Primo quippe peccanti homini dictum est: « Terra es, et in terram ibis. » Terræ ergo nomine peccatrix gentilitas designatur? Nam cum justam Judæa se crederet, constat quam reproba de gentilitate sentiret. Paulo attestante, qui ait: « Nos natura Judæi et non ex gentibus peccatores (*Gal.* II). » Mediator noster quasi detonso capite in terram corruit: quia Judæam deserens dum sacramenta sua ab ejus sacerdotio abstulit, ad notitiam gentilium venit; capillos enim a capite rasit, quia sacramenta legis ab illo primo suo sacerdotio sustulit: et in terram corruit, quia salvandis se peccatoribus dedit, dumque eos qui sibi justi videbantur deseruit, hos qui se injustos et noverant et fatebantur assumpsit. Sequitur:

« Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem, « in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus « terras, et contempsit judicia mea, ut plus esset « impia quam gentes, et præcepta mea ultra quam « terræ, quæ in circuitu ejus sunt. Judicia enim mea « projecerunt, et in præceptis meis non ambulave« runt. » (*Hieron.*) Jerusalem in medio mundi sitam hic idem propheta testatur, umbilicum terræ eam esse demonstrans. Et Psalmista nativitatem exprimens Domini: « Veritas, inquit, de terra orta est (*Ps.* XLVIII). » Ac deinceps passionem: « Operatus est, ait, salutem in medio terræ (*Ps.* LXXIII). » A partibus enim orientis cingitur plaga, quæ appellatur Asia. A partibus occidentis, ejus quæ vocatur Europa. A meridie et austro, Libya et Africa. A septentrione, Scythis, Armenia atque Perside, et cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est, ut quia « notus erat in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Ps.* LXXV), » omnes in circuitu nationes illius sequerentur exempla, quæ gentium circa se positarum impietatem secuta vicit etiam ipsas in scelere suo.

« Idcirco hæc dicit Dominus Deus, quia superastis « gentes, quæ in circuitu vestro sunt, in præceptis « meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, « et juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro « sunt, non estis operati. Ideo hæc dicit Dominus « Deus: Ecce ego ad te, et ipse ego faciam in medio tui « judicia in oculis gentium, et faciam in te quæ « non feci, et quibus similia ultra non faciam, propter « omnes abominationes tuas. » Quid, inquit, causæ quod in præceptis meis non ambulaveritis, et judicia mea non feceritis, cum etiam omnes in circuitu nationes viceritis scelere vestro, et non feceritis quæ illi naturali lege scripta in cordibus suis sæpe fecerunt? Idcirco non per angelos, neque per aliquos ministros, sed ipse ego in te faciam judicia mea videntibus cunctis, quæ ante non feci et ultra non faciam. Dicens autem judicia ostendit sententiæ veritatem, ne ira mensuram pœnarum videatur excedere. Nec fecit in ulla natione talia, qualia fecit in Jerusalem: « Quia servus, qui novit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis (*Luc.* XII); potentesque potenter tormenta patientur (*Sap.* VI). »

« Et similia, inquit, ultra non faciam. » Pulchre dixit « similia non faciam. » Multo enim post interfectionem Christi, duriora facturus est. Aliud est enim interdum coluisse idola, propter quæ ante puniti sunt; et aliud Dei Filium trucidasse.

« Idcirco patres comedent filios in medio tui, et « filii comedent patres suos, et faciam in te judi« cia. Et ventilabo universas reliquias tuas in om« nem ventum. » Ad id quod supra dixerat: « Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt, in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, » tertio retulit *ideo*. Primum ita: « Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, ipse ego faciam in medio tui judicia. » Secundo: « Ideo patres comedent filios in medio tui. » Tertio: « Ideo vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo, quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, » et reliqua. Attamen notandum quod ubi decora sunt et honesta ac pro merito eorum qui ea sustinent, se ipsum facere Deus profitetur. Ubi autem tristia et non Deo digna, dicit quidem fieri, sed non a se ut in præsenti: « Ideo patres comedant filios in medio tui, et filii comedant patres suos. » Non enim dixit, Ego faciam ut patres comedant filios suos in medio tui, et filii comedant patres suos. Quod autem decorum erat, nec Dei majestate videbatur indignum, ipsum se dicit facere. Sequitur enim: « Et faciam in te judicia, et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ven-

tum. » Tale quid et in maledictis Deuteronomii invenire poterimus, et præcipue in illo loco : « Glorificantes me glorificabo. Qui autem despiciunt, ad nihilum deducentur (*Deut.* XXVIII). » Eos enim qui se glorificant, ipse glorificat. Qui autem eum despiciunt non a Domino despicientur, vel deducentur ad nihilum (hoc enim sequebatur ut diceret), sed absolute deducentur ad nihilum, non a Deo, sed pro meritis suis atque peccatis. Legimus in Regum volumine (*IV Reg.* VI) famis necessitate cogente, a matre filium devoratum. Josephus quoque in obsidione Jerusalem, multa hujuscemodi facta commemorat. Quando autem patres comederunt filios, vel filii patres, nulla narrat historia, nisi forte in multis necessitatis malis etiam hæc facta esse credendum sit. Potest hoc ipsum referri, et ad nostram Jerusalem, quando magistri, contra discipulos, id est patres contra filios, et discipuli contra magistros, id est filii adversum patres, seditione mutua concitantur. Et impletur illud quod per Apostolum dicitur : « Si autem invicem mordetis et accusatis, videte ne ab invicem consumamini (*Gal.* V). » Unde et propheta mystico sermone cantabat : « Cum appropinquarent adversum me, qui affligunt me, ut comederent carnes meas (*Ps.* XXVI). » Et Job simile quid loquitur : « Si autem dixerunt ancillæ meæ, Quis det nobis ut de carnibus ejus comedamus (*Job.* XXXI). » Et super magistris, qui lucra sectantur de discipulis salutisque eorum nullam curam gerunt dicitur : « Qui devorant populum meum sicut cibum panis (*Ps.* LII). » De quibus et Apostolus : « Et comedunt, inquit, domos viduarum (*Luc.* XX). » Possumus patres qui comederint filios, et filios qui comederint patres, non solum in Babylonia, sed et in Romana obsidione intelligere. Illud autem quod dicitur : Et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum, » magis ad Romanam pertinet captivitatem, quando in toto orbe dispersi sunt. Et hæc est in omnem ventum capillorum barbæque dispersio.

« Idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro « eo quod sanctum meum violasti in omnibus offen« sionibus tuis, et in cunctis abominationibus tuis, « ego quoque confringam te, et non parcet oculus « meus, et non miserebor. » Proprie hoc ad Jerusalem dicitur, quia sancta mea violasti me deserens, et in templo meo idola coluisti, ego quoque confringam omnia idola tua, et conteram atque concidam, sive abjiciam, quia prius abjecisti me. Et non parcet oculus meus cum te videro, fami, gladio, servituti, colla submittere, nec miserebor, quia misericordiam meam non mereris. Scriptum est enim : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V). » Hoc idem et in Ecclesia intelligendum est ; quod magistris et sacerdotibus qui egerint negligenter, possit Deus quotidie dicere : « Quia sancta mea violastis, in cunctis offensionibus vestris, et in universis abominationibus quæ egistis, ego quoque vos conteram atque confringam. » Reddamque per me quod in meum populum perpetrastis : de quo contra pastores hic idem propheta plenius loquitur, quod lanis ovium operiantur, et lacte vescantur et caseo, et fractum pecus ac morbidum non requirant.

« Tertia tui pars peste morietur et fame consume« tur in medio tui. Et tertia tui pars gladio cadet in « circuitu tuo. Tertiam vero partem tuam in omnem « ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos, « et implebo furorem meum et requiescere faciam « indignationem meam in eis, et consolabor, et « scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, « cum implevero indignationem meam in eis. » De quo capitulo, quia supra diximus nunc omittendum videtur. Hoc autem addam quod necessarium est, in eo quod ait : « Implebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam in eis, et consolabor, et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis, » quomodo sentiendus sit furor et indignatio et zelus Dei, sæpe exposuimus, quod humanis Deus loquatur affectionibus, non quo ipse irascatur, sed quo nos per pœnas atque cruciatus Deum sentiamus iratum. Zelus autem sub metaphora viri et uxoris accipiendus, qui quandiu uxorem diligit zelotypus est, si neglexerit, dicit illud quod in consequentibus dicturi sumus : « Zelus meus recedet a te, et ultra non irascar tibi ; » quodque injungitur : « Et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, » non illi qui consumpti sunt fame et pestilentia, nec qui gladio ceciderunt in circuitu civitatis, sed illi qui dispergentur in omnem ventum aliorum mortibus, suisque miseriis sentient iratum Deum, quem clementem sentire noluerunt.

« Et dabo te in desertum in conspectu omnis præ« tereuntis. » Prodest autem Jerusalem omnia in ea vitia desolari, et ad desertum redigi, et sua eam cognoscere peccata, ut quæ cæteris gentibus in exemplum virtutum esse debuerat, sit exemplum miseriarum. Filias autem ejus urbes vel viculos intelligere possumus, sive ecclesias in toto orbe dispersas, ut quicunque hujus peregrinus est sæculi, et dicit cum Psalmista : « Advena sum et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Ps.* XXXVIII). » Et de quo dicitur : « Non dixerunt, qui præteribant : Benedictio Domini super vos (*Ps.* CXXVIII), » videat opprobrium ejus et doleat.

« Et eris opprobrium et blasphemia, exemplum et « stupor in gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cum « fecero in te judicia in furore, et in indignatione, « et increpationibus iræ, quia ego Dominus locutus « sum. » Gemitu autem dignam Jerusalem cum offenderit Deum, ut faceret in ea judicia in furore et in indignatione, testatur Paulus, qui dicit : « Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). » Et iterum : « Qui sumus in tabernaculo ingemiscimus aggravati (*II Cor.* V), » loquimurque cum Jerusalem, Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei.

« Quando misero sagittas famis pessimas, quæ « erunt mortiferæ, et quas mittam ut disperdam vos, « Et famem congregabo super vos, et conteram in

« vobis baculum panis. » (*Hieron.*) Famem et pestilentiam et bestias pessimas, et quidquid aliud malorum sustinemus in sæculo propter nostra venire peccata manifestum est. Unde et fames illa, quæ facta memoratur in Ruth (*Ruth.* I) et Regum volumine (*III Reg.* XVII), sub Elia, quando tribus annis et sex mensibus cœlum clausum est, et sub Eliseo (*IV Reg.* VI), cujus incredibilem inopiam repentina abundantia compensavit, Dei judicio missa est. Quod non solum tunc in Jerusalem factum est, sed et in nostra fit Jerusalem, in qua propter magnitudinem peccatorum primum fames mittitur audiendi sermonem Dei. Deinde famem mors sequitur, ut qui non audivimus : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus (*Ps.* XXXIII), » postea sentiamus : « Mors peccatorum pessima est (*Ibid.*). » De firmamento et baculo panis supra diximus :

« Et immittam in vos famem et bestias pessimas « usque ad internecionem. Et pestilentia et sanguis « transibunt per te, et gladium inducam super te, « Ego Dominus locutus sum. » Bestias pessimas induci super terram solitudinis, quæ fame, gladio, peste vastata est, præsentia quoque ostendunt tempora, quando familiare animal canis in dominorum carnes rabie concitatur, et ursis ac lupis cunctisque aliis generibus bestiarum terra completur, pestilentiamque et sanguinem transire per eam, morbum gladiumque significat. Sed et in nostram Jerusalem mittuntur bestiæ pessimæ, quando tradimur in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum, et conscientiam peccatorum, quæ excruciant atque dilacerant animum nostrum, dissensiones, hæreses, schismata, æmulationes, invidiæ, tristitiæ, detractiones, desideria multa, avaritia, quæ est radix malorum omnium, bestiæ pessimæ sunt, quæ cum fuerint in nobis, meremur audire : « Corriget te prævaricatio tua. » Precamurque et dicimus : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. »

CAPUT VI.

Propheta ostendit populum plagis percussum propter peccatum idololatriæ.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, pone faciem tuam ad montes Israel et « prophetabis ad eos et dices, Montes Israel audite « verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus et vallibus, » etc. Quod sæpe in hoc propheta dicitur : « Adonai Dominus, » propter Græcos et Latinos, qui Hebraicæ linguæ non habent scientiam, breviter exponendum videtur. Adonai unum nomen est de decem vocabulis Dei, et significat Dominum, quo sæpe et in hominibus utimur. Denique et Sara vocans Abraham dominum suum (*Gen.* XVIII), hoc vocabat nomine. Et ubi dicitur : « Domine mi rex, Adonai » scriptum est. Quando igitur duo Domini et Domini juncta sunt nomina, prius nomen commune est, secundum proprie Dei, quasi ineffabile, et quod scriptum fuit in lamina aurea quæ erat in fronte pontificis. Montes autem Israel, qui simulacris dæmonum fuerant occupati,

A non auribus, sed imperio et potentia creatoris suum audiunt et intelligunt Creatorem. Quomodo mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum (*Ps.* CXIII). » Non utique carnis oculis quibus non videbat. Et ad mare dicitur : « Tace, obmutesce (*Marc.* IV); » et ventorum flatibus imperatur, jubeturque vermi, qui Jonæ percussit umbraculum (*Jon.* IV). Et de eadem terra scriptum est : « Qui respicit terram et facit eam tremere (*Ps.* CIII). » Ad quos propheta loquitur, indicans idola destruenda, et aras universasque cæremonias, quibus prius idolis servierunt, conterendas. Possumus montes accipere eos, qui potentia sapientiaque et scientia ac divitiis præcellebant. Et hoc animadvertendum quod obfirmaquidem facies, et ponitur contra montes, sed nequa-

B tur quam solis montibus, sed et collibus loquitur et rupibus et vallibus, in quibus inferior dignitas et gradus prudentiæ scientiæque cognoscitur. Videntur mihi montes tropologice esse, qui ad perfectam scientiam pervenerunt. Colles, qui paulo inferiores sunt. Rupes qui nullam habentes scientiam, et tantum in conversatione fidentes aliqua sibi de Scripturarum interpretatione præsumunt, « habentes » juxta Apostolum, « zelum Dei, sed non juxta scientiam (*Rom.* X). » Valles autem appellari novissimos in Ecclesia, qui et vita et scientia inferiores, tamen de conventu Dominico non recedunt, qui omnes verbum Dei jubentur audire, ut unusquisque pro suo modulo et sensu intelligat quid Dominus præcipiat.

C « Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, et demoliar aras vestras, et « confringentur simulacra vestra, et dejiciam interfectos vestros ante idola vestra, et dabo cadavera « filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum, et dispergam ossa vestra circa aras vestras « in omnibus habitationibus vestris. » Montibus dicit Israel quod disperdat Dominus excelsa eorum, in quibus adorabant homines fictos deos, et aras simulacraque confringat et cultores eorum in conspectu fanorum interfici faciat, ut jaceant cadavera mortuorum ubi prius jacebant hostiæ, et dispergantur ossa non montium, sed eorum qui jacebant in montibus in circuitu ararum, et in cunctis urbibus

D viculisque Israel. Hoc juxta litteram, alioquin et super eos qui eriguntur in superbiam, et de quibus Apostolus loquitur (*I Cor.* VIII) : « Scientia inflat, charitas ædificat. » Inducitur gladius ut omnia eorum simulacra, quæ de suo finxerunt animo conterantur, et interfecti jaceant, et mortuos esse se sentiant, nihil sibi simulacra sua atque figmenta prodesse cernentes. Quodque dispergere se dicit ossa montium circa aras, fortissimos quosque eorum a se mutuo indicat separandos. Prodest enim perversæ scientiæ malos a malis dividi ; et ut illi qui consensu pessimo ædificabant turrem pro utilitate propria, dissipati sunt, divisæque linguæ eorum, ne consensus pessimus pejores eos faceret (*Gen.* XI), ita ossa montium disperguntur ut vanos conatus suos intelligant. Hoc

quod nos posuimus : « Et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum, » in Septuaginta non habetur.

« Urbes desertæ erunt, et excelsa demolientur, et « dissipabuntur et interibunt aræ vestræ et con« fringentur et cessabunt idola vestra, et conteren« tur delubra vestra, et delebuntur opera vestra, et « cadet interfectus in medio vestri, et scietis quo« niam ego Dominus. » (*Hieron.*) Causa perspicua cur urbes montium deserendæ sint, scilicet ut demoliantur excelsa, aræque et idola destruantur, et delubra pereant, et omnis simulacrorum cultura desistat, cadantque interfecti in medio montium, et sciant quia ipse sit Dominus. Per quæ occasio nobis datur spiritalem magis intelligentiam sequi, ut urbes Hæreticorum, quæ interpretantur Ecclesiæ et excelsa superbiæ eorum, et aræ perversorum dogmatum confringantur, et idola pereant, quæ de suo sibi corde simularant, et conterantur delubra non templa, quæ contra templum Domini surrexerant, Græcoque sermone appellantur τέμενη, id est, fana atque delubra et omnia opera montium conterantur, quia non opera Dei sunt, sed magistrorum falsæ scientiæ. Cumque ceciderint in medio montium, vel quos ipsi montes interfecerant vel ecclesiasti viri, qui eos male viventes in salutem suam occiderant, tunc finis erit montium superborum, ut cognoscant quod ipse sit Dominus. Potest autem fieri ut de uno populo montium Israel, aliis interfectis agnoscant alii : Pestilente enim flagellato stultus astutior erit.

« Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium « in gentibus cum dispersero vos in terras. Et recor« dabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas « captivi ducti sunt. » Illud quod Dominus loquitur ad Eliam : « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. » Et Paulus apostolus scribit : « Et nunc in hoc tempore reli« quiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt « (*Rom.* XI). » Potest huic capitulo convenire. Et apostoli enim, qui erant de semine Israel, et gladium fugerant, idcirco sunt reservati ut dispergerentur in gentibus, et in terris Evangelium prædicarent, ac recordarentur in gentibus Dei, in quibus captivitatis tempore versabantur. Potest autem et hoc dici, quod ideo aliqui de captivitate Judaica, reservandi sunt, ut in gentibus recordarentur nominis ejus, illiusque potentiam prædicarent. De hæreticorum quoque populis, qui evadere potuerint gladium, perditionis eorum, et pessimam factionem, quæ contra Deum fuerat concitata huc illucque dispersi recordabuntur nominis Dei, agentes pœnitentiam, et captos se a viris ecclesiasticis exsultabunt.

« Quia contrivi cor eorum fornicans et recedens « a me. Et oculos eorum fornicantes post idola sua, « et displicebunt sibimet super malis quæ fecerant « in universis abominationibus suis. Et scient, quia « ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem « eis malum hoc. » (*Hieron.*) Juravit autem Dominus, juxta LXX, atque decrevit se facturum esse, quæ opere demonstravit, sive contrivit ut fornicans cor et recedens a Deo, eorum de quibus per Oseam loquitur : « Spiritu fornicationis seducti sunt (*Ose.* IV). » « Et oculos fornicantes post idola. » Per quorum fenestras mors intrasse perhibetur, quam ob causam et in Daniele (*Dan.* XIII) duo presbyteri præceperunt revelari Susannam, ut nudati corporis decore fruerentur. Nec frustra locutus est Dominus ut faceret malum vel mala, quando ad comminationem ejus, agunt pœnitentiam, qui sententiæ subjacebant. Sin autem cor durum sit et indomabile, ne per pœnas quidem sentiens beneficia corrigentis, dicitur ad eos : Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non recepistis. Prodest autem et hæreticis ut conteratur cor eorum, thesaurus pessimus dogmatum perversorum, quia recessit a Domino. Et fornicantes oculi post adinventiones suas, qui cum Domini fuerint recordati, displicebunt sibi in universis abominationibus suis, et intelligentes veræ fidei veritatem, scient quia ipse sit Dominus. Qui idcirco sæpe infert tribulationem, quæ patientibus perniciosa videtur et pessima, ut ad pœnitudinem convertantur.

« Hæc dicit Dominus Deus : Percute manum « tuam, et allide pedem tuum, et dic, Heu! ad « omnes abominationes malorum domus Israel. » Magnitudinem peccatorum jubetur propheta manibus pedibusque ac sermone monstrare, ut gestu corporis et inclinatione vocis habitum stupentis mirantisque et plorantis ostendat. Quomodo enim si quando novum aliquid mirandumque conspicimus; tam corpore, quam animo perhorrescimus, ita ut complodamus manus et pedes allidamus ad terram, et vocem inclinemus ad fletum : sic nunc propheta cernens oculis animi futura supplicia ad universas abominationes malorum Dominus Israel loquitur, quæ sequuntur. Percutimur spiritaliter manu quando a malis nos operibus separamus. Allidimus pedem; quando non gradimur itinere peccatorum. Plangimus atque ploramus, quando nobis displicent, quæ geruntur. Hæc est autem causa plangendi, quod habitatores montium et ararum, idolorumque cultores, gladio, fame, peste, ruituri sunt, qui variis ducuntur erroribus, et quotidie mutant fidem circumferunturque omni vento doctrinæ, isti cæduntur gladio, et dividuntur in partes unitatem ecclesiasticæ fidei relinquentes. Qui vero spiritales non habet cibos, fame moritur nesciens eum, qui dixit : « Ego sum « vita (*Joan.* XIV). » Porro, qui vel singulis vel pluribus deditus vitiis ab eis non potest separari, quasi quadam uterina pestilentia corruit.

« Qui longe est, peste morietur. Qui autem prope « est gladio corruet, et qui relictus fuerit atque cir« cumdatus, fame morietur, et implebo indignatio« nem meam in eis. » Qui obsidionem urbis effugerit, et ad deserta migraverit, peste morietur, qui prope fuerit cadet hostium gladio; quem autem circumdederit hostilis exercitus, fame interibit et penuria. In hisque omnibus implebitur indignatio

Dei. Ut cognoscant, qui remanserint, quia ipse sit Dominus. Qui ab Ecclesia quoque recesserit, statim peste morietur. Qui sciolus sibi videtur et diligens nisi caverit, gladio ferietur inimici. Qui simplici contentus fide, instar brutorum animantium versatur quidem in Ecclesia; sed tamen in nullo bono opere proficit, nec imitator est formicæ, quæ in messe præparat cibos sibi atque comportat. Iste fame morietur, et in omnibus his implebitur ira Domini. « Et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, per circuitum ararum vestrarum in omni colle excelso et in cunctis summitatibus montium, et subter omne lignum nemorosum, et subter universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis. » Perspicuum est juxta litteram, et interpretatione non indiget, quod in montibus Israel, et in excelsis collibus inter ipsa idolorum altaria lucosque, qui appellantur ligna nemorosa, Israeliticus sit cæsus exercitus, ut ubi peccaverant, ibi punirentur. Juxta anagogen sequamur ordinem propositum quando magistri hæreticorum ab ecclesiasticis viris, qui sunt instructi scientia Scripturarum contriti fuerint atque superati, videmus interfectos perversorum dogmatum jacere inter simulacra, quæ finxerant, et eos, qui se elevabant contra scientiam Dei, stratos in montibus collibusque subtus omne lignum nemorosum, qui habebant verba pompatica, umbramque foliorum, et poma bonorum operum non habebant, qui erant sub omni quercu frondosa, quæ non affert fructus hominum, sed porcorum. Ubi accenderunt thura redolentia, non Deo, sed idolis suis. Nec dicere poterant quod de Deo scriptum est: « Odoratus est Dominus odorem bonæ fragrantiæ (*Gen.* VIII). » Et id quod Paulus loquitur, Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Quomodo autem sanctus in odore suo delectat Deum, sic peccator ex cujus persona psalmus ille canitur: « Computruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ (*Psal.* XXXVII). » accendit idolis suis thura fetentia.

« Et extendam manum meam super eos et faciam terram desolatam, et destitutam a deserto Deblatha in omnibus habitationibus eorum. Et scient quia ego Dominus (*Hieron.*) O montes Israel, cum interfecti vestri ceciderunt in medio ararum idolorumque vestrorum, in omni colle excelso, in cunctis montium summitatibus, compleveroque lucos vestros cadaveribus mortuorum, in quibus quondam accenderunt idolis suis thura redolentia, tunc extendam manum meam ad ultionem, quæ fuerat huc usque contracta, et redigam universam terram Israel in solitudinem a deserto Deblatha, quæ est in terra Emath, quæ hodie vocatur Ἐπιφανία Syriæ. « In cunctis habitationibus eorum. » Ut omnibus pateat nihil esse inter solitudinem et mare Magnum, quod non hostilis mucro consumpserit. Multi putant eumdem esse locum, de quo in Jeremia scriptum est: Et apprehenderunt Sedechiam in deserto, quod est juxta Jericho, et omnis comitatus ejus diffugit ab eo. Cumque comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath, et ob viciniam imo similitudinem Daleth et res Hebraicarum litterarum, quæ parvo apice distinguuntur, vel Deblatha vel Reblatha appellari. Juxta mysticos autem intellectus, extendit Dominus manum suam super omnes qui hæretico fuerint errore decepti, ut terram eorum, quæ interpretatur Ecclesia, faciat desolatam a deserto Deblatha, quod in lingua nostra massam ficorum sonat, caricarumque inter se compactarum, ut postquam in simulata dulcedine, quæ non erat terræ cultæ, sed solitudinis amaritudinem repererint, tunc cognoscant quia ipse sit Dominus. « Mel enim distillat de labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impinguat vescentium fauces, et postea amarius felle reperitur. » Hoc significant et duo calathi ficorum, qui positi sunt in Jeremia contra faciem templi (*Jer.* XXIV). Unus ficorum optimarum, et unus pessimarum: quorum alter ad Ecclesiam Christi refertur, alter ad congregationem malignantium.

LIBER QUINTUS

Juxta finem præcedentis libri meritam pœnam ex sermone Domini prædixit propheta his qui in montibus Israel et in excelsis idolis serviebant; et juxta mysticum sensum, hæreticos recta sententia percullit, qui in montibus superbiæ errorum suorum simulacra colebant. Nunc similitudo minatur eis interitum et afflictionem prænuntiat finemque debitum, ut sustineant iræ Domini vindictam et percipiant operis sui mercedem condignam. Unde et sequitur.

CAPUT VII.

De instanti et longa captivitate et ejusdem causa; et populus non rebellans projicit divitias longe propter fugam.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Et tu, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel, « Finis venit, finis super quatuor alas terræ, etc. » (*Hieron.*) Quas nos plagas mundi interpretati sumus, orientem videlicet et occidentem, meridiem et septentrionem. De quibus alis et Isaias loquitur: « Domine, ab alis sive a finibus terræ, portenta audivimus, » quæ in toto orbe per apostolos gerebantur. Et de sanctis scriptum est, « Si dormieritis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). Unde et Dominus cum appropinquasset et vidisset Jerusalem flevit, et dixit: « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti (*Matth.* XXIII). » Iste est, qui in Deuteronomii

antico (*Deut.* xxxii), expandens alas suas suscepit t assumpsit eos in humeris suis. Quidam spiritales las terræ quibus ad cœlestia subvolamus quatuor onit genera credentium, domum Aaron, et domum evi, et domum Israel, et timentes Dominum; de uibus Psalmista canit : « Domus Israel, benedicite ominum; domus Aaron, benedicite Dominum; domus evi, benedicite Dominum : Qui timetis Dominum, enedicite Dominum (*Psal.* cxxxiv). » In Aaron sacerotium, in Levi æditnos et ministros, in Israel cuntum populum in timentibus proselytos intelligens. los autem simpliciter explanandum putamus, quod ost comminationem montium Israel ad omnem teram Israel, sive decem, sive duodecim tribuum ermo propheticus dirigatur, et nequaquam propheta entura prænuntiet, sed jam ingruentem videat cativitatem. Quinto enim anno Sedechiæ cœpit Ezehiel in Babylone prophetare captivis. Et anno nono enit Nabuchodonosor, et obsedit Jerusalem, cepitue eam anno undecimo Sedechiæ. Ex quibus perpicuum est venisse finem et appropinquasse non uper montes et colles rupesque et valles, sed super uatuor plagas terræ, ex omni parte Israel, non mnis terræ. Quod si dixisset, de toto mundo credi oterat, sed terræ simpliciter, quod significat Israeis. Sic enim cœperat : « Hæc dicit Dominus Deus erræ Israel, Finis venit, finis super quatuor plagas erræ. »

« Nunc finis super te, et mittam furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt : et scietis quia ego Dominus. » Ad terram igitur Israel sermo dirigitur, quod venerit super eam finis, et consummatio, et emittat Dominus furorem suum in eam non injustum, et antum de indignatione venientem, sed plenum æquiatis atque rationis, ut judicet eam secundum vias uas, et ostendat illi omnes abominationes suas, ut ecordetur operum suorum et intelligat quid mali esserit. Quod autem dicit : « Non parcet oculus neus super te, et non miserebor, » quasi clemenissimus medicus incidere cupiens putridas carnes, t cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit, ut arcat, non miseretur, ut misereatur magis, ne quid utridum vivasque carnes sui vicinia corrupturum emaneat in corpore : « Percutit autem Dominus uem diligit, et castigat omnem filium quem recipit *Hebr.* xii). » Cujus intelligentiæ illud est : « Ego ercutiam, et ego sanabo (*Deut.* xxxii). » Omnis enim nedicina habet ad tempus amaritudinem, sed posta fructus doloris sanitate monstratur. Tale quid et er Amos Deus loquitur : « Quoniam vos cognovi de niversis tribubus terræ, idcirco ulciscar super omia peccata vestra (*Amos* iii). » « Novit enim Dominus os qui sunt ejus. » Et vias, inquit, illius totiusue vitæ gressum abominationesque, et ponam maulas in medio ejus, ut ante oculos peccatricis, quæ ro sanitate punitur, pristina peccata ponantur. Cum-

A que hoc fecerit Dominus, scient qui cruciati sunt, quod ipse sit Dominus. Hoc ipsum sonat, et illud testimonium : « Ulciscar Jacob secundum vias suas, et juxta adinventiones ejus reddam illi (*Osee.* xii). »

« Hæc dicit Dominus Deus : Afflictio una, afflictio « ecce venit, venit finis, venit finis. Evigilavit adversum « te, ecce venit. Venit contractio super te, qui habitas « in terra. » Dicit autem quod extremum peccatorum terræ Israel tempus advenerit, ut jam non effugiat sententiam Dei, quam longo tempore merebatur. Et quia necdum compleverat peccata sua, propterea differebatur supplicium, secundum illud quod scriptum est : « Necdum enim completa sunt peccata Amorrhæorum (*Gen.* xv). » Unde et Dominus ad Judæos ; « Et vos, ait, implete mensuram patrum vestrorum

B (*Matth.* xxiii). » Venit tibi ergo miseria, venit afflictio, venitque captivitas, et ne putes me rursum futura minitari, ostendo digito atque demonstro. « Ecce finis venit, venit finis. » Qui hucusque dormitare videbatur tibi et quiescere, evigilavit contra te repente, atque surrexit : « Venit contritio, » quæ in Hebraico dicitur *sephira*, quam semper pavida tibi venire metuebas, id est, ordo contextusque malorum omnium. Porro quod dicitur : « super te, qui habitas in terra, » juxta illud Apocalypsis Joannis debemus accipere : « Væ super omnes, qui habitant in terra (*Apoc.* viii) ; » sanctus enim non est habitator terræ, sed advena atque peregrinus, dicitque advena sum et peregrinus, sicut omnes patres mei.

C Quamobrem et Abraham Hebræus, id est, peregrinus transitorque memoratur, de præsenti sæculo ad futura transire festinans. Possumus hunc locum et spiritaliter interpretari contra populum Judæorum super quem venit finis et consummatio, « a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem interfecerunt inter templum et altare (*Matth.* xxiii). » Quandiu enim non miserunt manus in filium Dei, dormitavit eis Domini sententia et dilata est. Quando vero interfecerunt hæredem, ut periret hæreditas, tunc evigilavit adversum eos atque surrexit omnis ordo miseriarum et perplexio, quia non quæsierunt cœlestia, sed terræ hærere cupierunt.

« Venit tempus, prope est dies occisionis, et non

D « gloriæ montium. » Occisionis autem tempus et famis, nunc quoque in Judaico populo comprobatur non habente prophetas nec verbum Dei, quo anima credentium pascitur : Montes autem magistros intellige, qui habent notitiam Scripturarum. De quibus et in alio loco dicitur : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*Psal.* lxxv). » Porro Septuaginta qui dixerunt, « non cum perturbatione, et non cum doloribus, » illud significant, quod tantam habebant ignorantiam Dei, et animi cæcitatem, ut nec turbentur in sceleribus suis, nec pœnitentiæ dolore crucientur.

« Nunc de propinquo effundam iram meam super « te, et replicabo furorem meum, et judicabo te juxta « vias tuas. Et jam ponam (sive dabo) tibi omnes

« abominationes tuas. » Si a quinto anno transmigrationis regni Jechoniæ usque ad nonum annum regni Sedechiæ, quando venit Nabuchodonosor et obsedit Jerusalem, supputare voluerimus, tres anni erunt medii. Unde recte dicitur. « Nunc de propinquo effundam iram meam in te (vel super te). » Nequaquam tibi ventura prædicam, nec comminabor, quæ longe post futura sunt. Nunc complebo in te furorem meum. Qui furor ei ira non absque judicio est. Sed ut reddat vias tuas in caput tuum, et omnes abominationes tuas sentire te faciat. Possumus autem et de extrema captivitate dicere, quod post interfectionem Christi, quando venit eis finis et evigilavit adversum eos peccatum, impletum est illud quod scriptum est: « Nunc pervenit in eos ira Dei in finem. » Quando a Tito et Vespasiano Jerusalem circumdata est, et advenit desolatio ejus, et impletum est: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » Tunc judicati sunt juxta vias suas et blasphemias quibus Dominum negaverunt, et senserunt furorem Dei, et omnis indignatio ejus super illos effusa est, receperuntque scelera sua ut permaneat desolatio templi usque ad consummationem.

« Et non parcet oculus meus neque miserebor, sed « vias tuas imponam tibi et abominationes tuæ in « medio tui erunt, et scietis quia ego Dominus per« cutiens. » Causas severitatis et austeritatis, sive ut hæretici putant crudelitatis Dei, quod non parcat oculus ejus nec misereatur, subjecit dicens: « Vias tuas dabo tibi, et abominationes tuæ in medio tui erunt. » Ut sentias quæ fecisti, et videns abominationes tuas vel in conspectu tuo, vel in medio omnium positas emendes errorem pœnitudine, et recedens a pristinis operibus, cum oderis, quæ fecisti, tunc sentias quod ipse sit Dominus, qui ideo percutit ut emendet, et castigat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII).

« Ecce dies, ecce venit, egressa est contractio, « floruit virga, germinavit superbia, iniquitas sur« rexit in virga impietatis, non ex eis, et non ex po« pulo, neque ex sonitu eorum, et non erit requies « eis. Venit tempus, appropinquavit dies. Qui emit, « non lætetur; et qui vendit, non lugeat: quia ira « super omnem populum ejus. Quia qui vendit, ad id « quod vendidit non revertetur, et adhuc in viven« tibus vita eorum. Visio enim ad omnem multitu« dinem ejus non regredietur. Et vir in iniquitate « vitæ suæ non confortabitur. » (*Hieron.*) Contracta est, inquit, dies, et abbreviata, instatque vicina captivitas, floruitque virga, quæ multo vobis tempore minabatur, et de flore fructum plagarum parturit, superbia vestra germinavit, quod merebamini, ut super virga impietatis vestræ, qua subjectos vos impie cædebatis, consurgat iniquitas, quæ non est ex miserabili populo neque ex his qui instar brutorum animantium dicuntur a magistris, neque ex clamore eorum et sonitu quo frustra vociferantur a sacerdotibus Pharisæisque seducti ut consona voce clamarent et dicerent: « Crucifige! crucifige talem! » Unde non eis erit requies, sed æterna captivitas. Porro Septuaginta juxta illum sensum in quo scribitur: « Neque enim scitis quid ventura dies pariat, » dixerunt: « Ecce dies parit; quod multo ante conceperat; « venitque finis, et egressa est complexio, » quæ mala vestra omnia complectatur et teneat. In eo autem, quod et ipsi similiter transtulerunt, » floruit virga, » illo testimonio uti possumus. « Ne auferas virgam a filio tuo (*Prov.* XIII). » Et Apostolus: « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis (*I Cor.* IV)? » Sed et Deus ore Psalmistæ resonat: « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis (*Psal.* LXXXVIII). » Ideo ergo Dominus visitat et percutit, ut moriatur et pateat omnis superbia, quæ diu jacebat inclusa, et suscitetur injuria contra ortam et germinantem superbiam, conteraturque fortitudo iniqui, non cum perturbatione, neque cum festinatione. Finis enim florentis virgæ sanitas est atque correptio, quæ non eorum merito venit, qui corripiuntur, nec pulchritudine, quam in se non habent, sed misericordia Domini. Locus difficilis et inter Hebraicum et Septuaginta multum discrepans, quibus pleraque de Theodotionis editione addita sunt, ut aliquam habere consequentiam viderentur: « Venit tempus, appropinquavit dies. » Non solum id Jerusalem dicitur, quod venerit ei tempus captivitatis, et appropinquaverit dies quo Babylonio sit vallanda exercitu, sed et ei, qui exstructis et dilatatis horreis exsultabat, Dominus loquitur: « Stulte, hac nocte auferetur a te anima tua. Quæ autem præparasti cujus erunt (*Luc.* XI)? » Unde et Apostolus: « Tempus, ait, abbreviatum est. » Et in alio loco: « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII). » Notandumque quod non in futurum distulerit, sed de præsenti dixerit, præterit. Et quotidie labitur figura mundi. Nunquam enim in eodem statu permanet, sed semper crescentium et decrescentium figura prætervolat et mutatur. Unde et Dominus: cœlum, inquit, et terra præteribit. Sin autem hæc quibus omnia, quæ in mundo sunt continentur prætereunt, atque pertranseunt, quid potest in humanis rebus esse perpetuum? « Qui emit, non lætetur; et qui vendit, non lugeat. » Naturale est in possessionum emptione lætari, in venditione lugere. Cum autem instet servitus atque captivitas, et gaudium et tristitia, in utroque sunt vana. Unde et Apostolus: « Tempus abbreviatum est. De cætero, qui habent uxores sic sint, quasi non habeant, et qui flent, tanquam non fleant. Et qui gaudent, tanquam non gaudeant. Et qui emunt, quasi non possideant; et qui utuntur mundo isto, quasi non utantur (*I Cor.* VII). » Nam et diluvium ementes oppressit, atque vendentes, ut Dominus loquitur in Evangelio: « Quia ira super omnem populum ejus. » Hoc in Septuaginta non habetur, pro populo potest multitudo et turba juxta Hebraicum accipi. Hoc

enim significat amosa. Causaque perspicua est, quod idcirco qui emit, gaudere non debeat, et qui vendit lugere desistat, quia ira Dei in brevi ventura sit super omnem multitudinem terræ Judææ, sive Jerusalem. Ex superioribus enim intelligitur in quibus scriptum est:

« Hæc dicit Dominus Deus Israel. Qui vendit, ad « id quod vendidit non revertetur. » Juxta Hebraicum morem loquitur. Omnis enim emptio ad venditorem revertebatur quinquagesimo anno emissionis, qui apud illos vocatur jubilæus. Ante igitur quam annus remissionis adveniat, quando possessiones ad priores dominos revertuntur, ingruet captivitas, quæ omnem urbis auferet consuetudinem. Porro quod Septuaginta transtulerunt, quia qui emet, ad venditorem non revertetur, cum juxta historiam penitus non cohæreat, juxta anagogen hunc sensum habere potest, ut dicamus eum, qui hæretico fuerat errore deceptus, cum intellexerit magistri fraudulentiam, nequaquam reverti ad venditorem, id est, ad magistrum, sed eum despicere atque contemnere. « Et adhuc in viventibus vita eorum, quia visio ad omnem multitudinem ejus non regredietur. » Quomodo possessio non revertetur ad priorem dominum, eversione urbis instante, sic visio et comminatio prophetalis, quæ ad omnem multitudinem urbis dirigitur, nequaquam regredietur, et irrita fiet; sed rebus explebitur viventibus adhuc his ad quos prophetalis sermo dirigitur. Hoc autem ait, ut ostendat imminentem captivitatem, ne secundum consuetudinem dicerent, Visio hæc in longos dies erit, et post tempora multa complebitur. Possumus et hoc dicere, quod postquam recesserit a Judæis visio prophetalis. « Lex enim et prophetæ usque ad Joannem Baptistam (*Matth.* XI), » post interfectionem Salvatoris nequaquam regrediatur ad eos, nec ultra habere mereantur prophetas, significanterque ad omnem, inquit, multitudinem visio non regredietur. Ergo regredietur ad eos qui ex Judæis Domino crediderunt, Apostolos videlicet, et reliquias populi Judaici, quæ ex Israel salvæ factæ sunt. Sed nec isti duo versus habentur in Septuaginta editione: « Et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur. » Septuaginta: « Et homo in oculis vitæ suæ non obtinebit. » Et est sensus juxta Hebraicum: Non proderit homini iniquitas sua, nec ei præbebit aliquam fortitudinem. Juxta Septuaginta: Et homo quod desideravit, quod in mundo putavit esse pretiosum, non obtinebit, sed libertate pereunte, amittetur omne quod pulchrum est. Ambiguitas autem litterarum Hebraicarum iod et vau, quæ tantum magnitudine discernuntur, fecit alios iniquitatem, alios oculos interpretari.

« Canite tuba, præparentur omnes. » De tubarum clangore et sonitu in multis locis legimus, ut ibi: « Sicut tuba, exalta vocem tuam (*Isa.* LVIII); » et alibi: « Clangite in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ (*Psal.* LXXX); » et in Apostolo: « Quoniam ipse Dominus in jussu, in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo (*I Thess.* IV). » Et in Evangelio: « Nolite tuba clangere ante vos (*Matth.* VI). » Et tubas ductiles atque argenteas Numerorum narrat historia (*Num.* X), quæ sermoni prophetico comparantur et doctrinæ apostolicæ. Præcipiturque nunc, ut omnes ad signum clangoris et buccinæ præparentur ad bella. Juxta præsentem autem sensum jubentur per ironiam, hi qui huic officio mancipati sunt, tuba clangere, ut omnes contra Babylonium parentur exercitum.

« Et non est, qui vadat ad prælium. Ira enim « mea super omnem multitudinem ejus. » Et hæc in Septuaginta non habentur. Præceperat Deus ut tuba canerent ad exercitum præparandum, qui Babyloniorum posset resistere fortitudini, sed nihil profuit imperasse, cum non sit in populo, qui audeat ad bella procedere. Idcirco autem enervatus est populus, et caret viribus præliandi, quia omnis ira Dei super omnem multitudinem ejus, subauditur, Hierusalem urbis, sive terræ Judææ. Sed et in nostra terra et Hierusalem, quando nos vel persecutio publica, vel variorum incentiva vitiorum superare nituntur, frustra magistri canunt tuba et præparare nos ad bella festinant, cum nulla sit in populo fortitudo, quæ idcirco subtracta est, quia iram Domini præsentia meruere peccata.

« Gladius foris, pestis et fames intrinsecus. Qui in « agro est, gladio morietur; et qui in civitate, pe« stilentia et fame devorabuntur. Et salvi erunt qui « fugerint ex eis. Eruntque in montibus, quasi co« lumbæ convallium omnes trepidi unusquisque in « iniquitate sua. » Tres autem partes aliorum, qui in urbe pestilentia et fame moriantur, et aliorum quos gladius foris interficiet, et eorum, qui captivitatem fuga evaserint, supra legimus. Quorum, qu salvus fuerit transibit ad montes, et instar mussitantium columbarum sua trepidus peccata deflevit. Tropologice vero sic intelligendum: quod qui in agro et campo est, extra fines Dominicæ civitatis, quæ interpretatur Ecclesia, adversarii mucrone feriatur. Qui autem in civitate egerit negligenter nec præparaverit sibi cibos, de quibus in Proverbiis scriptum est: « Qui operatur terram suam saturabitur panibus, » iste fame morietur et pestilentia. Pauci hi qui vel hæreticorum gladium, vel desidiæ suæ famem mortemque vitaverint, non salvabuntur nisi in montibus et nisi assumpserint alas columbæ, et avolaverint et requieverint. Quæ columbæ quandiu in vallibus sunt trepidant, et ad singula reformidant, quarum præcipimur imitari innocentiam. Et de quibus in psalmo scriptum est: « Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri (*Psal.* LXVII). In cujus specie descendit Spiritus sanctus et mansit super Dominum Salvatorem.

« Omnes manus dissolventur et omnia genua « fluent aquis, et accingent se ciliciis, et operiet « eos formido. » Pro genibus aquis fluentibus Septuaginta transtulerunt: « femora polluentur hu-

more. » Cum autem omnes trepidaverint, et ad montana confugerint, manus omnium dissolventur, et nullus contra hostes poterit resistere, pavorisque magnitudine urina polluet genua, nec valebit profluentes aquas vesica cohibere. Accingent se ciliciis et tremor omnia possidebit. Hoc in illo populo factum est, non solum sub Babyloniis, sed et sub Romanis, quando pervenit in eos usque ad finem ira Dei. Cæterum et in nostra Judæa, in qua est Domini confessio, quando multiplicatæ fuerint iniquitates, et refrixerit charitas multorum, omnes manus bonorum operum dissolventur, et cuncta genua sive femora fluent aquis eorum qui illicitos quæsierunt concubitus, et quos in lege fluxum seminis sustinentes et immundos Scriptura cognominat. Unde qui tales sunt debent se accingere ciliciis pœnitentiæ et venturum judicium formidare, quod qui fecerit merebitur Isaiam audire, dicentem : « Confortamini manus dissolutæ, et genua debilia roboramini (*Isa.* xxxv). »

« In omni facie confusio et in universis capitibus « calvitium. » Rubor vultus pudoris indicium est, conscientia peccatorum lucet in facie, spesque salutis est, quando delictum sequitur verecundia. Unde ad eam, quæ duro corde in suis peccatis gloriabatur, dictum est : « Facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere (*Jer.* III). » Calvitium quoque capitis luctum significat, quando perdit decorem cæsaries et pulchritudinem comarum amittimus. Denique ad Jerusalem dicitur : « Pro ornamento capitis tui habebis calvitium propter opera tua (*Isa.* III). » Et idem propheta : « Summa, inquit, capita in omni loco attondentur, et omnis barba radetur (*Isa.* xv). » Michæas quoque ad eamdem Jerusalem : « Decalvare, ait, et tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum, sicut aquila (*Mich.* I). » Et super mortuis jubetur fieri calvitium. Soli autem sancti, hoc est, Nazaræi, et qui ad pontificatum Domini pervenire mereantur, non radunt capita sua. Neque enim habent mortis opera, nec immundi sunt, quia Nazaræi, id est, sancti Domini sunt. Quod si juxta eos quispiam fuerit mortuus, omnes dies pristini non reputabuntur sanctificationis eorum. Samuel Dei sanctus erat, et propterea æterna capitis ornamenta possedit, audivitque illud de Cantico canticorum : « Cincinni tui nigri sicut corvus. » Porro Samson, quia perdidit comam, perdidit fortitudinem (*Judic.* XVI), paulatimque renascentibus capillis vires rediere pristinæ, ut plures multo moriens, quam vivus occideret. Elisæus, licet corporis haberet calvitium, tamen quia Nazaræus Domini erat, cincinnis capitis fruebatur (*IV Reg.* II). Unde pueri, quia parvuli erant, et necdum ad ætatem viri pervenerant, illudentes calvitio ejus atque dicentes : « Ascende calve, ascende calve, » ferarum laniati sunt morsibus, quarum saltus ac silvæ sunt habitaculum.

« Argentum eorum foris projicietur, et aurum eo« rum in sterquilinium erit. » Septuaginta. Argentum eorum in plateis projicietur, et aurum eorum

A contemptui erit. Fuga et captivitate cogente divitias; et auri argentique pondera projiciant in plateis, suas tantum animas servare cupientes, ne sint ponderi quæ prius fuere luxuriæ. Alioquin et juxta anagogen captivorum atque fugientium de Jerusalem. Omne argentum projicietur in plateis, in lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem, quia angustam salutis semitam reliquerunt. Sed et omne aurum erit contemptui, vel in sterquilinium atque immunditiam reputabitur, non enim potest habere munditiam, quod extra Domini Ecclesiam est.

« Argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. » Nulli enim dubium quin obsidionis et famis tempore, aurum et argentum esurientes non liberet, et illisi pretiosissimo metallo dentes instar durissimi lapidis B retundantur. Denique sequitur :

« Animam suam non saturabunt, et ventres eorum non implebuntur. » Præsentibus malis didicimus multos divites inter sericum, gemmas et auri argentique pondera egestate confectos, habuisse exitum mendicantium. Argentum autem et aurum eorum, qui extra Ecclesiam sunt, non liberare animas possidentium in die furoris Domini, sed æternam eos habere famem et inani ventre cruciari, ostendit illud testimonium in quo dicitur : « Redemptio animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » Propriæ divitiæ sunt, quas nos Christi veritas docuit. Qui præcepit ut faciamus nobis amicos de iniquo mammona (*Luc.* XVI), qui nos recipiant in æterna tabernacula. « Quia C scandalum iniquitatis eorum factum est. » (*Hieron.*) Ideo, inquit, possidentium aurum et argentum, nec anima saturabitur, nec venter implebitur, quia hoc ipsum aurum et argentum scandalum scelerum eorum factum est. Significat autem idola quæ auro argentoque fabricata suos contemnunt artifices. Pro quo LXX transtulerunt, « Quia cruciatus iniquitatum eorum fuit, » ut in suo iniqui errore crucientur, et se intelligant male Dei munera in blasphemiam convertisse.

« Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt. Et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo. » Quæ ego, inquit, dederam in ornamentum possidentium, atque divitias, D illi verterunt in superbiam, ut de quibus poterant per eleemosynas et bona opera suam animam liberare ex illis haberent materiam arrogantiæ. Deinque ex auro argentoque fecerunt idola, et mea munera in dæmonum simulacra verterunt. Facilis autem tropologia quod aurum et argentum sensus, et eloquia Scripturarum quæ electa sunt mundi, et quæ nobis in ornamentum data sunt, hæretici posuerunt in fomentum, et materiam superbiæ, et imagines diversorum dogmatum et abominationum atque offendiculorum suorum fecerunt ex eis, ut per quæ poterant colere et adorare Deum, ex eis Deum offenderint.

« Propter hoc dedi eis illud in immunditiam, et dabo illud in manus alienorum, ad diripiendum, et

impiis terræ in prædam, et contaminabunt illud. » Quia ex auro et argento et ornamentis monilium, quæ dederam eis, imagines sibi abominationum suarum simulacrorumque fecerunt, propterea dedi eis illa in immunditiam et in stercora. Pro quibus Symmachus interpretatus est *nauseam*, volens idolorum sordes exprimere. « Et tradam, inquit, ea in manus hostium, ut diripiant omnia, » et non tam contaminem, quam contaminata esse demonstrem, quæ prius videbantur esse sanctissima. Nos quoque tradimur in manus inimicorum et alienorum a Deo, quando facimus ornamenta nostra simulacra dæmonum, et omnis gloria nostra possidetur ab impiis, sive pestilentibus terræ, ut nos suæ subjiciant potestati.

« Et avertam faciem meam ab eis, et violabunt « arcanum meum, et introibunt in illud emissarii, « et contaminabunt illud. » Cum, inquit, propter superiores causas abominationum populi, avertero faciem meam ab eis, et nequaquam eos dignos meis oculis judicavero, tunc violabunt arcanum meum; quod significat sancta sanctorum. Pro quo Septuaginta posuere : Et irrumpent in ea impii et pestilentes terræ, quæ exceptis sacerdotibus soloque pontifice, nullus alius audebat intrare, quod scimus et a Babyloniis et a rege Antiocho Cneoque Pompeio, et ad extremum factum esse sub Vespasiano et Tito, quando templum captum atque subversum est, et omnia perpetrata quæ sequens prophetæ sermo complectitur. Ad nostra quoque mala opera avertit Deus faciem suam. Et quia aversa est facies, ideo Dei violatur arcanum, ut pro sacerdotibus et sanctis Dei pestilentes ingrediantur, et universa contaminent, ut qui locus esse debuit sanctitatis, fiat locus immunditiæ, juxta illud evangelicum : « Domus Patris mei, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. »

« Fac conclusionem, quoniam terra plena est judi« cio sanguinum, et civitas plena iniquitate. » Igitur, o propheta, iram meam super terram Judæam et super urbem Jerusalem brevi sermone conclude, ut quomodo terra plena judicio sanguinum, omnes enim in sanguine judicantur fundentes innoxium sanguinem, quod et in Nabuthæ persona fecisse Judæos Scriptura commemorat, sic ipsorum quoque fundatur cruor, et plena iniquitatis civitas demonstretur. Nam et sub Manasse repleta est urbs Jerusalem a porta usque ad portam sanguine prophetarum. Venietque eis conclusio et perturbatio atque confixio, ut nullus de imminentibus miseriis possit evadere.

« Et adducam pessimos de gentibus, et possidebunt domus eorum. » Pro sacerdotibus et prophetis pessimos cunctarum gentium adducam Babylonios, ut domus vestras possideant, vosque subjiciant servituti. Sed et nostras domus, id est animas, templum enim Dei sumus, et Spiritus sanctus habitat in nobis, possidebunt pessimi dæmones, si fuerit terra nostra plena sanguinibus, et habitatio plena iniquitatis.

« Et requiescere faciam superbiam potentium, et « possidebunt sanctuaria eorum. » Propterea pessimi gentium possidebunt domus potentium et superborum, et obtinebunt sanctuaria eorum, quia locum sanctimoniæ spurcus ingreditur, et sua eum contaminat immunditia. Significanter autem, quia polluta fuerant sancta Dei, et violatum arcanum est, non dixit, possidebunt sanctuaria mea, sed sanctuaria eorum, quia post contaminationem mea esse cessaverunt.

« Angustia superveniente, requirent pacem, et non « erit. » Quæret autem pacem et non inveniet, qui audivit ab apostolis : « Pax huic domui (*Matth.* x), » et non servavit eam, nec fecit in sua mente requiescere, sed malis fugatam operibus non potest invenire. « Ipsa est enim pax quæ exsuperat omnem sensum, » et quam ad Patrem victor ascendens Salvator apostolis dereliquit (*Joan.* xiv).

« Conturbatio super conturbationem veniet, et au« ditus super auditum. » Quomodo sanctis dicitur : « Gaudete, iterum dico : Gaudete; » et de ipsis scriptum est : « Ibunt de virtute in virtutem, » ut præsentia bona futuris bonis cumulent : sic et his, super quos venit angustia, et qui quæsierunt pacem, et non invenerunt eam : « Veniet conturbatio super conturbationem, » sive væ super væ, juxta quod in Apocalypsi scriptum est : « Væ unum abiit, et væ alterum venit (*Apoc.* ix). »

« Et auditus veniet super auditum, nuntiusque su« per nuntium, » juxta illud beati Job : Cum adhuc unus loqueretur, venit alius nuntius mala augens malis; et appropinquantis Babylonis fremitum turbamque describens, subjungit :

« Et quærent visionem de propheta, et lex peribit « a sacerdote, et consilium a senioribus. » Proprie singula quæruntur a singulis, vaticinium futurorum quæritur a propheta. Legis interpretatio sacerdotis officium est, prudens consilium ætas matura perquiret, juxta illud quod scriptum est : « In consilio justorum et congregatione magna opera Domini (*Psal.* cx). » Hæc autem non solum in illo tempore, quando Babylonius contra Jerusalem veniebat exercitus, a prophetis, sacerdotibus, et senioribus quærebantur, sed quotidie in ecclesiis requiruntur; quæ si visionem, legem consiliumque perdiderint, frustra prophetas et sacerdotes et seniores habere se jactant.

« Rex lugebit, et principes induentur mœrore. » Luxisse autem Sedeciam, et omnes principes populi Judæorum fuisse mœrore confectos, sancta Scriptura commemorat. Possumus autem, quanquam hoc prima fronte videatur esse blasphemum, regem lugentem nostra vitia atque peccata Christum dicere, qui loquitur in Psalmis : « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem (*Psal.* xxix)? » Et appropinquans Jerusalem, flevit super eam et dixit : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti (*Matth.* xxiii)! » Principes quoque vel in bonam partem apostoli erunt, qui lugent peccatores; vel in

contrariam illi quibus dicitur : « Audite verbum Domini, principes Sodomorum (*Isa.* I). » « Inducturque, » juxta Septuaginta, « interitu, qui non habet armaturam Dei, nec indutus est Christo. » « Quotquot enim in Christo baptizati sunt, Christum induerunt (*Gal.* III). » « Et manus populi terræ conturbabuntur. » Sive, juxta Septuaginta, « dissolventur. » Quando visio non fuerit in propheta, et legis scientia in sacerdote, et consilium in senibus, rexque luxerit, et princeps fuerit in mœrore sive in interitu, consequenter et populi manus conturbabuntur suum perdentes ordinem, sive dissolventur, antiquam fortitudinem non habentes. Pulchreque non populus Dei dicitur, cujus turbabuntur manus, et cujus non est municipatus in cœlo, sed populus terræ, de quo scriptum est : « Recedentes a te super terram scribentur. »

« Secundum viam eorum faciam eis, et secundum « judicia eorum judicabo eos, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « ulciscar eos. » Peccatoribus reddit Deus juxta vias suas, ut teneant judicii veritatem. Cæterum in sanctis excedit modum clementiæ. « Neque enim condignæ sunt passiones temporis hujus ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). Stipendia enim peccati mors, » quam recipit peccator juxta vias et opera sua. Cæterum justorum virtus fruitur Domini largitate, de qua Paulus loquitur, « Donum Dei vita æterna. » Quodque addidit : « Et secundum judicia eorum judicabo eos, » illud evangelicum sonat : « In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. » Et apostolicum : « In quo enim judicio judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim operaris quæ judicas. » « Et scient quia ego Dominus. » Iste versiculus frequenter in hoc propheta ponitur, quod supplicia atque cruciatus sequatur scientia Dei, ut quem non intelligebant per beneficia, per tormenta cognoscant.

CAPUT VIII.

Visio similitudinis Dei; de effosso pariete, de viris thuribulum tenentibus, et ad ortum solis adorantibus, de applicantibus ramum ad nares suas.

« Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in « quinta mensis, ego sedebam in domo mea, et senes « Juda sedebant coram me, » etc. (*Hieron.*) Quinto anno transmigrationis Jechoniæ, quarto mense, quinta mensis, superiorem visionem factam ad prophetam legimus. Hæc autem quam nunc exponere volumus, sexto anno ejusdem regis, sexto mense, quinta mensis facta memoratur; ex quo perspicuum est post annum et duos menses hæc facta quæ scripta sunt, et vel intermissam per annum et duos menses prophetiam, vel per totos quatuordecim menses gesta quæ superior sermo contexit. Sexto autem anno, et sexto mense, et quinta die mensis, qui numeri ad fabricam mundi referuntur, ad carneos sensus qui terrena conspiciunt, et necdum cœlestia contemplantur, factam prophetiam non mirabitur, qui ad presbyteros Juda sermonem dirigi intellexerit. E quibus septuaginta tenebant thuribula et viginti quinque in templo adorabant solem, sedebatque propheta in domo sua
A fugiens frequentiam multitudinis, et senes Juda sedebant coram eo, vel prophetæ verba audire cupientes, vel insidiantes sermonibus ejus. Significanterque dicuntur senes Juda, ut nihil ad Israel, hoc est, ad decem tribus quæ prius captæ fuerant, sed ad eos qui de tribu Juda cum Jechonia ducti erant in captivitatem, dici intelligamus.

« Et cecidit super me ibi manus Domini Dei, et « vidi, et ecce similitudo quasi aspectus, ignis ab aspe« ctu lumborum ejus, et deorsum ignis, et a lumbis « ejus. Et sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri. » Manus autem ἐνεργείαν, id est opera, significat, ut visionis possit sacramenta cognoscere. Et hoc considerandum est, quod non ipsas videat veritates, sed similitudinem ignis quia a lumbis usque
B deorsum ignis apparuit. Et a lumbis sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri, ignis apparuit. Pro splendore qui in Hebraico dicitur *sor*, *auram* Theodotio transtulit, ut in supernis Dei refrigeria demonstret. Denique et in Regum volumine (*III Reg.* XIX) beatus Elias adventum Domini non in tempestate contemplatur et turbine, non in ignis ardoribus, sed in aspectu auræ tenuis atque lenissimæ, ut Dei omnipotentis mansuetudinem comprobaret. Opera autem coitus quæ significantur in lumbis usque deorsum igne purgantur, et opera virtutum quæ a lumbis ad superiora consurgunt, splendorem habent atque fulgorem, et tamen nec ignis usque ad pedes dicitur, nec splendor electri usque ad caput, sed deorsum, et sursum, ut tam in peccatoribus, quam in sanctis
C pro diversitate meritorum, alius usque ad illud et illud membrum, alius usque ad illa et illa perveniat. Et quomodo qui sanctitudinis perfectionem tenent, ad verticem usque perveniunt, sic qui in peccatorum profundo sunt, plantas igneorum pedum tenere credendi sunt.

« Et emissa similitudo manus apprehendit me in « cincinno capitis mei. » Et hic similitudo manus non ipsa manus extenditur, neque enim in Deo aliquid corporale est, videturque manus, ut membrum humani corporis atque consueti nequaquam terreat eum qui assumitur atque comprehenditur. Si enim in colubri, vel in qualibet alia bestiarum similitudine tetigisset prophetam, ipsa dissimilitudo membrorum terruisset assumptum. Parsque comprehenditur capil-
D lorum, quia totius apprehensionem capitis humana natura non sustinet. Pro « cincinno » Septuaginta κράσπεδον, id est « fimbriam, » interpretati sunt. Quorum alterum in capillis, alterum in vestibus accipi solet.

« Et elevavit me spiritus inter terram et cœlum. » Primum similitudine manus apprehenditur, postea elevatur a spiritu, qui spiritus non eum statim ad cœlum levat, sed inter terram et cœlum, ut terrena interim derelinquens festinet ad cœlum. Possumus autem et hoc dicere, quod propter bona opera propheta similitudine manus Dei apprehensus sit, et propter scientiam rerum spiritalium elevetur a spiritu.

« Et adduxit me in Jerusalem in visione Dei juxta « ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, ubi

« erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Israel, secundum visionem « quam videram in campo. » Quando dixit, « adduxit me in Jerusalem, in visione Dei, » ostendit se non in corpore, sed in spiritu esse translatum. Juxta quam visionem possumus et cœlos, et profunda maris, et inferna conspicere, dum rationes singulorum cogitatione complectimur. Primum autem venit ad vestibulum, quod respicit ad aquilonem, ut ibi videat statuam idoli zeli, ad provocandam æmulationem, ut de illo loco possit ad interiora penetrare, et cernere reliqua quæ postea describuntur. Statuam autem idoli Baal in templo Dei positam narrat historia. Pulchreque appellatur idolum zeli, quia ad æmulationem et zelum Dominum provocat, juxta illud quod in Deuteronomio dicitur : « Ipsi me provocaverunt ad zelum in eo qui non erat Deus. Et ego provocabo eos ad zelum in gente quæ non est (*Deut.* xxxii). » « Emissa, inquit, similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei. Et elevavit me spiritus inter terram et cœlum, et adduxit in Jerusalem in visione Dei juxta ostium interius quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli, ad provocandam æmulationem. » (*Greg.*, *lib.* xxxi *Moral.*, *cap.* 39.) Quid est enim cincinnus capitis, nisi collectæ cogitationes mentis, ut non sparsæ defluant, sed per disciplinam constrictæ subsistant? Manus ergo desuper mittitur, et propheta per cincinnum capitis elevatur, quia cum nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene vero inter terram et cœlum sublatum se asserit, quia quilibet sanctus in carne mortali positus, plene quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima dereliquit. In visione vero Dei in Jerusalem ducitur, quod videlicet unusquisque proficiens per charitatis zelum qualis debeat esse Ecclesia contemplatur. Bene quoque additur, quia « juxta ostium interius ductus est, quod respiciebat ad aquilonem. » Quia nimirum sancti viri dum per aditum internæ contemplationis aspiciunt, plus prava intra Ecclesiam fieri quam recta deprehendunt, et quasi in aquilonis parte oculos, id est, ad solis sinistram flectunt, quia contra vitiorum frigora charitatis se stimulis accendunt. Ubi et recte subjungitur : « Quia et illic erat statutum idolum zeli ad provocandam æmulationem. » Dum enim intra Ecclesiam sanctam a nonnullis specie sola fidelibus rapinas, et vitia perpetrari considerant, quid aliud quam in Jerusalem idolum vident? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatio superna provocatur, et tanto districtius delinquentes ferit, quanto nos charius Redemptor amat. Hypocritæ igitur, quia cogitationes mentis non colligunt, per cincinnum capitis minime tenentur, et qui sua nesciunt, commissorum sibi quando delicta deprehendunt? Hi itaque torpent a cœlestibus, ad quæ flagrare debuerunt, et flagrant terrenis rebus anxie, a quibus laudabiliter torpuissent. Postposita quippe cura filiorum, sæpe eos videas se contra pericula immensi laboris accingere; transmeare maria, adire judicia, pulsare principatus, palatia irrumpere, jurgantibus populorum cuneis interesse, et terrena patrimonia laboriosa observatione defendere. Quibus si fortasse dicatur, Cur ista vos agitis, qui sæculum reliquistis? respondent illico Deum se metuere, et idcirco tanto studio defendendis patrimoniis insudare.

« Et dixit ad me : Fili hominis, leva oculos tuos « ad viam aquilonis. Et levavi oculos meos ad viam « aquilonis. Et ecce ab aquilone portæ altaris idolum « zeli in ipso introitu. » (*Hier.*) Dixit, inquit, ad me vel gloria Dei quam in campo videram, vel spiritus qui me inter cœlum levavit ac terram. Locutusque est mihi postquam me transtulit in Jerusalem, et fecit vel urbem vel templum videre. Et imperavit ut levarem oculos ad viam aquilonis. Ibi enim statua Baal posita erat, quam vocat idolum zeli in ipso portæ introitu. Qui autem idolum zeli sive possidentis ad gloriam Dei vel ad spiritum referunt, impie faciunt, personam idoli Dei majestate mutantes.

« Et dixit ad me : Fili hominis, putasne vides tu « quid isti faciant, abominationes magnas quas domus « Israel facit hic, et ut procul recedam a sanctuario « meo? Et adhuc conversus, videbis abominationes « majores. » Ne me, inquit, putes injuste templum deserere et subvertendam relinquere civitatem, aspice quæ in templo faciunt. Cumque illa conspexeris, non putes finem esse scelerum, adhuc majora conspicies. Quod quidem potest et de nostra Jerusalem nostroque templo intelligi, quando in exemplum Ophni et Phinees idolorum scelera operamur in tabernaculo Dei, et fornicamur cum his qui se militiæ et ministerio Dei voverint. Et sacrificiorum ejus primitiva decerpimus, dantes in usum clientum atque famulorum, et omnia lucri causa facimus. Sin autem hæc tam magna sunt quæ videmus, quanto majora æstimanda sunt, quæ humanam effugiunt conscientiam!

« Et introduxit me ad ostium atrii, et vidi et ecce « foramen unum in pariete. Et dixit ad me : Fili ho« minis, fode parietem. Et cum perfodissem parietem, « apparuit ostium unum. Et dixit ad me : Ingredere « et vide abominationes pessimas quas isti faciunt « hic, » etc. Hoc quod transtuli : « Et vidi et ecce foramen unum in pariete, » in Septuaginta non habetur. Et quia omnia quasi in imagine picturaque monstrantur, unum in pariete foramen vidisse se dicit, juberique sibi ut illud perfodiat, et amplius faciat, quo videlicet aperto foramine, latius possit intrare et videre, quæ foris videre positus non poterat. Per quod ostenditur tam in ecclesiis, quam in singulis nobis per parva vitia majora monstrari, et quasi per quædam foramina ad abominationes maximas perveniri. « Ex fructibus enim arbor cognoscitur (*Matth.* xii); ex abundantia enim cordis os loquitur (*Luc.* vi). » Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia. Quomodo libidinosum, quia sua callide celat vitia, interdum turpis sermo demonstrat. Et avaritiam latentem intrinsecus parvulæ rei cupido significat. Minoribus enim majora monstran-

tur, vultuque et oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa et lasciva mens lucet in facie, et secreta cordis, motu corporis et gestibus indicantur.

« Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo re« ptilium et animalium abominatio, et universa idola « domus Israel depicta erant in pariete in circuitu « per totum. » Non solum autem idolum zeli stabat in introitu potæ aquilonis, sed et omnes templi partes diversis idolorum imaginibus pingebantur, ut nulla esset bestia quam non parietis pictura monstraret. Hoc in delubris idolorum, fanisque gentilium huc usque perspiciamus, quod omnia genera bestiarum adoret stulta religio. Unde et Virgilius [a] :

Omnigenumque (ait) deum monstra, et latrator Anubis,

quasi non et illa sint monstra quæ laudat,

Contra Neptunum, et Venerem, contraque Minervam.

Possumus et in nostris templis idola monstrare parietibus depicta, quando omnibus vitiis subjacemus, et pingimus in corde nostro peccatorum conscientiam, imaginesque diversas. De quibus in Psalmis dicitur : « Domine, in civitate tua imaginem ipsorum dissipabis (*Psal.* LXXII). » Et in alio loco : « Verumtamen in imagine perambulat homo (*Psal.* XXXVIII). » Quod scilicet nullus hominum sit, qui aliquam imaginem non habeat, sive sanctitatis, sive peccati. Quamobrem furiosis dicitur et iracundis : « Furor illis juxta similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium (*Psal.* LVII). » Et de hominibus nequam : « Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? » (*Matth.* III.) Et de versipellibus ac fraudulentis : « Ite, dicite vulpi huic (*Luc.* XIII). » Ac de amatoribus feminarum : « Equi insanientes in feminas facti sunt mihi, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (*Jer.* V). » De brutis quoque ac vecordibus : « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI). » (*Greg.*, *Moral. lib.* XXVI, *c.* 6.) Viri autem veraciter sancti, cum flagellari quempiam pro culpa cognoscunt, etsi quædam ejus inordinata corripiunt, ad quædam tamen dolentia compatiuntur. Et sic sciunt tumentia premere, ut sciant etiam cruenta fovere, quatenus in eis dum dura emolliunt, infirma roborentur. At contra arrogantes viri quia charitatis viscera non habent, non solum non compatiuntur, etiam justis dolentibus, sed eos insuper sub specie justæ increpationis affligunt. Vel si qua in eis sunt parva mala exaggerant, vel ea quæ vere bona sunt, male apud se interpretanda commutant. Quamvis etiam casti doctores sæpe exaggerare soleant delinquentium vitia, et ex quibusdam signis publicis occulta rimari, ut possint ex minimis majora cognoscere. Unde ad Ezechiel dicitur : « Fili hominis, fode parietem. » Ubi mox subdidit . « Et cum perfodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me : Ingredere et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Et

A ingressus vidi : et ecce omnis similitudo reptilium et animalium abominatio, et ecce universa idola domus Israel depicta erant in pariete. » Per Ezechielem quippe præpositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi asperis correptionibus duritiam cordis aperire? Quem cum perfodisset, apparuit ostium. Quia cum cordis duritia, vel studiosis percunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam janua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur, cogitationum interiora videantur. Unde et bene illic sequitur : « Et dixit ad me : Ingredere et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. » Quasi ingreditur, ut abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius

B apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quæ illicita cogitantur, innotescant. Unde et subdidit : « Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio. » In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur; in animalibus vero jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia autem ventre a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur : reptilia itaque intra parietem sunt, quando cogitationes volvuntur in mente, quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus

C honoribusque deserviunt, et per semetipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum, quasi per gulæ desiderium sese ad ima submittunt. Unde et bene subditur : « Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete. » Scriptum quippe est : « Et avaritia, quæ est idolorum servitus (*Coloss.* III). » Recte ergo post animalia idola describuntur, quia etsi honesta actione nonnulli quasi a terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur, « depicta erant, » quia dum exteriorum rerum extrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur, quidquid fictis imaginibus deliberando cogitatur. Notandum itaque est, quia prius foramen in

D pariete, ac deinde ostium cernitur, et tunc demum occulta abominatio demonstratur, quia nimirum uniuscujusque peccata prius signa forinsecus, deinde janua apertæ iniquitatis ostenditur. Et tunc demum omne malum quod intus latet aperitur : idcirco ergo etiam doctores graviter solent minuta discutere, ut ab extremis exterioribus ad occulta possint majora pervenire, verba asperæ increpationis movent, ut spinas mortiferæ cogitationis eradicent. Et hæc cum agunt, charitatis amore sapiunt, non inflatione elationis intumescunt. Mori enim pro ipsis parati sunt, quos quasi usque ad mortem sævientes affligunt. Servant in cogitatione quod diligunt, summat

[a] Æneid. lib. VIII, in descriptione clypei Æneæ.

in specie quod persequuntur, bona prædicantes insinuant, mala autem caventes prænuntiant, non ut Eliu desiderantes exorant, erga commissos sibi nonnunquam correptione fervent, ac si nullus eos fervor accendat. Valde enim metuunt, ne si a pravorum correptione cessaverint, ipsi pro eorum damnatione puniantur. Et cum ad verba se invectionis inflammant, inviti quidem ad hæc veniunt, sed tamen hanc defensionem sibi apud districtum judicem præparant.

« Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, « et Jezonias Saphan filius stabat in medio eorum « stantium ante picturas, et unusquisque habebat « thuribulum in manu sua, et vapor nebulæ de thure « consurgebat. » (*Hieron.*) Quando dicit septuaginta viros fuisse de senioribus domus Israel, qui tenebant thuribula manibus, ostendit multos et alios fuisse presbyteros qui hoc non faciebant, sed forsitan peccatis aliis tenebantur. Unumque nomine Jezoniam filium Saphan stetisse in medio eorum quasi principem sceleris eorum atque sacrilegii, qui omissa religione Dei, idola colebant, et in templo non adorabant Deum, cujus erat templum, sed picturas parietum. Pulchreque dicitur : « Stabat Jezonias filius Saphan, » id est « judicii » et condemnationis suæ, « in medio stantium presbyterorum, » quia et princeps, et hi quorum princeps erat, firmo in sceleribus stabant gradu, nec fluctuabant in malo, sed robustissime persistebant. Vaporque nebulæ et confusionis ac turbinis qui surgebat ex thure offerentium sacrilegia demonstrabat. Hoc factum sit eo tempore juxta litteram; cæterum, et nobis orandum est, ne seniores domus Israel, septenarium numerum, qui est sanctus, per septem decades multiplicantes, stent in erroribus suis, et adorent picturas idolorum, vaporque sacrilegi ascendat sive consurgat resistens Deo. Quando viderimus plebem pessimam congregatam, de qua scriptum est : « Odivi ecclesiam malignantium (*Psal.* xxv), » et pejores plebe presbyteros, nequioremque principem qui præfectus est plebi atque presbyteris, dicamus Jezoniam stantem ante picturas, et singulos habere thuribula in manibus suis, non Dei majestatem, sed proprias sententias adorantes, et nequaquam odorem bonæ fragrantiæ ad Deum, sed fœtorem ad idola pervenire.

« Et dixit ad me : Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui. Dicunt enim : Non « videt nos Dominus. Dereliquit Dominus terram « suam, » etc. Ex eo, inquit, quod in templo faciunt pariter congregati, ostenditur quid in cubiculo suo unusquisque faciat. Sed secundum anagogen melius intelligi potest, quod nonnulli principes ecclesiarum faciant in tenebris, quæ dictu turpia sunt. Iste est absconditus cordis homo de quo dicitur : « Ingredere in cubiculum tuum (*Matth.* vi). » Et rursum : « Qui videt in absconso reddet tibi. » Recolat unusquisque conscientiam suam, et opera tenebrarum recordetur in tenebris, sciatque scriptum : « Omnis qui mala operatur, odit lucem, ne arguatur a luce (*Joan.* ii). » Et in se intelliget illud esse completum : « Qui inebriatur, nocte inebriatur (*I Thess.* v). » Quod juxta litteram stare non potest. Quanti enim in prandiis conviviisque dierum inebriantur? sed quia ebrietas cordis offendens Deum tenebrarum est, et non lucis, propterea quicunque inebriatur, nocte inebriatur. Cum autem seniores domus Israel fecerunt mala in tenebris et in abscondito cubiculorum suorum, et putaverint se Deum celare posse, tunc consequenter dicent : Non videt Dominus nos : dereliquit Dominus terram. Multique sunt peccatores et ambulantes juxta cogitationes suas, qui Deum non æstimant curare mortalia, nec ad illum nostra vitia pertinere. Certe quando peccamus, si cogitaremus Deum videre et esse præsentem, nunquam quod ei displicet faceremus. Porro quod sequitur : « Dereliquit Dominus terram, » quorumdam etiam philosophorum sententia est, qui ex siderum cursu atque constantia suspicantur esse in cœlestibus providentiam et terrena contemnere, dum nihil recte, nec juxta ordinem in terris geritur.

« Et dixit ad me : Adhuc conversus videbis majores abominationes, quas isti faciunt. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad aquilonem, et ecce mulieres sedebant « plangentes Adonidem. » Quem nos interpretati sumus Adonidem, Hebræus et Syrus sermo *thamuz* vocant. Unde quia juxta gentilem fabulam in mense Junio amasius Veneris, et pulcherrimus juvenis occisus, et deinceps revixisse narratur, eumdem Junium mensem eodem appellant nomine, et anniversariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus, et postea reviviscens canitur atque laudatur. Consequenterque postquam principes et seniores domus Israel quid fecerint in templo ac tenebris cubiculisque monstratum est, etiam mulierum vitia describuntur, quæ plangunt amatorum societate privatæ, et exsultant si eos potuerint obtinere. Et quia eadem gentilitas hujuscemodi fabulas poetarum quæ habent turpitudinem interpretatur subtiliter, interfectionem et resurrectionem Adonidis planctu et gaudio prosequens. Quorum alterum in seminibus quæ moriuntur in terra, alterum in segetibus quibus mortua semina renascuntur, ostendi putat. Nos quoque eos qui ad sæculi mala et bona, vel contristantur vel exsultant, mulieres appellemus molli et effeminato animo, dicamusque plangere eos Thamuz, ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima.

« Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis, adhuc conversus videbis abominationes majores his. « Et introduxit me in atrium domus Domini interius. « Et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et « altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes « contra templum Domini, et facies ad orientem. Et « adorabant ad ortum solis. » Et quia supra legimus post idolum zeli, quod ad portam aquilonis apparuit : « Adhuc conversus videbis abominationes majores, » ostensisque per parietem picturis omnium bestiarum

quas adorabant septuaginta presbyteri et Jezonias filius Saphan, tenentes thuribula in manibus, secundo dicitur: « Adhuc conversus videbis abominationes majores his. » Quæ est autem major abominatio superiorum trium scelerum? videlicet quarta quæ sequitur: « Ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis, » eo quod, contempto Domino, id est creatore, adorarent solem, id est Domini creaturam, præcipiente ipso Domino per Moysen, quod nequaquam in morem gentilium contra orientem Deum adorare deberent, sed in quacunque parte fuisset nobis, sive ad orientem, sive ad occidentem, sive ad meridiem, sive ad septentrionem adorarent contra templum, ubi in sancto sanctorum habitare Dominus credebatur: quod quidem et Danielem in Babylone fecisse legimus (*Dan.* VI), qui apertis fenestris cœnaculi sui adorabat Dominum contra templum quod erat in Jerusalem; hoc juxta litteram fuisse sacrilegii nemo dubitat. Secundum anagogen omnes hæreticos pejores esse prioribus, id est, idolo zeli, pictisque in pariete figuris animantium, planctu Adonidis, per quæ idololatria voluptasque monstratur, ille scire poterit qui intellexerit prophetam, dicentem: « Tu autem odisti disciplinam et projecisti sermones meos post te (*Psal.* XLIX). » Et in alio loco: « Verterunt contra me scapulam recedentem (*Jer.* II). » An ignoramus Marcionem et cæteros hæreticos, qui Vetus laniant Testamentum contempto Creatore, id est justo Deo, alium quemdam bonum Deum colere et adorare, quem de suo corde finxerunt, omnesque nostri temporis hæreticos qui Dei filium prædicant creaturam, et tamen adorant eum relicto divinitatis templo et post tergum habito, ipsi confessione sua creaturam adorare se dicunt? Nos autem sic adoramus solem justitiæ, ut Deum adoremus in templo Veteris Testamenti, ubi lex et prophetæ, ubi cherubim et propitiatorium est.

« Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis. Numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas quas fecerunt hic. Quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad irritandum me? « Et ecce applicant ramum ad nares suas, » etc. Pro eo quod nos diximus: « Et ecce ipsi sicut applicant ramum ad nares suas, » Septuaginta transtulerunt, « et ecce ipsi sicut subsannantes, » quibus de Theodotione additum est: « Extendunt ramum, » ut sit totum pariter, « Et ecce ipsi extendunt ramum quasi subsannantes. » Significat autem viginti quinque viros, qui in quadrum solida statione fundati sunt, et a quinque sensibus per quinquies quinque quadranguli figuram efficiunt. Non solum templum habere post tergum, sed instar idolorum applicare ramum ad nares suas, haud dubium quin palmarum, quas græco sermone baia vocant, ut per hoc eos idola adorare significet. Denique et Job inter cæteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit, quod nunquam aspiciens cœlum, et solem, et lunam, et astra fulgentia, osculatus sit manum suam, id est adoraverit creaturas.

« Ergo et ego faciam in furore: non parcet oculus meus nec miserebor. Et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. » Pro his, ait, omnibus quæ fecerunt, et ego faciam in furore, et non parcet oculus meus, nec miserebor. Quod audientes veteres hæretici, creatorem calumniantur quasi crudelem et sanguinarium, nec cogitant apostolum Paulum, qui certe boni Dei, ut ipsi volunt, apostolus est, scribere ad Corinthios: « Si venero rursum, non parcam (*II Cor.* XIII), » ut virga corripiat delinquentes, et errantes retrahat ad salutem. Qui enim non intelligunt quid sibi prosit, et orent frequenter contraria, expedit eis ut non exaudiantur a Domino. Unde et in oratione Dominica dicimus: « Fiat voluntas tua, » non voluntas nostra, quæ errare consuevit, sed voluntas tua, quæ futura cognoscit. Magnæque interdum felicitatis est, ad præsens misericordiam non mereri. Et istis igitur qui sunt de domo Juda, et a confessione Ecclesiæ recesserunt, non parcet Dominus. Cumque clamaverint voce magna, de qua Dominus dixit: « Clamor eorum pervenit ad me, » tamen Dominus non exaudiet eos, ut malis coacti intelligant quid fecerint.

CAPUT IX.

De sex viris missis ad vastationem populi; de viro lineis induto, cum atramentario.

« Et clamavit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquaverunt visitationes urbis, » etc. Pro visitationibus « ultionem » Septuaginta transtulerunt. « Mihi enim vindicta, ego retribuam, dicit Dominus (*Rom.* XII). » Omnisque ultio visitatio est, quasi ægrotantis, quasi habentis vulnera, quasi medicas exspectantis manus, juxta illud quod alibi dictum est: « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum. Misericordiam autem meam non auferam ab eis (*Psal.* LXXXVIII). Recteque, ut supra diximus, visitatio vel ultio appropinquare dicitur captivitate vicina. « Et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua. » Non dixit, « habebat, » ut Septuaginta transtulerunt, neque enim narrat præterita, sed præsentia, futuraque demonstrat. Qui igitur malos percutit in eo quod mali sunt, et habet vasa interfectionis, ut occidat pessimos, minister est Domini.

« Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris quæ respicit ad aquilonem. Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis. Et atramentarium scriptoris ad renes ejus. Ingressique sunt et steterunt juxta altare æneum. Et gloria Domini Israel assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus. Et vocavit virum qui indutus erat lineis, et atramentarium scriptoris habebat in lumbis ejus. » (*Greg.*, *lib.* XXII *Moral.*, *c.* 19.) Quid namque aliud in sex viris venientibus, nisi sex ætates humani generis designantur? Qui de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi, sicut

ab ingressu mundi a superioribus generationibus evolvuntur. Quæ porta ad aquilonem respicit, quia videlicet mens humani generis vitiis aperta, nisi calorem charitatis deserens, torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. « Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus. » Quia unaquæque generatio singulis quibusque ætatibus evoluta, ante Redemptoris adventum in sua operatione habuit, unde pœnam damnationis sumpsit. « Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis. » Quia Redemptor noster etiam de sacerdotali tribu, juxta carnem parentes habere dignatus est. Vestitus lineis venire perhibetur, vel certe quia linum de terra: non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur, quia indumentum sui corporis ex matre virgine, non autem ex corruptione commistionis sumit. Profecto ad nos vestitus lineis venit. « Et atramentarium scriptoris ad renes ejus. » In renibus posterior pars corporis est. Et quia ipse Dominus pro nobis mortuus est, resurrexit et ascendit in cœlum, tunc Testamentum Novum per apostolos scribitur. Vir iste atramentarium in renibus habuit. Qui enim scripturam Testamenti Novi postquam discessit, condidit, atramentarium quasi a tergo portavit. Hoc ergo atramentarium viro lineis vestito inhærere considerat, qui dicit: « Et librum scribat ipse qui judicat (*Job.* XXXI). » Sed cur, beate Job, ab eo qui judex est, librum scribi desideras? ut sequitur, « ut in humero meo portem illum et circumdem illum, quasi coronam mihi (*Ibid.*). » Librum quippe in humero portare est Scripturam sacram operando perficere. Et notandum quam ordinate describitur: et prius in humero portari, et postmodum sicut corona circumdari, quia videlicet sacri eloquii mandata, si modo portantur in opere, post nobis coronam victoriæ exhibent in retributione. (*Hier.*) Ad hominum igitur peccata delenda, qui in sexta die fabricationis mundi facti sunt, veniunt sex viri, et descendunt de porta superiori, sive, ut Septuaginta transtulerunt, « excelsa ad aquilonem. » Et habebat unusquisque securim in manibus, de qua Joannes loquitur: « Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III). » Eratque in medio sex virorum unus, id est septimus, in habitu pontificis, vestitus lineis indumentis. Et habebat atramentarium scriptoris ad renes suos, quo omnia peccata describeret, et sanctorum a peccatoribus numerum segregaret, sive zonam sapphirinam coloris sapphiri lapidis, qui in ornamentis est principis sacerdotum. « Ingressique sunt sex viri, et steterunt juxta altare æneum. » Duo enim erant altaria, unum thymiamatis aureum intrinsecus, et alterum ante templum æneum holocaustorum. Juxta altare autem stare dicuntur parati ad jubentis imperium, ut cujuscunque viderint, ibi non esse peccata dimissa, sententiæ Domini et interfectioni eum subjacere cognoscant. Gloria quoque Domini Israel ascendit, sive assumpta est, de uno cherub, et ivit ad limen, sive ad subdivum atrii domus atque vestibuli. Quod nequaquam tecto premitur, sed aeris fruitur libertate, quæ ipsa gloria Domini virum qui erat in habitu pontificis, « habebatque atramentarium in lumbis suis, » vocavit, et dixit quæ Scriptura testatur. Quidam sex viros, sex interpretantur angelos, qui Dei pareant voluntati, ipsumque unum qui habebat indumentum pontificis Salvatorem intelligunt, juxta id quod sacerdos est, et magni consilii angelus: illudque quod dicitur: « Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Ποδήρη autem quod Septuaginta transtulerunt, una octo vestium est pontificis, quæ Latine dicitur talaris, et ex eo quod ad pedes usque descendat, hoc sortita vocabulum est. Cum ab Hebræo quærerem quid significaret, respondit mihi Græco sermone appellari καλαμάριον, ab eo quod in illo calami recondantur: nos atramentarium, ex eo quod atramentum habeat dicimus. Multi significantius thecas vocant, ab eo quod thecæ sint scribentium calamorum. De quatuor cherubim, unus cherub mittitur a gloria Dominicæ majestatis, locuturus ad eum qui pontificis vestimentis indutus erat. Et quanquam plerique τὰ χερουβείμ neutrali genere numeroque plurali dici putent, nos scire debemus singulari numero esse cherub generis masculini, et plurali ejusdem generis cherubim, non quo sexus in ministris Dei sit, sed quo unumquodque juxta linguæ suæ proprietatem diversis appelletur generibus, angeli vocantur numero plurali, malachim et cherubim, et seraphim ejusdem generis et numeri. Porro sabaoth, quod interpretatur militiarum sive exercituum atque virtutum, dicuntur genere feminino, numero plurali, et desinunt in extremam syllabam *oth*. Qui autem volunt sub figura pontificis intelligi Salvatorem, de Apocalypsi Joannis utuntur exemplo. In qua scriptum est: « Et converti me, et vidi vocem quæ loquebatur mecum: et conversus aspexi septem candelabra aurea, et in medio candelabrorum similem Filio hominis (*Apoc.* I). »

« Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam « civitatem in medio Jerusalem. Et signa Thau su« per frontes virorum gementium et dolentium su« per cunctis abominationibus quæ fiunt in medio « ejus. Et illis dixit audiente me: Transite per civi« tatem sequentes eum, et percutite. Non parcat « oculus vester, neque misereamini. Senem, adole« scentulum et virginem, parvulum et mulieres, in« terficite usque ad internecionem. Omnem autem « super quem videritis Thau, ne occidatis, et a san« ctuario meo incipite, » etc. Præcipitur ei qui indutus erat linea veste sive talari, et sacerdotalem habitum præferebat, ut ponat signum super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio Jerusalem. Pro signo quod Septuaginta, Aquila et Symmachus, transtulerunt, Theodotio ipsum Hebraicum posuit Thau, quæ extrema est apud Hebræos viginti et duarum litterarum, ut perfectum in viris gementibus et dolentibus scientiam demonstraret. Sive, ut Hebræi autu

mant, quia lex apud eos appellatur *thora*, quæ hac in principio nominis sui littera scribitur. Illi hoc accepere signaculum, qui legis præcepta compleverant. Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau littera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, et frequenti manus inscriptione signatur. Sunt qui putent ex eo quod secundum Hebraicum alphabetum ista extrema sit littera, demonstrari in multitudine peccantium reliquias superesse sanctorum. Gementes igitur dolentesque salvantur, qui non solum malis non consenserunt operibus, sed et aliena planxere peccata, secundum quod et Samuel planxit super Saul, et apostolus Paulus (*I Cor.* v) super his qui post peccatum non agunt pœnitentiam. Unde et ipse dicebat : « Qui sumus in tabernaculo, ingemiscimus (*II Cor.* v) ; » et alibi : « Tristitia est mihi magna, et incessabilis dolor cordis mei (*Ibid.*). » Præcipitur sex viris ut præter eos qui possunt dicere : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* iv), » cunctos interficiant, non seni parcant, non juveni, non virgini, non parvulo, non mulieri. Secundum mysticos intellectus senes sunt in Ecclesia, de quibus dicitur : « Cani hominis prudentia ejus (*Sap.* iv). » Juvenes, qui sunt ad fidei bella promptissimi. Virgines, qui pudicitiam tota mente conservant. Parvuli, qui lacte potantur infantiæ, et necdum percipiunt solidum cibum. Mulieres, quæ fragilitate sexus animæ imbecillitatem testantur; quibus universis non parcitur, si absque Christi signaculo aliquid se esse credunt. Quodque sequitur : « Et a sanctuario meo incipite, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « et a sanctis meis incipite, » vel sacerdotes significat, qui versabantur in templo, et qui fuerant in populis causa peccati, primi meruere supplicia, tempus est enim ut incipiat judicium a domo Dei.

« Cœperunt ergo a viris senioribus qui erant ante « faciem domus. Et dixit ad eos : Contaminate do« mum, et implete atria interfectis. » Pro atriis, quæ Hebraice dicuntur *aseroth*, Septuaginta posuere *vias*. Occiduntur autem viri seniores, de quibus supra legimus, quod haberent thuribula, et adolerent idolis incensum. Nec est ulla templi religio, quia, offenso Deo, contaminata sunt omnia, ut unde peccatum, inde judicium sit. Atriaque cadaveribus complentur in templo, et non viæ, quæ utique foris erant, nisi forsitan vias intelligere possumus plateas civitatis. Nec audere poterant angeli contaminare templum sanguine mortuorum, in quo prius gloria Dei habitabat, nisi hoc credentis gloriæ Dominus præcepisset. Omnis qui peccato mortuus est, contaminat atria templi, et urbis Domini vias, in quibus vivit, qui cum Christo resurgens, mortuus esse desistit.

« Et egressi sunt, et percutiebant eos qui erant « in civitate. » Sive, ut alii transtulerunt, « percutiebant civitatem, » pro his qui erant in urbe, ipsam urbem appellantes.

« Et cæde completa remansi ego, ruique super fa-A « ciem meam, et clamans aio : Heu, Domine Deus, « ergone disperdas omnes reliquias Israel, effundens « furorem tuum super Jerusalem. » Cunctis qui signaculum non habebant cæde prostratis, corruit propheta in faciem suam pro interfectorum multitudine, nullum præter se arbitrans remansisse. Quod quia videbatur esse contrarium ei sententiæ, qua jusserat Dominus signatarum frontium viros non esse cædendos, propterea in vulgata editione protractum est. Nos autem sequentes Hebraicam veritatem, posuimus, « remansi ego. » Notandumque quod non dixerit « solus ; » quod si dixisset, videbatur esse contrarium, sed, « remansi ego, » ut subaudiatur, cum cæteris qui frontes habuere signatas. Ut autem sciamus figuranter hoc dictum, « remansi ego, » in Regum B volumine, quando Elias loquitur ad Dominum : « Altaria tua demoliti sunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam auferre (*III Reg.* xix), » solum posuit, quia remansisse alios nesciebat. Quidam putant et ex persona Domini, in cujus typum præcessit Ezechiel, posse hoc intelligi de populo Judæorum, quando omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Et Propheta testatur : « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus (*Psal.* xi). » Solus enim inventus est Dominus « qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* ii). » Quod autem intulit, « effundens furorem tuum super Jerusalem, » verbum effusionis pœnarum ostendit magnitudinem, ut alibi legimus : « Effusa est despectio super principes (*Psal.* cvi) ; » et iterum : « Pene C effusi sunt gressus mei (*Psal.* lxxii) ; » et in bonam partem : « Charitas Dei effusa est in cordibus nostris (*Rom.* v) ; » et : « Effusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* xliv) ; » et in contrarium : « Effunde furorem tuum super gentes quæ te non intellexerunt, et super regna quæ nomen tuum non invocaverunt (*Jer.* x) ; » et : « Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me (*Psal.* xxxiv). »

« Et dixit Dominus ad me : Iniquitas domus Israel « et domus Juda magna est nimis valde, et repleta « est terra sanguinibus. Et civitas repleta est aver« sione. Dixerunt enim : Dereliquit Dominus terram, « et Dominus non videt. Igitur et meus non parcet « oculus neque miserebor, vias eorum super ca-D « put eorum reddam, » etc. Videns Dominus prophetam suum flere pro populo, et admirari indignationis magnitudinem, reddit causas non ut ille putabat, injusti vel excedentis modum supplicii, sed meritæ justæque sententiæ. Iniquitas, inquit, decem tribuum Israel et duarum tribuum Juda, magna est, et non solum magna, sed magna nimis. Nec hoc dixisse sufficit, sed repetit valde, ut pro magnitudine iniquitatis magnitudo supplicii sit. Ex quo discimus non ut plerique æstimant, et maxime Stoici, paria esse peccata, sed vel magna vel parva, et pro qualitate mensuraque peccantium diversitatem esse judicii punientis. « Repleta est terra, inquit, sanguinibus, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « populis : » « Et civitas repleta est aversione. » Aut, ut

Vulgata habet editio, « iniquitate et immunditia; » non modicus sanguis effusus est, sed de porta usque ad portam, et omnis civitas declinavit a cultu Dei. Et pro eo plena est immunditia, idololatriæ videlicet sordibus. Causa autem tantorum scelerum illa est, quod putaverunt providentiam non esse super terram, nec Deum curare mortalia. Juxta illud quod alibi legimus :

> Scilicet is superis labor est, ea cura quietos
> Sollicitat.

Quia igitur illi vel putaverunt non esse providentiam, vel quæ ante fuerat in populis, hoc tempore suum populum reliquisse, propterea et Dei non parcet oculus, nec miserebitur, ut contra vitia sæviens, placabilis sit virtutibus, viasque eorum atque peccata reddat super capita eorum, vel super principale cordis, vel super principes populi, juxta Numerorum librum in quo capita populorum principes esse dicuntur.

« Et ecce vir qui indutus erat lineis, qui habebat « atramentarium in lumbis suis, respondit dicens : « Feci sicut præcepisti mihi. » Septuaginta : » Et ecce vir qui indutus erat podere, id est, veste talari, et accinctus zona lumbos suos. Et respondit verbum dicens : Feci sicut mandasti mihi. » Ipse est vir, cui jussum est transire per Jerusalem, et ponere signum in frontibus virorum gementium et dolentium super cunctis iniquitatibus eorum. Dicit ergo se Domini præcepta complesse, et signaculo thau litteræ frontes armasse lugentium. Sex autem viri quibus præceperat Dominus dicens : « Transite per civitatem sequentes eum, et percutite, nulliusque misereamini usque ad internecionem, » nihil tale renuntiant; neque enim lætitiæ, sed mœroris implevere sententiam, quæ non sermone, sed opere monstratur.

CAPUT X.

De viro qui accepit carbones de medio rotarum : et cherubim et repetitio visionis et rotarum.

« Et vidi, et ecce in firmamento quod erat super caput cherubim quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii apparuit super eam. Et dixit ad virum qui indutus erat lineis. Et ait : Ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus cherubim, et imple manus tuas prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, et effundens super civitatem, » etc. De firmamento quod erat super cherubim, et de lapide sapphiro qui habebat similitudinem throni, et de rotis quæ animalia sequebantur, supra dixisse sufficiat. Et illorum lector explanatione contentus sit. Nunc autem quod jubetur ille qui indutus erat lineis, pro quo in hoc loco Septuaginta stolam interpretati sunt, ut tollat prunas de medio cherubim, et effundat sive spargat super civitatem, illud mihi videtur ostendere quod post interfectionem cædemque multorum, et in viis cadavera mortuorum prunarum ignis assumitur, ut puniat sive mundet Jerusalem. Juxta illud quod in Isaia scriptum est : « Sanctificavit eum in igne ardente, et devorabit sicut fenum materiam. » Isti sunt carbones, quos in remedium linguæ atque mendacii desolantes vitia atque peccata, propheta in-

A terrogatus exoptat : « Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis (*Psal.* CXIX). » Multaque istiusmodi in Scripturis sanctis invenire poterimus, de quibus crebro diximus. Hoc tantum notandum est quod in Isaia, qui tantum in sermone peccaverat, et immunda labia habere se dixerat, ad purgandum unus forcipe carbo comprehenditur (*Isa.* VI); hic vero quia erat civitas plena iniquitate et post supplicia cadaveribus mortuorum, plures assumuntur carbones ignis, et non una manu, sed ambabus, ut omnis purgetur Jerusalem.

« Ingressusque est in conspectu meo. Cherubim « autem stabant a dextris domus cum ingrederetur « vir, et nubes implevit atrium interius. Et elevata B « est gloria Domini desuper cherub ad limen domus : « et repleta est domus nube, et atrium repletum est « splendore gloriæ Domini. Et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi « vox Dei omnipotentis loquentis. Cumque præcepisset viro qui indutus erat lineis, dicens : Sume « ignem de medio rotarum, quæ sunt inter cherubim ; ingressus ille stetit juxta rotam, et extendit cherub manum de medio cherubim ad « ignem, qui erat inter cherubim, et assumpsit et « dedit in manu ejus qui indutus erat lineis. Qui « accipiens egressus est, et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum. » Vidente propheta ingreditur vir qui indutus erat talari veste vel linea : ingreditur autem, ut secundo C dicitur, in medio rotarum, quæ sunt subter cherubim, ut impleat manus suas igneis carbonibus. Qui cum esset ingressus, stetit tantum juxta rotam. Et vel ob tristitiam puniendæ Jerusalem, vel ob gloriæ magnitudinem stupens, manum ad ignem ipse non misit, sed unus de cherubim, id est, cherub misit manum et tulit ignem, qui erat in medio cherubim, et dedit in manum ejus qui indutus erat vestibus lineis. Qui accipiens egressus est, et tamen Scriptura non dicit egressus quid fecerit, ut tristis rei narrationem intelligentiæ potius nostræ relinqueret, quam oculis subjiceret. Introeunte autem viro qui indutus erat vestibus lineis, cherubim stabant a dextris domus, ut sanctæ supernæque virtutes dexteram Dei domus partem tenere viderentur, D et illæ quæ mittuntur ad supplicia, de quibus scriptum est : « Immissionem per angelos pessimos (*Psal.* LXXVII), » sinistras partes possidere credantur. Cumque elevata est gloria Domini de cherub, qui carbones ignis viro traditurus erat, et transisset ad limen domus, statim nube, tenebris et caligine atrium impletur interius. Neque enim, præsente Domini majestate, exercentur supplicia. Et gloria Domini videtur in atrio; de quo scriptum est : « Sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius. Pro *sonitu*, in Hebraico *vox* ponitur, quæ vox habebat similitudinem vocis Dei omnipotentis loquentis. Nota, lector, in quibus superior et hæc visio concordent sive discordent, ut ex col-

latione utriusque absque nostro admonitu divina A intelligas sacramenta, et illud quod ante commonui, quoniam si in firmamento et in throno et in manu hominis non veritas, sed similitudo dicatur, neque enim facie ad faciem revelato vultu gloriam Domini contemplamur, sed in similitudine omnia videmus et imagine, quandiu fragili et mortali, et corruptibili circumdamur corpore.

LIBER SEXTUS.

SEQUITUR CAPUT X.

Cum ratio postularet ut una eademque visio simul in uno volumine complecteretur, forsitan aliqui mirantur, cur eam in librorum divisione ab invicem separarem, quibus quoque ratio hujus divisionis pandenda est. Quoniam sicut secundum librum in ostensione rotarum separavi a primo libro, ubi quatuor B animalium descriptio fuit, non quidem propter significationis dissimilitudinem, sed ad devitandam operis longitudinem, ne prolixitas libri tædium faceret lectori. Ita et nunc ob idem tædium devitandum post gloriæ Domini visionem ac cherubim simul ostensionem, sextum librum a quatuor rotarum narratione judicavi inchoandum, de quibus Propheta ita narrat, dicens :

« Et vidi, et ecce quatuor rotæ juxta cherubim : « Rota una juxta cherub unum : et rota alia juxta « cherub unum. Species autem rotarum, quasi vi« sio lapidis chrysolithi. Et aspectus earum simili« tudo una quatuor, quasi sit rota in medio rotæ. « Cumque ambularent in quatuor partes gradieban« tur, et non revertebantur ambulantes, sed ad lo- C « cum, ad quem ire declinabat, quæ prima erat, se« quebantur et cæteræ, nec convertebantur. Et omne « corpus earum et colla et manus et pennæ et cir« culi, plena erant oculis in circuitu quatuor rota« rum. Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me. « Quatuor autem facies habebat unum, facies una, « facies cherub. Et facies secunda, facies hominis, et « in tertio facies leonis, et in quarto facies aquilæ, et « elevata sunt cherubim, » et reliqua. (*Hieron.*) Observa quod prius species fuerit rotarum. Juxta Septuaginta, « quasi visio tharsis. » Nunc autem, juxta eosdem, « quasi visio carbunculi, » ut pennarum per ignem, qui a Cherub traditur similitudo monstretur. Licet in Hebraico et supra et hic « tharsis » scriptum D sit. Quod Aquila « chrysolitum, » Symmachus « hiacynthum » transtulit. Rursumque ubi nos vertimus, « et omne corpus earum, » quod subauditur rotarum, in Hebræo scriptum est : « Et omnes carnes earum, » et colla, et manus, et pennas, et circulos rotarum, carnes appellari in supernis virtutibus, ut quando legimus : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptionem (*I Cor.* XV), » sciamus non substantiam carnis, sed opera condemnari : *Bosar* enim, quod in hoc loco scribitur, non corpus sed carnem significat. Circulos autem rotarum « canthos » ferreos appellavit, quibus lignorum rotunditas arctatur et stringitur. Superius ergo dixit : « Corpora animalium plena sunt oculis; » nunc autem dicit de rotis : « Corpora earum et colla et manus et pennæ, et circuli plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum. » (*Gregor. in expos. Evang.*) Sed sciendum nobis est quia sæpe, dum aliis rebus intendimus, fit ut alia negligamus, et ubi negligimus, ibi procul dubio oculum non habemus. Nam Pharisæus ille qui ascenderat in templum orare, testante Evangelio, quid dixit agnovimus. Ait enim : « Deus, gratias ago tibi. » Recte autem gratias Deo agebat in quo acceperat bona, quæ fecerat, qui etiam subjungit : « Quia non sum sicut cæteri homines raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo (*Luc.* XVIII). » Ecce ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, ad referendas Deo gratias, oculum habuerat Pharisæus, sed ad humilitatis custodiam oculum non habebat. Et quid prodest, quod contra hostium insidias pene tota civitas caute custoditur, si unum foramen apertum relinquitur, unde ab hostibus intretur. Quid ergo prodest custodia, quæ pene ubique circumponitur, quando inimicis tota civitas per neglectum loci una aperitur. Pharisæus autem qui jejunium exhibuit, decimas dedit, Deo gratias retulit, quasi pene per circuitum in suæ civitatis custodia vigilavit, sed quia unum in se foramen superbiæ non intendit, ibi hostem pertulit, ubi per negligentiam oculum clausit. (*H.*) Rotæ autem istæ non solum carnes habent, vel corpus aut membra, sed et colla et manus et pennas, ut efficientias rerum in singulis, non membrorum imagines sentiamus. Rotæ quoque ipsæ appellatæ sunt lingua Hebraica « Gelgel, » quod Symmachus « volubiles, » Aquila « rotam » interpretati sunt. Porro quod sequitur : « Audiente me » usque ad eum locum, ubi scriptum est : « Elevata sunt cherubim, » in Septuaginta non habetur, sed de Hebraico additum est. In quo observandum, quod nequaquam ut supra dicitur, « facies hominis, et facies leonis a dextris quatuor, et facies vituli a sinistris quatuor, et facies aquilæ quatuor a dextris; » ut videlicet alia a sinistris, alia a dextris esse credantur, sed æqualis omnium ordo describitur. dicente Scriptura : Quatuor autem facies habebat unum, facies una, facies cherub, et facies secunda, facies hominis, et in tertio facies leonis, et in quarto facies aquilæ; ut prima, et secunda, et tertia, et quarta facies non locorum diversitate dextri et sinistri, sed uno per gradus ordine describatur. Unam autem faciem, id est, primam appellavit cherub, pro quo supra dixerat facies vituli. Ex quo intelligitur faciem

cherub esse faciem vituli, quorum omnium sensum praeteritae visionis continet explanatio.

« Ipsum est animal, quod videram juxta flumen « Chobar. Cumque ambularent cherubim, ibant pa- « riter et rotae juxta ea. Et cum levarent cherubim « alas suas ut exaltarentur de terra, non resistebant « rotae sed et ipsae juxta erant. Stantibus illis sta- « bant. Et cum elevatis elevabantur. Spiritus enim « vitae erat in eis, » etc. Omnia vivunt Deo et suum sentiunt creatorem, non est enim Deus mortuorum, sed viventium, unde et omnia corpora rotarum plena sunt oculis. Et in psalmo dicitur : « Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam (*Psal.* XVIII). » Sol quoque et luna, mare et flumina, montes et colles laudant eum. Et in suum circulum per annos singulos elementa volvuntur, cœlorumque rationem in terris deprehendimus, ut antiquae legis ordinem conservantes, volvantur et currant, et nihil novum cernamus super terram. Quod autem dicitur : « Ipsum est animal, quod videram juxta flumen Chobar, » Scriptura demonstrat eadem nos debere intelligere in expositione animalis, quae supra intelleximus. Bene autem dicitur : « Cum euntibus ibant, et stantibus stabant, et cum elevatis a terra pariter elevabantur, et rotae sequentes ea. Quia spiritus vitae erat in rotis. » (*Greg.*) Haec sunt ex maxima parte jam dicta, sed iterata descriptione narrantur. Nec nos itaque pigeat eadem breviter exponendo repetere, quae spiritus per Prophetam dignatus est replicando narrare. Hoc enim solum in his verbis novum adjicitur, quod dictum est : « Cum stantibus stabant : » Sunt enim quidam qui usque ad hoc proficiunt, ut terrena quae acceperunt bene dispensare noverint. Misericordiae operibus intendunt, oppressis subveniunt; hi videlicet vadunt, in eo quod se ad proximi utilitatem tendunt. Cum his ergo rotae gradiuntur, quia sacra eloquia dictorum suorum passus in eorum itinere disponunt. Et sunt alii, qui fidem, quam acceperunt, ita ad tenendum fortes sunt, ut adversis quibusque resistere valeant, et non solum minime ad perversitatem trahuntur perfidiae, sed etiam perversa loquentes impugnant, eosque ad rectitudinem trahant. Cum istis stantibus stant etiam rotae, quia eis rectitudinem suam sacra eloquii verba confirmant, cum in eis audiunt : State, et tenete traditiones quas didicistis ; et rursum : « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide (*I Petr.* v). » Et sunt alii, qui omnia terrena despiciunt, nulla quae praetereunt possidere dignantur, in Dei se, ut praedictum est, contemplatione suspendunt. Cum his ergo elevatis, et rotae pariter levantur. Quia quantum quisque ad alta profecerit, intantum ei et sacra eloquia de altioribus loquuntur. Vadunt ergo animalia ad utilitatem proximi, stant in custodiam sui, elevantur ad contemplationem Dei. Sed et rotae pariter vadunt, stant, elevantur. Quia quaesita sacra lectio talis invenitur, qualis fit ipse a

A quo quaeritur. Ad activam enim vitam ambulat tecum. Ad immobilitatem atque constantiam spiritus profecisti, stat tecum, ad contemplativam vitam per Dei gratiam pervenisti, volat tecum. Et rursum subditur : « Quia spiritus vitae erat in rotis. » Quod idcirco secundo dicitur vitae spiritus in rotis esse, quia Scripturae duo sunt testamenta, quae utraque Dei spiritus scribi voluit, ut nos ab animae morte liberaret, vel certe quia duo sunt praecepta charitatis, dilectio videlicet Dei, et dilectio proximi, per quae utraque nos sacrae Scripturae dicta vivificant. Secundo ergo dicitur : « Quia spiritus vitae erat in rotis, » quia dilectionem Dei et proximi capimus in eloquiis divinis, per praecepta sacrae Scripturae dicta vivimus, qui mortui jacebamus. Unde omnipotenti B Deo per Psalmistam dicitur : « In aeternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me (*Psal.* CXVIII). » Justificationes enim praecepta Dei dicuntur, in quibus nos corrigendo justificat. De quibus Psalmista apertius dicit : « In tuis justificationibus meditabor, non obliviscar sermones tuos (*Ibid.*). » In eis itaque nos justificat, quia per haec nobis spiritalem vitam demonstrat, eamque per afflatum spiritus mentibus nostris infundit. Quod quia quotidie per donum gratiae in electorum mentibus agitur, recte dicitur : « Spiritus vitae erat in rotis. » Haec nobis Scriptura in tenebris vitae praesentis facta est lumen itineris. Hinc etenim Petrus ait : « Cui benefacitis intendentes, quasi lucernae candenti in caliginoso loco (*II Petr.* I). » Hinc Psalmista dicit : « Lucerna pe- C dibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis (*Psal.* CXVIII). » Scimus tamen quia et ipsa nobis nostra lucerna obscura est, si non hanc nostris mentibus veritas illustret. Unde iterum Psalmista ait : « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus illumina tenebras meas (*Psal.* XVII). » Quid enim lucerna ardens est, nisi lumen? Sed lumen creatum non lucet nobis, nisi illuminetur a lumine non creato. Quia ergo omnipotens Deus ad salutem nostram sanctorum testamentorum dicta et ipse creavit, et ipse aperit, « spiritus vitae erat in rotis. »

« Et egressa est gloria Domini a lumine templi, « et stetit super cherubim. Et elevantia cherubim « alas suas exaltata sunt a terra coram me. Et illis D « egredientibus rotae quoque subsecutae sunt. Et stetit in introitu portae domus Domini orientalis, et « gloria Domini Israel erat super ea. Ipsumque est « animal, quod vidi subter Deum Israel, juxta fluvium Chobar. Et intellexi quia cherubim essent « quatuor per quatuor facies uni, et quatuor alae « uni. Et similitudo manus hominis sub alis eorum. « Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos vi- « debam juxta fluvium Chobar. Et intuitus eorum et « impetus singulorum ante faciem suam ingredi, » etc. (*Hier.*) Gloria Domini sive majestas, quae steterat in templi lumine, stetit super cherubim, quae elevantia alas suas Propheta cernente exaltata sunt rotis pariter sequentibus, et stetit in introitu portae domus

Domini orientalis, paulatimque protectio Dei reliquit Israel; primum fuit in templo, dein stetit in atrio templi sive limine. Qua recedente de templo, nubes et caligo implevit templi penetralia. Rursumque ipsa gloria sedit super cherubim, et illis statim avolantibus, et ad exteriora abeuntibus, secutæ sunt rotæ et gloria stetit in porta domus Domini orientalis, non in janua templi, sed post atrium et limen, in introitu portæ domus Domini orientalis. Quod cum propheta vidisset, « Ipsum est, inquit, animal quod vidi subter Deum Israel, juxta fluvium Chobar, et intellexi quia cherubim essent. » Quid enim novi viderat, quod intelligeret esse cherubim, quæ prius non intellexerat? Cherubim in lingua nostra *scientiæ multitudo* est, notitia sacramentorum Dei et thronus ejus ac requies. Unde et in Psalmista dicitur : « Qui sedes super cherubim, manifestare : » semper enim gloria Domini sedet in scientiæ multitudine. Et tunc manifestatur quando cuncta regi providentia demonstrantur. Nec fortuito quid fieri nec dicere quempiam : « Dereliquit Dominus terram, » et Dominus non vidit. Unde et intuitus Cherubim, et appetitus eorum est oblivisci præteritorum, et in futura se extendere. Igitur quia contemplativa vita in aliis, et in manu activa significatur, ut superius ostendimus, bene nunc iteratur : « Et similitudo manus hominis sub alis eorum. » Manus ergo hominis sub alis eorum est, id est, virtus operis sub volatu contemplationis. Quis enim cognoscens Deum ad ejus regnum ingreditur, nisi bene prius operetur. Sine contemplativa denique vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona, quæ possunt operari, non negligunt. Sine activa autem intrare non possunt, si negligunt bona operari quæ possunt. Illa ergo in necessitate, hæc in voluntate est : illa in servitute, ista in libertate. Hinc est enim quod ad Moysen dicitur : Si emeris servum Hebræum, « sex annis serviet tibi, in septimo egredietur liber gratis, cum quali veste intraverit, cum tali exiet, » etc. (*Exod.* XXI.) Servus vero Hebræus emptus sex annis servire præcipitur, ita ut in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum, nisi activæ vitæ perfectio designatur ? Quid per septenarium, nisi contemplativa exprimitur? Sex vero annis servit, et septimo egreditur liber, qui per activam, quam perfecte exhibuerat, ad contemplativæ vitæ libertatem transit. Et notandum quod gratis liber egreditur, quia hi qui postquam omnia fecerint, dicunt se inutiles servos. Bis procul dubio sicut ipsa activa fuit ex munere, ita erit ex gratia etiam contemplativa. « Cum quali veste intraverit cum tali exeat. » Quia omnino necesse est ut unusquisque nostrum in hoc quod incipit perseveret, atque usque ad finem operis, in ea qua inchoavit intentione, perduret. Ille quippe bene ad contemplativam transit, qui in activa vita intentionis suæ vestem ad deteriora non mutavit. Etenim servus est, qui per activam vitam hominibus servire disposuit, ut post præsens sæculum ad libertatem veram valeat per-

A venire. De qua per Paulum dicitur : « Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII). » Tunc etenim vera in nobis libertas erit, cum ad gloriam filiorum Dei adoptio nostra pervenerit. Nunc vero non solum activa vita in servitute est, sed in ipsa quoque contemplatione, qua super nos rapimur, libertatem mentis adhuc perfecte non obtinet, sed imitatur, quia illa quæ est intima in ænigmate videtur. Ipsa tamen in quantalibet sit contemplationis angustia, activæ vitæ jam valde est latior atque sublimior, quæ ad quamdam mentis libertatem transit, temporalia non cogitans, sed æterna.

CAPUT XI.

B *De viginti quinque viris; de captivitate, qui ipsi erant carnes et Israel lebes; de dispersione populi*, etc.

« Et elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalis, quæ respicit ad solis ortum. » (*Hieron.*) Quia egressa est gloria Domini a limine templi, et stetit super Cherubim, postquam avolantibus Cherubim stetit ipsa gloria in introitu portæ domus Domini orientalis, et Propheta, quia per se ad eam ire non poterat, elevatus a spiritu est, et ductus ad eamdem portam domus Domini orientalem, quæ respicit solem justitiæ. De quo scriptum est : « Ecce vir Oriens nomen ejus, » ut nequaquam remaneret in templo, quod erat ignorantiæ nube confusum, sed stans in porta domus Domini orientalis, quæ sequuntur sacramenta agnosceret.

C « Et ecce in introitu portæ viginti et quinque viri. Et vidi in medio eorum Jezoniam filium Azur, et Pheltiam filium Banaiæ, principes populi. Dixitque ad me : Fili hominis, hi viri cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in urbe ista, dicentes : Nonne dudum ædificatæ sunt domus ? Hæc est lebes, nos autem carnes. Idcirco vaticinare de eis, vaticinare, fili hominis. Et irruit in me spiritus Domini. Et dixit ad me : Loquere : Hæc dicit Dominus : Sic locuti estis, domus Israel. Et cogitationes cordis vestri ego novi, plurimos occidistis in urbe hac. Et implestis vias ejus interfectis. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Interfecti vestri quos posuistis in medio ejus, hi sunt carnes, et hæc est lebes. Et educam vos de medio ejus. Gla- D dium metuistis, et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus : Et ejiciam vos de medio ejus, daboque vos in manu hostium, et faciam in vobis judicia. Gladio cadetis, in finibus Israel judicabo vos. Et scietis quia ego Dominus. Hæc non erit vobis in lebetem, et vos non eritis in medio ejus in carnes : in finibus Israel judicabo vos, et scietis quia ego Dominus. » Quod sequitur in Septuaginta non habetur, sed de Hebræo additum est : « Quia in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, et juxta judicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati, » et cætera. Assumitur propheta, juxta illud quod scriptum est : « Assumens mansuetos Dominus (*Psal.* CXLVI). »

Sive elevatur a terra, et introducitur ad portam A domus Domini orientalem, ut possit viginti quinque virorum, qui erant in circuitu portæ, et Jezoniæ filii Azur, atque Pheltiæ filii Banaiæ, principum populi sacramenta cognoscere. Hi igitur qui elevant in introitu portæ domus Domini orientalis, desperantes salutem et scelerum conscientia parati ad interitum, nec volentes per pœnitudinem peccata corrigere, dicunt licet nuper post primam captivitatem ædificatæ sint domus, quæ ante corruerant, tamen scimus hanc civitatem esse instar lebetis, nos quoque pro carnibus ut in ea consumamur et concrememur, juxta illud quod scriptum est in Isaia: « Tempestas si transierit, non assumet nos. » Illis ista dicentibus, irruit in Prophetam spiritus Domini et secundo præcepit ut vaticinetur ac dicat: B Quoniam ista dixistis, et cordium vestrorum me secreta non fallunt, ego vobis interpretabor, quomodo civitas in lebetem, et vos in carnes reputemini, non juxta illum sensum, quem locuti estis, sed juxta alterum, quem non timetis. Est quidem civitas in lebetis similitudinem, sed non vestris implebitur carnibus, verum eorum, quos interfecistis. Vos autem, qui arbitramini vos in hac urbe morituros, educam de medio civitatis, et tradam hostium manibus, faciamque in vobis judicia, ut cum cecideritis gladio, nequaquam in urbe nec extra terminos Israel, sed in finibus vestræ provinciæ, tunc cognoscetis quod ego sim Dominus. Hæc autem universa patiemini, quia in præceptis meis non ambulastis, et judicia mea non fecistis, sed cæ- C terarum in circuitu gentium scelera estis operati. Cumque secundum litteram manifestum sit, quod dicitur, omissis parumper Jezoniæ et Azur, Pheltiæ et Banaiæ nominibus, quæ in tempus aliud reservamus, hoc dicendum est, quod usque hodie in ecclesia, quæ est domus Dei, et ante portam et in introitu, sive in via portæ, quæ significat Salvatorem, per quem ingredimur ad Patrem, sunt viginti quinque viri ad sensus cuncta referentes. Et quantum non subterfugit memoriam meam, nunquam in bonam partem hunc numerum potui invenire, licet in Leviticum et sacerdotale ministerium a viginti quinque annis eligantur; in Hebræo enim non habet hunc numerum, qui in Septuaginta dicitur, sed trice- D narium, qui in exordio hujus Prophetæ et Domini continetur ætate, quando venit ad fluenta Jordanis et a Joanne baptizatus est. Sin autem in Evangelio (*Matth.* XXIII) quinque virgines prudentes, et quinque fatuæ reperiuntur, sciamus hunc numerum in medio positum, et pro qualitate utentium, vel ad bonam, vel ad malam partem posse conferri. Hi igitur viri, qui cuncta ad sensus referunt, et habent duos principes, de quibus supra diximus, duali numero continentur, qui scindit unitatem, et in secundæ diei numero non videtur a Domino, juxta Hebraicam veritatem. Unde et in arca Noe bina et bina introducuntur immunda (*Gen.* VII). Dominus scissionem in unum coarctans, fecit utrumque unum, et solvit medium parietem, inimicitias in sua carne condemnans (*Ephes.* II). Unde et augustius quid loquitur atque sublimius: « Ego et pater unum sumus (*Joan.* X), » ut a Judaica dualitate in unionem nos revocet fidei Christianæ. Denique pontificatu perdito Judæorum Dominus patitur nequaquam sub uno principe, sed sub duobus, Anna et Caipha, ut religionis eorum falsum monstraret errorem. Sunt multi in hujus portæ introitu ante domum Domini orientalem, qui vitiis suis nationibus comparantur, et peccatorum conscientia desperant salutem, et dicunt: Civitas in qua versamur, lebes est, et nos omnes carnes, et Babylonio consumemur ardore ejus cujus idola ignita sunt. Nolentes igitur agere pœnitentiam et desperantes salutem, propterea audiunt, quod non ipsi sint carnes præteritæ et perditæ civitatis, sed hi, quos scandalizaverint, quos interfecerint. Et idcirco super eos gladius inducitur, ut postquam in finibus Israel nequaquam inter gentes, sed inter Christianos fuerint judicati, tunc cognoscant, quia ipse sit Dominus, secundum illud quod in Psalmis legitur: « Cum interficeret eos, requirebant eum (*Psal.* LXXVII), » ut quem per beneficia non senserant, per tormenta cognoscant.

« Et factum est cum prophetarem prophetias filius « Banaiæ mortuus est, et cecidi in faciem meam « clamans voce magna, et dixi: Heu, heu, heu, Do- « mine Deus, consummationem tu facis reliquiarum « Israel? » Vaticinante propheta, unus e duobus principibus, Pheltias filius Banaiæ moritur, qui interpretatur ruina declinans. Et est filius structoris sive cœmentarii. Et alter principum servatur incolumis, Jezonias filius Azur. Jezonias *aures ejus sonat*, quod subauditur animæ. Azur vero *fulcrum* sive adjutorium interpretatur. Qui igitur cadendo a Domino declinarat et erat ædificationis pessimæ, recte cadit, prophetante eo quem confortavit Dominus; qui autem præceptis obediebat Dei, et illius sustentabatur ac fulciebatur auxilio, recte in imperio populi permanet. Legimus in Exodo (*Exod.* II) mortuo Pharaone rege Ægypti ingemuisse filios Israel, ab operibus palearum ac lateris, et clamasse ad Dominum, quem illo vivente inclamare non poterant. Isaias quoque mortuo Ozia rege leproso: « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, et seraphim stantia circa eum (*Isa.* VI). » Intelligensque immunda se habere labia, et habitare in populo immunda labia habente, meretur ut de altari carbo mittatur, et labia ejus purget immunda. Hic autem, prophetante fortitudine Dei, princeps, qui a Domini declinaverat servitute, cadit ut elevaretur a Christo. Si enim resurrectio Dominus, ruina diabolus est, in quo quæritur quomodo de Salvatore dicatur: « Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israe (*Luc.* II). » In ruinam eorum, qui stabant pessime, et resurrectionem eorum qui ceciderant. Quod cum Propheta vidisset, cecidit in faciem suam non pec-

cantis merito, sed plangentis affectu. Et voce magna, quæ de magno fidei ardore veniebat, tertio clamavit et dixit: « Heu, heu, heu, Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel? » Et est sensus: Etiam ipsæ reliquiæ quæ esse videbantur in populo te indignante delentur?

« Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, et omnis domus Israel universi, quibus dixerunt habitatores Jerusalem: Longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem. Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia longe feci eos in gentibus, et quia dissipavi eos in terram, ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerint. » Factus est igitur sermo Domini ad Ezechiel, qui dixerat: « Heu, heu, heu, Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel? » in Pheltiæ videlicet morte, et eorum, qui cum eo interfecti sunt, quod nequaquam illæ sunt reliquiæ, quas in Jerusalem putabat Propheta, sed hi, qui in Babylone videbantur esse captivi. Et est sensus: O fili hominis, fratres tui de eadem tecum stirpe generati, fratres, inquam, tui quibus dixerunt habitatores Jerusalem: Vos recessistis a Domino, quia captivi estis, et cum Jechonia vos tradidistis, nobis autem terra Israel data est in æternam possessionem. Dic ergo eis quod longe quidem eos fecerim a terra Israel, et disperserim in nationes, et in alienis terris esse præceperim, sed quia meæ obedierint jussioni sim eis futurus etiam in peregrinis, et hostilibus locis in parvam sanctificationem, dum plerique inveniantur ex eis, qui idololatriæ nequaquam colla submittant, sed memores sint mandatorum Dei, sicut fuerunt Daniel et tres pueri et cæteros fuisse credendum est, in similitudinem tantorum principum, quos Scriptura nunc commemorat. Ex quibus universis discimus non esse insultandum his qui Dei judicio pœnis traditi sunt, nec exprobrandum homini converso a peccatis suis, nec pœnitentibus et egressis de Ecclesia aliquando dicendum, longe recessistis a Domino, nobis data est terra in possessionem, quia hæc dicit Dominus, licet eos parumper a mea Ecclesia separaverim, et inter gentes disperserim, tamen ero eis in sanctificationem modicam, dum meminerint peccatorum suorum. Et qui propter vitia recesserunt de terra sua, propter pœnitentiam ad sedes pristinas redire festinent.

« Propterea loquere: Hæc dicit Dominus: Congregabo vos de populis, et adducam vos de terris in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israel. Et ingredientur illuc. Et auferent omnes offensiones, cunctasque abominationes de illa. Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum. Quorum autem cor post offendicula et abominationes suas ambulat: horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus, » etc.

Loquitur sermo divinus ad eos, qui captivi erant in terra Babylonis, ad fratres Ezechielis prophetæ, et ad propinquos quibus dixerunt habitatores Israel: Longe recessistis a Domino, nobis data est terra in possessionem. Loquitur autem hæc quæ sequuntur: « Congregabo vos de populis, et reddam vobis terram Israel. » Cumque ingressi fueritis, auferetis cuncta idola, propter quæ offenderatis Deum. Et dabo vobis cor unum timoris, et servitutis Dei, ut nequaquam diversis idolis serviatis, sive alterum, quam prius habuistis, et spiritum novum tribuam in visceribus vestris, juxta illud quod scriptum est: « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L). » Et auferam a vobis cor lapideum, id est, cor durum, secundum illud quod loquitur Stephanus primus martyr in Christo: « Dura cervice et incircumcisi corde (*Act.* VII). » Et induratur cor Pharaonis, ne dimittat populum Israel. « Et dabo, inquit, vobis cor carneum (*Exod.* VIII), » molle et tenerum, et quod possit Dei mandata suscipere, ut scribantur in tabulis cordis carnalibus; idcirco autem datur cor molle, et aufertur cor durum, ut in præceptis meis ambulent, judiciaque custodiant, et sint in populo Dei, Dominusque qui prius fuerat adversarius, sit eis in Deum. Qui autem nequaquam pœnitentia priora peccata correxerint, sed ambulaverint post abominationes suas, retribuam, ait, eis, quod merentur, ut viæ eorum ponantur capitibus eorum. Hæc sub Zorobabel filio Salathiel, et sub Jesu filio Josedech sacerdote magno, et sub Ezra et Neemia accidisse tribui Judæ, et his qui cum his reversi sunt, plerique æstimant. Habitatores quoque Jerusalem, qui sub Sedecia rege Judæ capti sunt, vel qui fugerunt cum Jeremia in Ægyptum in omnes terras esse dispersos, et nequaquam reversos in urbem Jerusalem; plena autem conversio eorum qui captivi erant et reliquiarum Israel intelligitur in Christo, quando reliquiæ salvæ factæ sunt, et una die tria millia crediderunt, et iterum quinque millia, et alii, de quibus loquitur Jacobus ad apostolum Paulum: « Vides, frater, tanta millia credentium Judæorum? hi omnes æmulatores legis sunt (*Act.* XXI), » sed et quotidie superbi habitatores urbis Jerusalem, quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, Dei merentur offensam, et hi qui foris erant, ablato corde lapideo, et accepto corde mollissimo, per pœnitentiam revertuntur ad ecclesiam, et ambulant in præceptis Domini, judiciaque ejus custodiunt, fiuntque Domini populus, et Dominus quem prius offenderant fit eis Deus.

« Et elevaverunt cherubim alas suas, et rotæ cum eis. Et gloria Dei Israel erat super ea: Et ascendit gloria Domini de medio civitatis, stetitque super montem, qui est ad orientem urbis: » Paulatim gloria Domini recedit de Jerusalem. Primum templum deserens, stat in atrio vel in limine domus,

postea in introitu portæ orientalis. Novissime, sublatis pennis rotisque sequentibus, stat super montem, qui est ad orientem urbis. Haud dubium quin montem significat Oliveti unde Salvator ascendit ad Patrem. Stabatque gloria Domini, quæ de Jerusalem urbe discesserat, super montem Oliveti in signum resurrectionis et luminis, ut inde perituram arsuramque cerneret Jerusalem. Quodque dicit : « Ascendit gloria de medio civitatis, » aliis verbis loquitur Dominus ad discipulos : « Surgite, abeamus hinc (*Joan.* XIV). » Et ad Judæos : « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » Josephus quoque refert auditam vocem in templo Angelorum, et fortitudinem cœlestium, quæ prius in urbis præsidio erant, « abeamus ex his sedibus. » Mirumque in modum usque in præsentem diem gloria Domini, quæ deseruit templum, stat super montem Oliveti, et in crucis signo rutilans spectat templum, quondam Judaicum in favillas et cineres redactum.

« Et spiritus levavit me, et adduxit in Chaldæam « ad transmigrationem in visione in spiritu Dei. Et sub« lata est a me visio, quam videram. Et locutus sum « ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ os« tenderat mihi. » Pro eo quod nos ex Hebraica veritate transtulimus, « et sublata est a me visio, quam videram, » Septuaginta transtulerunt, « et ascendi a visione quam videram, quod utrumque significat non in corpore per prophetam in Jerusalem de Babylone translatum, sed in spiritu, sublataque visione, quæ eum in spiritu duxerat Jerusalem, et universa monstraverat, quæ superior sermo narravit, reversus est in semetipsum et locutus est, ad transmigrationem omnia quæ ei fuerant demonstrata, videlicet ad eos de quibus supra scriptum est : « Ego sedebam in domo mea, et senes Juda sedebant juxta me. Et cecidit super me ibi manus Domini Dei et vidi. » Mirumque in modum sedentibus his, qui ad se venerant visitandum, visiones mysticas Propheta cernebat, et absens erat ab his, qui coram se sederant, absens spiritu, præsens corpore. Omniaque fiunt ut consolationem recipiant, qui captivi erant, quod reducendi sint in terram Israel, et ambulaturi in præceptis Domini, futurique ei in populum, et ille futurus sit eis in Deum. Qui autem non fuerint conversi ad pœnitentiam, sed ambulaverint post abominationes suas, recipiant quæ fecerunt, verba autem in Scripturis sanctis pro rebus dici sæpe admonuimus.

CAPUT XII.

Exemplo probat Prophetæ angustiam obsidionis Jerusalem, et ejus instantiam.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, in medio domus exasperantis tu habitas, « qui oculos habent ad videndum et non vident, et aures « ad audiendum et non audiunt, quia domus exaspe« rans est, etc. Pro exasperatione quoque dici amaritudine crebro docuimus, ut sit sensus : in medio domus ad amaritudinem convertentis tu habitas, quæ Dominum natura dulcem atque clementem, vi-

A liorum suorum amaritudine, facit amarum atque crudelem. Alioquin de Deo legimus : « Gustate et videte, quia suavis sive dulcis est Dominus (*Psal.* XXXIII). » Habitat autem Propheta in medio populi Deum ad amaritudinem provocantis, qui habet oculos et non videt, aures et non audit, non vitio sensuum, sed pertinacia pravitatis. Unde et Dominus ad Judæos : « Si cæci, inquit, essetis, peccatum non haberetis (*Joan.* IX), » voluntariam cæcitatem in illis arguens atque condemnans. Quia ergo oculos habent ad videndum, et non vident : aures ad audiendum, et non audiunt, et tua verba contemnunt, doce eos per imaginem atque picturam, et schematibus ostende corporeis, ut venturam captivitatem non solum auditu, sed et oculis recognoscant.

B « Tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis, « et migrabis per diem coram his. Migrabis autem « de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, « si forte aspiciant quia domus exasperans est », etc. Nulli dubium quin universa loci hujus continentia futuram captivitatem indicet regis Sedeciæ et tribus Judæ, qui captus est cum Jerusalem. Sed quoniam quidam volunt captivitatem Sedeciæ, qui interpretatur *Justus Dominus*, in typum præcedere Salvatoris, qui de cœlestibus ad terrena descendens humanum corpus assumpserat, et hæc esse vasa captivitatis, ideo præmonendum puto prudentem cautumque lectorem, et hæc quidem nos ponere, ne quid præterire videamur, sed non probare. Neque enim rex impius in figuram potest præcedere ejus, qui totius

C pietatis exemplum est. Captum autem esse Sedeciam a Babyloniis atque Chaldæis, et Jeremias propheta, et Regum narrat historia, et ductum de loco in locum, hoc est, de Jerusalem in Babylonem, et cætera, quæ Ezechiel in consequentibus loquitur. Qui autem referunt ad Dominum Jesum Christum captivitatem ejus et transmigrationem ejus, de loco in locum, descensionem ex cœlestibus ad terrena significari putant.

« Et efferes foras vasa tua, quasi vasa transmi« grantis per diem in conspectu eorum. Tu autem « egredieris vespere coram eis, sicut egreditur mi« grans ante oculos eorum, perfode tibi parietem, et « egredieris per eum, in conspectu eorum. In hume« ris portabis, in caligine effugies, faciem tuam ve« labis et non videbis terram, quia portentum dedi te

D « domui Israel, » etc. Facere jubetur propheta in figura, quæ Sedecias facturus est in veritate. Collige enim sarcinas tuas, hæc enim vasa sunt transmigrantis videntibus eis. Et postquam viderint quæ facturus es, egredieris vespere in similitudinem transmigrantis. Legimus enim Sedeciam nocte muro suffosso fugisse ad deserta Jordanis, ibique a Babyloniis esse comprehensum, et hoc significare perfossum parietem. Quod autem dicit : « In humeris portabis, » subauditur sarcinas tuas, et quidquid ad viæ solacium fugientes portare consueverunt : « in caligine efferes, » ne videaris a quoquam, « faciem tuam velabis, » vel cæcitatem quæ ei accidit; effatis oculis a

Nabuchodonosor, vel ne cognoscatur, quod ipse sit rex et major fiat cura servantium. Quodque sequitur: « Et non videbis terram, » illud significat, quod cæcus ductus sit in Babylonem, eamque non viderit. « Quia portentum, inquit, dedi te domui Israel. » In signum enim et in figuram prophetarum tam dicta quam facta sunt. Unde et in Zacharia viri portentosi vocantur, quia futura portendant. Et in Osea loquitur Deus: « In manibus prophetarum sum assimilatus (*Ose.* XII). » Qui autem volunt in Ezechielis persona Christum intelligi, vasa captivitatis, humanum corpus accipiunt, et perfossum parietem, quo infernorum claustra perfregit, et resurgens a solis credentibus visus est, portatusque in humeris, quando cum angelicis potestatibus ad cœlum ascendit victor. Et quod absconditus egreditur, et velat faciem suam, ne in carne mortali videatur divina majestas. Et non videt terram, ne oculis illius illustretur, quæ ejus non meretur aspectum. « Oculi enim Domini super justos (*Psal.* XXXIII), » et avertit faciem suam ab impiis. Hæc autem, inquiunt, omnia fecisse narratur, ut per similitudinem hominis dura ad fidem Israelitici populi corda converteret, et in portentum datur domui Israel, juxta illud quod scriptum est: « Ecce hic positus est in resurrectionem et in ruinam multorum, et in signum cui contradicetur. »

« Feci ergo sicut præceperat mihi, vasa mea protuli, quasi vasa migrantis per diem, et vespere perfodi mihi parietem manu. In caligine egressus sum, et in humeris portatus in oculis eorum. » Quæ supra jussus est facere opere se complesse testatur, nec interpretatione indiget juxta utramque sententiam quod supra expositum est. Illud autem notandum est, quod uno atque eodem tempore Jeremias prophetabat in Jerusalem, et Ezechiel in Babylone et illius prophetia mittebatur ad captivos; et hujus ad eos qui habitabant in Jerusalem, ut unius in diversis regionibus Dei providentia monstraretur, et intelligerent audientes quæcunque accidebant populo, nequaquam idolorum potestate, sed Domini jussione consistere.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, nunquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans: Quid tu facis? Hæc dicit Dominus Deus: Si te, inquit, interrogaverit domus exasperans, quare ista facis, dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Super principem onus istud, qui est in Jerusalem, et super omnem domum Israel quæ est in medio eorum. Dic: Ego portentum vestrum; quomodo feci, sic fiet illis, in transmigrationem et captivitatem ibunt. Princeps autem, qui est in medio eorum, in humeris portabitur. In caligine egredietur: parietem perfodient, ut educant eum; facies ejus operietur, ut non videat oculis terram. Et extendam rete meum super illum, et capietur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, et ipsam non videbit, ibique morietur. Et omnes qui circa eum sunt, præsidium

A ejus et agmina illius dispergam in omnem ventum, et gladium evaginabo post eos. Et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus, et disseminavero illos in terras. Et relinquam ex eis viros paucos a gladio et fame et pestilentia, ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus ad quas ingredientur. Et scient quia ego Dominus. » (*Hier.*) Primum exponamus historiam. Dic, inquit, ad eos, o fili hominis, qui vel interrogant, vel non interrogant: Quid tu facis hæc? quod super ducem onus istud, et visio sit ei, qui est in Jerusalem, ducem significat Sedeciam. Et dic: « Ego portentum vestrum, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « Ego qui portenta facio, » ut ex præsentibus futura cognoscantur. « Quomodo feci, sic fiet illis, » duci et cunctis qui in comitatu ducis sunt: in transmigrationem Babyloniam
B captivi ducentur; « et dux qui est in medio eorum in humeris portabitur, » vel jumentorum, vel eorum qui cum eo fugerant « in caligine », et in noctis tenebris; « egredietur, murumque suffodient » socii ejus, « ut educant eum; facies ejus velabitur, » vel timore fugientis vel cæcitatis injuria, « ut cæcus terram non videat » Babylonis. « Et ego extendam rete meum super illum, et capietur in sagena mea. » Concedente Domino quippe a Babyloniis captus est. Et hæc quæ ab hostibus passus est fieri, se fecisse testatur. Ductusque in Babylonem, terram Chaldæorum non videbit, ibique captivus morietur. Omnes autem socios ejus et adjutores et comites fugæ, cum ille fuerit comprehensus, huc illucque dispergam,
C nec securos abire permittam, sed in manibus hostium evaginabo gladium meum, ut quando dispersi fuerint in gentibus, intelligant quod ego sim Dominus, et mea cuncta voluntate sint facta. « Et relinquam, inquit, ex sociis » qui cum eo fugerint, et qui evadere potuerint « paucos, » qui gladium et famem et pestilentiam evaserint, ut cum vel fuga vel captivitate, ad diversas pervenerint regiones, narrent omnia scelera sua vel sermone vel exemplo; propter quæ tanta meruerint mala, et intelligant quod ipse sim Deus.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede, et aquam tuam in festinatione et mœrore bibe, et dic ad populum terræ: Hæc dicit dominus Deus
D ad eos qui habitant Jerusalem in terra Israel, Panem suum in sollicitudine comedent, et aquam suam in desolatione bibent, ut desoletur terra a multitudine sua, propter iniquitatem omnium qui habitant in ea: et civitates quæ nunc habitantur, desolatæ erunt, terraque deserta. Et scietis quia ego Dominus, etc. » Post principis et sociorum ejus prophetiam, quæ sub corporali imagine monstrabatur, venit ad populum, et quidquid prophetæ dicitur, per prophetam refertur ad habitatores Jerusalem quod in obsidionis malo panem suum comedant in egestate et angustia, et aquam suam nequaquam in abundantia, sed cum tormento bibant et tribulatione. Hæc autem, inquit, o propheta, di-

cuntur tibi, ut tu loquaris ad populum terræ tuæ, et dicas. Hæc dicit Dominus habitatoribus Jerusalem, quæ est in terra Israel : Obsessi a Nabuchodonosor atque Chaldæis, famis et sitis sustinebitis malum, ut omnis terra cum sua multitudine deleatur. Habitatores significans per eam, quæ inhabitatur. Et ne putent sibi evenire sine causa. Dic, inquit, eis, quod propter scelera eorum et iniquitatem omnes urbes Judææ ad solitudinem redigendæ sint, et universæ terræ cultura dispereat, ut cognoscant Deum sævientem, quem miserantem cognoscere noluerunt. Possumus juxta anagogen habitatores Jerusalem credentes Christo dicere, qui habitant in ecclesia, etsi per peccata illius offensam meruerint, comedant panem cum egestate, et bibant aquam cum mœrore et augustia : non cibum panis, neque potum aquæ, sed famem sermonis et doctrinæ Dei sustinentes. Quando enim vel vitio principum, qui capiendi sunt, et tradendi Babyloniis, vel nostra duritia perdiderimus sermonem Dei, aquasque non meruerimus habere utiles, tunc in dolore et penuria nostrum sumemus cibum, et terra perdet multitudinem credentium, et civitates, quæ in toto orbe intelliguntur ecclesiæ desolabuntur, et terra deserta erit, ut omnes sciant quia offensa sit Domini, quod quidem et in persecutionis tempore intelligere possumus.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, quod est proverbium istud vobis in terra « Israel dicentium, In longum differentur dies, et peribit omnis visio? Ideo dic ad eos, hæc dicit Domi- « nus Deus, Quiescere faciam proverbium istud, ne- « que vulgo dicetur ultra in Israel. Et loquere ad eos, « quod appropinquaverint dies, et sermo omnis visio- « nis. Non enim erit omnis ultra visio cassa, neque « divinatio ambigua in medio filiorum Israel, quia « ego Dominus loquar, quodcunque locutus fuero « verbum, et fiet. Non prolongabitur amplius, sed in « diebus vestris domus exasperans, loquar verbum « et faciam illud, dicit Dominus Deus. » (*Hieron.*) Est autem sensus omnis capituli hic, Supra prophetaverat contra principem, qui erat in Jerusalem, deinde populo famem et ardorem sitis nuntiaverat, esse venturum. Quod multitudo non credens, vetus assumebat, tritumque proverbium : In longum tempus differtur comminatio prophetarum, et omnis visio peribit. Dic ergo, inquit eis, quod nequaquam mea comminatio differatur nec divinatio falsa atque ambigua proferatur in populos, quæ finem habeat incertum. Aut alio dicatur tempore, alio compleatur. Sed nunc vivente te loqueris, et his qui audiunt, verbum quod locutus sum compleatur.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens, Fili « hominis, ecce domus Israel dicentium : Visio quam « hic videt in dies multos, et in tempora longa iste « prophetat, propterea dic ad eos : Hæc dicit Do- « minus Deus : Non prolongabitur ultra omnis sermo « ejus. Verbum quod locutus fuero complebitur, « dicit Dominus Deus. » Significat autem vicinam

A captivitatem urbis Jerusalem, et Sedechiam cum populo Juda jamque capiendum. Non solum autem illo tempore, sed usque hodie vulgus incredulum et dura corda mortalium prophetiam Dei non recipit, sed omnia quæ Prophetæ comminantur, quæ prædicat Evangelium in aliud tempus æstimant differendum. Sciamusque hic parabolam, quæ a Septuaginta ponitur, accipi proverbio juxta illud, quod in psalmo legimus : « Et factus sum eis in parabolam (*Psal.* LXVIII). » Et in hoc eodem propheta : « Quid est vobis parabola ista in populo Israel, dicentium, patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt. » Manifesta perstringimus, ut in obscurioribus immoremur.

CAPUT XIII.

B *Sermo Domini contra falsos prophetas decipientes populum Dei, et contra feminas falsa prophetantes.*

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, vaticinare ad prophetas Israel, qui pro- « phetant, et dices prophetantibus de corde suo : « Audite verbum Domini ; hæc dicit dominus Deus, » etc. Est autem sermo contra pseudoprophetas, qui decipiebant populum, et contra Dei mandata aliud prophetabant. Nec quempiam moveat, quod Prophetæ appellantur. Hanc enim habet sancta Scriptura consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suæ et sermonis prophetam nuncupet. Sicut prophetæ appellantur Baal et prophetæ idolorum, et prophetæ confusionis. Unde et apostolus Paulus, poetam græcum prophetam vocat : « Dixit quidam pro-
C prius eorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri (*Tit.* I). » Et in Osea legimus : « Sicut propheta insaniens homo portans spiritum (*Ose.* IX). » Quidquid autem eo tempore Israelitico populo dicebatur, hoc nunc refertur ad Ecclesiam ut prophetæ sancti sint apostoli, et apostolici viri, prophetæ autem mendaces atque furiosi omnes hæretici, quorum principes ex suo corde confingant. Qui autem ab eis seducti sunt, aliorum mendaciis adquiescant.

« Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum « suum et nihil vident. » Cum prophetarum nomen secundum regulam scripturarum bonis malisque commune sit, in eo differunt, quod boni prophetæ dicuntur esse sapientes, mali autem stulti et insi-
D pientes. Quorum alterum refertur ad ecclesiasticos viros, alterum ad omnes hæreticos, qui spiritum Dei relinquentes, sequuntur spiritum suum, quia nequaquam divino instinctu, sed proprio corde vaticinantur, unde et nihil vident. Qui autem sapiens est non cordis sui cogitationes, sed Dei spiritum sequitur. Juxta illud, quod et in superioribus, animalia et rotæ Dei spiritum sequebantur. Et propheta dicit : « Post Dominum Deum tuum ambulabis (*Ose.* XI). » Et in alio loco : « Deduc me in semita recta (*Psal.* CXVIII) ; » et iterum : « Spiritus tuus bonus, ipse me ducet in terram rectam (*Psal.* CXLII). » Et populo Dei columna ignis et nubes erat dux in solitudinem (*Exod.* XIII). Et Jeremias loquitur : « Non laboravi se-

quens te (*Jer.* XVII). » Quis autem hæreticorum, qui sequitur spiritum suum, non impingat in tenebras et cæcus cæcos ducat in foveam. Imo licet sibi in mysteriis, imo orgiis suis plura ecclesiasticis doctoribus videre videantur, tamen nihil omnino vident, quia solem justitiæ perdiderunt: frustraque imitantur eos, qui prius vocabantur videntes, et quibus dicitur : « Qui vides, vade, recede in terram Juda et in Bethel non prophetabis (*Amos.* VII). » Quamobrem visio Isaiæ et Abdiæ ponuntur in titulis. Et Dominus Apostolis præcepit : « Levate oculos vestros et videte (*Joan.* IV) » Et Propheta suppliciter deprecatur : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (*Psal.* CXVIII). »

« Quasi vulpes in desertis prophetæ tui, Israel. « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die « Domini. Vident vana et divinant mendacium dicentes, ait Dominus, cum Dominus non miserit « eos, et perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis et divinationem « mendacem locuti estis, et dicitis, ait Dominus, cum « ego non sim locutus, » etc. Dicamus primum juxta Hebraicum prophetæ Israel similes vulpium sunt; quotidie domesticarum avium furta facientes, qui habitant juxta Aquilam et Septuaginta « in desertis, » juxta Symmachum atque Theodotionem « in parietinis et ruinosis, » qui non possunt ascendere ex adverso, neque murum pro domo Israel opponere. Legimus (*Num.* XVI) Aaron adversum ignem Israel populum devorantem, occurrisse et stetisse medium, et opposuisse se murum pro salute populi. Jeremiæ quoque dicitur, ne occurrat Domino, neque stet contra iram ejus orationis perseverantia. Sicut enim murus hosti opponitur, et adversario occurri solet ex adverso contraque venienti, ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur. Unde et Moysi dicitur : « Dimitte me, et delebo populum istum (*Exod.* XXXII). » Cui enim dicitur, « dimitte me, » ostenditur, quod tenendi habeat facultatem. Isti stare non possunt in prælio in die Domini, ut pro populo precibus dimicent, et resistant obsecrationibus sententiæ Dei. Quia igitur vana conspiciunt et divinant mendacium, et a Domino missos esse se dicunt, cum non sint missi a Deo, et perseverant in erroribus, et suum cupiunt firmare sermonem, arguuntur quod omnia sint cassa, quæ prædicant, suum mendacium Domini sermonem esse dicentes : « Propheta, inquit, super prophetas Israel qui prophetant, et dices prophetis. » (*Orig.*) Quomodo opus Prophetarum erat hæc dicere, quæ jubebantur; sic eodem spiritu opus est ei, qui exponere cupit, ea quæ sunt latenter significata, ut monstret nunc ad eos fieri prophetiam, qui contra Dei docent voluntatem, qui prophetant de corde suo. Juxta simplicem quidem intellectum quidam prophetarum de divino Spiritu loquentes, non de suo corde locuti sunt, sed de sensu Dei. Quidam vero simulantes se Prophetas atque dicentes : Hæc dicit Dominus, Domino non loquente in eis pseudoprophetæ exstiterunt. Potest autem et super eos, qui docent in ecclesiis, si aliter quam poscit veritas, docent, præsens sermo congruere. Si quis enim ea, quæ Jesus Christus Dominus locutus est, et intellexit in eo sensu, quo locutus est ipse, qui docuit, non de corde suo, sed de Spiritu sancto loquitur sermones filii Dei Jesu, si consentit Spiritus sanctus voluntati ejus, qui in apostolis locutus est. Si quis vero legens Evangelium proprium sensum aptat Evangelio, non ita intelligens ut Dominus locutus est : iste falsus propheta est, loquens de corde proprio in Evangelio : « Sicut vulpes in deserto, prophetæ tui, Israel. » Animal vulpis nequam est, versutum est, indomabile est, ferum est. « Dicite, ait Salvator, vulpi isti : Ecce sanationes perficio hodie et cras, et tertia die consummor (*Luc.* XIII). » Has vulpes necessarias habuit adversum alienigenas Samson (*Jud.* XV), quarum caudis cum fune vinctis (trecentas enim ceperat), in perditionem eas frugum misit bestiilium, istiusmodi sunt falsi magistri, versuti, maligni, et bestiis similes, si talis sum, vulpis sum. Sed non simpliciter vulpis, verum vulpis in desertis, vulpis in parietinis, vulpis in rupibus. Hæ enim in diversis seditionibus continentur versipelles. Versipelles isti et nequam semper in desertis, semper in solitudinibus morantur. Ubicunque enim anima habitatur a Deo et in Spiritu sancto plena est, non potest ibi hæreticorum doctrina penetrare, non valet eorum sermo prorumpere. Ubi autem solitudo Christi est, ubi desertum justitiæ, ibi nequissimæ disciplinæ venena versantur. Idcirco, sicut vulpis ait in desertis, Prophetæ tui, Israel, non steterunt in firmamento. Si considerare volueris falsos magistros, videbis eos infirmos instabiles, non valentes dicere : « Statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos (*Psal.* XXXIX). » Et quia non sunt tales, ut steterint robusta radice fundati, ideo non steterunt in firmamento, sed direxerunt movere pedes suos. (*Hieron.*) Omnes hæretici propter fraudulentiam ac nequitiam vulpium similes sunt. De quibus Salvator loquitur. Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos. Et de Herode scriptum est : « Dicite vulpi huic. » Et de iisdem vulpibus, quæ parvulos simplicesque decipiunt, et populantur vineam Christi, Salomon loquitur : « Capite nobis vulpes parvulas, dissipantes vineas (*Cant.* II). » Et in psalmo, super his qui eorum fraudulentia supplantantur, canitur : « Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* LXII). » Hi prophetæ, qui vulpium similes sunt, nec steterunt in firmamento, nec cum Petro audire meruerunt : « Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » « Non ascendistis, inquit, ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. » (*Greg.*) Ex adverso quippe ascendere est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in Die Domini stare, est in prælio pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud .

quam tacendo terga præbuisse? Qui nimirum si pro A grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursum delinquenti populo dicitur : « Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperuerunt iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. » Prophetæ quippe in sacro eloquio nonnunquam Doctores vocantur. Qui dum fugitiva esse præsentia judicant, quæ sunt ventura manifestant; quos divinus sermo falsa videre redarguit. Quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt : clavis quippe apertionis sermo correptionis est, qui increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetravit. Falsi enim prophetæ, juxta Septuaginta, congregaverunt B greges super domum Israel, hoc est insipientium multitudinem contra domum Dei. (*Hieron.*) Nec surrexerunt ipsi, nec alios suscitare potuerunt, sed quæcunque egerunt et agunt, plena mendaciis sunt. Quodque sequitur, « Et cœperunt suscitare sermonem, » illud significat quod velint quidem consurgere, et se ad excelsa sustollere, sed quod cupiant implere non possint. Diciturque eis : « Nonne visionem falsam vidistis, et divinationes vanas locuti estis? » (*Orig.*) Non ergo resurrexerunt, hoc est, necdum resurrectionis baptisma consecuti sunt, falsi prophetæ et falsi magistri; quæ dicunt a Domino videntes falsa sunt, neque aliquando possunt conspicere veritatem. Accipe exemplum : qui scripturam legit, et aliter eam, quam scriptum est accipit, scripturam C mendaciter videt. Qui vero audit scripturam, et sicut veritatis intellectus habet, sic eam interpretatur, videt veritatem. Et sancti quidem non divinant : « Non enim divinatio in Jacob (*Num.* XXIII) ; » peccatores vero divinant falsa, dicentes : « Hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos. » Audi hæreticos, quomodo traditionem apostolorum habere se dicant; audi falsos magistros, quomodo affirment doctrinam suam, Domini esse doctrinam, et sensum suum, sensui congruere prophetarum, et dicunt : « Hæc dicit Dominus, et Dominus non misit eos. » « Et cœperunt suscitare sermonem ; nonne visionem falsam vidistis ; » et hi enim volunt in defensionem sui quemdam pro se suscitare sermonem. Sed arguit eos D Dominus, et dicit, « nonne visionem falsam vidistis, et divinationes vanas locuti estis? Et dixistis, Dicit Dominus, et ego non sum locutus. »

« Propterea hæc dicit Dominus Deus, quia locuti « estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad « vos, ait Dominus Deus. Et erit manus mea super « prophetas, qui vident vana et divinant mendacium, « in concilio populi mei non erunt, et in Scriptura « domus Israel non scribentur, nec in terram Israel « ingredientur. Et scietis quia ego sum Dominus « Deus. » (*Hieron.*) Sub prophetarum persona sermo contra hæreticos est, qui loquuntur vana, et vident mendacium. Et perseverant suam adfirmare doctrinam, quod ipse Dominus contra eos veniat atque consurgat, et extendat manum suam super illos ad percutiendum, et non contrahat ad parcendum, et comminatur, quod non sint in concilio populi Dei futuri, nec in Ecclesia ejus, sed in synagoga diaboli, nec scribantur in domo Israel. De quibus in alio loco dicitur : « super terram scribantur, » non in terra Israel, quæ terra viventium est. Et de qua nunc dicitur, « nec in terram Israel ingredientur, » sed in terra mortuorum et umbra mortis. Ut postquam ista perpessi fuerint, separati a cœtu populi Dei, intelligant quod ipse sit Dominus.

« Eo quod deceperint populum meum dicentes, « Pax, et non est pax. Et ipse ædificabat parietem. « Illi autem liniebant eum luto absque paleis : dic ad « eos, qui liniunt absque temperatura, quod casu- « rus sit. Erit enim imber inundans, et dabo lapides « prægrandes super irruentes, et ventum procellæ « dissipantem. Siquidem et ecce cecidit paries. Num- « quid non dicetur vobis, Ubi est litura quam levi- « stis? Propterea hæc dicit Deus, Et erumpere faciam « spiritum tempestatum in indignatione mea. Et im- « ber inundans in furore meo erit, et lapides gran- « des iræ in consummationem. Et destruam parie- « tem, quem levistis absque temperamento. Et æquabo « eum terræ. Et revelabitur fundamentum ejus. Et « cadet et consumetur in medio ejus, et scietis quia « ego Dominus. Et complebo indignationem meam in « pariete, et in his, qui liniunt eum absque tempe- « ramento, dicamque vobis, Non est paries, et non « sunt, qui liniunt eum, prophetæ Israel, qui pro- « phetant ad Jerusalem. Et vident ei visionem pa- « cis. Et non est Pax, dicit Dominus Deus, etc. » Prophetæ Israel qui non erunt in concilio populi Dei, nec scribentur in scriptura domus Israel, nec terram repromissionis intrabunt. Ideo ista patientur, quia deceperunt populum meum pro rigore pœnitentiæ, et conversionis injuria, pacem eis et prospera nuntiantes, secundum illud, quod alibi dicitur : « Pax, pax, et non est pax (*Jer.* VIII). » Deus itaque metaphoricos ædificabat eis per legis mandata, sanctorumque prophetarum eloquia et comminationes, maceriam. Hoc enim verbum Hebraicum significat *his*, ut omnem ab illis incursionem bestiarum, et hostilem impetum submoveret, dum conversi ad Deum hoc quasi muro et pariete firmissimo cingerentur. Pseudoprophetæ vero non semel, sed frequenter pollicebantur eis pacem. Hoc enim repetitus pacis sermo significat : « Dic, inquit, ad eos, » qui illis vana promittunt, et cassum pollicentur auxilium, quod casurus sit iste paries et hæc maceria. « Et immittam imbrem vehementissimum. » Hostes videlicet sævissimos, Babylonios autem Chaldæosque significat. « Et lapides grandinis desuper irruentes. » Omnia per metaphoram, quo instabilem maceriam subitus turbo subvertat et subruat. Et postea dicatur eis, id est, pseudoprophetis, Ubi est litura, quam levistis, et ubi, quod polliciti estis auxilium? Quidquid autem de pseudoprophetis diximus, et ad hæreticos referri potest. Quod omnia eorum figmenta Dei ira solvan-

tur; et ædificatio pessimorum dogmatum, quæ Spiritus sancti non habet condimentum corruat, et usque ad fundamenta et pulverem dilabatur, et æquetur ipsa maceria terræ, et cadat, et consumantur prophetæ, qui promittebant, et populus cui promittebatur in medio ejus. Ut postquam compleverit indignationem suam, et dixerit eis: « Non est iste paries, » hoc est, non est vestra defensio, et non sunt qui liniunt eum, sed omnia vana sunt, et in nihilum proficientia: « Tunc tempore cognoscatis, quod ego sum Dominus. » Ut autem sciamus, qui sunt isti, qui liniunt parietem, sequitur: « Prophetæ Israel, » hoc est pseudoprophetæ, « qui prophetant ad Jerusalem, et vident ei visionem pacis, » isti sunt causa peccati et ruinæ et stultæ securitatis. « Non enim erit pax, dicit Dominus. » Quia Dominus non misit eos, nec est locutus ad eos. Hoc quod Septuaginta transtulerunt. « Et super juncturas eorum, » in Hebraico non habetur. Significat autem juncturas lapidum in pariete vel adminicula lignorum, quibus parietes roborantur. Necnon illud, quod supra legimus, ipse ædificabat vel ædificat parietem, plerique ad populum referunt Israel, qui vanum sibi vel Ægyptiorum, vel pacis auxilium promittebat.

« Et tu, fili hominis, pone faciem tuam contra « filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, et va- « ticinare super eas, et dic: Hæc dicit Dominus Deus: « Væ his, qui consuunt pulvillos sub omni cubitu « manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ « ætatis ad capiendas animas. Et cum caperent ani- « mas populi mei, vivificabant animas eorum. Et vio- « labant me ad populum meum propter pugillum « hordei et fragmentum panis, ut interficerent ani- « mas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ « non vivunt, mentientes populo meo credenti men- « daciis. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce « ego ad pulvillos vestros, quibus vos capitis animas « volantes, et disrumpam eos de brachiis vestris. Et « dimittam animas, quas vos capitis, animas ad vo- « landum: Et disrumpam cervicalia vestra, et libe- « rabo populum meum de manu vestra, neque erunt « ultra in manibus vestris ad prædandum. Et scie- « tis, quia ego Dominus: pro eo, quod me mœrere « fecistis cor justi mendaciter, quem non contrista- « vi, et confortastis manus impii, ut non revertere- « tur a via sua mala et viveret. Propterea vana non « videbitis et divinationes non divinabitis amplius, et « eruam populum meum de manu vestra, et scietis « quia ego Dominus, » etc. Supra ad prophetas divinus sermo directus est, qui luto liniebant parietem, quod paleas non haberet, nec ullum posset parieti sive maceriæ robur tribuere. Nunc adversus filias populi prophetissas jubetur faciem suam ponere sive dirigere, et ut Septuaginta transtulerunt, « obfirmare. » Quomodo autem adversum prophetas alii pseudoprophetæ inspirabantur diabolico spiritu ut Dei mandata subverterent, ita adversum prophetissas, qualis fuit Debora (*Judic.* V), et Olda (*IV Reg.* XXII), et in Actibus apostolorum Philippi evangelistæ quatuor filiæ prophetantes (*Act.* XXI), inspirabantur dæmonico spiritu, hujus sexus aliæ, quarum fuit Prisca et Maximilla, quæ vaticinatione mendacii fidem subverterunt veritatis. Has autem dicunt Hebræi maleficis artibus eruditas per necromantias et pythicum spiritum, qualis fuit illa, quæ visa est suscitasse animam Samuelis (*I Reg.* XXVIII); et in Actibus apostolorum, cujus divinatio multos dominis reditus adquirebat. De qua per apostoli Pauli imperium immundus ejectus est spiritus (*Act.* XVI). Nos autem ita dicemus alios hæreticos falsitate dogmatum suorum prædicare virtutem, quorum fuit Pythagoras et Zeno, a quo Stoici, Indorum brachmanes et Æthiopum Gymnosophistæ, qui ob victus continentiam miraculum sui gentilibus tribuunt. Recteque dicuntur parietem linire, et aliquam fortitudinem polliceri, sed quia Christum non habent condimentum, vanus est eorum labor, « et peritura ædificatio. « Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI). » Alii autem voluptatum libidinisque doctores dicuntur consuere pulvillos et ponere sub omni cubitu manus, Epicurei et Pyrrhonii, et apud nos Jovinianus et Eunomius, qui dicunt: « Manducemus et bibamus, cras enim moriemur (*Isa.* XXII). » Jubetur ergo propheta ponere sive obfirmare faciem suam contra filias populi sui. Primumque dicendum quid sibi velit posita facies sive directa, et obfirmata; nempe illud, quod de Domino scriptum est: « Facies Domini super facientes mala, ut disperdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII). » « Sicut enim liquescit cera a facie ignis, sic pereunt peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII). » Væ igitur his hæresibus hisque doctrinis, quæ requiem pollicentes omnem ætatem sexumque decipiunt, ut capiant animas miserorum, et contaminent omnem populum meum, dum credor diligere voluptatem, et hoc non propter corum et hemicorum hordei, ut in Ose legimus, sed propter pugillum hordei, quo bruta vescuntur animantia, et fragmenta panis; non panem integrum, id est, solida testimonia Scripturarum, sed quæ hæretica pravitate fracta et decurtata atque imminuta sunt, ut sanctos quoque decipiant et ad mortem trahant, et peccatores vanis promissionibus vivificare contendant. Propterea clemens et misericors Deus non ipsas prophetissas interficit, sed disrumpit pulvillos earum, qui instar retium volantes capiunt animas, ut postquam rupta fuerint liberam volandi habeant facultatem. Et scindent velamina sive cervicalia, in quibus principale animæ recumbebat, et quibus deceptorum capita operiebantur. Cum Apostolus doceat virorum capita non velanda, sed revelata facie gloriam Domini contemplandam. Vos enim, inquit, falsis terroribus servientium Deo animos frangebatis, et promissionibus fraudulentis impios tenebatis inclusos, ne agentes pœnitentiam, vitam reciperent quam perdiderant, propterea vanas nequaquam videbitis visiones, nec vocabo vestra mendacia prophetias, sed

divinationes. De quibus scriptum est : « Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel (*Num.* xxiii). » « Ut eruam populum meum de manibus vestris, ut opere cognoscatis me esse Dominum, qui perditos liberavi [*Greg., de Cura pastorali, p.* ii, *cap.* 8]. » Quia nimirum amor proprius cum rectoris mentem ceperit, aliquando hanc inordinate ad mollitiem, aliquando vero ad asperitatem rapit. Ex amore etenim suo mens rectoris in mollitiem vertitur, quia cum peccantes subditos respicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non præsumit. Nonnunquam vero errata subditorum, quæ increpare debuerat adulationibus demulcet. Unde per Prophetam dicitur : « Væ his, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas. » Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere est cadentes a sua rectitudine animas atque in hujus mundi se dilectione reclinantes blanda adulatione refovere. Quasi enim pulvillo cubitus vel cervicalibus caput jacentis excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat, sed hæc rectores qui semetipsos diligunt, his procul dubio exhibent, a quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. Nam quos nihil contra se valere conspiciunt, hos nimirum asperitate semper rigidæ invectionis premunt; nunquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti jure dominationis terrent, quos recte per Prophetam divina vox increpat, dicens : « Vos autem cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia (*Ezech.* xxxiv), » plus se suo auctore diligentes, jactanter erga subditos se erigunt, nec quid agere debeant, sed quid valeant attendunt, nihil de subsequenti judicio metuunt improbe de temporali potestate gloriantur, [libet ut licenter illicita faciant, et subditorum nemo contradicat. Qui ergo et prava studet agere, et tamen ad hæc vult cæteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus se veritate appetit diligi, quam contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita vivat, ut aliquatenus non delinquat. Ille ergo seipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veritatem parci. Hinc etenim Petrus increpationem Pauli libenter accepit. Hinc David increpationem subditi humiliter audivit. Quia rectores boni dum privato diligere amore se nesciunt, liberæ puritatis verbum a subditis obsequium humilitatis credunt. Sed inter hæc necesse est, ut cura regiminis tanta moderaminis arte temperetur, quatenus subditorum mens cum quædam recte sentire potuerit, sic in vocis libertatem prodeat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat, ne dum fortasse immoderatius linguæ eis libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. Sciendum quoque, quod oporteat, ut rectores boni placere hominibus appetant, sed ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, A sed ut dilectionem suam, quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem conditoris introducant. Difficile quippe est, ut etiam quamlibet recta denuntians prædicator qui non diligitur libenter audiatur. Debet ergo, qui præest, et studere se diligi, quatenus possit audiri. Et tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei, cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens : « Sicut et ego per omnia omnibus placeo (*I Cor.* x). » Qui tamen rursus dicit : « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* i). » Placet ergo Paulus, et non placet, quia in eo, quod placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quærit.

B

CAPUT XIV.

Propter hominum immunditias non prædicat eis, nec a prophetis nec a plagis liberantur.

« Et venerunt ad me viri seniores Israel, et sederunt coram me. Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, et scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam. Nunquid interrogatus respondebo eis ? Propter hoc loquere eis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Homo homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam, interrogans per eum me, ego C Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum, ut capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis. Propterea dic ad domum Israel : Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini et recedite ab idolis vestris, et ab universis contaminationibus vestris, avertite facies vestras, quia homo homo de domo Israel, et de proselytis quicunque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit in Israel a me, et posuerit idola sua in corde suo, et scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, et venerit ad prophetam, ut interroget per eum me, ego Dominus respondebo ei per me, et ponam faciem meam super hominem illum, et faciam eum in exemplum et in proverbium, et disperdam eum D de medio populi mei, et scietis quia ego Dominus. Et propheta cum erraverit et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum. Et extendam manum meam super illum, et delebo eum de medio populi mei Israel, et portabunt iniquitatem suam. Juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit, ut non erret ultra domus Israel a me, neque polluatur in universis prævaricationibus suis, sed sit mihi in populum, et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum, » etc. (*Hieron.*) Postquam locutus est ad prophetas, qui prophetabant de corde suo, et liniebant parietem absque temperamento, et ad prophetissas quæ consuebant cervicalia, et ponebant sub omni

cubito manus, faciebantque velamina; et operiebant capita universæ ætatis, per quæ perversorum dogmatum doctrina monstratur, venerunt ad prophetam non omnes senes, ne cuncti viderentur errare, sed quidam seniorum Israel, et sederunt coram propheta, quam ob causam venissent interim silentio differentes. Statimque Dei sermo factus est ad prophetam, indicans cur adessent. Neque enim naturæ hominis est, quamvis sancti cordis arcana cognoscere, unde de solo dicitur Salvatore : « Videns autem Jesus cogitationes eorum dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? (*Matth.* IX.) Et est sensus : Fili hominis, isti viri qui coram te sedent, posuerunt immunditias suas in cordibus suis, sive cogitationes. Et juxta Symmachum et Theodotionem « idola et scandalum, » id est, ruinam atque tormentum iniquitatis suæ, posuerunt contra faciem suam, et sic ad sciscitandum Domini venere sermonem. Nunquid hujuscemodi hominibus debeo respondere, qui cum cogitationibus pristinis ad me veniunt, ne hoc quidem tempore impietatis suæ scelera relinquentes, sed credentes idolis et divinationibus fraudulentis, et habentes ruinam iniquitatis contra faciem suam, atque tormentum, dum meliora desperant, et parati sunt ad supplicium, et sic mea per te cupiunt verba cognoscere? Qui igitur perverso ad te corde venerunt, responde eis, non ex persona tua, ne levis sit auctoritas respondentis, sed ex meo imperio. Et dices ad eos : « Hæc dicit Dominus Deus. » Est enim totius loci, ut latam explanationem brevi sermone comprehendam ista sententia : Homo homo, non aliarum gentium, quarum error potest habere veniam, sed domus Israel, qui cum pristinis vitiis, de quibus supra diximus, ad prophetam venerit sciscitandum, ego respondebo ei juxta cor et immunditias suas, ut juxta quod vult et credit, ita audiat. Non enim meretur correctionem, qui non discendi, sed tentandi animo interrogat. Recesserunt enim a me, et idola sunt secuti. Brevisque ista est comminatio, ut recedant ab idolis cogitationibusque perversis. Et convertantur ad me propria scelera relinquentes. Non enim meretur audire veritatem, qui fraudulenter interrogat, sed suo corde capiendus est, secundum quod Scribæ et Pharisæi interrogantes Dominum, imo tentantes, audiunt : « Quid me tentatis? (*Matth.* XXI.) » Et rursum : « Nec ego vobis dicam, in qua virtute hæc faciam (*Ibid.*). » Qui autem talis homo est, et sic interrogat, ponit Deus faciem suam super illum, sive confirmat, ut austeritate vultus frontis duritia molliatur, et sit in exemplum et in proverbium, sive in sollicitudinem et in interitum, ut illo perdito de populo Dei, cognoscant cæteri quod ipse sit Dominus, qui cordis arcana cognoscit, et perversitatem mentis intelligit, nec considerat loquentium verba, sed corda. Quodque sequitur : Et videtur facere quæstionem, « propheta cum erraverit et locutus fuerit verbum : ego Dominus decepi prophetam illum, » non putemus de vero propheta dici, sed de pseudopropheta, qui συνωνύμως propheta appellatur. Et de illo Scripturarum loco solvi potest, quando Achab rex Israel vadens ad prælium non vult audire Michæam prophetam, sed pseudoprophetarum consiliis acquiescit, dicitque Michæas quod viderit Dominum sedentem in solio, et erroris spiritum ultro se obtulisse, ad decipiendum regem. Diabolus quoque in volumine Job circumiens terram stare dicitur in conspectu Dei. Et in substantiam primo Job, deinde in corpus ejus accipere a Domino potestatem. Sed et Balaam hariolus a Domino mittitur, ut decipiat Balaac filium Beor. Hoc autem totum dicitur, ne pseudoprophetarum fortitudini reputetur, quod decipitur populus, et magis vult audire mendacium, quam veritati aurem accommodare, sed quod Dei iræ sit ut perversus populus et incredulus magis pseudoprophetas audiat, quam prophetas. Denique extendit manum suam super eum, subauditur prophetam. Et deletur de medio populi ejus, ut portet iniquitatem suam, quia similis erroris, et pœna consimilis sit, ut tam ille qui interrogat, quam ille qui interrogatur, portent iniquitatem suam, et nequaquam domus Israel eorum, qui Dei verba audire voluerint perversis vaticinationibus illudatur, sed populus Dei, et ipse Dominum Deum habere mereatur. In eo, quod dixit : « Ego Dominus decepi illum. Salomonis verba consentiunt, qui de Deo disputans, ait : « Et illusoribus illudet (*Prov.* III). » Illudque testimonium : « Si ambulaverint ad me perversi, et ego ambulabo contra eos in furore perverso (*Levit.* XXVI). Quodque secundo dicitur, « Homo homo filiorum Israel et advenarum, qui juncti sunt eis, » duplicem in nobis juxta Apostolum ostendit hominem, interiorem et exteriorem. Multi enim habentes hominis faciem corporalem diversarum bestiarum assumunt imagines, quas dissipari Propheta cupiens deprecatur : « Domine, in civitate tua imaginem eorum dissipabis (*Psal.* LXXII). » Illi de quibus scriptum est : « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII), » non sunt homines homines, sed homines sunt jumenta. Rursum qui in Evangelio audiunt : « Serpentes, genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? » (*Matth.* XXIII.) Non sunt homines homines, sed sunt homines serpentes. Et de quibus scriptum est : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos (*Matth.* VIII), » et de Herode : « Dicite vulpi huic (*Luc.* XIII), » non sunt homines homines, sed homines vulpes. Qui vero utrumque hominis vocabulum possident, si erraverint, ideo per supplicia corriguntur, ut intelligant quod ipse sit Dominus.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans extendam manum meam super « eam, et conteram virgam panis ejus, et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem « et jumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio « ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quod

« si et bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam, et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias, tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio, Transi per terram, et interfecero de ea hominem et jumentum, et tres viri isti fuerint in medio ejus. Vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios nec filias, sed ipsi soli liberabuntur. Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam de ea hominem et jumentum, et Noe, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi in justitia sua liberabunt animas suas, quoniam hæc dicit Dominus Deus : Quod si quatuor judicia mea pessima, gladium, et famem, et pestilentiam, et bestias malas, misero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus, tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias. Ecce ipsi egredientur ad vos, et videbitis viam eorum et adinventiones eorum, et consolabimini super malo, quod induxi in Jerusalem in omnibus quæ importavi super eam, et consolabuntur vos, cum videritis viam eorum, et adinventiones eorum, et cognoscetis quia non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus. » Quatuor plagæ inducuntur super terram prævaricatricem, sive, ut Septuaginta transtulerunt, peccatricem : fames, bestiæ, gladius et pestilentia, quarum si singulæ per partes inductæ fuerint singulis regionibus, et tres viri isti Noe et Daniel et Job, quorum justitia Scripturarum vocibus prædicatur, pro terra peccatrice fuerint deprecati, non solum illam salvare non poterunt, sed ne filios quidem et filias suas, si terræ peccatricis opera perpetrarint, sed seipsos tantummodo poterunt liberare. Quæritur cum et Abraham et Isaac et Jacob, Moyses quoque et cæteri Patriarchæ et Prophetæ justi fuerint, cur horum tantummodo fiat mentio : quod facile solvitur. Noe enim imminens orbi terrarum diluvium, quod omnis terra polluerat vias Domini, differre non potuit, sed filios, qui forsitan ejusdem virtutis erant, ob seminarium humani generis habuit reservatos. Daniel quoque imminentem captivitatem populi Judæorum, nullis fletibus mitigavit. Sed et Job non ob peccata, sed ob probationem, nec domum, nec filios liberavit. Alii autem dicunt, quod hi tantum tres viri, et prospera et adversa, et rursum prospera conspexerunt, idcirco pariter nominatos, et hoc latenter significari, ut quomodo illi et bona et mala, et rursum læta viderunt : sic et populum Israel, qui prius bonis fruitus fuerat, et postea captivitatis sustinuit jugum, si egerit pœnitentiam redire ad pristinam salutem. Quod si Noe et Daniel et Job pariter congregati et in uno loco positi, peccatricem terram, hoc est eos

A qui in terra habitant, non possunt iræ Dei subtrahere., quid dicendum est de his, qui putant merito parentum atque virtutibus posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari ? Unde nec prævaricatorem filium martyr pater poterit liberare ; nec sanctæ conversationis mater impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ. Et e contrario « parentum vitia filiis non nocebunt, sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech*. XVIII). » Loth in Sodomis habitans, sed et spiritu et carne peregrinus, uxorem quæ post tergum respexerat, non liberavit, sed tantum filias, quæ forsitan non peccaverant. Et Josias vir sanctus, non solum peccatorem populum suis virtutibus non salvavit, sed et ipse in peccatis illius mortuus est. Quod si aliquando propter Abraham et David, in

B posteros eorum misericordiam suam Dominus pollicetur, notandum quod non his parcat, si in sceleribus perseverent, sed qui agunt pœnitudinem, ut merita patrum filiorum adjuvet conversio. Cum, inquit, se ita hæc habeant, et terram peccatricem a singulis plagis tantorum virorum non salvet deprecatio, sic dicit Dominus : Quia Jerusalem nefanda peccavit, quatuor simul plagas inducam super eam : gladium quo ab hostibus trucidatur, et famem quam in obsidionem sustinet, et bestias quibus fugientes in desertis et saltibus devorantur, et pestilentiam, quæ semper famem ac penuriam sequitur, pro qua vulgata editio mortem transtulit. Hæc autem, inquit, inducam super eam, ut nec homines in ea remaneant nec jumenta. Et tamen pro mea clementia, quatuor si-

C mul imminentibus plagis et cuncta vastantibus, relinquam in ea aliquos, qui educant filios suos et filias, et captivi huc veniant : hoc est in Babylonem et in Chaldæam. Ut cum videritis eos et opera eorum perspexeritis, tunc intelligatis juste eos captos, et meam justam fuisse sententiam, et habeat consolationem vestra captivitas, dum intelligitis idcirco me eos de gladio, fame, bestiis et pestilentia liberasse, ut eorum perversitate, merito discatis eorum subversam Jerusalem, templumque succensum et populum ductum esse captivum, præter eos, quos gladius, fames, bestiæ, pestilentiæque consumpserint. Hæc dicta sint de illa Jerusalem, cui prophetante Ezechiele apud Chaldæos appropinquavit captivitas. Cæterum et super nostram terram, cui dicitur : « Terra es, et in

D terram ibis (*Gen*. III), » et super nostram Jerusalem singulosque credentium, si Dei mandata contempserint, et prævaricatores meruerint appellari, inducetur fames : non fames panis neque sitis aquæ, sed fames audiendi verbum Dei. Inducetur et gladius, de quo legimus : « Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. » Et ad Mariam : « Tuam quoque animam pertransibit gladius (*Luc*. II). » Inducentur et bestiæ : quibus ne tradatur justus, postulat : « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Psal*. LXXIII). » Inducetur et pestilentia, pro qua Septuaginta mortem interpretati sunt, de qua scriptum est : « Mors peccatorum pessima est (*Psal*. XXXIII). » Et : « Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech*. XVIII). » De

quibus cunctis, nec spiritalium parentum, quos magistros intelligimus doctrina, nec principes poterunt liberare, nisi filiorum fuerit adsensus, et illorum obsecrationes suis conatibus juverint. Justitia enim justi erit super eum, et iniquitas iniqui in ipso commorabitur. « Unusquisque peccato proprio morietur, et justitia sua salvabitur. » Frustraque dicunt Judæi: « Abraham pater noster (*Joan.* VIII) », cum opera Abraham non habeant. Quod si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus. Maledictus enim omnis homo qui spem habet in homine, » quamvis sancti sint, quamvis Prophetæ. Legimus: « Nolite confidere in hominibus (*Psal.* CXLV). » Et iterum: « Bonum est A confidere in Domino, quam confidere in principibus (*Psal.* CVII). » Non in principibus tantum sæculi, sed et in principibus ecclesiarum, qui suas animas tantum, si justi fuerint, liberabunt. Filios autem ac filias, quos in Ecclesia genuerint, si fuerint negligentes, salvare non poterunt. Et tamen Apostolus loquitur: « Si cujus opus arserit, ipse salvus erit. Sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III). » Manus autem super terram prævaricatricem extenditur, ut virga sive fortitudo panis conteratur; quæ extenta minatur plagas, nolente qui eam extendit, et sublevat percutere peccantes, sed extensione terrere, et territos conservare.

LIBER SEPTIMUS.

Septimus liber initium habet ab illa similitudine, B qua Dominus Jerusalem comparat ligno vitis infructuosæ; et sic illi exprobrans abominationes idolorum suorum, dicit eam originem ducere de terra Chanaan, Amorrhæumque patrem habere, et matrem Cethæam. Nec ei quidquam prodesse incunabularum suarum nutrimenta, quia incomparabili fornicatione polluta est cum amatoribus diversis. Majusque esse scelus eorum dicit peccato Sodomorum atque Samariæ, provocans eos ad pœnitentiam; quatenus per ipsam accipere possint remissionem peccatorum.

CAPUT XV.

Sermo Domini contra Jerusalem vitem infructuosam.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili « hominis, quid fiet ligno vitis ex omnibus lignis « nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Num« quid tolletur de illa lignum, ut fiat opus, aut fabri« cabitur de ea paxillus, ut pendeat ex ea quodcum« que vas? Ecce igni datum est in escam. Utramque « partem ejus consumpsit ignis, et medietas ejus re« dacta est in favillam. Numquid utile erit ad opus? « Etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus. « Quanto magis cum ignis illud devoraverit, et com« busserit, nihil ex eo fiet operis? Propterea hæc « dicit Dominus Deus: Quomodo lignum vitis inter « ligna silvarum, quod dedi igni ad devorandum, sic « tradam habitatores Jerusalem, et ponam faciem « meam in eos. De igne egredientur, et ignis consu« met eos. Et scietis, quia ego Dominus, cum posuero « faciem meam in eos, et dedero terram inviam et « desolatam, eo quod prævaricatores exstiterint, dicit « Dominus Deus. » (*Hieron.*) Variis autem similitudinibus, quas Græci parabolas vocant, prænuntiatur subversio urbis Jerusalem. Et quomodo supra in sartagine, in qua carnes populi frigebantur: et in latere, in quo munimenta et aggeres arietum ac vinearum machinæ pingebantur, ejusdem urbis possessio famesque descripta est, et postea in hoc eodem lecturi sumus, in Jeremia quoque scriptum est, Ollam quæ a facie Aquilonis accenditur significare urbem Jerusalem, saltusque Nageb et Theman et Darom succisos, hoc ipsum prænuntiat: sic in præsenti loco eadem Jerusalem vineæ et viti fructiferæ comparatur. De qua in alio loco scriptum est: « Ego plantavi te vineam fructiferam, omne semen verum, quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ? (*Jer.* II.) Et in Isaia: « Plantavi, inquit, vineam Sorrech (*Isa.* V), » quod electam et pulchram sonat. Et in psalmo legimus: « Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam: dux itineris fuisti in conspectu ejus (*Psal.* LXXIX). » Et manifestius discimus, Scriptura dicente: « Vinea autem Domini Sabaoth, domus est Israel (*Isa.* V). » Hæc vinea quandiu adfert fructus, in omnibus lignis saltuum, nihil ea pretiosius est. Sin autem uvas habere desierit, in nullo utilis erit, C nisi ut cum radice et propaginibus suis tradatur incendio. Cætera ligna silvarum, ut de pomiferis arboribus taceam, quorum et Scriptura modo nullam facit mentionem, cum poma non habeant, succisa plurimam præbent utilitatem, et in omnem agriculturam, et in usum armorum proficiunt, dum attenuantur in scuta, raduntur in hastilia, cludunt foribus, continent armariis, scriniis, ac loculis, omnemque domus tribuunt supellectilem. Vitis autem, si semel uvas adferre cessaverit, in tantum inutilis est, ut ne paxillus quidem ex ea possit fieri, de quo aliquid pendeat. Cumque malleolos excideris, utramque partem eorum primum ignis arripit, dehincque flamma consumit, D tantumque nihil prodest cum redacta fuerit in favillam, ut etiam cum integra sit absque frugibus nullam præbeat utilitatem. Ambiguitas autem verbi Hebraici, *sene*, quod tribus litteris scribitur, sin et nun et iod, si legatur *sene*, duo significat, si *sanе*, annos; unde factum est, ut pro duabus summitatibus ejus, quod nos interpretati sumus « utramque partem ejus, » Septuaginta interpretati sunt « annuam purgationem ejus, » cum Aquila dixerit, « duo novissima ejus, » Symmachus et Theodotion, « duas summitates ejus. » Et est ordo, Sicut vitis infructuosa incendio traditur in nullam utilitatem, sic et Jerusalem, imo

et habitatores ejus tradentur ardoribus, ut egrediantur de igne. « Et ignis consumat eos, » id est, etiam si de urbe evaserint, foris hostili gladio consumentur. Et qui remanserint, ipso miseriarum pondere pressi, me esse Dominum recognoscent. « Cum posuero sive obfirmavero faciem meam super eos, et dedero illos in æternam solitudinem. » Non enim peccatores sicut cæteræ gentes, sed prævaricatores exstiterunt. Aliud est enim negligere quod ignores, aliud contemnere quod colueris. Possumus vineam et Jerusalem, juxta intelligentiam spiritalem intelligere credentium multitudinem. Quæ si negligens fuerit, et culturam pristinæ religionis amiserit, nec attulerit fruges virtutum, nec vinum fecerit, quod lætificat cor hominis, æternis tradetur ardoribus, et in nihilum reputabitur. « Servus enim, qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis (*Luc.* XII). » Tale quid et Dominus loquitur in Evangelio secundum Joannem : « Ego sum vitis vera, et pater meus agricola. Omnis palmes, qui manet in me, et non facit fructum, tollet illum Pater: Et omnis, qui adfert fructum, purgabit eum, ut fructum plus adferat (*Joan.* XV). » Si autem Salvator vitis est, et nos palmites, et dicitur pater agricola. Quamdiu Dei præcepta servamus, semper excolimur, et cultura nostra purgatio est. « Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis Dei (*Rom.* IX). » Quod si adferentes fructum, purgamur a patre, ut fructus ampliores adferamus, ostenditur omnem nostrum conatum adjutorio Dei pervenire ad finem, et fructum facere plenitudinis. Qui autem palmes fruges non fecerit, tolletur a patre, et cum sublatus fuerit, quid de eo pater faciat, Scriptura non dicit: Nisi forte separatio de Christi corpore, pœna perpetua est et interitus. Quod in vinea et vite intelleximus, sub alia figura Salvator docet in Evangelio : « Bonum est sal. Si autem sal infatuatum fuerit, ad nihil est utile, nisi ut foras projiciatur, et ab hominibus conculcetur (*Marc.* IX). » Et oculus, qui totum corpus illuminat, si fuerit excæcatus, audit a Domino : « Si lumen, quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quotæ erunt? (*Matth.* VI.) » Comparatione quippe prævaricatoris, et ejus qui confessum prius negaverit Deum, lenior pœna est eorum, qui numquam Dei habuere notitiam. Ligna autem saltuum sive silvarum, secundum varietatem credentium, habent in magna domo, aliquam utilitatem : in qua non solum vasa aurea et argentea sunt, sed et lignea fictiliaque, alia in honorem, alia in contumeliam.

CAPUT XVI.

Catalogus immunditiarum et iniquitatum Jerusalem, et correptio quæ revocatur ad salutem : justificat Dominus Sodomam et Samariam comparatione Jerusalem.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, notas fac Hierusalem abominationes suas, « et dices : Hæc dicit Dominus Deus Jerusalem, » etc. (*Hieron.*) Sub persona mulieris meretricis, quæ primum viri fuerit consortio copulata Jerusalem, et ortus et educatio et pubertas et nuptiæ et adulterium, et repudium, et rursum revocatio contexitur: ut clementia viri atque judicium et adulteræ et meretricis scelera cognoscantur. Dum post universa supplicia suscitat ei pactum sempiternum, ut recordetur iniquitatis suæ et confundatur, et non sit ei ultra aperire os præ confusione sua, cum placatus fuerit illi in omnibus, quæ fecerat. Multum namque prodest peccatoribus scire quæ fecerint. Unde et pœnitens loquitur : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psal.* L). » Quatuor autem modis intelligi potest Jerusalem, vel hæc, quæ Babylonio et Romano igne succensa est : vel cœlestis primitivorum : vel Ecclesia, quæ interpretatur visio pacis : vel animæ singulorum, quæ fide cernunt Dominum. Illudque quod plerique de cœlesti Jerusalem interpretatum putant, Ecclesia non recipit ne omnia, quæ in præsenti prophetia contexuntur, ad cœlestium fortitudinum ruinas atque cruciatus, et restitutionem in pristinum statum suscipere compellamur.

« Radix tua et generatio tua de terra Chanaan, et « pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. » Magna fides, grandis audacia prophetarum, unum hominem totam urbem ignobilitatis arguere. Mirabilis Daniel, qui ad presbyterum delinquentem, et adulterio jungentem homicidium, puer ausus est dicere : « Semen Chanaan et non Juda, species decepit te (*Dan.* XIII). » Magnus et Isaias qui clamat ad principes et ad populum Judæorum : « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, auribus percipite verba Domini, populus Gomorrhæ. » (*Isa.* I.) Sed non minor Ezechiel, qui ad totam urbem loquitur confidenter : « Radix tua et generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa (*Ezech.* XVI). » Quamquam et Stephanus primus martyr Evangelii ad insanientem populum sit locutus : « Dura cervice et incircumcisi corde, vos semper Spiritui sancto restitistis (*Act.* VII). » Et licet possimus radicem Jerusalem et generationem ejus terram Chanaan secundum illud accipere, quod in Ægypto vocatus sit populus, et ibi multo tempore habitaverit, Cham quippe pater Chanaan, princeps fuit gentis Ægyptiæ, tamen juxta scelerum similitudinem radicem Jerusalem terram Ægypti esse dicemus. Unde et pater illius appellatur Amorrhæus, qui interpretatur, multo sermone celebratus. « Et mater tua Cethæa, » id est, ἐξιστῶσα, quæ vel ipsa insanit, vel alios mittit in amentiam. « Omnis enim, qui facit peccatum, de diabolo natus est. » Unde et in toto orbe hujus antiqui patris famosum vocabulum est, et multos vertens in amentiam. Præcipiturque Jerusalem vel juxta litteram vel juxta spiritum, ut relinquat antiquum patrem, et dicitur ad eam : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum (*Psal.* XLIV). » Et promittitur ei,

si post peccatum, ad verum voluerit patrem reverti, « restituam te sicut fuisti, quando nata es. » Cujus tanta nobilitas, ut urbis Jerusalem, quæ de Abraham, Isaac et Jacob stirpe descendens Deum habuit patrem? Et tamen quia peccavit, et verum reliquit parentem, meretur audire : « Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus et mater tua Cethæa. » Si illa hoc audivit, quid de nobis fiet, qui vocati ex gentium sordibus omnem maculam in lavacro Salvatoris amisimus, si polluerimus indumentum Christi, et non habuerimus in convivio vestem nuptialem? utique illud, ut junctis manibus pedibusque æternis tradamur ardoribus, in quibus est fletus oculorum et stridor dentium (*Matth.* XXII).

« Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, et in aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his misertus tui, sed projecta es super faciem terræ in abjectione animæ tuæ in die qua nata es, » etc. (*Hieron.*) Juxta ordinem lectionis de singulis disseramus. Quando nata est Jerusalem de Patre Amorrhæo, et matre Cethæa, et effusa ex utero, non est præcisus umbilicus ejus, quo fetus aluntur in ventre instar arborum et virgultorum, quæ per radices humore terræ nutriuntur occulto. Et quomodo virorum seminarium significatur in lumbis, ita genitalia feminarum honesto sermone, juxta consuetudinem Scripturarum umbilicus vocantur, testante Job, qui sub figura draconis loquitur diabolo : « Virtus ejus in lumbis, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus (*Job.* XL). » Iste enim draco coluber antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, et decepit orbem terrarum, adversus viros virtutem habet in lumbis, adversus feminas in umbilico. Hoc autem significat de Jerusalem, quod non statim legem acceperit, nec ei pudendæ nativitatis exordia sint abscisa, sed gentilem vitam vixerit primum. (*Greg., libr.* XIII *Mor., c.* XI.) In die quippe ortus umbilicum præscindere, est conversionis tempore carnis luxuriam reserare. Quia enim difficile est male inchoata corrigere, et semel formata deformiter in melius reformare, de ortu suo Judæa reprehenditur, quæ dum in Deo nata est, inpræcisum umbilicum retinuit, quia fluxa luxuria non abscidit. (*Hieron.*) Pro quo Septuaginta interpretati sunt, « In die qua nata es non alligaverunt mamillas tuas. » Hanc habet Scriptura sancta consuetudinem, ut pro corde pectusculum sive pectus et mamillas nominet : ut unicuique loco congruum viderit. Sacerdotes in quibus debet esse doctrina, et legem requirunt ex ore eorum accipiunt pectusculum. « Joannes super pectus recumbit Domini, ut de fonte uberrimo hauriat fluenta sapientiæ (*Joan.* XIII). Virginis in Cantico canticorum, « duæ mamillæ sunt, quasi duo hinnuli gemini capreæ, qui pascuntur in liliis donec respiret dies, et amoveantur umbræ (*Cant.* IV). » Mater diligens, statim ut nata fuerit infantula, ligat mamillas ejus, ut a tenero tumore resistant, et pulchritudinem custodiant virginalem. Cum autem ad ætatem venerit pubertatis, dicetur de ea : « Nunquid obliviscetur sponsa ornatus sui, aut virgo fasciæ pectoralis suæ (*Jer.* II)? » Sequitur :

« Et in aqua non es lota in salutem. » Cruenta infantum corpora statim ut emittuntur ex utero lavari solent, ita ut generatio spiritalis canachre [lavacro] indiget salutari. Nullus enim mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. Et in Psalmis legimus : « In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L). » Secunda nativitas solvit primam nativitatem ; scriptum est enim : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Jon.* III). » Multaque sunt lavacra, quæ ethnici in mysteriis suis, et hæretici pollicentur, qui omnes lavant, sed non lavant in salutem. Propterea additum est : « Et in aqua non es lota in salutem. » Quod quidem non solum de Hæreticis, sed de ecclesiasticis intelligi potest : qui non plena fide accipiunt baptismum salutare. De quibus dicendum est, quod acceperint aquam, sed non acceperint spiritum. Sicut et Simon ille Magus, qui pecunia volebat redimere gratiam Dei, baptizatus quidem est in aqua, sed nequaquam baptizatus est in salutem. Tertio dicitur : « Nec sale salita, » tenera infantium corpora, dum adhuc uteri calorem tenent, et primo vagitu laboriosæ vitæ testantur exordia, solent ab obstetricibus sale contingi, ut sicciora sint et restringantur. Porro Jerusalem, quæ de malis parentibus nata est, nihil saporis, nihil diligentiæ consecuta est. Qui autem renascuntur in Christo, dicitur ad eos : « Vos estis sal terræ (*Matth.* V), » et præcipitur eis ab Apostolo : « Sermo vester semper in gratia sale sit conditus (*Coloss.* IV). » Unde et vulgo sapientes salsi et stulti vocantur insulsi. Et in Levitico lege sancitur : « Omne sacrificium vestrum sale salietur. Non cessabit sal testamenti Domini de sacrificiis vestris. In cunctis muneribus vestris sal offeretis (*Levit.* II). » Qui hoc sale conditus fuerit, et omnem putorem humoremque noxium hujus admistione siccaverit, ultra non dicet, « Computruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. » Quartum est : « Nec involuta pannis. » Et Salvator pannis est involutus infantiæ. Et omnis, qui nascitur per involucra pannorum protectione indiget Dei. Naturale est ubi tamen parentum non deest diligentia, ortis infantibus primum præcidi umbilicum, dein ad eluendum sanguinem lavari eos aqua. Tertio humorem corporum parvulorum salis adjectione siccari. Quarto ut tenera infantum corpora pannis involvantur. Duplicem ob causam, ut et sale siccetur corpus, quod pannis ne defluat, servatur et stringitur, et membra tenerrima ne facile depraventur. Unde et corpora Barbarorum Romanis corporibus rectiora sunt. Usque ad secundum enim et tertium annum semper pannis involvuntur. Sed non talis Jerusalem, cui nec umbilicus abscisus, nec ligata sunt ubera, nec aqua lota est in salutem, nec sale salita, neque involuta

atque constricta pannis infantiæ. Cur autem nihil A horum meruit sequens scriptura testatur: « Non pepercit super te oculus, ut faceret tibi unum de his misertus tui. » Pro quibus LXX posuerunt: « Non pepercit semper te oculus tuus, ut facerem tibi unum ex omnibus istis. » Et necesse est ut duplex editio duplicem habeat intelligentiam: prior hoc significat: « Non pepecit super te oculus ut faceret tibi unum de his misertus tui. » Et est sensus: Nullus tui misertus est, offenso Deo; nullius super te mota sunt viscera, ut de quatuor superioribus saltem tibi unum faceret, quia omnia simul non merebaris accipere. In altera dicitur: « Non pepercit super te oculus tuus, ut facerem tibi unum ex omnibus istis. » Et hunc habet sensum: Ita egisti, et sic in peccatis nata es: et in delictis concepit te B mater tua, ut ne ipsa quidem tui misereris. Cumque sic gesseris ut adversum te per mala opera crudelis existeres: ego quid tibi potui facere, quæ ne unum quidem superiorum accipere merueris? Quia igitur nihil horum, quæ fieri infantibus solent, in te factum est, et hoc non sine causa, nec absque judicio, sed tuo vitio atque peccato, quæ ne ipsa quidem tui miserta es, ideo projecta es in facie terræ sive campi: « Et projecta propter pravitatem animæ tuæ, in die qua nata es. » Oremus ne pravitate animæ projiciamur in facie campi, in quo lata et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, in quo Chaldæorum debacchatur equitatus Simulque considerandum quod nullus in die qua nascitur pravum aliquod committere potest, nisi lavacri tempore, C quando sapiens generatio fide credentis assumitur.

« Transiens autem per te, vidi te conculcatam in « sanguine tuo. Et dixi tibi cum esses in sanguine « tuo: Vive, dixi, inquam, tibi in sanguine tuo, vive. « Multiplicatam quasi germen agri dedi te, et multiplicata es, et grandis effecta, et ingressa es, et « pervenisti ad mundum muliebrem. Ubera tua in« tumuerunt, et pilus tuus germinavit, et eras nuda « et confusionis plena, » etc. (*Hieron.*) Postquam projecta es in faciem campi, sive super faciem terræ, propter pravitatem animæ tuæ, meum ultra non merebaris auxilium. Attamen transiens per te vidi te, conculcatam sive commistam in sanguine tuo: id est, ream mortalium criminum: et provocavi te, tribuens pœnitentiam. D Dixique tibi, Licet sis in sanguine, tamen vive conversa. Tantaque in te fuit omnium rerum abundantia, ut agri uberrimi haberes similitudinem: et benedictionem Jacob, qua benedixit ei pater suus, dicens: « Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* xxvii), » et intrares penetralia Domini diceresque cum sponsa: « Introduxit me rex in cubiculum suum (*Cant.* i). » Et ad mundum muliebrem pervenires. Pro quo Septuaginta transtulerunt, et ingressa es in civitates civitatum, ut quomodo Canticum canticorum, et sæculum dicitur sæculorum: ita civitates appellentur civitatum. De quibus in Evangelio dicitur: « Habeto potestatem super decem sive super quinque civitates (*Luc.* xix), » ut non solum civitas, sed et metropolis civitas appelleris, secundum illud quod in Isaia dicitur: « Mater urbium fidelis Sion (*Isa.* i). » Porro quod interpretatus est Symmachus « et pervenisti ad ornatum mulierum; » sive, ut Theodotion, « et ingressa es ad ornatum ornamentorum. » Pro quo nos, secuti sensum Hebraicum, dixerimus: « Et pervenisti ad mundum muliebrem, » tempus pubertatis ostendit, quando puellæ nubiles appellantur, et possunt maritorum amplexibus copulari. Denique sequitur: « Ubera tua intumuerunt, et pilus tuus germinavit. » Honeste adolescentularum maturitas indicatur, quando intumescunt ubera sive eriguntur, et pili germinant. Cumque parata esset ad nuptias, et haberet pulchritudinem corporis, vestimentorum tegmina non habebat, nec Dei protegebatur auxilio. Si quis Christi non habet indumentum, nudus est. Si quis non est indutus visceribus misericordiæ, bonitatis, humilitatis, pudicitiæ, mansuetudinis, patientiæ, jacet super faciem terræ: et pulchritudo ejus in confusione et nuditate torpatur [turpatur].

« Et transivi per te, et vidi te. Et ecce tempus « tuum, tempus amantium. Et expandi amictum meum « super te, et operui ignominiam tuam. » Quanta clementia, non suffecerat semel vidisse eam conculcatam in sanguine, et ad pœnitentiam provocasse, sed peccantem rursus invisit, quia erat nuda et confusionis plena, rursum venit et visitat, et ecce tempus ejus, tempus amantium. Illud igitur tempus erat, quando possunt mulieres viris copulari, et sustinere coitum maritalem. Attamen misericors Deus expandit alas suas, suscepit eos, et in humeris suis portavit eos. Juxta illud quod in Evangelio dicitur: « Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti (*Luc.* xii). » Sive amictum expandit pro alis. Hoc enim interpretatur πτερύγιον quo operta est et Ruth, ad pedes dormiens Booz, et in ora, id est πτερυγίῳ vestimenti nostri jubemur hyacinthinas fimbrias alligare. Hæc autem fecit ut operiret ignominiam Jerusalem, genitale feminarum sub hoc nomine corpus ostendens: Etenim juxta Apostolum, « inhonesta corporis nostri majore honore circumdamus (*I Cor.* xii). » Unde et Psalmista canit: « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* xxxi). » Quæ Cham, quia non protexit in patre, æterna maledictione signatur. Quod diximus de Jerusalem referamus ad animam nostram, quæ quandiu in infantia constituta est, peccato caret. Cum autem ætatis ejus tempus advenerit, multi sunt amatores dæmonum et hæreticorum, perversorumque dogmatum, qui ad eam cupiunt declinare: qui protectione Dei repelluntur, ut non satellites diaboli sed ministros Salvatoris recipiat. Pro divertentium dilectione et uberum in Hebraico habetur dodim, quod secundum linguæ eorum proprietatem, omnia, quæ supra versa sunt significat. Potest tempus dilectionis et uberum sive amatorum Dei intelligi Abraham, Isaac, et Ja-

cob : quando eis pollicitus est Dominus post Ægyptiam servitutem suum populum liberandum.

« Et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus. » Quia expandi amictum meum, sive alas meas super te, et operui confusionem tuam, propterea juravi tibi, et ingressus sum pactum sive testamentum tecum, ut mihi potius, quam cæteris, qui ad te volebant divertere, jungereris, juxta illud : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). » Omnis enim controversiæ finis est juramentum. Et vivo ego, dicit Dominus, nisi malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem (*Ezech.* XVIII). Tempore igitur nuptiarum, Israel juramentum accipit Dei pro omnidotali munere. Et quia David de se dixerat : « Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus : qui juravit Domino, votum vovit Deo Jacob (*Psal.* CXXXI). » Et ipse Dominus jurat ei, Scriptura dicente : « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum. »

« Et facta es mihi, et lavi te aqua, et mundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo. » Quia expandi alas meas, et operui ignominiam tuam, et juravi tibi, et ingressus sum pactum tecum, propterea mea es facta possessio, ut quæ aliena eras, quando videbaris immunda, mea esse cœperis : quando pactum meum tecum juramento firmavi. Sive juxta consuetudinem Prophetarum, facta es mihi ait : Pro eo, quod est meo conjugio copulata es, et lavi te, inquit, aqua baptismi salutaris : « Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III). » Et alibi legimus : « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Marc.* I). » De quo baptismate et Isaias loquitur, dicens : « Lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem mundabit de medio eorum, spiritu judicii, et spiritu combustionis (*Isa.* IV). » Cum autem laverit et mundaverit sanguinem, sicut hemorrhoissam, quæ duodecim annis cruore manabat (*Marc.* V), fimbriæ sanavit attactu, non sufficit ei lavare aqua, et mundare sanguine, nisi oleo quoque unxerit, juxta quod Samaritanus, qui interpretatur custos, seminecis vulnera, primum olei infusione linivit, deinde vini austeritate compescuit, Dominus autem noster alio unctus est oleo, quod non dolorem vulnerum mitigaret, sed lætitiam tribueret, dicente ad eum Spiritu sancto : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Habent et contrariæ fortitudines, simulati olei lenitatem, dulcia per hæreticos pollicentes, quæ vertuntur in amaritudinem, et quæ detestatur Propheta commemorans : « Oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). » Sin autem ab unctione unctus, id est, Christus appellatur, vide quantum profecerit Jerusalem : ut et ipsa uncta oleo spiritali, Christi nomen acceperit. Juxta quod et in Psalmis de Abraham legimus : « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*Psal.* CIV). »

« Et vestivi te diseoloribus. » Septuaginta : « Et indui te variis, » id est legis cæremoniis, quarum occupata studio idola derelinqueres. Ista sunt varia vestimenta quibus indutus est Joseph : nec potuerunt eum fratres vendere, nisi prius eum tunicæ varietate nudassent. Et de sponsa dicitur in quadragesimo quarto psalmo : « Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate. » Hoc est vestimentum, de quo et Apostolus loquitur : « Induite novum hominem, qui renovatur in cognitionem juxta imaginem Creatoris (*Ephes.* IV). » Volumus scire quæ sunt varia vestimenta? Idem nos Apostolus docet, credentibus scribens : « Induamini ergo visceribus misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ (*Coloss.* III). » Quid hac varietate pulchrius? de qua et Job loquebatur : « Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut varietatis disciplinam? (*Job.* XXXVIII.) » Et pontifex semel in anno, quando pro populo adolebat incensum, et ingrediebatur in sancta sanctorum, variis vestibus utebatur. Certe si divitiæ varietatem vestium, et non sanctitas faceret, diversitasque virtutum, Pharao et Nabuchodonosor hæc vestimenta habuisse scriberentur : et non Joseph, qui sub peregrino et pastorali patre, vestes discolores et regias habere non poterat.

« Et calceavi te hyacinthino. » Denique facturis pascha præcipitur, absque ulla coloris varietate accinctis lumbis et pedibus calceati sint. Ista sunt calceamenta de quibus et Apostolus scribit : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI). » Nec prius Jerusalem calceatur hyacinthinis, nisi lavetur aqua. Unde et Apostolorum quibus prius præceperat Dominus, ut excuterent pedum suorum pulverem, lavantur a Salvatore pedes. Et sponsa dicit in Cantico canticorum : « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos (*Cant.* V)? » Et Moysen et Jesum divinus sermo testatur, ut solvant corrigiam calceamenti sui, quia locus in quo stent, sanctus sit. Cum autem loti fuerint pedes et omni sorde purgati, calceantur hyacinthinis sive janthinis : quod utrumque aerei et κυανέου coloris est, ut rapiantur in occursum Domini in aerem, et ad cœlestia regna festinent.

« Et cinxi te bysso. » Jerusalem non solum vestitur discoloribus, et calceatur hyacinthinis, sed et bysso accingitur. De qua tenuissima in veste pontificis fila texuntur. Et uxor in Proverbiis, quæ viro suo duas texuit chlamydes, et præsentis sæculi, et futuri, sibi de bysso et purpura fecisse dicitur vestimenta. Hac bysso accinguntur renes, quoties pinguia libidinis incentiva tenuanda sunt, nihilque in in eis crassæ veneris relinquitur. Et implemus præceptum Apostoli dicentis : « State ergo accincti lumbos vestros in veritate (*Ephes.* VI), » quasi aliis verbis diceret, bysso. Et Dominus ad apostolos loquitur : « Sint lumbi vestri præcincti, ac lucernæ ardentes in manibus vestris (*Luc.* XXII). » Nisi enim astrinxerimus fluentia lumborum reumata, lucernas in manibus habere non possumus. Unde et ad Job loqui-

tur Deus : « Accinge sicut vir lumbos tuos (*Job.* XXXVIII). » Et comesuri agnum calceati pedes, tenentes baculum, stantes in Evangelii veritate, et ad Christi sanguinem præparati, lumbos accinctos habere dicuntur. Qua zona mortificante lumbos, Elias quoque et Joannes Baptista accinguntur. De quibus et pœnitens flebiliter ingemiscit, dicens : « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus (*Psal.* XXXVII). »

« Et indui te subtilibus. » Congrue illis, de quibus increpans dixerat : « Incrassatum est cor populi hujus, et manducavit, et bibit Jacob, et saturatus est, et incrassatus est, et calcitravit dilectus, et dereliquit Deum factorem suum, » tunc tenuitas vestium condonatur. Nam et in libro Sapientiæ, qui a quibusdam Salomonis inscribitur : Spiritus sapientiæ, unigenitus et multiplex, tenuis et mutabilis appellatur. Et manna de quo scriptum est : « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII), » tenuissimum in similitudinem pruinæ et sementis coriandri fuisse narratur. Possumus juxta interpretationem secundæ editionis Aquilæ, qui floridum interpretatus est vestimentum, ubertatem terræ Judæ per metaphoram intelligere, vel divini cultus pulchritudinem.

« Et ornavi te ornamento. » Generaliter ornamenta nunc ponit, de quibus in consequentibus per partes enumerat, armillas et torquem, inaures et coronam et reliqua, quæ ornamenta tribuit Jerusalem. Et in Isaia dicitur, quod vitio suo universa perdiderit. Scriptum est enim : « Pro eo quod elevatæ sunt, hoc est, superbierunt, filiæ Jerusalem, et ambulaverunt excelsa cervice (*Isa.* III), » et cætera, pro zona accinctæ sunt funibus, et pro ornatu capitis calvitio deturpatæ, et pro pulchris et mollibus indumentis cilicii asperitate circumdatæ.

« Et dedi armillas in manibus tuis. » Quando nobis bona opera dederit Deus, circumdat armilla manibus nostris. Unde et in manibus prophetarum assimilatum se esse dicit. Et crebro in manu Aggæi sive Jeremiæ et reliquorum (*Ose.* XII) factum sermonem legimus. In Job quoque (*Job.* XL) draconis labium perforatur armilla, omnesque ejus venenati sibili, qui in perversis intelliguntur dogmatibus, bonorum operum circulo perforantur.

« Et torquem circa collum tuum. » Sed et in Isaia scriptum est : « Auferet Dominus gloriam vestimenti earum, et murenulas et corymbos et circulos et kathema (*Isa.* III). » Puto autem kathema ab eis dictum ex variis gemmis in pectus mulierum monile descendens, qui et ipse ornatus pulcherrimus feminarum est. « Et dedi inaurem super os, » sive « Nares tuas » Verbum Hebraicum *nezem*, excepto Symmacho, qui interpretatus est, ἐπιῤῥίνιον, omnes *inaurem* transtulerunt : non quo inaures ponantur in manibus, quæ ex eo quod de naribus pendeant, inaures vocantur : sed quod circulus in similitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur. Et usque hodie inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, et imminere naribus. Quos tunc accipimus juxta mysticos intellectus quando cum Apostolo possumus dicere : « Christi bonus odor sumus, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem : aliis autem odor vitæ in vitam (*II Cor.* II), » quando vivimus, et de nobis dici potest : « Non mortui laudabunt te, Domine, sed nos viventes (*Psal.* CXIII), » tunc odoratur Deus odorem sacrificii nostri bonæ fragrantiæ, et aureum circulum sensuum, ac dogmatum divinorum habemus in auribus; quando vero mortui sumus, et versamur in cœno, atque in sordibus turpitudinum, habemus illam inaurem in naribus, de qua scribit Salomon : « Sicut inaures aurei in naribus porcæ ; sic mulieri male moratæ pulchritudo (*Prov.* XI). »

« Et circulos in auribus tuis. » Septuaginta : « Et rotulas super aures tuas. » Qui claudit aures suas, ne audiat judicium sanguinis, et sepit eas spinis, ne particeps fiat invidis et detrectatoribus, de quibus scriptum est : « Cum detrectatoribus ne commiscearis, quoniam repente veniet interitus eorum, et ruinam utriusque quis novit? (*Prov.* XXIV) » tam videlicet ejus qui detrahit, quam illius, qui libenter auscultat, iste circulos habet et rotulas in auribus, non rotas, quæ sequuntur Cherubim, illud enim angelicarum fortitudinum est, sed rotulas diminutive, quæ humanæ conveniunt fragilitati. Quamobrem et ad Deum dicitur : « Vox tonitrui tui in rota (*Psal.* LXXVI). » In his enim, qui terrena pertranseunt, et vix medicis vestigiis contingunt terram, de quibus scriptum est : « Lapides, qui volvuntur super terram, » vox tonitrui Domini et excelsorum dogmatum personat. Qui autem erroribus ducuntur humanis, et non habent solida vestigia, « sed circumferuntur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV), » et ejecti de paradiso firmitatis habitant in regione Naid : quæ interpretatur fluctuatio, merentur linguæ mendacis ferre sententiam, quæ inflammat rotam nativitatis nostræ.

« Et coronam decoris in capite tuo. » Ornamenta cætera membrorum sunt singulorum. Capitis ornatus, totius corporis dignitas est. Coronam autem vocat diadema feminarum, quo capillorum stringitur et ornatur ambitio. Si volumus scire quæ sit corona decoris in capite Jerusalem, revolvamus Exodum, in quo scriptum est : « Et fecit laminam auream, et scripsit in ea litteras deformatas sigillo sanctificationis Domini, et posuit super caput Aaron (*Exod.* XXXIX). » Signum Dominicæ sanctitatis, nomen est omnipotentis Dei, quod quatuor litteris Hebraicis scribitur : et apud eos vocatur ineffabile, dum nomen ejus non potest dici, cujus majestatem gentilitas etiam non ignorat, et Atheniensium testatur ara : Ignoto Deo. Unde et Apostolus : « Quem vos, inquit, ignotum colitis, hunc nos annuntiamus vobis (*Act.* XVII). » Istam puto coronam esse, de qua et Psalmista dicit : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV). » Et Apostolus loquebatur : « Cursum consummavi, fidem servavi. De cætero,

reposita est mihi corona justitiæ, quam mihi reddet justus judex (*II Tim.* IV). » Et in alio loco adcredentes : « Gaudium meum, et corona mea (*Philip.* IV), » gloria enim patrum filii. Et in Salomone scribitur : « Corona gloriæ, senectus (*Prov.* XII) ; » eorum, videlicet, qui destruxerunt ea quæ parvulorum sunt, et post ætatem perfecti viri venerunt ad senectutem, et ad Patrum nomina quibus scribit Joannes post pueros et juvenes, qui possunt dicere : « Quando eram parvulus, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus ; quando factus sum vir, detruxi ea quæ parvuli sunt (*II Cor.* XIII). »

« Et ornata es auro et argento. » Crebro diximus, aurum ad mentem, argentum ad eloquium pertinere, tribuatque nobis Dominus ut divinum sensum accipere mereamur, atque sapientiam, et id quod mente concipimus, eloquii venustate proferre, et nequaquam ex his facere idola, sicut faciunt hæretici, de quibus scriptum est : « Dedi eis argentum et aurum, ipsi vero ex argento et auro fecerunt Baal (*Ose.* II). » Et hoc magis juxta intelligentiam spiritalem, ornatui aptum est feminarum. Alioquin argenti vilior materia rusticarum et pauperum, ancillarumque ornatus est, qui non convenit Jerusalem, quæ in reginam dicitur profecisse.

« Et vestita es bysso et polymito et multicoloribus. » Omnis autem ornatus describitur feminarum ut lavetur, ut mundetur, ut ungatur oleo, et discoloribus vestiatur. Quæ omnia juxta superiorem explanationem aptabimus intelligentiæ spiritali, ut byssinis operiatur atque subtilibus, ne delicata conjugis membra gravi palliorum onere prægraventur : sed et usum pariter exhibeant et decorem.

« Similam et mel et oleum comedisti, et decora facta es vehementer nimis. » Post vestitum, ciborum curam gerit, ut comedat Jerusalem similam et mel et oleum : vel per partes ut plerique æstimant, vel commistione trium dulciorem panem, qui panis de cœlo descendit, ac sub tribus nominibus : ut nonnulli putant, sacramentum indicat Trinitatis. Non quo alia atque alia substantia sit, sed quo diversis similæ et mellis, et olei nominibus, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, una dulcedo monstretur. Et hoc animadvertendum, quod in multis sacrificiis, offeratur simila, id est, medulla frumenti atque purissima, de qua scriptum est : « Et de adipe frumenti satiavit eos (*Psal.* LXXX), » non de hordeo neque de farina, quæ tunc solum offertur, quando maritus zelotypiæ spiritu commovetur. In Judicum volumine Debboram legimus, quæ interpretatur apis, cujus Prophetiæ mella dulcissima sunt, et refertur ad Spiritum sanctum, qui apud Hebræos appellatur genere feminino *rua*, in Evangelio quoque Hebræorum quod lectitant Nazaræi, Salvator inducitur loquens : « Modo me arripuit mater mea Spiritus sanctus. » Porro simila, quæ de frumento conficitur, refertur ad Dominum, qui de semetipso ait : « Nisi granum tritici ceciderit, et in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Joan.* XII). » Oleum vero quod lassorum membra sustentat, et reficit, et est luminis nutrimentum, et quo in tabernaculo Dei juge lucernæ lumen accenditur, Patri dicitur convenire. Quæ omnia credentibus tribuunt gratiam, dicente Apostolo : « Divisiones sunt gratiarum, unus autem spiritus. Et divisiones ministeriorum, unus autem Dominus, et divisiones operationum, unus autem et idem Deus (*I Cor.* XII). » Qui talem comederit cibum, et hoc dulcissimo et suavissimo pane, oleique splendore fulgente pastus fuerit, ac nutritus, vertetur in decorem et fiet pulcherrimus, non semel, sed repetito nimis, nimis : duplicatum enim adverbium pondus facit orationis, quo ad pulchritudinis magnitudinem addi ultra nihil possit.

« Et profecisti in regnum. » Hoc in Septuaginta non habetur, qui forsitan Alexandriæ in Græcum sermonem scripturas ex Hebraica veritate vertentes, timuerunt hoc dicere, ne regem Ægypti viderentur offendere, dum a Deo Jerusalem debitum regnum esse commemorarent. Quanquam eruditi solos quinque libros Moysi ab eis interpretatos probent. Post ornatum ergo multiplicem, post coronam, post auri et argenti abundantiam, post indumenta palliaque pulcherrima, post decorem incredibilem, proficit in reginam, quia civitas est magni regis. De quo scriptum est : « Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* XVII). » Et in Apocalypsi Joannis : « Hierusalem, quasi sponsa ornata atque composita describitur viro suo (*Apoc.* XXI). » In psalmis quoque de eadem dicitur : « Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate (*Psal.* XLIV). » Omne autem quod dicimus de Jerusalem, ne in singulis hæreamus, et librorum magnitudo tædium legentibus faciat, referamus ad ecclesiam. Si enim Jerusalem juxta Apostolum mater nostra est, mater autem nostra ecclesia est, consequenter Jerusalem ecclesia est, mater primitivorum, qui descripti sunt in cœlis.

« Et egressum est nomen tuum in gentes propter « speciem tuam : Quia perfecta eras in decore meo, « quem posui super te, dicit Dominus Deus. » Et est sensus : Beneficiis meis, meaque incredibili largitate ad reginæ vocabulum pervenisti, ita ut de te omnium gentium sermo loqueretur, et esses non tuis meritis atque virtutibus, sed mea liberalitate perfecta. « Nisi enim Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam (*Psal.* CXXVI). » Qui plantat enim, et qui rigat, nihil est, nisi Dominus dederit incrementum : quia « non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei (*Rom.* IX). » Ut postquam omnia fecerimus, dicamus : « Servi inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus (*Luc.* XVII). » Non quo ex beneficentia Dei liberum homini tollatur arbitrium, sed quo ipsa libertas Dominum habere debeat adjutorem.

« Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres, » etc.

Grande discrimen non in Dei clementia, sed in suo decore confidere. Quantoque quis sublimior fuerit, debet timere ne corruat, et fornicetur in nomine suo. Adversariæ siquidem potestates, solitos contemnunt cibos, et peregrina alimenta desiderant. Unde de diabolo dicitur : « Escæ ejus electæ (*Habac.* I). » Non vult quemlibet decipere. Saul regem, qui electus a Domino est, et Judam apostolum supplantare festinat. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Dei liberalitatem, nostram putemus esse virtutem ; sed potius audiamus : « Ne glorieris in crastinum. Nescis enim quid pariat ventura dies (*Prov.* XXVII) ; » et in alio loco : « Fratres, si præventus fuerit homo in aliquo peccato, vos, qui spiritales estis, perficite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne forte et tu tenteris (*Gal.* VI). » Neque exponamus sive effundamus fornicationem nostram omni transeunti ut non Dei in quem credimus, sed ejus fiamus a quo polluimur, qui cuncta recipit vitia, et diversorum peccatorum spiritum transeuntem suo suscipit gremio, et divaricat pedes suos omni transeunti : iste effundit fornicationem suam, et ejus incipit sustinere dominatum, cujus hospes extiterit.

« Et sumens de vestimentis tuis, fecisti tibi excelsa hinc inde consuta, et fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est. » Quod super Jerusalem juxta litteram intelligi potest, ut omnia præcepta legis et divitias, ac rerum omnium abundantiam idolis deputaverit : quod gens alia non fecerit nec factura sit. Omnes enim nationes, quæ a principio idolis servierunt, non tanti criminis reæ sunt. Nostra autem Jerusalem, quæ interpretatur *visio pacis*, ab hæreticis scinditur, quando unum et alterum testimonium scripturarum de propriis carpentes locis conantur assuere, his, quibus non queunt coaptare · ad quos et supradictum in hoc eodem Propheta legimus : « Væ his qui consuunt cervicalia, sub omni cubitu manus, et faciunt operimenta super caput universæ ætatis (*Ezech.* XIII). » Quod fieri Dominus prohibens, loquitur in Evangelio : « Nemo assumit commissuram panni rudis in veteri vestimento. Alioquin tollit de plenitudine ejus et pejor scissura fiet. Nec mittunt vinum novum in utres veteres (*Matth.* IX). » Tales sunt Nazaræi, qui veteris legis observantiam Evangelicæ gratiæ aptare conantur. Et omnes Hæretici, qui testimonium in suo loco, alteri sensui congruens, alteri nituntur assuere : cum Domini tunica desuper texta per totum scindi omnino non possit, sed texta Spiritu sancto nullam recipiat scissionem. Quod autem dicitur juxta Septuaginta, « et non intrabis, neque erit, » hoc significat, cum tibi idola feceris perversorum dogmatum, quæ arbitraris excelsa, et fornicata sis super eis, credens in his, quæ ipsa finxisti, templum Dei intrare non poteris, et simulacra tua substantiam non habebunt, neque erunt in perpetuum, dicente Apostolo : « Scimus enim quia nihil est idolum in mundo (*I Cor.* VIII). »

« Et tulisti vasa decoris tui, de auro meo et argento meo, quod dedi tibi, et fecisti tibi imagines masculinas, et fornicata es in eis. » Juxta litteram Dominus in lege præcepit ut fierent thuribula, phialæ, candelabrum, arca testamenti, cunctaque vel aurea vel deaurata, et alia ex argento, quæ omnia conflavit Jerusalem, et vertit in idola Belis, sive Baalis Chamos et Astaroth, et Melchom. Juxta intelligentiam spiritalem, de auro et argento sanctarum Scripturarum idola facimus, quando gratiam sensus et eloquentiæ hæretica pravitate corrumpimus, et ponimus in cœlum os nostrum et lingua nostra pertransit in terram. Masculinæ dicuntur imagines in quibus omnis hæresis fornicatur, ex eo quod unusquisque se putat robustissima colere et habere, quæ finxit, nec ulla posse oppugnatione subverti. Hæ sunt imagines, quas de nostro corde finximus, et quæ in cœlesti Jerusalem destruendæ sunt. De quibus Propheta pronuntiat : « Domine, in civitate tua imagines eorum dissipabis (*Psal.* LXXII). » Quicumque enim homo est, et Dei nomen amisit, dicitur de eo : « Verumtamen in imagine perambulabat homo, verumtamen frustra conturbatur (*Psal.* XXXVIII). » Nos autem unum habemus virum, et unam veneramur imaginem, quæ est imago invisibilis et omnipotentis.

« Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria, et operuisti illas. » Subauditur imagines masculinas, ut omnem cultum quem acceperat ad utendum verteret in blasphemiam. Hoc autem facimus, quoties prudentia, temperantia, fortitudine, justitia, cunctisque virtutibus hæreticam circumdamus pravitatem, et sub occasione earum, simplices quosque decipimus, ut videntes mella virtutum, vitiorum venena non caveant.

« Et oleum meum et thymiama meum posuisti coram eis. Et panem meum (Sive, ut Septuaginta transtulerunt, panes meos) quem dedi tibi ; similam, et oleum, et mel, quibus enutrivi te, posuisti ea in conspectu eorum in odorem suavitatis. » Oleum de quo supra diximus, et thymiama sive incensum, de quo Psalmista conclamat : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL), » et panes propositionis quos Domino jubemur offerre : similam quoque sensum purissimum Scripturarum, et mel quod gustavit Jonathan, et aperti sunt oculi ejus, et confortatus est, posuit misera Jerusalem in conspectu idolorum, sive coram imaginibus masculinis, ut essent his in odorem suavitatis, quæ natura sua dulcia sunt, atque suavissima. Sed dum offeruntur idolis, falsisque doctrinis, vertuntur in amaritudinem.

« Et factum est, ait Dominus Deus, et tulisti filios tuos, et filias tuas, quas genuisti mihi, et immolasti eis ad devorandum. Numquid parva est fornicatio tua immolantis filios meos, et dedisti illos consecrans eis. Et post omnes abominationes tuas et fornicationes non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda, et confusionis

« plena, conculcata in sanguine tuo. » Quod filios suos Jerusalem et filias de quibus scriptum est : « Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me (*Isa.* I), » idolis immolaverit sancta Scriptura commemorat : « Immolaverunt filios et filias suas dæmonibus (*Psal.* CV). » Et iterum : « Quas immolaverunt sculptilibus Chanaan. » *Suos* autem vocat juxta Hebraicum. Ipse enim de eis dixerat, *filios meos*, sive, juxta Septuaginta, *tuos*, quos de fornicatione generasti. Cum hæc, ait, feceris, non es recordata infantiæ tuæ, quando tuli te conspersam sanguine et lavi, et post multa quæ propheticus sermo narravit, copulavi mihi. Nostra quoque Jerusalem si hæretica fuerit fraudulentia supplantata, tollit filios suos, qui subtiliores in fide sunt, et filias quæ non habent tantam fidei fortitudinem, aut certe filios, qui mystica quæque cognoscunt, filias quæ simplicem sequuntur historiam. Et tradit dæmonibus devorandos et cum interficiat eos, vivificare se credit et placare simulacra, quorum occisione saturantur. Quodque dicitur juxta Septuaginta, hoc est, super omnem fornicationem tuam, et abominationes tuas : illud significat : quod cunctis peccatis et fornicationibus pejor sit doctrina hæreticorum, quæ Dei filios, facit filios dæmoniorum, imo interficit eos, quos vel multo labore genuerat Deo, vel suos fecerat filios, quos in fornicatione genuerat.

« Et accidit post omnem malitiam tuam, væ, væ « tibi, dicit dominus Deus. Et ædificasti tibi lupanar, « et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, ad « omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis « tuæ, et abominabilem fecisti decorem tuum. Et « dimisisti pedes tuos omni transeunti, et multipli« casti fornicationes tuas, et fornicata es cum filiis « Ægypti vicinis tuis magnarum carnium. Et multi« plicasti fornicationes tuas ad irritandum. » Quod semel et iterum atque iterum diximus in perpetuum dixisse sufficiat, sub persona mulieris post mariti beneficia fornicantis describi fornicationem Jerusalem : quomodo a Deo recesserit, et juncta sit idolis, nec occulta fuerit fornicatione contenta, sed ædificaverit sibi lupanar, et omni via signum transeuntibus posuerit, ut venirent ad scortum et satiarent libidinem : non tam suam quam ejus, quæ divaricavit crura sua omni transeunti, et pulchritudinis magnitudinem fornicationis magnitudine deturparit. Et inter cætera, etiam Ægyptiis vicinis suis amore magnarum carnium prostrata sit. Et ut omne genus turpitudinis demonstraret, multiplicis spurcitiæ genere deformata sit. Nulli autem dubium, quod Ægypto vicina sit Palæstina, dicente Domino ad Abraham : « Dabo tibi omnem terram a fluvio Ægypti usque ad flumen magum Euphraten (*Gen.* XV) ; » ut ex una parte Ægyptios, ex altera habeat Assyrios, cum quibus et in posterioribus dicitur fornicata. Fornicatio autem Jerusalem cum Ægyptiis idololatriæ eorum imitatio est. Et ad nostram Jerusalem sive Ecclesiam, sive credentium animas : si fuerint negligentes, et omnibus vitiis patuerint, duplex maledictionis sermo dirigitur, ut audiant, væ, væ tibi, ait Dominus Deus ; » juxta illud quod scriptum est in Apocalypsi Joannis : « Væ super omnes habitatores terræ (*Apoc.* VIII). » Si enim sanctus dicit : « Advena sum et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII), » quare non peccator habitator terræ esse dicitur ? Ædificat autem sibi lupanar, qui tota frontis libertate delinquit, juxta illud quod scriptum est : « Peccator cum venerit in profundum iniquitatis, contemnit (*Prov.* XVIII). »

Et exstrui altissimum locum in cunctis plateis. « Lata enim et spatiosa via quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII). » Et in omni capite viæ ædificat, ut nulla peccatorum genera derelinquat, sed imitans scortum proverbiorum manifeste in plateis et in angulis platearum, prætereuntes stultos juvenes ad suos invitet amplexus, et polluat animæ decorem, quem pro beneficio a Deo conditore sortita est : et omnia itinera ejus plena sunt turpitudinis cunctisque cogitationibus, quæ vitiorum incentiva suppeditant, aperit cor suum et crura divaricat. Et fornicatur cum Ægyptiis vicinis suis, quorum exempla sectatur, ethnicis videlicet, qui in suis turpitudinibus gloriantur, et tam nefaria est, ut ipsos quoque superet in turpitudine. Et hæc omnia facit, ut Deum ad iracundiam provocet. Magnarum autem carnium Ægyptii esse dicuntur, sive ob turpitudinis magnitudinem, sive ob peccatorum deformitatem. Unde sanctus dicitur, carnium parvularum, quæ in eo decrescunt quotidie, et per virtutes attenuantur, ita ut nequaquam caro appelletur, sed spiritus, et loquatur in psalmo : « Sitivit anima mea ad te, Deus, quam multipliciter tibi caro mea, in terra deserta et inaquosa sic in sancto apparui tibi (*Psal.* LXII). » Quamobrem et Corinthius fornicator traditur in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. De hac carne scriptum est : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Aruit fenum, et flos ejus decidit ; verbum autem Domini manet in æternum (*Isa.* XL). » De qua et Apostolus loquebatur : « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* XV). » Et in Genesi loquitur Deus : « Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt (*Gen.* VI). » Et ad credentes dicitur : « Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu (*Rom.* VIII). » Alia autem caro sanctorum est. De qua scriptum est : « Omnis caro videbit salutare Dei (*Isa.* XL). »

« Ecce ego extendam manum meam super te, et « auferam justificationem tuam, et dabo te animis « odientium te, filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt [*Al.*, erubescunt] in via tua scelerata. » Extendit autem Dominus super Jerusalem manum suam, ut corrigat delinquentem, et auferat legitima ejus, quæ quamdiu Dei præcepta servabat, legitima Domini dicebantur. Quando vero adoravit idola et religionem impietate mutavit, nequaquam legitima illius appellantur. Quod non solum in lege et cæremoniis, sed in sabbatis quoque et diebus festis, et neomeniis ac-

cipiendum. Dans enim legem ait: « Sabbata mea et dies festos meos (*Levit.* XIX). » Quando autem recesserunt a Deo, dicitur eis: « Neomenias vestras et sabbata et diem magnum non recipiam. Jejunium et otium et solemnitates vestras odit anima mea (*Isa.* I). » Quod et de populo scriptum est. Qui enim prius Dei populus vocabatur, postquam recessit a Deo, dicitur de eo ad Moysen: « Peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti (*Exod.* XXXII). » Quæ hic extensio manus alibi elevatio sive visitatio dicitur. Quando enim peccantem non corripit Deus, contrahit manum suam. Sin autem peccaverit, et in Dei cœperit lege ægrotare, mittitur ad eum visitatio juxta illud quod in psalmis canitur: « Si dereliquerunt filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, visitabo in virga iniquitates eorum (*Psal.* LXXXVIII). » Et in hoc Propheta scriptum est: « Terra si peccaverit mihi ut delinquat delictum, extendam manum meam super eam, et conteram firmamentum panis ejus (*Psal.* CIV), etc. » In quo quærimus quid sit inter extensionem manus, et emissionem ejus. Loquitur diabolus ad Dominum: « Mitte manum tuam, et tange omnia quæ habet, nisi in facie benedixerit tibi (*Job.* II). » Videturque mihi mitti manus ad probationem eorum quibus mittitur. Extendi autem ad pœnas eorum, qui merentur supplicia, nec solum extensio et emissio, sed expansio manus Dei dicitur, Isaia ex persona Domini proclamante: « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem (*Isa.* LXV). » Sanctus quoque levare narratur manus, Scriptura dicente: « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL). » Sublatis autem legitimis Dei a populo Judæorum interrogemus eos quam habeant legis observantiam: Victimas sublato templo atque subverso offerre non possunt, nec adulterarum lapidatio, cæterorumque criminum lege concessá exercere potest, et vacatio terræ anno remissionis et cætera hujusmodi. Datur autem in animas odientium se filiarum Palestinarum, quando traditur Palestinis: quos indifferenter Septuaginta alienigenas vocant: quas intelligere possumus urbes vel oppida Palestinæ. Nostra quoque Jerusalem si prætereamus cæremonias Dei, et extenta fuerit manus ejus super nos, et ablata cuncta legis observantia tradetur filiabus Palestinæ et non filiis. Neque enim primum fortioribus suppliciis trademur, sed juxta peccatorum qualitatem inferioribus, ut correpti in minori, majora cruciatuum tormenta vitemus. Philisthiim, hoc est, Palestini, prima litterarum parte mutata, interpretantur cadentes, poculo sive factura [*Forte*, *actura*] per quæ significatur tradendos nos adversariis potestatibus, quæ biberunt de calice Babylonis et corruerunt, et quarum opera perversa sunt. Tantaque erit miseræ Jerusalem correptio atque ignominia, ut erubescant, etiam ipsæ adversariæ potestates super nostrorum magnitudine peccatorum. Sublatis autem cæremoniis Dei a populo Judæorum ad nos cum sacerdotio transit et legislatio, Scriptura dicente: « Constitue, Domine, legislatorem super eos (*Psal.* IX). » Et in alio loco: « Legem pone mihi, Domine, in via tua (*Psal.* XXVI). »

« Et fornicata es in filiis Assyriorum, eo quod « necdum fueris expleta. Et postquam fornicata es, « nec sic es satiata. Et multiplicasti fornicationem « tuam in terra Chanaan cum Chaldæis: et nec sic « satiata es. » Supra scriptum est fornicatam Jerusalem cum filiis Ægypti vicinis suis, qui sunt magnarum carnium. Hic altera Assyriorum vicinitas indicatur. Et propterea utrisque traduntur gentibus, quia utrarumque simulacra venerati sunt. Ingredientesque Chaldæam, quæ est terra Chanaan, imitati sunt eorum errores, quorum imperio subjacebant. Secundum tropologiam, de aliis peccatis, ad alia sæpe transimus, cumque non egerimus priorum scelerum pœnitentiam, augemus delicta delictis, et nullo errore satiamur. Sed quasi fune longo et corrigia jugi vitulæ trahimus peccata, et testamentum nostrum sive fornicationem multiplicamus in terra Chanaan, quæ interpretatur, quasi fluctuatio, et cum Chaldæis, qui et ipsi nobiscum sonant, quasi dæmonia, semperque vestigia habemus in sabulo. Et numquam possumus dicere, « statuit supra petram pedes meos, » hæreticorumque pravitatibus subjicimur, qui habent similitudinem dæmoniorum, sive ipsis dæmonibus, de quibus Paulus scribit: « Non est nobis pugna adversum carnem et sanguinem, sed adversum rectores tenebrarum istarum, adversum spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI). »

« In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, « cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis et « procacis, quia fabricata es lupanar tuum in capite « omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni pla« tea, nec facta es, quasi meretrix fastidio augens « pretium. » Hæc omnia ad Jerusalem loquitur Deus, quod invenire non valeat quo ægrotantem et seminecem possit curare medicamine, juxta illud quod scribit Isaias: « Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non fecerim ei (*Isa.* V). » Et Oseæ: « Quid tibi faciam, Ephraim, quid faciam tibi, Juda? Misericordia vestra, quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens (*Ose.* VI). » Idololatria enim tua non in occulto, sed tota libertate commissa est, ut in omnibus viarum principiis et compitis poneres aras et bases sive excelsum tuum (de quo supra diximus) faceres in omni platea, nec imitata es callidas meretrices, quæ solent difficultate augere libidinis pretium, et ex hoc magis amatores ad insaniam provocare. Sive juxta Septuaginta, non fuisti, quasi meretrix, congregans mercedes: sed dedisti, quæ accipere debueras, ut nec in eo, quod fornicata es et secuta dæmones, eorum protegereris auxilio: sed variis oppressa captivitatibus sentires calamitates tuas. Quod quidem et ad omnem animam christianam referri potest, quæ deserto cultu Dei, vitiis se luxuriæ pollui permisit, et sæcularem secuta vitam, ne in ea quidem egit feliciter, sed et divitias religionis perdidit, et mundi divitias non accepit:

Nec in constupranda ea fuit aliqua difficultas, sed ipsa se ingessit amatoribus suis. Est autem et alia fornicatio spiritalis, quando deserentes Ecclesiam hæreticis jungimur, et ædificamus lupanar nostrum in capite omnis viæ, quibus præcipit sermo divinus : « State in viis et quærite semitas Domini sempiternas, et videte quæ sit via bona, et ambulate in ea (*Jer.* VI). » Moysi videlicet, Jesu, Judicum et Regum libris Isaiaque et Jeremia, et aliis prophetis. In omnibus viarum principiis fabricatur lupanar suum, quia ob perversitatem doctrinæ, testimoniis male abutitur Scripturarum. Et dicit : Hæc ait Isaias, hæc dicit Osee, hæc locutus est Moyses, hæc Daniel, et pulchre non in mediis viis, nec in viarum terminis ponit lupanar suum, sed in principio. Si enim ad scientiam, et profunda divinorum venerit librorum, errare non poterit. Excelsum quoque suum, sive basim, facit in omni platea ethnicorum se et impiorum lasciviæ vitiisque permittens etiam inter ipsos hæreticos cum ab eis fuerit deturpata, non habens gratiam, sed patens contemptui, quia facile præteritam fidei perdidit castitatem. Hoc autem, quod, ut supra diximus, in Hebraico non habetur, fornicata es tripliciter in filiabus tuis, sive ad Jerusalem juxta litteram dicitur, quod omni genere in suis oppidis, et viculis fornicata sit, et nullus remanserit angulus vel platea, ubi non idololatriæ signa condiderit, sive Ecclesiæ credentibusque deceptis, qui non audierunt illud Apostoli : « Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, et integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in die adventus Domini nostri Jesu servetur (*I Thess.* V). » Sed omni genere fornicati sunt et corpore et anima et spiritu. Legimus in Proverbiis : « Describe autem tibi tripliciter ut respondeas sermones veritatis, qui proponuntur tibi (*Prov.* XXII); » et jubetur nobis ut eloquia veritatis, id est Scripturas sanctas, intelligamus tripliciter : primum juxta litteram, secundo medie per tropologiam, tertio sublimius, ut mystica quæque noscamus. Secundum litteram illud est : « Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia (*I Cor.* X). » Et : « Nolite murmurare, sicut quidam ex eis murmurati sunt, et perierunt ab exterminatore (*Ibid.*). » Medie autem et juxta tropologiam, quando recedimus a littera paululum ad altiora conscendimus dicente Apostolo : « Scriptum est, Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX). » Statimque sequitur : « Nunquid de bubus cura est Deo? an propter nos utique locutus est? (*Ibid.*) Extrema autem, id est, tertia et sublimis sacraque intelligentia, juxta illud ejusdem Apostoli : « Propterea relinquet homo Patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ : sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V). » Filiæ autem Ecclesiæ sunt fornicantis, credentium prius et post deceptorum in hæresi animæ quarum culpa refertur ad matrem.

« Sed quasi mulier adultera, quæ super virum « suum inducit alienos. Omnibus meretricibus dantur mercedes : tu autem dedisti mercedem cunctis « amatoribus tuis, et donabas eis ut intrarent ad te, « undique ad fornicandum tecum : factumque est « in te contra consuetudinem mulierum in fornica- « tionibus tuis. Et post te non erit fornicatio. In eo « enim quod dedisti mercedes, et mercedes non ac- « cepisti, factum est in te contrarium. » Tulit igitur Jerusalem rerum omnium abundantiam, qua fuerat viri liberalitate donata. Et dedit eam alienis, dæmonibus videlicet et idolis, juxta illud quod scriptum est in Osea : « Et hæc non cognovit, quia ego dedi ei triticum et vinum et oleum, et argentum multiplicavi ei. Ipsa vero argentea et aurea fecit Baali (*Ose.* II). » Unde iratus statim infert : « Propterea convertar et auferam triticum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo. Et tollam vestimenta mea et linteamina mea, ut non operiant ignominiam ejus. Et nunc revelabo immunditias in conspectu amatorum illius, et nemo eruet eam de manu mea (*Ibid.*). Cumque omnes mulieres fornicantes soleant accipere mercedes ab amatoribus suis, Jerusalem fecit contrarium, ut magis daret, quam acciperet : ut largitatem mercedis ostenderet. Honorabat, inquit, eos ut venirent, ad se per circuitum, ne quis esset vicinus, qui ejus ignominiæ non misceretur. Et quidem Jerusalem in hoc quoque vicit alias meretrices, ut non solum sua daret, quæ pro ritu turpitudinis labore quæsiverat, sed et munera maritalia amatoribus et stupratoribus suis tribueret. Tantaque fuit expositio adulteræ ad omnem turpitudinis magnitudinem, ut non solum præsentibus, sed etiam futuris meretricibus præferatur. Unde et nos juxta Symmachum interpretati sumus, « et post te non erit fornicatio. » Collatione enim tuis omnis deinceps fornicatio levior æstimabitur. Quidquid de Jerusalem diximus, referre ad ecclesiam animasque credentium, quæ munera maritalia, aurum videlicet in sensu, et argentum in eloquio, et vestimenta quibus fœditas nostra et turpitudo velatur, amatoribus dant suis, vel contrariis fortitudinibus vel magistris dogmatum perversorum, quando asserunt nihil nocere luxuriam, et passivam libidinem, juxta corporis genitalia, coitum naturali lege deposcere : cibis omnibus indifferenter utendum, qui ad hoc facti sunt ut sumantur, prudentiam in eo tantum necessariam, ut sibi prosit. Nec justitiam habere locum, quæ si valeat mendicandum sit, et cum hujusmodi, quæ accipiens misera Jerusalem in qua visio pacis esse deberet, acumen ingenii et eloquii venustatem vertit in turpitudinem : et pro amatoribus suis, adversum maritum ornata processit his ornamentis in quibus in boni abusionem a viro fuerat ornata. Quodque sequitur :

« Et donabas eis ut intrarent ad te undique ad « fornicandum tecum. » Omne genus significat peccatorum, ut non uno sit contenta delicto, sed peccandi sustineat famem, et contra jura naturæ omnibus turpata membris usque verticem polluatur.

« Propterea, meretrix, audi verbum Domini. Hæc « dicit Dominus Deus : Quia effusum est æs tuum,

« et revelata est ignominia tua in fornicatione tua, super amatores tuos, et super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum quos dedisti eis. Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commixta es, et omnes quos dilexisti cum universis quos oderas. Et congregabo eos super te undique et nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam et judicabo te judiciis adulterarum et effundentium sanguinem. Et dabo te in sanguine furoris et zeli et dabo te in manus eorum, et destruent lupanar tuum, et demolientur prostibulum tuum. Et denudabunt te vestimentis tuis, et auferent vasa decoris tui. Et derelinquent te nudam plenamque ignominia, et adducent super te multitudinem, et lapidabunt te lapidibus, et trucidabunt te gladiis suis. Et comburent domus tuas igni, et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum. Et desines fornicari, et mercedes ultra non dabis, et requiescet indignatio mea in te, et auferetur zelus meus a te. Et quiescam, nec irascar amplius, eo quod non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, et provocasti me in omnibus his. Quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci juxta scelera tua, in omnibus abominationibus tuis. » Primum historiæ fundamenta jacimus. Quia hæc et illa fecisti, quæ superior sermo comprehendit. Idcirco audi, meretrix, quæ feceris, quæ passura sis. Effudisti æs tuum quod a me acceperas et dedisti mercedem amatoribus tuis, quæ accipere debueras. Et interfecisti filios tuos, dum eos offers idolis : ut non solum adultera, sed et parricida exstiteris. « Idcirco congregabo super te omnes amatores tuos cum quibus fornicata es. » Tam eos quos dilexisti, quam illos quos oderas. Et adulterarum te lege nudabo, ut omnes videant turpitudinem tuam, et genitalia, propter quæ prius amoris amentia ferebantur. Hæc autem omnia per metaphoram mulieris adulteræ et homicidæ, quæ non solum contra virum suum fornicata sit, sed et filios interfecerit, dicuntur ad Jerusalem. Et quod congregandæ sint universæ gentes adversum eam, quarum adoraverit idola, et omnia Dei munera in cultum eorum converterit, et destruatur templum Baal, et aræ omnis civitatis incendio subvertantur, nihilque in ea remaneat. Et sicut solent contra adulteram omnes lapides jacere, et trucidare meretricem, ut singulorum vulneribus occidatur, ita ut omnes mulieres videant pœnam fornicariæ : sic in conspectu aliarum in circuitu civitatum et omnium nationum deserendam Jerusalem. Et hoc fieri, ut desinat fornicari, et non det ultra mercedes amatoribus suis, et requiescat indignatio Dei, nec irascatur ei, quam amare desierit. Ex quo perspicimus grandem offensam esse nequaquam curam haberi a Deo, sed permitti hominem sceleribus suis atque peccatis. « Auferetur, inquit, zelus meus a te, et requiescam, nec irascar amplius, » quasi alienæ, et quæ a me recesserit, et quam æternæ tradiderim nuditati. Si autem hoc passa est Jerusalem, quia cum idolis fornicata est, quid eam passuram putamus, quando Dei Filium trucidavit? Et hæc, ait, universa fecisti, oblita pristinorum beneficiorum, et me ad iracundiam provocasti, sive contristasti me, quem bonis operibus debueras ad gaudia provocare. Propterea et ego reddidi tibi opera tua in caput tuum. Et cum te subvertero, o adultera, tamen minus in te iræ meæ, exercebo, quam meruisti, quo et in hoc divina clementia demonstretur : ut majora sint peccata, quam pœnæ. Juxta tropologiam omnis anima accipit a Deo pecuniam spiritalem, juxta illud Evangelii (*Matth.* XXV ; *Luc.* XIX) quod dicitur in parabolis quinque et duum et unius talentorum, et servorum decem mnas singulas accipientium, qui cum egerint negligenter, debitores fiunt decem denariorum, et quingentorum, et propter hoc præsentibus amatoribus quos intelligimus dæmonas contrariasque virtutes, revelatur ignominia Jerusalem, vel in die judicii vel in tempore pœnitentiæ quando corripiuntur. Et prius quidem solus omnipotens Deus cernit occulta, dicente sermone Evangelico : « Et Pater qui videt in abscondito (*Matth.* VI). » Et in alio loco : « Scrutans corda et renes Deus (*Psal.* VII). » Et in Regum volumine : « Tu solus nosti corda filiorum hominum (*II Paral.* VI). » Quando vero fuerit expletum, « non est absconditum, quod non manifestetur, et opertum quod non reveletur (*Matth.* X). » Et in alio loco : « Nolite ante tempus judicare donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo (*I Cor.* IV). » Et cum correptionis tempus advenerit, tunc implebitur illud Oseæ : « Nunc circumdederunt eos cogitationes suæ (*Ose.* VII). » Et in alio loco : « Inter se cogitationibus accusantibus sive defendentibus in die quando judicat Deus abscondita hominum (*Rom.* II). Et rursum : « Ecce homo et opera ejus ante faciem illius. » Et videbunt omnes turpitudinem ejus, qui prius cum ea fuerant fornicati. Et dabit eam Deus in sanguine furoris et zeli : Plenus est enim furor viri contra uxorem adulteram, et nullo pretio potest redimi. Sanguis autem filiorum sic intelligi potest, ut filios appellemus Jerusalem cogitationes bonas, quæ a Deo hominibus insitæ sunt : quos interficit adultera quando ad mala opera declinarit. Prodest quoque Jerusalem, ut suffodiatur lupanar ejus et omne fornicationis ejus seminarium destruatur. Cum enim hoc factum fuerit, mercedes ultra non dabit, et requiescet Dei indignatio, et nequaquam eam zelabitur, de illius castitate securus, videlicet juxta eos, qui in bonam partem accipiunt, quæ dicuntur. Alii vero, ut supra diximus, ad contrariam partem referunt, ut magnæ iræ Dei sit, non irasci, cum semel contempserit fornicantem, et de salute illius desperarit. Sin autem hæretici, qui vetus non recipiunt Instrumentum, juxta Septuaginta editionem in hoc loco reprehenderint illud quod dictum est : « Et contristabas me in omnibus istis, » eo quod Deus non solum iram recipiat, sed et mœrori subjaceat atque tristitiæ,

interrogemus eos, quomodo illud suscipiant, quod certe boni Dei mandatum est: « Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in die redemptionis (*Ephes.* IV). » Quidquid enim dixerint in defensionem illius testimonii, hoc nos in satisfactionem præsentis sermonis aptabimus.

« Et ecce omnis qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud dicens: Sicut mater, ita et filia ejus; filia matris tuæ es, quæ projecit virum suum et filios suos; et soror sororum tuarum, quæ projecerunt viros suos et filios suos. » Post κατάλογον vitiorum et correptionis Jerusalem per quam retrahitur ad salutem, aptatur ei tritum vulgi sermone proverbium: sive ut Septuaginta transtulerunt parabola: Qualis autem mater talis et filia. Mater autem Jerusalem sicut supra et in consequentibus scriptum est: Cethæa appellatur, interpretaturque insaniens, sive in amentiam vertens, per quæ sæculi hujus incentiva monstrantur, quæ captivam animam ducunt ad interitum, et a viro suo separant. Haud dubium quin verbum Dei doctrinaque dicatur. « Et soror sororum tuarum. » Et post paululum lecturi sumus, Sodoma vocatur et Samaria, quarum altera gentilem vitam luxuriamque significat: altera hæreticorum decipulas. Porro, quod in Septuaginta legitur: « Sorores sororum tuarum, » quæ repulerunt viros suos et filios suos, non habet sensum. Quas enim alias sorores habebant Sodoma et Samaria, quæ sorores sunt Jerusalem? Et hoc quærendum, quos viros Sodoma Samariaque dimiserint, et quos projecerint filios? Nisi forte possimus hoc dicere, quod semper errantium fluctuent pedes, nec sunt solida vestigia, quæ proprie veritatis sunt, sed huc illucque discurrant, et circumferantur omni vento doctrinæ, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem: et cum in primis frustra se sudasse cognoverunt, ad secunda tertiaque transcendant.

« Mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus, et soror tua major Samaria, ipsa et filiæ ejus, quæ habitant ad sinistram tuam. Soror autem tua minor te, quæ habitat a dextris tuis Sodoma et filiæ ejus. Sed nec in viis earum ambulasti neque juxta scelera earum fecisti, paulominus pene scelestiora fecisti illis in omnibus viis tuis. » Supra dixerat: « Pater tuus Amorrhæus et mater tua Gethæa; » hic ordine et numero commutato: « Mater vester Cethæa, et pater vester Amorrhæus. » Cum enim scelera profecerint, scinduntur in partes, et unione deserta in turbam proficiunt ac multitudinem, quæ cum Jesu non valet ad montana transcendere. Sorores autem Jerusalem Samariam et Sodomam, quarum altera a sinistris, altera a dextris est; etiam secundum intelligentiam corporalem, si de templo Jerusalem orientem aspicias, approbabis, quod major sit, quæ dicitur Samaria, quia prior peccavit, et ab Assyriis ducta est in captivitatem, et minor ac junior Sodoma, quæ refertur ad gentium turbam: alioquin eo tempore Sodoma non erat, quæ priusquam in scripturis legamus Jerusalem cum Gomorrha, Adama et seboim divino fuerat igne deleta. Media autem inter duas sorores Jerusalem, quæ alio nomine appellatur Juda, a Chaldæis ducta est in Babylonem. Multoque Jerusalem sceleratiora peccavit, quam Samaria et Sodoma in templo adorans idolum zeli, et postea Dei Filium interficiens. Porro secundum tropologiam Samaria et Sodoma, id est, hæretici et ethnici sæpe leviora committunt, quam hi qui putantur Jerusalem, hoc est, ecclesiastici. Unde ad Corinthios dicitur, qui credebant quidem in Christum, sed malis operibus premebantur: « Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes (*I Cor.* V), etc. » Solent hæretici, qui tamen vetus suscipiunt Instrumentum, tales naturas ex hoc loco intelligere: spiritalem, animalem, terrenam. Et spiritalem referunt ad Jerusalem, animalem ad Samariam, terrenam ad Sodomam. Quos breviter interrogemus, quomodo tres naturæ spiritalis, animalis, et terrena, quæ utique inter se diversæ sunt, unam matrem et unum patrem habere dicantur, quod figmento eorum non congruit. Et quomodo animalis et terrena naturæ juxta hunc eumdem Prophetam restituantur in antiquum statum idem in spiritalem, quod et ipsum eorum rationibus contrarium est. Quod autem Samaria intelligatur in hæresibus, et in *Osea* propheta et in multis aliis locis, præcipueque illo testimonio comprobatur: « Væ qui despiciunt Sion, et qui confidunt in monte Samariæ, vindemiaverunt principia gentium (*Amos* VI). » Omnes enim hæretici despiciunt Sion, quæ interpretatur specula, et refertur ad ecclesiam: et confidunt sibi in monte Samariæ, in superbia videlicet dogmatum perversorum, quæ putant esse sublimia, et per has prædicationis fraudulentias, vindemiant atque populantur principia gentium, ut miraculo doctrinarum potentes quosque gentilium ad errorem hæreticum pertrahent.

« Vivo ego, dicit Dominus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa et filia ejus, sicut fecisti tu et filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia; et otium ipsius et filiarum ejus. Et manum egeno et pauperi non porrigebant, et elevatæ sunt et fecerunt abominationes coram me. Et abstuli eas sicut vidisti, et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. » In Veteri Testamento Dei juramentum est: « Vivo ego, dicit Dominus. » In Novo autem: « Amen, amen dico vobis. » Sin autem hoc commune cum cæteris est: « Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est Deus mortuorum sed viventium (*Marc.* XII). » Et in alio loco: « Placebo Domino in regione viventium (*Psal.* CXIV). » Quærimus qua ratione commune vocabulum proprie sibi vindicet Deus, sed quomodo dicitur arbor bona et bonus homo, et bonus pastor, et bonus servus; nemo autem absolute bonus nisi solus Deus; sic cum angeli cæteræque virtutes, Patriar-

ctiæ quoque et Prophetæ atque Apostoli sint viventes, comparatione Dei omnipotentis, mortui appellantur: « Quis est enim homo, qui vivit, et non videbit mortem? (*Psal.* LXXXVIII.) » Unde et Apostolus Paulus de Deo: « Qui solus, inquit, habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem (*I Tim.* VI). » Et de fonte viventium: « Vita, inquit, nostra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III). » Iste igitur, qui jurat et loquitur: « Vivo ego, dicit Dominus; » describens Sodomæ et filiarum ejus scelera, primam superbiam posuit diaboli proprium primumque peccatum. Unde idem apostolus: « Ne inflatus, ait, superbia incidat in judicium diaboli, » propter quam de cœlo corruit. Dixerat enim: « fortitudine faciam et sapientia intelligentiæ auferam terminos gentium et robur earum devastabo, et commovebo civitates habitatas, et orbem terrarum totum apprehendam manu sicut nidum, et sicut confracta ova auferam. » Et « superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV). » Legimus et in alio loco: « Quid superbis, terra et cinis? (*Eccli.* X.) » Et Evangelium refert Pharisæi superbiam, publicani humilitate superatam (*Luc.* XVIII). Cujus seminarium est saturitas panum, et rerum omnium abundantia et otium; sive ut Septuaginta transtulerunt, « deliciarum luxuriæque opulentia. » Dives ille in Evangelio purpuratus nihil aliud refert habuisse criminis, nisi quod opibus et deliciis affluens in tantam eruperat superbiam, ut manum egeno et pauperi Lazaro non porrigeret, et sic oblitus sit conditionis suæ, ut ne hoc quidem misero daret, quod projiciendum erat (*Luc.* XVI). Ob quam causam, et in alio loco scribitur: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur, etc. (*Matth.* XXIII). » Superbia, saturitas, rerum omnium abundantia, otium et deliciæ peccatum Sodomiticum est. Et propter hoc sequitur Dei oblivio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, et nunquam sibi necessaria indigendum. Quapropter et lege præcipitur: Attende ne comedens et bibens, et saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oves et boves, argentum et aurum, obliviscaris Domini Dei tui. (*Greg.*) Cum ad Jerusalem dicitur, « hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia saturitas panis et abundantia, » aperte ostenditur, quod idcirco salutem perdidit, quod cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excedit. (*Hieron.*) Et in alio loco de Israel scriptum est: « Manducavit et bibit et saturatus est, et impinguatus, et calcitravit dilectus (*Deut.* XXXII). » Quod sciens et sapientissimus omnium Salomon in Proverbiis deprecatur: « Tribue mihi necessaria, et quæ sufficiant, ne saturatus mendax efficiar, et dicam: Quis me videbit? aut pauper effectus furer, et perjurem nomen Dei mei (*Prov.* XXX). » Quodque sequitur: « Et justificasti sorores tuas in cunctis abominationibus tuis quas operata es, » non simpliciter justas Sodomam et Samariam esse decernit, sed pro comparatione deteriorum; quomodo et publicanus, de quo supra diximus, non absolute dicitur justus, sed collatione pe-

A joris. Et tamen cum tales sint Sodoma et Samaria, ne dimidium quidem peccaverunt comparatione Jerusalem: « Servus enim, qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis (*Luc.* XII). » Et: « Potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* VI). » Porro quod pro divitiis otium in Hebræo continetur, sciendum ad illum sensum pertinere: « in desideriis est omnis anima otiosi, » quod videlicet semper aliquid agendum sit, ne ager pectoris nostri cessante manu malarum cogitationum sentibus occupetur.

« Ergo et tu porta confusionem tuam, quæ vicisti « sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens illis, « justificatæ enim sunt a te. » (*Hieron.*) Secunda post naufragium tabula est, cum peccaveris erubescere, et non illi subjacere increpationi, quæ contra B Jerusalem dicitur, « facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere. » Portat autem tormentum suum, qui propria torquetur conscientia, et in isto sæculo sustinet propria voluntate cruciatum, ne æterna tormenta sustineat. Corrumpimusque fratres nostros vel sorores peccatis nostris, quando nostro peccato ad majora scelera provocantur. Quod dico ita fiet manifestius: finge aliquem in sacerdotali culmine constitutum, non bene vivere, et deturpare operibus dignitatem: nonne imitatione vitiorum ejus laicos frater corrumpitur? Nam et qui unum de minimis scandalizaverit, mola collo alligata præcipitatur in profundum. Sorores quoque Jerusalem, Sodoma et Samaria justificantur, non quo per se justæ sint, sed ut diximus comparatione pejoris.

C « Ergo et tu confundere et porta ignominiam tuam, « quæ justificasti sorores tuas. » Confusionem sequitur ignominia, ignominiam correptio, correptionem consolatio, consolationem salus, juxta illud Apostoli: « Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit (*Rom.* V). » Haud dubium quin in futuro, quia in præsentiarum sua per confusionem peccata delevit. Tale quid et illud Evangelii sonat: « Est confusio quæ ducit ad mortem, et est confusio quæ ducit ad vitam (*Eccli.* IV). » Spiritus quoque sanctus peccatores hortatur in Psalmis: « Confundantur et revereantur omnes inimici mei, convertantur retrorsum et confundantur valde velociter (*Psal.* XXXIX). » Scriptum est et in alio loco: « Dic tu D primum peccata tua, ut justificeris (*Isa.* XLIII). » Et rursum: « Justus accusator sui est, in principio sermonis (*Prov.* XVIII). » Non igitur mirum si provocetur Jerusalem ad confusionem et ignominiam, quæ intantum peccavit, ut justificaret sorores suas. Cui deinceps dicitur, « et tu, et filiæ tuæ revertimini in antiquum statum. »

« Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, et conversione Samariæ « et filiarum ejus. Et convertam conversionem tuam « in medio earum ut portes ignominiam tuam, et « confunderis in omnibus quæ fecisti consolans « eas. » Grandis profectus Jerusalem, ut post confusionem et ignominiam, quam illatam sibi Dei ju-

dicio libenter excepit atque portavit, dicens : « Iram Domini sustinebo quoniam peccavi ei : » promittatur ei restitutio in antiquum statum. Sed tamen quoniam comparatione scelerum ejus justificata est, Sodoma et Samaria quarum altera a dextris, altera a sinistris est, primum restituitur conversio, sive captivitas Sodomæ, ut interpretatus est Aquila. Secundo captivitas Samariæ, ut idem Aquila et Simmachus transtulerunt. Et novissima restituitur Jerusalem, quæ majore fuerat iniquitate depressa, et peccatrices sorores collatione sui justas esse monstraverat. Cui enim dubium, quin inter tres peccatores imo impios, gentilem, hæreticum, ecclesiasticum, multo majoribus pœnis dignus sit, qui majoris fuerit dignitatis? « Potentes enim, ut diximus, potenter tormenta patientur. » Qui autem minimus fuerit, dignus est misericordia. « Et servus, qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis. » Unde et Petrus : « Tempus, inquit, est ut incipiat judicium de domo Domini (*I Petr.* IV). » Et in hoc eodem Propheta præcipitur secures habentibus : « a sanctis meis incipite. » Ut extrema Jerusalem sororibus ante conversis et restitutis in pristinum statum, portet ignominiam suam, et confundatur et erubescat super his quæ peccaverat, et in omnibus consoletur sorores suas, dum graviora sustinet. Vel certe ideo confundatur et erubescat, quia Deum ad iracundiam provocaverit. Ex quo perspicuum non esse naturalem iram Dei, sed nostris vitiis clementissimum et mansuetissimum Deum, ad iracundiam provocari, dicente Apostolo : « An divitias bonitatis ejus et sustentationis et patientiæ contemnis, ignorans quia bonitas Dei ad pœnitentiam te provocat? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram (*Rom.* II), quam Deus naturaliter non habet. Unde et in alio loco scriptum est : « Et misisti iram tuam, quæ devoravit eos quasi stipulam (*Exod.* XV). » Quod enim conjunctum est, et in uno corpore copulatum mitti non potest, sed illud quod extra corpus est, verbi gratia, lancea, telum, sagitta, gladius. Legimus et in Evangelio tolerabilius fore, terræ Sodomorum in die judicii, quam ei quæ apostolos non receperit.

« Et soror tua Sodoma et filiæ ejus revertentur « ad antiquitatem suam, et Samaria et filiæ ejus re- « vertentur ad antiquitatem suam. Et tu et filiæ tuæ « revertimini ad antiquitatem vestram. » Judæi inter cæteras fabulas, ut interminabiles genealogias et deliramenta, quæ fingunt etiam hoc somniant in adventu Christi sui, quem nos scimus Antichristum, et in mille annorum regno Sodomam restituendam in antiquum statum : ita ut sit, quasi paradisus Dei, et quasi terra Ægypti, et Samariam pristinam recipere felicitatem, ut de Assyriis revertantur in terram Judæam. Legimus enim decem tribus captas a Phul et Salmanasar et Teglathphalasar regibus Assyriorum, et usque hodie ibi esse captivas. Jerusalem quoque tunc esse fabricandam et omnes filias ejus. Urbes videlicet et vicinos et castella, quæ sub ipsius futura sunt potestate florituras, ut prius fluxerunt. Et ipsam Jerusalem auro et argento, et pretiosis lapidibus extruendam : de qua et Isaias vaticinetur : « Constituam judices tuos sicut prius et consiliarios tuos sicut a principio. Et post hæc vocaberis civitas justitiæ, mater civitatum, fidelis Sion (*Isa.* I). » Et nostra loquatur Apocalypsis (*Apoc.* XXI). Et David canit : « Bene fac, Domine, in bona voluntate Sion, et ædificentur muri Jerusalem (*Psal.* L). » Et in alio loco : « Ædificabuntur civitates Judæ, et inhabitabunt, et commorabuntur ibi, et semen eorum in æternum dirigetur (*Psal.* LXVIII). » Nos autem horum perfectam scientiam Dei judicio relinquentes, imo liquido confidentes, post secundum adventum Domini Salvatoris nihil humile, nihil futurum esse terrenum, sed regna cœlestia, quæ primum in Evangelio promittuntur, hoc dicimus quod in Ecclesiæ statu cuncta completa sint, et quotidie compleantur. Sodoma revertitur in antiquum statum, quando naturæ suæ reddita gentilis prius et justa anima intelligit Creatorem. Samaria recipit antiquam beatitudinem hæreticorum errore contempto, et juncta doctrinæ et fidei Christianæ. Cumque illæ reversæ fuerint, et Jerusalem visio pacis quæ interpretatur Ecclesia, revertetur in pristinum statum. De qua scriptum est : « Factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV). » Et : « Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum (*Psal.* CXXI). » Et in Apostolo : « Quæ autem sursum est, Jerusalem libera est, quæ est mater nostra (*Galat.* IV). » Et in eodem : « Accessistis ad Sion montem, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et millia angelorum frequentium (*Hebr.* XII). » Et revertetur cum filiabus suis, quæ in toto orbe dispersæ sunt. De quo plenius in Isaiæ explanationibus disseruimus [a].

« Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore « tuo in die superbiæ tuæ, antequam revelaretur « malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium fi- « liarum Syriæ, et cunctarum in circuitu tuo filiarum « Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum. Scelus « tuum et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus « Deus. » Quia igitur vicisti in scelere sororem tuam, nec ejus exemplo territa es, ne similia sustineres, et prohiberes pedem tuum. Nunc autem revelata est ignominia tua, Dei ausculta sententiam, vel porta juxta Septuaginta : vel portasti juxta Aquilam et Theodotionem : vel portatura es juxta Simmachum, scelus et ignominiam tuam. Ut postquam pœnas pro sacrilegio sustinueris, veniam non ex pacto tuo, sed ex mea clementia consequaris. Syria Hebræo sermone dicitur *Aram*, quæ interpretatur *sublimitas*. Et juxta explanationem illius loci Isaiæ prophetæ, in quo Aram et Ephraim consentiunt contra Judam et Jerusalem, ethnicorum arguta sapientia, et quæ sibi sublimitatem scientiæ repromittat, juncta malitiæ hæreticorum impugnat Ju-

[a] Hieronymum audi loquentem, quem describit Rabanus.

dam, in quo vera confessio est, et non potest præ valere. Hic quoque eadem arrogantia Syriæ, id est, philosophorum cum filiabus alienigenarum, in quibus multiplex diversorum in gentibus error ostenditur, illudit Jerusalem, et opprobrio habet cujus vitiis superata est.

« Quia hæc dicit Dominus Deus : Et faciam tibi « sicut despexisti juramentum ut irritum faceres pa« ctum. Et recordabor ego pacti mei tecum in die« bus adolescentiæ tuæ, et suscitabo tibi pactum « sempiternum, et recordaberis viarum tuarum, et « confunderis cum receperis sorores tuas tecum ma« jores cum minoribus tuis. Et dabo tibi eas in filias, « sed non ex pacto tuo, et suscitabo tibi pactum « meum tecum, et scies quia ego Dominus, ut re« corderis et confundaris, et non sit tibi ultra ape« rire os præ confusione tua, cum placatus fuero « tibi in omnibus quæ fecisti, ait Dominus Deus. » Ideo tibi dixi : scelus tuum et ignominiam tuam tu porta, sive portasti, aut portatura es, ut recipias quod mereris, quia despexisti juramentum meum, et irritum fecisti pactum meum. Cum autem fuerit expletum : « Ego occidam, et ego vivificabo ; ego percutiam, et ego sanabo (*Deut.* XXXII) ; » tunc recordabor pacti mei, quod olim tecum habui, et suscitabo tibi pactum nequaquam legis, quod præteriit, sed pactum Evangelii sempiternum. Ut cum recordata fueris viarum tuarum, et receperis sorores

A tuas majores vel minores, Samariam et Sodomam, earumque socias, tribuam tibi eas in filias, sive in probationem (« Oportet enim et hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant [*I Cor.* XI]), » non ex tuo merito, sed ex mea misericordia, et tunc scias quod ego sim Dominus, et recorderis beneficiorum meorum, et confundaris, et dicas juxta Apostolum : « Quia non sum dignus vocari apostolus, etc. (*I Cor.* XV). » Et non sit tibi ultra aperire os præ confusione tua. » Sanctorum est enim aperire os, juxta Paulum : Os meum patet ad vos, o Corinthii (*II Cor.* VI) ; » et Domini Salvatoris, qui « aperiens os suum docebat eos, dicens (*Matth.* V). » Et in Psalmis, inquit : « Aperiam in parabolis os meum (*Psal.* LXXVII). » Peccatori autem dicitur : « Pec-

B casti, quiesce (*Eccli.* XXI). » Et : « Ut quid tu assumis testamentum meum per os tuum (*Psal.* XLIX). » Et : « Non est pulchra laudatio in ore peccatoris (*Eccli.* XV). » Sanctus quoque meretur audire : « Aperi os tuum et implebo illud (*Psal.* LXXX). » Ex quo intelligimus etiam, cum misericordia Domini receperimus pristinam gloriam, imo receperimus pactum Evangelii sempiternum, postquam placatus fuerit nobis Dominus, in omnibus, quæ fecimus memoriam præteriti nos habere peccati et semper os claudere, quia non ex operibus nostris, sed ex Dei gratia salvati sumus.

LIBER OCTAVUS.

« Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in om-

C nibus operibus suis. » Hæc prophetica sententia manifeste completa clarescit in eo quod Dominus plebem Israeliticam commovet, qualibus beneficiis ab initio nutrierit, exprobratque ei duritiam mentis suæ, eo quod ad omnia beneficia ejus semper exstiterit ingrata, et beneficiis ejus mala diffidentiæ et inobedientiæ repensaverit. Hæc quidem in superiori libro maxima ex parte commemorata sunt : nunc autem mala quæ ei et principi ejus propter infidelitatem suam ventura sint, per ænigma et parabolam prædicit, ita ut nullo modo rei et perseverantes in nequitia sua, neque pœnitentiam agere volentes, justæ ultionis evadere possint vindictam, sed meritam operum suorum pœnam protervi percepturi sint. Unde et sequitur :

CAPUT XVII.

Joachim in Babylone captivo Sedechias et Jerusalem datur in manibus Nabuchodonosor : et ponitur prophetia de Christo.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens : « Fili hominis, propone ænigma, narra parabolam « ad domum Israel, et dices : Hæc dicit Dominus « Deus : Aquila grandis, magnarum alarum, longo « membrorum ductu, plena plumis, et varietate, « venit ad Libanum et tulit medullam cedri, summi« tatem frondium ejus evellit, et transportavit eam « in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit « illam. Et tulit de semine terræ, et posuit illud in « terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas « multas. In superficie posuit illud. Cumque ger« minasset, crevit in vineam latiorem humili sta« tura, respicientibus ramis ejus ad eam. Et radi« ces ejus sub illa erant. Facta est ergo vinea et « fructificavit in palmites, et emisit propagines, etc. » Quando prophetæ dicitur : « Propone ænigma, narra parabolam, » sive ut Septuaginta transtulerunt, « narra narrationem et dic parabolam, » ostenditur obscurum esse quod dicitur. Nulli enim dubium et ænigma et parabolam aliud proferre in verbis, aliud tenere in sensibus. Et Salvator enim ad populum loquebatur in parabolis, quas secrete

D apostolis disserebat. Ergo ænigma et parabolam ita debemus intelligere, quasi ænigma et parabolam. Duæ autem in præsenti Ezechielis prophetia aquilæ proponuntur : de prima nunc dicendum est, de altera in consequentibus disseremus, et interim simplicem carpemus historiam. « Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate ; » sive ut vertere Septuaginta, « plena unguium, » Nabuchodonosor rex Chaldæorum est. De quo et Osee loquitur : « Quasi aquila super domum Dei (*Ose.* VIII). » Iste multis imperans nationibus et innumerabili vallatus exercitu

venit super domum Dei haud dubium quin templum significet, sive ut nunc Scriptura dicit, « ad Libanum; » de quo loquitur Zacharias : « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuos; ulula, abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt. » Et crebro templum quod erat inclytum, atque sublime in Scripturis sanctis Libanus appellatur (*Zach.* xi). « Tulitque medullam cedri et summitatem frondium ejus evellit. Et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illum. » Pro *negotiatoribus* sive *negotiationibus muratam* transtulerunt LXX. Indicat autem Jechoniam regem Juda, quem cepit Nabuchodonosor cum matre sua et principibus populi, cunctisque opibus Jerusalem, et vasis templi, et transtulit in Babylonem, quæ est in terra Chanaan, ibique consenuit. De cujus postea genere sicut Matthæi evangelistæ scriptura testatur, Dominus et Salvator noster natus est, per Salathiel et Zorobabel. Qui proprie tulit de semente ejusdem terræ, id est, de stirpe regia, Mathaniam patruum Jechoniæ, cujus vertit nomen, et vocavit eum Sedeciam, et posuit regem in Jerusalem, multisque præfecit populis, et tamen in superficie posuit illum, nec potestatem ejus alta imperii radice firmavit, sed posuit eum ut respiceretur et sub potestate esset Babylonia, sive humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam, ut præesset quidem populis Judæorum, sed respiceret ad Babylonii jubentis imperium. Hoc est enim quod Scriptura dicit, « humili statura, respicientibus ramis ejus ad eam, » subauditur aquilam. Quod apertius vertere LXX : « Ortumque est quod plantatum fuerat. Et factum est in vineam infirmam, et parvulam, ut tantum apparerent rami ejus. » Ut videretur quidem habere regnum, sed ipsum regnum ejus humile atque infirmum Babylonii principis regeretur arbitrio. Hoc interim de præsenti capitulo cui subnectamus et reliqua.

« Et facta est aquila altera grandis magnis alis
« multisque plumis. Et ecce vinea ista, quasi mit-
« tens radices suas ad eam, palmites suos extendit
« ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis
« sui. In terra bona super aquas multas plantavit
« eam, ut faciat frondes et portet fructum, et sit in
« vineam grandem. Dic : Hæc dicit Dominus Deus.
« Ergone prosperabitur? Nonne radices ejus evellet
« et fructum ejus distringet, et siccabit omnes pal-
« mites germinis ejus, et arescet, et non in brachio
« grandi, neque in populis multis ut evelleret eam
« radicitus? Ecce plantata est : Ergone prosperabi-
« tur? Nonne cum tetigerit eam ventus urens sicca-
« bitur, et in areis germinis sui arescet? » etc.

Aquila secunda, id est, altera, et ipsa magna plena plumis, multorumque unguium propter rapacitatem et vastationem gentium plurimarum, rex Ægypti est Pharao. Et ecce vinea ista subauditur rex Sedecias, qui a Nabuchodonosor in Jerusalem fuerat constitutus. « Cœpit, inquit, mittere propagines suas ad eam, » id est, ad regem Ægyptiorum legatos dirigere, et ab eo contra regem cui subditus erat auxilium postulare. Hoc est enim quod Scriptura nunc dicit : ut irrigaret eam de areolis germinis sui. Quæ in terra bona a Nabuchodonosor plantata erat, ut faceret frondes, et adferret fructum, et cresceret in vineam latiorem. Propterea jubetur prophetæ ut loquatur ad vineam, quæ a Nabuchodonosor plantata fuerat, et ramos suos ad aquilam Ægyptiam miserat. « Numquid prosperabitur, quia hoc facere conata est, et non statim omnes propagines ejus et palmites siccabuntur? » « Et non, inquit, in brachio grandi, neque in populo multo. » Fugiens enim Sedecias et regis Ægyptii auxilio destitutus, a ducibus Nabuchodonosor in desertis Hiericuntis comprehensus est, et cuncti ejus socii huc illucque dispersi sunt. Sicut in volumine Regum, et in Paralipomenon, et Jeremiæ scriptum est. (*Greg.*, *lib.* xxxi *Moral.*, *cap.* 47.) In Scriptura sacra vocabulo aquilæ aliquando maligni spiritus, raptores animarum, aliquando præsentis sæculi potestates, aliquando vero vel subtilissimæ sanctorum intelligentiæ, vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans, et mox summa repetens designatur. Aquilarum nomine insidiatores spiritus exprimuntur, Jeremia attestante, qui ait : « Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli. » Persecutores enim nostri aquilis cœli velociores sunt, cum tanta contra nos maligni homines faciunt, ut ipsas etiam aerias potestates inventionibus malitiæ præire videantur. Aquilæ vocabulo potestas terrena figuratur. Unde per Ezechielem prophetam dicitur : « Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit. » Qua videlicet aquila quis alius, quam Nabuchodonosor rex Babyloniæ designatur, qui pro immensitate exercitus magnarum alarum, pro diuturnitate temporum longo membrorum ductu, pro multis vero divitiis, plena plumis, pro innumera autem terrenæ gloriæ compositione, plena varietate describitur. « Quæ venit ad Libanum, et tulit medullam cedri, et summitatem frondium ejus evulsit; » quia Judææ celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus, quasi medullam cedri abstulit. Et dum tenerrimam Regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium evulsit. Aquilæ vocabulo, vel subtilis sanctorum intelligentia, vel volatus Dominicæ ascensionis exprimitur. Unde idem Propheta dum sub animalium specie evangelistas quatuor se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis, et aquilæ faciem apparuisse testatur. Quartum procul dubio Joannem per aquilam signans, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria Verbum videndo penetravit. Cui nimirum Propheticæ sententiæ ipse quoque Joannes in revelatione sua de semetipso non dissonat, dicens : « Animal primum simile leoni, secundum simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, quartum animal

simile aquilæ volanti (*Apoc.* IV). » Et quamvis singula ad unumquemque evangelistam recte conveniant, dum alius humanæ nativitatis ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem, quasi vituli mortem : alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat; alius nativitatem Verbi intuens, quasi ortum solem aquilæ aspectat, possunt tamen hæc quatuor animalia ipsum suum caput, cujus sunt membra, signare. Ipse namque et homo est, quia naturam nostram veraciter suscipit, et vitulus, quia pro nobis patienter occubuit, et leo quia per divinitatis fortitudinem susceptæ mortis vinculum rupit. Et ad extremum aquila : quia ad cœlum de quo venerat, rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad cœlos ascendendo, vocatus est. Nam et in Job legitur : « Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponit nidum sibi? » (*Job.* XXXIX.) Sed hoc loco aquilæ nomine, subtilis sanctorum intelligentia, et sublimis eorum contemplatio figuratur. Cunctarum quippe avium visum acies aquilæ superat, ita ut solis radius fixos in se ejus oculos nulla lucis suæ coruscatione verberans claudat. Ad præceptum ergo elevatur aquila dum jussionibus divinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita; quæ et in arduis nidum ponere dicitur, quia desideria terrena despiciens, spe jam de cœlestibus nutritur. In arduis nidum ponit : quia habitationem mentis suæ, in abjecta et infima conversatione non construit. Videamus aquilam, nidum spei in arduis construentem, Paulus ait : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III). » Et rursum : « Qui conresuscitavit et consedere nos fecit in cœlestibus (*Ephes.* II). » In arduis habet nidum : quia profecto in supernis figit consilium, non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur cum se considere Christo in cœlestibus testaretur. Sed ibi erat ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt præsentis vitæ viam carpere, ut per spei celsitudinem noverint jam se ad alta pervenisse, quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens : « Dic ad domum exasperantem : Nescitis quid ista « significent? Dic : Ecce venit rex Babylonis Jerusalem, et assumet regem et principes ejus, et « adducet eos ad semetipsum in Babylonem. Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus, et « accipiet ab eo jusjurandum. Sed et fortes terræ « tollet, ut sit regnum humile et non elevetur, sed « custodiat pactum ejus et servet illud. Qui recedens ab eo misit nuntios ad Ægyptum, ut daret « sibi equos et populum multum. Numquid prosperabitur vel consequetur salutem, qui fecit hæc? « Et qui solvit pactum numquid effugiet? Vivo ego, « dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis, qui « constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, « in medio Babylonis morietur. Et non in exercitu « grandi neque in populo multo faciet contra eum « Pharao prælium, in jactu aggeris et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas. « Spreverat enim juramentum ut solveret fœdus, et « ecce dedit manum suam, et cum omnia hæc fecerit, non effugiet. » Hoc est ænigma, hæc est parabola, quod sub duabus aquilis et vinea duos reges Babylonis et Ægypti scriptura monstraret, et regem Sedeciam, qui contra jusjurandum deserta amicitia Nabuchodonosor, se ad regem Ægyptium transtulit : « Feriet, inquit, cum eo fœdus et accipiet ab eo jusjurandum, ut custodiat pactum ejus, et servet illud. » Qui dissolvit, ait, pactum, numquid effugiet? Ex quo discimus etiam inter hostes servandam fidem, et non considerandum cui, sed per quem juraveris. Multo enim fidelior inventus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit et deceptus est, te qui per occasionem divinæ majestatis, hosti tuo, imo jam amico, es molitus insidias. Quoniam, inquit, in loco regis, qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Legimus enim Sedeciam captum, ductum esse in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum, et instar feræ clausum catena translatum in Babylonem. Unde et Scriptura cum videatur sibi esse contraria, tamen in utroque verissima est. Dictum enim erat ad Sedeciam : « Et intrabis Babylonem, et non videbis eam. » Intravit enim, quia ductus est Babylonem : et non vidit, quia fuerat excæcatus. Hoc autem quod sequitur : « Et non in exercitu grandi neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium in jactu aggeris et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas, » dupliciter intelligitur sive rex Ægyptius contra Nabuchodonosor regem Babylonis veniens non poterit prælio neque cum parvo exercitu tantæ resistere multitudini sive ipse Sedecias expugnabitur a Pharaone, a quo speravit auxilium. Non quo Pharao eum expugnaverit, vel hoc alicubi Scriptura testetur : sed quo oppugnatio Nabuchodonosor per occasionem sit facta regis Ægyptii; nec iste visus sit expugnare Jerusalem, qui obsidebat, sed ille in quo Sedecias frustra speraverat. « Ecce, inquit, dedit manum suam regi Ægypti, » et tradidit se, et perjurii contra Deum commisit sacrilegium. « Numquid, ait, proderit ei? » Et cum omnia hæc fecerit, non effugiet.

« Propterea hæc dicit Dominus Deus : Vivo ego, « quoniam juramentum, quod sprevit, et fœdus « quod prævaricatus est ponam in caput ejus. Et « expandam super eum rete meum, et comprehendetur sagena mea. Et adducam eum in Babylonem, et judicabo eum ibi in prævaricatione qua « despexit me. Et omnes profugi ejus cum universo « agmine in gladio cadent, residuique in omnem

« ventum dispergentur. Et scietis quia ego Do- « minus locutus sum, » etc. Sententia sæcularis est :

. . . . dolus an virtus, quis in hoste requirat ?

Quam solent nobis opponere, qui dicunt hostes fraude decipiendos. Cui ut acquiescamus, multo pejus fecit Sedecias. Non enim hostem decepit, sed amicum, cui fœdere Domini fuerat copulatus. Ergo quandiu [*Al. add.*, non] jures et pactum [*Al. add.*, non] in eas sub nomine Dei, prudentiæ est et fortitudinis vel decipere, vel superare adversarium utcunque potueris. Cum autem te constrinxeris juramento, nequaquam adversarius, sed amicus est, qui tibi credidit, et sub occasione jusjurandi, id est, Dei nuncupatione deceptus est. Propterea Scriptura nunc dicit : « Juramentum quod sprevit, et fœdus, quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. » Ac ne putaremus juramentum et fœdus, et pactum, regis esse Babylonii vel Sedeciæ, qui fecerat, sequitur : « In prævaricatione qua despexit me. » Ergo qui contemnit juramentum, illum despicit, per quem juravit. Illique facit injuriam cujus nomini credidit adversarius. Propter quam causam « expandam, inquit, super eum rete meum, et comprehendetur sagena mea. Et adducam eum in Babylonem, et judicabo eum illic. » Quidquid igitur contra Sedeciam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cujus nomine fuerat perjuratus. Secundum anagogen, licet violenta videatur interpretatio, hoc sciendum, quod quomodo cætera animantia, et ad bonam et ad malam partem referri solent : ita et de aquila et de leone. In bonam partem dicitur, « Catulus leonis Juda. » In contrariam : « Adversarius noster diabolus, quasi leo rugiens circuit (*I Petr.* v). » Et illud in psalmo : « Insidiatur in abscondito sicut leo in cubili suo, etc. (*Psal.* x). » In bonam partem, de aquila dicitur, quod justus dives effectus faciat sibi alas sicut aquilæ ut possit reverti in domum præcessoris sui. Et in Isaia scriptum est (*Isa.* XL), quod justi pennas afferant sicut aquilæ, currant et non lassentur, ambulent et non esurient. Recte autem ille qui dixerat : « Fortitudine faciam et sapientia intelligentiæ auferam terminos gentium, et vires eorum deprædabor. Et commovebo civitates, quæ habitantur, et orbem terrarum universum apprehendam manu, quasi nidum, et sicut confracta ova, » nunc sub persona aquilæ describitur, quod nequaquam velit de Libano, qui interpretatur candor, et refertur ad thymiama, parvula atque humilia virgulta perstringere, sed summitates cedrorum. Et de principibus ac stirpe regia, juxta illud Habacuc : « Escæ ejus electæ (*Habac.* I). » Ponitque testamentum cum his quos ceperit, ut regi Babylonio colla submittant, et impleant illud quod Apostolus loquitur : « Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare (*I Tim.* I). » Et in alio loco : « Quos tradidi in interitum carnis ut spiritus salvus fiat (*I Cor.* v). » Non debemus ergo si forsitan ob aliquod peccatum de congregatione fratrum et de domo Dei ejiciamur reluctari, sed æquo animo latam in nos ferre sententiam, et dicere cum Propheta : « Iram Domini sustinebo, qui peccavi ei, donec justificet causam meam, » etc. Et frequenter evenit ut alteri subditi ad alterum transeamus, qui nobis suum repromittat auxilium. Nec faciet in pristina sententia permanere, quod omni ratione vitandum est, ne siccentur palmites nostri et germina arescant, et contra pactum Dei facere credamur.

« Hæc dicit Dominus : Et sumam ego de medulla « cedri sublimis et ponam de vertice ramorum ejus; « tenerum distringam. Et plantabo super montem « excelsum et eminentem ; in monte sublimi Israel « plantabo illud ; et erumpet in germen, et faciet fru- « ctum, et erit in cedrum magnam. Et habitabunt « sub ea omnes volucres, universum volatile sub « umbra frondium ejus nidificabit. Et scient omnia « ligna regionis, quia ego Dominus humiliavi lignum « sublime, et elevavi lignum humile, et siccavi lignum « viride, et frondere feci lignum aridum. Ego Domi- « nus locutus sum et feci. » Verus Nabuchodonosor propterea sumit de medulla cedri sublimis de vertice ramorum ejus, ut sit regnum humile et non elevetur. Dominus autem Deus Pater omnipotens, qui locutus est ad Ezechiel, tollit de stirpe regia et de genere David, et plantat super montem excelsum et eminentem, qui loquitur in psalmo : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (*Psal.* II). » defecerat enim princeps de Juda, et dux de Israel, donec veniret cui repromissum est : « Et ipse erit exspectatio gentium (*Genes.* XLIX). » Iste erupit in germen, et fecit fructum, et cedros omnes sua sublimitate superavit : ita ut habitent sub eo omnes volucres cœli, et cuncta volatilia illius protegantur umbraculo. De quo dicit Habacuc : « Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. » Et qui congregare desiderat, « quasi gallina pullos suos, sub alas suas (*Matth.* XXIII). » Ut omnia regionis ligna cognoscant quod ipse sit Dominus, τροπικῶς de credentibus loquens. Iste est, qui Israel quondam sublime lignum humiliavit, et exaltavit humilem gentium populum. Et exsiccavit lignum viride Judæorum florens et germinans in lege et prophetis, et frondere fecit lignum aridum nationum, ut quod semper locutus est, opere compleret. Hoc idem significant Simeonis in Evangelio verba, dicentis : « Ecce hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum (*Luc.* II). » Et granum sinapis, quod cum minimum sit omnibus seminibus, postquam creverit, avium habitaculum est. Quidam aliter interpretantur, lignum sublime et humiliatum et humile exaltatum referentes ad passionem domini Salvatoris : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est æqualem se esse Deo, sed exinanivit se formam servi accipiens. » Et post resurrectionem ipsum lignum postea sublimatum est, quod prius virens morte siccatum est, et postea reviviscens pristinum receperit virorem. Alii Judaice utrumque referunt ad Israel, quod primo

adventu humiliatus sit arefactus, et secundo restituatur in pristinum statum, impleto illo quod dicit apostolus Paulus : « Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* xi). »

CAPUT XVIII.

De uva acerba, quia non pater pro filio, nec filius pro patre tenetur in peccatis, sed unusquisque onus suum portabit, et ubi invenietur ibi judicabitur, et revocantur peccatores ad pœnitentiam.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Quid « est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes : Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt? » etc. (*Hieron.*) Monet autem Scriptura divina illud quod in Exodo dictum est : « Ego sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, qui reddo peccata patrum super filios usque ad tertiam et quartam generationem his qui oderunt me, et facio misericordiam in millia, his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea (*Exod.* xx) ; » et iterum : Descendit Dominus in nube et adstitit juxta Moysen. Et invocavit Moyses nomen Domini, et transivit Dominus ante faciem ejus. Et invocavit eum, dicens : « Domine Deus miserator et misericors, patiens et multæ misericordiæ et verax, et justitiam servans et misericordiam in millia, auferens iniquitates et injustitias et peccata : et non emundabit reum, reddens iniquitates patrum super filios et super filios filiorum, in tertiam et quartam generationem (*Num.* xxxiv) ; » sic accipi debere, quasi parabolam et proverbium, ut aliud in verbis sonet, aliud in sensu teneat, quod in parabola quoque duarum aquilarum supra diximus. Unde et Dominus in psalmo lxxvii : « Aperiam, inquit, in parabola os meum, loquar propositiones ab initio. » Et in Evangelio (*Matth.* xiii) parabolam sementis et lolii et sinapis, quod cum sit minimum omnium seminum, in magnam consurgit arborem, ita proponit, ut aliud prætendat in verbis, aliud in sensibus teneat. Et nos usque in præsentem diem putabamus duo testimonia Exodi, quæ supra posuimus non esse parabolam, sed simplicem explicare sententiam. Et quanquam non auderemus quippiam dicere nec vas fictile loqui contra figulum, quare ita vel ita me fecisti, tamen scandalum patiebamur occultum, quod injustitia videret Dei, alium peccare et alium luere peccata. Si enim reddit peccata Patrum super filios, in tertiam et quartam generationem, injustum videretur ut alius peccet, alius puniatur. Sed ex eo quod sequitur, « his qui me oderunt » comminationis sive præcepti scandalum solvitur. Non enim ideo puniuntur in tertia et quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum, cum patres potius, qui fuerunt peccatores puniri debuerint, sed quia patrum exstiterunt æmulatores et oderunt Deum, hæreditario malo et impietate in ramos quoque de radice crescente. Solent in hoc loco hæretici, qui vetus non suscipiunt Instrumentum contra creatorem dicere : Quam bonus et justus Deus legis et prophetarum, qui quies-

A cens et silens, ad peccata patrum, reddit his, qui non peccaverunt! Imo quanta in eo crudelitas, ut iram suam usque ad tertiam extendat et quartam generationem! Quibus nos respondebimus, et in hoc Dei creatoris clementiam demonstrari. Non enim truculentiæ est et severitatis iram tenere, usque ad tertiam et quartam generationem, sed signum misericordiæ, pœnam differre peccati. Quando enim dicit : « Domine Deus miserator et misericors, patiens et multæ miserationis, » et infert : « reddens iniquitatem patrum super filios et filios filiorum. » Hoc indicat, quod tantæ misericordiæ sit, ut non statim puniat, sed sententiam differat puniendi. Sin autem vindicta peccantium differtur in tertiam et quartam generationem, cum justis sanB ctisque quid amplius facit. Sequitur : « Et servans justitiam et misericordiam in multa millia, his qui custodiunt mandata ejus, et faciunt præcepta illius. » Scriptum est in Proverbiis : « Sicut uva acerba dentibus noxia est et fumus oculis, sic iniquitas his qui utuntur ea (*Prov.* x). » Ex quo perspicuum est, non aliorum dolere dentes et obstupescere, sed eorum, qui uvam acerbam comederint. Est autem loci istius hic sensus : Quomodo si quis velit dicere : « patres uvam acerbam comederunt, et dentes filiorum obstupuerunt, » ridiculum est, et nullam habens consequentiam : sic iniquum est atque perversum peccare patres, et filios nepotesque cruciari. Sunt qui hoc, quod in Exodo scriptum est : Reddens iniquitates patrum super filios in tertiam C et quartam generationem, ita edisserant, ut ad animam humanam sententiam referant, patrem in nobis lenem, punctum sensuum et incentiva vitiorum esse dicentes : filium vero, si cogitatio peccatum conceperit; nepotem si quod cogitaveris atque conceperis, opere perpetraris. Pronepotem autem, hoc est, generationem quartam, si non solum feceris quod malum est, et scelestum; sed in tuis sceleribus glorieris. Secundum illud quod scriptum est : « Impius cum in profundum malorum venerit, contemnet (*Prov.* xviii). » Deus igitur primos et secundos stimulos cogitationum, quas Græci προπαθείας vocant, sine quibus nullum hominum esse potest, nequaquam punit, sed si cogitata quis facere decreverit, D aut ipsa quæ fecerit noluerit corrigere pœnitentia. Unde scriptum est : « Nullus hominum sine peccato, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus : numerabiles autem anni vitæ illius. » Et in alio loco : « Quis gloriabitur castum se habere cor? » (*Job* xxv.) Et rursum : « Astra quoque non sunt munda in conspectu ejus. Et adversus angelos suos perversum quid excogitavit. » Sin autem sublimis illa natura peccato non caret, quid dicendum est de hominibus, qui fragili carne circumdati debent loqui cum Apostolo : « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? » (*Rom.* vii.) Et illud : « Ut cum omnia fecerimus debeamus dicere, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus (*Luc.* xvii). » Et : « Nisi Dominus ædificaverit domum, in

vanum laborant qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam (*Psal.* CXXVI). › Adprobationem autem hujus rei, quod nequaquam primus pulsus cogitationis, imo parvus mentis instinctus puniatur a Deo, sed si quod mente conceperis opere consumes, illud de in Genesi proferendum est. Cham peccavit irridens nuditatem patris. Et sententiam non ipse, qui risit, sed filius ejus suscepit Chanaan : ‹ Maledictus sit Chanaan ; servus erit fratrum suorum (*Gen.* IX). › Quæ enim justitia est, ut pater peccaverit, et in filium sententia proferatur ? necnon quod in contrariam partem ponit Apostolus, salvam esse mulierem, si filii ejus permanserint in fide et sanctitate et pudicitia, videtur sententia justitiam non habere, ut si filii boni fuerint et nepotes, salventur parentes. Quanti enim parentes sancti sunt et malos habent filios ? Et e contrario, parentes quanti peccatores justos et sanctos filios generant ? Ergo secundum hunc sensum cuncta accipienda, quæ supra diximus. Peccata parentum atque generantium in ramis non in radice puniri. Hoc interim de Proverbio sive parabola dixisse sufficiat. Quod lex et prophetæ, hoc est, Exodus et Ezechiel, imo ipse Deus, qui et hic et ibi locutus est, nequaquam in sententiis discrepare videatur, aut hic corrigere, quod ibi maledixerit. Si quis autem vel meliorem vel alterum sensum potuerit reperire, qui contrariorum inter se testimoniorum scandalum tollat, illius magis acquiescendum sententiæ est.

‹ Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israel ; ecce omnes animæ meæ sunt, ut anima patris ita et anima filii mea est ; anima quæ peccaverit, ipsa morietur. › Quid significet, ‹ Vivo ego, dicit Dominus, › et parabola vel proverbium, supra plenius diximus, quæ nequaquam dicetur in Israel, sed in his, qui Dei notitiam non habent, nec possunt perspicere veritatem. ‹ Omnes, inquit, animæ meæ sunt, › juxta creaturam, non juxta meritum. Ut Moyses appellatur homo Dei, de quo scriptum est : ‹ Oratio Moysi hominis Dei. › Et Elias, qui ad quinquaginta militum principem loquebatur : ‹ Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo super te et super quinquaginta viros (*IV Reg.* I). › Homo vero peccati, et filius iniquitatis, non vocatur homo Dei ; sicut servus et famulus Dei hi appellantur, de quibus dici non potest : ‹ Omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII). › Et iterum : ‹ A quo enim quis vincitur, ejus et servus est (*Rom.* VI). › Sicut peccata filiorum non nocent patribus, sic peccata patrum non redundant ad filios ; ‹ sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur, › non abolitione substantiæ, sed ex ejus consortio qui dicit : ‹ Ego sum vita (*Joan.* XIV). › Et alibi loquitur : ‹ Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum (*Joan.* XI). › Et : ‹ Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum (*Joan.* VIII). › Vita enim nostra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III), › qua victuri sumus, quando Christus apparuerit vita nostra in gloria, et implebitur illud quod scriptum est : ‹ Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiet a morte in vitam (*Joan.* V). › Illud autem quod a Balaam dicitur : ‹ Moriatur anima mea in animabus justorum (*Num.* XXIII), › hunc habet sensum, ut cupiat mori sæculo atque peccato, et vivere cum justorum animis, quorum vita Christus est, et possit canere : ‹ Placebo Domino in regione vivorum (*Psal.* CXIV), › non est enim Deus mortuorum, sed viventium. Et si Balaam, ut verissimum est, in linguam nostram translatum, *vanum populum* sonat, perspicuum est, quod vanus prius gentium populus desideret habere consortium cum animabus justorum, Abraham, Isaac et Jacob, qui recti et justi appellantur, unde et Geneseos liber ex eorum nomine accepit.

‹ Et vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam, in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit, et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, et ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum suam, judicium verum fecerit inter virum et virum, in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem, hic justus est, vita vivet, dicit Dominus Deus. › Vetus, ait, scire hoc, quod dictum est, peccata patrum reddam in tertiam et quartam generationem, non id sonare, quod plerique æstimant, nec esse simile huic sententiæ, ‹ patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt (*Ezech.* XVIII), › audite, quæ illaturus sum. Si fuerit pater justus, qui hæc fecerit, et illa non fecerit, et habuerit filium pessimum qui, desertis virtutibus patris, se flagitiis mancipaverit, nonne et iste vita vivet, quia justus est, et ille morte morietur ; quia omnia perpetravit, quæ pater vitando justus effectus est. Videamus ergo catalogum virtutum patris, quæ mihi videntur in decem et septem partes dividi. Quarum primum est, fecisse judicium. Secundum, huic simile, judicio copulasse justitiam. Tertium, non comedisse in montibus. Quartum, oculos non levasse ad idola, sive ut Septuaginta transtulerunt : ad cogitationes domus Israel. Quintum, uxorem proximi sui non violasse. Sextum, menstruatæ uxoris vitasse complexus. Septimum hominem non contristasse, sive ut Septuaginta transtulerunt, oppressisse per potentiam. Octavum, pignus debitori reddidisse. Nonum, per vim nihil rapuisse, aut juxta Septuaginta rapinam non rapuisse. Decimum, panem suum esurienti dedisse. Undecimum, nudum operuisse vestimento. Duodecimum

ad usuram pecuniam non dedisse. Tertium decimum, nihil ex his, quæ dederis, amplius accepisse. Quartum decimum, ab iniquitate avertisse manum suam. Quintum decimum, quod simile primo videtur, sed in parte diversum est, judicium verum fecisse inter virum et virum, sive proximum suum. Sextum decimum, in præceptis Dei ambulasse. Septimum decimum, judicia et justificationes ejus custodisse. Quorum singula quid velint, dicemus in consequentibus: « Si fuerit, ait, vir justus, et fecerit judicium. » Scriptum est in Proverbiis: « Cogitationes justorum judicia (*Prov.* XII). » Qui hanc virtutem possiderit, ut nihil sine ratione faciat et judicio, potest illud propheticum dicere: « Judicia Dei vera, justificata in semetipsis (*Psal.* XVIII). » Et cum recte omnia judicaverit, ut non accipiat personam pauperis in judicio, implebit præceptum Domini, « sicut minorem sic et majorem judicabis, » audacter, dicens: « Desideravit anima mea desiderare judicia tua in omni tempore. » Et iterum: « Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus (*Psal.* CXVIII). » Et in eodem Psalmo: « Cognovi quia justa judicia tua. » Et in tantam proficiet beatitudinem, ut intelligat judicia Domini, quæ sunt abyssus multa, et dicat cum Apostolo: « O profundum divitiarum, sapientiæ et scientiæ Domini, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius! » (*Rom.* XI.) Et in oratione commemoret, « quoniam judicia tua jucunda. » Post judicium sequitur justitia; quam qui habuerit, Christum liquido possidebit, qui, juxta Apostolum (*I Cor.* I), « factus est nobis justitia, et sanctificatio, et redemptio. » Ut faciat justitiam veram, nec recipiat personas in judicio, sed de sua sciat in aliorum judicio justitia judicandum. Tertium est, in montibus non comedere, quod Judæi æstimant ad idololatriæ pertinere peccatum: crebro enim legimus in Regum et Paralipomenon libris, « veruntamen ab excelsis non recessit, adhuc populus immolabat in excelsis et adolebat incensum in sublimibus (*III Reg.* XXII; *IV Reg.* XII, XV; *II Par.* XX, XXXIII). » Hoc Scriptura significante, quod in montibus lucisque idolis hostias immolarint, et thura succenderint. Nos autem dicemus comedere eum in montibus, qui dicit cum Pharisæo: « Gratias tibi ago Deus, quod non sum huic similis publicano, jejuno bis in sabbato, decimas do omnis substantiæ meæ, » etc. (*Luc.* XVIII.) E contrario publicanus audiens eum qui dixerat: « Discite a me, quia mansuetus sum et humilis corde (*Matth.* XI), » percutiebat pectus suum manu, hoc est, pessimarum cogitationum thesaurum. « Et oculos ad cœlum non audebat extollere. » Sed et illud quod alibi dicitur: « Majora te non requiras, et fortiora te ne scruteris (*Eccli.* III), » omnes hæreticos arguit in montibus comedere superbis, et ecclesiasticam despicere simplicitatem, et nescire de se scriptum: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*I Petr.* V). » Quarto loco ponitur: « Et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel. » Pro quibus Septuaginta « cogitationes » transtulerunt; idola autem, id est, simulacra, quæ de suo corde finxerunt, omnes hæretici faciunt, quæ levant cordis oculos, qui falsitatem eorum atque mendacium putaverint veritatem. Domus autem Israel simulacra dicuntur, quæ reperiuntur in Ecclesia, et per occasionem falsi nominis scientiæ, simplices quosque seducunt, ut philosophorum dogmata introducant in domum Israel, eorum scilicet, qui Deum mente conspiciunt. Quinto loco ponitur: « Et uxorem proximi sui non violaverit, » sive contaminaverit: quod aperte adulterium quidem prohibet, sed ex eo quod additur « proximi sui, » nisi omnis homo proximus intelligatur videtur esse præceptum, ut ab amicorum nos abstineamus uxoribus, inimicorum vero et ignotorum conjuges libere polluamus. Proximus vero omnis homo accipiendus, juxta parabolam Evangelii (*Luc.* X), quæ a Salvatore proponitur, cujusdam hominis, qui Hierichum descendens a latronibus vulneratus est. Quando interrogat Pharisæus quis ejus proximus fuerit, docens illum esse proximum, qui benefecerit. Potest juxta mysticos intellectus, uxor intelligi sancti viri sapientia, dicente Salomone: « Ama illam, et amplexabitur te; dilige illam et custodiet te (*Prov.* IV). » Quam contaminare desiderat, qui aliorum benedicta reprehendit, et facibus accensus invidiæ, sancta violat, casta corrumpit, pura contaminat. Sextum est: « Et ad mulierem, sive uxorem menstruatam non accesserit. » Per singulos menses gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur conceptі fetus vitium seminis trahere; ita ut leprosi, et elephantiaci ex hac conceptione nascantur, et fœda in utroque sexu corpora parvitate vel enormitate membrorum sanies corrupta degeneret. Præcipitur ergo viris, ut non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoque, quibus videntur lege conjungi Scriptura dicente: « Crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gen.* I); » certa concubitus noverint tempora, quando coeundum, quando ab uxoribus abstinendum sit. Quod quidem et Apostolus et Ecclesiastes sonant: « Tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus (*Eccli.* III). » Caveat ergo et uxor, ne forte victa desiderio coeundi illiciat virum; et maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugii voluptatem. Unde et Paulus: « Ut noverit, inquit, unusquisque possidere vas suum in sanctitate et pudicitia (*I Thess.* IV). » Pulchre in Xysti Pythagorici sententiolis dicitur: « Adulter est uxoris propriæ amator ardentior. » Quem librum quidam in Latinam linguam transferens, martyris Sixti nomine voluit illustrare; non considerans in toto volumine, quod in duas partes frustra divisit, Christi nomen et apostolorum omnino reticeri. Nec mirum si gentilem philosophum in martyrem et Romanæ urbis episcopum transtulerit, cum Eusebii quoque Cæsariensis primum pro Origene librum, Pamphili martyris vocabulo mutarit, ut facilius tali lauda-

tore libros amplissimos περὶ Ἀρχῶν Romanis conciliaret auribus. Sequitur in loco septimo: « Et hominem non contristarit, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « non oppresserit per potentiam. » Quo vitio atque peccato nescio quis alienus sit. Et Ægyptii opprimebant Hebræos per potentiam. Unde et Habacuc queritur, « quare impius opprimat justum (*Habac.* I). » Atque utinam de solis his diceretur qui foris sunt, et non de his qui intus. Solent enim et principes ecclesiarum opprimere plebem per superbiam. De quibus scriptum est: « Principem te constituerunt, ne eleveris; esto inter eos quasi unus ex ipsis (*Eccli.* XXXII). » Et Salvator præcepit: « Qui vult inter vos esse primus, sit omnium novissimus (*Marc.* IX). » Quod autem juxta Hebraicum dicitur: « Et hominem non contristaverit, » apostolico congruit testimonio: « Nolite contristare Spiritum sanctum, qui habitat in vobis (*Ephes.* IV). » Et in Evangelio, quod juxta Hebræos Nazaræi legere consueverunt, inter maxima ponitur crimina, qui fratris sui spiritum contristaverit. Sin autem tristitia alterius interfecerit contristantem, quid de iniquitate et tyrannica mente dicendum est? Cui illud convenit: « Quid gloriatur terra et cinis? » (*Eccli.* X.) » Ut oblitus conditionis suæ quomodo plenus pituitis, felle, stercoribus, et post paululum vermibus exarandus, ponat in cœlum os suum, et lingua ejus pertranseat usque in terram, et dicat cum vero Nabuchodonosor: « Ascendam in cœlum, super sidera cœli ponam thronum meum, ero similis Altissimo (*Isa.* XIV). » Octavum est: « Pignus debitori reddiderit. » Non omni debitori, alioquin multis occasio recipiendorum pignorum fiet divitiarum materia. Sed ei debitori, de quo in lege scribitur, quod pauper sit, et proprium opposuerit vestimentum, et ante solis occasum operimentum recipere debeat, ne cruciatus frigore clamet ad Dominum, qui ultor est ejus injuriæ. Sin autem juxta ea, quæ sequuntur panem esurienti dare debemus, et nudum operire vestimento: quanto magis suum reddere, si tamen debitoris indubitata paupertas est? Possumus quoque pignus reddere debitori, quando ei, cui dilectione conjungimur, et qui nobis debet, mutuam charitatem reddimus pignus suum, nihil debiti ejus apud nos ultra retinentes. Nonum possidet locum: « Per vim nihil rapuerit; » sive, juxta Septuaginta, « rapinam non rapuerit. » De raptoribus et Apostolus loquitur, quod inter cæteros peccatores, ne vescendum quidem cum hujuscemodi sit. Omnisque rapina mixta violentiæ est, nisi enim vis fuerit illata, rapina non proficit. Est autem et sancta violentia rapinaque optabilis, de qua scribit et Evangelium: « A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI). » De qua et Judas frater Jacobi loquitur: « Et alios quidem de igne rapientes, aliis autem misereminí in timore (*Jud.* 23). » E contrario adversariæ potestates, in perniciem eorum, quos rapiunt, prædam rapere festinant. Quod significat et Jacob dicens: « Bestia mala comedit eum, bestia mala rapuit Joseph (*Gen.* XXXVII). » Unde et oves Domini, quæ sequuntur eum, non rapiuntur de manibus ejus. Et ipse dicit: « Pater quod dedit mihi, majus est omnibus, et nemo potest rapere de manu mea [*Al.*, Patris mei] (*Joan.* X). » Ex hoc perspicitur una patris filiique potestas, virtus atque substantia; si enim de filii manu, quod dedit pater, nemo potest rapere, et hæc eadem in patris manu sunt quæ non rapiuntur ab eo, liquido comprobatur omnia patris et filii esse communia et in filii manu tenere patrem sicut patris manu tenentur, quæ filii sunt. Decimum est: « Panem suum esurienti dederit; » per quod docemur eleemosynam non saturis faciendam, sed esurientibus: nec dandum panem his qui ructant plenitudine, sed his qui inanitate cruciantur. In pane autem omnis continetur cibus. Et significanter dicitur suum, ne de rapinis et usuris, et alieno male quæsitum panem vertamus in misericordiam. « Redemptio enim animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » Quod multos facere conspicimus clientes et pauperes et agricolas, ut taceam de militantium et judicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, et in suis sceleribus glorientur. Publiceque diaconus in Ecclesia recitet offerentium nomina, quantum offert illa, tantum ille pollicitus est. Placentque sibi ad plausum populi torquente eos conscientia. Dantque materiam miseris, ut gaudeant ad ea quæ tribuunt, et non lugeant ad ea quæ rapuerint. Melius autem est, ut intelligamus panem justi eum esse qui dixit: « Ego sum panis, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI); » et quem in oratione nobis tribui deprecamur, « panem nostrum substantivum, » sive superventurum « da nobis, » ut quem postea semper accepturi sumus, in præsenti sæculo quotidie mereamur accipere. Hunc panem justus esurientibus tribuit, de quibus scriptum est: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V). » Qui quia justus est communem omnium panem suum facit proprium, qui defecerat in Judæa, propheta dicente: « Auferam ab eis fortitudinem, sive baculum panis (*Ezech.* IV). » Hoc quod loquimur tamen si Christi sumus, imo quod propheta commemorat, panis credentium est, et esurientium, qui omnino non dandus est his, qui manducaverunt et biberunt et saturati sunt, et incrassati calcitraverunt (*Psal.* LXXVIII); » de quibus dicitur: « Væ qui saturati estis nunc, quia esurietis (*Luc.* VI), » ne evomant illum: dicente Salomone: « Evomet enim, et contaminabit sermones tuos bonos (*Prov.* XXIII). » Quod aliis verbis Salvator loquitur: « Ne detis sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » Undecimum possidet locum: « Et nudum operuit vestimento. » Qui sermo juxta superioris versiculi explanationem dupliciter disserendus est, ut et nudis tribuamus operimentum, dicente Salvatore: « Nudus eram et operuistis me. (*Matth.* XXV); » et nudis fide atque virtutibus tri-

luamus vestimentum Christi, de quo scriptum est: A « Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III). » Hoc vestimento nudus erat, qui vestem non habens nuptialem, projectus est de convivio. De hac nuditate et ad Jerusalem Dominus loquitur: « Tu autem eras nuda et confusionis plena (*Ezech.* XVI). » Duodecimum numerum tenet: « Et ad usuram non commodaverit; » sive ut Septuaginta transtulerunt, « pecuniam suam ad usuram non dederit. » In hebraico cunctarum specierum usura prohibetur, in Septuaginta tantum pecuniæ, juxta quod et in decimo quarto psalmo scriptum est: « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. » Et quomodo dicitur: « Fratri tuo non fenerabis, alieno autem fenerabis (*Deut.* XXIII), » sed vide profectum in principio legis a fratribus tantum fenus tollitur; B in Propheta, ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele, « pecuniam suam non dedit ad usuram. » Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: « Feneramini his a quibus non speratis recipere. » Sequitur, in tertio decimo loco: « Et amplius non acceperit. » Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. Solent in agris frumenti et milii, vini et olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive ut appellat sermo divinus abundantiæ. Verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, et in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam, qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. C Et solent argumentari ac dicere: Dedi unum modium qui satus fecit decem modios, nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem et semis de meo habeat? « Nolite errare, » inquit Apostolus (*Galat.* VI), « Deus non irridetur. » Respondeat enim breviter nobis fenerator misericors utrum habenti dederit an non habenti? Si habenti utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alii pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram appellari et superabundantiam quidquid illud est, si ab eo, quod dederint plus acceperint. Quartus decimus gradus: « Ab iniquitate, ait, averterit manum suam; » ut omni opere fugiat iniqui- D tatem, non enim solum manibus, sed et aliis membris committitur iniquitas, dicente Salomone: « Iniqua labia a te procul remove (*Prov.* IV). » Et in Psalmis: « Iniquitatem in excelso locuti sunt (*Psal.* LXXII). » Pes quoque currit ad iniquitatem, et oculus, si alienam mulierem concupiscat, nec sit ejus imitator, de quo dicitur: « Iniquitatem non fecit, et dolus non inventus est in ore ejus (*I Petr.* II). » Unde et de iniquo mammona jubemur facere nobis amicos, qui nos in æterna recipiant tabernacula (*Luc.* XVI). Quintum decimum est: « Judicium verum fecerit inter virum et virum, » sive proximum suum; quod videtur idem sonare, quod primum, ubi scriptum est: « Si fuerit justus et fecerit judicium. » Sed addita veritate judicii, quod facit inter virum et virum sive proximum suum, ἐπίτασιν cernitur habere virtutum. Unde et in Proverbiorum exordio, post multa præcepta, correptio infertur judicii: « Scire, inquit, sapientiam et disciplinam, et intelligere verba prudentiæ, suscipere versutias sermonum, et nosse justitiam veram, et post omnia corrigere judicium (*Prov.* I). » Quamobrem et Apostolus reprehendit eos qui in Ecclesia constituti sunt (*I Cor.* VI), quod habeant inter se judicia, minimusque eligitur atque contemptus. Quia juxta Evangelium primus est, ut judicet inter virum et virum, qui destruxit ea, quæ parvuli sunt, et pervenit usque ad perfectum virum: et tamen majoris sententia indiget, ut possit ad veritatem judicii pervenire. Sequitur. In sexto decimo loco: « In præceptis meis ambulaverit; » et in decimo septimo: « Judicia sive justificationes meas custodierit, ut faciat ea factaque custodiat. » Quorum utrumque multiplicem habet intelligentiam, si velimus omnia legis mandata replicare, in quibus præcepta Domini, et in quibus justificationes esse dicuntur. Plenus est præceptorum et justificationum CXVIII psalmus, et ex parte decimus octavus, in quo scriptum est: « Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda; » et: « Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. » In quo quæritur quomodo in hoc eodem propheta dixerit Deus: « Dedi eis justificationes non bonas, in quibus non vivant in eis (*Ezech.* XX). » Facilisque responsio est et plenior in consequentibus, non vivere Judæos sequentes occidentem litteram, et vivere Christianos intelligentes spiritum vivificantem. Longum est, si voluerimus probare testimoniis, ubi præcepta Domini et ubi justificationes esse dicantur, et quibus singula vel diversitatibus, vel obscuritatibus involvantur. Unde et in præsenti loco infertur: « Hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus. » Qui hæc fecerit et illa non fecerit, nequaquam punietur delictis patris, sed suis vivet virtutibus.

« Quod si genuerit filium latronem effundentem « sanguinem, et fecerit unum de istis, in via patris « sui justi non ambulaverit, et hæc quidem omnia « non facientem, sed in montibus comedentem, et « uxorem proximi sui polluentem, egenum et pau« perem contristantem, rapientem rapinas, pignus « non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, « abominationem facientem, ad usuram dantem et « amplius accipientem, numquid vivet? non vivet. « Et cum universa detestanda hæc fecerit, morte mo« rietur. Sanguis ejus in ipso erit. » Dicamus primum juxta historiam, ut sciatis iniquitates patrum non redundare ad filios. Si justus fecerit, quæ superior sermo per ordinem texuit, vita vivet. Quod si genuerit filium recedentem a Domini servitute et patris virtutes vitiis commutantem, ut faciat quæ ille non fecit, et non faciat quæ ille operatus est, numquid vivere poterit? Certe non vivet, sed erit reus sanguinis sui. Porro juxta intelligentiam spiritalem ju-

tore libros implissimos περὶ Ἀρχῶν Romanis conciliaret auribus. Sequitur in loco septimo : « Et hominem non contristarit, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « non oppresserit per potentiam. » Quo vitio atque peccato nescio quis alienus sit. Et Ægyptii opprimebant Hebræos per potentiam. Unde et Habacuc queritur, « quare impius opprimat justum (*Habac.* I). » Atque utinam de solis his diceretur qui foris sunt, et non de his qui intus. Solent enim et principes ecclesiarum opprimere plebem per superbiam. De quibus scriptum est : « Principem te constituerunt, ne eleveris ; esto inter eos quasi unus ex ipsis (*Eccli.* XXXII). » Et Salvator præcepit : « Qui vult inter vos esse primus, sit omnium novissimus (*Marc.* IX). » Quod autem juxta Hebraicum dicitur : « Et hominem non contristaverit, » apostolico congruit testimonio : « Nolite contristare Spiritum sanctum, qui habitat in vobis (*Ephes.* IV). » Et in Evangelio, quod juxta Hebræos Nazaræi legere consueverunt, inter maxima ponitur crimina, qui fratris sui spiritum contristaverit. Sin autem tristitia alterius interfecerit contristantem, quid de iniquitate et tyrannica mente dicendum est ? Cui illud convenit : « Quid gloriatur terra et cinis ? » (*Eccli.* X.) » Ut oblitus conditionis suæ quomodo plenus pituitis, felle, stercoribus, et post paululum vermibus exarandus, ponat in cœlum os suum, et lingua ejus pertranseat usque in terram, et dicat cum vero Nabuchodonosor : « Ascendam in cœlum, super sidera cœli ponam thronum meum, ero similis Altissimo (*Isa.* XIV). » Octavum est : « Pignus debitori reddiderit. » Non omni debitori, alioquin multis occasio recipiendarum pignorum fiet divitiarum materia. Sed ei debitori, de quo in lege scribitur, quod pauper sit, et proprium opposuerit vestimentum, et ante solis occasum operimentum recipere debeat, ne cruciatus frigore clamet ad Dominum, qui ultor est ejus injuriæ. Sin autem juxta ea, quæ sequuntur panem esurienti dare debemus, et nudum operire vestimento : quanto magis suum reddere, si tamen debitoris indubitata paupertas est ? Possumus quoque pignus reddere debitori, quando ei, cui dilectione conjungimur, et qui nobis debet, mutuam charitatem reddimus pignus suum, nihil debiti ejus apud nos ultra retinentes. Nonum possidet locum : « Per vim nihil rapuerit ; » sive, juxta Septuaginta, « rapinam non rapuerit. » De raptoribus et Apostolus loquitur, quod inter cæteros peccatores, ne vescendum quidem cum hujuscemodi sit. Omnisque rapina mixta violentiæ est, nisi enim vis fuerit illata, rapina non proficit. Est autem et sancta violentia rapinaque optabilis, de qua scribit et Evangelium : « A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI). » De qua et Judas frater Jacobi loquitur : « Et alios quidem de igne rapientes, aliis autem misereamini in timore (*Jud.* 23). » E contrario adversariæ potestates, in perniciem eorum, quos rapiunt, prædam rapere festi-

A nant. Quod significat et Jacob dicens : « Bestia mala comedit eum, bestia mala rapuit Joseph (*Gen.* XXXVII). » Unde et oves Domini, quæ sequuntur eum, non rapiuntur de manibus ejus. Et ipse dicit : « Pater quod dedit mihi, majus est omnibus, et nemo potest rapere de manu mea [*Al.*, Patris mei] (*Joan.* X). » Ex hoc perspicitur una patris filiique potestas, virtus atque substantia ; si enim de filii manu, quod dedit pater, nemo potest rapere, et hæc eadem in patris manu sunt quæ non rapiuntur ab eo, liquido comprobatur omnia patris et filii esse communia, et in filii manu tenere patrem sicut patris manu tenentur, quæ filii sunt. Decimum est : « Panem suum esurienti dederit ; » per quod docemur eleemosynam non saturis faciendam, sed esurientibus : nec dan-

B dum panem his qui ructant plenitudine, sed his qui inanitate cruciantur. In pane autem omnis continetur cibus. Et significanter dicitur suum, ne de rapinis et usuris, et alieno malo quæsitum panem vertamus in misericordiam. « Redemptio enim animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » Quod multos facere conspicimus clientes et pauperes et agricolas, ut taceam de militantium et judicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, et in suis sceleribus glorientur. Publiceque diaconus in Ecclesia recitet offerentium nomina, quantum offert illa tantum ille pollicitus est. Placentque sibi ad plausum populi torquente eos conscientia. Denique materiam miseris, ut gaudeant ad ea quæ tribuunt,

C et non lugeant ad ea quæ rapuerint. Melius autem est, ut intelligamus panem justi eum esse qui dicit « Ego sum panis, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI) ; » et quem in oratione nobis tribui deprecamur, « panem nostrum substantivum, » sive superventurum « da nobis, » ut quem postea semper accepturi sumus, in præsenti sæculo quotidie mereamur accipere. Hunc panem justus esurientibus tribuit, de quibus scriptum est : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V). » Qui quia justus est communem omnium panem suum facit proprium, qui defecerat in Judæa, propheta dicente : « Auferam ab eis fortitudinem, sive baculum panis (*Ezech.* IV). » Hoc quod loquimur tamen si Christi sumus, imo quod propheta commemorat, panis credentium est, et esu-

D rientium, qui omnino non dandus est his, qui manducaverunt et biberunt et saturati sunt, et incrassati calcitraverunt (*Psal.* LXXVII) ; » de quibus dicitur : « Væ qui saturati estis nunc, quia esurietis (*Luc.* VI), » ne evomant illum : dicente Salomone : « Evomet enim, et contaminabit sermones tuos bonos (*Prov.* XXIII). » Quod aliis verbis Salvator loquitur : « Ne detis sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » Undecimum possidet locum : « Et nudum operuit vestimento. » Qui sermo juxta superioris versiculi explanationem dupliciter disserendus est, ut et nudis tribuamus operimentum, dicente Salvatore : « Nudus eram et operuistis me (*Matth.* XXV) ; » et nudis fide atque virtutibus tr-

buamus vestimentum Christi, de quo scriptum est: A « Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* iii). » Hoc vestimento nudus erat, qui vestem non habens nuptialem, projectus est de convivio. De hac nuditate et ad Jerusalem Dominus loquitur: « Tu autem eras nuda et confusionis plena (*Ezech.* xvi). » Duodecimum numerum tenet: « Et ad usuram non commodaverit; » sive ut Septuaginta transtulerunt, « pecuniam suam ad usuram non dederit. » In hebraico cunctarum specierum usura prohibetur, in Septuaginta tantum pecuniæ, juxta quod et in decimo quarto psalmo scriptum est: « Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. » Et quomodo dicitur: « Fratri tuo non fenerabis, alieno autem fenerabis (*Deut.* xxiii), » sed vide profectum in principio legis a fratribus tantum fenus tollitur; B in Propheta, ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele, « pecuniam suam non dedit ad usuram. » Porro in Evangelio virtutis augmentum est, præcipiente Domino: « Feneramini his a quibus non speratis recipere. » Sequitur, in tertio decimo loco: « Et amplius non acceperit. » Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod prævidens Scriptura divina, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias, quam dedisti. Solent in agris frumenti et milii, vini et olei, cæterarumque specierum usuræ exigi, sive ut appellat sermo divinus abundantiæ. Verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, et in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius partem mediam, qui justissimum se putaverit, quartam plus accipiet portionem. C Et solent argumentari ac dicere: Dedi unum modium qui satus fecit decem modios, nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem et semis de meo habeat? « Nolite errare, » inquit Apostolus (*Galat.* vi), « Deus non irridetur. » Respondeat enim breviter nobis fenerator misericors utrum habenti dederit an non habenti? Si habenti utique dare non debuerat, sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alii pro pecunia fenerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram appellari et superabundantiam quidquid illud est, si ab eo, quod dederint plus acceperint. Quartus decimus gradus: « Ab iniquitate, ait, averterit manum suam; » ut omni opere fugiat iniqui- D tatem, non enim solum manibus, sed et aliis membris committitur iniquitas, dicente Salomone: « Iniqua labia a te procul remove (*Prov.* iv). » Et in Psalmis: « Iniquitatem in excelso locuti sunt (*Psal.* lxxii). » Pes quoque currit ad iniquitatem, et oculus, si alienam mulierem concupiscat, nec sit ejus imitator, de quo dicitur: « Iniquitatem non fecit, et dolus non inventus est in ore ejus (*I Petr.* ii). » Unde et de iniquo mammona jubemur facere nobis amicos, qui nos in æterna recipiant tabernacula (*Luc.* xvi). Quintum decimum est: « Judicium verum fecerit inter virum et virum, » sive proximum suum; quod videtur idem sonare, quod primum, ubi scriptum est: « Si fuerit justus et fecerit judicium. » Sed addita veritate judicii, quod facit inter virum et virum sive proximum suum, ἐπίτασιν cernitur habere virtutum. Unde et in Proverbiorum exordio, post multa præcepta, correptio infertur judicii: « Scire, inquit, sapientiam et disciplinam, et intelligere verba prudentiæ, suscipere versutias sermonum, et nosse justitiam veram, et post omnia corrigere judicium (*Prov.* i). » Quamobrem et Apostolus reprehendit eos qui in Ecclesia constituti sunt (*I Cor.* vi), quod habeant inter se judicia, minimusque eligitur atque contemptus. Quia juxta Evangelium primus est, ut judicet inter virum et virum, qui destruxit ea, quæ parvuli sunt, et pervenit usque ad perfectum virum; et tamen majoris sententia indiget, ut possit ad veritatem judicii pervenire. Sequitur. In sexto decimo loco: « In præceptis meis ambulaverit; » et in decimo septimo: « Judicia sive justificationes meas custodierit, ut faciat ea factaque custodiat. » Quorum utrumque multiplicem habet intelligentiam, si velimus omnia legis mandata replicare, in quibus præcepta Domini, et in quibus justificationes esse dicuntur. Plenus est præceptorum et justificationum cxviii psalmus, et ex parte decimus octavus, in quo scriptum est: « Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda; » et: « Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. » In quo quæritur quomodo in hoc eodem propheta dixerit Deus: « Dedi eis justificationes non bonas, in quibus non vivant in eis (*Ezech.* xx). » Facilisque responsio est et plenior in consequentibus, non vivere Judæos sequentes occidentem litteram, et vivere Christianos intelligentes spiritum vivificantem. Longum est, si voluerimus probare testimoniis, ubi præcepta Domini et ubi justificationes esse dicantur, et quibus singula vel diversitatibus, vel obscuritatibus involvantur. Unde et in præsenti loco infertur: « Hic justus est, vita vivet, ait Dominus Deus. » Qui hæc fecerit et illa non fecerit, nequaquam punietur delictis patris, sed suis vivet virtutibus.

« Quod si genuerit filium latronem effundentem « sanguinem, et fecerit unum de istis, in via patris « sui justi non ambulaverit, et hæc quidem omnia « non facientem, sed in montibus comedentem, et « uxorem proximi sui polluentem, egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus « non reddentem, et ad idola levantem oculos suos, « abominationem facientem, ad usuram dantem et « amplius accipientem, numquid vivet? non vivet. « Et cum universa detestanda hæc fecerit, morte morietur. Sanguis ejus in ipso erit. » Dicamus primum juxta historiam, ut sciatis iniquitates patrum non redundare ad filios. Si justus fecerit, quæ superior sermo per ordinem texuit, vita vivet. Quod si genuerit filium recedentem a Domini servitute et patris virtutes vitiis commutantem, ut faciat quæ ille non fecit, et non faciat quæ ille operatus est, numquid vivere poterit? Certe non vivet, sed erit reus sanguinis sui. Porro juxta intelligentiam spiritalem ju-

stus vir ecclesiasticus, si fidem evangelicam prædicaverit, et filius ejus atque discipulus hæretico fuerit errore deceptus, vocabitur pestilens. De quo et in primo psalmo describitur: « Et in cathedra pestilentiæ non sedit; » et in Proverbiis confidens et procax et superbus, pestilens appellatur. Iste effundit sanguinem deceptorum, et omnia in se peccata congeminat, comedens in montibus superbiæ, et ecclesiam proximi sui polluens, egenos et pauperes in scientia scripturarum contristans, opprimens atque supplantans, rapinam rapiens, eos quos de ecclesia seduxerit. Pignus non reddens, quod a magistro acceperat, ut impleret quod scriptum est: « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). » Et ad idola atque simulacra, quæ de suo corde finxit, levans oculos suos, cunctasque faciens abominationes, et dans ad usuram pecuniam, ut errorem magistri discipulorum augeat diligentia, et repetens ab his, quibus tribuit amplius, quam dederat. Certe non poterit, sed in suo sanguine morietur.

« Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit et non fecerit, similiter super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem proximi sui non violaverit, et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri et malum operatus est in medio populi sui, hic mortuus est in iniquitate sua. » (*Hieron.*) Nec, inquit, miremini, si justi viri filius declinans ad vitia atque peccata morte moriatur, cum e contrario filius peccatoris et impii si viderit perversitatem viarum patris sui, et converterit se, ut mala non faciat, et faciat bona, reus paternorum scelerum non teneatur. Quod et in nobis accipi potest, pro quibus in Psalmis dicitur: « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: et concupiscet rex decorem tuum (*Psal.* XLIV). » Et qui de gentium sumus stirpe generati, ut relinquamus parentum crimina, et faciamus judicium et justitiam, et vivamus in ea. Repetit itaque, quæ supra latius prosecuti sumus, et ideo breviter cuncta percurrimus, ad illa quæ obscuriora et nova sunt transire cupientes.

« Et dicitis, Quare non portabit filius iniquitatem patris? videlicet quia filius judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vita vivet. Anima quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, et pater iniquitatem filii. Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super illum. » Solvit quæstionem, quam e contrario poterat auditor opponere. Soletis, ait, dicere: quare filius justus non portabit iniquitatem patris? Ad quæ ipse respondet: Videlicet quia filius bene operatus est, et patris delicta non fecit. Justumque est ut quomodo peccator in suo scelere moritur, sic justus in suis vivat virtutibus. Et moriatur anima quæ peccaverit, et vivat quæ præcepta Dei custodierit.

« Sin autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit universa præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, in justitia sua quam operatus est vivet. » (*Hieron.*) In tantum, ait, peccata patrum ad filios non redundant, nec justum filium sceleratus prægravat pater, neque alii pro aliorum sceleribus puniuntur, ut ipse unus atque idem, qui prius impius fuit atque peccator, si postea egerit pœnitentiam, et ad meliora conversus pristina peccata deleverit, non judicetur vetustate peccati, sed in meum recipiatur gregem, innovatione virtutis. Simulque considerandum qualem impium et peccatorem suscipiat pœnitentem. Si ab omnibus, inquit, peccatis suis, quæ operatus est, averterit se, et custodierit universa præcepta Domini. Qui scilicet omnia crimina derelinquat, et cunctas virtutes sequatur. Si omnia bona fecerit, et cuncta deseruerit mala, et ego omnium iniquitatum ejus, quas operatus est obliviscar, « in justitia sua, quam operatus est vivet, » non tam mea, quam sua vivet justitia, licet justitiæ meæ sit bonis bona, et malis mala reddere.

« Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? » (*Hieron.*) Ergo Domini voluntatis est omnes salvos fieri et ad notitiam veritatis venire. Ubicumque autem Dei videtur severa et truculenta sententia, non homines, sed peccata condemnat.

« Si autem averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat non erunt in memoria, in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quo peccavit, in ipsis morietur. » (*Hieron.*) Sicut justum antea peccatorem non prægravant antiqua delicta, sic peccatorem, qui prius justus fuerit, non juvant veteres justitiæ. Unusquisque enim, in quo invenietur, in eo judicabitur.

« Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite domus Israel: Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? » (*Hieron.*) Reddit causas, quare Domini justa sententia sit. Putatis me, ait, iniquum, ut peccata patrum reddam filiis, et aliis comedentibus uvam acerbam, aliorum dentes obstupescant? Ecce unusquisque in peccato suo moritur, et in sua justitia vivificatur, in utroque non præterita, sed præsentia judicantur. Quin potius vestra iniqua est sententia, qui putatis parabolam non esse parabolam, sed sic eam accipitis, quasi historiæ veritatem, ut aliorum scelera in aliis puniantur.

« Cum enim averterit se justus a justitia sua, et

« fecerit iniquitatem, morietur in eis. In iniquitate « quam operatus est morietur. » (*Hieron.*) Potest et hoc intelligi : justus prius populus Israel avertit se a justitia sua, quia justitiæ reliquit auctorem, et fecit iniquitatem, Filium Dei denegando, in peccato atque scelere quod operatus est morietur. Non in pluribus, sed in uno hæredem interficiens, ut perderet hæreditatem.

« Et cum averterit se impius ab impietate sua, « quam operatus est, et fecerit judicium atque ju« stitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans « enim avertit se ab omnibus iniquitatibus suis, quas « operatus est, vita vivet et non morietur. » E contrario, ait, populus gentium non habens notitiam Dei, et impius si se averterit ab impietate sua, quam prius operatus est in idololatria, et fecerit ea quæ Israeli lege præcepta sunt, ipse prius mortuus vivificabit animam suam, vidensque se interisse in iniquitatibus, quas operatus est, credet in eum qui dicit : « Ego sum via, et veritas et vita (*Joan.* XIV), » vita vivet et non morietur.

« Et dicunt filii Israel : Non est æqua via Domini. « Nunquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, et « non magis viæ vestræ pravæ? » Usque hodie blasphemant Israel Deum, cur populum suum reliquerit, et gentium adsumpserit multitudinem, quod arguit Dominus, quod viæ eorum pravæ sint, Domini autem justa sententia, ut perditis colonis prioribus, alios in vineam suam mittat agricolas, quod intelligentes in Evangelii parabola dixere Judæi, « Non erit istud. »

« Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, « domus Israel, ait Dominus Deus. » Sive de gentium multitudine, sive de Israel populo sint, qui judicantur : « Non est personarum acceptio apud Deum, » sed unusquisque sua coronabitur fide, et impietate atque infidelitate damnabitur.

« Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus « iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam « iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes « vestras in quibus prævaricati estis. » Proprie ad Israel iste sermo dirigitur, ut agant pœnitentiam, et relinquant iniquitates sive prævaricationes suas, quibus in Deum prævaricati sunt. Potest autem et ad utrumque populum intelligi, ut et Israel et gentium turba sua vitia derelinquens convertatur ad eum qui possit sanare contritiones ejus.

« Et facite vobis cor novum et spiritum novum. » Ut vetustatem litteræ deserentes, vivatis in novitate spiritus. Cor novum Israelis est credere in eum quem prius negaverat. Cor novum gentium, est idola derelinquere, et, mortuorum cultura contempta, credere in eum, qui est vita viventium. « Et quare moriemini, domus Israel? » Melius est, ut supra diximus, exhortationem hanc, in qua scriptum est : « Convertimini et agite pœnitentiam, » super persona accipere Judæorum, quos non vult mori, et quibus nunc loquitur : « Quare moriemini, domus Israel, » qui habetis patres Abraham, Isaac et Jacob, de quibus scriptum est : « Deus vivorum et non mortuorum. » Cur vestro vitio moriemini, qui patrum merito, et mea debetis vivere misericordia. « Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus. Revertimini, et vivetis. » Nolo, inquit, vos mori, quos in salutem genui. « Filios autem genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Revertimini ergo et vivite. » Non dicitur, « Revertimini, » nisi his qui prius cum Deo fuerant, et postea ejus deseruere comitatum. Et vivite per pœnitentiam, qui estis mortui per peccatum. Igitur Israel, quia non revertitur ad pristinum statum, mortuus esse credendus est.

CAPUT XIX.

De Joachim et Jechonia, et filio Joachim captivi : de reliquiis Judæ, quod non habuerunt regem.

« Et tu assume planctum super principes Israel, « et dices : Quare mater tua leæna inter leones cu« bavit? In medio leunculorum enutrivit catulos suos, « et eduxit unum de leunculis suis. Leo factus est « et didicit capere prædam, hominemque comedere. « Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneri« bus ceperunt eum. Et adduxerunt eum in catenis « in terram Ægypti. Quæ cum vidisset, quoniam in« firmata est, et periit exspectatio ejus, tulit unum « de leunculis suis. Leonem constituit, qui incede« bat inter leones. Et factus est leo, didicit prædam « capere, et homines devorare. Didicit viduas facere « et civitates eorum in desertum adducere, et deso« lata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus il« lius, convenerunt adversus eum gentes undique de « provinciis. Et expanderunt super eum rete suum, « et vulneribus earum captus est, et miserunt eum « in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem « Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne au« diretur vox ejus ultra super montes Israel, etc. » (*H.*) Dicemus captivitate vicina prophetam non tam futura vaticinari, quam narrare præterita. Post sextum enim Sedeciæ regis annum, siquidem statim in consequentibus legimus : « Et factum est, in anno septimo in quinto mense, decima mensis, assumitur planctus super principes vel principem Israel. » Et dicitur : « Quare mater tua leæna inter leones cubavit? » Planctus igitur super principes est, omnes videlicet, qui de Josiæ stirpe generati sunt. Mater principum Jerusalem leæna appellatur; quæ leunculos genuit et nutrivit, unumque de leunculis suis eduxit. « Et fecit leonem, » Joachaz significans filium Josiæ, quem Nechao Pharao duxit in Ægyptum, et pro eo constituit Joachim. Quo mortuo Jechonias filius ejus rex constituitur, cum matre et optimatibus civitatis a Nabuchodonosor ductus est in Babylonem. De quo nascitur Salathiel pater Zorobabel, qui ex eo quod in Babylone natus est, nomen accepit. Perspicuumque est sub μεταφορᾷ leænæ et leunculorum et leonis, rursumque alterius leonis, illa describi quæ eo tempore jam facta erant, quo hæc propheta dicebat. Postquam enim Jerusalem eduxit de stirpe regia Joachaz filium Josiæ, et constituit in regem, tam crudelis in brevi exstitit tempore, ut tropologice

stus vir ecclesiasticus, si fidem evangelicam prædicaverit, et filius ejus atque discipulus hæretico fuerit errore deceptus, vocabitur pestilens. De quo et in primo psalmo describitur : « Et in cathedra pestilentiæ non sedit ; » et in Proverbiis confidens et procax et superbus, pestilens appellatur. Iste effundit sanguinem deceptorum, et omnia in se peccata congeminat, comedens in montibus superbiæ, et ecclesiam proximi sui polluens, egenos et pauperes in scientia scripturarum contristans, opprimens atque supplantans, rapinam rapiens, eos quos de ecclesia seduxerit. Pignus non reddens, quod a magistro acceperat, ut impleret quod scriptum est : « Gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). » Et ad idola atque simulacra, quæ de suo corde finxit, levans oculos suos, cunctasque faciens abominationes, et dans ad usuram pecuniam, ut errorem magistri discipulorum augeat diligentia, et repetens ab his, quibus tribuit amplius, quam dederat. Certe non poterit, sed in suo sanguine morietur.

« Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit et non fecerit, « similiter super montes non comederit, et oculos « suos non levaverit ad idola domus Israel, et uxorem « proximi sui non violaverit, et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, et nudum « operuerit vestimento, a pauperis injuria averterit « manum suam, usuram et superabundantiam non « acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis « ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris « sui, sed vita vivet. Pater ejus quia calumniatus est, « et vim fecit fratri et malum operatus est in medio « populi sui, hic mortuus est in iniquitate sua. » (*Hieron.*) Nec, inquit, miremini, si justi viri filius declinans ad vitia atque peccata morte moriatur, cum e contrario filius peccatoris et impii si viderit perversitatem viarum patris sui, et converterit se, ut mala non faciat, et faciat bona, reus paternorum scelerum non teneatur. Quod et in nobis accipi potest, pro quibus in Psalmis dicitur : « Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum (*Psal.* XLIV). » Et qui de gentium sumus stirpe generati, ut relinquamus parentum crimina, et faciamus judicium et justitiam, et vivamus in ea. Repetit itaque, quæ supra latius prosecuti sumus, et ideo breviter cuncta percurrimus, ad illa quæ obscuriora et nova sunt transire cupientes.

« Et dicitis, Quare non portabit filius iniquitatem « patris? videlicet quia filius judicium et justitiam « operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et « fecit illa, vita vivet. Anima quæ peccaverit ipsa « morietur, filius non portabit iniquitatem patris, et « pater iniquitatem filii. Justitia justi super eum erit, « et impietas impii erit super illum. » Solvit quæstionem, quam e contrario poterat auditor opponere. Soletis, ait, dicere : quare filius justus non portabit iniquitatem patris? Ad quæ ipse respondet : Videlicet quia filius bene operatus est, et patris delicta non fecit. Justumque est ut quomodo peccator in suo scelere moritur, sic justus in suis vivat virtutibus. Et moriatur anima quæ peccaverit, et vivat quæ præcepta Dei custodierit.

« Sin autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus « peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit uni- « versa præcepta mea, et fecerit judicium et justi- « tiam, vita vivet, et non morietur. Omnium ini- « quitatum ejus, quas operatus est, non recordabor, « in justitia sua quam operatus est vivet. » (*Hieron.*) In tantum, ait, peccata patrum ad filios non redundant, nec justum filium sceleratus prægravat pater, neque alii pro aliorum sceleribus puniuntur, ut ipse unus atque idem, qui prius impius fuit atque peccator, si postea egerit pœnitentiam, et ad meliora conversus pristina peccata deleverit, non judicetur vetustate peccati, sed in meum recipiatur gregem, innovatione virtutis. Simulque considerandum qualem impium et peccatorem suscipiat pœnitentem. Si ab omnibus, inquit, peccatis suis, quæ operatus est, averterit se, et custodierit universa præcepta Domini. Qui scilicet omnia crimina derelinquat, et cunctas virtutes sequatur. Si omnia bona fecerit, et cuncta deseruerit mala, et ego omnium iniquitatum ejus, quas operatus est obliviscar, « in justitia sua, quam operatus est vivet, » non tam mea, quam sua vivet justitia, licet justitiæ meæ sit bonis bona, et malis mala reddere.

« Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit « Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, « et vivat ? » (*Hieron.*) Ergo Domini voluntatis est omnes salvos fieri et ad notitiam veritatis venire. Ubicumque autem Dei videtur severa et truculenta sententia, non homines, sed peccata condemnat.

« Si autem averterit se justus a justitia sua et « fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes « quas operari solet impius, numquid vivet? omnes « justitiæ ejus, quas fecerat non erunt in memoria, « in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in « peccato suo, quo peccavit, in ipsis morietur. » (*Hieron.*) Sicut justum antea peccatorem non prægravant antiqua delicta, sic peccatorem, qui prius justus fuerit, non juvant veteres justitiæ ; Unusquisque enim, in quo invenietur, in eo judicabitur.

« Et dixistis : Non est æqua via Domini. Audite « domus Israel : Numquid via mea non est æqua, et « non magis viæ vestræ pravæ sunt ? » (*Hieron.*) Reddit causas, quare Domini justa sententia sit. Putatis me, ait, iniquum, ut peccata patrum reddam filiis, et aliis comedentibus uvam acerbam, aliorum dentes obstupescant? Ecce unusquisque in peccato suo moritur, et in sua justitia vivificatur, in utroque non præterita, sed præsentia judicantur. Quin potius vestra iniqua est sententia, qui putatis parabolam non esse parabolam, sed sic eam accipitis, quasi historiæ veritatem, ut aliorum scelera in aliis puniantur.

« Cum enim averterit se justus a justitia sua, et

« fecerit iniquitatem, morietur in eis. In iniquitate A « quam operatus est morietur. » (*Hieron.*) Potest et hoc intelligi : justus prius populus Israel avertit se a justitia sua, quia justitiæ reliquit auctorem, et fecit iniquitatem, Filium Dei denegando, in peccato atque scelere quod operatus est morietur. Non in pluribus, sed in uno, hæredem interficiens, ut perderet hæreditatem.

« Et cum averterit se impius ab impietate sua, « quam operatus est, et fecerit judicium atque ju« stitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans « enim avertit se ab omnibus iniquitatibus suis, quas « operatus est, vita vivet et non morietur. » E contrario, ait, populus gentium non habens notitiam Dei, et impius si se averterit ab impietate sua, quam B prius operatus est in idololatria, et fecerit ea quæ Israeli lege præcepta sunt, ipse prius mortuus vivificabit animam suam, vidensque se interisse in iniquitatibus, quas operatus est, credet in eum qui dicit : « Ego sum via, et veritas et vita (*Joan.* XIV), » vita vivet et non morietur.

« Et dicunt filii Israel : Non est æqua via Domini. « Nunquid viæ meæ non sunt æquæ, domus Israel, et « non magis viæ vestræ pravæ ? » Usque hodie blasphemant Israel Deum, cur populum suum reliquerit, et gentium adsumpserit multitudinem, quod arguit Dominus, quod viæ eorum pravæ sint, Domini autem justa sententia, ut perditis colonis prioribus, alios in vineam suam mittat agricolas, quod intelligentes in Evangelii parabola dixere Judæi, « Non erit C istud. »

« Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, « domus Israel, ait Dominus Deus. » Sive de gentium multitudine, sive de Israel populo sint, qui judicantur : « Non est personarum acceptio apud Deum, » sed unusquisque sua coronabitur fide, et impietate atque infidelitate damnabitur.

« Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus « iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam « iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes « vestras in quibus prævaricati estis. » Proprie ad Israel iste sermo dirigitur, ut agant pœnitentiam, et relinquant iniquitates sive prævaricationes suas, quibus in Deum prævaricati sunt. Potest autem et ad utrumque populum intelligi, ut et Israel et gen- D tium turba sua vitia derelinquens convertatur ad eum qui possit sanare contritiones ejus.

« Et facite vobis cor novum et spiritum novum. » Ut vetustatem litteræ deserentes, vivatis in novitate spiritus. Cor novum Israelis est credere in eum quem prius negaverat. Cor novum gentium, est idola derelinquere, et, mortuorum cultura contempta, credere in eum, qui est vita viventium. « Et quare moriemini, domus Israel ? » Melius est, ut supra diximus, exhortationem hanc, in qua scriptum est : « Convertimini et agite pœnitentiam, » super persona accipere Judæorum, quos non vult mori, et quibus nunc loquitur : « Quare moriemini, domus Israel, » qui habetis patres Abraham, Isaac et Jacob, de quibus scriptum est : « Deus vivorum et non mortuorum. » Cur vestro vitio moriemini, qui patrum merito, et mea debetis vivere misericordia. « Quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus Deus. Revertimini, et vivetis. » Nolo, inquit, vos mori, quos in salutem genui. « Filios autem genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Revertimini ergo et vivite. » Non dicitur, « Revertimini, » nisi his qui prius cum Deo fuerant, et postea ejus deseruere comitatum. Et vivite per pœnitentiam, qui estis mortui per peccatum. Igitur Israel, quia non revertitur ad pristinum statum, mortuus esse credendus est.

CAPUT XIX.

De Joachim et Jechonia, et filio Joachim captivi : de reliquiis Judæ, quod non habuerunt regem.

« Et tu assume planctum super principes Israel, « et dices : Quare mater tua leæna inter leones cu« bavit ? In medio leunculorum enutrivit catulos suos, « et eduxit unum de leunculis suis. Leo factus est « et didicit capere prædam, hominemque comedere. « Et audierunt de eo gentes, et non absque vulneri« bus ceperunt eum. Et adduxerunt eum in catenis « in terram Ægypti. Quæ cum vidisset, quoniam in« firmata est, et periit exspectatio ejus, tulit unum « de leunculis suis. Leonem constituit, qui incede« bat inter leones. Et factus est leo, didicit prædam « capere, et homines devorare. Didicit viduas facere « et civitates eorum in desertum adducere, et deso« lata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus il« lius, convenerunt adversus eum gentes undique de « provinciis. Et expanderunt super eum rete suum, « et vulneribus earum captus est, et miserunt eum « in caveam, in catenis adduxerunt eum ad regem « Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne au« diretur vox ejus ultra super montes Israel, etc. » (*H.*) Dicemus captivitate vicina prophetam non tam futura vaticinari, quam narrare præterita. Post sextum enim Sedeciæ regis annum, siquidem statim in consequentibus legimus : « Et factum est, in anno septimo in quinto mense, decima mensis, assumitur planctus super principes vel principem Israel. » Et dicitur : « Quare mater tua leæna inter leones cubavit ? » Planctus igitur super principes est, omnes videlicet, qui de Josiæ stirpe generati sunt. Mater principum Jerusalem leæna appellatur, quæ leunculos genuit et nutrivit, unumque de leunculis suis eduxit. « Et fecit leonem, » Joachaz significans filium Josiæ, quem Nechao Pharao duxit in Ægyptum, et pro eo constituit Joachim. Quo mortuo Jechonias filius ejus rex constituitur, cum matre et optimatibus civitatis a Nabuchodonosor ductus est in Babylonem. De quo nascitur Salathiel pater Zorobabel, qui ex eo quod in Babylone natus est, nomen accepit. Perspicuumque est sub μεταφορᾷ leænæ et leunculorum et leonis, rursumque alterius leonis, illa describi quæ eo tempore jam facta erant, quo hæc propheta dicebat. Postquam enim Jerusalem eduxit de stirpe regia Joachaz filium Josiæ, et constituit in regem, tam crudelis in brevi exstitit tempore, ut tropologice

cepisse prædas et homines devorasse, memoretur. Ad quem cum venisset Ægyptius, cepit eum non absque vulneribus, sive in fovea, ut proprie in Hebraico continetur, ut conservet tropologicam captionem leonum, qua semper in foveis capi solent. « Et adduxit eum in chamo, sive in catenis in terram Ægypti, ibique mortuus est. » Quod cum vidisset mater ejus Jerusalem, quæ eum genuerat, quæ nutrierat, quæ constituerat in regnum, quod perisset expectatio ejus, tulit de aliis regibus Jechoniam, filium Joachim, et constituit in regem, qui et ipse præcessoris imitatus crudelitatem sub leonis feritate describitur, quod homines devorarit, multas viduas fecerit, ad desertum adduxerit civitates, et ad vocem rugitus ejus territa sit universa provincia, ita ut cum pervenirent ad eum gentes et expanderent super eum rete suum, et in fovea caperent, et mitterent eum in caveam et in catenas, non quo hoc Jechoniæ factum sit. Ipse enim tradidit se regi Babylonis et in Chaldæam asportatus est, sed ut leonis servetur translatio, qui capitur in foveis, catenisque constringitur, et in caveis reservatur. Alioquin juxta historiam hoc de Sedecia legimus, qui post Jechoniam, Jerusalem rex constitutus est. Et hæc facit occasio, ut quia catenæ leguntur, et caveæ et carcer nominatur, Sedeciam potius quam Jechoniam plerique intelligant. Servatus igitur in carcere est, nec interfectus, et tantummodo sublatus est regno. Cæterum Sedeciam cæcum ductum in Babylonem, ibique statim occisum narrat historia.

« Mater tua quasi vinea in sanguine tuo, super aquam plantata, fructus ejus et frondes ejus creverunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, et exaltata est statura ejus in frondes. Et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum, et evulsa est in ira in terramque projecta. Et ventus urens siccavit fructum ejus, emarcuerunt et arefactæ sunt virgæ roboris ejus, ignis comedit eas. Et nunc transplantata est in desertum in terra invia et sitienti, et egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit. Et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium; planctus est, et erit in planctum, etc. » Diversis sermonibus una res dicitur, et quomodo in superioribus legimus Jerusalem pulchræ mulieri comparatam et rursum leænæ, qui in cubili suo leones nutrierit, sic nunc viti vel vineæ pulcherrimæ comparatur, quæ super aquas plantata sit multas, et idcirco humore nutriti palmites in tantum creverint, ut unus palmes, quem Scriptura virgam solidissimam sive fortissimam nuncupat, profecerit in sceptra dominantium. Illa igitur vinea tantæ ubertatis et fructuum tantæque pulchritudinis, quomodo nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti? Significat autem terram Babylonis, ad quam translati sunt, vel Ægyptum quo confugerunt, aut ipsam terram Judæam, in qua pauci pauperes remanserunt, quibus præfectus erat Gotholias [Godolias] ut congregaret et regeret reliquias populi. Contra quem surrexit de stirpe regia et de virga ramorum vineæ Ismael, qui interfecit eum in Masepha, et comedit omnem fructum vineæ, et exinde non fuit in ipsa vinea fortis virga et sceptrum dominantium. Nullus enim remanserat de regibus, qui populum gubernaret, sed cum Joanna filio Care, ad Ægyptum confugerunt, idcirco planctus est, et parabola lamentationis, ut plangatur regium genus, quod in Judæa ultra cessavit, donec veniret, cui repositum est: « Et ipse erit expectatio gentium. » Ex quo perspicuum est, et superiorem lectionem, in qua dicitur: « Quare mater tua leæna inter leones cubavit? » et hanc in qua scriptum est: « Mater tua quasi vinea in sanguine tuo, super aquam plantata » ad Jerusalem pertinere, quæ perdidit leones et palmites suos, et non remansit virga in ea, quæ consurgeret in tribum sive in sceptrum dominantium. A planctu enim incipit, et finitur in planctu. « Assume planctum super principes Israel, » hoc est, in principio et nunc in fine planctus est, et in lamentatione planctuque parabola stirpe regia prosequenda. Porro secundum ἀναγωγὴν quod alii ad cœlestem Jerusalem referunt, ut dicant eos ea in istam vallem lacrymarum plurimos corruisse, et reges esse desisse, et vineam quondam pulcherrimam vento urente siccatam, ita ut nullus in ea viventium palmitum remanserit, quam postea sub urbis figura plangat Jeremias nos intelligimus super Ecclesiam, eo quod in novissimo tempore multiplicata iniquitate refrigescet charitas multorum, ita ut probentur, si fieri potest, etiam electi Dei, et principes ejus capiantur retibus diaboli, qui non sit unius regis captione contentus, sed quotidie reges et principes capere festinet, secundum illud quod scriptum est, « Escæ ejus electæ. » Palmites quoque ecclesiæ, qui dudum floribus et rubori sanguinis æquabantur, postea vento urente siccentur. Quam expositionem et Evangelii parabola sonat (*Luc.* VIII), in qua, sole orto, ea quæ germinaverant æstuaverunt, et repente siccata sunt, ita ut vix remaneat unus e palmitibus, qui consurgat in virgam et dignus princeps populi fiat. Quod aliis verbis loquitur Amos: « Inducam famem et sitim super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi sermones Dei (*Amos* VIII); » unde debemus plangere et lamentari super principes Israel, quorum vitio et superbia Judæa deserta et capta est Jerusalem.

CAPUT XX.

Dominus non respondet interrogantibus propter peccata, et exprobrat eis scelera et blasphemias: et de reprobatione legis et sacrificiorum; de reditu captivorum in terram suam.

« Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis, venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum, et sedebant coram me, etc. » (*Hieron.*) Post undecim primos menses et quinque dies superioris visionis, rursum sermo fit ad prophetam postquam venerunt viri de senioribus domus Israel, ut interrogarent Deum, et sederunt coram

6. Hanc autem consuetudinem fuisse populi Israel, ut quidquid scire cupiebant a Domino quærerent per prophetas, multa exempla testantur. Saul quærens asinas (*I Reg.* IX), pergit ad Samuel, accepitque consilium a puero, ut offerret prophetæ quartam partem sicli. Ægrotante filio Jeroboam mittitur in Silo ad Achiam [Abiam] prophetam uxor ejus deferens munuscula, panes et collyridas, uvas et laguncula mellis, ut de filii infirmitate cognosceret (*III Reg.* XIV). David quoque propheta alium interrogat prophetam Nathan (*II Reg.* VII) utrum templum Domino ædificare deberet. Et Achab sciscitatur ascendat an non in Ramoth Galaad (*III Reg.* XXII). In Isaia quoque et in Regum volumine, quæ Sennacherib ventura sint nuntiantur (*IV Reg.* XIX; *Isa.* XXXVII). Nec mirum si in Veteri Testamento singulis, quæ futura sunt, prophetæ annuntient, cum Agabum legerimus (*Act.* XXI), quæ Paulo ventura sint prophetare. Scriptum est enim in Deuteronomio: « Gentes quas Dominus perditurus est, in conspectu tuo istæ somnia et divinationes audient, tibi autem non sic dedit Dominus Deus tuus (*Deut.* XVIII). » Gentium enim est adire Chaldæos, ariolos, aruspices, divinos, sortilegos, oracula dæmonum quibus errori earum illuditur. Unde et nunc seniores Israel adeunt prophetam, ut interrogarent per eum Dominum, et tamen de interrogatione silent, ipso qui interrogandus erat sciente quid interrogarent, ut et in eo miraculum sit scire cur venerint, et ad ea respondere, quæ tacitus sermo in animo continebat.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili « hominis, loquere senioribus Israel, et dices ad eos: « Hæc dicit Dominus Deus: Nunquid ad interrogan« dum me vos venistis? Vivo ego, quia non respon« debo vobis, ait Dominus Deus. » Sanctis et congrua interrogantibus datur promissio, adhuc loquente te dicam: « Ecce adsum. » Peccatoribus autem, quales fuerant seniores Israel, et quorum scelera in consequentibus propheta describit, non datur responsio, sed increpatio pro peccatis. Et addit jusjurandum: « Vivo ego, » ut firmior sit sententia denegantis. « Si judicas eos, si judicas, fili hominis. » Illi quidem ad interrogandum venerant, cupientes de his, quibus ambigunt, et futura cognoscere. « Tu autem, fili hominis, judica eos, ut non prophetæ sit responsio, sed sententia judicantis pro iniquitatibus quas fecerunt, et patrum secuti sunt scelera. Vel certe « si ultus eos fuero ultione; » ut sit sensus: Tanta iniquitate cooperti sunt, ut nec emendatione quidem et correptione sint digni, secundum illud, quod in propheta dicitur: « Non visitabo ultra filias vestras et nurus vestras cum mœchatæ fuerint (*Ose.* IV). » Unde et peccatores, qui in profundum venere peccati, dimittuntur ut faciant desideria cordis sui.

« Abominationes patrum suorum ostende eis, et « dices ad eos. » Si peccata patrum non redundant ad filios, quomodo abominationes et iniquitates patrum nunc senioribus ponuntur? Hac videlicet causa, ut ostendantur similia parentibus agere, et hæreditario malo longissimum funem trahere peccatorum, ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant.

« Hæc dicit Dominus Deus: In die qua elegi Israel, « et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, et « apparui eis in terra Ægypti, et levavi manum « meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester. « In die illa levavi manum meam pro eis, ut educe« rem eos de terra Ægypti in terram, quam provi« deram eis, fluentem lacte et melle, quæ est egregia « inter omnes terras, etc. » In Ægypto igitur factus est notus populo et semini domus Jacob, quando levavit manum suam pro eis, contra Ægyptios, et dixit: « Ego Dominus Deus vester, » et elegit eos ut educeret de terra Ægypti ad terram fluentem lacte et melle; necdum enim capere poterant solidum cibum, sed quasi parvuli atque lactentes, melle et lacte indigebant infantiæ. Juxta litteram vero, inclytam esse terram Judæ et cunctis terris fertiliorem dubitare non poterit, qui a Rinocorura usque ad Taurum montem et usque ad Euphraten fluvium cunctam consideraverit terram, et urbium potentiam amœnitatemque regionum, Palæstinam videlicet et Phœnicen, Arabiam, Syriam, Cœlen, Ciliciam, et cæteras regiones, quas Israeli, si Dei præcepta servasset, Dominus repromisit: quas quia non accepit, vitium fuit incredulitatis ejus. Nam et in ipsa Palæstina Judæaque provincia gentes plurimæ remanserunt, quæ non sunt ejectæ. Neque enim sponsor in crimine est, si ille cui repromittatur, indignum se fecerit sponsione, præsertim cum proponatur optio promittentis: « Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis, sin autem nolueritis, gladius devorabit vos (*Isa.* I). » Eliguntur ergo præsentia, nec statim, qui eligitur tentari non potest nec perire, quia et Saul electus in regem et Judas in apostolum suo postea vitio corruerunt. Elevatio autem manus sive extensio habitum percutientis ostendit, ut percuteret pro eis Ægyptios, et populum Israel de Ægypto liberaret.

« Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculo« rum suorum abjiciat, et in idolis Ægypti nolite « pollui, ego Dominus Deus vester. » Præcipit autem exeuntibus primum de Ægypto, ut obliviscantur idolorum, quibus multo tempore servierant, imo abjiciant ea ab oculis suis, ut ne aspectu quidem digna habeant, et quibus multo tempore polluti sunt ultra non acquiescant. « Ego, inquit, Dominus Deus vester. » Non portenta Ægyptia, non variorum figmenta monstrorum: sed et nobis quando exierimus de Ægypto, jubetur ut offensiones oculorum nostrorum abjiciamus, ne scilicet his delectemur, quibus ante delectabamur in sæculo, ne simulacris Ægypti polluamur, adinventionibus videlicet philosophorum atque hæreticorum, quæ recte idola nominantur. A spectaculis quoque, imo offensionibus Ægypti, removeamus oculos, arenæ, circi, theatrorum, et omnibus quæ animæ contaminant puritatem, et per sensus ingrediuntur ad mentem, impleturque quod scriptum

cepisse prædas et homines devorasse memoretur. Ad quem cum venisset Ægyptius, cepit eum non absque vulneribus, sive in fovea, ut proprie in Hebraico continetur, ut conservet tropologicam captionem leonum, qua semper in foveis capi solent. « Et adduxit eum in chamo, sive in catenis in terram Ægypti, ibique mortuus est. » Quod cum vidisset mater ejus Jerusalem, quæ eum genuerat, quæ nutrierat, quæ constituerat in regnum, quod periisset exspectatio ejus, tulit de aliis regibus Jechoniam, filium Joachim, et constituit in regem, qui et ipse prædecessoris imitatus crudelitatem sub leonis feritate describitur, quod homines devorarit, multas viduas fecerit, ad desertum adduxerit civitates, et ad vocem rugitus ejus territa sit universa provincia, ita ut cum pervenirent ad eum gentes et expanderent super eum rete suum, et in fovea caperent, et mitterent eum in caveam et in catenas, non quo hoc Jechoniæ factum sit. Ipse enim tradidit se regi Babylonis et in Chaldæam asportatus est, sed ut leonis servetur translatio, qui capitur in foveis, catenisque constringitur, et in caveis reservatur. Alioquin juxta historiam hoc de Sedecia legimus, qui post Jechoniam, Jerusalem rex constitutus est. Et hæc fecit occasio, ut quia catenæ leguntur, et cavea et carcer nominatur, Sedeciam potius quam Jechoniam plerique intelligant. Servatus igitur in carcere est, nec interfectus, et tantummodo sublatus est regno. Cæterum Sedeciam cæcum ductum in Babylonem, ibique statim occisum narrat historia.

« Mater tua quasi vinea in sanguine tuo, super « aquam plantata, fructus ejus et frondes ejus creve« runt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ « in sceptra dominantium, et exaltata est statura « ejus in frondes. Et vidit altitudinem suam in mul« titudine palmitum suorum, et evulsa est in ira in « terramque projecta. Et ventus urens siccavit fru« ctum ejus, emarcuerunt et arefactæ sunt virgæ « roboris ejus, ignis comedit eas. Et nunc transplan« tata est in desertum in terra invia et sitienti, et « egressus est ignis de virga ramorum ejus, qui « fructum ejus comedit. Et non fuit in ea virga for« tis, sceptrum dominantium; planctus est, et erit in « planctum, etc. » Diversis sermonibus una res dicitur, et quomodo in superioribus legimus Jerusalem pulchræ mulieri comparatam et rursum leænæ, quæ in cubili suo leones nutrierit, sic nunc viti vel vineæ pulcherrimæ comparatur, quæ super aquas plantata sit multas, et idcirco humore nutriti palmites intantum creverint, ut unus palmes, quem Scriptura virgam solidissimam sive fortissimam nuncupat, profecerit in sceptra dominantium. Illa igitur vinea tantæ ubertatis et fructuum tantæque pulchritudinis, quomodo nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti? Significat autem terram Babylonis, ad quam translati sunt, vel Ægyptum quo confugerunt, aut ipsam terram Judæam, in qua pauci pauperes remanserunt, quibus præfectus erat Gotholias [Godolias] ut congregaret et regeret reliquias populi. Contra quem surrexit de stirpe regia et de virga ramorum vineæ Ismael, qui interfecit eum in Masepha, et comedit omnem fructum vineæ, et exinde non fuit in ipsa vinea fortis virga et sceptrum dominantium. Nullus enim remanserat de regibus, qui populum gubernaret, sed cum Joanna filio Care, ad Ægyptum confugerunt, idcirco planctus est, et parabola lamentationis, ut plangatur regium genus, quod in Judæa ultra cessavit, donec veniret, qui repositum est: « Et ipse erat exspectatio gentium. » Ex quo perspicuum est, et superiorem lectionem, in qua dicitur: « Quare mater tua leæna inter leones cubavit? » et hanc in qua scriptum est: « Mater tua quasi vinea in sanguine tuo, super aquam plantata » ad Jerusalem pertinere, quæ perdidit leones et palmites suos, et non remansit virga in ea, quæ consurgeret in tribum sive in sceptrum dominantium. A planctu enim incipit, et finitur in planctu. « Assume planctum super principes Israel, » hoc est, in principio et nunc in fine planctus est, et in lamentatione planctuque parabola stirpe regia prosequenda. Porro secundum ἀναγωγὴν quod alii ad cœlestem Jerusalem referunt, ut dicant eos ea in istam vallem lacrymarum plurimos corruisse, et reges esse desisse, et vineam quondam pulcherrimam vento urente siccatam, ita ut nullus in ea virentium palmitum remanserit, quam postea sub urbis figura plangat Jeremias nos intelligimus super Ecclesiam, eo quod in novissimo tempore multiplicata iniquitate refrigescet charitas multorum, ita ut probentur, si fieri potest, etiam electi Dei, et principes ejus capiantur retibus diaboli, qui non sit unius regis captione contentus, sed quotidie reges et principes capere festinet, secundum illud quod scriptum est, « Escæ ejus electæ. » Palmites quoque ecclesiæ, qui dudum floribus et rubori sanguinis æquabantur, postea vento urente siccentur. Quam expositionem et Evangelii parabola sonat (*Luc.* VIII), in qua, sole orto, ea quæ germinaverant æstuaverunt, et repente siccata sunt, ita ut vix remaneat unus e palmitibus, qui consurgat in virgam et dignus princeps populi fiat. Quod aliis verbis loquitur Amos: « Inducam famem et sitim super terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi sermones Dei (*Amos* VIII); » unde debemus plangere et lamentari super principes Israel, quorum vitio et superbia Judæa deserta et capta est Jerusalem.

CAPUT XX.

Dominus non respondet interrogantibus propter peccata, et exprobrat eis scelera et blasphemias: et de reprobatione legis et sacrificiorum; de reditu captivorum in terram suam.

« Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis, venerunt viri de senioribus Israel, ut « interrogarent Dominum, et sedebant coram me, « etc. » (*Hieron.*) Post undecim primos menses et quinque dies superioris visionis, rursum sermo fit ad prophetam postquam venerunt viri de senioribus domus Israel, ut interrogarent Deum, et sederunt coram

.ō. Hanc autem consuetudinem fuisse populi Israel, ut quidquid scire cupiebant a Domino quærerent per prophetas, multa exempla testantur. Saul quærens asinas *I Reg.* IX), pergit ad Samuel, accepitque consilium a puero, ut offerret prophetæ quartam partem sicli. Ægrotante filio Jeroboam mittitur in Silo ad Achiam Abiam] prophetam uxor ejus deferens munuscula, panes et collyridas, uvas et laguncuiam mellis, ut de filii infirmitate cognosceret (*III Reg.* XIV). David quoque propheta alium interrogat prophetam Nathan *II Reg.* VII) utrum templum Domino ædificare deberet. Et Achab sciscitatur ascendat an non in Ramoth Galaad (*III Reg.* XXII). In Isaia quoque et in Regum volumine, quæ Sennacherib ventura sint nuntiantur *IV Reg.* XIX; *Isa.* XXXVII). Nec mirum si in Veteri Testamento singulis, quæ futura sunt, prophetæ annuntient, cum Agabum legerimus (*Act.* XXI), quæ Paulo ventura sint prophetare. Scriptum est enim in Deuteronomio: « Gentes quas Dominus perditurus est, in conspectu tuo istæ somnia et divinationes audient, tibi autem non sic dedit Dominus Deus tuus *Deut.* XVIII). » Gentium enim est adire Chaldæos, ariolos, aruspices, divinos, sortilegos, oracula dæmonum quibus errori earum illuditur. Unde et nunc seniores Israel adeunt prophetam, ut interrogarent per eum Dominum, et tamen de interrogatione silent, ipso qui interrogandus erat sciente quid interrogarent, ut et in eo miraculum sit scire cur venerint, et ad ea respondere, quæ tacitus sermo in animo continebat.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili « hominis, loquere senioribus Israel, et dices ad eos: « Hæc dicit Dominus Deus: Nunquid ad interrogan« dum me vos venistis? Vivo ego, quia non respon« debo vobis, ait Dominus Deus. » Sanctis et congrua interrogantibus datur promissio, adhuc loquente te dicam: « Ecce adsum. » Peccatoribus autem, quales fuerunt seniores Israel, et quorum scelera in consequentibus propheta describit, non datur responsio, sed increpatio pro peccatis. Et addit jusjurandum: « Vivo ego, » ut firmior sit sententia denegantis. « Si judicas eos, si judicas, fili hominis. » Illi quidem ad interrogandum venerant, cupientes de his, quibus ambigunt, et futura cognoscere. « Tu autem, fili hominis, judica eos, ut non prophetæ sit responsio, sed sententia judicantis pro iniquitatibus quas fecerunt, et patrum secuti sunt scelera. Vel certe « si ultus eos fuero ultione; » ut sit sensus: Tanta iniquitate cooperti sunt, ut nec emendatione quidem et correptione sint digni, secundum illud, quod in propheta dicitur: « Non visitabo ultra filias vestras et nurus vestras cum mœchatæ fuerint (*Ose.* IV). » Unde et peccatores, qui in profundum venere peccati, dimittuntur ut faciant desideria cordis sui.

« Abominationes patrum suorum ostende eis, et « dices ad eos. » Si peccata patrum non redundant ad filios, quomodo abominationes et iniquitates patrum nunc senioribus ponuntur? Hac videlicet causa, ut ostendantur similia parentibus agere, et hæreditario malo longissimum funem trahere peccatorum, ut quorum imitantur vitia, eorum supplicia pertimescant.

« Hæc dicit Dominus Deus: In die qua elegi Israel, « et levavi manum meam pro stirpe domus Jacob, et « apparui eis in terra Ægypti, et levavi manum « meam pro eis, dicens: Ego Dominus Deus vester. « In die illa levavi manum meam pro eis, ut educe« rem eos de terra Ægypti in terram, quam provi« deram eis, fluentem lacte et melle, quæ est egregia « inter omnes terras, etc. » In Ægypto igitur factus est notus populo et semini domus Jacob, quando levavit manum suam pro eis, contra Ægyptios, et dixit: « Ego Dominus Deus vester, » et elegit eos ut educeret de terra Ægypti ad terram fluentem lacte et melle; necdum enim capere poterant solidum cibum, sed quasi parvuli atque lactentes, melle et lacte indigebant infantiæ. Juxta litteram vero, inclytam esse terram Judæ et cunctis terris fertiliorem dubitare non poterit, qui a Rinocorura usque ad Taurum montem et usque ad Euphraten fluvium cunctam consideraverit terram, et urbium potentiam amœnitatemque regionum, Palæstinam videlicet et Phœnicen, Arabiam, Syriam, Cœlen, Ciliciam, et cæteras regiones, quas Israeli, si Dei præcepta servasset, Dominus repromisit: quas quia non accepit, vitium fuit incredulitatis ejus. Nam et in ipsa Palæstina Judæaque provincia gentes plurimæ remanserunt, quæ non sunt ejectæ. Neque enim sponsor in crimine est, si ille cui repromittatur, indignum se fecerit sponsione, præsertim cum proponatur optio promittentis: « Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis, sin autem nolueritis, gladius devorabit vos (*Isa.* I). » Eliguntur ergo præsentia, nec statim, qui eligitur tentari non potest nec perire, quia et Saul electus in regem et Judas in apostolum suo postea vitio corruerunt. Elevatio autem manus sive extensio habitum percutientis ostendit, ut percuteret pro eis Ægyptios, et populum Israel de Ægypto liberaret.

« Et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculo« rum suorum abjiciat, et in idolis Ægypti nolite « pollui, ego Dominus Deus vester. » Præcipit autem exeuntibus primum de Ægypto, ut obliviscantur idolorum, quibus multo tempore servierant, imo abjiciant ea ab oculis suis, ut ne aspectu quidem digna habeant, et quibus multo tempore polluti sunt ultra non acquiescant. « Ego, inquit, Dominus Deus vester. » Non portenta Ægyptia, non variorum figmenta monstrorum: sed et nobis quando exierimus de Ægypto, jubetur ut offensiones oculorum nostrorum abjiciamus, ne scilicet his delectemur, quibus ante delectabamur in sæculo, ne simulacris Ægypti polluamur, adinventionibus videlicet philosophorum atque hæreticorum, quæ recte idola nominantur. A spectaculis quoque, imo offensionibus Ægypti, removeamus oculos, arenæ, circi, theatrorum, et omnibus quæ animæ contaminant puritatem, et per sensus ingrediuntur ad mentem, impleturque quod scriptum

est : « Mors intravit per fenestras vestras. » « Et irritaverunt me. » Septuaginta : « Et recesserunt a me ; » sive, ut Symmachus interpretatus est, « non acquieverunt mihi. » Statimque vocati recedunt a Deo, ut nullum sit spatium inter vocationem et recessionem. Et hoc notandum, quod nemo recedit a Deo, nisi qui ante cum eo fuerit. Unde et draco in Job volumine apostata, prævaricator, et recedens appellatur.

« Nolueruntque audire me. Unusquisque abominationes oculorum suorum non projecit, nec idola Ægypti reliquerunt (*Job.* XXXIV). » Propterea, inquit, irritaverunt me et recesserunt a me, quia noluerunt audire me, dum liberum homini servatur arbitrium. Et fecerunt omnia, quæ ne facerent lege præcepi, statim desperantes salutem, mussitantes contra Moysen, Deique repressionibus diffidentes. Unde sequitur :

« Et dixi, ut effunderem indignationem meam super eos, et implerem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti. » Statim ut præcepi eis relinquere sive abjicere offensiones oculorum suorum, et in idolis Ægypti nequaquam pollui, irritaverunt me, et noluerunt audire quæ dixi, sed e contrario fecerunt quæ non facienda præcepi ; ideo decreveram, ut effunderem in eos furorem et indignationem meam, et implerem iram meam, quam mente conceperam in medio terræ Ægypti. Quia necdum egressi fuerant de Ægypto. Sequitur enim, « Ejeci ergo eos de terra Ægypti, et eduxi in desertum. Ex quo ostenditur, necdum eos fuisse egressos de Ægypto, quando effundere voluit indignationem suam, et implere iram suam super eis et percutere eos in medio terræ Ægypti.

« Et feci propter nomen meum, ut non violarentur coram gentibus, in quarum medio erant, et inter quas apparui eis, ut educerem eos de terra Ægypti. » Quod facere cogitabam propter justitiam, non feci pro clementiæ magnitudine, ne pollueretur nomen meum et viderer non potuisse complere quod Israeli repromiseram. Peperci igitur nomini meo, ne haberent occasionem blasphemandi nationes, inter quas notus factus sum eis in terra Ægypti. Hucusque quod eis promiserit in terra Ægypti constitutis, et quomodo statim offenderint, et quid contra eos Dominus cogitaverit et tamen non fecerit, propheta describit. Quæ sequuntur egressis de Ægypto locutus est :

« Ejeci ergo eos de terra Ægypti et eduxi in desertum, et dedi eis præcepta mea et judicia mea ostendi eis quæ faciat homo et vivat in eis. Insuper et sabbata mea dedi eis ut esset signum inter me et eos, et scirent quod ego Dominus sanctificans eos. Et irritaverunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea projecerunt, quæ faciet homo vivet in eis. Et sabbata mea violaverunt vehementer. Dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto et consumerem eos, et feci propter nomen meum ne violaretur coram gentibus de quibus ejeci eos in conspectu earum. » Hæc ad eos dicuntur, qui educti sunt de Ægypto in desertum, ut Ægyptiorum vitiis liberati facilius in solitudine Dei præcepta complerent, et judicia ejus facerent et sabbata custodirent, quæ in signum data sunt inter eum qui dedit et eos quibus data sunt, Scriptura dicente, Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : « Et tu præcipe filiis Israel dicens, Videte et sabbata mea custodite, quod est signum inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quod ego sum Dominus, qui sanctifico vos, et custodite sabbatum quoniam sanctum est vobis ; qui violaverit illud, morte morietur. Omnis qui fecerit in eo opus, interficietur anima illa de medio populi sui (*Exod.* XXXI). » Ergo sabbatum et circumcisio in signum data sunt veri sabbati et veræ circumcisionis, ut sciamus nobis in perfecto et æterno sabbato requiescendum a sæculi operibus, et non præputium, sed cor circumcidamus, unde in sex diebus operantes, in septimo requiescimus, ut nihil aliud die ac nocte faciamus nisi omne quod vivimus, deberi Domino noverimus, et redeunte hebdomade, totos nos ejus nomini consecramus, et per sanctificationem diei recordemur Domini qui sanctificat nos. Hæc præcepta et justificationes et observantiam sabbati dedit Dominus in deserto, ut facientes illa viverent in eis, non de illis ad majora transirent, sicut in Evangelio promissum est, quæ illi violaverunt non semel, nec parvum, sed vehementer, ut violationis ἐπίτασις monstraretur. Dixit ergo et in sua mente decrevit ut effunderet furorem suum super eos in deserto, et consumeret eos quando locutus est ad Moysen : « Dimitte me et iratus furore contra eos delebo illos (*Exod.* XXXII). » Sed noluit facere, parcens Ægyptiis et cæteris gentibus, ne scandalizarentur, et ipsis quorum misertus est, expectans pœnitentiam conversorum ; notandumque, quod quando constitutis in Ægypto loquebatur post offensam, « Feci, ait, propter nomen meum ut non violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in conspectu earum : Tunc enim adhuc in medio erant, qui necdum exierant. Nunc autem postquam egressi sunt, dicitur : « De quibus ejeci eos in conspectu earum. »

« Ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne educerem eos in terram quam dedi eis fluentem lacte et melle, præcipuam terrarum omnium, quia judicia mea projecerant et in præceptis meis non ambulaverant, et sabbata mea violaverant : post idola enim cor eorum gradiebatur. Et pepercit oculus meus super eos, ut non interficerem eos, nec consumpsi eos in deserto. » Decreveram quidem ut totum furorem meum effunderem super eos et delerem eos atque consumerem, sed feci propter nomen meum ne violaretur in gentibus, Amalecitis videlicet et reliquis, qui contra eos in solitudine dimicaverunt, ut nequaquam inducerem eos in terram, quam eis pollicitus sum lacte et melle fluentem, quæ præcipua terrarum omnium

st, sive favus; causa enim pœnæ est istiusque sententiæ: « Quia judicia mea projecerant, et in præceptis meis non ambulaverant, et sabbata mea violaverant. » Ipsiusque causæ hæc causa est, ut ista non facerent, quia cor eorum Ægypti idola sequebatur, pepercit autem, ait, oculus meus ne interficerem eos atque delerem, nec omnino consumerem. In quo quæritur quomodo eis pepercerit, quorum cadavera in solitudine corruerant, et excepto Jesu Nave et Caleph filio Jephone, terram repromissionis nullus ingressus est. Ex quo intelligimus vivere eos, nec æternis suppliciis reservatos, nec deletos esse de libro viventium, nec consumptos ante faciem Domini. Si enim ex eo quod non sunt introducti in terram repromissionis periisse credendi sunt, ergo et Moyses periit, qui vidit tantum terram repromissionis, et non est ingressus in eam. De quo in libro Jesu Dominus loquitur: « Moyses famulus meus mortuus est (*Jos.* I, 2). » Et in Malachia: « Mementote legis Moysi servi mei (*Malach.* IV). » Et in Jeremia quasi de amico et de familiarissimo suo loquitur Dominus: « Si steterint Moyses et Samuel in conspectu meo (*Jer.* XV). » Alioquin et Moysi preces exauditas esse credendum est, quando pro populo interpellans, ait: « Si dimittis eis peccatum, dimitte; sin autem non vis, dele me de libro tuo (*Exod.* XXXII), » quem scripsisti. Ut autem sciamus sententiam Dei in filios et in famulos non ad perditionem esse sed emendationem, audiamus testimonia Scripturarum: Fili, ne contristeris ad disciplinam Domini, neque deficias quando ab eo argueris: « Quem diligit Dominus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit (*Heb.* XII). » Et in alio loco: « Cum interficeret illos tunc quærebant eum (*Psal.* LXXVII). » Et in Deuteronomii cantico: « Ego interficiam et ego vivificabo (*Deut.* XXXII). » Possumus et hoc juxta litteram dicere, quod non deleverit eos neque consumpserit cum stirpe sua atque progenie, sed interfectis patribus pepercerit filiis quos in terram repromissionis induxit.

« Dixi autem ad filios eorum in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incidere nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, et judicia mea custodite, et facite ea, et sabbata mea sanctificate, ut sit signum inter me et vos. Et sciatur quia ego sum Dominus Deus vester. » Post interfectionem patrum qui in eremo corruerunt, præcepta dat filiis in quorum salute misertus est patrum, et pepercit, inquit, oculus Domini super eos, ne omnino interficeret eos atque deleret, sed patres in filiis reservaret, eademque testatur, quæ et patribus est locutus, ut postquam in præceptis illius ambulaverint, et judicia custodierint, et sanctificationem sabbati, quod signum datum est, reservaverint, tunc sciant, quia ipse sit Dominus Deus eorum, præcepta autem et legitima patrum et judicia eorum errorem inolitum significat, ne peccata eorum imitentur quorum tormenta respiciunt.

« Et exacerbaverunt me filii: in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt ut facerent ea quæ cum fecerit, homo vivet in eis. Et sabbata mea violaverunt et comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos, et implerem iram meam in eis in deserto. Averti autem manum meam, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, de quibus ejeci eos in oculis earum. » Sed et filii, inquit, parentum sunt scelera secuti, feceruntque omnia quæ illi fecerant, unde et similem sententiam meruere, sed eadem qua et patres eorum misericordiæ meæ magnitudine reservati sunt, et ob easdem causas quibus et patrum misertus sum, ut unus atque idem creator amborum simili iram meam patientia mitigarem. Manifesta percurrimus, et ad obscuriora transimus.

« Iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationibus, et ventilarem in terras, eo quod judicia mea non fecissent, et præcepta mea reprobassent, et sabbata mea violassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent, et pollui eos in muneribus suis cum offerrent omne quod aperit vulvam propter delicta sua. Et scient quia ego Dominus. » Ubi in Veteri Testamento contra filios eorum, qui in solitudine corruerant, Dominus levaverit manum suam, volens eos dispergere in nationes, Scriptura non dicit. Sed ex eo quod hic refert, factum esse credendum est, sive hoc significat quod postquam terram repromissionis intraverint, variis temporibus ob multa peccata diversis traditi sunt gentibus regibusque, eo tempore, quæ natura sua bona erant præcepta Domini, et judicia in quibus possent credentes vivere, facta sint eis non bona dum nequaquam valent in captivitate legis præcepta servare, et facere quæ divinus sermo mandavit. Neque dixit, Dedi eis præcepta mala, sed non bona: non enim statim sequitur, ut quod bonum non est, sit malum, sicut et Apostolus docet (*I Cor.* VII) bonum esse homini uxorem vel mulierem non tangere, sed propter incontinentiam unumquemque suam uxorem habere bonum est, unumquemque possidere vas suum in sanctificatione et castitate; quod si non fecerit, nec bonum nec malum est. Dedit ergo eis Deus dispersis in gentibus præcepta non bona, hoc est, dimisit eos cogitationibus et desideriis suis, ut facerent quæ non conveniunt, et polluit eos in muneribus suis, sicut sacerdos de populo leprosos separans et eos pollutos esse demonstrans, dum idolis offerunt quæ Deo offerre deberent, et transducunt omne quod aperit vulvam per ignem *bachali*, id est, *primogenita*, et postquam deserti fuerint a Deo et idolorum cultui traditi, tunc intelligant quod ipse sit Dominus, quem suo vitio ad iracundiam concitaverunt. Hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus, pro præterito ponens futurum: « Igitur et ego dabo eis præcepta non bona et judicia

propter quæ non vivent, et pollueram eos propter munera sua, quia consecrant et transducunt omne quod aperit vulvam, ut deleam eos; et scient quia ego Dominus. » Et est sensus : Quia vidi filios sceleribus patrum adæquari et eadem facere propter quæ illi offenderant Deum, volui illos dividere in nationes et in toto orbe dispergere, et dare illis præcepta non bona et judicia in quibus non viverent, ut pollueram illos in muneribus suis, qui omnia primogenita idolis consecrabant, et delerem eos in perpetuum, et scirent quod ego essem Deus; per quæ ostendit non se dedisse eis præcepta non bona, qui in eremo morabitur, sed his quos dispergere voluit in nationes et facere in toto orbe peregrinos, dare cogitasse quæ non dedit, ut ibi Dei præcepta bona suo vitio non bona facerent, dum idolis exhibent quæ Deus sibi præceperat exhibenda; potest et hoc dici quod ante offensam decalogum tantum acceperunt : post idololatriam vero et blasphemiam, multiplices legis cæremonias, ut Deo potius offerrent victimas quas dæmonibus offerebant et comparatione sacrilegii levius fieret, quod non erat per se bonum et nequaquam malum, quia Deo offerebatur, et tamen non bonum quia boni auctorem offenderant (*Greg.*, *Mor.* *lib.* XXVIII, c. 17). Infirmus namque populus eum præceptorum pannos solens pertulit, ad firmiorem statum ex ipsa sua ligatione pervenit. Quia enim timor eum prius a culpa coercuit, competenter postmodum in libertatem spiritus exivit. Hos pannos quos inchoantibus dedit ipse per prophetam Dominus reprehendit, dicens : *Ego dedi eis præcepta non bona*, mala enim quasi mala esse desinunt comparatione pejorum, et bona quasi bona non sunt comparatione meliorum : nam sicut pejus delinquenti Judææ de Sodoma atque Samaria dicitur : « Justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es (*Ezech.* XVI), » ita melioris Testamenti Novi præceptis subsequentibus præcepta bona, quæ rudibus data sunt non bona esse memorantur, neque enim mentes usui vitæ carnalis inhærentes evelli ab infimis possent, nisi gradatim ducta prædicatione proficerent.

« Quamobrem loquere ad domum Israel, fili hominis, et dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri cum sprevissent me contemnentes et induxissem eos in terram super quam levavi manum meam ut darem eis. Viderunt omnem collem excelsum et omne lignum nemorosum, et immolaverunt ibi victimas suas, et dederunt ibi irritationem oblationis suæ, et posuerunt ibi odorem suavitatis suæ, et libaverunt libationes suas. Et dixi ad eos : Quid est excelsum ad quod vos ingredimini? et vocatum est nomen ejus excelsum usque in hunc diem. » (*Hieron.*) Volui, inquit, eos in solitudine delinquentes in cunctas dispergere nationes, et dare illis præcepta non bona, ut quod mihi offerre debuerant, idolis immolarent, et omne primogenitum suum consecrarent eis per ignem, ut interficerem eos atque delerem. Quando autem dicit volui, ostendit se non fecisse, quod voluit, illudque quod sequitur : « Et scient quia ego sum Dominus, » in Septuaginta non habetur. Non enim eis videbatur consequens post interfectionem nosse quod ipse sit Dominus. Sed tu, « fili hominis, rursum loquere ad eos, » hoc est ad seniores domus Israel, qui te interrogare venerunt, patres vestri de quorum stirpe descendistis etiam in hoc blasphemaverunt me, et ducere pro nihili; postquam introduxi eos in terram quam mea fortitudine possederunt, quam ego ad possidendum dederam, illi verterunt ad exasperandum me. Cum enim vidissent omnem collem excelsum, lignumque nemorosum, sacrificabant in montibus, et in lucis, et saltibus, et idolis victimas immolabant, et liba fundebant. « Quod cum vidissem, dixi ad eos. » Quid est *Bama?* hoc enim interpretatur *excelsum*, aut cur ingredimini istiusmodi locum, quem vobis in cunctis collibus elegistis, ita ut usque hodie istiusmodi loca appellentur Bamoth, et antiquus error nomen pristinum teneat?

« Propterea dic ad domum Israel : Hæc dicit Dominus : In via patrum vestrorum vos polluimini, et post offendicula eorum vos fornicamini, et in oblatione donorum vestrorum cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie. Et ego respondebo vobis, domus Israel : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis. » Patrum vestrorum imitamini vitia, et per easdem inceditis vias, ut delicta similia similem mereantur et pœnam, et in tantum nefas profecistis, ut filios vestros per ignem dæmonibus consecretis. Nec semel hoc sufficiat, sed usque inpræsentiarum agatis eadem, non quod hoc seniores in captivitate faciant, sed quod illi qui in Hierosolymis morabantur, et quibus captivitas imminebat, hæc omnia facere non cessent. Et cum tantis flagitiis obligati sitis, responsionem inquit meam quæritis. « Vivo ego, dicit Dominus Deus, » et juro per memetipsum, quia non respondebo vobis; quodque sequitur :

« Neque cogitatio mentis vestræ fiet dicentium : Erimus sicut gentes et sicut cognationes terræ, ut colamus ligna et lapides. Vivo ego, dicit Dominus Deus, qui in manu forti, et in brachio extento et in furore effuso regnabo super vos. » Hunc habet sensum : Nec putetis cogitationes vestras, quibus contra me blasphematis posse compleri. Dicitis enim, Nolumus esse sub Domino, nec populus illius appellari, sed ut cunctæ in toto orbe sunt nationes, et unaquæque gens suo vivit arbitrio, ut colat ligna et lapides, et idolis serviat, etiam una gens nos erimus e pluribus. Ad quæ respondit Deus, juratque per semetipsum, et dicit : Non vos relinquam neque contemnam, ut fugaces servos Domini negligentes solent, contemnere, sed ad meum retraham imperium. Et brachio extento et percutiente ac furore effuso, in pristinam vos redigam servitutem, et regnabo super vos, ut velitis nolitis, me

habeatis regem, et sentiatis regem iratum, cujus clementiam neglexistis.

« Et educam vos de populis, et congregabo vos « de terris in quibus dispersi estis : in manu valida et brachio extento, et in furore effuso regnabo « super vos. » Nec vos, ait, patiar esse in gentibus, nec æterna captivitate retineri, sed educam de populis et congregabo de terris, in quas vos ad serviendum hostilis necessitas huc illucque dispersit. Hæc autem faciam ut non perdam vos et deleam, sed ut Rex vester sim. Ex quo intelligimus etiam eam quam appellant hæretici creatoris crudelitatem sonare clementiam, dum ad hoc irascitur et desævit, et totum effundit furorem, ut retrahat eos ad regnum suum, qui dæmonum tyrannidem ad serviendum elegerunt.

« Et adducam vos in desertum populorum et ju« dicabor vobiscum ibi facie ad faciem. Sicut ju« dicio contendi adversum patres in deserto terræ « Ægypti, sic judicabo vos, dicit Dominus, et sub« jiciam vos sceptro meo : et inducam vos in vin« culis fœderis : et eligam de vobis transgressores « et impios, de terra incolatus eorum educam illos, « et in terram Israel non ingredientur, et scietis « quia ego Dominus. » Faciam, ait Dominus, vobis qui estis in Babylone, et nunc servitis idolis, quod feci patribus vestris in Ægypto, ut educam vos in desertum populorum, et ibi judicer vobiscum facie ad faciem sicut adversum illos judicio contendi, quando egressi sunt de Ægypto. Et postquam vos judicavero, subjiciam vos sceptro meo et imperio et inibo pactum vobiscum, et inducam vos in terram vestram in vinculis charitatis, ut ligati amore meo nequaquam a me possitis recedere. Transgressores autem et impios, qui cordis duritia in malis operibus perseverant, eligam de vobis, non ad possidendum, sed ad abjiciendum : et educam quidem eos de terra incolatus eorum, ut educti non ingrediantur terram Israel, sed in diversis pereant regionibus, et distinctione bonorum et malorum cognoscatis, quia ego sum Dominus, qui facio cuncta judicio. Ad reliqua festinat oratio, breviterque percurrimus singula, ut sensum tantum legentibus præbeamus.

« Et vos, domus Israel, hæc dicit Dominus Deus, « singuli post idola vestra ambulate, et servite « eis. Quod si et in hoc non audieritis me et no« men meum sanctum pollueritis ultra in munéri« bus et in idolis vestris, in monte sancto meo, in « monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi ser« viet mihi omnis domus Israel, omnis, inquam, in « terra in qua placebunt mihi, et ibi requiram pri« mitias vestras et initium decimarum vestrarum « in omnibus sanctificationibus vestris ; in odore sua« vitatis suscipiam vos cum eduxero vos de populis et « congregavero vos de terris in quas dispersi estis, « et sanctificabor in vobis in oculis nationum, et « scietis quia ego Dominus. » De hoc monte in quo servitura est Deo omnis domus Israel, Isaias et Michæas pari voce cecinerunt : « In novissimis diebus erit manifestus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et confluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et in montem Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. De Sion enim enim exibit lex et verbum Domini de Hierusalem (*Isa.* II ; *Mich.* IV). » Et rursum Isaias : « In montem, inquit, excelsum ascende, qui annuntias Sion : eleva et exalta vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem (*Isa.* XL). » Quem montem Sion aut Ecclesiam intelligimus, quæ interpretatur specula, et in altitudine sanctorum dogmatum constituta est, aut ipsum Dominum Salvatorem, in quo et primitiæ et decimæ et omnis cultura in odorem vertitur suavitatis : ut omnes in circuitu nationes, videntes populum Domini salvatum esse, glorificent Deum et cognoscant, qui salvati fuerint, quod ipse sit Dominus

« Cum induxero vos ad terram Israel, in terram, « pro qua levavi manum meam, ut darem eam pa« tribus vestris, tunc scietis quia ego sum Dominus. » Quando induxero, ait, vos in terram Israel, pro qua levavi manum meam, ut inducerem in eam patres vestros, quam illi suo vitio perdiderunt, et vos non tam vestro merito quam mea clementia recepistis.

« Et recordabimini viarum vestrarum et omnium « scelerum vestrorum quibus polluti estis in eis, et « displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus « malitiis vestris quas fecistis. Et scietis quia ego « Dominus, cum benefecero vobis propter nomen « meum, non secundum vias vestras malas, nec se« cundum scelera pessima domus Israel, ait Dominus « Deus. » Non possumus recordari scelerum nostrorum atque vitiorum, nisi inducti fuerimus in terram Israel, ibique positi dicamus cum Apostolo : « Qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* XV). » « Et displicebitis, ait, vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris quas fecistis ; » sive, ut interpretatus est Symmachus : « Et parvuli vobis videbimini propter omnes malitias vestras, quas estis operati, » ut postquam excelsi fuerint, humiles esse se credant, quia Dominus humilibus dat gratiam. Et in alio loco scriptum est : « Ante contritionem exaltatur cor viri, et ante exaltationem humiliatur (*Prov.* XVIII). » Superbiam enim contritio, et humilitatem sequitur altitudo. « Et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis. » Et Dominum Salvatorem tunc magis cognovimus quando benefecit nobis, et passus est pro peccatis nostris, et portavit iniquitates nostras et pro nobis doluit, non pro aliquo merito eorum qui salvantur, sed propter nomen suum. Alioquin vitæ nostræ, et scelera nostra pessima, non misericordiam meruere, sed pœnam. Quidquid autem de populo diximus Israel, qui liberatus de Ægypto in solitudine multa commisit, et offendit Deum, et postea in terram repromissionis inductus, veneratus idola lignaque et lapides coluit, et postea Dei clementia conservatus

est, referamus ad eos, qui de Ægypto sæculi hujus A manu excelsa Domini liberati sunt, et introducti in vitiorum solitudinem, rursum Ægyptum suspirarunt, et fecerunt ea per quæ puniri debuerant, sed nihilominus per pœnitentiam non suo merito, sed Domini clementia, conservati sunt.

LIBER NONUS.

PRÆFATIO.

Beatus Hieronymus cum ad hunc locum libri prophetici exponendo pervenisset, ita in exordio libri septimi exorsus ait: « Olim pueri legimus: Nihil tam facile est, quin difficile fiat, quod invitus facias. » Hanc ego sententiam ideo hic posui, ut scias, doctissime imperator, quod post excusationem qua me absolvere ab hoc opere volebam, quam difficile mihi B sit, quod aliis peritioribus forsitan facile est, ut propheticum librum mysteriis obscurissimis obvolutum exponam, quia ex proprio sensu hoc efficere non valeo, sed et aliorum dicta pro caligantibus oculis senectute et aliquid sustinentibus beati Isaac, ad nocturnum lumen nequaquam valeam relegere, quæ [qui] etiam ad solis dieique fulgorem vix habiles mihi ad legendum fiunt. Unde obsecro venerationem tuam ut ea quæ ex sanctorum Patrum sententiis excerpsi et in ordine legenda disposui, benigne suscipias; et, ut jam ante dixi, si librorum brevitas vel longitudo inter se fuerint inæquales, visionum hoc brevitati imputes ac longitudini, dum ubicunque possumus, juncta nolumus separare, et dissonantia in unam C astare [aptare] congeriem.

SEQUITUR CAPUT XX.

« Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili « hominis, pone faciem tuam contra viam austri, et « stilla ad Africum, et propheta ad saltum agri meridiani, et dices saltui meridiano: Audi verbum « Domini, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum « viride et omne lignum aridum, non exstinguetur « flamma succensionis, et comburetur in ea omnis « facies ab austro usque ad aquilonem. Et videbit « universa caro quia ego Dominus succendi eam, nec « exstinguetur. Et dixi: A, a, a, Domine Deus; ipsi « dicunt de me: Nunquid non per parabolas loquitur D « iste? » etc. Loquitur autem sermo divinus per μεταφορὰν saltus contra Jerusalem quæ bestiarum et ferocium hominum habitatio est; quod succendat eam omniaque ligna illius concrementur; nequaquam arbores vocans, quæ fructibus indigebant, sed ligna quæ incendio præparata, primumque comburit in eo lignum viride, secundum quod in hoc eodem Propheta legimus: « Et a sanctis meis incipite. » Et postea aridum quod nihil in se poterat habere viride, sanctis videlicet primis et peccatoribus, ut alii captivitatis malo mortem effugiant, alii suppliciis tradantur æternis. Quodque infert: « Ab austro usque ad aquilonem, » hoc indicat ab Jerusalem usque ad Babylonem, ut intelligatur pergentium in captivitatem, gladio, fame, pestilentia ruentium compleatur: his enim qui in Babylone sunt, Jerusalem ad austrum sita est. Quomodo e contrario olla Jeremiæ quæ significat Jerusalem, a facie aquilonis, id est Babylonis, succenditur. Et pulchre in principio stilla inquit, ad Africam, ut non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam et pars. Sin autem in stilla, tanta sævitia, quid in totis imbribus æstimandum est, ut omnis caro, quæ visura est salutare Dei, per sylvarum incendium et flammam, quæ nullius exstinguatur auxilio, cognoscat quod ipse sit Dominus. Quod intelligens propheta respondit: « A, a, a, Domine Deus; » vel, ut Septuaginta transtulerunt, « nequaquam, Domine. » Et infert: « Ipsi dicunt ad me, Nunquid non per parabolas loquitur iste? » vel parabola est ista, quæ dicitur? Et est sensus, planius loquere, non intelligimus per parabolam quid loquaris; aperto sermone Dei nobis pande sententiam; potest autem tropologice theman et nageb et darom, quod Septuaginta posuerunt, Ægyptus intelligi. Legimus enim in Daniele crebro austrum pro Ægypto accipi, Ægyptus autem refertur ad mundi istius angustias. Prophetat igitur Ezechiel, quæ mundo ventura sint mala, quem saltum vocat pomiferas arbores non habentem, sed habitaculum bestiarum, de quo et in vigesimo octavo psalmo dicitur: « Vox Domini perficientis cervos, et revelabit condensa silvarum. » Istæ sunt silvæ et saltus, qui plus devoraverunt in prælio, de exercitu Abessalon, quam interfecit gladius. Succenditurque in saltibus primum lignum viride, et sic aridum, hi qui vivunt in malo, et hi qui justitiæ mortui sunt. Quodque dicitur: « Et comburentur in ea omnes facies ab austro usque ad aquilonem, » hoc dicit ab his qui fervente spiritu videbantur usque ad eos qui, crescente iniquitate et refrigerata charitate multorum, calorem pristinum perdiderunt, ita ut omnis caro perspiciat flammam Domini non exstingui, precaturque Propheta, ne fiat quod Dominus comminatus est, hoc est, ne succendatur saltus et ligna omnia concrementur, ut aut adhuc accipiant locum pœnitentiæ, aut sibi non imponatur necessitas tristia nuntiandi, præsertim cum populus ea non intelligat, et obscuritate dictorum magis ad insaniam provocetur.

CAPUT XXI.

Sermo Domini contra Jerusalem de miseria gladii duplicati aut triplicati. Sermo Domini contra filios Ammon pro gladio evaginato.

« Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili « hominis, pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla « ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel, « et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus:

« Ecce ego ad te et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium. Pro eo autem quod occidi in te justum et impium, egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro ad aquilonem, et sciet omnis caro quia ego eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem, » etc. Quia supra dixerat : Ipsi dicunt de me, nunquid non per parabolas loquitur iste? et apertam populus sententiam flagitabat, idcirco Dominus id quod per metaphoram sive parabolam, et, ut alii vertere, proverbium, est locutus, nunc manifestius loquitur, saltus Nageb et Darom et Theman esse Jerusalem, et templum illius sancta sanctorum, et omnem terram Judeæ flammamque quæ combustura sit saltum intelligi gladium devorantem, qui eductus sit de vagina sua ut interficiat impium et justum, hoc est enim lignum viride et aridum. Unde et Dominus : « Si in ligno, ait, viridi tanta faciunt, in sicco quid facient? » (Luc. xxiii.) Quodque ibi dixerat : « Et videbit universa caro quia ego Dominus succendi eam, » hoc est silvam sive flammam, nec exstinguetur, hinc aliis verbis loquitur : Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem. » Vere enim contra Jerusalem non est flamma sopita nec exstinctum incendium, nec revocatus gladius, quia modicum tempus in medio, et Jerusalem cum templo suo Babylonio igne succensa est.

« Et tu, fili hominis, ingemisce in contritione lumborum, et in amaritudinibus ingemisce coram eis. Cumque dixerint ad te : Quare tu gemis? dices : Pro auditu, quia venit et tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus, et infirmabitur omnis spiritus, et per cuncta genua fluent aquæ; ecce venit et fiet, ait Dominus Deus. » Primum dixerat : « Vaticinare vel stilla ad austrum, africum et meridiem, et ad saltum meridianum. » Quod quia videbatur obscurum, et dicta prophetæ populus nesciebat, secundo ponitur manifestius, saltum meridianum esse Jerusalem, et omnes infructuosas arbores ad quarum radices securis posita sit, intelligi habitatores ejus gladiumque interpretari pro incendio. Tertio jubetur prophetæ ut tacentibus illis nec interrogantibus cur ista vaticinatus sit, faciat per quæ interrogetur, et respondeat quæ Dominus est locutus. Ingemisce, inquit, et ejulate non levi voce nec dolore moderato, sed in contritione lumborum, ut gemitus tuus ex imis visceribus et amaritudine animi proferatur. Et hoc facies coram eis, ut cum te interrogaverint cur tanto gemitu conteraris, et quid tibi mali acciderit, ut sic ingemescas, tu eis meo sermone respondeas : Idcirco plango, et dolorem cordis mei dissimulare non valeo, quia auditus qui semper meis auribus insonuerat, opere completur, et venit imminens videlicet Babylonii furentis exercitus; qui cum venerit et vallaverit Jerusalem, tunc tabescet omne cor, et dissolventur universæ manus, ut occupante pavore mentes hominum, nullus audeat repugnare, infirmabitur enim omnium bellatorum spiritus, et tanta cunctos occupabit trepidatio, atque formido, ut, timore cogente, artus et viscera dissolvantur et vesica humorem tenere non valeat, ita ut urina genua polluantur; naturale est enim ut timore cogente vesica laxetur, et adversus hominis voluntatem humor defluat. Quod quidem et in morborum magnitudine accidere solet, ut postquam vires defecerint ægrotantium, non solum genua, sed et lectuli polluantur. Ecce, inquit, venit quod sæpe prædixi, et opere completur, ac fiet, quod non ego, sed Dominus est locutus. Scio quemdam in contritione lumborum, et fluentibus aquis multa testimonia replicasse, ut Prophetæ castitas impleretur, et amaritudo animi et dolor mentis internus, quod aquæ seminum genua polluant, sed hæc expositio ad præsentem non pertinet locum.

« Et factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili hominis, propheta et dices : Hæc dicit Dominus Deus : Loquere, gladius, gladius exacutus est, et limatus, ut cædat victimas, exacutus est, et ut splendeat limatus est, qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. Et dedi eum ad levigandum ut teneatur manu. Iste exacutus est gladius, et iste limatus est, ut sit in manu interficientis; clama et ulula, fili hominis, quia hic factus est in populo meo. Hic in cunctis ducibus Israel, qui fugerant gladio traditi sunt cum populo meo. Idcirco plaude super femur, quia probatus est, et hoc, cum sceptrum subverterit et non erit, dicit Dominus Deus. Tu ergo, fili hominis, propheta, et percute manu ad manum, et duplicetur gladius ac triplicetur gladius interfectorum : hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit et corde tabescere, et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti et limati ad fulgendum, amicti ad cædem. Exacuere, vade ad dexteram sive ad sinistram quocunque faciei tuæ est appetitus, quin et ego plaudam manu ad manum, et implebo indignationem meam, ego Dominus locutus sum, » etc. Multum est si utramque ponam editionem, et librorum extenditur longitudo, maxime ubi aut nulla aut parva distantia est, ponam igitur nonnulla quæ discrepant pro eo quod nos diximus : Qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum. » Illi transtulerunt, « Interfice, contemne, repelle omne lignum. » Rursum ubi nos diximus, « Qui fugerant gladio traditi sunt, » et illi et alii transtulerunt, « hospites mei sive habitatores. » Et ubi nos diximus : « Plaude super femur, » illi posuerunt, « Percute manu. » Et ubi transtulimus : « Et hoc cum sceptrum subverterit, » illorum habet editio, « tribus repulsa est. » Loquitur autem ad gladium Nabuchodonosor, ut veniat contra Jerusalem, et exacuatur atque limetur, multos enim esse cædendos, et ad ipsum apostropham facit : Tu es qui moves atque subvertis sceptrum filii mei, imperium videlicet populi Israel, et omne lignum succidis, universam populi multitudinem. Dedi, inquit, istum gladium ut teneatur manu Nabuchodonosor et sit in manu viri robustissimi.

Unde o propheta clama et ulula, et mala instantia vocis lamentatione testare. Hic gladius nulli pepercit, nec aliquem imminentium malorum reliquit expertem; factus est in populo, factus in ducibus Israel, factus in hospitibus meis ac sacerdotibus, qui habitabant in templo meo. Idcirco « Percute femur sive manum, et habitum plangentis assume. » Hic enim gladius probatus est mihi. Et hoc cum sceptrum meum regnumque subverterit, quod ultra non erit, et in Sedecia rege finietur. Iterum tibi, Propheta, jubeo, ut qui femur percusseras, pro stupore et miraculo percutias et manus, ut non solum semel, sed secundo ac tertio gladius veniat ad interficiendum, primo enim venerat Nabuchodonosor, quando tulit Joachim. Et secundo quando regnabat Joachim. Tertio quando Sedecias. Et hic est gladius triplicatus, quando facta est magna occisio, et intantum multiplicavit ruinas, ut obstupescerent animo et corde tabescerent, et in omnibus portis eorum daret conturbationem; præcipitur ergo illi, hoc est, gladio acuto et limato ad fulgendum, amictoque et expedito et parato ad cædem, ut vadat sive ad dexteram voluerit, sive ad sinistram: quocumque, ait, faciei tuæ placuerit, audacter ingredere, me habens ducem, me adjutorem: « Ego plaudam manu ad manum, » ut sævientem te contra adversarios meos, quasi fautor tuus et exhortator instigem. Ne dubites, ne formides, et pati timeas quod passus est Sennacherib. Ego Dominus sum locutus, meæ minister es voluntatis, meam comple sententiam, possumus juxta Ἀναγωγὴν gladium acutum paratumque ad cædem, accipere diabolum, de quo ait Apostolus: « Tradere hujuscemodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat (*I Cor.* V). » Et in alio loco: « Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ ut discant non blasphemare (*I Tim.* I). » Et in psalmis scriptum est: « Misit furorem, et iram, et angustiam, immissionem per angelos pessimos (*Psal.* LXXVII). » Hunc quidam putant gladium et in manu fuisse angeli, quando sub David percutiebatur Jerusalem. Alii autem et de illo dici gladio suspicantur, de quo in Evangelio scriptum est: « Non veni pacem mittere super terram, sed gladium (*Matth.* X), » et dividere inter se omnem consanguinitatis affectum, ut mali corruant et sancti resurgant. Sed hoc impium est credere de gladio Salvatoris et non potius de diabolo, qui Domini in ecclesia sceptra subvertit, qui interfecit cunctos in populo, et duces et hospites Dei. Et tunc a Domino comprobatur quando Judam proditorem et similes ejus subverterit, qui postquam comedit buccellam, « intravit in illum Satanas (*Joan.* XIII). » Duplicaturque et triplicatur gladius interfectorum ut solvatur peccatum Jerusalem, quia suscepit de manu Domini duplicia peccata sua. Gaudet autem Dominus et exsultat et hortator est gladii sævientis ut vadat sive ad dexteram, sive ad sinistram, et quocunque eum faciei suæ tulerit appetitus, ut interfectis malis remaneant boni, et impleatur illud quod scriptum est: Quid paleis ad frumentum? dicit Dominus.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias ut veniat gladius regis Babylonis. De terra una egredientur ambo: et manu capiet conjecturam: in capite viæ civitatis conjiciet, viam pones ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon et ad Judam in Jerusalem munitissimam. Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens, commiscens sagittas; interrogavit idola, exta consuluit. Ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones. Eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum et sabbatorum otium imitans: ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum. Idcirco hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod in memoriam revocastis iniquitates vestras, et revelastis prævaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris; pro eo, inquam, quod in memoriam revocastis, manu capiemini. » (*Hieron.*) Scio me in hoc loco juxta LXX interpretes multiplicem legisse expositionem Rabbath filiorum Ammon referentis ad gentium populum, Judam vero et Jerusalem ad eos qui sub Christi nomine congregantur, et factis dent nominis dignitatem, regemque confusionis diabolum stare in omni viarum capite et insidiari in occulto, implerique illum versiculum: « Juxta semitam scandalum posuerunt mihi (*Psal.* CXXXIX). » Et stare eum in bivio, vel eos, qui sui sunt tenere cupientem, vel novum sibi acquirere servitium, et semper ad dexteram pergere, ad eos scilicet qui in dextera parte sunt positi, ut expugnet eos, ut exsultet in cæde, ut arietibus et congestione operum terrenorum capiat miseram Jerusalem. Et primo quidem ut videatur ei nihil agere et frustra conari. Illo vero recordante iniquitates eorum, qui in ecclesia commorantur, imo malis operibus reducunt adversarias potestates in memoriam scelerum pristinorum, patefiunt omnia peccata populi et cogitationes eorum, et idcirco capiuntur, quia novis vetera delicta cumularunt. Hæc alius dixerit nobis cœptæ historiæ veritas prosequenda est. Cum, inquit, dixisset mihi sermo divinus: « Propheta, fili hominis, et loquere ad gladium, et dic: Gladius gladius, » et cætera quæ prophetia gladii continentur. « Secundo factus est ad me sermo Domini, dicens: » Vis, fili hominis, scire quis iste sit gladius, et apertius personam discere gladii sævientis? Ausculta quæ dico: pone duas vias, ut per illas gladius veniat regis Babylonis, qui egredietur quidem uno itinere Chaldæorum, sed cum venerit per desertum et solitudinem ad bivium terræ Arabiæ, quæ appellatur filiorum Ammon, quarum una via Jerusalem ducit ad dextram partem: sinistra vero ad Rabbath filiorum Ammon, quæ est civitas metropolis, et hodie Philadelphia nominatur. Memor, inquit,

internecionis quæ accidit regi Assyrio, quando centum octoginta quinque millia una nocte sunt cæsa, formidabit ad partem dexteram declinare, et ire contra munitissimam Hierusalem, sed stabit in ipso compito, et ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas in pharetram, et commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, et quam prius civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci βελομαντίαν sive ῥαβδομαντίαν nominant. Interrogavit igitur idola, exta consuluit. Ad dexteram facta est divinatio ejus, ut pergeret contra Jerusalem et oppugnaret eam, aggeres comportaret, arietes poneret, ædificaret munitiones, urbemque concluderet. Et in cæde aperiret os suum, et fremitum exsultantis et ululantis exercitus concitaret. Hoc, inquit, faciens videbitur habitatoribus Jerusalem oraculum frustra consulere, et quasi sabbatorum otium tenere, ludere videlicet et nihil operis perpetrare. Rex autem Babylonis non in sua fortitudine, sed in iniquitate populi confisurus est, qua eos scit offendisse Deum, et peccata patrum novis cumulasse delictis, et prævaricationes eorum omnibus patuisse, et idcirco non dubitavit de victoria, quia confidet de iniquitate Jerusalem. Hæc juxta Hebraicum, a quo LXX non tam sensu quam verbis in plerisque discordant.

« Tu autem, profane, impie dux Israel, cujus venit « dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit « Dominus Deus : Aufer cidarim, tolle coronam, « nonne hæc est quæ humilem sublevabit, et sublimem humiliabit? Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam, et hoc non fiet donec veniat « cujus est judicium et tradam ei. » Post urbis Jerusalem subversionem et captivitatem populi ad ducem Israel sermo dirigitur, quem nemini dubium est significari Sedeciam in quo regum Israel de stirpe David imperium finitum est. Venit, inquit, tibi dies, quæ longo tempore præfinita est in te, et propter te sacerdotium et regnum interiit populi Judæorum. Cidaris enim insigne pontificis est : corona, hoc est diadema, regis indicium, nonne hæc est cidaris et hæc corona, quæ nihil fecit judicio, sed ad imitationem regis Babylonii, quos volebat exaltabat, et quos volebat humiliabat? Propterea non semel, nec juxta LXX bis, sed tertio iniquitatem ponam tibi in perpetuum, quæ non statim tibi reputata est, sed donec veniat Christus cujus est judicium, et tradat ei Pater regnum et sacerdotium, vel ecclesiam de gentibus congregatam : « Non enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v). » Et in alio loco : « Deus, ait, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis (*Psal.* LXXI). » Iste est cui repositum est imperium et sacerdotium sempiternum. De quo loquebatur et Jacob : « Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX). » In eo loco ubi nos interpretati sumus, « Nonne hæc est, » pulchre transtulit Symmachus, « neque hoc, neque illud. » Quia enim dixerat, « aufer cidarim, tolle coronam, » subjunxit, « neque hoc, neque illud est, » id est, regnum cessabit et sacerdotium. Unde qui postea usque ad adventum Christi reges fuerunt pariter et sacerdotes. Quorum unus Hyrcanus Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi et hoc et illud voluit vindicare, cum regnum ei non deberetur post Sedeciam, sed illi cui repositum erat, et qui fuit exspectatio gentium, de quibus loquitur et Malachias : « Vos sacerdotes, qui contaminatis nomen meum (*Malach.* I). » Et post paululum : « Non est voluntas mea in vobis, et victimas non suscipiam de manibus vestris. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » Quæ munda oblatio sine sanguine hircorum, arietum atque taurorum in Christi completur adventu, quoniam venit desideratus gentibus et ortus est sol justitiæ, in cujus pennis est sanitas.

« Et tu, fili hominis, propheta et dic : Hæc dicit « Dominus Deus ad filios Ammon et ad opprobium « eorum. Et dices, Mucro, mucro, evagina te ad occidendum ; lima te, ut interficias et fulgeas. Cum « tibi viderentur vana et divinarentur mendacia, ut « dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. « Revertere ad vaginam tuam, in locum in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te et effundam super te indignationem meam, in igne furoris « mei sufflabo in te, daboque te in manibus hominum stultorum et fabricantium corruptionem. Ignis « eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, oblivioni traderis, quia ego Dominus locutus sum. » Gladium regis Babylonis stetisse in capite duarum viarum, in compito dexteræ et sinistræ, quarum altera ducebat Jerusalem, altera ad Rabbath filiorum Ammon, et exisse sortem ut pergeret prius contra Jerusalem, supra legimus, quia expugnata et capta regnum quoque et sacerdotium ejus in æternum periisse prænuntiat. Residuum erat filiis Ammon, et ipse divisionis ordo poscebat, quid de sinistra via factum esset. Unde imperatur prophetæ ut loquatur ad filios Ammon et ad opprobrium eorum, quod et ipsi capiendi sint, et ad eumdem gladium sermonem dirigit. O mucro, mucro, qui paratus es ad cædem, qui limatus ut fulgeas et interficias ? Licet tibi idola responderint et vanum sit omne quod a dæmonibus respondetur, ut videlicet vulneratorum cervicibus immineres, et per te compleretur quod multo Dominus tempore fuerat comminatus, tamen expleto opere tuo, quod egisti contra filios Ammon, revertere ad vaginam tuam, id est in Babylonem, ad locum in quo factus es et creatus, ut in terra nativitatis tuæ judicem te et effundam super te indignationem meam, et Medorum atque Persarum virtute capiaris. Quod plenius in Isaiæ volumine dicitur, in visione contra Babylonem : « Ecce ego suscitabo super eos Medos. » Et post paululum : « Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Deus

Sodomam et Gomorram, non habitabitur usque in finem (*Isa.* XIII). » Et quia semel sub persona gladii de rege, imo regno Babylonis loquebatur, servat μεταφορὰν. In igne, inquit, furoris mei sufflabo in te, ut faciam te igne consumi, et tradam in manibus hominum stultorum et imperitorum, qui artem non habent cudendi gladios et acuendi, ut nequaquam ultra acuaris, limeris et fulgeas ad occidendum, sed sis ignis cibus sanguisque tuus, quem fudisti cunctis spectantibus, in te potius redundet, et tradaris æternæ oblivioni, et pereas in perpetuum, *quia ego Dominus locutus sum*, cujus dixisse fecisse est.

CAPUT XXII.

Sermo Dei contra Jerusalem pro effusione sanguinis, et cæteris malis: de populo conflando sicut metallum; ubi sit qui interponat sepem, de leone rugiente, etc.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens: Et tu, fili hominis, nonne judicas civitatem sanguinum? Et ostendes ei omnes abominationes suas, et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Civitas effundens sanguinem in medio sui ut veniat tempus ejus, et quæ fecit idola contra semetipsam, ut pollueretur. In sanguine tuo, qui a te effusus est, deliquisti, et in idolis tuis quæ fecisti polluta es, et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum; propterea dedi te opprobrium gentibus et irrisionem universis terris; quæ juxta sunt et quæ procul a te triumphabunt de te, sordida nobilis, grandis interitu. Ecce principes Israel, singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem, patrem et matrem contumeliis affecerunt in te, advenam calumniati sunt in medio tui, pupillum et viduam contristaverunt apud te: sanctuaria mea sprevistis, sabbata mea polluistis. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem, et super montes comederunt in te. Scelus operati sunt in medio tui. Verecundiora patris discooperuerunt in te, et in munditiam menstruatæ humiliaverunt in te. Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit, nefarie frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem, usuram et superabundantiam accepisti et avare proximos tuos calumniata es, meique oblita es, ait Dominus Deus. Ecce complosi manus meas super avaritia tua, quam fecisti, et super sanguinem qui effusus est in medio tui. Nunquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ in diebus quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum et faciam, et dispergam te in nationes, et ventilabo te in terras, et deficere faciam immunditiam tuam a te, et possidebo te in conspectu gentium, et scies quia ego Dominus, » etc. (*Hieron.*) Et tu, ait, fili hominis, utar enim consueto ad te vocabulo, judica civitatem sanguinum, et ostende illi omnes abominationes suas, ut sciat se imminentem captivitatem merito sustinere, et in multis sanguinibus adduxisse tempus ruinæ suæ, primum omnium scelerum pro Deo idola venerata es, et adorasti opera manuum tuarum, et appropinquare fecisti tempus annorum tuorum, quod multo tempore dicebatur et differebatur ut ageres pœnitentiam; « Tu autem secundum impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in diem iræ (*Rom.* II). » Idcirco dedi te opprobrium gentibus et illusionem universis terris, quæ in circuitu tuo sunt, tam juxta quam procul, quæ triumphabunt de te, sive illudent tibi. « Sordida nobilis, grandis interitu. » Sordida, quia munda esse desisti; « nobilis » in malo, quæ quondam in bono cunctas urbes nobilitate superabas; « grandis interitu, » ut quanto sublimior eras, tanto fortius rueres. Et interim ut cætera prætermittam, pauca numerabo quæ in te fuerint, principes tui non justitia sed roboris et brachii fortitudine judicantes, fuderunt in te innoxium sanguinem. Alii patrem et matrem contumeliis affecerunt sive maledixerunt parentibus, Scriptura dicente: « Qui maledixerit patri et matri, morte morietur. » Advenam et peregrinum oppresserunt in medio tui, quasi non illis sufficeret pro omni angustia peregrinatio et exsilium patriæ, pupillum et viduam contristaverunt sive oppresserunt apud te, ut quorum omne præsidium est in legum justitia, non solum contristarentur, sed opprimerentur a te. Sanctuaria mea sive sancta contempsistis, et sabbata mea polluistis, ut non discerneretis inter sanctum et pollutum, inter decretum religioni diem, otiumque sabbati, ad culturam Dei, et cæteros dies, quibus operari et servire carnis necessitatibus lege permissum est. « Viri detractores, » sive juxta Symmachum et Theodotionem « dolosi, » quod in Hebræo dicitur *rachil*, et homicidæ erant in te, ut blasphemarent Deum, sive cuncta dolo agerent aut violentia. Et comederunt in montibus alta sapientes, et elevati contra Deum superbia, scelus sive incestum operati sunt in medio tui, ut quod in angulis quoque et secreto rare fit, quando a malis conscientiæ hominum devitantur, hoc tu in prugatulo feceris. Quid sit autem incestum sequens sermo significat: « Verecundiora patris nudaverunt in te, » novercæ contra fas et licitum copulati, « et immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te, » non parcentes naturæ nec inducias dantes turpitudini, et ad uxorem proximi sui adhinnientes. Quodque hoc sceleratius est, socer exarsit in nurum, et frater sororis jura nescivit, ut non uterinam, sed de eodem patre violaret sororem. Acceperunt munera ut innocentem sanguinem funderent, necessitatem pauperum verterunt in lucrum, ut usuram acciperent et superabundantiam, et propter avaritiam amicos calumniati sunt. Hoc autem, inquit, fecisti, o Hierusalem, quia mei oblita es: memoria enim Dei excludit cuncta flagitia. Unde habitum Domini irascentis assumpsi, et complosi manus meas contra avaritiam tuam, et contra sanguinem, qui effusus est in medio tui, ut intelligas et mente cognoscas utrum vel animo vel manibus possis meam iracundiam sustinere. « Ego enim Dominus locutus sum, et ego faciam, » ut postquam capta fuerit Jerusalem, dispergam te in

nationes, et ventilem in aerem quasi inutiles paleas huc illucque rapiendas. Tantæque clementiæ sum, ut sævitia mea vertatur in misericordiam. Omnia enim faciam ut deficiat immunditia tua a te, et recipias pristinam puritatem, quam cum receperis, possidebo te in conspectu omnium gentium, ut cum a me possessa fueris, tunc intelligas quod ipse sim Dominus.

« Et factum est verbum Domini ad me, dicens : « Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam. Omnes isti æs et stannum et ferrum et plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt. « Propterea hæc dicit Dominus Deus, eo quod versi estis omnes in scoriam, idcirco ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem congregatione argenti et æris et ferri et stanni, et plumbi in medium fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo et in ira mea, et requiescam, et conflabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio ejus, ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus. Et scietis quia ego Dominus effuderim indignationem meam super vos. » Porro scoria, sordes et purgamenta metallorum sonat. Et consequenter captivitate vicina, imo imminente urbis excidio, ignis adhibetur, ut sub translatione conflationis purum argentum remaneat, quod ære, stanno, ferro, plumboque mistum fuerat atque violatum. Quorum tria æs, stannum et plumbum, fusilis materiæ sunt, et igni solvuntur; ferrum vero inter incudem et malleum mollescit atque tenuatur, et diversas accipit formas, prout voluntas artificis fuerit. Sicut igitur argentum, quod supradicta metalla violarunt, in fornacem mittetur, ut ablatis sordibus et adulterinis materiis purum remaneat, ita, inquit, congregabo vos in medium Jerusalem et Babylonia obsidione circumdabo, ut succendam in vobis ignem ad conflandum. Quodque ibi facit flammarum ardor immensus, hic fames et pestilentia faciet, ut postquam congregavero vos atque succendero in igne furoris, tunc requiescam, et contentus dolorem pœnarum vestrarum ultione compescam. Et hoc totum faciam ut postquam effudero indignationem meam super vos, illis vestri cruciatus mei notitia sit. Et sciatis quia ego sum Dominus judex omnium et retributor. Quod autem dicatur esse conflator, et in multis quidem aliis locis, sed maxime in Malachia et Isaia legimus, quorum alter : « Ecce, inquit, Dominus egreditur quasi ignis conflatorii, et sicut herba lavantium, et sedebit conflans quasi aurum et argentum, et conflabit filios Levi. » Alter : « Et lavabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem mundabit de medio eorum spiritu judicii et spiritu combustionis. Et puto illud sonare quod in psalmis dicitur : « Proba me, Domine, et tenta me; » post quod infertur, « Ure renes meos et cor meum, » ut universa lumborum noxii in me humoris pituita siccetur. Quod de Jerusalem intelleximus, intelligamus de animarum statu, quæ puræ a Deo conditæ sunt, aurumque in sensu atque sapientia, et argentum in sermone atque eloquio susceperunt, ut quod mente conceperint, verbis explicent. De argento legimus, « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum; » de auro similiter et argento sexagesimus septimus continet Psalmus in quo scriptum est : « Si dormieritis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora sive interiora dorsi ejus in virore aut pallore auri. » Omnis enim gloria filiæ regis intrinsecus, quæ loquitur in Cantico canticorum : « Introduxit me rex in cubiculum suum. » Qui inter duo dormierit et requieverit testamenta, statim assumptis pennis columbæ deargentatis aurique in cordis thesauro fulgore radiabit. Ad hunc sensum reor et illa esse referenda quod peccatoribus et qui meruerunt offensam Dei, cœlum æneum, terra sit ferrea, et maxime terra Ægypti de qua eduxit Dominus Israel, quasi de fornace ferrea. In Zacharia quoque iniquitas sedet super talentum plumbi. Et in Exodi cantico dicitur, « Demersi sunt quasi plumbum in aqua violentissima. » Gravi enim peccatorum pondere premebantur et loqui poterant, « Quasi onus grave gravatæ sunt super me. » Quomodo autem auri speciem adulterina æris similitudo mentitur, sic argenti candorem stannum simulat, quod simplex et rusticus non facile dignoscit. Et sæpe accidit ut aurum et argentum hæretica pravitate commistum, igne Spiritus sancti et Domini judicio separetur, et purum aurum remaneat, et argentum, de quo dicit propheta : « Dedi eis aurum et argentum, ipsi autem fecerunt ex eis Baal. » Cui simile est, Eduxi eos in argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus. Finisque pœnarum omnium sit nosse quod ipse sit Dominus. (*Greg. De Cur. pastor.*, c. 11.) « Omnes, inquit, isti sunt mihi, æs, stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis. » Ac si aperte dicat : Purgare eos per ignem tribulationis volui, et argentum illos vel aurum fieri quæsivi, sed in fornace mihi in æs, stannum, ferrum et plumbum versi sunt; quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt. Æs quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est in medio fornacis; stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui ergo simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur. Ferrum itaque in fornace est qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus, a terrenis desideriis non levetur. Hinc rursum scriptum est : « Multo labore sudatum est, et non exivit de eo nimia rubigo ejus neque per ignem; » ignem quippe nobis tribulationis admovet, ut in nobis rubiginem vitiorum purget, sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando et inter flagella vitio non caremus. Hinc propheta dicit : « Fru-

stra conflavit conflator, malitiæ eorum non sunt consumptæ.

« Et factum est verbum Domini ad me, dicens : « Fili hominis, dic ei, Tu es terra immunda, et non « compluta in die furoris. Conjuratio prophetarum « in medio ejus, sicut leo rugiens rapiensque præ« dam, animas devoraverunt : opes et pretium ac« ceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio « illius. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, « et polluerunt sanctuaria mea. Inter sanctum et « profanum non habuere distantiam, inter pollutum « et mundum non intellexerunt, et a sabbatis meis « averterunt oculos suos, et coinquinabar in medio « eorum. Principes ejus in medio illius quasi lupi « rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et « perdendas animas, et avare sectanda lucra. Pro« phetæ autem ejus liniebant eos absque tempera« mento, videntes vana et divinantes eis mendacium, « dicentes, Hæc dicit Dominus Deus, cum Dominus « non sit locutus : Populum terræ calumniabantur « calumnia, et rapiebant violenter, egenum et pau« perem affligebant, et advenam opprimebant ca« lumnia absque judicio. Et quæsivi de eis virum « qui interponeret sepem, et staret oppositus contra « me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni. « Et effudi super eos indignationem meam, in igne « iræ meæ consumpsi eos. Viam eorum in caput eo« rum reddidi, ait Dominus Deus. » (*Hieron.*) Poterat diligens auditor inquirere quæ esset scoria quæ argenti violaverit puritatem, et ære, et plumbo, stanno, ferroque miscuerit. Quod ibi igitur sub persona urbis et fornacis expressum, et hic sub specie terræ quæ non sit rigata, nec pluviam susceperit, prædicatur : Pluvias illas debemus intelligere de quibus scriptum est : Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem (*Isa.* v), » quem exspectamus quando datur nobis pluvia temporanea et serotina, de qua scriptum est : « Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ (*Psal.* LXVII). » [*Greg.*] Videamus hoc quod per prophetam alium narrat Dominus quod fecerit iratus cum dicit : « Plui super civitatem unam, et super alteram civitatem non plui : pars una compluta est, et pars quæ compluta non est aruit (*Amos* IV). » Cum enim sanctæ exhortationis verba alia mens suscipit, alia suscipere recusat, super unam civitatem Dominus pluit, et super alteram non pluit; cum vero et ipse proximus qui audit, ab aliis se vitiis corrigit, atque ab aliis emendare contemnit, una eademque civitas et ex parte compluitur, et ex parte arida remanet, in qua a se prædicationis pluviam repellit. Sunt enim quidam, qui exhortationis verba omnino non audiunt, hi penitus pluviam suscipere nolunt. Et sunt quidam qui audiunt, et tamen hæc medullitus non sequuntur, quia alia in se vitia resecant, sed in aliis graviter perdurant. Sæpe enim quosdam videmus qui per prædicationis verbum a semetipsis avaritiæ æstum repellunt, et non solum aliena jam non rapiunt, sed et propria indigentibus largiuntur; nec tamen iræ stimulos edomant nec patientiæ moderamina per mentis tranquillitatem servant. Et sæpe alii exhortationis verbum in semetipsis suscipiunt, carnis jam immunditiam vincunt, corpus in castitate custodiunt; nec tamen adhuc animos sicut debent in proximos inclinant, sed per rigorem superbiæ in cogitatione se elevant. In istis pars una compluta est, quæ fructum fecit, et pars quæ compluta non est aruit; quia exhortationis verbum non plene suscipiens, a bono opere sterilis remansit. (*Hieron.*) Dies autem furoris est, quem sibi unusquisque conciliat multitudine peccatorum. Scire cupimus quæ sit urbis scoria, quæ terræ durissimæ et plenæ veprium sentiumque squalor. Conjuratio, inquit, prophetarum, sive juxta Septuaginta, ducum in medio ejus habentium similitudinem leonis, de quo scripsit et Petrus : « Adversarius noster diabolus quasi leo rugiens circuit (*I Petr.* v), » qui leo omnesque socii ejus non quærunt corpora devorare, sed animas, accipiuntque mercedes, et pecunia cuncta dijudicant, quod in illo quidem tempore accidisse populo Judæorum nulli dubium est. Propter sacerdotes enim et principes et Prophetas adduxit Dominus super eos mala. Sed in nostra Jerusalem hoc sæpe conspicimus, qui juxta Septuaginta devorant animas in potentia, et pretium accipiunt, ut multas viduas faciant, quæ sponsum Dominum perdiderunt. Horum autem prophetarum factio est et conjuratio ut invicem sibi fautores sint, et omnia turpis lucri causa faciant. Sacerdotes qui præsules templi esse deberent, et ex quorum ore notitia legis inquiritur, violant sanctuaria, nullamque inter sanctum et profanum nisi pecuniæ habent distantiam, avertunt oculos a sabbatis, et Dei requiem quæ in notitia Scripturarum est, non recogitant, nec dicunt cum Propheta : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (*Psal.* CXVIII). » Neque illud Apostoli : « Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplamur (*I Cor.* III). Inter tales prophetas et sacerdotes medius Dominus inquinatur, de quo scriptum est : « Medius inter vos stat, quem vos ignoratis (*Joan.* I). » Prophetæ igitur sive duces leonibus comparantur, principes autem quos inferioris gradus homines intelligimus, luporum imitantur rapinam, ut effundant sanguinem non corporum, sed animarum, et avare sectantur lucra, nequaquam illo contenti : « Qui serviunt altari, vivunt de altari, » sed postquam ad ministerium Dei accesserint, Crœsi divitias congregant. Prophetæ quoque illi qui ventura prænuntiant, liniebant eos absque temperamento, de quo supra diximus, vaticinantium prophetarum qui absque commistione palearum linierunt parietem, qui imbribus dissipatur. Istiusmodi vident vana, et non tam prophetant quam divinant mendacium, dicentes terræ miserabili : Hæc dicit Dominus, ista promittit cum Dominus non sit locutus ad eos. Populus autem terræ nequaquam Dei, sed terrenorum operum, principum ac sacerdotum æmulator existens, per calumniam et potentiam

cuncta faciebat, non divites, sed pauperes opprimens. De quibus scriptum est: « Paupertas non sustinet comminationem, et Redemptio animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » Advenam quoque atque peregrinum, qui needum civis ecclesiæ suæ fuerat effectus, sed tantum auditor, et habens initia fidei, opprimebant calumnia, ut postquam circuissent mare et aridam, facerent unum proselytum, facerent eum filium gehennæ. Inter tanta autem vitia et scelerum multitudinem, *quæsivi de eis virum, qui iræ meæ posset resistere*, et instar Moysi et Aaron, et Samuelis igni meo, et incendio se opponere, et non potui reperire. Propterea totam super eos effudi indignationem meam et consumpsi eos, non absque mensura atque judicio, sed ut redderem vias eorum in capita illorum, vel propria peccata quæ fecerant, auctoribus tribuens, vel certe in capita populi, ducis, principis ac Prophetarum, quorum nullus fuit qui irasceati Domino auderet resistere, et quorum causa terra squalida atque deserta imbrem Domini suscipere non meruit.

CAPUT XXIII.

Sermo Domini contra Oollam et Oolibam sorores meretricis, de immunditiis ipsarum: de ultione Dei in illas pro idolis.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili « hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, « et fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua « fornicatæ sunt, ibi subacta sunt ubera earum: « et fractæ sunt mammæ pubertatis earum; nomina « earum Oolla major, et Ooliba soror ejus. Et ha« bui eas et pepererunt filios et filias, et nomina « earum Samaria Oolla, et Jerusalem Ooliba. For« nicata est igitur super me Oolla, et insanivit ad « amatores suos in Assyrios, qui appropinquabant « ei vestitos hyacinthinis, principes et magistratus, « juvenes cupidinis, universos equites ascensores « equorum; et dedit fornicationes suas super eos, « electos filios Assyriorum universos, et in omnibus « super quos insanivit in immunditiis polluta est. « Insuper et fornicationes suas quas habuerat in « Ægypto non reliquit. Nam et illi dormierant cum « ea in adolescentia ejus, et confregerant ubera pu« bertatis illius, et effuderunt fornicationem suam « super illam. Propterea tradidi illam in manus ama« torum suorum, in manus filiorum Assur, super « quorum insanivit libidine. Ipsi discooperuerunt « ignominiam ejus, filios et filias illius tulerunt, et « ipsam occiderunt gladio. Et factæ sunt famosæ « mulieres, et judicia fecerunt in ea, » etc. (*Hieron.*) Duodecim tribus Israel quæ fuerunt junctæ in Ægypto postea esse divisas in duas, et decem tribus appellatasque Judam et Israel Regum et Παραλειπομένων Scriptura testatur. Judæ regnavit de stirpe David, Roboam filius Salomon in Jerusalem, ubi erat templum et sacerdotes, et magna pars tribus Levi. Decem autem tribus in Samaria Jeroboam filius Nabadi, de tribu Ephraim et Joseph, quarum Samaria nunc appellatur Oolla, quod in lingua no-

A stra sonat tabernaculum. Jerusalem vero Ooliba, hoc est tabernaculum meum in ea, siquidem et in decem tribubus erat tabernaculum, non Dei sed idolorum. Aureos enim Jeroboam ut populum averteret a cultu Dei, vitulos collocarat in Dan et Bethel. Dicamus ergo de singulis. Duæ istæ mulieres, Samaria et Jerusalem, filiæ fuerunt matris unius de Israel stirpe generatæ, et fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua. Neque enim accepissent legem eductæ de Ægypto in monte Sina, prohibentem eos venerari idola nisi in Ægypto fuissent Ægyptia portenta veneratæ. Potest autem mater ambarum esse Cethæa, de qua supra legimus: « Pater vester Amorrhæus, et mater vestra Cethæa (*Ezech.* XVI). » Sed et quando dicitur: « Unusquisque abominationes Ægypti auferat

B ab oculis suis, » hoc significat quod in Ægypto Israel idolis servierit, et ibi ceciderint, sive fracta sint ubera virginitatis ejus. Majorque Samaria dicitur et senior, vel propter multitudinem decem tribuum: vel quia post mortem Moysi de Ephraim tribu Jesu filius Nave populo præfuit. Unde et Jeroboam, qui scidit eas, a domo David fuisse legimus, et habuit eas Deus, sive factæ sunt ejus quando ingemuerunt ab operibus Ægypti, luto prius et lateri servientes, quæ postea illi filios et filias vel in solitudine, vel in repromissionis terra genuerunt. Primumque fornicata est Oolla, id est Samaria, super Deum, quando insanivit in Assyrios qui vestiti erant hyacinthinis, et non quoslibet de populo, sed duces et magistratus, nec ætate confectos, sed juvenes omnes, equites

C electos, quorum secuta est idola, et a quibus contra jussionem Dei postulavit auxilium; qui venerunt et polluerunt eam, ut quidquid in adolescentia fecerat in Ægypto, non relinqueret. Nam Ægyptii concubuerant cum ea in adolescentia ejus, quorum simulacra venerata est, ibique devirginata et confracta sunt ubera illius, et tanta fuit abundantia fornicationis, ut non fornicati cum ea, sed fornicationem suam super illam effudisse dicantur. Propterea tradita est ipsis amatoribus suis phul et Teglathphalassar et Salmanasar, in quorum insanivit libidinem, et ipsi discooperuerunt ignominiam ejus, τροπολογικῶς, quasi mulieris meretricis. Revelatio autem urbis captivitas est, qui filios et filias earum duxere captivas, et ipsam gladio trucidarunt, ita ut in omnium mulie-

D rum exemplum jugulata sit, et in malam partem cunctarum sermone celebretur; qui judicia et ultiones fecerunt in ea, ut nihil in illa salutis relinquerent, sed usque hodie decem tribus captivitate teneantur in montibus urbibusque Medorum, ad quas translatæ sunt. Juxta ἀναγωγήν in Osee propheta quid significet Joseph Ephraim Samaria, Jezrael et Israel, et quomodo contrariæ sint domui David et Jerusalem, quæ significat ecclesiam, plenius disseruimus: de quibus et septuagesimus septimus psalmus sonat: « Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum, conversi sunt retrorsum in die belli. » Et iterum: « Repulit tabernaculum Joseph, et elegit tribum Juda. » Elegit enim Deus domum con-

fessionis ecclesiam, et repulit tabernaculum Joseph, quod interpretatur *augmentum;* qui prætermissa lege Dei aureos culturæ suæ vitulos addiderunt, et appellantur Oolla, id est, tabernaculum non Dei, sed erroris et dæmonum, et soror major ac senior propter multitudinem et captivitatem ab Assyriis fornicata est contra Deum, quia dereliquit fidei veritatem, et insanivit in hæreticorum principes amatores suos, qui vestiti erant hyacinthinis, excelsa sibi et cœlestia promittentes, et ascensores de quibus dictum est: « Hi in curribus et hi in equis (*Psal.* XIX). Electos filios Assyriorum, et duces ac magistratus qui scientiam sibi et eloquentiam repromittunt. Hoc autem propterea fecit, quod easdem fornicationes quas habuerat in Ægypto, id est, antequam crederet, et adhuc in sæculo versabatur, etiam in hæresi exercuit, et devirginatæ sunt a viris Assyriis qui in malitia perseverant, sive ultoribus: Adversarius enim noster diabolus ipse est inimicus et ultor. Illi confregerunt ubera Samariæ, et virginitatem ejus quam habuerat in ecclesia perdiderunt. Propterea tradita est amatoribus suis juxta Apostolum, qui scribit: « Tradidi eos Satanæ, ut discant non blasphemare (*I Tim.* I). » Et: « Tradidi eos in interitum carnis (*I Cor.* V), ut spiritus salvus fiat. Illi discooperuerunt ignominiam miseræ Samariæ, et omnem illius ostenderunt turpitudinem. Filiosque et filias qui de illa generati sunt, scientia præditos, et simplices atque imperitos, duxere captivos, et ipsam interfecerunt gladio spiritali, totiusque mundi in malam partem sermone celebrantur, et fiunt famosæ inter cuncta sæculi dogmata, ut in exemplum omnium feminarum turpitudo illius puniatur.

« Quod cum vidisset soror ejus Ooliba, plus quam « illa insanivit libidine, et fornicationem suam su« per fornicationem sororis suæ ad filios Assyrio« rum præbuit impudenter: ducibus et magistrati« bus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus « qui vectabantur equis, et adolescentibus, forma « cunctis egregia. Et vidi quod polluta esset via una « ambarum, et auxit fornicationes suas. Cumque vi« disset vicos depictos in pariete, imagines Chaldæo« rum expressas coloribus, et accinctos balteis renes, « et tiaras tinctas in capitibus eorum: forma ducum « omnium similitudine filiorum Babylonis terræque « Chaldæorum in qua orti sunt. Et insanivit super « eos concupiscentia oculorum suorum, et misit « nuntios ad eos in Chaldæam. Cumque venissent « ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, pol« luerunt eam stupris suis, et polluta est in eis, et « saturata est anima ejus ab illis. Denudavitque « fornicationes suas, et discooperuit ignominiam « suam. Et recessit anima mea ab ea, sicut recessit « anima mea a sorore ejus. Multiplicavit enim forni« cationes suas, recordans dierum adolescentiæ suæ, « quibus fornicata est in terra Ægypti, et insanivit « libidine super concubitu eorum, quorum carnes « sunt ut carnes asinorum, et sicut fluxus equorum, « fluxus eorum. Et visitasti scelus adolescentiæ « tuæ, quando subacta sunt in Ægypto ubera tua, « et confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ, » etc. Juxta litteram facilis interpretatio est, quod videns Ooliba, id est, Jerusalem in qua erat Dei tabernaculum, plagas sororis, non est exemplo commonita, ut retraheret ab errore pedem suum, sed auxit germanæ fornicationem. Illa enim semel et foris idola fabricata est in Dan et Bethel, ista autem crebro in excelsis, et in templo Dei adoravit statuam Baalis, et cum Assyriis fornicata est. Idolum autem Baal sive Bel, et ut apertius dicam Belis, Assyriorum religio est, consecrata in honorem patris a Nino Belis filio: et fornicationem suam Assyriis præbuit impudenter ducibus et magistratibus qui induti erant veste varia et multicolori, equitibus et adolescentibus forma cunctis egregia, ita ut ambarum sororum una fieret fornicatio. In eo autem auxit Jerusalem fornicationes suas, quod videns in parietibus imagines Chaldæorum, insanivit libidine, et forma eorum vestituque decepta, misit ad eos nuntios auxilium postulans, qui venerunt et polluerunt eam. Et quia voluptas non est perpetua, sed cito affert satietatem, polluta et saturata in eos, recessit ab eorum fœdere. Unde et ego cernens turpitudines et fornicationes omnibus publicatas, recessit ab ea, ut quæ sororis scelera vicerat, pœnarum quoque sororem magnitudine superaret; quæ tantæ procacitatis fuit, ut cunctos errores adolescentiæ suæ in graviori jam ætate committeret, et Ægyptia vitia in Chaldæorum quoque libidine sectaretur. Insanivit enim quondam in concubitu Ægyptiorum, quorum carnes sunt ad similitudinem asinorum, et tam largus seminum fluxus, sive verenda tam grandia, ut equorum superent deformitatem. Nec cessavit scelus adolescentiæ ejus, imo reversa est postquam facta est mihi, ut et in eremo, et in terra repromissionis suspiraret antiquam libidinem, in qua devirginata est, et fracta sunt ubera ejus, et omnis decor periit virginalis. (*Greg.*) Quia enim luxuriosorum petulantia asinorum appellatione per comparationem exprimitur, apte declaratur, cum per Prophetam dicitur, quorum carnes sunt ut carnes asinorum. (*Hieron.*) Porro secundum tropologiam difficilis intelligentia, quomodo Ecclesia hæreticam vincat libidinem, nisi forte possimus hoc dicere, quod « servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit eam, vapulabit multis (*Luc.* XII), et quod hæretici foris nefanda committant, et extra arcam Noe naufragi pereant. Ecclesiastici autem, si veram fidem sequentes, Assyria atque Chaldæa imitentur vitia, et discolores sequantur imagines peccatorum, majoribus digni sint cruciatibus. An non mittimus nuntios ad Chaldæos, qui interpretantur quasi dæmones, quando pandimus eis atque præbemus frangenda in pectore ubera, ubi mentis hospitium est, et saturati voluptatibus, ab aliis transimus ad alias, et non tam fornicationem quam meretricum numerum desideramus, et ad tantam venimus rabiem, ut post multa tempora Dominicæ servitutis, revertamur ad

Ægyptum, et ea faciamus quæ in sæculo fecimus, antequam nomen fidei acciperemus?

« Propterea, Ooliba, hæc dicit Dominus Deus: « Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, « de quibus satiata est anima tua, et congregabo eos « adversum te in circuitu: filios Babylonis, et universos Chaldæos, nobiles tyrannosque et principes, « omnes filios Assyriorum, juvenes forma egregia, « duces et magistratus, universos principes principum, et nominatos ascensores equorum. Et venient « super te instructi curru, et tota multitudo populorum, lorica et clypeo et galea armabuntur contra te « undique. Et dabo coram eis judicium, et judicabunt « te judiciis suis. Et ponam zelum meum in te, « quem exercent tecum in furore. Nasum tuum et « aures tuas præcident, et quæ remanserint gladio « concident. Ipsi filios tuos et filias tuas capient, et « novissimum tuum devorabitur igni. Et denudabunt « te vestimentis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ. Et « requiescere faciam scelus tuum de te, et fornicationem tuam de terra Ægypti. Nec levabis oculos tuos « ad eos, et Ægypti non recordaberis amplius. » Quia Ægyptiarum carnium recordata es, et imitata turpitudinem gentis immundæ, quæ omnium bestiarum simulacra veneratur, propterea adducam contra te amatores tuos, quorum satiata complexu, recessisti ab eorum fœdere, ut quantus prius amor fuerat, in tanta odia verteretis; filios, inquam, Babylonis, omnesque Chaldæos, nobiles, tyrannos, et principes[a]. Omnes, inquit, Assyrios equites, et juvenes forma egregia, duces et magistratus sive tristatas, quos nos *principes principum* interpretati sumus, de quibus et in Exodo (*Cap.* XV) legimus: « Electos ascensores tristatas [τριστάτας], pro quibus Latina simplicitas « ternos statores » transtulit. Tristatæ autem nomen est apud Hebræos secundi gradus, post regiam dignitatem. De quibus scriptum est: « Verumtamen, ad tres non pervenit (*II Reg.* XXIII), » qui principes equitum peditumque erant, et tribunorum, quos nos magistratus utriusque militiæ et præfectos annonarii tituli nominamus. Omnes, inquit, in curribus, et in equis, lorica armati, galea et clypeo, obsederunt te per circuitum, et dabo eis judicium, ut quos reliqueras, et quorum irritum feceras pactum, ab his judiceris. « Et judicabunt te judiciis suis, quasi adulteram. Et ponam, inquit, zelum meum in te, quem exercent tecum in furore. » Zelus enim meus est inter hostes fidei etiam non servatæ. « Nasum, inquit, tuum, et aures tuas præcident, » quasi adulteræ et deprehensæ in stupro, ut deformata placere desistas. Quomodo enim in facie omnis pulchritudo oris in narium decore consistit, et in auribus e quibus in feminis uniones et margarita descendent, ita dignitas regis et judicum, quæ in ore auribusque signatur, eorum gladio præcidetur. « Ipsi filios tuos et filias tuas capient. » Tuos, inquit, et tuas, non meos et meas, quia de adulterio generati sunt, et cætera vorabuntur incendio; et denudabunt, inquit, te vestimentis tuis, quibus te ornaveram, et vasis gloriæ tuæ, quæ tibi ad cæremonias templi aurea argenteaque concesseram, de quibus scriptum est: « Ego dedi eis aurum et argentum, et ipsi fecerunt ea Baal (*Ose.* II). » Hæc autem omnia faciam, ut perdita pulchritudine et vultu venefico deturpato, quiescat aliquando scelus tuum, et fornicatio, quam didicisti et exercuisti in Ægypto, ut postquam nasum auresque perdideris, nequaquam audeas oculos tuos levare ad Chaldæos, et amatoribus pristinis ostendere fœditatem tuam, nec recorderis amplius Ægyptiorum libidinis, quorum magnitudine carnium delectabaris. Quæ universa dicuntur sub translatione adulteræ et propter adulterium deturpatæ, ut nequaquam ultra glorietur in decore suo, sed erubescat in fœditate, quam magnitudine meruit voluptatum. Quidquid de Jerusalem τροπικῶς dicitur, et ad animam referri potest, quæ virtutibus Dei juncta complexui, postea adulteravit in vitia, et recessit ab eo, et patefactis universis sceleribus ejus, denudata est atque turpata, et ostensa omnibus, ut a scelere suo aliquando desistat, nec glorietur in nominis dignitate, sed pro mali conscientia et recordatione Ægypti, oculos ultra ad cœlum non audeat tollere. Unde et nasus ei præciditur, et aures amputantur, quia odorem bonæ fragrantiæ verterat in fetorem, et audierat judicium sanguinis, quod non solum de odore et auditu, sed de visu quoque intelligimus, quo, quia male fuerant abusi, Samson et Sedechias privantur (*Judic.* XVI). Surdum quoque Deus et mutum fecit, ne lingua eorum pertranseat usque ad terram: et tactus omnis auferetur in his qui vitam penitus perdiderunt. Et hæc fient, ut igni cuncta purgentur, et pereat Ægypti fornicatio, nec ultra oculos suos ad mala possit attollere.

« Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego tradam « te in manus eorum, quos odisti, in manus de « quibus satiata est anima tua. Et agent tecum in « odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent « te nudam, et ignominia plenam. Et revelabitur « ignominia fornicationum tuarum. Scelus tuum et « fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi, quia fornicata « es post gentes; inter quas polluta es in idolis « earum. In via sororis tuæ ambulasti. Et dabo calicem ejus in manu tua. Hæc dicit Dominus « Deus: Calicem sororis tuæ bibes, profundum et « latum. Eris in derisum et in subsannationem, quæ « es capacissima ebrietate, et dolore repleberis, « et calicem mœroris in tristitia, calicem sororis « tuæ Samariæ, et bibes illum, et epotabis usque « ad feces, et fragmenta ejus devorabis, et ubera « tua lacerabis, quia ego locutus sum, ait Dominus. « Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia oblita es « mei, et projecisti me post corpus tuum, tu « quoque porta scelus tuum et fornicationes tuas. » Prodest Jerusalem inimicitias habere contra Assyrios atque Chaldæos, et nequaquam Ægypti recordari, sed tradi eis in manus in puniendum, qui illam

[a] Hic multa desunt quæ requiras apud Hieronymum.

oderant. Quibus ante non traditur, nisi satiata fuerit de eis anima ejus, ut postquam pœnituerit veterum peccatorum, tunc purgetur suppliciis, et perdat omnes labores quos arte meretricia conquisivit, videatque nuditatem suam et ignominiam, et sciat quod hæc universa non ei Dominus fecerit, sed fornicationes suæ, quibus fornicata est per gentes quas supra enumeravit, ut earum coleret simulacra. « In viis, ait, sororis tuæ Samariæ ambulasti, » propterea debes calicem illius bibere, cujus peccata sectata es. Calix autem, quod sæpe accipitur pro pœnis atque suppliciis, multa exempla sunt, de quibus illud est : « Calix in manu Domini vini meri plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fex ejus non est exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terræ (*Psal.* LXXIV); » et in Isaia : « Calix ruinæ et poculum furoris (*Isa.* LI) » dicitur. Et ad Jeremiam loquitur Deus : « Accipe calicem vini meri de manu mea, et potionabis omnes gentes ad quas ego mittam te, et bibent et voment, et insanient (*Jer.* XXV). » Sicut enim quædam dantur cathartica, ut noxius humor, qui inest corporibus, egeratur; sic et Dominus dat calicem tormentorum meracissimum, ut quidquid fellis ac amaritudinis est, auferat a peccatoribus, et pristinæ eos restituat sanitati. Et ipse calix erit profundus et latus, profundus pœnarum magnitudine, latus tempore captivitatis. Quando autem, ait, inebriata fueris, et dolore comprehensa, et biberis calicem usque ad feces, et in tantum hauseris, ut fragmenta quoque ipsius calicis devores, tunc tædebit te fornicationis pristinæ, et lacerabis ubera quæ fracta fuerant in Ægypto, et quæ ab amatoribus tuis subacta atque collisa sunt. Sive omnes festivitates et neomenias tuas auferam, ut pro solemnitate atque lætitia æternum planctum habeas et mœrorem. Quia igitur ista fecisti et oblita es mei, et projecisti me post corpus tuum, sive retrorsum propter corporis vitia, vel post genitalia, quibus turpitudinis fœditas indicatur. Propterea porta scelus et impietatem tuam, videlicet supplicia, quæ propter impietatem et scelera meruisti. Potest hoc quod dicitur, « et potabis usque ad feces, et fragmenta ejus devorabis, » significanter intelligi, super Jerusalem, quæ calicem Samariæ sororis suæ bibit novissima, et quasi feces tormentorum ejus usque ad fundum epotavit.

« Et ait Dominus ad me dicens : Fili hominis, « nunquid judicas Oollam et Oolibam, et annuntias « eis scelera earum quia adulteræ sunt, et sanguis « in manibus earum, et cum idolis suis fornicatæ « sunt? Insuper et filios suos quos genuerunt mihi « obtulerunt eis ad devorandum. Sed et hoc fecerunt « mihi. Polluerunt sanctuarium meum in die illa, « et sabbata mea profanaverunt. Cumque immolarent filios suos idolis suis, et ingrederentur sanctuarium meum in die illa ut polluerent illud, « etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. Miserunt ad viros venientes de longe ad quos nuntium « miserant. Itaque ecce venerunt quibus te lavisti, A « et circumlevisti tibi oculos tuos, et ornata es « mundo muliebri. Sedisti in lecto pulcherrimo, « et mensa ornata est ante te. Thymiama meum « et unguentum meum posuisti super eam, et vox « multitudinis exsultantis erat in ea. Et in viris « qui de multitudine hominum adducebantur, et « veniebant de deserto, posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus « eorum. Et dixi ei quæ attrita est in adulteriis : « Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. « Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem, sic ingrediebantur ad Oollam et ad « Oolibam mulieres nefarias. Viri ergo justi sunt. « Hi judicabunt eas in judicio adulterarum, et judicio effundentium sanguinem, quia adulteræ sunt, B « et sanguis in manibus earum. Hæc enim dicit « Dominus Deus. Adduc ad eas multitudines, et « trade eas in tumultum, et in rapinam, et lapidentur lapidibus populorum, et confodiantur gladiis « eorum. Filios et filias earum interficient, et domus earum igne succendent, et auferam scelus « de terra. Et discent omnes mulieres ne faciant « secundum scelus earum. Et dabunt scelus vestrum « super vos, et peccata idolorum vestrorum portabitis. Et scietis quia ego Dominus Deus. » Consequens autem erat ut qui Samariæ et Jerusalem adulteria separatim descripserat, pariter earum supplicia nuntiaret. Omnia autem dicuntur quasi ad adulteras, et facta ἀνακεφαλέωσι, breviter earum scelera proponuntur, ut recte juxta legis imperium C in adulteras lapidatio populi consequatur. Quia igitur adulteræ sunt, justam prome sententiam. Sunt enim mœchatæ in idolis, et sanguis in manibus earum, eorum videlicet quos idolis immolarunt, ut filios quos mihi genuerant dæmonibus consecrarent. Nec hoc fecerunt foris et in montibus ac lucis, ut sæpe facere consueverant, sed ad extremum polluerunt templum meum, ut statuam Baal in eo ponerent, et sabbata mea profanaverunt, ut nec loci nec temporis custodiretur apud eas religio. Sed nec præsentibus tantum adulteriis contentæ erant, neque suffecit eis quod filios meos immolaverunt idolis suis vel dæmonibus, sed peregrinis quoque voluptatibus lascivientes, Assyriorum atque Chaldæorum simulacra veneratæ sunt. Qui D cum venissent, Ooliba, hoc est Jerusalem, omnem adulteræ habitum implesti super eos, ut lavares corpus, oculos stibio linires, ut assumeres cultum muliebrem, sederes in lectulo libidini præparato, epulas proponeres, quibus fractas ad libidinem vires reparares amatorum tuorum. Thymiama meum et unguentum quod mihi specialiter jusseram fieri, et exterminari animam illam de populo, quæ in privatos usus hoc facere voluisset, tu offerres idolis, ut congregares frequentiam populorum, sive omni genere musicorum caneres, ut non solum visu, sed et auditu et odoratu, et cunctis sensibus placeres amatoribus tuis, qui venerunt ad te ebrii, non urbanæ alicujus elegantiæ, sed de deserto ac solitu-

dine rusticorum et latronum habitum præferentes. Et in tantam exarsistis, o sorores pessimæ, insaniam voluptatum, ut armillas vestras et discriminalia imponeretis manibus, et capitibus amatorum vestrorum, sive vobis ipsis, ut plenæ ornatu turparemini. Quamobrem dixi ei vel Jerusalem, vel Samariæ, vel utrique : Sic trivistis frontem, ut nequaquam secreto polluamini, vel mariti, vel hominum vitetis aspectum, sed instar meretricum publice prostituamini, qui ingressi sunt ad vos, quasi ad meretrices, certatim vos polluere cupientes. Tradam igitur vos his ad puniendum, quibus ultro traditæ estis ad deturpandum. Justi enim viri sunt in eo quod adulteram et parricidam, me jubente : discruciant. Hæc enim dicit Dominus Deus Monitu vocis tuæ : congrega ad eas, o Propheta, multitudinem populorum, et primum diripiatur earum universa substantia, deinde lapidentur et confodiantur gladiis, et filii earum et filiæ trucidentur, et domus ardeant. Et hæc omnia fient, ut auferatur de terra impietas, et discant omnes mulieres, universæque provinciæ pœnis earum similia devitare, ut postquam receperitis quæ meremini, et portaveritis scelera idolorum vestrorum, tunc cognoscatis quod ego sim Dominus. Hæc autem omnia τροπικῶς et sub typo adulterarum dicta sunt contra Samariam et Jerusalem, quod Assyriis traditæ atque Chaldæis, ductæ sint in captivitatem, et urbes earum incendio concremarint, interfecti sunt populi qui pro Deo dæmonum simulacra venerati sunt. Possunt hæc et post adventum Christi intelligi, quod viri justi de populis nationum ipsi Samaritanos et Judæos comparatione sui judicent, et tradant eos ad devorandum, quibus Dominus dixerat : « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Matth.* XXIII). » Et « quando videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, scitote quia appropinquat desolatio ejus. « Usque hodie enim adulteratæ sunt, et totius orbis lapidibus opprimuntur. Quoniam miserunt nuntios ad eos qui erant procul, et dicere non poterant, « Ego Deus appropinquans, et non de longe, dicit Dominus, » et præparaverunt se amatoribus suis dæmonibus, et omnem cultum atque ornatum, quem a Deo acceperant naturali bono, verterunt in cultum dæmonum. Et opera sua decoremque quem in armillis et diademate intelligimus, adulteris amatoribus præbuerunt, quorum pœna gentibus timorem, imo his qui ex gentibus crediderunt, ne similia patiantur, si ea fecerint quæ Samaria fecit et Hierusalem; a quibus tunc auferentur impietates, cum receperint scelera sua, et velamen quod positum est ante vultum Moysi (*Exod.* XXXIV) abstulerint ab oculis suis, ut cognoscant quod ipse sit Dominus Jesus Christus quem Dei Filium negaverunt (*II Cor.* III).

CAPUT XXIV.

Per ollam liquefactam probatur incendium Jerusalem : prædicat quoque populum interficiendum et captivandum per Nabuchodonosor.

« Et factum est verbum Domini ad me in anno A « nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens : « Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus, in qua « confirmatus est rex Babylonis adversum Jerusalem « hodie, et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam, et loqueris ad eos : Hæc dicit « Dominus Deus : Pone ollam, pone, inquam, et mitte « in eam aquam. Congere frusta ejus in eam, omnem « partem bonam, femur et armum, electa et ossibus « plena. Pinguissimum pecus assume, compone « quoque strues ossium sub ea. Efferbuit coctio ejus, « et discocta sunt ossa illius in medio ejus, propterea « hæc dicit Dominus Deus : Væ civitati sanguinum « Ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non « exivit de ea. Per partes et per partes suas ejice « eam. Non cecidit super eam sors. Sanguis ejus B « enim in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum. Non effudit illum super terram « ut possit operiri pulvere, ut superducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer. Dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam ne operiretur. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Væ « civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam « pyram. Congere ossa, quæ igne succendam. Consumentur carnes, et concoquetur universa compositio, et ossa tabescent. Pone quoque eam super « prunas vacuam, ut incalescat et liquefiat æs ejus, « et confletur in medio inquinamentum ejus, et consumatur rubigo ejus. Multo labore sudatum est, « et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per « ignem. Immunditia tua exsecrabilis, quia emundare C « te volui, et non es mundata a sordibus tuis. Sed « nec mundaberis prius, donec quiescere faciam « indignationem meam in te. Ego Dominus locutus « sum. Venit et faciam, non transibo, nec parcam, « nec placabor. Juxta vias tuas, et juxta adinventiones tuas judicavi te, dicit Dominus, » etc. Dicamus ergo de singulis : Nono anno captivitatis regis Joachim, quinto enim exorsus est prophetare, et decimo mense ejusdem noni anni, decima die mensis decimi, factum est verbum Domini ad Ezechiel prophetam in Babylonis regionibus constitutum. Et dixit ei, Fili hominis, scribe tibi hanc eamdem diem, et scito quod rex Babylonis hodie in regione Judæa obsidione ceperit Jerusalem, et vallare eam exercitu. Et obsidionem istam per parabolam D describe atque proverbium, quæ in præsenti loco metaphoram, translationemque significat. Pone, inquit, ollam æneam, id est lebetem, et mitte in eam aquam, et pinguissimorum animantium omne corpus in frusta concide, tam femur, quam crus et armum, carnesque diligenter ab ossibus separa. Et carnibus missis in lebetem ossa pone vel compone sub lebete, et fac strues et cumulos ossium, ut effervescat non semel, sed frequenter coctio lebetis, et discoquantur carnes intrinsecus, et ossa subter incendio concrementur. Vis autem, Propheta, scire quis sit iste lebes, vel quæ carnes, aut ossa? Loquere « hæc, dicit Dominus, Væ civitati sanguinum, » id est, Jerusalem, lebeti, cujus rubigo, id est, malitia

nimia est, et licet ignis suppositus sit, tamen rubigo ejus non exivit de ea. Perseveraverunt enim etiam capti atque cruciati in pristino scelere. Per partes et singillatim consumite eam, nemo remaneat in salutem. « Non cecidit super eam sors, » ut alii perirent, et alii salvarentur, sed cunctis communis venit interitus, « sanguis enim ejus, » id est, homicidia, et filiorum neces « in medio illius sunt. » Quem sanguinem « effudit super limpidissimam petram, » ut pateret omnibus nec terra operiretur aut pulvere, ne transiret, videlicet indignatio mea, sed super apertissimum sanguinem ultio properaret. Naturæ est enim ut si sanguis fundatur in terram, combibat humus humorem sanguinis, vel paulatim terra operiatur et pulvere. Cum autem super limpidissimam petram, et nullam habentem foveam, sanguis fuerit effusus, labitur et latam obtinet sedem. Hoc autem indicat quod non occulta, sed publica fecerit homicidia, secundum illud quod dicitur ad Cain : « Sanguis fratris tui clamat ad me (*Gen.* IV). » Propterea dic civitati sanguinis, sed non unius sanguinis, sed multorum : « Ecce ego grandem in te pyram faciam, » sive, educam torrem, quem vulgus titionem vocat, et non solum carnes in te molles et teneras, sub durissima ossa quoque sic succendam, ut nihil in te remaneat quod non cremetur incendio. Cumque et carnes et ossa consumpta fuerint et cremata, ipsum lebetem vacuum pone super prunas, ut æs quoque illius tabescat et consumatur : et ære consumpto rubigo quoque illius pereat, id est, civitate incendio concremata, malitia cum urbe dispereat. Sed quid prodest fecisse quod jussum est, ne per ignem quidem rubigo atque malitia lebetis et urbis potuit auferri, et permanet in ea immunditia scelesta et exsecrabilis. Hoc enim Zemma significat, et apostropham ad ipsum lebetem, id est, ad ipsam urbem, facit « mundare te volui, et non es mundata sordibus tuis, » nec ultra poteris emundari, donec in te compleam indignationem meam : ego Dominus sum locutus, et sententia mea non potest præterire. Venit jam urbis obsidio, faciam quod minatus sum, nec transibo, sicut sæpe feci, scelera tua, et ultra non parcam, nec placabor tibi etiam si multiplicaveris preces. Sed vias tuas et adinventiones tuas reddam tibi, imo judicabo te juxta opera et cogitationes tuas, ut in hoc quoque ostendam clementiam meam instar medici, qui putridis non parcit carnibus, ut sana membra salventur ; non parcit, ut parcat ; crudelis est ut misereatur, nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem, juxta illud evangelium magis volens unum perire membrum, quam totum corpus interfici. Notandum quoque quomodo a principio prophetiæ, usque ad præsentem diem quando obsideri cœpit Jerusalem, per ordinem captivitas veniat. Primum gladius provocatur, dein duæ viæ ponuntur Ammon et Hierusalem, quarum ad dexteram partem sors cadit Nabuchodonosor. Conflatur in civitate argentum, æs, stagnum, plumbum et ferrum. Terra quoque non compluitur, sed sentibus occupatur. Postea sub nomine duarum sororum Oollæ et Oolibæ, Samariæ et Jerusalem peccata narrantur, quomodo illa sit capta et ista capienda. Ad extremum nono anno, decimo mense, decima die mensis, in captivitate posito Ezechiel, et his qui cum eo erant, tradiderunt se cum rege Jechonia, ostenditur qua die urbs cœperit obsideri, et similitudo lebetis ponitur, ut quomodo carnes et ossa congesta in lebetem incendio concremantur, sic cuncta civitas cum suis interitura sit civibus, et nullus remaneat eorum qui obsessi sunt, qui in fame, gladio, pestilentia consumantur, et pars reliqua captiva ducatur in Babylonem. Potest hæc eadem prophetia, et ad tempus pertinere Dominicæ passionis, propter quam exercitu circumdata est Jerusalem, et interfecti filii ejus, et obsidente Tito filio Vespasiani, ad salutem nullus evasit templumque subversum est, et post quinquaginta annos sub Adriano civitas æterno igne consumpta est. Præsentem autem captivitatem quando Ezechiel in Babylone ista cernebat, et Jeremias in principio ponit voluminis sui : « Quid tu vides, Jeremia ? » Qui respondens ait : « Ollam succensam, et faciem ejus a facie aquilonis. » Sunt qui juxta tropologiam totum locum istum ad consummationem sæculi transferunt, nonumque numerum qui in Scripturis sanctis pœnarum et dolorum est, et semper sequitur justitiam, decimi mensis et diei decimæ clementia temperant. Idcirco enim adhibentur ægrotantibus pœnæ, ut dolorem sanitas consequatur.

Mundus ergo, qui in maligno positus est, die judicii divino igne succenditur, et civitas sanguinum ponitur super carbones ignis, ut impleatur quod scriptum est in Isaia : « Habes carbones ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adjutorio (*Isa.* XLIV). » Illudque difficile est, quomodo cum carbones et ossa consumantur, quibus pleni sunt etiam Pharisæi, quibus Dominus loquitur in Evangelio : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ intus plena sunt spurcitia et ossibus mortuorum (*Matth.* XXIII). » Nunc dicatur quod rubigo sordesque mundi consumptæ non sint, sed etiam post judicii severitatem malitia remaneat. Quod facile solvitur, si intelligamus illud Apostoli : « Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnibus misereatur, vanitati enim creatura subjecta est (*Rom.* XI ; *Coloss.* III ; *Rom.* VIII) ; » et ponitur sanguis qui effusus est in propatulo creaturæ universæ, ut omnium scelera pateant. Petram autem limpidissimam possumus accipere, et Dominum Salvatorem, quæ sequebatur in solitudine populum Israel, de qua scriptum est : « Bibebant autem de consequenti eos petra. Petra autem erat Christus (*I Cor.* X), » quod in illo omnia revelentur et impleatur quod scriptum est : « Nihil occultum, quod non reveletur (*Matth.* X). » Dicitque se Dominus non misereri, nec mundi præterire peccata, neque parcere impiis, nec placari, ut viæ pereant impiorum, secundum illud quod in

primi psalmi fine ponitur: « Et iter impiorum peribit (*Psal.* I). »

(*Greg.*) Quid est jam, rogo, quod in hoc mundo libeat? Ubique luctus aspicimus, undique gemitus audimus, destructæ urbes, eversa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est, nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit: et tamen ipsæ parvæ generis humani reliquiæ adhuc quotidie, et sine cessatione feriuntur, et finem non habent flagella cœlestis justitiæ, quia nec inter flagella correctæ sunt actionis culpæ, alios in captivitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat? si et talem mundum adhuc diligamus, non jam gaudia, sed vulnera amamus. Ipsa autem quæ aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remansit Roma conspicitis? Immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium, frequentia ruinarum; ita ut in ea completum esse videamus quod contra urbem Samariam per hunc eumdem prophetam dicitur: « Pone ollam, pone, inquam, et mitte in ea aquam, et congere frusta ejus in ea. » Et paulo post: « Efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus. » Atque iterum: « Congere ossa quæ igni succendam, consumentur carnes, et coquetur universa compositio, et ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat et liquefiat æs ejus. » Tunc enim nobis olla posita est, cum hæc est civitas constituta, tunc in eam aqua missa est, et frusta ejus congesta sunt, quando ad eam undique populi defluebant, qui velut aqua calens actionibus mundi fervescerent, et quasi frusta carnium, in ipso suo fervore liquarentur, de qua bene dicitur, « efferbuit coctio ejus, et discocta sunt ossa illius in medio ejus, » quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio gloriæ sæcularis, sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Per ossa etenim potentes sæculi, per carnes vero populi designantur. Quia sicut carnes portantur ossibus, ita per potentes sæculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce jam de illa omnes hujus sæculi potentes ablati sunt. Ossa ergo excocta sunt, ecce populi defecerunt, carnes ejus liquefactæ sunt. Dicatur itaque, « Congere ossa quæ igne succendam. Consumentur carnes et coquetur universa compositio ejus, et ossa tabescent. » Ubi enim senatus, ubi jam populus? Contabuerunt ossa, consumptæ sunt carnes, omnis in ea sæcularium dignitatum ordo exstinctus est, excocta est universa compositio ejus: et tamen ipsos nos paucos qui remansimus, adhuc quotidie gladii, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt. Dicatur ergo: « Pone quoque eam super prunas vacuam, » quia enim senatus deest, populus interiit, et tamen in paucis qui sunt dolores, et gemitus quotidie multiplicantur: jam vacua ardet Roma. Quid autem ista de hominibus dicimus, cum, ruinis crebrescentibus, ipsa quoque ejus distrui ædificia videmus? Unde et apte de civitate jam vacua subditur: « Incalescat et liquefiat æs ejus. » Jam enim et ipsa olla consumitur, in qua prius carnes et ossa consumebantur: quia postquam defecerunt homines, etiam parietes cadunt. Ubi autem sunt qui in ejus aliquando gloria lætabantur, ubi eorum pompa, ubi superbia, ubi frequens et immoderatum gaudium? impletum est in ea quod contra destructam Ninivem per prophetam dicitur: « Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? » (*Nahum*, II.) An ejus duces et principes leones non erant, qui per diversas mundi provincias discurrentes, prædam sæviendo et interficiendo rapiebant. Hic leonum catuli inveniebant pascua, quia pueri, adolescentes, juvenes sæculares et sæcularium filii, hic undique concurrebant, cum proficere in hoc mundo voluissent. Sed ecce jam desolata, ecce contrita, ecce gemitibus oppressa est; jam nemo ad eam currit, ut in hoc mundo proficiat; jam nullus potens et violentus remansit, qui opprimendo prædam diripiat. Dicamus ergo, « Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? » Contingit ei quod de Judæa novimus per prophetam dictum: « Dilata calvitium tuum sicut aquila (*Mich.* I). » Calvitium quippe hominis in solo capite fieri solet: calvitium vero aquilæ, in toto fit corpore: quia cum valde senuerit, plumæ ejus ac pennæ ex omnibus ejus membris cadunt. Calvitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit quæ populum amisit. Alarum quoque pennæ ceciderunt, cum quibus volare ad prædam consueverat: quia omnes ejus potentes exstincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc autem quæ de Romanæ urbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi civitatibus scimus. Alia etenim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terræ hiatibus absorpta. Despiciamus ergo de toto animo hoc præsens sæculum, vel exstinctum; finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine, imitemur bonorum facta quæ possumus, ut ad æternum et stabile regnum pervenire mereamur.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens: « Fili hominis, ecce ego tollo a te desiderabile « oculorum tuorum in plaga, et non planges neque « plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce « tacens, mortuorum luctum non facies. Corona tua « circumligata sit tibi, et calceamenta erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes, locutus sum ergo ad populum « mane, et mortua est uxor mea vesperi, fecique « mane sicut præceperat mihi. Et dixit ad me po« pulus: Quare non indicas nobis quid ista signi« ficent quæ tu facis? Et dixi ad eos: Sermo Do« mini factus est ad me dicens. Loquere domui « Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego pol« luam sanctuarium meum, superbiam imperii et « desiderabile oculorum vestrorum, et super quo « pavet anima vestra, et filii vestri et filiæ quas « reliquistis gladio cadent, et facietis sicut feci. Ora « amictu non velabitis, et cibos lugentium non com« edetis. Coronas habebitis in capitibus vestris, et

« calceamenta in pedibus. Non plangetis neque flebitis, « sed tabescetis in iniquitatibus vestris, et unusquisque « gemet ad fratrem suum. Eritque Ezechiel vobis in « portentum. Juxta omnia quæ fecit facietis, cum vene« rit istud, et scietis quia ego Dominus Deus. Et tu, fili « hominis, ecce in die quo tollam ab eis fortitudinem eo« rum, et gaudium dignitatis, et desiderium oculorum « eorum super quo requiescunt animæ eorum ; filios et « filias eorum in die illa cum venerit fugiens ad te, ut « annuntiet tibi. In die, inquam, illa aperietur os tuum « cum eo qui fugit, et loqueris et non silebis ultra, « erisque eis in portentum, et scietis quia ego Do« minus. » (*Hieron.*) Supra ollæ lebetisque succensio obsidionem urbis ostenderat, nunc captam eam atque deletam, et omnem populum vel interfectum gladio, vel ductum in captivitatem, prophetalis sermo testatur. Et primum juxta consuetudinem nostram historiæ fundamenta jaciamus. « Fili, inquit, hominis, ecce auferam de conspectu oculorum tuorum, quidquid tibi desiderabile est, et auferam in plaga, » sive, ut Septuaginta verterunt, « in præparatione, » ut videlicet præpares te ad ea non facienda, quæ solent in luctu fieri. « Non planges neque plorabis, nec fluentes lacrymæ » dolorem cordis ostendent, sed si forte nimio fueris mœrore superatus, tacitum habeto gemitum, nec prorumpas in verba. Mortuorum luctum non facies, vel, ut vertere Septuaginta, « gemitus sanguinis renum luctus est, » per quod ostendit uxorem ejus esse morituram. Statim enim sequitur : « Et mortua est uxor mea vesperi, » quod proprie ad conjunctionem renum pertinet. Nihil viro uxore bona amabilius, quæ a Deo homini providetur, et cui Domini lege conjungitur, et unum cum ea corpus efficitur. Quodque sequitur : « Corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, » hoc significat : Habebis comam quæ tondetur in luctu, et calceamenta in pedibus, quæ lugentes solent abjicere. Unde et David Absalon filium fugiens (*II Reg.* xv), et pœnitens super nece Uriæ, nudis pedibus, incedit. Aiunt Hebræi hucusque Babylonios magistros legis præcepta servantes, decalogum scriptum in membranulis circumdare capiti suo, et hæc esse quæ jubeantur ante oculos et in fronte pendere, ut semper videant quæ præcepta sunt. Et quia Ezechiel sacerdos erat, nequaquam eum debere deponere coronam gloriationis, sed ligatam habere in capite. Hoc illi dixerint : nos autem juxta LXX coronam capillorum intelligamus cæsariem, licet et ipsorum interpretatio nequaquam vim Hebraici sermonis expresserit : « Nec amictu, inquit, ora velabis, nec cibos lugentium capies, » quæ solent in luctu fieri ut operiant vultum. Locutus sum, inquit, ad populum, quæ mihi Dominus imperat. « Et vesperi mortua est uxor mea, » oculorum desiderabile lumborumque et sanguinis luctus. Statimque die altera mane feci omnia quæ mihi fuerant imperata. Interrogavitque me populus cur contra morem omnium fecerim, causasque quærentibus tantæ patientiæ respondi : sermo Domini qui ad me factus est,

A ut ad populum Israel loquerer ista præcepit : « Ecce ego, id est, jam nunc polluam sanctuarium meum, » ut incendatur templum, et cunctis alienigenis pateat et profanis, et in quo habebatis superbiam, hoc est confidentiam et spem ac desiderium salutis vestræ, et ad cujus obsidionem vestræ animæ formidabant, filios quoque et filias quos vobis fames ac pestilentia reliquos fecerant, consumam gladio. Quidquid ego feci, hoc facietis vos. Quando consuetudo servatur in luctu, medius dolor est : quando autem tanta malorum incumbit necessitas, ut omni ploratu major sit unusquisque de sua nece sollicitus, ad aliorum, quamvis sint proximi, miserias non ingemiscit. Nihil, inquit, facietis quod solet in luctu fieri, sed urbe temploque succensis, stupebitis ad
B malorum magnitudinem : non attondebitis, nec nudis incedetis pedibus, non plangetis, nec amictu ora velabitis, nec cibos accipietis a consolantibus, sed tabescetis, et consumemini in iniquitatibus vestris, et vix librum habebitis gemitum, ne offendatis victorum superbiam si publice flere videamini, ita ut Ezechiel propheta sit vobis in portentum, et omnia quæ ille in morte non fecit uxoris, vos in eversione urbis et templi non faciatis. Et adhuc apertius, o, inquit, fili hominis, in tempore quando abstulero ab eis fortitudinem eorum, templi, ut diximus, confidentiam, et gaudium dignitatis, et in quo spem solam habebant ac desiderium, in quo requiescebant animæ eorum. Insuper filios eorum et filias, subauditur ex superioribus, abstulero. Eo, inquit,
C tempore cum venerit ad te de Jerusalem *fugiens*, vel qui evaserit, dicens urbem esse subversam, tunc qui prius tacueras, et gemitum liberum non habebas, et tantæ eras patientiæ, ut in uxoris nece, et lumborum dolore lacrymam non emitteres, aperies os tuum et loqueris non ad eum qui venerit, sed cum eo, ut quæcunque tu ventura prædixeras, ille nuntiet etiam perfecta, et ultra non tacebis, sed argues eos, et dices cuncta illis merito provenisse. Ita ut sis illis in portentum, juxta illud quod in Zacharia scriptum est (*Zach.* III), prophetas viros esse portendentes. Et Dominus alibi loquitur : « In manibus prophetarum assimilatus sum. » Hæc juxta historiam dicta sint. (Macrus.)
D Veniamus ad anagogen, si tamen violenta visa non fuerit cauti lectoris prudentia ; Filium hominis dici Dominum Salvatorem nulli dubium qui extrema hora, hoc est, ad vesperam mundi hujus uxorem pristinam perdidit, nec flevit eam, nec amictu ora velavit, nec recepit ullam hominum consolationem. Et hæc ventura prædixit mane, quæ completa sunt vesperi. Et rursum mane in secundo adventu, facta probabit quæ ventura prædixerat ; sanctuarium Judæorum, et quod desiderabile habuerant in oculis, et super quo tremebant animæ eorum, esse polluta : filios quoque eorum, et filias Romano gladio concidisse. Quod autem dicitur, « coronam habebitis in capitibus vestris, et calceamenta erunt in pedibus. » ad illam partem referemus, quod nequaquam lugere

debeant, nec signa luctus assumere, postquam pro umbra receperint veritatem, et Nazaræi quidam facti fuerint. Et unusquisque super fratre suo consolabitur, ita ut Ezechiel quem confortavit Deus pater, sit eis in portentum ventura prænuntians. Et postquam subversa fuerit Jerusalem, templumque succensum, et hoc totus mundus audierit, et dispersio Israel quæ orbis terminos colit, tunc verba A Domini opere completa, habebunt libertatem, et polluto sanctuario ejus, lege completa vel destructa, secundum occidentem litteram, aperta sit Evangelii gloria, et cognoscat Israel quod ipse sit Dominus et Deus, qui hæc mane ventura prædixerit, et vesperi atque in consummatione mundi esse completa, suo probarit adventu.

LIBER DECIMUS.

Post finem ergo noni libri hujus operis, quem nuper explevimus, libet nos in initio decimi præfatiunculam beati Hieronymi ponere, quæ sic incipit: « Quid aliis prosit in prophetas nostra dictatio, Dei judicii est eorumque conscientiæ, qui, omissis declamationibus ac plausu et compositione verborum, cupiunt scire quid eorum sermo, vel narret præteritum, vel præsens arguat, vel prædicat esse venturum. Nobis interim primum prodest: dum enim hoc facimus, et nihil aliud cogitamus, in modum furti explanationes aggredimur, et dierum miserias noctium studio compensamus. Pascitur animus et obliviscitur sæculi calamitatum, quod in extremo fine jam positum congemiscit et parturit, donec qui tenet de medio fiat, et pedes statuæ quondam ferrei fragilitate digitorum fictilium conterantur. Cadit mundus, et cervix erecta non flectitur. Pereunt divitiæ, et nequaquam cessat avaritia. Congregare festinant, quæ rursum ab aliis occupentur. Aruerunt lacrymæ, pietas omnis ablata est. Multi qui petant, pauci qui tribuant. Nec erubescimus, paupertatem vili palliolo præferentes, Crœsi opibus incubare, famemque et interitum plurimorum nostris custodire thesauris, secundum illum divitem purpuratum, qui ut aliud nihil fecerit, neque enim rapinas ejus et iniquitates Scriptura testatur (*Luc.* XVI), crudelitas ejus atque superbia non habet modum: Lazaro ante fores jacenti atque semineci, ne ea quidem jussit dari quæ canibus projiciuntur. Quanti nunc Lazari jacent, et quantorum purpuræ diversis vestium coloribus proteguntur, ne in usus quidem proprios vertentium quæ peritura conservant. Hæc, virgo Christi Eustochium, ex cordis abundantia os locutum sit, et paulo liberius quam humilitati nostræ convenit, diximus. Hæc ergo diximus, dolentes juxta finem temporum æstuantem avaritiam plurimorum, qui non considerant quantum habeant, sed quantum eis desit, volentes omnia soli possidere. Unde mihi bonum videtur ut cultoribus Christi sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Bonum quidem mercimonium est, si ex perituris et præsentibus rebus præmia nobis comparemus æterna et regna cœlestia. Cæterum in Ezechielem liber, qui filiorum Ammon et gentium cæterarum increpationem continet, et vaticinium futurorum, hoc habebit exordium. »

CAPUT XXV.

B *Sermo Domini contra filios Ammon, et Moab, et Seir, et contra Palæstinos, qui gavisi sunt de ruina Jerusalem, et afflixerunt filias Judæ.*

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili « hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, « et prophetabis de eis, et dices filiis Ammon. Audite « verbum Domini Dei: Hæc dicit Dominus Deus, pro eo « quod dixistis, Euge, euge super sanctuarium meum, « quia pollutum est, et super terram Israel, quia « desolata est, et super domum Juda, quoniam ducti « sunt in captivitatem. Idcirco ergo tradam te filiis « orientalibus, in hæreditatem collocabunt caulas « suas in te, et ponent in te tentoria sua. Ipsi com- « edent fruges tuas, et ipsi bibent lac tuum. Daboque « Rabba in habitaculum camelorum, et filios Ammon C « in cubile pecorum, et scietis quia ego Dominus, quia « hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod plausisti « manu, et percussisti pede, et gavisa es ex toto af- « fectu super terram Israel, idcirco ego extendam « manum meam super te, et tradam te in direptio- « nem gentium, et interficiam te de populis, et per- « dam de terris, et conteram. Et scies quia ego « Dominus. » Capta vel obsessa Jerusalem, et postquam venit in Babylonem qui potuerat evadere, et nuntiavit urbem jam jamque capiendam, vel cum templo esse subversam, juxta consuetudinem omnium prophetarum adversum cæteras in circuitu nationes, quæ insultaverant ruinæ Jerusalem templique incendio, sermo convertitur prophetalis. Primumque contra filios Ammon qui habebant metropolim no- D mine Rabbath, quæ hodie a rege Ægypti Ptolomeo cognomento Philadelpho qui Arabiam tenuit cum Judæa Philadelphia nuncupata est. « Fili, inquit, hominis, pone sive obfirma faciem tuam contra filios Ammon, » qui de Loth stirpe generati sunt, « et dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus, » non sunt enim prophetæ verba, sed Domini. De obfirmatione vultus, de quo jam in hoc eodem propheta plenius disputavimus. « Pro eo quod dixistis, Euge, euge, » sive insultastis et gavisi estis, quia templum et sanctuarium meum hostium ingressione pollutum est, « et super terram Israel, quoniam desolata est, » et specialiter super domum Juda duarum tribuum, quæ nunc ductæ sunt in captivitatem, propterea et ego tradam te filiis Edom, quos Orientales interpre-

tati sumus. Nullique dubium est Madianitas et totam eremi vastitatem adjacere terræ Arabiæ, quia habent camelorum greges oviumque et caprarum multitudines, et his opibus victitant; quod et terræ Israel qui Judicum libro accidisse narrat historia, quando venerant Madianæi, et depastæ sunt usque Gazan omnes regiones eorum. Μεταφορικῶς ergo per Madianæos Ismaelitas et Agarenos qui nunc Saraceni appellantur, assumentes sibi falso nomine Saræ, quo scilicet de ingenua et domina videantur esse generati, Scriptura significat, diciturque de rege Nabuchodonosor et omni ejus exercitu, quod veniat et capiat urbem Rabbath, quæ vel proprie hoc appellatur nomine vel ob magnitudinem: Rabbath enim maxima dicitur. Et ne dubitemus Nabuchodonosor subvertisse Arabiam, postquam capta est Jerusalem, supra Scriptura testatur: « Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias Ammon et Jerusalem, et veniat gladius regis Babylonis. » Et iterum: « In capite viæ civitatis conjiciet viam, ponens, ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, et ad Judam in Hierusalem munitissimam. » Et rursum: « Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, et ad opprobrium eorum. » Venient ergo filii Eden, et collocabunt caulas suas quasi pastores, figentque tentoria, ipsi vastabunt fruges tuas, et bibent lac et ubertatem terræ immissis gregibus camelorum et omnium populorum, ita ut sint filii Ammon in cubile pecorum, et malorum necessitate intelligant quod ipse sit Dominus, qui et futura prædixit, et ut fierent imperavit. Nec hoc sufficit filiis Ammon, ut insultarent et dicerent, Euge, euge super templo et sanctuario Domini, quod pollutum erat diversarum introitu nationum, sed tanta fuit insultandi lascivia, ut cunctus simul populus manibus et pedibus concreparet, et ex toto cordis clamaret affectu, eo quod terra Israel esset desolata. Propterea non per angelos, neque per alia ministeria, sed ipse Dominus, extendens manum suam ad percutiendum, tradet eam in direptionem, nequaquam camelis et ovium gregibus, sed manifestius gentibus, ut de populorum numero penitus eradicetur, et pereat et redigatur ad nihilum. Et postquam contrita fuerit, tunc intelligat quod ipse sit Dominus, qui cuncta dijudicet, et in omnes terras habeat potestatem. Possumus juxta tropologiam filios Ammon intelligere, qui de Loth in spelunca generati sunt semine, et generati in ebrietate et incestu, omnes hæreticos, de quibus dicit et apostolus Joannes: « Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (*I Joan.* II). » Isti de inclinatione orti sunt: hoc enim Loth in linguam nostram vertitur: « Quia omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII, 3). » Adversum hos ponitur sive obfirmatur facies prophetalis, ut eos sua austeritate conterat. Et dicit eis: Quia insultastis Ecclesiæ meæ tempore persecutionis, diversorumque vitio, quod pollutum esset sanctuarium meum, sive eorum vitio qui mihi serviebant, sive hostium crudelitate qui meos persequebantur: terram quoque Israel, sensus videntes Deum, esse desolatam virtutum choro; et quoniam filii domus Juda, id est Dominum confitentis, in qua est vera fides et recta confessio, ducti sunt in captivitatem, et servire Domino desierunt, idcirco, omnis insultans, traderis filiis Orientalibus qui de vero lumine sunt profecti, et traderis in hæreditatem, ut tu quoque discas Dominum confiteri. Et per translationem dicitur quod filii Orientis ponant super eos caulas suas, et figant tentoria, et bibant lac, et comedant fruges: et civitas quondam superbiæ fiat in habitaculum camelorum qui possint, deposito onere peccatorum, intrare per foramen acus. Et in cubile pecorum quæ reguntur a pastore bono, ut cum hoc fecerint missi et traditi Orientis pastoribus intelligant quod ipse sit Dominus. Rursumque exprobrat eis quare insultaverunt nimio cordis affectu ruinis populi Dei, et terram Israel putaverunt omnino desertam, pro quo mereantur manum ulciscentis Dei: ut qui excesserant modum exsultationis et gaudii super ruina domus Judæ, nequaquam tradantur filiis Orientis, sed sint in direptionem cunctarum gentium, et interficiantur de populis, et pereant, et conterantur, et nequaquam de stirpe Abraham, sed de cunctis nationibus esse credendi sint; et tunc malorum cognoscant magnitudine et contritione sua, et interfectione populi, quod ipse sit Dominus. Quod generaliter de Ecclesia intelleximus, super unoquoque sanctorum intelligi potest: ad quorum ruinam gaudent sæculi homines et adversariæ potestates, si *multi temporis* perdiderint pudicitiam, dum mali consolationem suorum scelerum putant, si plures habeant consortes criminum atque supplicii, et hoc nemo fecit, nisi fuerit filius Ammon, hoc est filius populi, qui in declinatione generatus est.

« Hæc dicit Dominus Deus. Pro eo quod dixerunt « Moab et Seir, ecce sicut omnes gentes domus Juda. « Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus: de civitatibus, inquam, ejus inclytæ terræ « Bethiesimoth et Beelmeon et Cariathaim, filiis « Orientis cum filiis Ammon. Et dabo eam in hæreditatem, ut non sit memoria ultra filiorum Ammon « in gentibus. Et in Moab faciam judicia, et scient « quia ego Dominus. » (*Hieron.*) Ridiculam vero in hoc loco Hebræi narrant fabulam, postquam urbs aperta templumque reseratum est, filiique Ammon et Moab et Seir ingressi sunt templum videruntque Cherubim protegentia propitiatorium, dixerunt: Sicut cunctæ gentes colunt simulacra, ita et Juda habet suæ religionis idola. Et idcirco, inquiunt, iratus est Dominus, et eos tradidit captivitati. Nos autem hoc dicemus, quod et isti insultaverint domui Judæ, quando a Chaldæis capta est, putantes sicut in cæteris gentibus non ibi esse auxilium Dei, etiam regnum Judæ et Jerusalem Dei præsidio destitutum patuisse Babyloniæ potestati. Idcirco non multo post tempore, sed inpræsentiarum Dominus comminatur se hume-

rum, robur videlicet et fortitudinem Moab, de civitatibus ejus dissoluturum, sive aperturum, ut ad ipsos quoque Babylonius victor introeat, et civitates in Moab esse desistant, et in finibus ejus ac terminis urbes inclytæ destruantur, quarum ponit nomina Bethiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim, pro quibus nescio quid volentes, LXX interpretati sunt domum *Beth Iasimuth*, cum hoc vocabulum villam desertam significet. Beelmeon quoque usque hodie in Moab vicus sit maximus, quem illi verterunt *super fontem*, et Cariathaim *civitatem maritimam*; traditurque et ipsa cum filiis Ammon, filiis Orientis, Babyloniis videlicet, juxta illum sensum quem contra filios Ammon interpretati sumus. Et dabo, inquit, Moab in hæreditatem, ut quomodo filiorum Ammon non est memoria ultra in gentibus, sic et in Moab ultiones faciam atque judicia, ut cognoscant quod ego sim Dominus, qui Judam tradidi pro peccato, et in filios Ammon, et in Moab ultor existam. Usque hodie Moab qui interpretatur ex patre, et Seir, qui in pilosum vertitur et hirsutum, despicit et contemnit domum Juda, in qua vera confessio est. Et putat tam facile eam posse subverti, quam cæterarum subvertuntur urbium munimenta. Unde Dominus comminatur aperturum se, sive dissoluturum omnem fortitudinem Moabitarum, ut civitates habere desistant, et nequaquam in dialectica arte confidere, sed cuncti illius termini quos pro illisione fluctuum vocant promontoria, destruantur. Et inclytæ atque electæ terræ Bethiesimoth, quæ interpretatur domus solitudinis atque deserta, et Beelmeon, quæ et ipsa vertitur habens fontem, sive super fontem, et Cariathaim, quam Septuaginta civitatem maritimam transtulerunt, pereant, quamvis enim habeant robora pugnatorum, et inclyta pergant ad prælium arte pugnandi, et ex omni parte circumsepti munitique gradiantur, tamen inclyta eorum terra non est domus habitationis, sed domus solitudinis. Quodque se putant habere fontem scientiæ, et urbem maritimam quæ cunctas sustinere possit sæculi tempestates, patientiam sibi et fortitudinem promittentes, tamen illuc revertentur, ut ipsi tradantur filiis Orientis veri in Christo luminis, sicut traditi sunt filii Ammon qui sibi in hæretica multitudine confidebant. Et consideremus profectum, atque in ipsa comminatione clementiam Dei, ut tradantur cum filiis Ammon filii Orientis in hæreditatem, et nequaquam hæresis ulla nominetur in gentibus, sed factis in Moab judiciis et ultionibus pro arrogantia rerum fine cognoscant Dominum esse qui cuncta dispenset. Ad approbandum autem quod Moab in præsenti loco super philosophorum intelligatur superbia, de quibus dicitur, Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam intelligentium reprobabo : pauca de prophetis exempla replicanda sunt. Amos loquitur : « Hæc dicit Dominus super tribus impietatibus Moab, et super quatuor non aversabor eum, pro eo quod combussit ossa regis Idumeæ in cineres (*Amos*, II). » Vere enim quidquid in sæculo dogmatum perversorum est, A quidquid ad terrenam scientiam pertinet, et putatur esse robustum hoc dialectica arte subvertitur, et instar incendii in cineres favillasque dissolvitur, ut probetur nihili quid putabatur esse fortissimum. Sed et Isaias superbiam arguit Moab, dicens : « Audivimus contumeliam Moab, contumeliosus est nimis : superbiam ejus abstuli (*Isa.* XVI). » Jeremias quoque contra omnes vaticinans nationes proprie loquitur ad Moab : « Quoniam confidebas in munitionibus tuis (*Jer.* XLVIII). » Et post paululum : « habebis fiduciam in gloria tua. » Et iterum : « Quomodo dicitis fortes sumus? » Ac deinde : Juxta est dies Moab ut veniat, et malitia ejus velox nimis. » Et manifestius : « Dicite quomodo contritus est baculus gloriosus, virga magnificentiæ. » Et iterum : B « Contritum est cornu Moab. » Hæc autem dicuntur ut sub nomine Moab, stulta sæculi in cœlum se efferens superbia conteratur.

« Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filiis Juda peccavitque delinquens, et vindictam expetivit de eis. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem et jumentum. Et faciam eam desertam ab austro. Et qui sunt in Dedan gladio cadent. Et dabo ultionem meam super Idumæam per manum populi mei Israel. Et faciam in Edom juxta iram meam et furorem meum, et scient indignationem meam, dicit Dominus Deus. » Supra duo proposuerunt, pro eo quod dixerunt Moab et Seir : et C postea de Seir tacens, contra Moab tantum locutus est. Nunc reddit cœptum problema quid Seir, hoc est Idumæa, fecerit. Quod Esau, et Seir, et Edom, et Idumæa, et Duma, una gens appellentur, non ambiget qui scientiam habuerit Scripturarum. Et ut de cæteris prophetis taceam, Isaia, Jeremias, Amos, qui contra Idumæam, et Dumam, et Edom vaticinati sunt; Abdias propheta totam prophetiam contra hanc dirigit nationem, quem ut potuimus olim disseruimus. Arguitur igitur Seir, qui quia hispidus erat pilosi nomen accepit. Et Edom sanguinarius, qui ob lenticulæ rufæ coctionem primogenita perdidit, et ab edulio sortitus vocabulum est. Esau quoque facta interpretantur. Et hoc sciendum, quod in Hebræo nunquam scribatur Idumæa, sed semper D Edom, quem Idumæa expressit Græca translatio. Nequaquam ergo Idumæa ut Moab locutus est, sed fecit ultionem de filiis Juda, peccavitque, sive memoriam pristini doloris tenuit, ut ultionem de eis caperet, a quibus in utero supplantatus est, idcirco non per angelos, neque per alium quemlibet, sed ipse Dominus manum extendens super Idumæam, abstulit de ea hominem et jumentum, et civitates illius redegit in desertum, id est, Theman, quam nos in austrum vertimus. De qua et de alia urbe Dedan interfecti gladio cadent. Cumque illi se de Juda ulti fuerint, ego dabo ultionem super Idumæos per manum, sive in manu populi mei Israel, ut ab his opprimantur, in quos exercuere vindictam; qui facient in Edom

sive Idumæam juxta iram et furorem meum, ut meam expleant indignationem. Et per manus populi mei Israel inimicam gentem mea ira deszeviat, et intelligant contra iniquam ultionem Idumææ meam justam fuisse vindictam, dicit Adonai Dominus. Secundum tropologiam hic mihi sensus videtur: Idumæa terrena appellatur, et carnea quæ consurgit contra spiritum, ut non faciamus ea quæ spiritus sunt, et animam in meditullio positam ad se retrahere festinat, vultque ultiones reddere quibus prius subdita fuerat filiis Juda, et recordatur doloris antiqui, quod non propriæ fuerit potestatis. Et ideo vindictam expetit de eis, qui recedentes a carne spiritum sequebantur. Propterea ipse Dominus filiorum Juda ultor existens, extendit manum super Idumæam, et aufert de ea hominem et jumentum. Quidquid vel rationis videtur habere, vel simplicis fidei, ut eam redigat in solitudinem, et de Theman quæ interpretatur deficiens, et Dedan, quæ et ipsa cognationem sonat, omnes gladio interficit. Quem posuit in manu populi sui Israel, ut subvertatur Edom, et iram sentiat Domini ac furorem, et intelligat vindictam ejus ad hoc profecisse, ut serviat domui Judæ. Hoc est illud de quo et Apostolus disputat scribens: « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* IX). » Diligit autem Jacob, quia carneum atque terrenum supplantat et superat, et benedictiones illius meretur accipere. Primum enim juxta carnem, et postea juxta spiritum vivimus. Ante vitia, deinde virtutes quibus vitia subruuntur. Quia appositum cor hominis ad malitiam a pueritia, erroresque adolescentiæ ætas matura condemnat. Unde et David: « Delicta, inquit, juventutis et ignorantias meas ne memineris (*Psal.* XXIV). » Et tamen sciendum, quod Jacob primam accepit benedictionem, Esau secundam: et ad extremum dicitur de eo: « Servus eris fratris tui (*Gen.* XXVII), » et postquam spiritui caro subjecta fuerit, illique conjuncta, caro esse desistat, et Idumæa transeat in Judæam.

« Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quod fecerunt « Palæstini vindictam, et ulti se sunt toto animo « interficientes et implentes inimicitias veteres. « Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego « extendam manum meam super Palæstinos, et in« terficiam interfectores, et perdam reliquias mari« timæ regionis, faciamque in eis ultiones magnas, « arguens in furore. Et scient quia ego Dominus, « cum dedero vindictam meam super eos. » Post filios Ammon Moab et Seir, qui ipsi sunt Idumæi, et per Loth et Esau populo Israel, et domui Judæ cognatione sociantur. Venit ad Philistiim, quos Septuaginta allophulous, id est, alienigenas transtulerunt, non generali nomine omnium gentium, quæ non sunt de genere Judæorum, sed speciali gentis suæ quæ nunc dicitur Palæstina mutata *phe* littera juxta Græcorum consuetudinem in π, sicut apud nos pro Hebraico *phase* Græcum et Latinum *Pascha* celebratur. Philistiim interpretantur cadentes poculo, qui et ipsi de aureo Babylonis calice inebriati sunt. Et sæviunt, et toto animo insultant inimicitiarum contra Israel veterum recordantes, quibus a Dei populo divisi sunt. Cumque Dominus dicat: « Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus, » ipsi se ulciscuntur interficientes et implentes antiqua odia: propter quæ extentam super se manum Domini sentient, qui interficiet interfectores. Pro quo, Septuaginta nescio quid volentes, « Cretenses » interpretati sunt, cum et Aquila et Symmachus et Theodotio ipsum verbum Hebraicum, *chorethim*, vel interfectores vel interfectionem verterint, non solum in præsenti loco, sed etiam in Sophonia, ubi contra Palæstinos ista dicuntur (*Soph.* II): « Gaza direpta erit, et Ascalon, in perditionem, et Azotus et Accaron eradicabuntur. Væ habitatoribus funiculi maris, accolæ Cretarum. Verbum Domini super vos Chanaan terra alienigenarum. Et disperdam vos ex habitatione. Et erit Creta in pabulum pastorum, et cubili ovium. » Et hic enim cum Septuaginta *Cretam* verterint, cæteri translatores κάρρον, id est, interfectionem vel perditionem interpretati sunt, de quo in supradicto propheta, Deo præstante quod nobis visum est diximus. Unde et duarum legionum David, quarum una appellabatur Phelethi, et altera Cerethi, ultima ab eo quod interficerent, atque jugularent, *Choretim*, hoc est interfectorum nomen accepit. Perditque Dominus omnes reliquias maritimæ regionis, quæ salsis tunditur fluctibus et vindictas non parvas, sed magnas faciet in furore, ut furor ejus finem habeat misericordiæ. Et postquam ultiones fecerit arguens cum furore, tunc cognoscant Palæstini quod ipse sit Dominus.

CAPUT XXVI.

Tyrus quia exsultavit super contritiones Jerusalem, prædicatur destruenda per Nabuchodonosor.

« Et factum est in undecimo anno, prima mensis, « factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili homi« nis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem, euge, « confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad « me: implebor: deserta est, propterea hæc dicit « Dominus Deus: Ecce ego super te, Tyre, et ascen« dere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit « mare fluctuans, et dissipabunt muros Tyri, et de« struent turres ejus. Et radam pulverem ejus de « ea, et dabo eam in limpidissimam petram. Sicca« tio sagenarum erit in medio maris, quia ego lo« cutus sum, ait Dominus Deus, et erit in direptio« nem gentibus. Filiæ quoque ejus quæ sunt in agro, « gladio interficientur. Et scient quia ego Domi« nus. » Consequenter prophetiæ ordo contexitur: Locutus erat contra filios Ammon et Moab et Seir, qui ipsi sunt Idumæi, et Philistiim qui sunt in littore, et in funiculo maris eumdem limitem tenent. Post Palæstinos enim, succedit Phœnicis regio, cujus metropolis est civitas Tyrus, quæ appellatur Hebræo Syroque sermone *Sor*. Et quia etiam ipsa gavisa est, et insultavit ac dixit, « Confractæ sunt portæ populorum; » ego portum tutissimum habeo, illaque subversa ad me omnis multitudo conversa est,

quæ illius regebatur arbitrio. Et quia illa deserta est, idcirco ego implebor, sive quæ plena fuit ante, redigetur in solitudinem. Igitur ista dixisti, et ruinis Jerusalem quæ Dei judicio propter peccata subversa est, insultasti. Propterea non per nuntios, nec per quoslibet alios, sed ego ipse ero adversum te, Tyre, et instar fluctuum maris ascendere faciam contra te Babylonios, cum plurimis nationibus, quarum oppugnatione muri tui, et turres destruentur, intantum ut usque ad solum concidant, et pulvis illius radatur, sive in partes varias ventiletur, et sic humiliabitur, ut petræ nitidissimæ comparetur; tantaque erit in urbe quondam frequentissima solitudo, ut sagenæ piscatorum expandantur, et siccentur in medio ejus. Ego enim locutus sum Dominus, cujus verba irrita esse non possunt. « Et tradam eam in direptionem gentibus. » Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro, sive in campo, hoc est in Phœnicis littore, urbes et oppida, vici, atque castella, interficientur gladio. Μεταφορικῶς qui filias appellavit, interfectionem ponit gladii, ut rerum fine cognoscant me esse Dominum, qui fieri ista præcepi. Potest juxta tropologiam, quæ Sor nomen Hebraicum vertitur in angustiam, omnis enim anima quæ perturbationibus occupata est, *Sor* appellari, quæ quando viderit pro suis vitiis atque peccatis Dei judicio subverti Jerusalem, in qua fuit templum et pacis visio, exsultat et ad se putat urbis quondam inclytæ imperium transferendum. Quod et in contrariis dogmatibus accipitur, et in hominibus sæculi, quando viderint hominem sanctum per negligentiam esse prolapsum, gaudent et exsultant, quasi aliorum ruina, sua resurrectio sit. Propterea Dominus comminatur, quod ipse contra eos hujuscemodi homines dimicet, et ascendere faciat contra eos instar marinorum fluctuum plurimas nationes, quæ destruant in eis quidquid munitissimum et firmum videtur, et ita omnia eorum argumenta subvertat, ut in pulverem redigantur. Sagenas quoque et retia quibus prius deceptam multitudinem piscabantur, cessare faciat, et in desertæ urbis solo expandi atque siccari ut pro illis alii subeant piscatores, quos Dominus ad piscandum misit. Sed et filias ejus quæ prius quasi in thalamo servabantur, et pro mysticis secretioribusque doctrinis, nulli facile credebantur processuras protrahendasque in publicum, et ecclesiastico mucrone truncandas, ut tunc intelligant quod ipse sit Dominus, qui et Hierusalem pro peccatis parumper reliquit, et Tyri pro insultatione ejus et gaudio munimenta destruxit.

« Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum cum equis et curribus et equitibus, et cœtu populoque magno, filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet. Et circumdabit te munitionibus, et comportabit aggerem in gyro. Et levabit contra te clypeum, et lanceas et arietes temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet in armatura sua. Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum, a sonitu equitum, et rotarum et curruum movebuntur muri tui. Dum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitus urbis dissipatæ, ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas, populum tuum gladio cædet, et statuæ tuæ nobiles in terram corruent. Vastabunt opes tuas, diripient negotiationes, et muros tuos destruent, et domos tuas præclaras subvertent, et lapides tuos et ligna tua, et pulverem tuum in medio aquarum ponent. Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, et sonitus cythararum tuarum non audietur amplius. Et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis ultra, quia ego locutus sum, dicit Dominus Deus. » Ergo quod dixerat ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. Et eris Tyrus in direptionem gentibus: tunc ponit manifestius quod Nabuchodonosor regem Babylonis adducat Dominus ab aquilone, regem regum, cum equis et curribus, et cum infinita exercitus multitudine, qui prius subditas Tyro in littore civitates et castella subvertat, et postea obsideri faciat Tyrum valletque eam exercitu, et aggere, et munitionibus clypeisque et arietibus impugnet muros et destruat; et tanta sit multitudo equitum ejus, ut pulvere equitatus et sonitu ululantis exercitus, rotarumque strepitu, et equorum hinnitu, urbis fundamenta moveantur, et sic ingrediatur civitatem dissipatis muris, quasi de campo securus ingrediens, tantaque securitas sit vincentis exercitus, ut plateas Tyri conculcent equorum ungulæ, et omnis populus in medio corruat civitatis, et statuæ quondam nobiles, sine universa substantia in terram corruat, nihilque pristinarum divitiarum in expugnata urbe servetur, sed cum muris domus quoque nobiles destruantur. Et tanta sit victorum sævitia, ut ligna et lapides qui residui incendio fuerint, in medium mare projiciantur. Et vel Nabuchodonosor vel ipse Dominus quiescere faciat universam urbis lætitiam, qua prius in canticis et psalteriis personabat. Et ad solum usque subversa sit siccatio sagenarum. Quod autem sequitur, « nec ædificaberis ultra, » videtur facere quæstionem quomodo non sit ædificata, quam hodie cernimus Phœnicis nobilissimam et pulcherrimam civitatem; ex quo quidam volunt in ultimo tempore hæc Tyrum esse passuram, quæ postea non sit ædificanda. Sed quomodo Nabuchodonosor personam servare poterunt, præsertim cum legamus in consequentibus Nabuchodonosor oppugnasse Tyrum, et laboris sui non accepisse mercedem, et propterea tradi ei Ægyptum, quia Dei sententiæ in Tyro oppugnatione servierit? Græcas et Phœnicum maximeque Nicolai Damasceni, et alias barbarorum aiunt se qui huc historiæ contradicunt legisse historias, et nihil super oppugnatione a Chaldæis invenisse Tyriæ civitatis; cum probare possimus multa dici in Scripturis facta, quæ in Græcis voluminibus non inveniantur. Nec debere nos eorum auctoritati acquiescere, quorum perfidiam

sive Idumæam juxta iram et furorem meum, ut meam expleant indignationem. Et per manus populi mei Israel inimicam gentem mea ira desæviat, et intelligant contra iniquam ultionem Idumææ meam justam fuisse vindictam, dicit Adonai Dominus. Secundum tropologiam hic mihi sensus videtur : Idumæa terrena appellatur, et carnea quæ consurgit contra spiritum, ut non faciamus ea quæ spiritus sunt, et animam in meditullio positam ad se retrahere festinat, vultque ultiones reddere quibus prius subdita fuerat filiis Juda, et recordatur doloris antiqui, quod non propriæ fuerit potestatis. Et ideo vindictam expetit de eis, qui recedentes a carne spiritum sequebantur. Propterea ipse Dominus filiorum Juda ultor existens, extendit manum super Idumæam, et aufert de ea hominem et jumentum. Quidquid vel rationis videtur habere, vel simplicis fidei, ut eam redigat in solitudinem, et de Theman quæ interpretatur deficiens, et Dedan, quæ et ipsa cognationem sonat, omnes gladio interficit. Quem posuit in manu populi sui Israel, ut subvertatur Edom, et iram sentiat Domini ac furorem, et intelligat vindictam ejus ad hoc profecisse, ut serviat domui Judæ. Hoc est illud de quo et Apostolus disputat scribens : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Rom.* IX). » Diligit autem Jacob, quia carneum atque terrenum supplantat et superat, et benedictiones illius meretur accipere. Primum enim juxta carnem, et postea juxta spiritum vivimus. Ante vitia, deinde virtutes quibus vitia subruuntur. Quia appositum cor hominis ad malitiam a pueritia, erroresque adolescentiæ ætas matura condemnat. Unde et David : « Delicta, inquit, juventutis et ignorantias meas ne memineris (*Psal.* XXIV). » Et tamen sciendum, quod Jacob primam accepit benedictionem, Esau secundam : et ad extremum dicitur de eo : « Servus eris fratris tui (*Gen.* XXVII), » et postquam spiritui caro subjecta fuerit, illique conjuncta, caro esse desistat, et Idumæa transeat in Judæam.

« Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod fecerunt « Palæstini vindictam, et ulti se sunt toto animo « interficientes et implentes inimicitias veteres. « Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego « extendam manum meam super Palæstinos, et in- « terficiam interfectores, et perdam reliquias mari- « timæ regionis, faciamque in eis ultiones magnas, « arguens in furore. Et scient quia ego Dominus, « cum dedero vindictam meam super eos. » Post filios Ammon Moab et Seir, qui ipsi sunt Idumæi, et per Loth et Esau populo Israel, et domui Judæ cognatione sociantur. Venit ad Philistiim, quos Septuaginta allophulous, id est, alienigenas transtulerunt, non generali nomine omnium gentium, quæ non sunt de genere Judæorum, sed speciali gentis suæ quæ nunc dicitur Palæstina mutata *phe* littera juxta Græcorum consuetudinem in π, sicut apud nos pro Hebraico *phase* Græcum et Latinum *Pascha* celebratur. Philistiim interpretantur cadentes poculo, qui et ipsi de aureo Babylonis calice inebriati sunt. Et sæviunt, et toto animo insultant inimicitiarum contra Israel veterum recordantes, quibus a Dei populo divisi sunt. Cumque Dominus dicat : « Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus, » ipsi se ulciscuntur interficientes et implentes antiqua odia : propter quæ extentam super se manum Domini sentient, qui interficiet interfectores. Pro quo Septuaginta nescio quid volentes, « Cretenses » interpretati sunt, cum et Aquila et Symmachus et Theodotio ipsum verbum Hebraicum, *chorethim*, vel interfectores vel interfectionem verterint, non solum in præsenti loco, sed etiam in Sophonia, ubi contra Palæstinos ista dicuntur (*Soph.* II) : « Gaza direpta erit, et Ascalon, in perditionem, et Azotus et Accaron eradicabuntur. Væ habitatoribus funiculi maris, accolæ Cretarum. Verbum Domini super vos Chanaan terra alienigenarum. Et disperdam vos ex habitatione. Et erit Creta in pabulum pastorum, et cubili ovium. » Et hic enim cum Septuaginta *Cretam* verterint, cæteri translatores κάῤῥον, id est, interfectionem vel perditionem interpretati sunt, de quo in supradicto propheta, Deo præstante quod nobis visum est diximus. Unde et duarum legionum David, quarum una appellabatur Phelethi, et altera Cerethi, ultima ab eo quod interficerent, atque jugularent, *Choretim*, hoc est interfectorum nomen accepit. Perditque Dominus omnes reliquias maritimæ regionis, quæ salsis tunditur fluctibus et vindictas non parvas, sed magnas faciet in furore, ut furor ejus finem habeat misericordiæ. Et postquam ultiones fecerit arguens cum furore, tunc cognoscant Palæstini quod ipse sit Dominus.

CAPUT XXVI.

Tyrus quia exsultavit super contritiones Jerusalem, prædicatur destruenda per Nabuchodonosor.

« Et factum est in undecimo anno, prima mensis, « factus est sermo Domini ad me, dicens : Fili homi- « nis, pro eo quod dixit Tyrus de Jerusalem, euge, « confractæ sunt portæ populorum, conversa est ad « me : implebor : deserta est, propterea hæc dicit « Dominus Deus : Ecce ego super te, Tyre, et ascen- « dere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit « mare fluctuans, et dissipabunt muros Tyri, et de- « struent turres ejus. Et radam pulverem ejus de « ea, et dabo eam in limpidissimam petram. Sicca- « tio sagenarum erit in medio maris, quia ego lo- « cutus sum, ait Dominus Deus, et erit in direptio- « nem gentibus. Filiæ quoque ejus quæ sunt in agro, « gladio interficientur. Et scient quia ego Domi- « nus. » Consequenter prophetiæ ordo contexitur : Locutus erat contra filios Ammon et Moab et Seir, qui ipsi sunt Idumæi, et Philistiim qui sunt in littore, et in funiculo maris eumdem limitem tenent. Post Palæstinos enim, succedit Phœnicis regio, cujus metropolis est civitas Tyrus, quæ appellatur Hebræo Syroque sermone *Sor*. Et quia etiam ipsa gavisa est, et insultavit ac dixit, « Confractæ sunt portæ populorum; » ego portum tutissimum habeo, illaque subversa ad me omnis multitudo conversa est,

quæ illius regebatur arbitrio. Et quia illa deserta est, idcirco ego implebor, sive quæ plena fuit ante, redigetur in solitudinem. Igitur ista dixisti, et ruinis Jerusalem quæ Dei judicio propter peccata subversa est, insultasti. Propterea non per nuntios, nec per quoslibet alios, sed ego ipse ero adversum te, Tyre, et instar fluctuum maris ascendere faciam contra te Babylonios, cum plurimis nationibus, quarum oppugnatione muri tui, et turres destruentur, intantum ut usque ad solum concidant, et pulvis illius radatur, sive in partes varias ventiletur, et sic humiliabitur, ut petræ nitidissimæ comparetur; tantaque erit in urbe quondam frequentissima solitudo, ut sagenæ piscatorum expandantur, et siccentur in medio ejus. Ego enim locutus sum Dominus, cujus verba irrita esse non possunt. « Et tradam eam in direptionem gentibus. » Filiæ quoque ejus, quæ sunt in agro, sive in campo, hoc est in Phœnicis littore, urbes et oppida, vici, atque castella, interficientur gladio. Μεταφορικῶς qui filias appellavit, interfectionem ponit gladii, ut rerum fine cognoscant me esse Dominum, qui fieri ista præcepi. Potest juxta tropologiam, quæ Sor nomen Hebraicum vertitur in angustiam, omnis enim anima quæ perturbationibus occupata est, *Sor* appellari, quæ quando viderit pro suis vitiis atque peccatis Dei judicio subverti Jerusalem, in qua fuit templum et pacis visio, exsultat et ad se putat urbis quondam inclytæ imperium transferendum. Quod et in contrariis dogmatibus accipitur, et in hominibus sæculi, quando viderint hominem sanctum per negligentiam esse prolapsum, gaudent et exsultant, quasi aliorum ruina, sua resurrectio sit. Propterea Dominus comminatur, quod ipse contra eos hujuscemodi homines dimicet, et ascendere faciat contra eos instar marinorum fluctuum plurimas nationes, quæ destruant in eis quidquid munitissimum et firmum videtur, et ita omnia eorum argumenta subvertat, ut in pulverem redigantur. Sagenas quoque et retia quibus prius deceptam multitudinem piscabantur, cessare faciat, et in desertæ urbis solo expandi atque siccari ut pro illis alii subeant piscatores, quos Dominus ad piscandum misit. Sed et filias ejus quæ prius quasi in thalamo servabantur, et pro mysticis secretioribusque doctrinis, nulli facile credebantur processuras protrahendasque in publicum, et ecclesiastico mucrone truncandas, ut tunc intelligant quod ipse sit Dominus, qui et Hierusalem pro peccatis parumper reliquit, et Tyri pro insultatione ejus et gaudio munimenta destruxit.

« Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego adducam « ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab « aquilone, regem regum cum equis et curribus et « equitibus, et cœtu populoque magno, filias tuas quæ « sunt in agro, gladio interficiet. Et circumdabit te « munitionibus, et comportabit aggerem in gyro. Et « levabit contra te clypeum, et lanceas et arietes « temperabit in muros tuos, et turres tuas destruet « in armatura sua. Inundatione equorum ejus ope-

A « riet te pulvis eorum, a sonitu equitum, et rotarum « et curruum movebuntur muri tui. Dum ingressus « fuerit portas tuas quasi per introitus urbis dissi- « patæ, ungulis equorum suorum conculcabit omnes « plateas tuas, populum tuum gladio cædet, et statuæ « tuæ nobiles in terram corruent. Vastabunt opes « tuas, diripient negotiationes, et muros tuos de- « struent, et domos tuas præclaras subvertent, et « lapides tuos et ligna tua, et pulverem tuum in me- « dio aquarum ponent. Et quiescere faciam multi- « tudinem canticorum tuorum, et sonitus cythara- « rum tuarum non audietur amplius. Et dabo te « in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris, « nec ædificaberis ultra, quia ego locutus sum, di- « cit Dominus Deus. » Ergo quod dixerat ascendere

B faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. Et eris Tyrus in direptionem gentibus: tunc ponit manifestius quod Nabuchodonosor regem Babylonis adducat Dominus ab aquilone, regem regum, cum equis et curribus, et cum infinita exercitus multitudine, qui prius subditas Tyro in littore civitates et castella subvertat, et postea obsideri faciat Tyrum valletque eam exercitu, et aggere, et munitionibus clypeisque et arietibus impugnet muros et destruat; et tanta sit multitudo equitum ejus, ut pulvere equitatus et sonitu ululantis exercitus, rotarumque strepitu, et equorum hinnitu, urbis fundamenta moveantur, et sic ingrediatur civitatem dissipatis muris, quasi de campo securus ingrediens, tantaque securitas sit vincentis exercitus, ut plateas

C Tyri conculcent equorum ungulæ, et omnis populus in medio corruat civitatis, et statuæ quondam nobiles, sine universa substantia in terram corruat, nihilque pristinarum divitiarum in expugnata urbe servetur, sed cum muris domus quoque nobiles destruantur. Et tanta sit victorum sævitia, ut ligna et lapides qui residui incendio fuerint, in medium mare projiciantur. Et vel Nabuchodonosor vel ipse Dominus quiescere faciat universam urbis lætitiam, qua prius in canticis et psalteriis personabat. Et ad solum usque subversa sit siccatio sagenarum. Quod autem sequitur, « nec ædificaberis ultra, » videtur facere quæstionem quomodo non sit ædificata, quam hodie cernimus Phœnicis nobilissimam et pulcherrimam civitatem; ex quo quidam volunt in

D ultimo tempore hæc Tyrum esse passuram, quæ postea non sit ædificanda. Sed quomodo Nabuchodonosor personam servare poterunt, præsertim cum legamus in consequentibus Nabuchodonosor oppugnasse Tyrum, et laboris sui non accepisse mercedem, et propterea tradi ei Ægyptum, quia Dei sententiæ in Tyro oppugnatione servierit? Græcas et Phœnicum maximeque Nicolai Damasceni, et alias barbarorum aiunt se qui huc historiæ contradicunt legisse historias, et nihil super oppugnatione a Chaldæis invenisse Tyriæ civitatis; cum probare possimus multa dici in Scripturis facta, quæ in Græcis voluminibus non inveniantur. Nec debere nos eorum auctoritati acquiescere, quorum perfidiam

et mendacia detestamur. Potest ergo quod dicitur, « nec ædificaberis ultra, » sic accipi, quod nequaquam ultra sit regina populorum, nec proprium habeat imperium, quomodo habuit sub Hiran et cæteris regibus, sed vel Chaldæis, vel Macedonibus, vel Ptolomæis, et ad postremum Romanis regibus servitura sit. Nulli autem ambiguum juxta anagogen Nabuchodonosor regem Babylonis qui venit ab aquilone, diabolum intelligi; qui cum sit ventus durissimus, et sinister nomine dexter vocatur, præsumens sibi nominis dignitatem. Et est rex regum omniumque regnorum quæ ostendit Domino, dixitque ad eum: « Hæc omnia mihi tradita sunt, quæ dabo tibi, si procidens adoraveris me (*Matth.* IV). » Iste habet equos et currus, de quibus scriptum est: « Fallax equus in salutem (*Psal.* XXXII). » Et: « Dormierunt omnes qui ascendunt equos (*Psal.* LXXV). » Et in alio loco: « Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* XV). » Iste filias Tyri, animas in angustia et in quodam peccatorum carcere positas interficit in agro campoque latissimo, et circumdat Tyrum munitionibus suis, ut clausam teneat, et nullus ex ea Babylonii regis evadere possit imperium. Destruit muros turresque subvertit, et quidquid forte habuit in dogmatibus, inundatione equorum ejus, et sonitu equitum rotarumque et curruum strepitu pertremiscet, et ingredietur portas ejus nullo prohibente, et plateas civitatis: « Quia lata et spatiosa via est quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII); » equorum ejus calcabunt ungulæ, universamque substantiam, sive statuas nobiles quibus sibi imagines fixerant falsitatis, de quibus scriptum est: « Domine, in civitate tua imaginem eorum dissipabis, » ad terram dejiciet (*Psal.* LXXII). Et destructis muris, domus quoque nobiles subvertentur, quas sibi paraverat, et in quibus exsultabat: atque in tantam desolationem veniet, ut et lapides ejus et ligna quibus ædificaverat muros et cœmenta construxerat, projiciant in profundum: canticaque ejus et musica, quibus sibi in sapientia hujus sæculi confidebat; et omnes cithararum sonus non audietur amplius, et piscatio ejus cessabit, et erit humilis ita ut sit siccatio sagenarum, et ultra non ædificetur, quia ad Domini sententiam tradita Nabuchodonosor omnino subversa est, juxta quod et Apostolus dicit: « Quos tradidi Satanæ ut discant non blasphemare (*I Tim.* I). » Loca difficilia sunt, et prudens lector ac diligens debet ignoscere labori meo; aut si melius quid potuerit invenire, et ego in ejus transibo sententiam, dummodo noverit veniam, quam mihi tribuet, se ab aliis accepturum.

« Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Nunquid non a « sonitu ruinæ tuæ, et gemitu interfectorum tuorum, « cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur « insulæ? Et descendent de sedibus suis omnes prin- « cipes maris, et auferent exuvias tuas, et vesti- « menta sua varia abjicient, et induentur stupore. « In terra sedebunt, et attoniti super repentino « casu tuo admirabuntur, et assumentes super « te lamentum dicent tibi: Quomodo peristi quæ « habitas in mari, urbs inclyta, quæ fuisti fortis in « mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant « universi? Nunc stupebunt naves in die pavoris tui, « et turbabuntur insulæ in mari eo quod nullus « egrediatur ex te. » Primum ipsa historiæ verba pandamus brevissima, metaphorice sensum dictorum aperientes. « Hæc dicit Adonai Dominus Tyro, » quæ appellatur *Sor*. Nunquid in die ruinæ tuæ quando Nabuchodonosor oppugnante corrueris, et in gemitu vulneratorum sive interfectorum qui occisi fuerint in medio tui, non commovebuntur insulæ? et descendent omnes reges de sedibus sive soliis suis, et principes maris qui diversis imperant insulis, et auferant diademata de capitibus suis, omnem regnandi gloriam deponentes, et vestes pretiosissimas et incredibili varietate fulgentes abjicient a se, et stuporis magnitudine vertentur in amentiam, atque humilitate dejecti, sedebunt in terra: et cum te viderint corruisse, sibi similia formidabunt: nihilque putabunt in terræ bonis esse perpetuum. Sed e contrario assument super te lamentum, et flebile canticum commemorabunt dicentes, quomodo peristi quæ habitabas in mari, urbs inclyta sive laudata? Tyrum enim fuisse insulam, et nullum habuisse de terra introitum, in Græcis Latinisque et barbaris historiis legimus, sed postea a Nabuchodonosor rege Chaldæorum, vel, ut nonnulli affirmant, ab Alexandro rege Macedonum jactos esse aggeres, et oppugnatione vineisque et arietibus locum præparatum, ac de insula factam esse peninsulam. Tu igitur, o Sor, id est, o Tyre, quæ quondam in cunctis fuisti fortissima insulis, sive in *urbibus omnium* voce laudata, cum habitatoribus tuis quos universi timebant, quomodo subito corruisti? « Nunc stupebunt, sive pavebunt super te insulæ. » Et ut melius habetur in Hebræo, « Naves in die pavoris et ruinæ tuæ, et turbabuntur insulæ in mari. » Unde consequentius est supra naves legere, ne secundo ponantur insulæ, eo quod nullus egrediatur ex te, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *in die egressionis tuæ*, quando fueris ducta captiva. Hæc interim quasi quædam historiæ jacta sint fundamenta: nunc spiritale nitemur culmen imponere. Finge aliquem diu servata pudicitia multis floruisse virtutibus, et postea in aliquo gravi mortalique peccato esse collapsum; nonne ad sonitum ruinæ ejus, interfectarumque virtutum omnes insulæ movebuntur, hi videlicet qui salsis amarisque hujus sæculi tunduntur fluctibus? et descendent de throno superbiæ suæ omnes qui in sæculi hujus salsugine principes videbantur, et humilitate dejecti auferent diademata de capitibus suis, quæ videbantur bonis operibus possidere, et vestimenta varia diversitate virtutum abjicient, et induentur stupore, sive timoris magnitudine quodammodo videbuntur insani. Sedebuntque humi et stupentes super repentino casu ejus admirabuntur intantum, ut omnes assumant planctum et lamentationem super eum qui corruit et dicant: Quomodo peristi qui prius salvus eras?

quomodo corruisti, qui tanto tempore steteras, qui in mari hujus sæculi inter omnes inclytos putabaris, qui eras cunctorum opinione robustus? et habitatores tui, hoc est cognationes fortissimæ adversum omnia ignita diaboli jacula resistentes, quæ prius erant formidini omnibus adversariis, versæ sunt in stuporem. Sed et naves, omnes videlicet sancti, qui hujus sæculi fluctibus transeunt, obstupescunt cum te viderint concidisse, in die pavoris et ruinæ tuæ. Et turbabuntur insulæ, ne et ipsæ similia sustineant. Aliorum enim ruinæ exempla justorum sunt, dum omnes infirmo et imbecilli statu fluctuantique vestigio in isto sæculo commoramur. Et nunquam est nostra certa securaque victoria. Quando egredientur ex te qui prius steterant, vel in exitu tuo, in fine, et consummatione tua, non enim ex præteritis, sed ex præsentibus judicamur. Cavendumque est et semper timendum, ne veterem gloriam et solidam firmitatem unius horæ procella subvertat.

« Quia hæc dicit Dominus Deus, cum dedero te « urbem desolatam sicut civitates quæ non habi« tantur, et adduxero super te abyssum, et operue« rint te aquæ multæ, et detraxero te cum his qui « descendunt in lacum ad populum sempiternum, « et collocavero te in terra novissima, sicut solitu« dines veteres cum his qui deducuntur in lacum « ut non habiteris. Porro cum dedero gloriam in « terra viventium, in nihilum redigam te, et non « eris, et requisita non invenieris ultra in sempi« ternum, dicit Dominus Deus. » Cum superioribus junge quæ dicta sunt, quando te dedero, o Tyre, urbem in perpetuum desolatam, sicut civitates aliæ quæ omnino non habitantur, et adduxero super te abyssum, et operient te aquæ multæ, vel hostium infinitæ multitudines, vel certe qui ad insulam loquitur et ad urbem in insula constitutam τροπικῶς adversariorum frequentiam abyssi fluctibus comparat. « Et detraxero te cum his qui descendunt in lacum » sive in foveam, ad eos qui in inferno sunt, de quibus et in psalmis legimus : « Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* LXII); » ad populum sempiternum « ubi est fletus oculorum et stridor dentium. » Et posuero te in terra novissima, in qua antiquus draco constitutus est. Et sicut veteres solitudines atque deserta, ubi nulla bonorum recordatio, sed pœnæ erunt sempiternæ, neque te fecero suscitari in terra viventium, de qua scriptum est : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). » Et in alio loco : « Placebo Domino in regione vivorum (*Psal.* CXIV), » tunc redigeris in nihili, sive peribis in æternum. Et ultra non eris, secundum illud quod in alio loco scriptum est : « Dimitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero (*Psal.* XXXVIII). » Non quod esse desistat, qui in pœnis est sempiternis, sed quod qui Deo non vivit, in Scripturis sanctis dicatur non subsistere. Unde et Esther contra idola loquens, « ne tradas, inquit, sceptrum tuum his qui non sunt (*Esther* IV). » Utique erant quibus obse-

A crat ne tradatur, sed Deo non erant, qui virtutibus, et viventi Deo esse cessarant. Et hoc notandum quod quæritur Tyrus ab eo qui venit quærere, et salvum facere quod perierat. Et nonaginta novem ovibus in montibus derelictis, quærit unam erroneam ovem. Mulier quoque quæ unam drachmam perdiderat, quærit et invenit, et vicinas convocat ad lætitiæ societatem (*Luc.* XV, XIX). Sin autem requisita non invenitur Tyrus, non est quærentis vitium, sed ejus qui boni pastoris fugerit manum. *Et ultra*, inquit, *non eris in sempiternum*, sive ut in Hebraico *lolam*, et in Græco αἰὼν scribitur, unum sæculum significat juxta illud Isaiæ, qui post septuaginta annos dicit Tyrum restituendam in integrum statum. Aiunt autem unum sæculum, id est, humanæ tem-
B pus ætatis septuaginta annorum numero supputari, Psalmista dicente : « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni : sin autem in potentatibus octoginta anni, quidquid supra, labor et dolor est (*Psal.* LXXXIX). » Hic μεταφραστικῶς breviter de Tyro diximus, quod et ad eos referri potest, qui in angustia hujus sæculi constituti, deducuntur ad inferos, et operiuntur abyssis, fluctibusque pœnarum, et trahuntur ad inferiora terræ, et his copulantur qui in veteri solitudine sunt, et deducuntur in lacum, sive in foveam sempiternam, ut ultra non habitentur a Spiritu sancto; de quibus scriptum est : « Impius cum ceciderit in profundum, contemnit. » Nec de cætero erunt in terra viventium, sed peribunt et redigentur ad nihili, et Deo esse cessabunt : quibus te-
C stimoniis abutuntur, qui dicunt impiorum et non peccatorum pœnas esse perpetuas qui quæsiti a Deo non sunt inventi, et in æterno esse cessarunt, quia suo vitio perdiderunt eum qui dicit : « Ego sum vita (*Joan.* XI, XIV). »

CAPUT XXVII.

De fletu et ruina Tyri, quæ comparatur navi. Terrarum negotiationes describuntur.

« Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Tu « ergo, fili hominis, assume super Tyrum lamen« tum, et dices Tyro quæ habitat in introitu maris : « negotiationi populorum ad insulas multas : Hæc « dicit Dominus Deus, » etc. Si voluero totam prophetiam contra Tyrum, sive super lamentatione Tyri,
D uno sermone comprehendere, et longum faciam, et sensum lectoris obscurum, dum omnia simul non potest mente retinere, præcipue in quibus ab Hebraico in hoc loco Septuaginta editio discrepat, hoc est quod addiderint, quæve subtraxerint. Itaque nostra erimus interpretatione contenti, et sicubi dissonant ex latere copulabimus, perfectam omnium Deo sententiam relinquentes : et quid nobis videatur in singulis breviter admonebimus. Qui plangitur adhuc curæ est ei a quo plangitur : unde et Samuel flebat atque plangebat super Saul (*I Reg.* XV). Et apostolus Paulus (*I Cor.* XII) lamentatur, et luget super his qui fornicati sunt, et non egerunt pœnitentiam. Et Jeremias lamentationes super eversione Jerusalem quatuor scribit alphabetis. Habitat

ergo juxta litteram Tyrus sive *Sor* in introitu ma- A ris, vel quod prius insula fuit, vel quod portu tutissimo de alto venientes recipit naves. Et est negotiatio populorum ad insulas multas, sive de insulis multis. Quod quidem usque hodie perseverat, ut omnium in illa propemodum gentium exerceantur commercia. Cœptam autem interpretationem sequentes quidquid de Tyro dicitur referamus ad angustias istius mundi, qui in maligno positus est, et variis perturbationibus quasi fluctibus coarctatur atque percutitur. De hujuscemodi negotiatoribus et in psalmo mystico sermone narratur : « Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo (*Psal.* CVI). »

« O Tyre, tu dixisti : Perfecti decoris ego sum, et B « in corde maris sita. » Primum crimen est Tyri si quid videtur habere boni, non Dei putare, sed suum, et omnem pulchritudinem, quæ illi de diversis venit regionibus, propriæ æstimare diligentiæ atque virtutis. Dixit enim, « Perfecti decoris ego sum, » sive ego mihi circumdedi decorem, cum sit in corde hoc est in medio maris sita, et quasi insula moveatur et fluctuet, et undarum illisionibus confringatur. Quod autem cor maris medium significet, et ille propheticus sermo demonstrat : « Propterea non timebimus cum turbata fuerit terra, et translati montes in cor maris : sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum (*Psal.* XLV). » Sed et Dominus noster in corde terræ, hoc est in medio, et ad inferos dicitur descendisse. Vera autem et perfecta pulchritudo in nullo C hominum nisi in Christi corpore, quod interpretatur Ecclesia, et multorum sanctorum virtutibus congregatur. Unde et ipse loquitur ad sponsam : « Tota pulchra es, proxima mea, et macula non est in te (*Cant.* IV). »

« Finitimi tui qui te ædificaverunt impleverunt « decorem tuum. Abietibus de Sanir exstruxerunt te « cum omnibus tabulatis maris. Cedrum de Libano « tulerunt ut facerent tibi malum. » O igitur, Tyre, quæ dixisti per superbiam, « Perfecti decoris ego sum, sive ego decorem mihi circumdedi, cum sis sita in medio mari, audi quanta tibi Dei largitate collata sint. Finitimi et contermini tui, qui non de longinquis sed de vicinis sunt regionibus, ipsi impleverunt decorem tuum; et tu putas tuum esse quod D alienum est? Et loquitur quasi ad navem τροπικῶς, urbis significans pulchritudinem, et rerum omnium abundantiam, ut postquam universam illius supellectilem descripserit, malum, antennas, remos, vela, proram, carinam, funes, opertoria, pelles, et cætera, quibus navium optime instructarum usus indiget, tunc tempestatem illi, et ventum austrum quo fluctus maximi commovebuntur, venire denuntiet, et eam subjacere naufragio; per quæ significat urbis Tyriæ eversionem a rege Nabuchodonosor, sive, ut multi putant, ab Alexandro rege Macedonum, qui sex mensibus ipsam urbem obsedisse et cepisse narratur postquam Darium vicit in Lycia. Juxta mysticos intellectus abietibus sive cedris de Sanir, navis Tyriæ tabulata cæduntur, quibus texitur atque compingitur, et cedro sive cyparisso de Libano malus ejus; abietibus propter levitatem juncturasque tabularum mollius invicem se tenentium atque mordentium, sive cedris, quod lignum imputribile est. De Sanir autem dicitur quod interpretatur via lucernæ, aut, ut nos verius arbitramur, Deus vigiliarum, eo quod omnis navis prosperitas et illustratio venerit ex vero lumine. Sanir autem mons juxta litteram ipse est qui et Hermon, quem alii vocant Sanior: lege historiam. Libanus interpretatur candor sive dealbatio, quod et ipsum ad gratiam pertinet aliunde venientem.

« Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos, « transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, et prætoriola de insulis Italiæ. » Quanta pulchritudo navis et supellectilis ejus, ut remos haberet cedrinos, non undelibet, sed de Basan, et transtra eburnea et præteriola sive cellaria in quibus merces pretiosissimæ reponuntur, de insulis Chettiim, quod nos in Italiam vertimus, ex ea regione quæ Græciæ propinquior est, omnes occidentalium insularum partes intelligentes. Dicamus ergo juxta ἀναγωγήν remos fieri navis Tyriæ de Basan, de qua et in psalmis scribitur : « Dixit Dominus, de Basan convertam, convertam de profundo maris (*Psal.* LXVII). » Et ignominiam peccatorum convertit Dominus, et convertit in remos, ut cum apostolis navigantes possint ad terram et ad littora pervenire. Et fiunt transtra de ebore, cum mortificaverint corpora sua, vel usum dentium ad laudes Dei contulerint. Et prætoriola sive cellaria de insulis Chettiim, quæ juxta Hebraici sermonis etymologiam vertitur in percussam, ut plagis diaboli non tam interfecta sit quam probata. Possumus ex ebore et sylvestres domos dicere de insulis Chettiim, quas hæretici non in domo Dei, sed in navi Tyria fabricare conantur: et ipsi habentes ebur suum sermonis, et linguæ ædificantes templa Dei templo contraria, et domos sylvestres, habitacula bestiarum, cum Scriptura dicat in domo Dei nemora et sylvas et lucos non esse plantandos.

« Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum « ut poneretur in malo, hyacinthus et purpura de insulis elisa facta sunt operimentum tuum. » Quia dixerat Tyrus : « Perfecti decoris ego sum, » vel « circumdedi mihi ipsa pulchritudinem, » arguitur quid a singulis acceperit regionibus, secundum illud Scripturæ : « Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (*I Cor.* IV.) » Describitur ergo quid unaquæque mittat provincia, secundum illud Virgilianum :

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi :
At Calybes duri ferrum, virosaque Pontus
Castorea, etc.

Byssus in Ægypto quam maxime nascitur, ex qua contextum est Tyriæ navis velum, quod suspenditur malo, et operimentum illius, quod in solis ca-

lore atque tranquillo nautis atque vectoribus præbet umbraculum : de hyacintho et purpura fit, quæ sunt de insulis, Elisa Ionii maris sic appellans insulas; porro juxta LXX de bysso in stratum et requiem Tyriæ navis velamenta texuntur, ut his operta gloriosior sit, et circumdata amictum habeat pulchriorem : byssum autem referri ad terram, quia ex terra oritur, et hyacinthum ad aerem, purpuram ad mare ex quo conficitur, addito coccino bis tincto, quibus pontificis vestimenta texuntur, sæpe admonuimus quod quatuor elementa significent, terram, ignem, aerem, et aquas, ex quibus constant omnia, quæ sibi assumpsit Tyrus, ut Dei creaturis non utatur cum gratia, sed dicat, « Perfecti decoris ego sum, » vel decorem mihi ipsa circumdedi.

« Habitatores Sidonis et Aradii fuerunt remiges « tui. Sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores « tui. senes Giblii et prudentes ejus præbuerunt nau« tas, ad ministerium variæ supellectilis tuæ. Omnes « naves maris et nautæ earum fuerunt in populo ne« gotiationis tuæ. » Dixerat supra : « Finitimi tui qui te ædificaverunt impleverunt decorem tuum, » antequam veniant ad eos qui longe habitant, proximarum provinciarum describit auxilia. Habitatores, inquit, tui, sive principes Sidonis et Aradii, quæ vicina est insula, remiges tui; sapientes tui, o Tyre, facti sunt gubernatores tui. Ad sapientes enim proprie pertinet gubernatio, Scriptura dicente : « Quibus non est gubernatio, cadunt quasi folia. » Senes sive seniores Giblii et prudentes ejus præbuerunt nautas ad ministerium, sive confortaverunt consilium Tyri, et variam supellectilem præbuerunt. Omnesque maris naves et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis Tyriæ, sive in occidente occidentis. Hoc iterum secundum litteram. Cæterum juxta mysticos intellectus, quia Sidonii interpretantur venatores, et Aradii deponentes, dicemus Tyrum gloriosam et superbissimam civitatem, quæ vento flante postea conterenda est, habere cives sive principes venatores, de quibus scriptum est : « Anima nostra quasi passer erepta est de laqueo venantium (*Psal.* CXXIII). » Ubi enim nos legimus venantium, in Hebræo scriptum est Sidoniorum : Isti venantur incautas animas, in sublimibus constitutas, ad terrena deducunt, et efficiuntur remiges ut ducant eas ad naufragia. Sapientes autem Tyri, qui in malam partem accipiuntur, per quam sapientiores sunt filii tenebrarum ac filiis lucis, ipsi gubernant Tyrum naufragio præparatam. Seniores Giblii et prudentes ejus præbuerunt nautas Tyro ad ministerium, sive confortaverunt consilium ejus. Sacra narrat historia seniores plurimos fuisse a Domino reprobatos, et juniores electos in typum Synagogæ et Ecclesiæ. Senior Cain abjicitur, et Abel junior eligitur. Ismael filius Abraham, alienus a patre est, et Isaac junior hæreditatem accepit; filiorum quoque Isaac senior Esau venator est, et vagatur in saltibus : junior Jacob simpliciter domum habitat. Unde scriptum est et in Malachia : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui (*Malach.* I). » Et certe juxta Apostolum (*Rom.* IX) nihil in matris utero constituti boni vel mali fecerant, nec habebant meritum nec offensam, ut alter eligeretur, et alter abjiceretur, nisi quod in typo, ut diximus, Synagogæ et Ecclesiæ, senior repellitur, et assumitur junior. Omnes, inquit, naves maris et nautæ earum fuerunt in populo negotiationis Tyriæ, sive in occidente occidentis, quomodo dicitur Canticum canticorum, et sæcula sæculorum, et opera operum, ut canticum majus aliis canticis sit, et sæculum prolixius aliis sæculis, opusque cæteris operibus utilius : sic appellatur occidens occidentis, ut magnitudinem occidentalium partium significet. Et pulchræ naves maris et nautæ earum et remiges, qui in Tyriæ navis auxilio sunt, non pergunt ad orientem, nec ad ortum luminis, ubi sol justitiæ nascitur, sed ad occidentem occidentis, ubi lumen occumbit, et unde tenebrarum exordium est.

« Persæ et Lydii, et Libyes erant in exercitu tuo, « viri bellatores tui, clypeum et galeam suspende« runt in te pro ornatu tuo. » Persas fuisse fortissimos, quorum rex Cyrus Isaiæ vaticinio prædicatus, subverso Astiage rege Medorum, Babylonem cœperit, et sacra et sæcularis narrat historia. Lydos quoque illo tempore inter gentes robustissimas reputatos, quorum rex Crœsus ab eodem Cyro captus sit, Xenophon scribit plenissime, et Libyas cum Trogodytis, et Æthiopibus venisse contra Jerusalem in Paralipomenon volumine legimus. Qui quia illis temporibus florentissimi erant et famosi ad prælia pugnatores, Tyriæ urbis defensores esse memorantur, et ad terrendos hostes scuta et galeas in murorum propugnaculis suspendisse. Spiritalis autem intelligentia illud sonat, quod Persæ, qui interpretantur tentantes sive tentati, et Lydii, quos generatos intelligimus, et Libyes, qui Hebraico sermone appellantur phut, et vertuntur in os ab ore non ab osse, frustra Tyrum nitantur defendere, dum tentatione superentur et generationi ac libidini serviant, cassaque tantum verba multiplicent, non habentes galeam salutis, nec scutum fidei, sed gloriam tantum strepitumque sermonum prætendant ad ornatum illius.

« Filii Aradii cum exercitu suo erant super mu« ros tuos in circuitu. Sed et Pigmæi, qui erant in « turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in mu« ris tuis per gyrum, ipsi compleverunt pulchritu« dinem tuam. » (*H.*) Verbum *gamadim*, Aquilæ prima editio *Pigmæos*, Symmachus *Medos*, Septuaginta *custodes*, Theodotio *gomadim*, ipsum Hebraicum interpretati sunt, Aradum insulam, quæ tota sit civitas et contra se positum oppidum Antaradum habeat, vicinaque sit Tyro et prætendat in Phœnicis littore continentis terræ, usque hodie cernimus. Hi sunt in exercitu urbis Tyriæ custodesque turrium ejus, et suspenderunt pharetras suas per gyrum, complentque pulchritudinem ejus, ut sagittarios esse doceant, sive pygmæi sunt, hoc est bellatores, et ad bella promptissimi. Sin autem Aradii deponentes se-

nant, omnis qui prætendit falsi nominis scientiam, et habet in pharetra pectoris sui ignita diaboli jacula, quibus deceptorum corda vulnerat, atque succendat, Aradius appellandus est. Cupit enim deponere eos qui nituntur ad alta conscendere, et complet pulchritudinem Tyri, de qua et in Proverbiis scriptum est : « Non te decipiat pulchritudinis desiderium, ne capiaris oculis tuis. » Et iterum : « Sicut inauris in naribus porcæ, sic mulieri male moratæ pulchritudo. »

« Carthaginienses negotiatores tui a multitudine « cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno plum« boque repleverunt nundinas tuas. » Non solum in præsenti loco, sed et in Isaia scriptum est : « Ululate, naves Carthaginis (*Isa.* XXIII). » Cæteri interpretes verbum hebraicum transtulerunt *Tharsis*, quam coloniam esse Tyriorum nulli dubium est. Ipsi de Occidentis partibus argento, ferro, stagno et plumbo Tyri nundinas compleverunt : Tharsis in lingua nostra sonat *exploratio gaudii*. Exploratores autem hic non in bonam partem debemus intelligere, quales Moyses miserat ad explorandam terram repromissionis, sed in contrarium, quales et Apostolus vitare se dicit, « propter subintroductos falsos fratres, qui intraverunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo (*Gal.* II). » Et de quibus Joseph loquitur : « Exploratores estis ; considerare vestigia regionis venistis (*Gen.* XLII). » Fratresque ejus intelligentes crimen esse non modicum, aliena per insidias explorare, responderunt : « Non sunt exploratores servi tui. » Isti ergo nundinas Tyri non auro, nec lapide pretioso, sed argento, ferro, stagno, plumboque multiplicant, habentes eloquii venustatem et arma ad expugnandum, et in stagno eloquii similitudinem, quod mentitur argentum, et in plumbo impietatem gravissimam, juxta Zachariam (*Zach.* V) in quo mulier sedit super talentum plumbi, et Ægyptii demersi sunt in profundum sicut plumbum. Longe singulorum disputatio metallorum, sed brevitati studendum est.

« Græcia, Thubal et Mosoch ipsi institores tui, « mancipia et vasa ænea adduxerunt populo tuo, de « domo Thogorma equos et equites et mulos adduxe« runt ad forum tuum. » Jones, inquit, qui Hebraice appellantur Javan et Thubal, id est, Iberi orientales, vel de Occidentis partibus Hispani, qui ab Ibero flumine hoc vocabulo nuncupantur. Et Mosoch quos Cappadocas intelligimus, quorum metropolis, quæ postea ab Augusto Cæsare, Cæsarea appellata est, usque hodie lingua ipsorum Mazaca dicitur : isti pretiosum Tyri fecere commercium, ut mancipia, et ænea vasa ex Corintho adducerent Tyrum, et de domo Thogorma, id est, de Phrygia equos et equites et mulos, quorum quondam illa provincia maximam habuit copiam. Aiunt Hebræi Græciam, id est, Javan interpretari, Est et non est, quod proprie refertur ad sapientiam sæcularem, in qua si recte aliquid reperiunt, est appellatur : si in contrariam partem, non est. Multa enim naturæ bona et ipsi disserunt de officiis, de continentia, de opibus contemnendis, quod proprie Stoici sibi vindicant, et videntur animas hominum, quos deceperant lucrifacere, habentque vasa ænea, quibus mentiuntur æris similitudinem, quæ ingerunt populis Tyri, ut eos falsæ doctrinæ opinione supplantent ; de domo quoque Thogorma, quod interpretatur peregrinus et advena, ad forum et nundinas ejus equi adducuntur et equites et muli, de quibus scriptum est : « Fallax equus ad salutem (*Psal.* XXXII). » Et in alio loco : « Dormitaverunt omnes, qui ascenderunt equos (*Psal.* LXXV). » Et in alio psalmo : « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI). » Quamobrem et Doech accusator, et interfector sacerdotum præfectus mulorum fuit, et hos esse de domo advenæ atque peregrini, qui non comedunt carnes agni, de quibus scriptum est : « Advena et mercenarius non comedent ex eo ; » ut omnes nundinæ Tyri his compleantur.

« Filii Dedan negotiatores tui. » Pro quo nescio quid volentes Septuaginta « filios Rhodiorum » interpretati sunt, nisi forte primæ litteræ falsi similitudine ut pro Dedan legerent Radan, quæ et ipsa Cycladarum maxima est, et in Ionio mari, quondam urbs potentissima, navalique certamine gloriosa, et propter tutissimum portum mercatorum omnium receptaculum. Et quia Rhodii in linguam nostram vertuntur videntes judicium, de his nunc tropologice dicitur, qui cernunt judicii veritatem, et ipsi non faciunt, dicente Apostolo (*Rom.* II) : « Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alium, te ipsum condemnas : eadem enim facis quæ judicas. » Sed melius est Dedan alterius loci nomen accipere, ut et in Hebraico apud cæteros interpretes habetur.

« Insulæ multæ negotiatio manus tuæ. Dentes « eburneos et hebeninos commutaverunt in pretio « tuo. Syrus negotiator tuus propter multitudinem « operum tuorum guttam, purpuram, et scutulata et « byssum et sericum et Chodchod proposuerunt in « mercatu tuo. » Usque hodie autem permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, et tantam mercandi habent vesaniam, ut occupato nunc orbe Romano inter gladios et inferorum neces quærant divitias et paupertatem periculis fugiant. Istiusmodi homines negotiatores Tyri sunt, qui polymita, purpuram et scutulata mercantur. Byssum quoque et sericum et Chodchod proponunt in mercatu ejus, pro purpura, quam omnes interpretati sunt stacten, id est, guttam, LXX transtulerunt : Chodchod autem quid significet, usque inpræsentiarum invenire non potui. Aiunt Hebræi omnes prætiosissimas merces hoc nomine significari, vel speciem quamdam esse pretiosarum mercium, quam Romanus sermo non resonet : vel communi vocabuli scruta vendentium. De multis autem insulis ut transeamus ad Ἀναγωγήν, quæ salsis et amaris hujus sæculi tunduntur fluctibus, deserunt negotiatores Dedan dentes eburneos, candorem eloquentiæ pollicentes, de quibus

scriptum est : « A domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo (*Psal.* XLIV). » Sed non sunt candidi, nec imitantur sponsam de qua dicitur : « Quæ est ista quæ ascendit dealbata, innitens super fratruelem suum (*Cant.* VIII)? » Verum hebenini nigri coloris, qui non possunt suam mutare nigritudinem, Jeremia dicente : « Si mutabit Æthiops pellem suam et pardus varietatem suam (*Jer.* XIII). » Syrus quoque, id est, aram, qui interpretatur excelsus et tumet superbia negociator Tyri est, et in multitudine operum Tyriorum defert falsi nominis scientiam, multas varietates et stacten odoris optimi repromittens, et purpuram regiæ dignitatis, et scutulata ex arte dialectica, et byssum pro quo Septuaginta tharsis interpretati sunt, terræ operibus deditus : et sericum, pro quo in Hebræo scriptum est ramoth, quod interpretatur visio mortis : omnia enim opera terrena ad interitum properant. Et Chodchod quidquid illud est, quod intelligitur, proponens in nundinis Tyri, Dadan autem ex his mercibus, quæ negotiatoribus ejus insulisque dicuntur adferri, vel Indiæ regio intelligenda est, vel Idumæorum ac vastæ solitudinis, ut nonnulli æstimant, sonatque cognationem, ut similitudinem divinorum dogmatum in hæreticis cognoscamus.

« Juda et terra Israel ipsi institores tui in frumento primo, balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis. » Dicitur autem quibus terra Judæa, quæ nunc appellatur Palestina, abundet copiis frumento balsamo melle et oleo et resina, quæ a Juda et Israel ad Tyri nundinas deferuntur. Cumque manifesta sit littera, juxta spiritalem sensum dicemus non debere terram confessionis et sensum cernentis Deum, qui refertur ad ecclesiam deferre Tyro primum triticum, quod cadens in terram multiplicatur, et accipitur pro verbo Dei. « Non enim in pane solo vivit homo, sed in omni sermone Dei (*Matth.* IV). » Dein balsamum quod nascitur in vineis Engaddi, sive unguentum de quo scriptum est : « Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron (*Psal.* CXXXII). » Et mel super quo loquitur et Salomon : « Mel invenisti, comede quantum satis est. Si enim plus comederis, evomes illud, » dum saturitate nimia mel vertitur in absynthium. Oleum quoque, de quo in tabernaculo Dei lucerna accenditur, ne aptetur illud nobis propheticum : « Oleum in Ægypto venundabas (*Ose.* XII). » Quod si in Ægypto et in Tyro fuerit, vertetur in contrarium, et dicetur de eo : « Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. » Sed et resina levis est, apta corporibus, et pro medicina accipitur. Unde et in Jeremia scriptum est : « Nunquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi : quare non ascendit curatio filiæ populi mei (*Jer.* VIII). » Hanc resinam habebat et Jacob (*Gen.* XLIII) quam mittebat filio Joseph cum melle et terebintho, nucibus, thymiamate et stacte. Ismahelitæ quoque qui emerunt Joseph de terra Israel (*Gen.* XXXVII), hæc in Ægyptum deportabant, thymiamata et resi-

A nam de Galaad et stacten. Et ut manifestius scire possimus, quid sit frumentum, balsamum, mel, et oleum, resinamque ad mercatum ferri Tyri, audiamus Domini verba dicentis : « Nolite dare sanctum canibus, neque margaritas vestras mittatis ante porcos (*Matth.* VII). » Mulieri quoque chananææ quæ pro filia precabatur dicens : « Filia mea male vexatur a dæmonio (*Matth.* XV). » Respondit Dominus : « Non oportet tollere panem filiorum et dare eum canibus. Sed quia exierat de finibus Tyri et Sidonis, et propinquabat terræ Israel idcirco quod rogaverat consecuta est.

« Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum in copia diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. » Significat autem B quod inter cæteras negotiationes Tyri ad nundinas ejus de Damasco deferebatur vinum pinguissimum, et lana præcipue quod usque hodie cernimus. Sin autem Damascus interpretatur sanguinem bibens, et Hebræorum vera traditio est, campum in quo interfectus est Abel, a parricida Cain fuisse in Damasco, unde et locus hoc insignitus vocabulo sit. Juste et Paulus (*Act.* IX) post interfectionem Stephani primi in Christo martyris, perrexit in Damascum, ut credentes in Christo vinctos duceret in Hierusalem, Deique misericordia qui fecit videntem et cæcum, oculos carnis amisit, ut mentis acciperet, cecideruntque squamæ draconis ex oculis ejus quibus lumen perdiderat veritatis, ut iret ad vicum qui appellatur Rectus, et inveniret Ananiam, qui in lingua nostra C interpretatur obediens. De hac igitur cui dictum est : « Maledicta terra, quæ aperuit os suum, et hausit sanguinem fratris tui (*Gen.* IV), » Tyri nundinæ congregantur, et vinum pingue, et lanæ splendentes, sive « vinum de Chelbon » quod interpretatur *lacteus*. LXX pro « lanis coloris optimi, » « lanæ de Mileto, » sive Soor senserunt. Miletum in Hebraico non habetur, sed quia inde lanæ præcipuæ deferuntur, pro Soor Miletum interpretati sunt. Ex quo perspicuum quod Tyrus lacte vescatur infantiæ, et vestimenta non habeat propria, sed aliunde et ex variis congesta provinciis. Illud autem quod Damascus interpretatur sanguis cilicii, et sanguis osculi, præsenti non convenit loco, frequenter enim Hebræa nomina pro diversitate accentuum et mutatione litterarum, vo-D caliumque vel maxime quæ apud illos habent proprietates suas varie interpretantur.

« Dan, et Græcia, et Mozel, nundinis tuis posuerunt ferrum fabrefactum : stacte et calamus in negotiatione tua. » LXX, « Dan, et Javan, et Mozel, in nundinis tuis, » quæ in editione eorum de Theodotione addita sunt. « Ferrum factum opere et rota in commixtione tua est. » Ex nomine patriarchæ Dan et tribus et locus in quo habitavit tribus, nomen accepit, ubi hodie Paneas, quæ quondam Cæsarea Philippi vocabatur. Unde et Jordanis fluvius sortitus est vocabulum *Jor*, rivus videlicet *Dan* qui fluit de Libano. Javan autem Græciam sonat, quæ interpretatur, ut diximus, Est et non est ; pro Mozel autem

Symmachus transtulit *deferens*, ut sit sensus: Dan et A Græcia detulerunt in nundinis tuis ferrum fabrefactum, etc. Aquila vero pro Mozel posuit de Uzal, de quibus credendum est regionibus, ferrum, et stacten et calamum, ad Tyri nundinas deportata. Dicamusque quod Græcia, id est, Javan, ferrum habeat fabrefactum, et ad bella promptissimum, dialecticaque arte constructum jactans se cuncta judicio et ratione proferre, vocalemque sonum qui interpretatur in calamo et stacten odoris optimi repromittat. Sive ferrum fabrefactum et rotam, quæ verborum compositione volvatur, et cursum habeat orationis.

« Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum. » Septuaginta: « Dean negotiatores tui, cum jumentis electis ad currus. » Multum Hebraicum et LXX in præsenti loco discrepant, præter B nomen regionis quod vicinum est Dedan et Dadan infinita quippe distantia in tapetibus ad sedendum, et jumentis electis ad currus. Nec dubium quin quadrigæ currus et equi in malam partem accipiantur, si terreni sint, alioquin de cœlestibus, et Elias curru rapitur appellaturque ab Eliseo « pater mi, pater mi, auriga et currus Israel (*IV Reg.* II; *IV Reg.* VI), et Giezi aperiuntur oculi, ut currus in monte et equos videat sine ascensoribus, sessioni Domini præparatos. In tapetibus autem sermonum pulchritudo monstratur in quibus vehuntur et requiescunt institores Dedan sessione composita venientes ad nundinas Tyri.

« Arabia et universi principes Cedar ipsi negotiatores manus tuæ, cum agnis et arietibus venerunt « ad te. » Pro « agnis, arietibus et hædis » Septua- C ginta « camelos, et arietes, et agnos » interpretati sunt. Arabia autem et principes Cedar quæ hodie Saracenorum regio est, sicut in Jeremiæ sermone, qui adversum Cedar scribitur, plenissime demonstratum est, abundant his animantibus agnis videlicet, et arietibus et hædis et Tyri nundinas hac illatione multiplicant. Sed et camelorum fertilissima regio est ob pascuorum eremi latitudinem aerisque temperiem, quibus hoc animal delectatur. Arabia autem interpretatur *vespera* et Cedar *tenebræ*. De qua et in Psalmis dicitur: « Habitavi cum habitantibus Cedar (*Psal.* CXIX); » quæ regiones deferunt Tyro camelos gravissimis peccatorum oneribus prægravatos, sive agnos et arietes, et hædos quos immolant in altaribus D suis, quæ de iniquo rebelli corde simularunt. Sed et in hoc eodem propheta in visione pastorum arietes aquas purissimas conturbantes et impingentes lateribus oves et cornibus dimicantes, legimus hædos quoque qui ad sinistram stare consuerunt, et agnos, qui mentiuntur agnum, de quo scriptum est: « Ecce « Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » In bonam partem camelos scribit Isaias, de Madian, quod interpretatur Domini judicium, venire Hierusalem, et Epha, et arietes de Nabajoth et Saba deferentes aurum et thus, quorum duo ultima etiam a Magis offeruntur Domino. Istique cameli deposito onere peccatorum possunt intrare arctam et angustam viam quæ ducit ad vitam.

« Venditores Saba et Rema ipsi venditores tui, « cum universis primis aromatibus, et lapide pretiosissimo et auro, quod proposuerunt in mercatu « tuo. » In Psalmis ubi scriptum est: « Reges Arabum et Saba munera offerent tibi (*Psal.* LXXI), » in Hebræo habet: « Reges Saba et Saba munera offerent tibi. » Quorum unum Saba per *sin* litteram scribitur, alterum per *samech*, quæ nostræ litteræ similis est. Quia igitur Saba interpretatur conversio, hoc dicendum est, quod in præsenti loco non conversionem significet, sed aversionem, de qua Tyro munera deferuntur, cum universis aromatibus et odoribus optimis et lapide pretioso et auro, quæ omnia in Tyri nundinis proponuntur. Et ipsi enim mentiuntur odorem optimum lapidemque pretiosum, quo exstruere perversitatis suæ nituntur ecclesias, et aurum quod pollicetur in sensu, omniaque perversa sunt: nihil enim gratuito accipiunt, nec gratis tribuunt, sed universa mercantur, cum reges Arabum et Saba gratis Christo munera offerant: hi sunt qui omnia turpis lucri causa faciunt, et ab eo hæc munera susceperunt, qui dicit in Evangelio (*Matth.* IV): « Hæc omnia tradita sunt mihi, quæ si cecideris dabo tibi. » Rema, sive juxta LXX Rhegma, in nullo alio Scripturarum loco invenire potui, nec quæ regio sit, quidve significet, nisi quod manifestum est, et ex eo quod jungitur, Saba vicinam huic provinciæ esse regionem.

« Aran, et Channe, et Eden, negotiatores tui. « Saba, Assur et Chelmad venditores tui, ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi, et « polymitorum, gazarumque pretiosarum, quæ obvolutæ et astrictæ erant funibus. » Aran, sive, ut LXX dixere, *Charran*, in lingua nostra sonat *foramina*, Channe *præparationem*, Eden *delicias*. In negotiatione ergo Tyri per carneos sensus, qui indicantur in foraminibus, tota sæculi hominum præparatio est, qui solas delicias putant, si augeant Tyriæ urbis commercia. De Saba supra diximus. *Assur* interpretatur *dirigens*. *Chelmad*, sive ut in aliquibus exemplaribus continetur, *Cherma*, transfertur *in sineas*; haud dubium quin Sodomorum qui veniunt in mercatu Tyri, ut prava dirigant, imo arguant pœnis, et corrigant quæ fuerant depravata, juxta illud quod in Psalmis dicitur: Ut destruas inimicum et ultorem. Habentque multifariam supellectilem, et incredibili varietate distinctam, quæ involucris Hyacinthi astricta est, sive thesauri eorum funibus constringuuntur, quos thesaurizaverunt sibi in terra. juxta illud quod scriptum est: « Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur (*Prov.* V), » nec habuerunt negotiationem liberam, sed cuncta peccatorum vinculis nexuerunt. Involucra hyacinthina propter coloris similitudinem referamus ad aereas potestates, quæ thesauros suos sæculi nundinis largiuntur.

« Cedros quoque habebant in negotiationibus tuis. « Naves maris, principes tui in negotiatione tua. » Pro cedris Septuaginta *cyparissos* transtulerunt. Et quia supra de utroque diximus, superfluum est lectori augere fastidium.

« Et repleta es et glorificata (sive aggravata) nimis in « corde maris. » Nihil, inquit, tibi defuit, quod ad divitias pertinet insularum, quæ tamen glorificatio, fuit aggravatio possidentis, dum non potest moderate ferre divitias : quanquam et paupertas sæpe tentatio sit. Unde et Salomon (*Prov.* xxx) necessaria tantum postulat, et divitias ac paupertatem pariter detestatur : ne in altero superbia, et in altero subrepat impatientia atque mendacium.

« In aquis multis adduxerunt te remiges tui. » Supra remiges Tyriæ civitatis Sidonios legimus et Aradios, quorum alteri venatores, alteri interpretantur deponentes : venantur enim eorum animas, quos inter sæculi hujus fluctus suo ducunt arbitrio, et non ad excelsa sublevant, sed in profunda demergunt : nec imitantur eos qui usque ad matutinam vigiliam navigantes, fregerunt insanos maris fluctus, et Dominum Salvatorem suscipere meruerunt, statimque tali vectore et comite pervenerunt ad portum quietis, de quo in Evangelio plenius scribitur.

« Ventus auster contrivit te in corde maris. » Omnes divitiæ Tyri austro flante dispereunt, qui significantius Hebraice Cadim, quem nos in ventum urentem transferre possumus. De quo dicebat et sanctus : « Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (*Psal.* cxx). » Hoc vento Jacob exustus erat, et tamen non contritus, dum loquitur : « Fui per « diem exustus æstu et gelu noctis (*Gen.* xxxi). » Illi quoque qui ab hora prima conducti sunt totius diei calorem et æstus tulerunt (*Matth.* xx), et tamen accipiunt denarium, quia exusti sunt et non contriti. Unde et sponsa dicit in Cantico : « Nigra sum et formosa, quia dispexit me sol, » sive, ut melius in Hebraico continetur, « decoloravit me sol (*Cant.* i). »

« Divitiæ tuæ, et thesauri tui, et multiplex instru« mentum tuum. » Multi ita legunt : « In corde maris divitiæ tuæ, et thesauri tui, et multiplex instrumentum tuum, » ut omnes Tyri divitiæ universaque substantia in corde maris sit posita, et sæculi fluctibus obruatur, nihilque habeant stabile habitatores ejus atque perpetuum, impleto illo evangelico : « Stulte, hac nocte auferent animam tuam a te : quæ autem præparasti, cujus erunt? (*Luc.* xii), » et illo Apostolico : « Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et muscipulas multas, et detrahuntur in profundum (*I Tim.* vi). » Manifesta est historia, et propterea singulis pene versiculis breves sententiolas coaptamus. Jam enim ad finem libri festinat oratio.

« Nautæ tui et gubernatores tui, qui tenebant « suppellectilem tuam et populo tuo præerant virique bellatores tui qui erant in te cum universa « multitudine tua, quæ est in medio tui, cadent in « corde maris in die ruinæ tuæ. » Remiges sive nautas urbis Tyriæ Sidonios legimus et Aradios, de quibus jam dictum est : et juxta editionem Septuaginta consiliarios Bybli, quæ hebraice appellatur Gebal : viros quoque bellatores ejus Persas, Lydos et Libyas, qui omnes cadent, et esse nihili monstrabuntur cum ceciderit Tyrus, et universa gloria ejus A finem habuerit ruinarum, multitudinem autem, quam commixtionem Septuaginta transtulerunt, exceptis principibus, vulgus significat, qui absque nomine dignitatum simili judicio conterentur. Mixtaque prophetia est, inter urbem et navem, et ex altero alterum intelligas, et tamen utrumque ad consummationem sæculi pertineat atque in naufragium.

« A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes et descendent de navibus suis « omnes, qui tenebant remum. Nautæ et universi « gubernatores maris vectoresque et proretæ in terra « stabunt ejulabunt super te voce magna et clamabunt « amare. Et superjacient pulverem capitibus suis, et ci« nere conspergentur, et radent super te calvitium, et « accingentur ciliciis, et plorabunt te in amaritudine B « animæ ploratu amarissimo, et assument super te « carmen lugubre, et plangent te. » Quando Tyrus ceciderit, gubernatores illius turbabuntur, descendentque de classibus et remiges vectoresque ac proretæ sive nautæ, et universi gubernatores maris, jactati fluctibus stabili aliquando consistent gradu, ejulabunt super ea voce magna, quam prius suis locupletabant mercibus, et mentis amaritudinem clamore signabunt, pulverem quoque sive terram jacient super capita sua pro terrenis operibus agentes pœnitentiam, et cinere conspergentur vel vitulæ juxta legem, ut purificentur, vel certe substernent cinerem sibi, juxta illud quod dicitur ad Hierusalem, « Sparge terram super caput tuum, et cinerem substerne tibi et fac planctum. » Et in Evangelio scriptum C est : « Si in Tyro et Sidone facta essent hæc signa, olim in sacco et cinere egissent pœnitentiam (*Matth.* xi). Et Psalmista dicit : « Cinerem quasi panem manducabam (*Psal.* ci). » Radentque super Tyro caput quod in luctu fieri solet, eo tempore, et facient calvitium, quo magnitudo doloris omnem excluserit lætitiam. Apostolorum vero capilli numerati erant, quia crinem suum instar Nazaræorum Domino consecrarant. Et Samson quamdiu crines habuit, possedit fortitudinem : ablata cæsarie, captus est ab Allophylis (*Jud.* xvi). Quando autem dicitur, « et accingentur ciliciis, » vetus lumborum libido damnatur, ut qui vixerant in deliciis postea pœnitentes, vivant in austeritate atque duritie. Ninivitæ D habuere saccos (*Jon.* iii). Et rursum ad Hierusalem dicitur : « Plange ad me quasi sponsa, accincta cilicio super virum suum virginalem (*Joel.* i). » « Et plorabunt te, inquit, in amaritudine animæ ploratu amarissimo. » « Melius est enim ingredi in domum luctus, quam in domo convivii (*Eccli.* vii). » Ut plangant Tyrum, et carmen lugubre congeminent, quod sequens Scriptura subjungit. Ut autem sciamus profectum esse eorum qui plangunt ruentem, et qui prius in maris corde et in medio illius versabantur, prophetæ nos doceat exemplum, qui et ipse plangere jubetur Tyrum, ut expleto tempore pœnitentiæ restituatur in antiquum statum, et assumpta cythara Domino personet. Lege Isaiam. Quidam ridicule (sed tamen est dicendum quod legimus) gubernatores episcopos

hæreticorum, consiliatores presbyteros, proretas ar- A chidiaconos, remiges atque nautas diaconos interpretantur: vectores vero ad cunctum populum referunt. Si addidissent nauclerum diabolum, implessent tragœdiam. Qui omnes ejulabunt pariter, et flebunt amarissime, et agent pœnitentiam, postquam naufragium senserint navis suæ, et in terra steterint, omnemque decorem falsi nominis scientiæ amiserint, et pro gaudio atque lætitia, in cordis amaritudine pœnitentiam mœrore signaverint.

« Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos, in multitudine divitiarum tuarum, et populorum tuorum, ditasti reges multos. Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opes tuæ, et omnis multitudo tua, quæ erat in B medio tui ceciderunt, universi habitatores insularum obstupuerunt super te, et reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus. Negotiatores gentium sibilaverunt super te. Ad nihilum deducta es, et non eris ultra usque in sæculum. » Gubernatores remiges proretæ atque vectores in planctu Tyri ista memorabunt, quæ alia civitatum ita conticuit, ut loquendi fiduciam non haberet, et audiret illud Evangelicum: « Tace et obmutesce (*Marc.* IV). » Et de Psalmis: « Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? (*Psal.* XLIX.) » Quantis mercibus, o Tyre, ditata es, et quid tanto labore quæsisti ut diebus ac noctibus peritura naufragio congregares. Implesti quidem populos multos, et opibus tuis locu- C pletasti reges, de quibus scriptum est: « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II); » sed nunc contrita es in mari, et in aquarum profundis, juxta illud, quod de Pharaone scriptum est: « Currus Pharaonis et fortitudinem ejus projecit in mari, qui demersus est in profundum quasi lapis (*Exod.* XV), » et dicere poterat: « Veni in profundum maris et tempestas demersit me (*Psal.* LXVIII). » Omnes insulæ vel habitatores insularum, quæ sæculi hujus fluctibus verberantur, stupebunt super te, et reges earum tempestate perculsi, sentient interitum suum: imitantesque vocem colubri sibilabunt et dicent: « Ad nihilum deducta es, » sive « facta perditio es, » ut non natura perditionis habueris, sed voluntatem, et non eris. Quod si huc usque dixisset, magna quæstio nasceretur, quomodo non esset quam nunc videmus exstructam: sed ex eo, quod sequitur: *usque in sæculum*, unius sæculi tempus ostendit, quod juxta ætatem hominis annorum septuaginta circulo supputatur, sive non eris Deo, dicente Apostolo, « Qui vocavit ea, quæ non erant (*Rom.* IV). » Et Isaia propheta: « Ecce confundentur et erubescent omnes adversarii tui. Erunt enim quasi non sint (*Isa.* XLI). » Et Esther, juxta Septuaginta Interpretes: « Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt (*Esther* XIV). » Et in Psalmis: Dimitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, et amplius non ero. » Quæ testimonia, quo sensu accipienda sint, supra diximus. Omnia autem hæc ad hæreticorum possumus referre personam, qui in contritione Tyri atque naufragio sentient errorem suum, et in medio maris positi, liberare suas animas concupiscent, plangentque male divitias congregatas, quibus multos ditaverant reges: patriarchas videlicet suos, et vulgus ignobile, quorum in medio opes corruent mari. Habitatores quoque omnium insularum, si tamen voluerimus ad bonam partem referre, *quæ dicta* sunt, obstupescent super contritione Tyri, et reges insularum omnium, vel ipsi quasi tempestate perculsi, mutabunt vultus, vel certe cordis mœrorem fletu et lacrymis indicabunt, stuporisque magnitudinem admiratione et sibilo testabuntur, quomodo nihili facta sit, et perierit, quæ salutem multis gentibus promittebat. Et ultra non erit, nequaquam certo tempore, ut αἰῶνα interpretemur in sæculum, sed in perpetuum, quia idem sermo utrumque significat.

LIBER UNDECIMUS.

Consequens erat ut prophetiam Tyri et principis D Tyri uno volumine comprehenderem, et tam locis, quam vaticinatione conjunctos, nequaquam librorum ordine separarem, sed quia plura sunt, quæ dicuntur, et modum prolixitatis excedunt, ideo in undecimum librum dilata est explanatio, quam videlicet tam Dei misericordia, quam etiam omnium sanctorum orationibus, ad calcem credimus perventuram: ut contra Pharaonem quoque, et universam Ægyptum, quæ in Ezechiele scripta sunt, disseramus.

CAPUT XXVIII.

Verbum Domini contra principem Tyri et de superbia ejus. Sermo Domini contra Sidonem, et promissio Domini de congregandis filiis Israel.

« Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, dic principi Tyri: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quod elevatum est cor tuum et dixisti, Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, in corde maris, cum sis homo et non Deus, et dedisti cor tuum quasi cor Dei. Ecce sapientior es tu Daniele? Omne secretum non est absconditum a te. In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis. In multitudine sapientiæ tuæ, et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, et elevatum est cor tuum in robore tuo: propterea hæc dicit Dominus Deus, Eo quod elevatum est cor tuum, quasi cor Dei, idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum, interficient te, et tradent te, et morieris in interitu

« occisorum in corde maris. Nunquid dicens loque« ris, Deus ego sum coram interficientibus te, cum « sis homo et non Deus, in manu occidentium te? « Morte incircumcisorum morieris in manu alieno« rum, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. » (*Hieron.*) Quomodo autem Tyriæ urbis sub figura navis primum divitiæ, deinde ruina planctusque descriptus est, sic ad principem Tyri primum sermo fit prophetalis, quod erectus sit per superbiam, nec bene usus opibus, quas habebat. Dein luctus et lamentatio de quantis bonis ad mala quanta pervenerit; primum igitur prima dicenda sunt. Scriptum est in Isaia ad regem Babylonis Nabuchodonosor, quod se Dei potentiæ coæquarit, et in tantam elatus sit arrogantiam, ut auderet dicere : « Super sidera cœli ascendam, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV) : » præcipitatusque de solio meruit audire : « Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur? » Et de Pharaone in hoc eodem propheta : « Mea sunt flumina et ego feci ea. » Et de principe Tyri, quod elato corde dixerit arroganter : « Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi, » sive « in habitaculo Dei habitavi. » Cum sit homo et non Deus. Quæ quanquam videantur vires humanæ fragilitatis excedere, et non tam hominum verba esse, quam insanientium dæmonum, tamen juxta ὑπερβολὴν debemus accipere, quod in tantum intumuerint et nescierint mensuram suam ut elati felicitate sæculi, et regni potentia, dum præsentia bona putant esse perpetua, homines se esse nescierint, et æternum sibi imperium vindicarint, licet sub typo principum, regumque, et singularium urbium vel provinciarum potestates adversariæ demonstrentur. De quibus scribit et apostolus Paulus (*Ephes.* VI) : « Non est nobis pugna adversus carnem, et sanguinem, sed contra principes et potestates rectoresque tenebrarum istarum, et spiritalia nequitiæ in cœlestibus. » Et in alio loco (*I Cor.* II) : « Sapientiam loquitur inter perfectos, sapientiam vero non mundi hujus neque principum sæculi istius qui destruuntur. » Et iterum, de sapientia disputans, ait (*Ibid.*) : « Quam nullus de principibus mundi hujus cognovit. Si enim cognovissent nunquam dominum gloriæ crucifixissent. » In Danielis quoque prophetia perspicue legitur (*Dan.* X), princeps Israelitici populi, Michael et princeps Græciæ principsque Persarum. Et Moses apertius scribit in Deuteronomii cantico : « Quando dividebat Altissimus gentes, disseminabat filios Adam : constituit terminos nationum, juxta numerum angelorum Dei, » sive, ut melius habetur in Hebraico, « juxta numerum filiorum Israel. Et factum est, pars Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel (*Deut.* XXXII). » Nec mirabimur in parte contraria pessimos reges in typo prævaricatorum præcedere principum, cum optimos reges David et Salomonem et Josiam et Patriarchas et Prophetas in figura Domini Salvatoris præcessisse doceamus. Igitur juxta utramque intelligentiam regum pariter superborum et apostatarum principum, quæ scripta sunt disseramus. « Cum sis, ait, in medio mari, » et in insulæ tenearis angustiis, plus dicam, cum sis homo, et humanæ carnis fragilitate circumdatus, tumore cordis elatus, in solio Dei, in cœlis te habitare arbitratus es. Simulque quia jactas sapientiam intantum, ut regni tui homines Salomonem ænigmatibus provocarent; nunquid sapientior es Daniele, qui Dei gratia vicit omnes magos et hariolos, et nunc in Babylone sapientissimus est? Sive ita intelligendum etiam sapientior sis Daniele, qui omnium confessione sapientissimus est : et divitiarum ac potentiæ magnitudine Dei te cupias potentiæ coæquare, tamen capiaris ab adversariis, et urbe perdita, multis confodieris vulneribus. Et ultra non dices, Deus ego sum, sed doctus interitu hominem te esse cognosces, non Deum. Sin autem volumus principem Tyri eamdem dicere potestatem cui a Deo credita est ipsa civitas, sive provincia, illud assumamus testimonium. Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis. Traditæ enim illis sunt ad regendum provinciæ, quasi judicibus ab imperatore, qui obliti honorem suum ex alterius jussione pendere, qualis nuper Heradianus in Africa fuit. Erecti sunt mente tyrannica contra regem et Dominum suum, ut in toto orbe dispersi sub nominibus idololatriæ, deorum sibi nomina assumerent, et inflati superbia in judicium diaboli inciderent et laqueum. De quo et Salvator locutus in Evangelio est : « Vidi Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo (*Luc.* X). »

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, leva planctum super regem Tyri, et di« ces ei : Hæc dicit Dominus Deus : Tu signaculum « similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore; « in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretio« sus operimentum tuum, sardius, topazius et jaspis, « et chrysolitus, et onyx, et berillus sapphirus et car« bunculus et smaragdus. Aurum opus decoris tui, « et foramina tua in die, qua conditus es præparata « sunt. Tu cherub extentus et protegens, et posui « te in monte sancto Dei. In medio lapidum ignito« rum ambulasti, perfectus in viis tuis a die condi« tionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. In « multitudine negotiationis tuæ repleta sunt inte« riora tua iniquitate, et peccasti, et ejeci te de « monte Dei, et perdidi te, o cherub, protegens « de medio lapidum ignitorum. Et levatum est cor « tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam in pul« chritudine tua, in terram projeci te : ante faciem « regum dedi te, ut cernerent te. In multitudine « iniquitatum tuarum et in iniquitate negotiationis « tuæ, polluisti sanctificationem tuam, producam « ergo ignem de medio tui qui comedat te, et dabo « te in cinerem super terram in conspectu omnium « videntium te. Omnes qui viderint te in gentibus « obstupescent super te. Nihili factus es, et non « eris in perpetuum. » (*Hieron.*) Quia diximus qui sit princeps Tyri, et quomodo corruerit superbia,

lamentationem ejus super pristina gloria cognoscamus: primum commonetur, quid fuerit ut doleat se perdidisse, quod habuit. Tu, inquit, signaculum similitudinis, juxta illud, quod proprie de Salvatore dicit Joannes Evangelista: Hunc enim Deus signavit pater, et de hominibus: signavit quoniam Deus verax est. Et in Psalmis: « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV). » Et in alio loco, « Charissimi, nunc filii Dei sumus, et necdum apparuit quid futuri sumus: simus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus (*I Joan.* III). » Unde et ad Deum dicitur: « Quis similis erit tibi? » ubi aliud est enim similitudo, aliud æqualitas. Unde sævissima hæresis est, quæ in Christo tantum patris similitudinem confitetur, aufert naturam. Nos autem in filio non solum similitudinem dicimus, sed æqualitatem, propterea enim eum persequebantur Judæi, quia non solum solvebat sabbatum, sed et æqualem se faciebat Deo. Ubi autem æqualitas est, ibi eadem natura, unaque substantia. Hoc est illud, quod de similitudine loquitur et Apostolus: « Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis (*Gal.* IV), » ut recipiatis videlicet similitudinem ejus, quam vestro vitio perdidistis. Et quia in latinis codicibus pro signaculo resignaculum legitur, quidam sic intelligunt, quod signaculum Dei et figuram, quæ velut in cera mollissima expressa sit, rex Tyri resignaverit atque perdiderit: ut pro signaculo fecerit resignaculum, nequaquam habens imaginem et similitudinem Dei, juxta quam et primus homo conditus est, dicente Deo: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et notandum quod imago tunc facta sit tantum, similitudo in Christi baptismate compleatur, et consequenter ei cui dictum est, Tu signaculum similitudinis, jungitur plenus sapientiæ et perfectus decore, sive quasi diversis floribus ornata atque composita corona virtutum, quam proprio studio auget diligens, dum naturæ bonum nutrit industria, et negligens minuit. Juxta illud, quod in Proverbiis sub figura mulieris pulchræ et male moratæ dicitur: « Sicut inauris in naribus porcæ, sic mulieri male moratæ pulchritudo (*Prov.* XI). » Sequitur: « In deliciis paradisi Dei fuisti; » pro quo in Hebraico habetur *in Eden*, quod et Geneseos narrat historia. Eden autem vertitur in *delicias*, et pulchre ad distinctionem paradisum Dei nominat, ut ostendat esse et contrarium paradisum non Dei apud eos qui veritatem mutant mendacio, et paradisum habere se jactant. Quo sermone demonstrat nequaquam hominem esse de quo scribitur, sed contrariam fortitudinem, quæ quondam in Dei paradiso commorata sit, licet Judæi hoc per τρόπον, qui appellatur ὑπερβολὴ de Hiram rege Tyri æstimant prophetari. Cui autem dicitur: « In deliciis paradisi Dei fuisti, » sive factus es, quid habuerit ostendit, quidve perdiderit. (*Greg.*, *lib.* XXXIII *Mor.*, *c.* 24 *et* 25.) Primo verbo quo ait: « Tu signaculum similitudinis, » cuncta complexus est, quid namque boni non habuit, qui signaculum Dei simi-

A litudinis fuit? De sigillo quippe annuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eadem essentialiter habetur. Et licet homo ad similitudinem Dei creatus sit, Angelo tamen quasi majus aliquid tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dicit, ut quo subtilior est in natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. Hinc est quod primatus ejus potentiam adhuc insinuans, idem propheta subjungit: « Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, et topazius, et jaspis, chrysolithus, et onychinus, et berillus, et sapphirus, carbunculus et smaragdus. Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem sunt ordines angelorum. Nam cum per sacra eloquia angeli, archan-
B geli, throni, dominationes, virtutes, principatus, potestates, cherubim, atque seraphim aperta narratione memorantur, supernorum civium quantæ sint distinctiones ostenditur, quibus tamen Behemoth iste opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc descriptione subjungit: « Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. » Aurum opus decoris ejus extitit, quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compositione jungantur et nequaquam a se dissidant, quos interfusum aurum repletis forami-
C nibus ligat. Hujus ergo lapidis in die *conditionis* suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus, qua si repleri voluisset stantibus Angelis tanquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhærere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem præbuisset, sanctis angelis sociatus in ornamento ut diximus regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium, charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem cæteri lapides, qui huic similiter fuerant perforati, penetrante se invicem charitate ligati sunt, atque hoc in munere, isto cadente, meruerunt, ut nequaquam
D jam de ornamento regio cadendo solvantur. (*Hieron.*) Porro quod habitationi paradisi copulatur, « omnis lapis pretiosus, operimentum tuum, » sive colligatio tua et circumdatio, sardius, topazius et jaspis, chrysolithus et onyx et berillus, sapphirus, et carbunculus, smaragdus, hoc observandum est, non omni lapide pretioso regem Tyri fuisse circumdatum, sive opertum, et, ut Symmachus transtulit, vinctum atque constrictum: sed omnem lapidem, quem habuit non princeps Tyri fuisse pretiosum. Alioquin multi sunt pretiosi lapides, quos in præsenti loco Scriptura nominat: Chalcedonius, Sardonyx, Chrysoprasus, Hyacinthus, Crystallum quoque et pretiosissimum margaritum; sed et Aquila et Symmachus ac Theo-

dotio in præsenti loco multum et inter se, et inter Septuaginta interpretes non solum ordine, sed et numero discrepant atque nominibus. In Apocalypsi quoque Joannis (*Apoc.* XXI), ubi de vivis lapidibus Hierusalem exstructa memoratur, paululum in extremis partibus ordine commutato iidem in fundamentis ejus ponuntur lapides, ita ut portæ illius crystalli lumine scribantur ædificatæ : sed in pectore pontificis per quatuor ordines in rationali iidem lapides describuntur (*Exod.* XXVIII). Et in humeris ejus duo lapides onychini in quibus duodecim patriarcharum scripta sunt nomina quos verus pontifex de quo scriptum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CXIX), portat in pectore, portat in humeris, ut in duodecim lapidibus Apostolorum numerum, et in duobus utriusque Testamenti sacramenta demonstret. Quorum unus Joannes Evangelista recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta sapientiæ et posset dicere : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum (*Joan.* I). » Isti sunt vivi lapides, de quibus ædificatur Ecclesia, et de quibus scribit apostolus Petrus : « Si credidistis quia suavis Dominus ad quem accedentes lapidem viventem, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, honorabilem, et ipsi sicut lapides viventes ædificamini domus spiritales in sacerdotium sanctum, offerre spiritales victimas placentes Deo per Jesum Christum (*I Pet.* II). » Quoniam dicit Scriptura : « Ecce ponam in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum, et qui credit in eo non confundetur (*Isa.* XXVIII). » Super quo et Vas electionis pari voce consentit dicens : « Superædificati in fundamento apostolorum et prophetarum, ipso angulari lapide Christo Jesu Domino nostro, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Dei (*Ephes.* II). » Hi sunt lapides de quibus et in alio loco legimus : « Lapides sancti volvuntur super terram instar rotarum (*Zach.* IX); » paululum tangentes humum, et volubilitate sua ad cœlestia festinantes. De quibus et Scriptura commemorat : « Ecce ego præparo carbunculum lapidem tuum, et fundamenta tua sapphirum, et ponam propugnacula tua jaspidem, et portas tuas lapide crystallo, et murum tuum lapidibus electis, et omnes filios tuos doctos a Deo, et in multa pace filios tuos et in justitia ædificaberis (*Isa.* LIV). » Super quo quid nobis videretur in ejusdem prophetæ explanationibus diximus. De hujuscemodi lapidibus et vicesimus psalmus canit : « Domine, in virtute tua lætabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Quoniam prævenisti eum in benedictione dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. » Istæ sunt margaritæ prophetarum et apostolorum, quæ comparatione Christi omnes venundantur in Evangelio, ut ematur pretiosissimum margaritum, et lapis de quo Zacharias scribit, quod septem habeat oculos, id est, septem gratias

A Spiritus sancti (*Zach.* III). Lege Isaiam. Et ponitur per apostolum Paulum (*I Cor.* III) in fundamento Ecclesiæ super quo ædificentur, aurum, argentum lapides pretiosi : quorum colores atque naturas et efficientias singulorum ; non est hujus temporis dissere, sed proprium volumen desiderant, ita ut in Ezechiel et in Exodo et in Apocalypsi, et in Isaia sibi omnes lapides, et lapidum ordines comparati, magnam et legenti et disserenti faciant quæstionem. « Tu Cherub, inquit, extentus et protegens in monte sancto Dei in medio lapidum ignitorum perfectus ambulasti. » (*Greg. cap. cit. et* XXVI.) Cherub quippe plenitudo scientiæ interpretatur : et idcirco iste Cherub dicitur, qui transcendisse cunctos scientia non dubitatur : qui in medio ignitorum lapidum

B perfectus ambulavit, quia inter angelorum corda charitatis igne succensa clarus gloria conditionis extitit. Quem bene extentum et protegentem dicit : Omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparationem claritatis suæ cæterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extentus et protegens fuisse perhibetur ; reliquos enim quasi obumbrando operuit, quia eorum magnitudinem excellentia majore transcendit. Quod ergo illic speciosus in multis frondibus, quod illic signaculum similitudinis, quod illic Cherub, quod illic protegens dicitur, hoc in Job voce Dominica Behemoth iste viarum Dei principium vocatur (*Job.* XL). De quo idcirco tam mira in quibus fuit et quam amisit insinuat, ut territo homini ostendat quod ipse si superbiat de elationis

C suæ culpa passurus sit, si feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis elevavit. Consideret ergo homo, quid elatus in terra mereatur, si et prælatus angelis, angelus in cœlo prosternitur. Unde et bene per prophetam dicitur : « Inebriatus est in cœlo gladius meus (*Isa.* XXXIV) ; » ac si aperte diceret : qua ira feriam superbos terræ, perpendite, si ipsos etiam quos in cœlo juxta me condidi præ elationis vitio percutere non peperci. (*Hieron.*) Porro quod dicitur juxta Hebraicum : « Tu cherub extentus et protegens, » subauditur arcam Dei et propitiatorium, vel juxta Septuaginta quod ipse cum cherub unctus sit et creatus. Ex quo ostenditur ad hominem urbis Tyriæ principem hoc pertinere non posse, sed ad sanctam quondam et

D præcipuam fortitudinem, quæ urbis Tyriæ princeps posita sit. « Et posui te, inquit, in monte sancto Dei, » haud dubium quin paradisum significet, ad quem post cœlum tertium Paulus raptum esse se dicit (*II Cor.* XII). Cherub autem genere masculino numero singulari, et plurali dicuntur cherubim, qui interpretantur scientiæ multitudo, super quibus requiescit et sedet Deus, et hoc curru utitur, dicente propheta ad eum : « Qui sedes super cherubim, manifestare (*Psal.* LXXIX). » Et in alio loco : « Ascendit super cherubim et volavit ; volavit super pennas ventorum (*Psal.* XVII). » Iste autem cherub sive creatus cum cherub, extentus et protegens sacramenta, positus est in monte sancto Dei,

De quo crebro diximus. Et Paulus apostolus loquitur, si quis tamen ad Hebræos Epistolam suscipit : « Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et millia angelorum (*Hebr.* XII). » Vel certe mons sancti Dei paradisus, ut diximus, intelligendus est. Ambulavit quoque in medio ignitorum lapidum, de quibus scriptum est : « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem (*Psal.* CIII). » Et non solum Deus qui vocatur ignis consumens, fenum, ligna, stipulamque consumat, sed et angeli, qui vocantur igniti lapides spirituque ferventes; unde et Dominus : « Ignem, inquit, veni mittere super terram, et quid volo, nisi ut ardeat? (*Luc.* XII.) » Quodque sequitur : « Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, » pro quo posuere Septuaginta : « Fuisti immaculatus in diebus tuis a die, qua conditus es, donec inventa est iniquitas in te, » ostendit omnem creaturam bonam a Deo conditam et perfectam habuisse virtutem : et per hoc principem quoque Tyri fuisse immaculatum, ut deinceps macula non naturæ sit, sed voluntatis : « Donec inventa est iniquitas in te. » Inventa a Deo, quæ in thesauris pectoris tui per superbiam et abusionem potestatis, quam acceperas tenebatur inclusa. « In multitudine, inquit, negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua in iniquitate et peccasti. Et ejeci te de monte Dei : et perdidi te, o cherub, protegens de medio lapidum ignitorum, et levatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam in pulchritudine tua, in terram projeci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te. » In multitudine quoque negotiationis ejus repleta sunt interiora illius sive cellaria iniquitate. Dum enim multa conquirit, et non est contentus scientia quam acceperat, nec potestate cui præpositus erat, replevit cellaria et interiora pectoris sui, ut saturatus et incrassatus, calcitraret contra creatorem suum. Manducavit enim Jacob et saturatus est, et recalcitravit dilectus, incrassatus et impinguatus, et dilatatus, et dereliquit Deum qui fecerat eum (*Deut.* XXXII); et : « De corde procedunt cogitationes pessimæ (*Matth.* XV); » propter quas dicit Deus : « Peccasti, et ejeci te de monte Dei, » sive vulneratus es a monte Dei : quod legentes timere compellimur. Si enim cherub extentus et protegens positus in monte sancto Dei, et in medio ignitorum lapidum perfectus atque immaculatus : propter multitudinem negotiationis replevit interiora sua iniquitate, et peccavit, et ejectus est de monte Dei, hoc est, de habitatione paradisi, sive vulneratus a monte Dei, qui perspicue Christus intelligitur : aut certe in monte Dei constitutus et habitans, a semetipso vulneratus est, et conscientiæ compunctus malo, dum se intelligit habitatione montis indignum, quid de nobis æstimandum est? Propter quod dicitur ei, Et perdidi te, o Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum, ut nequaquam inter ignitos lapides consisteres, sed perires. O ipse cherub, sive cherubim, qui te protegebat, eduxi te de medio lapidum ignitorum, juxta illud quod de Adam scriptum est : « Ejecit Adam, et constituit cherubim (*Gen.* III), » contra paradisum deliciarum. Causasque reddit cur eductus sit, sive projectus de medio ignitorum lapidum : « Elevatum est enim cor tuum in decore tuo, » dum tuum putas esse, quod Dei est. Unde et apostolus stimulum carnis, et angelum Satanæ accepisse se dicit (*II Cor.* XII) qui eum colaphizaret, ne revelationum multitudine superbiret, et in judicium incideret diaboli. « Et idcirco corrupta est, inquit, doctrina tua cum decore tuo, sive perdidisti sapientiam tuam in decore tuo; » ut dum plus vis esse quam conditus es, et magis sapere quam a Deo acceperas, etiam id perderes, quod habebas et pro pulchritudine atque doctrina, deformitas te atque stultitia possideret : unde in terram projectus es, qui ante habitabas in monte Dei. De quo et Isaias scribit : « Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur? (*Isa.* XIV.) » Et Salvator in Evangelio : « Videbam, inquit, Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem (*Luc.* X). » Quod et Jeremias loquitur ad Jerusalem : « Quomodo obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, projecit de cœlo in terram gloriam Israel? (*Thren.* II.) » Projectus autem in conspectu omnium regum, ut tuo terreretur exemplo, vel bonorum regum, quorum cor in manu Dei est, vel malorum, quorum regna ostendit diabolus Salvatori : Qui occurrerunt regi Babylonio dicentes : *Et tu captus es sicut nos, atque inter nos reputatus es.* Quamobrem et polluit sanctificationem suam, quam habuerat, quando habitabat in monte et conversabatur in medio ignitorum lapidum. Sequitur : « Producam ignem de medio tui qui devoret te. » Istum ignem in Tyri regis corde succenderat ille, cujus ignita sunt jacula, et de quo scriptum est : « Omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum (*Ose.* VII). » De quo igne loquitur et Isaias : « Ambulate in lumine ignis vestri et in flamma quam succendistis (*Isa.* L), » ut foras egrediens devoret possidentem, juxta illud quod in eodem Isaia scriptum est : « Devoravit sicut fenum materiam (*Isa.* V); in die illa exstinguentur montes, et colles, et saltus, et devorabit ab anima usque ad carnes. Hunc ignem, qui alienus appellatur, Nadab et Abiud ad altare Domini obtulerant (*Levit.* X), et idcirco divino igne consumpti sunt. Unde et Moyses ait : « Hoc est verbum quod dixit Dominus, in his qui appropinquant mihi sanctificabor. » Sanctificatio autem Dei est pœna peccantium. Post hæc dicitur : « Et dabo te in cinerem, » ut omnia quæ superædificasti malæ conscientiæ tuæ ignis assumat. Qui cum debueras in requie et sabbato nequaquam opus facere servile, ligna in sabbato collegisti, ut haberet, quod in pectore tuo devoraret incendium. Prodest quoque omnia mala opera converti in cinerem, ut ignis noxius penitus exstinguatur, et omnes conspiciant et obstupescant perisse regem Tyri et nihili factum esse, non in multis sæculis,

sed in uno, vel certe in perpetuum, ut impleatur illud quod scriptum est: « Non parcam tibi, et non miserebor. » Solent Hebræi inter cæteras fabulas suas, et γενεαλογίας atque interminabiles quæstiones, hæc contra Hyram regem Tyri dicta intelligere, cum a Salomone usque ad Ezechielem anni sint plurimi, quos eo tempore hominem non vixisse perspicuum est, et sic pronuntiare, quasi per ironiam propheta ad eum loquatur: Numquid tu es signaculum similitudinis Dei, plenus sapientiæ, et perfectus decore: tu cunctis ornatus lapidibus, tu cherub, vel creatus cum cherub, cum e contrario peccaveris, et in cinerem dissolvendus sis? Adduntque fabulæ suæ miraculum, ut contra Scripturam, imo sine Scripturæ auctoritate dicant Hiram mille vixisse annis. Verum hæc, quam violenta sit interpretatio, absque nostro judicio prudens lector intelligit.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili « hominis, pone faciem tuam contra Sidonem et pro« phetabis de ea et dices: Hæc dicit Dominus Deus: « Ecce ego ad te, Sidon, et glorificabor in medio tui; « et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea judicia, « et sanctificatus fuero in ea, et immittam ei pesti« lentiam, et sanguinem in plateis ejus. Et corruent « interfecti in medio ejus gladio per circuitum, et « scient quia ego Dominus. Et non erit ultra domui « Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem « inferens, undique per circuitum eorum qui ad« versantur eis, et scient quia ego Dominus Deus. Hæc « dicit Dominus Deus: Quando congregavero domum « Israel de populis, in quibus dispersi sunt, sanctifica« bor in eis coram gentibus. Et habitabunt in terra sua, « quam dedi servo meo Jacob, et habitabunt in ea securi, « et ædificabunt domos plantabuntque vineas, et ha« bitabunt confidenter, cum fecero judicia in omnibus « qui adversantur eis per circuitum. Et scient quia ego « Dominus Deus eorum. » (*Hieron.*) Consequenter autem post Tyrum sermo fit ad Sidonem: unius enim utraque urbs provinciæ est. Et in Evangelio Tyrus et Sidon pariter nominantur: « Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ fuerunt in te (*Matth.* XI; *Luc.* X.) » Unde et Chananæa, cujus filia a dæmonio vexabatur, quæ egressa est de finibus Tyri et Sidonis quod postulaverat impetravit. Prædicit autem sermo divinus, quod a Babyloniis et ipsa capienda sit, et malorum cognoscat pondere, quod ipse sit Dominus cum judicaverit eam et sanctificatus fuerit in illa, et fame eam ac pestilentia gladioque consumpserit, ita ut corruat in plateis illius; et nequaquam ultra sit in offendiculum populo Dei, nec eos frequenter impugnent. Cum autem hoc factum fuerit revertatur populus Israel, quos in diversas disperserat nationes in terram suam, et sanctificetur in eis: nequaquam ut in Sidone in malam partem, sed in bonam, cum eis misertus fuerit, et habitaverint in terra, quam dedit patri eorum Jacob: et habitaverint securi et in Domino confidentes, et ædificaverint domos, et plantaverint vineas, cum sua promissa compleverit; et tunc cognoscant quod ipse sit Dominus, cujus promissa firmissima sunt. Quod multi ad tempus referunt Zorobabel Ezræ et Neemiæ, quando reversus est populus Israel, et habitavit in terra Judæa. Alii vero in ultimo tempore, et in mille annis sperant esse complendum. Porro secundum intelligentiam spiritalem hic nobis sensus videtur: Sidonii interpretantur *venatores* de quibus et in Psalmis scriptum est: « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, et a verbo aspero (*Psal.* CXXIII); » et in Proverbiis: « Oculus meretricis laqueus est peccatoris (*Eccle.* VII). » Sunt autem et in bonam partem his contrarii venatores, de quibus scribit Jeremias: « Ecce ego mittam piscatores et venatores, qui venentur vos de omni colle et monte (*Jer.* XVI); » quos et Dominus mittit ad piscandum, et facit eos de piscatoribus piscium piscatores hominum (*Matth.* IV). Unde et viculus Petri et Andreæ hoc appellatur vocabulo; Bethsaida enim in lingua nostra interpretatur *domus venatorum*. Adversum hos igitur pessimos venatores, Dei sermo dirigitur, et imperatur prophetæ, ut ponat sive obfirmet faciem suam contra Sidonem, et nequaquam fluctuet omni vento doctrinæ, sed in veritate consistens interficiat suos venatores. Quæ sunt ergo quæ Sidoni Dominus comminatur? « Ecce ego ad te ipse veniam, et glorificabor in te, cum te interfecero, et scient omnes, qui vixerint, quod ego sum Dominus, » cum tibi reddidero quæ mereris, mittamque pestilentiam et sanguinem in plateas tuas. Recteque plateæ dicuntur Sidonis. « Lata enim et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem (*Matth.* VII). » « Et corruent interfecti, qui male steterant, gladio per circuitum, » illo gladio quem venit Dominus mittere super terram (*Matth.* X), ut male juncta dissociet: et sciant, qui remanserint, quod ipse sit Dominus. Cumque illi cessaverint, nequaquam ultra erit offendiculum amaritudinis, et spina doloris compungens et vulnerans populum Dei. Omnia autem hæc dicuntur contra adversarias potestates, quod in extremo tempore deleantur, et sit æterna securitas, quando congregaverit Dominus, domum Israel, eos qui sensu cernunt Deum: et sanctificatus fuerit in eis, et compleatur illud, quod scriptum est: « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum (*Levit.* XIX). » Et habitaverint in terra sua, de qua et alibi legimus: « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI). » Quam dederat Jacob, qui priorem supplantaverat fratrem, et primitiva ejus meruerat accipere. « Et habitabunt in ea securi, » sive in spe, « et ædificabunt domos, plantabuntque vineas, et habitabunt » secundo in spe. Juxta illud, quod legitur in Isaia: « Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, et spem super spem (*Isa.* XXVIII). » « Ædificabunt autem domos, » quas et in Evangelio ædificat, qui non super arenam, sed super petram fundamenta constituit. De quibus scriptum est: « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam (*Psal.* CXXVI). »

CAPUT XXIX.

Sermo Domini contra Pharaonem et Ægyptum, ubi prædicitur solitudo Ægypti et ejus post annos quadraginta restitutio promittitur Nabuchodonosor pro mercede laboris contra Tyrum.

« In anno decimo, in duodecimo mense, in prima « die mensis, factum est verbum Domini ad me di« cens : Fili hominis, pone faciem tuam contra Pha« raonem regem Ægypti, et prophetabis de eo, et « de Ægypto universa loqueris, et dices : Hæc dicit « Dominus Deus, » etc. Post Sidonem, quæ et ipsa in Phœnicis littore constituta est, sermo fit ad prophetam decimo anno captivitatis regis Joachim, et duodecimo mense et una die mensis, ut ponat faciem suam sive obfirmet contra Pharaonem regem Ægypti, et loquatur de eo, et de universa Ægypto, sive ad omnem Ægyptum ; ex alia enim parte Judææ in eodem littore constituta Ægypti provincia est, et quæ illi ventura sint prophetet. Sin autem oportet de numeris aliquid dicere, quem locum habeat inter decem dies una. Unde et in principio Geneseos non est dictum, « factum est vespere et mane dies prima, » sed « una, » ut eamdem diem revolvi semper edoceat eumdem ordinem inter decem decadas, hoc est, centenarium numerum decimus numerus possidebit, quo ad victimam agnus assumitur, ut immoletur die quarta decima, atque hoc modo usque ad mille et decem millia et centum millia, et ultra per decadas suas numerorum ordo procedit. Post decimum autem annum mensis duodecimus ponitur, ut perfectus duodecim apostolorum ac prophetarum, qui in uno volumine continentur, numerus demonstretur. Porro, juxta Septuaginta, decimo mensis, qui hebraice appellatur *Thebeth*, et apud Ægyptios *Tybi*, apud Romanos Januarius dicitur, eo quod apud illos anni sit janua : omni calore sublato, hyberni frigoris continet principatum. Hoc de numeris dixisse sufficiat. Cæterum illud vel maxime requirendum est, utrum ipse sit Pharao, qui in Exodo, et in Isaia, et Jeremia, et Ezechiel, multisque aliis in locis, et in Cantico nominatur : « Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te, proxima mea (*Cant.* I) ; » an alius atque alius ? Videturque mihi non esse unus, sed apud Ægyptios, hoc vocabulo demonstrari regiam dignitatem, sicut apud Romanos Cæsares et Augusti reges eorum appellantur a primo Gaio Cæsare, et secundo adoptivo ejus Octaviano, qui postea Augustus est nominatus, et apud Syros Antiochi, apud Persas Arsacidæ, apud Philistiim Abimelech, et post Alexandrum in Ægypto Ptolomæi usque ad Cleopatram, qua victa apud Actium Ægyptus Romana est facta provincia. Ergo in præsentiarum adversum unum quemlibet regem Ægypti sermo fit Domini, qui interpretatur διασκεδαστὴς, interfector videlicet et lacerator et gladio cuncta concidens et dividens. Quod juxta mysticos intellectus referendum est ad eam potestatem, cui subjecta est Ægyptus. Nunquam enim homo auderet dicere : « Mea sunt flumina, et ego feci illa, » nec draco appellaretur magnus, et sedens in medio fluminum suorum. Ægyptus autem hebraice appellatur *Mesraim*, et in linguam nostram vertitur *coangustans* videlicet, et tribulans eos qui sibi subditi sunt, et non dimittens oculos ad cœlum levare, sed juxta Evangelium (*Luc.* XIII) et exemplum illius mulieris quam decem et octo annis diabolus incurvaverat semper ad terrena demergens. Videamus igitur quæ sit comminatio contra Pharaonem et omnem Ægyptum.

« Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco ma« gne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et di« cis. Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et « ponam frenum in maxillis tuis, et agglutinabo pi« sces fluminum tuorum squamis tuis ; et extraham te « de medio fluminum tuorum, et universi pisces tui « squamis tuis adhærebunt. Et projiciam te in deser« tum et omnes pisces fluminis tui ; super faciem « terræ cades. Non colligeris neque congregaberis. « Bestiis terræ et volatilibus cœli dedi te ad devo« randum. Et scient omnes habitatores Ægypti, quia « ego sum Dominus, pro eo, quod factus es baculus « harundineus domui Israel, quando apprehenderunt « te manu sua, et confractus es, et lacerasti omnem « humerum eorum, et innitentibus eis super te com« minutus es, et dissolvisti omnes renes eorum. » Dicit autem contra Pharaonem principem Ægypti, et sub figura ejus ad magnam loquitur potestatem, cui Ægyptus tradita est ad regendum. Et nihilominus superbit contra creatorem suum sibi dominationem terræ vindicans, et se colendam Ægyptiis gentibus tradens. Loquiturque juxta situm provinciæ *quasi* ad regem quod in Nili inundatione confidat, et pluvias de cœlo non magnopere desideret auctoremque, sui seipsum putet vel fluvios, hoc est, διώρυχας, et rivos Nili a se factos jactitet. Non, inquit, angelum mittam, sed, o draco magne, qui cubas et resides in medio fluminum tuorum, ipse ad te veniam puniendum. Ausus enim es dicere : Meus est Nilus fluvius, et ego mei conditor sum, vel ipse feci flumen, quo omnis Ægyptus irrigatur. Cumque venero, « ponam frenum in maxillis tuis, » sive constringam laqueis os tuum, quo magnifice loquebaris. Et omnes socios ac duces tuos, quos pisces vocat, adhærere faciam pennis vel squamis tuis, ut extractus e flumine projiciaris sive deponaris. Nimium te enim extuleras in deserto, et cades super faciem campi vel terræ tuæ : eo quod Ægyptus campestris provincia sit. Nec colligetur cadaver tuum, nec congregaberis, id est, nequaquam sepelieris, sed « bestiis et volatilibus cœli dabo te devorandum ; » ut cum hæc viderint in te meo judicio perpetrata habitatores Ægypti, cognoscant quod ipse sim Dominus. Hæc autem tibi evenient quoniam populum meum Israel tuo auxilio decepisti, ut nequaquam in Deo creatore suo, sed in te confiderent. Fuisti eis baculus arundineus juxta Isaiam (*Isa.* XXXVI), vel virga vacua, et calamus fragilissimus, cui innitentes cassum deprehendere præsidium, ita ut ab incumbentibus frangereris et lacerares humerum, et manum qua tenebaris. Et dum in te securi sunt comminuentur omnes lumbi eorum

cadentium in terram, et pro auxilio accipientium vulnera. Hæc autem per μεταφορὰν dicuntur quasi ad regem Ægypti, eo quod et ipsa provincia nequaquam adversaria fuerit Israeli, sed dum magna promittit, a Dei eos auxilio separaret. Draconem autem juxta ἀναγωγὴν contrariam potestatem sæpe legimus; unde et Pharao dicitur διασκίδαστης, quod a Deo separet atque se jungat; et Ægyptus in *tribulantes* et *affligentes* vertitur, eos videlicet quos sibi potuerit subjugare. Iste draco est prævaricator de quo Job plenissime loquitur (*Job.* XL). Et in psalmo scriptum est : « Tu confregisti capita draconis, dedisti eum in escam populis Æthiopibus (*Psal.* LXXIII). » Et draco magnus ad comparationem minorum draconum dicitur; de quibus canitur : « Tu confregisti capita draconum in aquis. Et in alio loco : « Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis; illic naves pertransibunt. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei (*Psal.* CIII). » De quo et in alio loco dicitur : Ipse est rex omnium, qui in aquis sunt, et principium figurationis Domini, qui factus est, ut illuderetur ab angelis ejus. Sedet autem sive cubat in medio fluminum suorum, non unius fluminis, sed multorum, quæ in diversis hæresibus accipimus, per quas fluxit in Ægyptum sæculi istius et irrigavit animas seductorum, non pluviis de cœlo venientibus, sed de terra aquis turbidis, quas bibere nos prohibet Jeremias, dicens : « Quid tibi et viæ Ægypti, ut bibas aquam Geon (*Jer.* II), » pro quo in Hebraico *sior* scriptum est, quod verbum in *aquas turbidas* transfertur atque cœnosas. Ut autem intelligamus, quæ sint Ægyptii draconis flumina, ex contrariis scire poterimus. Dominus loquitur de fluminibus suis : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII). » Et ad Samaritanam : « Qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). » Ista sunt flumina de cœlo venientia de quibus David canit : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV), » haud dubium quin Ecclesiam significet. Consideremus ergo quæ draconis pœna, quodve supplicium sit. Sequitur : « Et ponam frenum vel laqueum in maxillis tuis. » Cui simile est illud Job : « Adduces autem draconem in hamo, et pones capistrum circa nares ejus. Confidit quod introeat Jordanis in os ejus, in oculo suo suscipiet illum : perforabit autem sude nares ejus, et armilla labium illius (*Job.* XL). » (*Greg. Moral.* XXXIII, c. 8.) Quid aliud sudes, id est, palos accipimus, qui videlicet exacuuntur ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia quæ hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas insidias et vigilando circumspiciunt, et superando transfigunt? Per nares vero odor trahitur, et ducto flatu hoc agitur, ut res etiam quæ longe est posita cognoscatur. Naribus ergo Behemoth, callidæ ejus insidiæ designantur, per quas sagacissime nititur et occulta cordis nostri bona cognoscere, et hæc pessima persuasione dissipare. In sudibus itaque Dominus

A nares ejus perforat, quia callidas ejus insidias acutis sanctorum sensibus penetrat enervans. (*Hieron.*) Ponit autem Dominus in maxillis draconis istius frenum et perforat labia ejus atque constringit armillæ circulo, quando per ecclesiasticos viros, qui Scripturis sanctis eruditi sunt, imponit ei silentium, et universa perversitatis dogmata dissolvuntur. Agglutinatque pisces fluminum ejus pennis ipsius vel squamis, quibus hæretici per superbiam ad alta festinant, ut et ipsi vincti cum dracone, unum cum eo corpus efficiant et copulentur ei vel in erroris consortio, vel in pœnæ similitudine, quomodo qui adhæret Domino, unus est spiritus. Neque vero unum habet flumen draco Ægyptius, sed multa flumina, quibus irrigat Ægyptum humilem atque de-
B jectam, et nihil in se habentem montium, nec aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, sed turbidas et cœnosas. Unde et extrahit eum Dominus de medio fluminum suorum, ut nequaquam eis incubet nec sedeat in eis, et omnes pisces squamis illius adhæreant pro qualitate vitiorum, per totum corpus draconis vel capiti vel ventri vel caudæ, et extremis partibus adhærentes; ut extracto dracone pisces quoque, qui adhærent ei pariter extrahantur. Et projiciam te, inquit, in desertum, ut nequaquam reperias, quos decipias. Vel certe deponam te de culmine superbiæ tuæ, et deponam te velociter. Juxta illud Apostoli : « Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI); » ut dracone contrito atque deposito, pisces quoque fluminis illius
C deponantur, et cadat auctor criminum, qui prius stare se arbitrabatur, et in toto orbe discurrere. Cadat autem super faciem terræ suæ, ad quam de cœlo præcipitatus est, ut nequaquam ultra in hæreticorum ecclesiis colligatur : neque congregetur sive sepeliatur in his, qui crediderunt ei cum ab eo fuerint liberati, sed detur ad devorandum bestiis terræ et volatilibus cœli; bestiis illis de quibus scriptum est : « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Psal.* LXXIII). » Et volatilibus cœli, quæ juxta viam sementem comedunt. Et a Salvatore interpretantur esse diaboli. Non solum enim princeps malitiæ, sed et discipuli ejus diaboli nominantur. Juxta illud, quod de Juda dicitur : « Nonne ego vos elegi duodecim, et unus de vobis diabolus est? » (*Joan.* VI.)
D Cœli autem vocantur volatilia, quia sibi sublimia repromittunt, ut postquam draco cum piscibus suis depositus fuerit atque projectus, et traditus ad devorandum bestiis terræ, quæ nihil in se habent mansuetudinis, et his qui circumferuntur omni vento doctrinæ, tunc intelligant habitatores istius sæculi, quod ipse sit Dominus. Omnis autem causa pœnarum est, quod frustra domui Israel promisit auxilium, et fuit ei virga vel baculus arundineus, vacuus et inanis, nihilque in se habens plenitudinis, quia non poterat dicere : « Nos autem omnes de plenitudine ejus accepimus (*Joan.* I); » cum Scriptura præceperit : « Non apparebis in conspectu Domini Dei tui inanis aut vacuus (*Exod.* XXIII). » Quod autem non

debeamus ab Ægypto auxilium postulare, et alibi Scriptura testatur : « Væ eis qui descendunt in Ægyptum ad auxilium (*Isa.* XXXI). » De istiusmodi baculo arundineo et Rabsaces frustra exprobrat Ezechiæ regi Judæ, dicens : « Ecce confidis in virga arundinea atque confracta ista, super Ægypto, cui qui innixus fuerit, ingreditur in manum ejus : sic est Pharao rex Ægypti, et omnes qui confidunt in eo (*Isa.* XXXVI). » Et ille quidem de justo rege mentiebatur ista commemorans, qui interpretatur multus poculo. Inebriatus enim erat de aureo calice Babylonis, et idcirco quæ sua erant ingerebat populo dominum confitenti. Hic vero exprobratur Pharaoni quod fuerit domui Israel virga sive baculus arundineus, vanum eis et fragile et cito comminuendum auxilium repromittens. Ut autem scire valeamus, qui sit baculus arundineus, super quo domus Israel confidere non debeat, ex contrario baculo et virga Domini intelligere poterimus, de qua ad Dominum dicitur : « Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt (*Psal.* XXII). » Hanc virgam habuit et Aaron quæ dracones Ægyptios devoravit (*Exod.* VIII, X), et percussit aggeres Nili, et cyniphes in tota Ægypto generatæ sunt. Moyses quoque, juxta LXX, extendit hanc virgam et levavit in cœlum, et Dominus induxit ventum austrum super terram toto illo die et tota nocte et mane levavit ventus, et adduxit locustas super omnem terram Ægypti. De hac puto virga scribi, et in Numerorum libro (*Num.* XVII) quod floruerit et nuces sive amygdalas germinarit. Hanc habebat et Apostolus dicens : « Quid vultis in virga veniam ad vos? » (*I Cor.* IV.) Et qui Pascha celebrabant baculos tenebant manibus (*Exod.* XII), sine quibus imbecillitatem humani corporis sustentantibus carnes agni comedere non poterant. Hæc est virga de radice Jesse, super quam septem spiritus requieverunt. Sed non talis Pharao, nec baculus Ægypti, et virga arundinea, quæ decipit apprehendentes se, et lacerat humeros eorum, id est, fortitudinem. Et quicunque super eam fuerit invisus, dissolvuntur lumbi ejus, et stare non poterit nec accinctus renibus Pascha celebrare, quod his congruit quorum scrutatur corda et renes Deus (*Psal.* VII).

« Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego adducam super te gladium, et interficiam de te hominem et jumentum. Et erit terra Ægypti in desertum et solitudinem, et scient quia ego sum Dominus. Eo quod dixerit fluvius meus est, et ego feci eum; idcirco ecce ego ad te, et ad flumina tua daboque terram Ægypti in solitudinem, gladio dissipatam a turre Syenes usque ad terminos Æthiopiæ. Non transibit per eam pes hominis, neque pes jumenti gradietur in ea : et non habitabitur quadraginta annis. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, et civitates ejus in medio urbium subversarum, et erunt desolatæ quadraginta annis. Et dispergam Ægyptios in nationes et ventilabo eos in terras, quia hæc dicit Dominus Deus : Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis, in quibus dispersi fuerant et reducam captivitatem Ægypti, et collocabo eos in terra Phatures in terra nativitatis suæ : in terra de qua sumpti sunt : Et erunt ibi in regnum humile, et inter regna cætera erit humillimum; et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos, ne imperet gentibus, neque erunt ultra domui Israel in confidentia docentes iniquitatem, ut fugiant et sequantur eos : et scient quia ego sum Dominus Deus. » (*Hieron.*) Junge prioribus quæ sequuntur. Quia fuisti baculus arundineus domui Israel, et non solum confractus es in manu ejus, sed juxta Isaiam perforasti manum ejus, et nunc lacerasti humerum, et ipse comminutus es et innitentium super te dissolvisti lumbos, idcirco ego inducam super te hostium gladium, et cum hominibus jumenta vastabo : et redigetur terra Ægypti in solitudines, et secundo scient Ægyptii, quod ego sum Dominus. Nec hoc ero fine contentus, sed quia in tantam prorupit blasphemiam, ut suos esse diceret fluvios, et omnem abundantiam Ægypti, ideo et ipsum auferam, qui se dixerat creatorem, et flumina quæ a se creata jactaverat et reliquam terram Ægypti in longissimam solitudinem, et gladio dissipatam a turre Syene usque ad terminos Æthiopiæ. Pro turre, quæ hebraice *magdal* dicitur, Septuaginta loci nomen posuerunt, ut *magdalon* scriberent. Turris autem Syene usque hodie permanet castrum Romanæ ditioni subditum : ubi sunt Nili cataractæ, et usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est. Totam igitur Ægyptum dicit esse populandam usque ad terminos Æthiopiæ, quibus extrema Ægypti regio jungitur : ita ut pes hominis in Ægypto non pertranseat, nec jumenta reperiantur in ea, et non habitetur per quadraginta annos. Parcitur enim Ægyptiis, et quia hospites quondam fuere Israel, brevior temporis condemnatio est. Tyrus sabbatizavit sabbata sua per annos septuaginta et sic in antiquum statum restituta est. Captivitas quoque Judææ templique subversio usque ad Cyrum regem Persarum septuaginta complevit annos : « potentes enim potenter tormenta patientur. » Quod autem dicit : « Dabo terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, » Palæstinam significat, Idumæos et Moabitas, omnesque alias regiones adversum quas supra prophetæ vaticinium est. Tunc disperget sive disseminabit Ægyptios in nationes et ventilabit eos in terras. Et quia clemens et miserator est Dominus, patiens et multarum miserationum, post quadraginta annos Ægypti restitutio est, et reducetur in antiquum solum universa captivitas, et collocabitur in urbe metropoli, quæ appellatur Phatures, ubi orta est et unde profecta est, ita duntaxat ut pro utilitate sua amittat antiquam superbiam, et sit in regnum humile, imo humillima omnium nationum : et non elevetur ultra contra gentes, nec in eas habeat potestatem, sed redacta in paucitatem, nequaquam decipiat domum Israel sui confidentia ; nec doceat eos iniquitatem, sive redigat eos in memoriam iniquitatis

quod deserto auxilio Dei Ægypti quæsierunt admi-niculum. Et hæc omnia fient, ut tertio cognoscant Ægyptii quod ipse sit Dominus. Hæc brevi sermone perstrinximus historiæ fundamenta jacientes : nunc allegoriæ nubilum disserendum est, et eadem brevitate vitare conabitur, et hujus explanationis longitudinem. Ad draconem sermo est, qui dixerat, « Mea sunt flumina, et ego feci ea, » quod inducat super eum ipse Dominus gladium. De quo in Isaia scriptum est : « Inebriatus est gladius meus in cœlo, » nunc descendet in terram, ut perdat ex ea hominem et jumentum, quidquid vel rationis videtur habere vel simplicitatis : et perdat absolute, sed draconi, vel ut draconi pereant, et vivant Deo. Et fiat Ægypti terra perditio secundum superiorem sensum, quo draconi pereat, et post perditionem redigatur in solitudinem, pessimum hospitem habere desistens. Et tunc cognoscent homines et jumenta, et terra disperdita quod ipse sit Dominus. Illo sensu quo LXXVII psalmo scriptum est : « Cum occideret illos, tunc quærebant eum. » Omnis enim qui quærit, inveniet. Deique misericordiæ est, ut mundi hujus pereat abundantia, et Ægypti fluenta siccentur, imo terra eorum sit in solitudines : et sententia Domini dissipetur a turre Syene, quæ interpretatur *gyrus*, ut nihil in se recti habeat, usque ad terram Æthiopum, qui humiles appellantur, ut videlicet omnis superbia quæ se contra Dei scientiam erexerat destruatur, et humilietur in salutem suam. Nec pes hominis, hoc est rationale quippiam transeat per Ægyptum : neque pes jumenti gradiatur in ea, ut simplices quosque non teneat, quos dimissis hominibus Pharao in Ægypto tenere cupiebat, Moyse contradicente, et volente jumenta quoque de captivitate Ægypti liberari. « Et non, inquit, habitabitur quadraginta annis; » qui numerus semper afflictionis et pœnæ est. Unde et Moyses (*Exod.* XXXIV), et Elias (*III Reg.* XIX), et ipse Salvator (*Matth.* IV) quadraginta diebus jejunaverunt et noctibus. Et per quadraginta annos populus erat in solitudine, ut postea circumcisus in Galgalis (*Num.* XIV), opprobrio et ignominia Ægypti liberaretur. In cujus numeri sacramento et hic idem propheta pro tribu Juda quadraginta diebus dormit in dextro latere : et quadringentis annis populus serviturus in Ægypto nuntiatur, qui faciunt quadraginta decadas sive quatuor ἑκατοντάδας. Pluviæ quoque diluvii quadraginta diebus inferunt orbi naufragium. Justum enim erat, ut qui per quatuor elementa mundi, quibus omnia constare dicuntur, dum ea diligit et fovet, Deum offendat, in ipso numero puniretur, et Israel qui peccaverat in sabbatum, septem decadarum, hoc est septuaginta annorum supplicium sustineret. Daturque terra Ægypti deserta et civitates ejus in medio terrarum et urbium subversarum, quæ non sunt exstructæ de lapidibus, sed latere et paleis ut dispergatur Ægyptus, quæ male sibi fuerat copulata, et ventiletur in terras, quo scilicet frumentum a paleis separetur : et quadraginta annorum fine completo, sit restitu-

A tio Ægypti, et reducatur captivitas ejus, et collocetur in terra Phatures, quæ interpretatur panis conculcatus : ubi panis ille, qui dixerat : « Ego sum panis qui de cœlo descendi, » pravitate hæretica conculcatus est, ut cum venerint ad Ecclesiam, habitent in pane conculcato. Et nequaquam eleventur in superbiam, sed sint in regnum humile : et ut jam cum restituti fuerint in pristinum statum, se per humilitatem dejiciant, quod in Ægypto vixerint, et latericias exstruxerint civitates. Et inter multa regna ecclesiæ sint humiles, et sciant in quem peccaverunt, et ultra non elevetur Ægyptus super ecclesias in toto orbe divisas, sed redigatur in paucitatem, et pauci in ea remaneant inter gentes; et ultra non decipiant domum Israel, id est, ecclesiam, nec vanam eis spem

B et confidentiam repromittant docentes iniquitatem, ut fugiant ecclesiasticam disciplinam, et sequantur Ægyptias voluptates. Hæc autem fient, ut tertio cognoscant Ægyptii, quod ipse sit Dominus. Quod mihi propterea videtur dici, ut cognitio prima Ægyptiorum in carne sit, secunda in anima, tertia in spiritu. Primo super terram, secundo mundi hujus conversatione finita, tertio post resurrectionem.

« Et factum est in vicesimo, et septimo anno in « primo et una die mensis, factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, Nabuchodonosor « rex Babylonis, servire fecit exercitum suum servitute magna adversum Tyrum. Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est; et « merces non est reddita ei, neque exercitui ejus de

C « Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversum « eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce « ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra « Ægypti, et auferet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus; et erit « in mercedem exercitui illius, et operi, quo servivit « mihi adversum eam. Dedi ei terram Ægypti, pro « eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus. In die « illo pullulabit cornu domus Israel, et tibi dabo « apertum os in medio eorum. Et scient quoniam « ego Dominus. » Quæritur quomodo post decimum annum superioris sermonis statim vicesimus et septimus ponatur annus, et in sequentibus decimus duodecimusque : et in extrema descriptione templi vicesimus quintus, sed facilis solutio est. Quia enim

D de Ægypto et superior et hæc, quæ nunc dicitur prophetia contexitur, licet diversis sit facta temporibus, tamen quia de una provincia prophetatur, junctæ sibi sunt. Quod et in Jeremia crebro legimus, ut præpostero ordine tempora describantur. Prius enim Sedeciæ in quibusdam gesta referuntur, et postea Joachim, qui ante eum fuit. In Psalmis autem, quia carmen est lyricum, historiæ ordo non quæritur. Dicamus ergo prius juxta litteram. Nabuchodonosor cum oppugnaret Tyrum, et arietes, machinas, vineasque, eo quod cincta mari esset, muris non posset adjungere, infinitam exercitus multitudinem jussit saxa et aggeres comportare, et expleto medio mari, imo freto angustissimo, vicinum littus

insulæ fecit contiguum. Quod cum viderent Tyrii jam jamque perfectum, et percussione arietum murorum fundamenta quaterentur, quidquid pretiosum in auro, argento vestibusque et varia supellectili nobilitas habuit, impositum navibus ad insulas asportavit, ita ut capta urbe nihil dignum labore suo inveniret Nabuchodonosor. Et quia Dei in hac parte obedierat voluntati post aliquot annos captivitatis Tyriæ, datur ei Ægyptus. Multoque sævior Tyrus Ægypto. Illa enim oppugnabat Hierusalem, hæc vanum pollicebatur auxilium. Aliud est enim spei imbecillitate decipere, aliud adversum Dei populum dimicare. Hoc est ergo, quod dicit Nabuchodonosor rex Babylonis in oppugnatione Tyri : Suum mihi servire fecit exercitum, ut impleret voluntatem meam. Omne, inquit, caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est. Gestantium videlicet cophinos terræ, et lapides, quibus raduntur humeri et decalvatur caput. Et tamen nec ipse nec exercitus ejus aliquid dignum invenit in Tyro. Et in hoc cum mihi servierit, et meam contra Tyrum impleverit voluntatem, idcirco dabo ei terram Ægypti. Quod quidam dicunt sub Nabuchodonosor esse completum. Alii sub Cambyse filio Cyri, qui Ægyptum usque ad Æthiopiam vastavit, ita ut Apim interficeret, et omnia eorum simulacra deleret. Quam ob causam putant eum versum in amentiam casu equi et proprio pugione confossum. Plenissime hanc historiam narrat Herodotus, ubi et omnis Ægyptus per pagos et vicos et castella describitur, et Nili origo gentisque ejus populi, et mensura terræ per circuitum usque ad desertum Æthiopiæ et littora maris magni, Libyæque et Arabiæ confinia demonstrantur. Causa autem iræ Domini contra Ægyptum illa est, quod populum Dei suo deceperit auxilio, ne speraret in Dominum, et illum ad iracundiam provocarit. In illo, inquit, die quo Ægyptus capta fuerit pullulabit cornu domus Israel. Haud dubium quin regium genus significet. Quod quidam ad Zorobabel filium Salathiel, qui per Jeconiam de David stirpe generatus est. Alii ad ultimum tempus referunt, quando putant et Eliam esse venturum. Nos autem cornu Domini pro Christo intelligentes præsentem carpimus historiam. Cumque, ait, o propheta, hoc prius fuerit expletum : tunc aperietur os tuum, et vaticinium tuum nequaquam dubia promissione pandebit, sed cernetur opere perpetratum, ut sciant, qui audierint me esse Dominum, cujus dixisse fecisse est. Hæc secundum litteram, imo juxta veritatem dicta sint prophetiæ. Cæterum ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem acceperit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri. Unde et per Jeremiam Nabuchodonosor columba Dei appellatur, eo quod adversum populum peccatorem Dei servierit voluntati. « Et adducam, inquit, servum meum Nabuchodonosor. » Ex quo perspicuum est condemnari nos comparatione gentilium, si illi lege faciant naturali, quæ nos etiam scripta negligimus. De quo plenissime ad Romanos Paulus apostolus disputat. Ac ne aliquid præterire videamur, secundum intelligentiam spiritalem quærimus ubi hunc numerum, hoc est, viginti septem legerimus. In Geneseos libro (*Gen.* VII), Scriptura testatur sexcentesimo anno vitæ Noe, secundo mense, vicesimo septimo die mensis secundi, super faciem terræ aquas inductas esse diluvii, et postea septimo mense ejusdem anni, qui vicinus est sabbato, et vicesima septima die ejusdem mensis septimi aquas cessasse diluvii, et sedisse arcam Noe super montes Ararat, qui interpretantur Armeniæ. Ex quo intelligimus medium esse numerum, et ad utrumque posse conferri : quando in hoc et ira Dei incipit a diluvio, et clementia ejus septimo mense in eodem dierum numero demonstratur. Et quia apud Hebræos mensis, qui apud nos Kalendis et nonis idibusque devolvitur, secundum lunæ cursum supputatur, unde et Græco vocabulo μήνη, id est luna, a mense nomen accepit, hoc dictum est in vicesimo septimo lunæ die parum quid luminis remansisse, ne penitus ira ejus absque misericordia sit. Quando autem totus lunæ orbis impletur, tunc et Pascha celebratur, et omnes maxime solemnitates, quod strictim possumus, ut sciamus in hoc numero et bona et mala pariter contineri, bona Nabuchodonosor cujus labori merces redditur, mala Ægyptiis, quorum vastitas nuntiatur.

CAPUT XXX.

Plangitur destructio Ægypti et urbium ejus, cum quo corruerunt provinciæ ipsi confœderatæ.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens : *Fili* « hominis, propheta et dic : Hæc dicit Dominus « Deus : Ululate, væ, væ diei, quia juxta est dies, et « appropinquant dies Domini, dies nubis, tempus « gentium erit, et veniet gladius in Ægyptum, et « erit pavor in Æthiopia, cum ceciderint vulnerati in « Ægypto, et ablata fuerit multitudo illius, et destru« cta fundamenta ejus. Æthiopia, et Libya, et Lydi, et « omne reliquum vulgus, et Chub, et filii terræ fœde« ris cum eis gladio cadent. Hæc dicit Dominus « Deus : Et corruent fulcientes Ægyptum, et de« struetur superbia imperii ejus, a turre Syenes « gladio cadent in ea, ait Dominus exercituum. Et « dissipabuntur in medio terrarum desolatarum, et « urbes ejus in medio civitatum desertarum erunt. « Et scient quoniam ego Dominus, cum dedero « ignem in Ægypto, et attriti fuerint omnes auxilia« tores ejus. In die illa egredientur nuntii a facie mea « in trieribus ad terendam Æthiopiæ confidentiam, et « erit pavor in eis in die Ægypti, quia absque du« bio veniet. Hæc dicit Dominus Deus. Et cessare fa« ciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodo« nosor regis Babylonis, ipse et populus ejus cum « eo, fortissimi gentium adducentur ad disperdendam « terram, et evaginabunt gladios suos super Æg« ptum, et implebunt terram interfectis. Et faciam « alveos fluminum aridos, et tradam terram in ma« nu pessimorum, et dissipabo terram et plenitu« dinem ejus in manu alienorum, ego Dominus lo« cutus sum. Hæc dicit Dominus Deus : Et disperdam

« simulacra, et cessare faciam idola de Memphis, et A « dux in terra Ægypti non erit amplius. Et dabo « terrorem in terra Ægypti, et disperdam terram « Phatures, et dabo ignem in Taphnis, et faciam ju« dicia in Alexandria, et effundam indignationem « meam super Pelusium robur Ægypti, et interfi« ciam multitudinem Alexandriæ. Et dabo ignem in « Ægypto : quasi parturiens dolebit Pelusium, et « Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiæ « quotidianæ, juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio « cadent, et ipsæ captivæ ducentur, et in Taphnis ni« grescet dies, cum contrivero ibi sceptra Ægypti, et « defecerit in ea superbia potentiæ ejus : ipsam nubes « operiet. Filiæ autem ejus in captivitatem ducentur. « Et faciam judicia in Ægypto, et scient quia ego « Dominus. » Post vicesimum et septimum annum B captivitatis regis Joachim revertitur ad præsens tempus quando contra Ægyptum cœperat prophetare, id est, ad annum decimum et decimum mensem, undecima mensis die. Et dicit sibi præceptum a Domino, ut loquatur ad omnes nationes, et cum omnibus specialiter ad Ægyptum. Quæ sunt ergo quæ loquitur? « Ululate, væ, væ diei, quia juxta est dies, et appropinquat dies Domini, » non claro sole rutilans, sed operta nubibus, et Babyloniam adferens tempestatem. Cumque gladius cœperit vastare Ægyptum, pavor erit in Æthiopia quæ vicina est Ægypto, ne ad se usque Babylonius mucro perveniat. Cadent enim in Ægypto vulnerati, et auferetur multitudo illius et usque ad fundamenta omnia destruentur, ita ut si quis in Ægypto reperiatur de Æthiopia et Libya et C Lydia, et in commune de variis populis et Chub, quod Symmachus vertit in Arabiam, et de filiis terræ fœderis, hoc est, de populo Judæorum, cum illis gladio cadat. Pro quibus gentibus LXX posuerunt « Persæ et Cretenses et Lydi et Libyes et omnes commixti : et filii Testamenti mei, cum ipsa gladio cadent. » Et ut sciremus has omnes gentes fuisse in auxilio Ægypti, sequens sermo demonstrat. Et corruent fulcientes Ægyptum, sive sustentacula Ægypti, id est, socii. Et omnis superbia imperii, sive contumelia fortitudinis illius destruetur ac deponetur. A turre Syene, quam in extremis finibus Ægypti sitam diximus, sive « a Magdalo usque Syonen, » sicut Septuaginta transtulerunt, omnes civitates D Ægypti desertæ erunt, ut cognoscant Dominum; quando ignis Chaldæorum universa vastaverit, et attriti fuerint auxiliatores ejus, et pervenerint nuntii juxta Aquilam et Theodotionem siim, quos Symmachus transtulit festinantes, nos in trieres vertimus; ita enim ab Hebræis accepimus, ut omnis Æthiopiæ fiducia conteratur, et quando fuerit vicina provincia desolata, pavor teneat proximam. Ut autem sciremus quis esset iste gladius, qui vastaret Ægyptum, et terreret Æthiopiam, sequitur manifestius. « Et cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, » qui non solum veniet, sed veniet multis comitatus nationibus, ita ut omnis Ægyptus interfectorum sanguine compleatur.

Tantaque erit ira Domini, ut siccentur alvei fluminum, hoc est Nili διώρυχες, usque ad solum, et in manu pestilentium sive hominum pessimorum plenitudo Ægypti desoletur, mea enim verba irrita esse non possunt. Illucque proficiet indignatio, ut simulacra Ægypti disperdantur, et cessent idola de Memphis, quæ usque hodie metropolis est superstitionis Ægyptiæ, sive optimates et principes de Memphis et de terra Ægypti. Tantus autem terror cunctam Ægyptum possidebit, ut terra Phatures omnis pereat, et ignis vastet Taphnis, sive, ut LXX transtulerunt, *Tanin*. Faciamque, ait, judicia in Alexandria, quæ hodie sic vocatur : cæterum pristinum nomen habet No, quod Aquila Symmachus et Theodotio, sicut in Hebræo positum est transtulerunt. Pro quo nescio quid volentes Septuaginta dixere *Diospolim*, quæ Ægypti parva civitas est. Nos autem pro No Alexandriam posuimus, per anticipationem, quæ Græce prolepsis appellatur, juxta illud Virgilianum : *Lavinaque venit littora :* non quo eo tempore, quando venit Æneas in Latium Lavinia dicerentur, sed quæ postea Lavinia nuncupata sunt, ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiæ. « Et effundam, inquit, indignationem meam super Sain, » quam nos in *Pelusium* vertimus : et robur appellatur Ægypti eo quod portum habeat tutissimum, et negotiationes maris ibi vel maxime exerceantur. Unde et poeta Pelusiacam appellat lentem, non quod ibi genus leguminis gignatur vel maxime, sed quod e Thebaide et omni Ægypto per rivum Nili illuc plurimum deferatur. « Et interficiam, ait, multitudinem Alexandriæ, » quæ rursum in Hebræo posita est *No*, pro qua nequaquam Diospolim ut supra, sed *Memphim* Septuaginta transtulerunt. Et ut ostendat populosam jam illo tempore fuisse urbem, Perdam, ait, multitudinem No, et dabo ignem, hoc est regem Babylonis in Ægypto, qui instar ignis cuncta populetur. Quasi parturiens dolebit Sain, id est, Pelusium : sive turbatione turbabitur, et in Alexandria, id est, in No, erit scissura. Et diffundentur aquæ, pro qua rursum Septuaginta *Diospolim* transtulerunt. Moris autem Ægyptiorum est, propter inundationem Nili, excelsos aggeres construere ac ripas Nili, qui si custodum negligentia vel nimia aquarum magnitudine rupti fuerint, subjacentes campos nequaquam rigant aquæ, sed opprimunt atque populantur. Per quod significatur, sic Chaldæorum exercitu occupandam Ægyptum, quomodo inundantibus Nili aquis, et super modum crescentibus operiri solet atque corrumpi. Pro inundatione aquarum et irruptione atque scissura aggerum, in Hebræo positum est. « Et erunt in Memphis angustiæ quotidianæ, » ut unde Nilus dividitur, et ubi Apis templum est, et consulta respondent oracula, ibi quotidianæ angustiæ fiant. Juvenes quoque Heliopoleos, quæ Hebraice appellatur on, et Bubasti alterius civitatis, gladio corruent, ita ut ipsæ urbes, hoc est, habitatores, sive mulieres earum ducantur in captivitatem, qui sexus injuriæ subjacet. In Taphnis vero quæ est regia civitas contererentur sceptra Ægypti, id

est, omne regium genus. Cumque potentia ejus interfectis principibus defecerit, tunc nigrescet dies et caligine ac tenebris omnia complebuntur, ita ut ipsa urbs operiatur nube mœroris ac luctus. Et filiæ ejus, id est, oppida reliqua ducantur in captivitatem, ut postquam fecero judicium in Ægypto, et in cunctis judicem demonstravero, tunc sciant Ægyptii quod ego sim Dominus. Hæc quasi parvulis elementa descripsimus, ut per litteras, syllabas, nomina, verborumque contextum possint ad lectionem prosæ vel carminis pervenire. Nunc aggrediamur tropologiam, et latissimum disputationis pelagus brevi quasi picturæ tabula demonstremus. Sermo Domini, qui erat semper in patre, factus est ad prophetam, et vocat eum nequaquam nomine suo, sed filium hominis : quod in Scripturis sanctis in bonam partem semper accipitur duntaxat numero singulari, ut in hoc eodem propheta et in Daniele et in Evangelio; alioquin plurali numero in contrarium legitur, ut est illud : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Et rursum : « Filii hominum, usquequo gravi corde? » (*Psal.* IV.) Leo enim rugiet, et quis non timebit? Dominus locutus est et quis non prophetabit? » (*Amos* III.) « Ululate, inquit, væ, væ diei, quia juxta est dies, et appropinquat, dicit Dominus, dies nubis, tempus sive finis gentium erit. » Duplex consummatio est : aut generaliter omnium, quando finis mundi advenerit : aut specialiter singulorum, quando tempus mortis institerit. *Juxta* autem dicitur, quia æternitati comparatum omne tempus breve est. Unde et Jacób centum et triginta annos, quibus vixerat, « pauci, inquit, et pessimi sunt dies mei (*Gen.* XLVII). » Et Psalmista de universi generis humani fragilitate disputans, ait : « Dies nostri quasi umbra pertranseunt (*Psal.* CI). » Quod reputantes, nec potentia erigemur, nec divitiis incubabimus, nec felicitate lætabimur, cito omnia auferenda noscentes. Pulchreque *dies* dicitur *Domini*, quando omnis sæculi conversatio destruetur, et errore sublato una veritas apparebit. Diesque nubis et nebulæ, nullus enim intrepidus incertusque de sententia absque pavore judicem præstolatur. Et tempus, sive finis gentium erit, non unius gentis Ægyptiæ, sed universarum, ut manifestum fiat de cunctis gentibus prophetari. Sequitur : « Veniet gladius in Ægyptum. » Gladius versatilis, et flammeus, sermo divinus, qui bonos a malis dividet, et pessimos suos igne consumat : In Ægyptum autem hujus sæculi, ita ut pavor sit in Æthiopia qui trans Ægyptum in nocte erroris et tenebris commorantur, et quorum nigredo in candorem aut difficulter, aut nequaquam convertitur. Cadentque in Ægypto vulnerati, qui male steterant in nequitia. « Et auferetur multitudo Ægypti. » Lata enim et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem. Et fundamenta illius destruentur, ut nihil in Ægypto pristinæ resideat firmitatis, sed desertis fundamentis pessimis ponatur fundamentum Christi, super quo ædificetur Ecclesia. « Omnis quippe plantatio, quam non plantavit cœlestis pater eradicabitur (*Matth.* XV). » Unde et Jeremias destruere jubetur quæ constructa erant, ut ædificet meliora. Peribunt quoque in Ægypto Æthiopes, Libyes et Lydi, sive juxta Septuaginta, Persæ, Cretenses, et Lydi, et Libyes et Chub, id est, Arabes, et omne reliquum vulgus, quos « Hybridas atque mixticios LXX transtulerunt : quos omnes pro diversitate vitiorum interpretatione nominum, quæ in visione Tyri posuimus, diversas possumus intelligere nationes. Unde Apostolus : « Vos, inquit, gentes in carne, » qui dicimini præputium (*Ephes.* II); numquam enim dixisset in carne gentes, nisi essent aliæ in spiritu. Ut in alio loco : « Videte Israel secundum carnem (*I Cor.* X). » Unde magnopere providendum est, ne corde revertamur in Ægyptum, de qua semel exivimus et inter cæteras gentes inveniamur, et pereamus gladio. De quo in consequentibus dicitur : « Juvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent, » maxime cum jungatur, « et filii terræ fœderis sive Testamenti mei simul mecrone ferientur. » De quibus scriptum est : « Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis et curribus confidentes (*Isa.* XXXI). » Sin autem cæterarum gentium homines trucidantur in Ægypto, quanto magis filii fœderis et Testamenti Dei, qui contemnentes angelorum panem : Ægypti peponum et ceparum et alliorum, et cucumerum recordati sunt. Tunc corruent sustentacula et fulcra Ægypti, quæ eam in nequitia sustentabant : dialecticorum argutiæ et philosophorum strophæ, contumeliosum. quoque ac superbum imperium destruetur, qui omnia loquuntur per arrogantiam, et ecclesiasticam simplicitatem ducunt pro nihili. « A turre enim Syenes cadent in ea, » quæ in extremis terminis Ægypti, Æthiopiæ Blemmyarumque confinis est, ubi Nilus innavigabilis, et cataractarum fragor, et omnia invia plenaque serpentium et venenatorum animantium. Sin autem, ut supra diximus, Magdalus magnificentiam, et Syene gyrum sonat, perspicuum est, quod Ægyptiæ opes, et contumeliosa fortitudo et magnificentia, id est, jactantia et exaltationes vituperentur quæ ad gyrum Ægypti pertinent, ubi nihil stabile est, sed incerto volvitur lapsu et pervenit ad ruinam. Tunc dissipabuntur Ægyptiæ civitates, et terra deserta erit, et nulla congregatio remanebit, habens aliquid firmitatis, ut rerum fine cognoscant quod ipse sit Dominus, quando miserit ignem in Ægypto, quem Dominus ardere desiderat, ut fenum, ligna, stipulæ, quæ supra fundamentum Christi ædificata sunt, concrementur, et omnes auxiliatores perversorum dogmatum conterantur. Ex quo intelligendum falsi nominis scientiam, et eos de quibus scriptum est : « Dissipa omnes gentes, quæ bella volunt (*Psal.* LXVII), » socios et auxiliatores Ægypti nuncupari. « In die, inquit, illa egredientur nuntii a facie mea, » de quibus in Evangelio scriptum est : « Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis (*Matth.* XVIII). » Et in sementis parabola messores angeli, id est, qui nuntii sunt, mittuntur ut mis

versa scandala congregent, et mittant ea in caminum ignis : « ubi est fletus oculorum, et stridor dentium (*Matth.* XIII) : » festinabuntque implere præceptum, ut deterreant sive conterant Æthiopiæ confidentiam, qui ad summum malitiæ verticem pervenerunt, ut in eversione Ægypti Æthiopia conteratur et paveat, eo quod dies Domini sit ultionis atque vindictæ qua fugentur tenebræ peccatorum, et lux virtutum remaneat : « Et cessare, inquit, faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, » cui traditi sunt ad puniendum : ipse est enim inimicus et vindex, qui etiam mercedem accepit, eo quod servierit in expugnatione Tyri Ægypti multitudinem, ut multi in Ægypto esse desistant, qui semper in ea sunt. Sin autem aliquis opposuerit quomodo illud dicatur in Deuteronomio : « In septuaginta animabus descenderunt patres nostri in Ægyptum, nunc autem facti estis ut stellæ cœli in multitudine (*Deut.* X), » facile solvitur : neque enim exemplum terrenæ multitudinis posuit, sed cœlestis, quæ virtutibus fulgeat et plena sit luminum. Super quam multitudinem Ægypti, « adducuntur fortissimi gentium, » ut disperdant terram, pro quibus Septuaginta *pestilentes* interpretati sunt, quod nescio quomodo conveniat his qui adducuntur a Domino ; nisi forte juxta illud exemplum : « Immissionem per angelos pessimos (*Psal.* LXXVII). » Qui evaginabunt gladios suos super Ægyptum, et implebunt terram interfectis, sive vulneratis, ut occisos vulneratosque se esse sentiant, et intantum Ægyptum esse destructam et ad nihili pervenisse, ut omnia flumina eloquentiæ quibus errores Ægyptii juncus et calamus rigabatur arefiant : et tradantur in manum pessimorum, qui eos torqueant, et plenitudo terræ Ægypti, quæ male creverat, deleatur in manu alienorum a Deo. Neque enim boni, sed mali angeli tormentis præpositi sunt. Hæc necesse est, ut sciant, quia locutus est Dominus. Quod frequenter assumitur, ut sciant, qui audiunt, non prophetæ verba esse, sed Domini, cujus præcepta irrita esse non possunt. Sequitur : « Et disperdam simulacra, » quæ *abominationes* Septuaginta transtulerunt. « Et cessare faciam idola vel optimates de Memphis, et dux sive principes in terra Ægypti non erunt amplius. » Clementissimi enim Domini est maleficia subvertere, ut nulla similitudo, quæ mentitur imaginem veritatis, remaneat in Ægypto : optimates quoque pereant de Memphis, quæ interpretatur ex ore, de quo omnia idola confixerunt, ut truncatis capitibus et magistris idolorum, non sit princeps in Ægypto : et terrore ac perditione omnis Ægyptus compleatur. De cujus urbibus dicitur : « Et disperdam terram Phathures, et dabo ignem in Taphnis sive in Tanis. Et faciam judicia in No [Alexandria] ; » Septuaginta *Diospolim* transtulerunt. « Et effundam indignationem meam super Sain [Pelusium], robur Ægypti. » Phatures interpretatur *panis conculcatio* ; Tanis *mandatum humile* ; Diospolis, pro qua in Hebræo positum est *No*, *requies* ; Sain *tentatio*, quibus nominibus diversa hæreticorum et omnia mendaciorum conciliabula demonstrantur, qui conculcant panem ecclesiasticum atque contemnunt, et sequuntur mandatum humile et ad cœlestia non perducens et deliciis vacant, et sunt in requie, qualem in Evangelio legimus habere divitem purpuratum et tentationibus inserviunt, quorum unus expetivit a Domino (*Job.* I) ut tentandi Job haberet potestatem. Hæc omnia Dominus disperdet atque succendet, et effundet super ea indignationem suam, et robur Ægypti dissipabit : ut redacti ad nihilum nequaquam populum Dei sollicitent, et in suo sperare faciant auxilio, ut deserta veritate quærant mendacium, et quasi a baculo arundineo sic suo præsidio vulnerentur. Post hæc dicitur : « Et interficiam sive disperdam multitudinem Mempheos. » Pro qua in Hebraico habet *No* : quam supra iidem Septuaginta *Diospolim* transtulerunt, quæ interpretatur *requies*. Multi enim sunt qui quærant requiem, et jacere velint super lectos eburneos, et comedere agnos lactentes : sive, juxta LXX, qui interpretati sunt *Mempheos*, multi sunt qui loquantur aliis : « Dimitte ut auferam festucam de oculo tuo (*Matth.* VII), » cum ipsi trabes habeant in suo. Daturque ignis in Ægypto, qui verbositatem atque delicias suo ardore consumat : « Dolebit universa tentatio, et in Diospoli, » quæ sursum in Hebraico No ponitur, « erit scissura, » ut effundantur aquæ omnisque pessima congregatio dissipetur, et huc illucque dispereat. Vel juxta Hebraicum : « In Memphis erunt angustiæ quotidianæ, » ut pro omni verbo otioso reddant rationem, ut intelligant nihil dictorum suorum Domini judicium præterire. « Juvenes quoque Heliopoleos et Bubasti gladio cadent. » Heliopolis Hebraice *on* dicitur, quod interpretatur *dolor*. Bubastus autem juxta linguam Ægyptiacam *oris experimentum*. Omnes isti, qui dolorem sæculi ferre non poterant, sed delicias Diospoleos sectabantur et confidebant sibi in volubilitate sermonum, et adversum cætera dogmata disputantes habuerant experimenta victoriæ, gladio sermonis Domini concident, et qui nequaquam juvenes, sed imbecillitate mentis mulieres appellantur, captivi ducentur, sive ipsæ urbes dolore et oris jactantia ducentur in captivitatem. « Et in Taphnis, inquit, nigrescet dies. » Taphnæ interpretantur *cadentes ori*, subauditur diaboli, cui qui cesserint, amittent lumen veritatis, et diem nocte mutabunt. Et sceptra Ægypti atque omne imperium sentient in Taphnis esse contritum, ita ut deficiat in ea contumeliosa fortitudo, sive superbia potentiæ ejus, et solis justitiæ radii nube cæcentur, et nequaquam mulieres, sed filiæ ducantur in captivitatem, faciatque Dominus non unum judicium, sed multa judicia in Ægypto. Sicut enim bonorum apud Patrem diversæ sunt mansiones, ita et Ægypti suppliciorum diversa judicia, ut cum hæc omnia facta fuerint, cognoscant Ægyptii quod ipse sit Dominus, cujus judicia vera justificata in semetipsis.

« Et factum est in undecimo anno, in primo, in « septima mensis, factum est verbum Domini ad me

« dicens : Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti confregi. Et ecce non est obvolutum ut restitueretur, et sanitas, et ligaretur pannis, et sarciretur linteolis, ut accepto robore posset tenere gladium. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti, et comminuam brachium ejus forte, sed confractum, et dejiciam gladium de manu ejus, et dispergam Ægyptum in gentibus, et ventilabo eos in terras. Et confortabo brachia regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus. Et confringam brachia Pharaonis et gement gemitibus interfecti coram facie ejus. Et confortabo brachia regis Babylonis, et brachia Pharaonis cadent. Et scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, et extenderit eum super terram Ægypti. Et dispergam Ægyptum in nationes, et ventilabo eos in terras. Et scient quia ego Dominus. » (*Hieron.*) Revertitur ad ordinem prophetiæ. Post vicesimum enim et septimum annum, nunc ponit undecimum, quæ quæstio etiam in superioribus continetur. Cum enim sermo Domini contra Tyrum factus sit in anno undecimo, qui prius positus est, in consequentibus loquitur ad Pharaonem anno decimo. Rursumque ponit vicesimum septimum, ut diximus, et nunc undecimum. Ut cætera prætermittam quæ in psalmorum ordine continentur, quæritur quomodo tertius psalmus his psalmis præponatur in quibus mutavit faciem suam David coram Abimelech et de Doech Idumæo : et quando inventus est in spelunca : et quinquagesimus pœnitentiæ, in cujus titulo demonstratur quod introiverit ad Bersabeæ uxorem Uriæ, cum priores sint isti psalmi psalmo tertio, in quo fugere notatur a facie filii sui Absalon. Sed in psalmis facilis responsio est, carmen esse lyricum, et in hujuscemodi opere non quæri ordinem historiæ, sed factorum carmina singulorum. In historia vero illud dicendum est, ea quæ de una re diversis sunt dicta temporibus non debere oratione dividi, sed unius loci narratione concludi. Verbi gratia : ut quæ de Ægypto dicta sunt alio atque alio tempore, uno lectionis ordine cognoscantur. Cum hæc dixerimus, manet nihilominus quæstio, cur in hoc eodem loco primum factus sit sermo Domini ad Pharaonem anno undecimo : et postea vicesimo septimo : et deinceps anno decimo, cum utique juxta ordinem primum decimus, secundo undecimus, tertio vicesimus septimus annus, singulis prophetiis debuerint prænotari. Ad quod illud possumus respondere : « O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! (*Rom.* XI.) » Et in alio loco : « Abyssum et sapientiam quis investigabit? » Possumus autem hoc dicere quod et in prophetis nequaquam historiæ ordo servetur, duntaxat non in omnibus, sed in quibusdam locis. Neque enim narrant præterita, sed futura prænuntiant, prout voluntas Spiritus sancti fuerit. In historia vero ut sunt Moysi quinque libri et Jesu, et Judicum volumina, Ruth quoque et Esther, Samuel et Malachim : Paralipomenon liber et Ezræ, juncto sibi pariter Neemiæ præposteram narrationem nequaquam reperiri. Hæc de annorum ordine dixisse sufficiat. Nunc videamus, quæ contra Pharaonem sive de Pharaone prophetia sit. Brachium ejus confregisse se dicit, et non esse obvolutum neque ligatum, nec sartum linteolis, nec accepisse malagma. Juxta illud quod scriptum est : « Non est malagma imponere, nec oleum, nec alligaturas. » Quod si factum fuisset, utique recepta fortitudine posset tenere gladium et ad bella procedere. Idcirco clemens et misericors Deus rursum comminuit brachium ejus sive brachia : ut penitus cadat gladius de manu ejus, et in gentes Ægyptus dispergatur et ventiletur in terras. In brachio autem robur accipi et fortitudo potest, dicente Scriptura : « Contere brachium peccatoris et maligni (*Psal.* X). » Quod conteritur in adversariis nostris, quando nos persequuntur quidem, sed opprimere nequeunt, et pro salute servorum Dei adversus Pharaonem rex Babylonis sæpe consurgit, ut potentem opprimat potentior, et mali tradantur pejoribus : confortante Deo brachia pessimorum, ut sciat, qui liberatus est, quia ipse sit Dominus, perfectum autem esse virtutis scire quod ipse sit Dominus. Econtrario possumus dicere : « Filii Heli, filii pestilentiæ nescientes Deum. » Et in bonam partem de regibus, qui rectum fecerunt in conspectu Dei, scriptum est quod noverint Dominum.

LIBER DUODECIMUS.

Volebam ego historiam propheticam de Ægypto, et rege ejus simul in unum librum coaptare. Sed quia hoc non patitur longitudo narrationis, idcirco sicut de Tyro et principe ejus in duos libros dividimus historiam, ita et nunc de Ægypto et Pharaone divisionem inter duos libros faciemus.

CAPUT XXXI.

Sermo Domini contra Pharaonem quod tradetur in manus Nabuchodonosor, et de Assyria sub nomine arboris eidem traditæ.

« Et factum est in undecimo anno, tertio mense, una mensis : factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti et populo ejus : Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur, quasi cedrus in Libano, pulcher ramis et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et inter condensas frondes elevatum est cacumen ejus. Aquæ nutrierunt illum : abyssus elevavit eum, flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis. Propterea elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis, et multiplicata sunt arbusta ejus, et e-

« vati sunt rami ejus præ aquis multis. Cumque « extendisset umbram suam in ramis ejus, fecerunt « nidos omnia volatilia cœli, et sub frondibus ejus « genuerunt omnes bestiæ saltuum, et sub umbra- « culo illius habitabat cœtus gentium universarum. « Eratque pulcherrimus in magnitudine sua, et in « dilatatione arbustorum suorum. Erant enim radi- « ces illius juxta aquas multas. Cedri non fuerunt « altiores illo in paradiso Dei. Abietes non adæqua- « verunt summitatem ejus, et platani non fuerunt « æquæ frondibus illius. Omne lignum paradisi Dei « non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus, quo- « niam speciosum feci eum, et multis condensisque « frondibus. Et æmulata sunt eum omnia ligna vo- « luptatis, quæ erant in paradiso Dei. Propterea « hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod sublimatus « est in altitudinem, et dedit summitatem suam vi- « rentem atque condensam, et elevatum est cor ejus « in altitudine sua, tradidi eum in manu fortissimi « gentium. Faciens faciet ei juxta impietatem ejus. « Et ejeci eam, et succident eam alieni et crudelis- « simi nationum. Et projicient eam super montes, et « in cunctis convallibus corruent rami ejus. Et con- « fringentur arbusta ejus in universis rupibus terræ. « Et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ « et relinquent eam. In ruina ejus habitaverunt om- « nia volatilia cœli, et in ramis ejus fuerunt uni- « versæ bestiæ regionis. Quamobrem non elevabun- « tur in altitudine sua omnia ligna aquarum, neque « ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque « frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia, « quæ irrigantur aquis, quia omnes traditi sunt in « mortem ad terram ultimam in medio filiorum ho- « minum ad eos qui descendunt in lacum. Hæc di- « cit Dominus Deus. In die quando descendit ad in- « feros indixi luctum, operui eum abysso, et prohibui « flumina ejus, et coercui aquas multas. Contritus « est super eum Libanus, et omnia ligna agri con- « cussa sunt. A sonitu ruinæ ejus commovit gen- « tes cum deducerent eum ad infernum cum his « qui descendebant in lacum. Et consolata sunt in « terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque « præclara in Libano universa, quæ irrigabantur « aquis. Nam et ipsi cum ea descendent ad infer- « num ad interfectos gladio, et brachium unius- « cujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio na- « tionum ejus. Cui assimilatus es, o inclyte atque « sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es « cum lignis voluptatis ad terram ultimam. In me- « dio incircumcisorum dormies cum his qui interfe- « cti sunt gladio. Ipse est sic Pharao, et omnis mul- « titudo ejus, dicit Dominus Deus. » (*Hieron*). Primum sciendum, quod quæcunque dicuntur de rege Assyriorum futuro tempore, in Septuaginta quasi transacta memorantur : et sic vel ad arborem vel ad principem loquitur Assyriorum, ut tam masculino quam feminino genere de una persona intelligatur, dum et arbor refertur ad Assyrium et Assyrius in arbore nominatur. Nec de rege Babylonio in præsenti sermone ulla fit mentio, ne videatur contra captivum populum positus in Chaldæa dominorum atque regnantium iracundiam provocare, sed dicitur de rege Assyriorum, qui eo jam tempore captus fuerat a Chaldæis, et omne robur Assyriorum Babylonio subjacebat imperio, unde et decem tribus, hoc est, Israel, Assyrii capiunt. Duas autem, hoc est, Judam et Benjamin, Chaldæi superant, et urbem subvertunt Hierusalem. Dicturus igitur contra Pharaonem regem Ægypti : et populum ejus sermo divinus tali adversus illum est usus exordio. « Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Assur, quasi cedrus in Libano, » etc. Et est sensus : Non mireris si a Babyloniis sis vincendus atque periturus, et tuum perditurus imperium, omnesque opes Ægyptiæ destruendæ sint, cum Assur multo te fortior eodem Chaldæo superante deletus sit. Describitque potentiam regis Assyrii sub figura arboris cedri juxta Hebraicum, *cyparissi* juxta LXX, in monte Libano constitutæ, quæ sit pulchra ramis et condensa frondibus et ad nubes usque subrecta, quæ idcirco tantum crevit, quod non aquis, sed abyssis, hoc est, aquis abundantissimis irrigetur. Abyssus enim multitudo sonitus aquarum. Ita ut omnes aves nidos fecerint in ramis ejus et sub frondibus illius genuerint omnes bestiæ saltuum. Et ne dubitaremus quæ essent cœli volatilia, quæ silvarum bestiæ apertius posuit. « Et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. » Cedri, inquit, et cyparissi, abietes sive pinus et platani, sive cyparissi, non fuerunt æquæ ramis illius. Et ne singillatim de cunctis arboribus diceret, « Et omnia, inquit, ligna paradisi Dei, non sunt assimilata illi et pulchritudini ejus, » etc. Per quæ nonnulli intelligunt non de rege dici Assyrio, sed de contraria fortitudine, quæ in sermone Tyri inter Cherubim dicitur esse generata, et pretiosis distincta lapidibus, et postea ad terrena suo vitio concidisse, qui et in Isaia cadens Lucifer appellatur (*Isa.* XIV), et in Evangelio signatur a Domino : « Videbam Satanam, quasi fulgor de cœlo cadentem (*Luc.* X). » (*Greg.*) Qui namque accipi in cedris abjectibus et platanis possunt, nisi illa virtutum cœlestium proceræ celsitudinis agmina in æterna lætitia viriditate plantata? Quæ quamvis excelsa sint condita, huic tamen nec prælata sunt nec æquata, qui speciosus factus in multis condensisque frondibus dicitur. Quia prælatum cæteris legionibus tanta illum species pulchriorem reddidit, quanta et supposita angelorum multitudo decoravit. Ista arbor in paradiso Dei tot quasi densas frondes habuit, quot sub se positas supernorum spirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans sine venia damnatus est, quia magnus sine comparatione fuerat creatus. (*Hieron.*) Sed nos hæc omnia ut interim sequamur historiam ὑπερβολικῶς dicta intelligamus, quod tantæ Assyrius fuerit potentiæ, et sic cunctas oppresserit nationes, ut se angelorum fortitudini compararit. Omnia autem μεταφορικῶς sub altissima cedro sive cyparisso dicuntur ad Assyrium, interfectioque illius appellatur succi-

sio. Quodque sequitur: « Tradidi eam in manu fortissimi gentium, » regem Babylonium vocat. Ut quod vicit Assyrium non propriæ fortitudinis, sed divinæ intelligat potestatis. « Juxta impietatem, inquit, ejus ejeci eam, » ut occulte Babylonium moneat non debere esse crudelem, nec opprimere populum Dei, qui sibi traditus sit, ne similia patiatur ab Assyrio, qui crudelis et impius fuit. « Et succident illam alieni, et crudelissimi nationum, » sive, juxta Septuaginta, *pestilentes*, quod nunquam voluit dicere in Chaldæa positus, ne illum adversum gentem suam commoveret. Projicitur quoque super montes, et in cunctis convallibus corruunt rami ejus, et confringuntur in rupibus, et a cunctis derelinquitur populis, hoc est, volatilibus cœli, et bestiis campi. Et in tantam veniet perditionem, ut omnes arbores, quæ putabantur excelsæ comparatione Assyriæ arboris, suo exemplo elevari, et in sublime erigi ultra desistant, nec stent in altitudine sua, sed, illa succisa, omnes metu pariter succidantur. Quodque per translationem dictum erat fit manifestius: « Omnes, ait, traditi sunt (subauditur reges) in mortem ad terram ultimam, » hoc est, ad infernum; « in medio filiorum hominum, » nequaquam inter arbores, « ad eos qui descendunt in lacum: » haud dubium quin inferna significet. Post succisionem arboris Assyriæ sive Indiæ [*Al.*, in die], quando descendit ad inferos Assyrius: et indixit Dominus luctum, rursum per translationem de eo loquitur, quod opertus sit abysso, juxta illud quod scriptum est: « Veni in profundum maris, et tempestas demersit me (*Psal.* LXVIII), » et omnia flumina, omnes videlicet nationes eum ultra rigare cessaverint, et contritus sit, sive contenebratus super eam, id est, arborem, vel eum, id est, Assyrium, Libanus. Ac ne putaremus de arbore esse sermonem, sequitur: « A sonitu ruinæ ejus commovi gentes; » quæ enim tanta ruina esse unius arboris potest, ut ad sonitum ejus universæ gentes commoveantur. « Cum deducerem, inquit, eam ad infernum. » Juxta litteram, arbor ad inferos deduci non potest. « Cum aliis qui in lacum, » id est, ad inferos, descendebant. « Et consolata sunt in terra infima, » in corde videlicet terræ, « omnia ligna voluptatis, » sive deliciarum, quod Hebraice appellatur *eden*, ut nemorosos saltus silvasque significet egregias atque præclaras quæ fuerunt in Libano: « Et irrigabantur aquis. » « Nam et ipsæ arbores cum eo, » hoc est cum Assyrio, « descendent ad infernum, ad interfectos sive vulneratos gladio. » Ligna gladiis non vulnerantur, sed cæduntur, nec descendunt ad infernum. « Et brachium, » inquit, sive semen, quoniam apud Hebræos sermo zara utrumque significat: « requiescet in umbraculo ejus, in medio nationum, » nequaquam silvarum, sed gentium. Ad extremum fit apostrophe ad ipsum Assyrium, sive ad Pharaonem. « Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis, inter ligna voluptatis? » Nullus tibi, inquit, par fuit, sed omnes reges potentia superasti: et tamen cum cæteris regibus, qui erant in comitatu tuo, ad terras infimas, id est, ad inferos deductus es, dicente Scriptura: « Ingredientur ad extrema terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* LXII). » « In medio, ait, incircumcisorum dormies, cum his qui interfecti sunt gladio. » Ostendit quæ essent ligna, quæ cedrus sive cyparissus gladiis vulnerata, et jacens cum incircumcisis. Et ut extrema anterioribus jungeret, quia supra dixerat: « Cui similis factus es in magnitudine tua, ecce Assur, quasi cedrus in Libano pulcher ramis et frondibus, etc., » nunc infert «: Sic est Pharao et omnis multitudo ejus dicit Dominus. » Quomodo, inquit, Assyrius cedrus et cyparissus Babylonio succidente dejecta est: sic Pharao et populus ejus, hoc est ipsa arbor, et rami illius a Babylonio succidentur. Hæc interim juxta historiam dicta sint, quæ plerique in consummatione mundi futura intelligunt; et regem Pharaonem, hoc est, eam potestatem cui Ægyptus subjecta sit comparari regi Assyriorum potentissimo, id est, Antichristo. Quod si ille corruerit, utique et alii rectores tenebrarum istarum et principes mundi facilius corruant. Dicamus ergo de singulis, breviter omnia perstringentes, ut non tam disseramus et explanemus obscura, quam explanare cupientibus materiam dedisse videamur. Primumque discutiendum cur undecimo anno, tertio mense, una die mensis, factum est verbum Domini ad Ezechielem dicens: Fili hominis, dic Pharaoni regi Ægypti, et multitudini ejus. Locuturo ad Pharaonem undecimo anno sermo fit Domini; necdum enim venerat ad duodecimum, qui numerus plenæ consummatæque virtutis est. Unde et duodecim Jacob filii sunt (*Gen.* XXXV), a quibus postea duodecim nomina prophetarum uno volumine continentur. Et apostoli duodecim, quorum quia unus Judas proditor fuit, in locum ejus Matthias elegitur (*Act.* I). Et archisynagogi filia annorum duodecim a Domino suscitatur. Hæmorrhoissa quoque anno duodecimo recipit sanitatem (*Matth.* IX). Sed quia corripitur Pharao et postea plangitur, propterea tertius mensis et unus dies undecim annorum numero copulantur. Unde in consequentibus, duodecimo anno, mense duodecimo, una mensis, fit verbum Domini ad Ezechiel dicens: « Fili hominis, assume planctum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum (*Ezech.* XXXII). » Qui enim plangitur, ideo plangitur, ut intelligat quanta bona perdiderit, et tamen, quia Pharao erat, et brachium ejus necdum fuerat colligatum, nec pristinam receperat fortitudinem, propterea in anno duodecimo et in mense duodecimo viginti novem dies adhuc remanent, ut duodecimo annorum numerus impleatur. Una igitur mensis die sermo fit Domini ad prophetam, et præcipitur ei ut loquatur regi Ægypti et multitudini ejus. In quo mirandum quod quatuor interpretes non *populum* dixerint, sed *multitudinem*. « Multi enim vocati et pauci electi (*Matth.* XXII). » Et in lege scriptum est: « Non eris cum multitudine in malo. » Diciturque ad regem Ægypti: « Cui similis factus es in magnitudine, sive, in altitudine tua, » quod et ipse se exalta-

verat, et subjaceat illi sententiæ: « Omnis qui se exaltat, humiliabitur (*Matth.* XXIII), » sed tamen non sit ejus altitudini similis, qui quasi cedrus sive cyparissus in Libano fuerit pulcher ramis, et frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, et ad nubes usque erexerit caput. Ad quas secundum David veritas Dei pervenit, et quibus mandatur ne pluant super Israel imbrem. Pulchritudo quoque illius prædicatur, quæ in turpitudinem prava voluntate mutata est, ita ut dicatur de eo : « Confringet Dominus cedros Libani (*Psal.* XXVIII); » et excelsus ipse in altissimo montium Libano constitutus, quanto sublimior fuerat, tanto fortius caderet. Cujus Scriptura sancta volens altitudinem demonstrare, appellat eum cedrum magnam quam nutrierunt aquæ. Non aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio, sed aquæ Rasin et aquæ Ægypti, de quibus scriptum est : « Quid tibi ut bibas aquam Geon (*Jer.* II), » sive Sior? quod *aquas turbidas* sonat.

Abyssus quoque exaltavit eum, super quam in principio mundi tenebræ ferebantur : et ad quam in Evangelio dæmones ne mittantur, rogant. Flumina ejusdem abyssi, in circuitu radicum ejus erant, de quibus dicitur : « Quod tibi et viæ Assyriorum, ut bibas aquas fluminum. » Et in alio loco : « Ecce Dominus inducet super vos aquam fluminis fortem et multam. Regem Assyriorum et omnem gloriam ejus (*Isa.* VIII). » Rivos quoque suos emisit abyssus ad universa ligna regionis, ut non solum principem mundi hujus, sed et socios illius irrigaret. Propterea elevatus est, et super omnia altissima ligna succrevit : « Et multiplicata sunt arbusta ejus, » et totius orbis possedit imperium dicens : Hæc omnia mihi tradita sunt : « Et elevati sunt rami ejus, » qui aquis abyssi fuerant irrigati : qui extendit sive dilatavit umbraculum suum ut omnes suæ subjiceret ditioni. In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cœli. Omnis enim qui facit peccatum de diabolo natus est, et de ramorum ejus numero computatur. Illa enim volatilia fecerunt nidos in ramis ejus, quæ juxta viam evangelicam sementem comedere : sive quoniam « omnes peccaverunt et indigent misericordia Dei (*Rom.* III), » de quibus dictum est : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Psal.* LII), » idcirco in ramis ejus fecerunt nidos. Sequitur : « Et sub frondibus ejus genuerunt omnes bestiæ saltuum, » quæ Christi mansuetudinem perdiderunt. « Et sub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum; » ut nullus esset qui non ejus tegeretur umbraculo, præter eum qui dixit : « Ecce venit princeps mundi hujus, ut inveniet in me nihil. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et sic in omnes homines mors pertransiit, » in quo omnes peccavimus, et in Adam omnes morimur, cunctique peccavimus, et indigemus gloria Dei, et tamen in ipsa habitatione diversa conditio est. Alii habitant in ramis ejus, quasi volatilia, scientiam sibi in philosophia et in hæreticorum dogmatibus pollicentes; alii quasi bestiæ feræ immites atque crudeles; alii quasi multitudo gentium plurimarum, ut commistos diversos vitiis significet atque peccatis. « Erat autem Assur pulcherrimus in magnitudine sua, et in dilatatione arbustorum suorum, » quia aquis multis radix ejus fuerat irrigata, intantum ut in paradiso Dei nulla cedrorum et cyparissorum esset altior, nec abietes pinique adæquarent sublimitatem ejus, sive platani non essent æquæ frondibus illius. Idcirco autem nulla arborum in paradiso plantarum ei fuerat adæquata, « quia omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini ejus. » Nequaquam enim erectæ sunt per superbiam, sed scierunt humilitatem suam, neque similitudinem Dei sacrilego sibi animo vindicare conatæ sunt. Quodque sequitur : « Et æmulata sunt eam omnia ligna deliciarum, quæ erant in paradiso, » sic edisserimus : Æmulata sunt ligna paradisi multitudinem ramorum ejus. « Multi enim vocati et pauci electi, » et « lata et spatiosa via quæ ducit ad mortem (*Matth.* XX, VII). » Cupit enim tantos habere in salutem quantos Assur habuit in perditionem. Unde Assur sublimatus est in altitudine, et dedit sublimitatem suam virentem atque condensam. Sive usque ad nubes cacumen erexit, et elevatum cor ejus, ut diceret, « Ero similis Altissimo. » Propterea « traditus est in manu fortissimi gentium; » quam intelligamus aliam detestabilem potestatem cui traditur ad puniendum, ipse est enim inimicus et ultor. Ut Assur intelligatur Antichristus, et fortissimus gentium cui traditus est, Satanas, juxta illud Apostoli (*I Tim.* I) : « Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare. » Qui « faciens faciet ei, » quæcunque ei fuerint a Domino imperata. Ista autem cyparissus ejecta est de paradiso Dei propter impietatem suam. « Et succident illam alieni et crudeles, » sive pestilentes « in gentibus, » ut impleatur illud quod scriptum est : « Pestilente flagellato stultus astutior fiet (*Prov.* XIX). » Et iterum : « Jam securis ad radices arboris posita est (*Matth.* III). » Qui præcident eam super montes, ut corruat in superbia sua. In « cunctis autem convallibus corruent rami ejus, » ut ad tartarum deducantur omnes qui in ejus fuere comitatu. « Et recedant de umbraculo illius ut relinquant eam, » ut volatilia cœli et bestiæ terræ, quæ prius sub illa fuerant, et illius umbraculo tegebantur, postea pœnæ ejus participes sint. Cumque viderint cætera ligna silvarum sive paradisi, Assur cyparissum sententia Domini corruisse, non elevabuntur in superbiam, nec se aliquid æstimabunt, nec irrigationem aquarum suarum proprias arbitrabuntur divitias, eo quod omnes rami et volatilia cœli et bestiæ terræ, quæ erant sub imperio Assur, deducantur in mortem ad terram ultimam, de quibus scriptum est : « In conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram (*Psal.* XXI). » Et in alio loco : « Ingredientur ad extrema terræ (*Psal.* LXII), » et erunt nequaquam cum angelis, sed cum filiis hominum, qui descendunt in lacum, sive in foveam sempiternam. Cum autem ille descenderit in extrema terræ, et pars vulpium fue-

rit, a quibus lacerandus est, tunc luctus erit vel omnium sociorum ejus, vel sanctarum fortitudinum, quæ illum dolebunt ad inferos descendisse. Unde dicit Dominus : « Operui eum abysso, » cujus aquis fuerat ante nutritus. « Et prohibui flumina ejus, » id est, abyssi, « et coercui aquas multas, » ne eum rigarent, sed magis opprimerent. « Contristatus est super eum Libanus, » in quo fuerat exaltatus. « Et omnia agri ligna concussa sunt, » succisionem similem formidantia. « A sonitu ruinæ ejus commovi gentes, » ut nullus perditionem illius ignoraret, et deductionem ad inferos cum cæteris sociis ejus. Acceperuntque consolationem omnia ligna voluptatis, id est, paradisi : dum vident et mala malis, et bona bonis restitui. Hæc autem ligna Libani sunt aquis irrigata fluminum Domini, in quibus et illa arbor fuerat irrigata, quæ corruit, sive omnia ligna, quæ quondam fuerunt bona et irrigabantur aquis, et in Libani altitudine morabantur accipient consolationem, quando principem suum similia viderint sustinere tormenta : « Et ipsa enim descendent ad infernum ad interfectos gladio Domini. » Et omnis fortitudo lignorum habitabit sub umbraculo ejus, id est, in pœna in medio omnium nationum, quæ claustris inferi tenebuntur. Post hæc ad ipsum Pharaonem sermo convertitur, cui dictum fuerat in principio, « cui similis factus es in magnitudine tua ? » et dicitur ad eum : « Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis, inter ligna voluptatis ? » nempe Assyrio, qui corruit. Et tu eras inclytus atque sublimis inter ligna Eden, hoc est, deliciarum et paradisi. Et ecce deductus es sicut Assyrius cum omnibus lignis, quæ quondam fuerant in deliciis, ad terram ultimam et ad inferos. Et dormies non in requie, sed in pœnis, in medio incircumcisorum, hoc est, immundorum, et cum his qui in gladio Domini conciderunt. Et ut sciamus qui sit ille cui dixerit, « o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis, » ponit manifestius : « Ipse est Pharao, et omnis multitudo ejus, » sive juxta Septuaginta, « Sic est Pharao et omnis multitudo ejus, » ut quomodo supra Assyrius concisus est et corruit, sic et Ægyptius subruatur.

CAPUT XXXII.

Planctus super Pharaonem, qui tradetur occidendus Nabuchonosor, describuntur gigantes per mures cum quibus ad infernum descendunt.

« Et factum est duodecimo anno, in mense duodecimo (sive decimo) in una die mensis, factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, et dices ad eum. Leoni gentium assimilatus es et draconi, qui est in mari. Et ventilabas cornu in fluminibus tuis, et conturbabas aquas pedibus tuis, et conculcabas flumina earum. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum, et extraham te in sagena mea, et projiciam in terram. Super faciem agri abjiciam te, et habitare faciam super te omnia volatilia cœli, et saturabo de te bestias

A « universæ terræ. Et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles sanie tua. Et irrigabo terram pædore sanguinis tui super montes, et valles implebuntur ex te. Et operiam cum exstinctus fueris cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus. Solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus. Et irritabo cor populorum multorum cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis, et stupescere faciam super te populos vel gentes multas, et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum, et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ suæ,
B quia hæc dicit Dominus Deus : Gladius regis Babylonis veniet tibi, in gladiis fortium dejiciam multitudinem tuam. Inexpugnabiles gentes omnes hæ. Et vastabunt superbiam Ægypti, et dissipabitur multitudo ejus. Et perdam omnia jumenta ejus quæ erunt super aquas plurimas, et non conturbabit eas pes hominis ultra, neque ungula jumentorum turbabit eas. Tunc purissimas reddam aquas eorum et flumina eorum, quasi oleum adducam, ait Dominus Deus, cum dedero terram Ægypti desolatam. Deseretur autem terra a plenitudine sua quando percussero omnes habitatores ejus, et scient quia ego sum Dominus. Planctus est et plangent eum filiæ gentium super Ægyptum et
C super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus, etc. (*Hieron.*) In multis autem exemplaribus juxta Septuaginta duodecimus annus et mensis decimus ponitur. Juxta cæteros autem interpretes decimus annus, et duodecimus mensis, ut vel jam capta sit Hierusalem et gaudium Pharaonis malis sibi imminentibus auferatur. Vel certe capienda et suis magnis miseriis doleat, quam aliorum captivitate lætetur. Et interim breviter quædam historiæ fundamenta jacientes quid Hebræi super hoc loco intelligant percurramus. Leoni comparatur Pharao, non unius gentis, sed multarum gentium, sive draconi in mari ut terram aquasque possideat, qui irrigatione fluminum erigebatur in superbiam, quam cornu vocat, ut multitudine exercitus sui omnes aquas transiens poterat conturbare. Idcirco expandere se dicit
D rete suum super multitudinem ejus, et extrahere eum sagena sua vel hamo, et projicere sive extendere eum super terram, qui quasi coluber multis spiris fuerat involutus ut a cunctis cœli volatilibus devoretur. Cumque non solum aves, sed omnes bestiæ terræ cum laceraverint, reliquæ carnes ejus montes et valles camposque complebunt, ita ut cuncta vermibus scateant. Hæc autem loquitur per metaphoram, ut postquam volatilia cœli et bestiæ carnibus ejus fuerint saturatæ, id est exercitus et universa multitudo, reliqua pars in vermes et saniem convertatur. Tunc, inquit, cœli tenebris obvolventur, sol et luna et cætera luminaria non dabunt lumen suum, sed super te cuncta nigrescent, nihilque tibi lætum erit.

Et ad tuum interitum omnes populi et cuncti reges A eorum horrore nimio formidabunt, conspicientes gladium meum huc illucque volitare, et nulli parcere, et in tua ruina ruinam similem pertimescent. Ut autem scias qui iste sit gladius, audi manifestius: « gladius regis Babylonis veniet tibi: in gladiis fortium, » sive gigantum, « dejiciam omnem multitudinem tuam: » qui gigantes inexpugnabiles gentes sunt, quæ Babylonii regis tenebantur exercitu. « Isti vastabunt, sive disperdent superbiam Ægypti, » et omnem multitudinem ejus, nihilque in Ægypto remanebit, sed cum hominibus et jumenta brutaque animalia pariter auferentur. Et tanta erit solitudo in Ægypto, ut nec pede hominis, nec ungula jumenti, aquæ illius conturbentur, sed quieta sint omnia, et aquæ fluminum ejus quasi oleum fluant purissimæ B ac nitentes, nullo per eas transeunte, nec earum fluenta turbante. Hoc autem propter Ægypti solitudinem, quæ redigetur in desertum, ab omni multitudine sua, quando habitatores ejus Dominus percusserit, ut intelligant, qui remanserint, quod ipse sit Dominus. Idcirco planctus est Pharaonis, et plangent eum filiæ gentium in circuitu, non solum autem super illo, sed et super multitudine ejus, quæ Domino vastante deleta est. Hæc super simplici littera cursim dixisse sufficiat. Veniamus ad intelligentiam spiritalem. Nec puto magnopere laborandum nosse qui sit Pharao rex Ægypti, cum supra plenius diximus, eam videlicet potestatem cui Ægyptus credita, vel una provincia, vel Ægyptus totius mundi, quæ non est leo condita, sed proprio vitio assimilata C leoni gentium: « Homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » De hoc leone et Petrus loquitur: « Adversarius noster diabolus, quasi leo rugiens circuit (*I Petr.* V); » et in nono psalmo scriptum est: « Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua, insidiatur ut rapiat pauperem. » Et Jeremias Spiritu sancto ait: « Leo de silva percussit eos (*Jer.* V). » Draconem autem dici diabolum, pro quo Aquila interpretatus est Leviathan, nomen draconis exponens, juxta superiorem explanationem multis testimoniis docui qui dixerat: « Mea sunt flumina, et ego feci ea. » Iste igitur draco fluminibus suis, quasi cornibus ventilabat plurimas nationes, quæ super Marcione, Valentino, Ario, et Eunomio, D cæterisque hæreseon principibus intelligere possumus, qui imitantur ecclesiasticos viros dicentes ad dominum Salvatorem: « In te inimicos nostros ventilabimus cornu (*Psal.* XLIII). » Et non ventilant ad salutem, ut de terra ad cœlum levent, sed ut in profundum abjiciant. Denique sequitur: « Et conturbabas aquas pedibus tuis. » Juxta illud Apostoli: « Qui autem conturbat vos, portabit judicium (*Gal.* V); » Non vult enim aquas Siloe bibere, quæ vadunt cum silentio, sed aquas Ægypti turbidas atque cœnosas, quæ antequam pedibus conculcarentur draconis, puræ erant, et suo fluentes ordine. Postquam autem pedibus illius conturbatæ sunt, cursus sui ordinem perdiderunt. Neque enim utuntur hæretici testimoniis Scripturarum sibi cohærentibus, sed conturbant omnia. Et quia ipse est inimicus et ultor, non solum aquas alienas draco Ægyptius conturbat pedibus suis, sed conculcat flumina sua, ne parcat eis quos semel in suam redegerit potestatem. Quod devitare cupiens justus precatur: « Non veniat mihi pes superbiæ (*Psal.* XXXV). » Et in alio loco conculcatus petit ne iterum conculcetur, « Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo (*Psal.* LV). » Inimicus autem homo diabolus est. De quo et alter psalmus loquitur, « ut non magnificetur ultra homo super terram (*Psal.* IX). » Propterea « hæc dicit Dominus Deus: Expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum. » Rete Domini Veteris et Novi Testamenti ratione contextum mittitur super draconem, qui habitat in populorum multitudine, et semper turbis et multitudine delectatur. Ut extrahat eum in sagena sua, sive in hamo suo. Ista est sagena (*Matth.* XIII), quæ in mare hujus sæculi mittitur, ut extrahit pisces multos, alios eligendos, et alios abjiciendos. Sive iste hamus de quo in Job scriptum est: « Adducens autem draconem in hamo, et circumdabis capistrum circa nares ejus (*Job.* XL). » Pro quo interpretatus est Aquila: « Extrahes Leviathan in hamo, et funibus colligabis linguam ejus. » Extrahitur autem draco sive Leviathan de mari hamo vel sagena Domini, ut projiciatur, sive extendatur super terram, et omnes spiræ ejus quibus suas insidias occultabat aperiantur, et proferantur in publicum, et in terra abjiciatur et jaceat, qui in loco posuerat os suum, et se Altissimo similem esse jactabat. Unde sequitur: « Et habitare, sive sedere faciam super te omnia volatilia cœli, et saturabo de te bestias universæ terræ. » Secundum illud quod scriptum est: « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Qui vel volatilia vocantur vel bestiæ terræ. Volatilia, quæ sementem ut diximus juxta viam rapiunt: bestiæ terræ vitiis efferatæ, quod ad hæreticos atque gentiles referri potest. Quod autem sequitur: « Et dabo carnes tuas super montes, et implebo colles tuos sanie tua » sive implebo valles sanguine tuo: hunc habet sensum, ut volatilia cœli, et bestias terræ deceptorum populos intelligamus, crudelitatemque gentilium. Montes autem ad principes referamus hæreseon, qualis fuit Valentinus et Marcion, collesque successores eorum, qui saturantur sanie draconis: sive valles, quæ implentur draconis sanguine, inferiores quosque credentium. Aut certe montes adversarias potestates, quæ in aere discurrunt, et valles, quæ inferna penetrant, et æternis suppliciis mancipatæ sunt. Porro quod dicitur: « Et irrigabo terram pœdore sanguinis tui super montes, » sive irrigabitur terra de stercoribus tuis super montes, « et valles implebuntur ex te, » illud significat, quod omnis superbia et arrogans hæreticorum tumor, non tam vitali et puro, quam putrido atque fetenti sanguine compleatur: juxta illud quod scriptum est: « Pone eos sicut stercus

terræ (*Psal.* LXXXII). » De quo sanctus a Domino liberatur, « qui suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem : ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui (*Psal.* CXII). » Per valles autem in ima depressos, ut supra diximus, aut inferna significat, aut humilem hæreticorum sensum, propter voluptatem et terrenas opes cuncta facientium. Quod autem jungitur : « Et operiam cum extinctus fueris cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus, solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cœli mœrore vel tenebrescere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, » si sequamur litteram, penitus intelligi non potest. Quando enim interfecto Pharaone sive dracone sol et luna, et stellæ, non dederunt lumen suum, et cœlum opertum est tenebris, juxta illud poeticum :

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem

Ergo hoc dicendum est, quod exstincto Pharaone, qui transfigurabat se in angelum lucis, de quo in alio loco scriptum est : « Lux impiorum exstinguetur (*Prov.* XXIV), » cœlum sive cœli operientur tenebris, de quibus et Paulus loquitur : « Et spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI). » Et nigrescere fecit Dominus stellas ejus, vel draconis, vel cœli : super quo et Judas apostolus scribit « sidera errantia (*Jud.* v. 13), » quibus caligo tenebrarum in æternum reservatur. Sol quoque nube tegetur, sol iniquitatis, qui contrarius est soli justitiæ. Nube autem, vel ipso Domino Salvatore, qui descendit in Ægyptum super nubem levem, nullo peccatorum pondere prægravatam ; vel prophetis et apostolis de quibus legimus : « Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem (*Isa.* V). » Et in Psalmis : « Veritas tua usque ad nubes (*Psal.* XXXV). » Cum autem sol iniquitatis fuerit obscuratus, lunam quam hæreticorum sentimus ecclesiam, et quæ a sole iniquitatis lumen putabatur accipere, non dabit lumen suum, nec decipiet credentes falsi nominis scientia. Omnia quoque luminaria, et quidquid videtur in hæreticis esse doctrinæ, exstincto dracone cæcabitur : sive mœrebunt principe perdito, ita ut ipse Dominus terram hæreticorum operiat tenebris; ignorantia scilicet veritatis, ut cæci cæcos ducant in foveam : et habitatores terræ mittantur in tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium. Post hæc dicitur : « Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem, sive captivitatem tuam in gentibus, super terram quam nescis, » ut qui prius Pharaoni servierant, irascantur contra eum, videntes captivitatem ejus, ad aliam terram, quam draco nesciebat, esse perductam. Nec debemus ambigere bonas esse terras, quas Pharao nesciat, scilicet quando captivitas Pharaonis alia captivitate mutatur, de qua dicitur ad Salvatorem : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, accepit (*Psal.* LXVII); » sive juxta Apostolum : « dedit dona in hominibus. » — « Et stupescere, inquit, faciam super te populos multos, » ut A qui prius Pharaonis admirabantur potentiam postea eum admirentur de suo culmine cecidisse. Reges quoque populorum nimio horrore formidabunt super eum, quorum regna Domino diabolus ostendit : et de quibus in psalmo dicitur : « Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum (*Psal.* II). » Hoc autem fiet, « cum volare cœperit gladius Domini super facies eorum, » subauditur regum sive populorum. Gladius autem Domini intelligendus est vivens sermo Dei et efficax et acutus super omnem gladium ex utraque parte acutum, qui volat atque discurrit et perstringit cernentium oculos vultusque deterret. Et obstupescentes super ruina Pharaonis se in illo videant esse dejectos. Et Domini quidem gladius, de quo scriptum est : « Ecce hic positus est B in ruina et resurrectione multorum (*Luc.* II), » jacentes elevat, et male erectos humilitate commutat. Gladius autem regis Babylonis veniet super draconem Ægyptium, ut in gladiis fortium, sive gigantum dejiciat Dominus multitudinem ejus, qui regem Ægypti sectabatur. « Inexpugnabiles, » inquit, sive pestilentes de gentibus. « omnes isti » ut mali ad puniendum tradantur pejoribus, de quibus scriptum est : « Immissiones per angelos pessimos (*Psal.* LXXVII); » et Apostolus : « Quos tradidi, inquit, Satanæ, ut discant non blasphemare; vel in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat (*I Tim.* I). » Cum autem per hujuscemodi ministros dejecta fuerit superbia Ægypti, et multitudo illius dissipata, perdentur omnia jumenta illius, quæ erant super aquas plurimas. « Et C non conturbabit eas pes hominis ultra ; *si enim* beatus, qui seminat super aquas, ubi bos et asinus calcat, e contrario infelix, qui simplices quidem suo ultra poterit errore retinere, ita ut pes hominis non calcet in eis, quo ne signum quidem sapientiæ atque rationis aquæ Ægyptiæ in se habere videantur. « Ungula quoque jumentorum non turbabit eas, » ut de limpidissimis, atque nitentibus faciat turbidas et cœnosas. Tunc reddentur non ab aliis, sed ab ipso Domino aquæ purissimæ, quæ draconis fuerant dominatione turbatæ, ita ut flumina earum labantur, quasi oleum, et sint veri luminis nutrimentum. Hæc autem fient cum dederit Dominus terram Ægypti desolatam et perdiderit multitudinem ejus, et percussi fuerint omnes habitatores illius, ut isto pro- D fectu scire possint, quia ipse sit Dominus. Quod autem jungitur, « planctus est, et plangent eum filiæ gentium super Ægyptum et super multitudinem ejus plangent eum, ait Dominus Deus, » perspicuum est animas omnium gentium, quæ prius oppressæ fuerant : sive earum gentium, quæ nequaquam in Ægypto morabantur, sed in regione viventium, interfectum draconem plangere, et omnem multitudinem ejus non spe salutis, sed quod de tanta potentia suo vitio et superbia dejectus sit in æterna supplicia.

« Et factum est in duodecimo anno, in quinta decima mensis : factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, cane carmen lugubre super multitudine Ægypti. Et detrahe eam ipsam et

« filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his qui descendunt in lacum. Quo pulchrior es descende et dormi cum incircumcisis. In medio interfectorum gladio cadent. Gladius datus est. Et attraxerunt eam et omnes populos ejus. Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt et dormierunt incircumcisi interfectique gladio. Ibi Assur et omnis multitudo ejus in circuitu illius sepulcra ejus, omnes interfecti, et qui ceciderint gladio quorum data sunt sepulcra in novissimis laci. Et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus, universi interfecti cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. Ibi Elam et omnis multitudo ejus per gyrum sepulcri illius. Omnes hi interfecti ruentesque gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam. Qui posuerunt terrorem suum in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. In medio interfectorum posuerunt cubile ejus in universis populis ejus in circuitu ejus sepulcrum illius. Omnes hi incircumcisi interfectique gladio. Dederant enim terrorem in terra viventium, et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. In medio interfectorum positi sunt. Ibi Mosoch et Tubal et omnis multitudo ejus in circuitu illius sepulcra ejus. Omnes hi incircumcisi interfectique et cadentes gladio qui dederunt formidinem suam in terra viventium, et non dormient cum fortibus cadentibusque et incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis. Et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium. Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris et dormies cum interfectis gladio. Ibi Idumæa et reges ejus, et omnes duces ejus, qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio, et qui cum incircumcisis dormierunt, et cum his qui descenderunt in lacum. Ibi principes aquilonis omnes et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis paventes, et in sua fortitudine confusi, quia dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum. Vidit eos Pharao et consolatus est super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio : Pharao et omnis exercitus ejus, ait Dominus Deus, quia dedit terrorem suum in terra viventium, et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio. Pharao et omnis multitudo ejus, ait Dominus Deus. » Interim juxta historiam manifestus est sensus. In eodem enim anno duodecimo, et in eodem ut putamus mense, sed non in una ut supra mensis. Verum in quinta decima die nequaquam super Pharaone, sed super fortitudine, sive multitudine Ægypti planctus assumitur : qui detrahitur de superbia sua cum universis filiabus suis, sive gentium robustarum ad terram ultimam, id est in profundum inferni. Diciturque ad regem Ægypti quo meliores ut mortem merearis evadere? Cum enim Assur et Elam, id est Persæ, et Mosoch, qui interpretantur Cappadoces; et Thubal quos alii Iberos, alii Italos intelligi volunt, Idumæi quoque et Principes Aquilonis ac Sidonii, cum universis exercitibus suis, quorum auxilio horrorem cunctis gentibus præbuerunt, mortui sint et interfecti gladio, et posuerint gladios suos sub capitibus suis, quod dictum ἐμφατικώτερον accipiendum est, tu solus poteris non eadem sustinere? Quin potius cum videris tantam tecum apud inferos multitudinem dormientium, et sepulcrum tuum fortissimorum quondam principum circumdari memoriis, habebis consolationem, leviora tormenta æstimans consortio plurimorum. Hæc interim juxta simplicem sensum strictim dixisse sufficiat. Nunc eadem brevitate, quantum explanationis patitur difficultas, spiritalis intelligentiæ summa quæque carpamus. Supra una mensis die factus est sermo Domini ad prophetam, hic quinta decima. In prima autem die, hoc est in Kalendis mensis exordium est; in quinta decima quando totus lunæ orbis impletur. Et siquidem primus mensis fuerit, Azymorum est prima dies; qui autem septimus Scenophegiarum, quando figuntur tabernacula, quæ solemnitates apud Hebræos vel maximæ sunt. Fit autem planctus super fortitudinem Ægypti, ut fortis in malo esse desistat, et recipiat infirmitatem, et quando infirmior fuerit, tunc fortior sit. Pro fortitudine Ægypti in Hebraico habet multitudinem. « Lata enim et spatiosa via, quæ ducit ad mortem, et multi ingrediuntur per eam (*Matth.* VII). » Sicut e contrario dicitur ad Israel : « Vos autem estis pauci inter omnes gentes (*Deut.* XXVIII); » semper enim virtus rara est, « et arcta et angusta via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui ingrediuntur per eam. » Quod autem Ægyptus plangitur, et mortuæ filiæ ejus, juxta Septuaginta, sive gentium robustarum deducuntur ad terram ultimam in lacum sive in foveam profundissimam, significantur animæ in Ægypto hujus sæculi commorantes, quæ perdiderunt eum, qui dicit : « Ego sum vita (*Joan.* XIV). » Et peccatis mortuæ pondere eorum ad inferos detrahuntur, dicente peccatore : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* XXXVII). » Istæ sunt de quibus scriptum est et in alio loco : « Ingredientur in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*Psal.* LXII); » qui enim fodit foveam, incidet in eam (*Eccli.* XXVII). » Unde et legimus : « Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit (*Psal.* VII). » Quodque sequitur : Quo pulchrior es, descende et dormi cum incircumcisis, » proprie ad Pharaonem regem Ægypti sermo dirigitur, sive, ut in Septuaginta de Theodotione additum est, ad ipsam Ægyptum : « De aqua pulcherrima descende, et dormi cum incircumcisis. » Quod specialiter ad eum pertinet, qui in baptismate Christi renatus, et au-

diens cum Ecclesia : « Quæ est ista quæ ascendit dealbata innitens super fratruelem suum ? » (*Cant.* VIII) postea vel fornicatione vel aliis vitiis sordidatus ejicitur de Ecclesia, et dicitur ad eum : « De aqua pulcherrima descende et dormi cum incircumcisis, » id est, cum immundis juxta illum sensum quem ponit Apostolus : « Nos sumus circumcisio, qui in spiritu Deo servientes et gloriantes in Domino, et non in carne confidentes (*Philip.* III). » Hi omnes in medio vulneratorum sive interfectorum cadent cum Pharaone illo gladio quem venit mittere Dominus super terram. Sicut enim Christi gladius bonos a malis separat dicens : « Non veni pacem mittere super terram, sed gladium (*Matth.* X) ; » sic hæreticorum gladius omnes trucidat populos, et vulneratos ad inferna deducit. Isti sunt gigantes potentissimi et rebelles, et ponentes in excelsum os suum. Et quanto per superbiam se ad excelsa sustollunt, tanto ad profundum foveæ et in inferni novissima detrahuntur. (*Greg.*) Juxta tropologiam vero quisquis supra se extollitur, ipso elationis suæ pondere gravatur, et eo se in infimis mergit, quo in superbiæ vitium proruens ab eo, qui vere excelsus est, elongavit, atque inde magis ima appetit, unde se conjunctum æstimavit, sicut per Prophetam extollenti se animæ dicitur : « Quo pulchrior es, descende et dormi cum incircumcisis. » Omnis enim qui fœditatem infirmitatis suæ considerare negligit, sed per elationis fastum, virtutis suæ gloriam attendit, unde pulchrior est, inde descendit : quia extollendo se de suis meritis, inde in ima interitus corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormivit, quia in æternam mortem cum cæteris peccatoribus defecit. (*Hieron.*) Qui omnes interfecti sunt gladio, et ut sciret vel Pharao vel omnis Ægypti fortitudo, quæ ad inferna detracta est, quos haberet in pœnis socios sequens sermo demonstrat. Ibi Assur et omnis multitudo vel Synagoga ejus. Principes enim hæreticorum diabolus, cujus vere congregatio est synagoga, de qua in Apocalypsi dicitur : « Qui sunt synagogæ Satanæ (*Apoc.* II). » Sequentes autem versiculos qui juxta Septuaginta obelo prænotantur, prætereundos puto, dicendumque quod habetur in Hebraico, « in circuitu illius sepulcra eorum, » videlicet deceptorum ab eo, qui omnes vulnerati vel interfecti sunt gladio, et ideo corruerunt : « Quorum sepulcra data sunt in novissimis laci » Quod autem lacus vocetur infernus, perspicue psalmus ille demonstrat, in quo pœnitens loquitur : « Assimilatus sum cum his qui descendunt in lacum (*Psal.* XXVII). » Quem nequaquam debemus juxta Latini sermonis proprietatem eum intelligere, qui Græce λίμνη dicitur, ut est lacus Tiberiadis, et lacus Larius et Benacus multique alii, sed quas nos solemus appellare cisternas, quos lacus, quia aquas refrigerant, et omnem ab eis calorem spiritus auferunt, peccatores cunctique hæretici fodiunt. Et quantum in mea memoria est, nullum sanctorum lacum, id est, cis-

A ternam fodisse Scriptura testatur, sed omnes peccatores quorum fuit Ozias rex leprosus (*II Par.* XXVI), et qui per suam superbiam corruit. De quo scribitur, quod homo fuerit terræ operibus incumbens, et multas superbiæ turres ædificarit in angulis, et lacus foderit. E contrario ad justum dicitur : « Bibe aquas de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus (*Prov.* V). » Et rursum : « Fons aquæ tuæ sit proprius. » Unde loquitur et Dominus : « Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus, id est cisternas, quæ aquas continere non possunt (*Jer.* II). » Sequitur : « Et facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus. » Hi omnes cingunt Assyrium, et est eorum plurima multitudo, qui universi vulnerati sunt et interfecti, et cadentes B gladio. Nemo enim eorum stare potest cum Moyse, nec audire, « qui statis in domo Domini (*Psal.* CXXXIII), » sed omnes vulnerati interfectique sunt, et cadentes : qui quondam dederant formidinem in terra viventium. Formidinem autem his, qui erant Ecclesiis præpositi, ne in terra viventium facerent populos mortuorum, et simplices quosque deciperent. Unde et Paulus aiebat : « Timeo autem ne forte sicut serpens decepit Evam in malitia sua, corrumpantur sensus vestri per simplicitatem, quæ est in Christo (*II Cor.* XI). » Sed hic timor spe Domini mitigatur dicente Psalmista ; « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo ? (*Psal.* XXVI.) » Post hæc dicitur : « Ibi Elam [Ibi Assur] et omnis multitudo ejus C per gyrum sepulcri ejus. » Haud dubium quin Assyrii. Elam in linguam nostram vertitur *saeculum eorum*. Omnes enim qui, Christi humilitate contempta, diaboli ascendere superbiam, et se in falsi nominis scientia esse aliquid æstimarunt, Elamitæ sunt nuncupandi. Qui Assyrii regis sepulcrum ambiunt, et interfecti sunt vulneratique gladio : et licet in excelso posuerint os suum, tamen descenderunt immundi et incircumcisi ad terram ultimam, ut quanto sublimius fuerant elevati, tanto fortius caderent. Isti « posuerunt terrorem suum » non semel sed secundo « in terra viventium. » Quis enim ecclesiasticorum ab hujuscemodi Elamitarum terrore securus est, et non aliquem sui perdidit gregis ? pulchreque Ecclesia Christi appellatur, « terra D viventium, » ut e contrario hæreticorum conciliabula mortuorum terræ esse credantur. « Et portaverunt, inquit, ignominiam sive tormentum suum, cum his quos secum detraxerunt in lacum, » et in profundum inferni, quorum cubile interfectum est. Eorum videlicet quos suo mucrone jugularunt, et circumdantur hujuscemodi populis. Hi populi Assyrii regis populi sunt, et licet circumcisos esse se jactent, tamen incircumcisi interfectique sunt gladio. Et tertio dederunt terrorem atque formidinem in terra viventium, unde portaverunt tormentum suum atque supplicium in medio eorum quos suis fraudibus deceperunt. (*Greg.*) Recte igitur in libro Job inferni claustra tenebrosa terra nominantur

(*Job.* x), quia quos puniendos accipiunt nequaquam A pœna transitoria vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuæ damnationis servant. Quæ aliquando tamen laci appellatione signantur, propheta testante, qui ait : « Portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum. » Infernus ergo nominatur, quia susceptos stabiliter tenet. Et lacus dicitur : quia hos quos semel ceperit semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. « Ibi quoque est, id est, juxta Assyrium, Mosoch et Tubal et omnis multitudo ejus in circuitu sepulcri ejus : omnes incircumcisi interfectique et cadentes gladio, qui dederant formidinem suam in terra viventium. » (*Hieron.*) Pro *Mosoch et Tubal* Symmachus et Theodotio interpretati sunt cubile eorum, ut ostenderent cubilia hæreticorum, imo foveas sempiternas Assyrii regis esse supplicia. Mosoch interpretatur *insania*, Tubal *conversio*, non in bonum a malo, sed de bono in malum. Sive *universa*, ut ostendat omnes hæreticos insanire, et pari studio ad pejora converti. Nec mirum si insanientes et coacervati in malum habent multitudinem cum Ægyptii regis socii sint, qui gaudet multitudine. « Omnes hi interfecti gladio, qui dederunt formidinem suam » non semel, nec bis, nec ter, « in terra viventium, » de quibus supra plenius diximus. Sequitur : « Et non dormient cum fortibus, » sive gigantibus, « cadentibusque et non circumcisis, qui descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium. » Hi, inquit, qui hæreticorum principes exstiterant ad tantum malitiæ pervenere culmen atque cruciatuum, ut nec cum fortibus atque gigantibus qui a principio corruerunt, similia mereantur ferre supplicia, qui nequaquam erroris sui acta pœnitentia descenderunt ad inferos cum armis suis, rebelles contra Deum et Ecclesiam ejus ; secum arma deferentes. De quibus scriptum est : « Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ (*Psal.* LVI). » « Et posuerunt, ait, gladios suos sub capitibus suis, » requiescentes in animo perduelli, et pro summa victoria sententiarum suarum jacula complexantes. In tantum ut iniquitates eorum fuerint in ossibus eorum. Hoc est, fortissima figmenta et erroris sui dogmata possidentes : quia terror fortium facti sunt in vita sua, sive in terra viventium. Quod quarto dicitur : ut fortissimos quosque et habentes scientiam Scripturarum, et qui essent de regione viventium, sua perversitate terrerent, dum descendunt ad infernum cum armis suis, et ponunt gladios suos sub capitibus suis, et iniquitas eorum usque ad ossa perveniunt. (*Greg. lib.* IX *Moral., cap.* XLVI.) Bene ergo per prophetam dicitur : « Descenderunt ad infernum cum armis suis. » Arma quippe peccantium sunt membra corporis quibus per diversa desideria, quæ conspiciunt, hæc sequuntur. Unde recte per Apostolum dicitur : « Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato (*Rom.* VI). » Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoque membris quibus desideria voluntatis expleverunt, æterni judicii tormenta tolerare, ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi undique contra justitiam juste judicantis pugnant. (*Hieron.*) Post hæc scriptum est : « Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, » quod vel ad Pharaonem, vel ad fortitudinem sive multitudinem Ægypti dicitur, quod et ipsa conteratur, juxta illud quod scriptum est : « Deus autem conterat Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI). » Et dormies, inquit, cum interfectis gladio. » Somno perpetuo ibi cum Assyrio et cum Ægyptia erit multitudine Idumæa et reges ejus omnes, qui terrenis operibus servierunt, sive sanguine B delectati sunt. Etenim Idumæa, et terrenam et sanguinariam sonat. Omnes reges et universi principes, de quibus crebro et Apostolus loquitur, terrenis operibus incubantes, et effundentes quotidie sanguinem eorum quos sua fraude deceperunt, cum incircumcisis et immundis dormierunt, et cum his qui descenderunt in lacum. De quibus supra diximus, in ipso comitatu erunt, et principes aquilonis, a quo exardescunt mala super terram, et a quo vel in Jeremia, vel in hoc eodem propheta olla illa plena carnium ossiumque succenditur, et non solum principes aquilonis, verum omnes magistratus Assur. Pro quo in Hebraico positum est, universi Sidonii, quos nos in venatores vertimus, juxta illud quod scriptum est : « Anima nostra sicut C passer erepta est de laqueo venantium (*Psal.* CXXIII). » Pro quo in Hebraico positum est *Sidoniorum ;* qui Sidonii, sive venatores, deducentur ad inferos paventes, in sua quondam confisi fortitudine. Et dormient immundi, et portabunt confusionem, sive tormentum suum, habentes malæ conscientiæ pœnitudinem sempiternam, ita ut ignis eorum non exstinguatur, et vermis eorum non moriatur (*Isa.* LXVI ; *Marc.* IX) : quos omnes cum viderit Pharao consolabitur, vel habens adhuc malitiam pristinam, et multos pœnæ socios habere se cernens, vel certe consolatus est ; videns et illos confundi in suppliciis et terroribus suis. « Super universa multitudine sua, quæ interfecta est gladio, » Pharaonis scilicet vel omnium sociorum ejus, præcipueque Assyrii D regis et Mosoch et Tubal et Idumæorum et principum aquilonis et Sidoniorum : hi enim dederant terrorem suum in terra viventium. Quod quinto dicitur, ut omnes istiusmodi nationes cavere et fugere debeamus, quæ cunctis nos sensibus deceperunt, et scire esse horribiles, nec facile posse vitari nisi omni custodia servaverimus cor nostrum. Dormivit, inquit, et ipse Pharao cum sociis suis interfectis gladio. Qui socii, multitudo ejus sunt, per latam et spatiosam viam pergentes ad supplicia sempiterna.

CAPUT XXXIII.

De speculatore, qui buccina cantet, ut peccatores redeant ad pœnitentiam : et unusquisque judicabitur ubi invenietur : sermo Domini contra eos qui e multitudine non in sanctitate volunt hæreditatem possidere, et contra eos qui verba prophetiæ verterunt in canticum.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos : Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem, et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina et annuntiaverit populo. Audiens autem quisquis ille est sonum buccinæ, non se observaverit, veneritque gladius et tulerit eum, sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonum buccinæ audivit, et non se observavit : sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus non se custodierit, veneritque gladius et tulerit de his animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram. Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur. Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur. Porro animam tuam liberabis. » (*Hieron.*) Rursum ad prophetam sermo fit Domini, qui aliquanto siluerat tempore eo quod non possit propheta, nec humana fragilitas juge atque continuum ad se sustinere vaticinium, et loquitur eadem quæ in superioribus continentur : « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Et audies ex ore meo verbum, et comminaberis eis ex me. In eo, quod dicam iniquo, morte morieris, et non annuntiasti ei, nec locutus es, ut annuntiares iniquo, et converteretur a viis suis, et viveret, iniquus ille in iniquitate sua morietur, et sanguinem ejus de manu tua requiram. Et tu si annuntiaveris iniquo et non conversus fuerit ab iniquitate sua, et a via sua, iniquus ille in iniquitate sua morietur, et tu animam tuam liberabis. » Quæ si diligenter inspicias, intelligis similia quidem esse, sed non eadem, dum in plerisque discordant. Et hoc in omnibus Scripturis sanctis observare debemus, ubi videtur aliqua similitudo esse sententiæ, non in omnibus eadem dici, sed vel subtrahi pleraque vel addi, et singulorum inter se verborum discrepantiam habere rationem. Et interim priusquam ad altiora veniamus, brevis est explicanda sententia. Si speculator fuerit constitutus in populis, ut annuntiet gladium Domini iramque venientem, et annuntiante eo populus audire noluerit, speculator liber erit, et ille qui oppressus est

A gladio ipse sanguinis sui sustinebit reatum, quod si audierit, salvabit animam suam. Sin autem speculator non insonuerit buccina, et populus ignorans venturum gladium, nequaquam se observaverit, populus quidem in sua morietur iniquitate, attamen sanguinem morientis de speculatoris requiram manu. Et ut sciret propheta Ezechiel generalem disputationem ad se potissimum pertinere. « Et tu, inquit, fili hominis » non a terra et a populo terræ, ut supra dixi, sed a me speculator constitutus es domui Israel. « Si ergo me dicente ad impium, impie, morte morieris, » non fueris locutus ad eum ut se custodiat, et de interitu liberetur, et ille quidem in sua iniquitate morietur, quam prius commiserat, et de qua si annuntiasses potuit liberari :

B « sanguinem autem ejus de manu tua requiram. » Quod si tu annuntiaveris impio atque præceperis ut convertatur a viis suis pessimis, et ille hoc facere noluerit, ille quidem in sua iniquitate morietur, tu autem liberasti de interitu negligentiæ animam tuam. Ex quibus discimus posse hominem quamvis iniquum, et impium si magistri verba audierit, et egerit pœnitentiam, a sua impietate salvari : nec minus magistrum subire discrimen, si docere noluerit, vel timore discriminis, vel desperatione peccantis, dum reus est sanguinis ejus, qui liberari potuit, et de morte erui, nisi magistri silentio concidisset, et in utroque liberum servari arbitrium, dum et in magistri voluntate est vel tacere vel loqui, et in auditoris arbitrio vel audire et facere atque salvari, vel con-

C temnere et proprio perire contemptu. Nec statim sequitur, et quia propheta prædicit, veniat quod prædixit : non enim prædicit ut veniat, sed ne veniat, nec quia Deus loquitur, necesse est fieri quod minatur, sed ideo comminatur, ut convertatur ad pœnitentiam, cui minatur, et non fiat quod futurum est, si verba Domini contemnantur. Possumus autem tripliciter locum istum disserere, ut terra quæ sibi speculatorem constituit, vel juxta litteram terra Judæa sit, vel juxta spiritalem intelligentiam Ecclesia, quæ sæpe de novissimis populi sui speculatorem eligit, illum videlicet quem et Apostolus scribens ad Corinthios assumit judicem, vel certe anima credentis, quæ mentem atque rationem præponit populo, et

D turbæ cogitationum suarum, ut non omnia cogitationum incentiva suscipiat, sed judicet atque discernat, quæ sectanda sibi quæve fugienda sint. Speculator terræ Judææ, vel rex potest intelligi, vel Propheta. Speculator autem Ecclesiæ, vel episcopus, vel presbyter, qui a populo electus, et Scripturarum lectione cognoscens et prævidens quæ futura sint, annuntiet populo, et corrigat delinquentem. Unde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, et assumpti a populo negligentiæ nos demus atque desidiæ, et, quod his pejus est, deliciis ventrique et otio servientes, honorem nos accepisse putemus non ministerium. Siquidem « filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx), » Et pedes discipulorum lavit, ut

stenderet omnes sordes et vitia a magistro in discipulis debere dilui, atque purgari. Nec statim respondeamus, quid prodest docere si nolit auditor facere quod docueris? unusquisque enim ex suo animo que officio judicatur. Tu si locutus non fueris, ille audire contempserit. (*Greg.*) Hinc quoque sartaginem alio loco jussit ponere, inter se et civitatem : « Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te, et inter civitatem, et obfirmabis faciem tuam ad eam, et erit in obsidione, et circumdabis eam (*Ezech.* IV). » Hanc rtaginem inter se et discipulos murum Paulus ponerat cum dicebat : « Mundus sum a sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis (*Act.* XX.) » nc ergo doctores necesse est, ut appetant zeli doribus frigi, ne cogantur post de torpore neglintiæ igne ehennæ cruciari. Sed aliud est quod justis et subditis, aliud quod justis et non subditis bemus. Ad illorum nos correptionem atque custodiam reddendarum rationum debet timor accendere : ad istorum venerationem ipsa considerata quitas inclinare. Sed arrogantes viri, quia hujus rmam discretionis ignorant, hoc justis et non subtis exhibent, quod a bonis prædicatoribus fieri et justis et subditis vident. Qui cum ad fervorem nctionis injuste prosiliunt, etiam per verba maleictionis excedunt : quia enim nequaquam proximos cut se diligunt, proximis optare non desinunt, od ipsi sibimet evenire pertimescunt. (*Hieron.*) e magistris negligentibus Salomon loquitur : « Sapientia abscondita et thesaurus occultus, quæ utilitas in utroque? » (*Eccli.* XLI) Tale quid signifitur et in Evangelio (*Matth.* XVIII), quod qui andalizaverit unum de minimis Ecclesiæ, expediat ut alligetur ad collum ejus mola asinaria, et abjiciaır in profundum, quam in specula constitutus pluriis noceat. « Tu ergo, fili hominis, dic ad domum rael : sic locuti estis dicentes, iniquitates nostræ peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos bescimus, quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad os : Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem npii, sed ut revertatur impius a via sua et vivat. onvertimini a viis vestris pessimis et quare moiemini domus Israel. » (*Greg*) Qui enim ut pereat hus de pusillis non habet voluntatem, quo sine igenti sacrilegio putandus est, non universaliter mnes, sed quosdam salvos fieri velle. Ex omnibus rgo quicumque pereunt, contra illius pereunt vountatem. Ita eum ad unumquemque eorum quotidie roclamante : « Convertimini a viis vestris pessimis. » Et : « Quare moriemini, domus Israel? » Et terum : « Quoties volui congregare filios tuos, icut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et oluisti? » (*Matth.* XXIII.) Et : « Quare, inquit, aversus est populus iste in Hierusalem aversione contentiosa. Induraverunt cervices suas, noluerunt reverti. » Præsto est ergo quotidie Dei gratia, quæ omni vult omnes homines salvos fieri, absque ulla exceptione convocat dicens : « Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI). » Si autem non omnes universaliter, sed quosdam advocat, sequitur ut non omnes sint onerati, vel originali, vel actuali peccato, nec vera sit illa sententia : « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei (*Rom.* III), » nec per omnes homines mors pertransisse credatur. Et in tantum omnes, qui pereunt, contra Dei pereunt voluntatem, ut nec ipsam mortem Deus fecisse credatur, ita Scriptura testante : « Quia Deus mortem non fecit (*Sap.* I), » nec gaudet in perditione vivorum. Et inde est, quod plerumque dum pro bonis contraria postulamus vel tardius vel nequaquam nostra exaudiatur oratio. Et rursus ea, quæ credimus esse contraria, utiliter ut benignissimus medicus, etiam invitissimus Dominus inferre dignatur. Ac non nunquam perniciosas dispositiones nostras lethalesque conatus ab effectu detestabili retardat ac revocat, ac properantes ad mortem, et de inferni faucibus retrahit ad salutem, ac extrahit ignorantes.

« Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui : « Justitia justi non liberabit eum in quacunque die « peccaverit. Et impietas impii non nocebit ei in « quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. « Et justus non poterit vivere in justitia sua in qua« cunque die peccaverit. Etiam si dixero justo quod « vita vivat et confisus in justitia sua fecerit iniqui« tatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et « in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morie« tur. Sin autem dixero impio, Morte morieris, et « egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judi« cium et justitiam, pignus restituerit ille impius, « rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambu« laverit, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet « et non morietur, omnia peccata ejus, quæ pecca« vit non imputabuntur ei. Judicium et justitiam « fecit, vita vivet. Et dixerunt filii populi tui. Non « est æqui ponderis via Domini, et ipsorum via « injusta est. Cum enim recesserit justus a justitia « sua, feceritque iniquitatem, morietur in eis. Et « cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque « judicium et justitiam, vivet in eis. Et dicetis, Non « est recta via Domini. Unumquemque juxta vias « suas judicabo de vobis, domus Israel. » (*Hieron.*) Si negligenter legamus videtur nobis eadem prophetia esse, quæ supra in qua dicitur : « Nunquid volens cupio mortem iniqui, dicit Dominus, nisi converti eum a via mala et vivere? » Et in fine ejusdem prophetiæ : « Convertimini et redite ab universis impietatibus vestris, et non erunt vobis in tormentum iniquitatis. » Ibi enim ad eos sermo fit, qui volunt agere pœnitentiam et justitia peccata delere, ut cum fiducia convertantur, et pleno animo agant pœnitentiam. Hic autem ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum, imo impietatum suarum desperant salutem, et dicunt : Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus? Et est sensus

Cum semel nobis mors proposita est, et vulneribus nostris nulla medicina possit restituere sanitatem, quid necesse est laborare, et frustra consumi? et præsentem vitam non cum desperatione transigere, ut saltem hac fruamur, quia futuram perdidimus. Quibus respondet Deus, non velle se mortem impii, sed ut revertatur et vivat. Et apostropham facit ad impios desperantes. « Convertimini a viis vestris pessimis. » Atque ut sciamus qui sint impii ad quos loquitur sequens sermo demonstrat: « Quare moriemini, domus Israel? » Vita autem et mors in hoc loco non hæc significatur, qua omnes communi cum bestiis lege naturæ vel vivimus, vel morte dissolvimur, sed illa de qua scriptum est: « Placebo Domino in regione viventium (*Psal.* CXIV.) » Et anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Et a speciali commonitione qua Israel domui loquebatur, ad generalem transit disputationem quod et justum præteritæ non salvent justitiæ, si novis sceleribus fuerit occupatus, et peccatorem vel impium antiqua peccata non perdant, si operibus justitiæ veteres emendarit errores, Deumque non præterita in utroque judicare, sed præsentia. « Si dixero, inquit, justo vita vives, » et ei præmia justitiæ pollicitus fuero, confestimque ille peccaverit, omnes justitiæ ejus pristinæ oblivioni tradentur, et præsenti iniquitate morietur. Nec mea est mutata sententia, cum non possim in eodem homine, peccatore reddere, quod justo promiseram. E contrario si peccatori et impio fuero comminatus, et dixero: Adhuc tres dies et Ninive subvertetur, et ille gerit pœnitentiam, bonisque operibus veterem emendarit errorem, ita ut judicium faciat et justitiam, pignus restituat, rapinamque reddat, in mandatis vitæ ambulet, nec faciat quidquam injustum, nonne debet vita, quæ Christus est, vivere, et nequaquam mori cum comminatio peccatoris justum subire non debeat? Tale quid loquitur sermo divinus ad Hieremiam quando descendit in domum figuli (*Jer.* XVIII,) et audit vel promissa vel comminationem Dei id agere, ut vel homines provocent ad salutem vel deterreant a peccato. Unde qui dicunt: « Non est æqua via Domini, » arguuntur quod ipsorum sit sententia iniqua habentium oculum pessimum, et nequaquam nova, sed vetera judicantium. Quibus omnibus demonstratur, nec peccatorem de salute desperare debere si agat pœnitentiam, nec justum in sua confidere justitia, si perdiderit negligenter quod magno labore quæsierat. Manifesta transcurrimus, ut in obscurioribus immoremur. In quibus autem præsens prophetia discrepet a præterita, et in quibus loquatur similia, collatio utriusque poterit indicare. Porro quid sit judicium facere et justitiam, pignus restituere, rapinam reddere, in mandatis vitæ ambulare, et cætera, in hoc eodem propheta supra diximus.

« Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Hierusalem, dicens: Vastata est civitas. Manus autem Domini facta fuerat A ad me vespere, antequam veniret qui fugerat, aperuitque os meum donec veniret ad me mane, et aperto ore meo non silui amplius. » Undecimo anno regni Sedeciæ, quinto mense, capta est civitas Hierusalem. Hæc autem prophetia duodecimo anno, decimo mense, quinta mensis captivitatis sive transmigrationis, quando captus est cum Jechonias. Ex quo ostenditur post unum annum et quatuor menses et viginti quinque dies, capta Hierusalem, venisse Babylonem unum civium Hierusalem, qui nuntiaret captam urbem atque vastatam. Ante unum autem diem quam veniret, qui ista narraret, vesperi facta est manus Domini ad Ezechielem prophetam, quæ aperuit os ejus, quod diu clausum fuerat, et quidquid erat ille dicturus hic factum ante replicavit, B nec siluit amplius, videns prophetiam suam opere completam, et nequaquam dubitare populum, qui erant in Babylone, vel eos, qui capti erant de vaticinio prophetali. Tunc enim aperitur os Prophetæ, quando quod prius nuntiaverat, opere monstrat effectum, et tota libertate proclamat, qui nequaquam futura, sed vel præsentia vel transacta demonstrat. Hoc secundum litteram. Cæterum juxta ἀναγωγήν, si Ezechiel interpretatur fortitudo Dei, Christus autem est Dei virtus et Dei sapientia, hoc intelligendum, quod capta et subversa Hierusalem quicunque perfidiam Judæorum potuerit evadere, quales fuerunt apostoli, et reliquiæ, quæ salvæ factæ sunt, ipse Christo nuntiat omnes cæremonias Judæorum esse subversas, quas quidam usque hodie C observandas putant, non audientes illud Apostoli: « A gratia excidistis, qui in lege justificamini (*Gal.* V.) » Mirorque hominum pertinaciam id velle sermone defendere quod opere implere non audeant, nisi forte sub pelle ovium, id est, Christianorum, lupi celantur judaici, qui defensores synagogæ in Christi ecclesiis personant. Capta ergo Hierusalem atque subversa aperitur os Domini per apostolos et apostolicos viros, qui possunt dicere: « Os meum apertum est, ad vos, o Corinthii, et apertum est mihi ostium magnum et efficax (*I Cor.* XVI). » Et illud: « Os meum aperui, et attraxi spiritum (*Psal.* CXVIII); » quod nunquam tacere poterit, nec audiet cum Israel, « Audi, Israel, et tace; » sed in toto D orbe resonabit, et Christi Evangelium pandetur gentibus. Unde juxta hunc sensum et duodecimus annus, ad duodecim defertur tribus, et decimus mensis ad tempus propitiationis Judaicæ, quæ Græce dicitur ἱλασμός; et quinta dies mensis ad sensus carneos. Quæ omnia capta Hierusalem et evangelio succedente deleta esse et transisse monstravimus. Et « vespere, » hoc est in consummatione mundi factam manum Domini ad verum Ezechiel, qui futuras urbis ruinas cecinerat per prophetas, et mane impletas esse monstravit.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens: « Fili hominis, qui habitant in ruinosis his super « humum Israel loquentes aiunt: Unus erat Abra- « ham, et hæreditate possedit terram. Nos autem

« multi nobis data est terra in possessionem. Idcirco dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus, Qui in sanguine comedetis et oculos vestros levatis ad immunditias vestras, et sanguinem funditis: numquam terram hæreditate possidebitis? Stetistis in gladiis, fecistis abominationes, et unusquisque uxorem proximi sui polluit, et terram hæreditate possidebitis? Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus. Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant gladio cadent, et qui in agro est bestiis tradetur ad devorandum. Qui autem in præsidiis et in speluncis sunt peste morientur. Et dabo terram in solitudinem, et desertum, et deficiet superba fortitudo ejus, et desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit qui per eos transeat. Et scient quia ego Dominus cum dedero terram desolatam et desertam propter universas abominationes suas quas operati sunt. Et tu, fili hominis, filii populi tui, qui loquuntur de te juxta muros et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite et audiamus, qui sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus: et sedent coram te, populus meus, et audiunt sermones meos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. Et es eis, quia carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur, et audient verba tua et non facient ea. Et cum venerit quod prædictum est, ecce enim venit, tunc scient quod propheta fuerit inter eos. » Capta Hierusalem temploque subverso, pauperes terræ, de quibus scribit Jeremias soli relicti fuerant in Hierusalem, qui vineas et agros colerent, et in ruinis incensæ urbis habitarent. Cumque deberent agere pœnitentiam super his, propter quæ captivitas venerat, se ipsos cassa spe decipientes loquebantur: « Unus fuit pater noster Abraham, et tamen hanc terram hæreditate possedit; » non quod ipse possederit, sed quod semen ejus terram repromissionis acceperit. Si igitur ille unus in tantos multiplicatus est populos, nos multo plures, qui relicti sumus in terra Judæa, et habitamus in urbibus desertis, ac ruinosis, utique multo amplius multiplicabimur ut possideamus plures, quod unus ille possedit. Quibus respondit Dominus, Abraham unum fide possedisse terram repromissionis. « Credidit enim Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Rom.* IV.) » Istos autem in incredulitate et sceleribus occupatos, etiam si plures sint, possidere non posse. Simulque enumerat quid facientes offendant Deum. Sex videlicet genera peccatorum, « qui in sanguine comeditis, et oculos vestros levatis ad immunditias, » hoc est ad idola vestra, « et sanguinem funditis, » hoc est homicidium perpetratis: « Nunquid ista facientes, poteritis terram hæreditate retinere? » Nec hoc estis scelerum fine contenti, sed « statis in gladiis » vestris, quotidie parati ad occidendum, et imitantes Esau, qui stetit et vixit in gladio suo, « facitis abominationes » in-(A)credibiles, videlicet libidinum turpitudines. « Et unusquisque uxorem proximi sui polluit, » ut in eo sit sceleratior quod amici et proximi polluerit uxorem. Et cum hæc, inquit, facitis, arbitramini vos terram hæreditare tenturos? Responde igitur eis, o Propheta, et hanc super eos ex meo sermone prome sententiam: Juro per memetipsum, quod qui habitant in ruinosis et parietinis, gladio cadant. Et qui in agris sunt, sive in campo, a bestiis devorentur, et qui in muratis sive in præsidiis ac speluncis, Dei iram vitare non possint, sed fame moriantur et pestilentia. « Et dabo, inquit, terram Judæam in solitudinem, et deficiet superba fortitudo ejus, » quæ quondam fuerat fortitudo. « Superbis autem resistit Deus, et humilibus dat gratiam (*Jacob.* IV). » Montes (B) quoque et omnia deserentur, et in tantam venient solitudinem, ut nullus per eos transeat. Et tunc nequaquam confidant, in multitudine sua pauci, qui remanserint: sed cognoscant solitudinis magnitudine, quod ego sim Dominus, qui dedi terram in desertum propter omnes abominationes quas operati sunt. Hæc dicta sint adversus eos, qui capta Hierusalem, omnique Judæorum regione vastata, pauci habitabant in ruinosis et in desertis urbibus villulisque. Nunc veniamus ad tropologiam, et juxta consuetudinem nostram, latam disputationem stringamus potiusquam disseramus. Omnis hæreticus in parietinis habitat et desertis, et possidere se putat terram Israel, dicitque: Si Abraham fide sua unus homo in tantam venit beatitudinem, ut semen ejus (C) multiplicaretur sicut arena maris, et sicut astra cœli, quanto magis nos plures terram Israel, hoc est, cernentium Deum, et Judæam confessionis Dominicæ possidebimus? Quibus respondit Dominus: Ille possedit terram fidei merito, vestra autem infidelitas, imo blasphemia, terram Israel (id est ecclesiam) possidere non poterit. Primum enim comeditis in sanguine, effundentes eorum sanguinem quos scandalizatis, deinde oculos vestros levatis ad immunditias vel abominationes vestras, quas de vestro animo confinxistis: cum debueritis imitari ecclesiasticum virum, et dicere: « Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo (*Psal.* CXXII). » Tertio sanguinem funditis non vivificantes eos, quos seduxistis, sed interficientes. Nec vobis sufficit tria ista fecisse, (D) « sed statis in gladiis vestris, » hoc est perseveratis in pravitate sententiæ, et parati estis ad cædem, et fecistis abominationes, ea agentes in cubilibus quæ turpe est loqui: et uxorem proximi vestri polluistis, ecclesiasticam videlicet conversationem, quotidie de complexu Christi deceptos rapere festinantes. Et cum hæc feceritis putatis vos terram Israel hæreditate tenturos? Quibus loquitur Deus quod quicumque in ruinosis hæreticorum habitaverit conciliabulis, gladio cadat ecclesiastico. De quo scriptum est: « Gladii ancipites in manibus eorum (*Psal.* CXLIX). » Et in Evangelio: « Non veni pacem mittere sed gladium (*Matth.* X). » Et servus, qui se luxuriæ tradit et otio, dividetur, id est, mucrone ferietur, pars

ejus ponetur cum infidelibus : Et qui in agro, sive A in campo est, bestiis tradetur ad devorandum, quas Propheta vitare desiderans, deprecatur : « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Psal.* LXXIII). » Qui autem in præsidiis et in mutatis est, de quibus scriptum est : « Civitates firmas ascendit justus, et destruxit munitiones earum (*Prov.* XXI), » in quibus confidebant impii, et versatur in speluncis, de quibus dicitur : « Scriptum est : Domus Patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum (*Matth.* XXI) ; » iste fame sermonis Domini et peste morietur, et dabitur omnis terra hæreticorum in solitudinem, ita ut frangatur eorum superbia, et redigantur montes in solitudinem, qui sibi altitudinem scientiæ promittebant, qui montes vocantur Israel : quia sub Christi no- B mine deceptos quosque supplantant. Nullusque per eos transibit, nec dicere poterit, quod Moyses : « Transiens videbo visionem hanc magnam (*Exod.* III). » Habitatores enim sunt perversorum montium non peregrini et accolæ, ut cum hæc passi fuerint, tunc cognoscant quod ipse sit Dominus, qui dederit terram eorum in solitudinem, propter abominationes quas operati sunt. Eadem quidem die et eodem tempore, hoc est, duodecimo anno, decimo mense, in quinta mensis, quando venit, qui fugerat de Jerusalem, et quando locutus est Propheta ad eos, qui erant in terra Judæa et æternæ possessionis spem sibi pollicebantur, et jubet Prophetæ ut dicat populo, qui in Babylone versatur et habitat cum eo, et arguat eos super insidiis blandientibus, qui Prophetæ C verba audire desiderant non ad animæ salutem, sed ad aurium voluptatem. Isti juxta muros sedebant, et in ostiis domorum nequaquam in sensum Prophetæ intrare cupientes, sed mutuo se hortantur et dicunt : « Venite et audiamus qui sit sermo egrediens a Domino ; » et sic veniunt, quasi populus qui ingrediatur Ecclesiam Dei. « Et sedent coram te populus meus, » qui meus esse se dicit, et nolunt facere, quod audierunt. Istiusmodi mihi videntur eorum similes, qui theatralibus luduntur carminibus, et vel Tragœdos audiunt vel Comœdos, et ibi cum voluptate palpantur. Ita ut cum egressi fuerint a te, replicent ea et decantent, et dulci sono se decipiant. « Et audient, inquit, verba tua et non facient ea ; » tales sunt usque hodie multi in ecclesiis, D qui aiunt : Venite, audiamus illum et illum mira eloquentia prædicationis suæ verba volventem, plaususque commovent et vociferantur, et jactant manus. Et quæ operibus neglexerant, postquam advenisse cognoverint (necesse est enim venire quod Propheta Dei sermone pronuntiat), tunc incipient approbare et nosse quod cuncta quæ audierant non fuerint hominis verba, sed Domini, qui per Prophetam et virum ecclesiasticum locutus est.

CAPUT XXXIV.

Sermo Domini contra pastores negligentes et opprimentes gregem et quærentes quæ sua sunt : et promissio de pastore novo, et pluribus benedictionibus.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, propheta de pastoribus Israel. Propheta et dices pastoribus : Hæc dicit Dominus Deus, væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus ? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis. Quod fractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis. Quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ eo, quod non esset pastor, et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus et in universo colle excelso, et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret. Non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor : neque enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant. Propterea, pastores, audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erunt eis in escam, quia hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. Sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis. Et educam eas de populis et congregabo eas de terris, et inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel in rivis et in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascuæ earum. Ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, et quod abjectum erat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum erat consolidabo, et quod pingue et forte custodiam, et pascam illas in judicio. Vos autem, greges mei, hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego judico inter pecus et pecus, arietum et hircorum. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci ? Insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, et cum

purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbastis. Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur, et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad eos : Ecce ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum. Pro eo quod lateribus et humeris impingebatis et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora donec dispergerentur foras, salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam, et judicabo inter pecus et pecus. Et suscitabo super ea pastorem unum, qui pascat ea, servum meum David, ipse pascet ea, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum. Ego Dominus locutus sum. Et faciam cum eis pactum pacis, et cessare faciam bestias pessimas de terra. Et qui habitant in deserto securi dormient in saltibus; et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, et deducam imbrem in tempore suo, pluviæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, et terra dabit germen suum et erunt in terra sua absque timore. Et scient quia ego Dominus cum contrivero catenas jugi eorum, et eruero eos de manu imperantium sibi. Et non erunt ultra in rapinam gentibus, neque bestiæ terræ devorabunt eos, sed habitabunt confidenter absque ullo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum, et non erunt ultra imminuti fame in terra, neque portabunt ultra opprobria gentium. Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis et ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus. Vos autem greges mei greges pascuæ meæ homines estis, et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus. » (*Hieron.*) Post captam Jerusalem postquam adnuntiavit in Babylone, qui fugerat locutus est de his qui habitabant in ruinosis Jerusalem, et deinde ad eos qui in captivitate positi nihilominus perseverabant in nequitia, Prophetæ verba audire nolentes. Nunc ad pastores, id est ad Principes sermonem dirigit, quorum vitio oves, id est populi dissipati sunt. Et hoc notandum quod a duodecimo anno, decimo mense, quinta mensis transmigrationis sive captivitatis Jechoniæ, et qui cum eo capti fuerant usque ad vicesimum quintum annum, quando super montem urbis ædificatæ templum exstruitur et incredibilia ecclesiæ sacramenta panduntur, nullus in medio annus nullumque tempus est positum, sed simpliciter dicitur : factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, loquere ad illas et ad illos, ut intelligere debeamus omnia, quæ leguntur 13 annis diversis dicta temporibus, et tamen certa inter se spatia temporum non habere. Ad pastores autem Israel sermo dirigitur, quos vel reges et principes, scribas et Pharisæos ac magistros Judaici populi debemus accipere. Vel certe in evangelico populo Episcopos, Presbyteros et Diaconos : aut juxta mysticos intellectus angelos singularum ecclesiarum, ad quos scribit Joannes in Apocalypsi sua (*Apoc.* I, II, III), et quorum angeli quotidie vident faciem Dei.

A Primumque dicitur, Væ pastoribus Israel, qui cum gregem Domini pascere debeant, et saluti illius providere, pro sua festinant luxuria. Unde magnopere cavendum est, et observanda illa præcepta, « ne quæras judex fieri, ne forte non possis auferre iniquitates (*Eccli.* VII) ; » et iterum : « Quanto major es, tanto magis te humilia, et in conspectu Domini invenies gratiam (*Eccli.* III) ; » et rursum : « Ducem te constituerunt, ne cleveris, esto inter eos quasi unus ex illis (*Eccli.* XXXII). » Unde et Apostolus quasi parvulum atque lactantem inter discipulos esse se dicit. Quodque sequitur : « Lac comedebatis et lanis operiebamini, » per μετάφοραν pastorum ad principes loquitur. De quibus et in alio loco scriptum est : « Qui devorant plebem meam sicut B escam panis (*Psal.* XIII). » In lacte, omnes dapes intellige : in lanis, multiplicem vestium varietatem. Quod autem dicitur : « Et quod grassum erat occidebatis, » de divitibus populi loquitur, quos mali principes in ecclesiis jugulare narrantur, dum eis prædicant, et vitia eorum increpare non audent ; de quibus et propheta dicit : « Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, et semitam pedum vestrorum supplantant (*Isa.* III). » De quibus et Jacobus loquitur (*Jacob.* II) : Quod cum ingressi fuerint ad eos pretiosis circumdati vestibus et annulo aureo, honorantur ab eis. Et sanctis pauperibus dicitur : Tu vero sede in scabello, sive in terra, aut sta. Isti quod infirmum est, non confortant sive consolidant ; et Paulus loquitur : « Suscipite infirmos (*I Thess.* V) ; » C et : « Infirmum in fide assumite (*Rom.* XIV). » Et : « Multi inter vos infirmi et ægrotantes (*I Cor.* XI). » Ad quos mittitur sermo divinus, de quo scriptum est in Psalmis : « Misit verbum suum et sanavit eos, et eripuit eos de corruptionibus eorum (*Psal.* CVI). » « Et quod fractum est, ait, non alligant, » nequaquam mortalia in populis considerantes vulnera, qualis est adulter, homicida, sacrilegus ; et quod abjectum est, sive quod errare viderint non reducunt, permittentes eos ab hæreticis decipi. Et quod perierit non requirunt, non tam perditos salvare cupientes, quam eos, qui sunt in ecclesiis devorare, sed cum austeritate imperantes eis et cum potentia. Quod proprie ad supercilium episcoporum pertinet : eorum videlicet qui operibus dedecorant nominis dignitatem, et D pro humilitate adsumunt superbiam, ut honorem se putent consecutos, non onus, et quoscunque in ecclesia viderint præponentes, et Dei habere sermonem, opprimere nituntur. Unde juxta LXX scriptum est : « Et quod forte erat affligebatis labore. » Et dispersus est populus Dei vel vitiis, vel errore hæretico : eo quod non esset pastor bonus, qui poneret animam suam pro ovibus (*Joan.* X), sed omnes mercenarii, qui lucra tantum de gregibus considerant. Et cum lupum viderint, fugiunt : quorum negligentia grex Domini devoratur a bestiis agri. De quibus scriptum est : « Posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ agri : catuli leonum rugientes ut capiant, et quærant a

Deo escam sibi (*Psal.* CIII). » « Vos autem, inquit, A cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. » — (*Greg.*) Cum austeritate enim et cum potentia imperant, qui subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant. At contra vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitium per cogitationem fugit, quanto ardentius verborum suorum jaculis ipsum magistrum elationis insequitur. Cavet enim ne eum magis elatis moribus prædicet, quem in corde audientium sacris sermonibus insectatur. Humilitatem namque, quæ magistra est omnium materque virtutum, et eloquendo dicere, et vivendo conantur ostendere, ut eam apud discipulos veritatis plus moribus quam sermonibus eloquantur. Unde Paulus Thessalonicensibus loquens, quasi culminis proprii apostolatus B oblitus, ait: Facti sumus parvuli in medio vestrum (*I Thess.* II) » Unde Petrus apostolus cum diceret: « Parati semper ad satisfactionem: omni poscenti nos rationem de ea quæ in vobis est spe (*I Petr* III), » in ipsa doctrinæ scientia qualitatem docendi asseruit esse servandam, subdens: « Sed cum modestia et timore conscientiam habentes bonam. » Hoc autem quod discipulo Paulus ait: « Præcipe hæc et doce cum omni imperio (*Tit.* II); » non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. « Cum imperio » quippe docetur, quod prius agitur, quam dicatur: nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis. Unde etiam de Domino scriptum est: C « Erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi (*Matth.* VII). » Singulariter namque et principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit: ex divinitatis quippe potentia habuit, id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit. Nos enim qui infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quod sumus, ut ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus. Consideremus igitur, quia aut tales sumus quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus, et si jam divina gratia operante non sumus: ut tanto temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his quos emendamus agnoscimus. D Si autem tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt quos emendare cupimus, ne cor nostrum forte superbiat, et de ipsa innocentia pejus ruat, quorum mala corripimus, alia eorum bona nobis ante oculos revocemus. Quæ si omnino nulla sint, ad occulta Dei judicia recurramus, quia sicut nos nullis meritis, hoc ipsum bonum quod habemus accepimus: ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posterius etiam ipsi possint bona, quæ nos ante accepimus, prævenire. Quis enim crederet quod per apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum præcessurus erat, qui in morte ejus lapidantium vestimenta servabat? His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, et tunc demum delinquentium iniquitates increpari. (*Hieron.*) Et disperguntur et errant in cunctis montibus qui elevantur contra scientiam Dei, et in universo colle excelso: qui per hæreticam superbiam, ecclesiasticam despiciunt simplicitatem. Et super omnem faciem terræ disperguntur: terrena non cœlestia requirentes. Et non erat, qui requireret, nec qui reduceret: quia deliciis occupati, gregis Dominici damna non curant. Unde ad malos pastores sermo fit Domini, quia ista et ista fecistis, quæ supra exposui, et quæ secundo enumerat. Sequitur: « Ecce ego ipse ad pastores veniam et requiram gregem meum de manu eorum, » quibus expedit ut mola asinaria alligetur ad collum quam ut minimum scandalizent de populo meo (*Matth.* XVIII). Et hæc erit eorum pœna vel maxima, « ut ultra non pascant gregem meum; ne sub occasione ovium seipsos pascant et opes congregent. « Et liberabo populum meum de ore eorum. » Requiram, inquit, de manu, et liberabo de ore, quod avidis faucibus devoratur. Cum autem requisierit oves, visitat eas, quasi ægrotantes, atque macilentas, et pastorum negligentia dissipatas. Et liberabit de omnibus locis, « in die nubis et caliginis, » de qua loquitur et Joel: « Adest dies Domini, et prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et nebulæ (*Joel.* II). » Tunc educentur de terris, ut adducantur in terram suam, quæ est terra viventium. Et ipse eas pascat in montibus Israel. De quibus loquitur David: « Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX). » Et non solum in montibus, sed in rivis, et in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis, et in monte excelso. De quo Esaias et Michæas plenius vaticinantur. Sive in montibus excelsis Israel ibi requiescent in herbis virentibus, et dicent: « Dominus pascit me et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit: super aquas refectionis educavit me (*Psal.* XXII). » Et pascentur in pascuis pinguissimis super montes Israel: est infinita promissio spesque beatitudinis, quando ipse Dominus pollicetur dicens: « Ego pascam oves meas, » et negat quam eas committam malis pastoribus. « Et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus, » ut requiescant in sinu Abraham, Isaac et Jacob. Tunc quod perierat in gentium populis requiretur, et quod erraverat in hæreticorum persuasione reducetur, et quod confractum fuerat alligabitur, et quod contritum atque infirmum consolidabitur, ut impleatur quod scriptum est: « Qui sanat infirmitates eorum et alligat contritiones eorum (*Psal.* CXLVI). » Et quod pingue, ait, erit et forte custodiam, ne vertatur a bestiis: « Et pascet oves suas in judicio, » sciens cui ovi, quæ pascua debeantur. Diversæ enim sunt mansiones apud Patrem. « Et non judicat Pater quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V). » Hæc adversum pastores locutus est. Nunc loquitur ad oves, id est ad populum, et ad utriusque pecoris gregem, id est, ovium et caprarum. Et ait

olum ad oves et capras, sed ad arietes et hircos, {ui sunt in gregibus principes : quibus ait : Nonne 'obis satis erat, quod bonis Scripturarum pascuis 'escebamini, sed insuper reliquias pascuarum ve-.trarum conculcabatis pedibus. Et cum aquam elo-{uiorum Dei purissimam biberetis, reliquas aquas)edibus turbabatis, ut populus meus conculcatas a 'obis pascuas et turbidas aquas manducaret, et bibe-'et, et vestro vitio, quod per se bonum erat, cor-'uptum violatumque susciperent. Quod et omnes qui-lem hæretici faciunt, ut carpant eloquia Scriptura-'um, et quantum in se est, maculent. Sed et eccle-iastici viri, qui dogmatum non custodiunt verita-em, sed de suo corde confingunt, magistramque ıabent præsumptionem suam, simili errore retinen-ur. Qui cum populo persuaserint vera esse, quæ ingunt, et in theatralem modum plausus concitave-int et clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, :t adducto supercilio, libratisque sermonibus atque rutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem. *Greg.*) Aquam quippe limpidissimam pastores bi-)unt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hau-'iunt, sed eamdem aquam pedibus perturbare, est ;anctæ meditationis studia male vivendo corrum-)ere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves)ibunt : cum subjecti quique non sectantur verba {uæ audiunt : sed ea sola, quæ conspiciunt exem-)la pravitatis imitantur : qui cum dicta sitiunt, {uæ per opera pervertuntur, quasi corruptis fon-ibus, in potibus lutum sumunt. (*Hieron.*) Videa-nus igitur, quod sit judicium inter pecus et pecus, :t quo judicio judicet eos bonus pastor et verus, qui ıccepit omne judicium a Patre. « Ecce, inquit, ipse :go judico inter pecus pingue et macilentum, » sive nter forte et infirmum : fortes enim lateribus et ıumeris suis impingunt atque collidunt infirma peco-'a, et cornibus ventilant, nescientes in lege taurum :ornupetam debere puniri. Impingebant autem ;ateribus et cornibus ventilabant, donec disperge-'ent et ejicerent oves foras. Superbia enim majorum et)ræpositorum iniquitate frequenter pelluntur ab ecclesia, ut dispergantur a Domino quos ipse salvavit. Sed non dimittet eos ultra Dominus in rapinam, et judicabit inter pecus et pecus ; non inter nomina dignitatum, quibus tument præpositi, sed inter homi-nem et hominem, juxta id quod uterque servus est Domini. Tunc suscitabit pastorem unum, qui dicit in Evangelio : « Ego sum pastor bonus (*Joan.* x), » servum suum David secundum id, quod formam ser-vi dignatus est assumere. Qui David interpretatur fortis manu. Ipse pascet eos, et Dominus erit eis in Deum ; vel filius et pater, vel certe pastor juxta adsum-ptam carnem. Dominus autem et Deus juxta verbum quod erat in principio apud Deum. Qui David, profi-cientibus pecudibus in rationale animal, nequaquam pastor vocabitur, sed princeps in medio eorum ; de quo scriptum est : « Medius vestrum stat, quem vos ignoratis (*Joan.* I), » Tunc ponet cum eis pactum pacis, nequaquam bellorum atque discordiæ, quia « factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV) ; » sed pacis Christi, quæ exsuperat omnem sensum, qui di-cit : « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Joan.* XIV). » « Et cessare faciet bestias pessimas de terra, » vel vitia perturbationes, quibus animæ vexantur humanæ, vel adversariæ potestates, a quibus impugnantur. « Et qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Dominus enim revelabit condensa silvarum, et in templo ejus omnes dicent gloriam. Ejectis autem bestiis, et redacta terra in solitudinem ab istiusmodi animantibus securi dor-mient, et dicent : « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo ? (*Psal.* XXVI) » et ponet eos qui securi dormient in circuitu montis vel collis sui, et erunt benedictio. Tunc dabit imbrem in tempore suo et pluviæ benedictionis erunt, quas in Deutero-nomii benedictionibus pollicetur. « Et dabit, inquit, lignum vitæ, de quo in Genesi scriptum est (*Gen.* III) ; lignumque sapientiæ, de quo dicitur : « Lignum vitæ est omnibus qui assumunt eam (*Prov.* III). » Dabit au-tem *fructum suum* : quando et terra dederit fructum suum, sive ligna regionum, sanctorum plurima mul-titudo. « Et terra dabit germen suum, » « veritas enim de terra orta est. » « Et erunt in terra sua absque timo-re, » sive in spe pacis in terra viventium, in terra man-suetorum ; de qua scriptum est : « Beati mites, quo-niam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V) ; » ut rerum omnium felicitate cognoscant, quod ipse sit Do-minus, quando contriverit catenas vel circulum ferreum jugi eorum, quo quasi gravissimo preme-bantur imperio. Et cum eruerit eos de manu impe-rantium, sive servitute affligentium eos · servus est enim unusquisque ejus a quo vincitur. « Et nequa-quam erunt ultra in rapinam dæmoniacis gentibus, nec bestiæ terræ devorabunt eos, » de quibus diximus : « sed habitabunt confidenter absque ullo terrore, » juxta suam priorem expositionem. « Et suscitabo, in-quit, eis germen nominatum » sive plantationem pacis, quæ loquitur in Evangelio : « Ego sum vitis vera (*Joan.* XV). » « Et non erunt ultra imminuti fame in terra. » Ergo fames in terrenis est : fames autem audiendi sermonem Dei, quæ sub pastore bono et germine nominato atque omnium sermone celebrato et plantatione pacis, nequaquam erit in terra, neque amplius opprobriis gentium subjacebunt, ut dicant : « Ubi est Dominus Deus eorum ? » Et scient post hæc omnia, quod non solum ipse sit Dominus, quod et supra quoque dixerat, sed cum additamento, quod Dominus omnium proprie Deus eorum sit cum eis, qui dicit in Evangelio ad apostolos : « Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consumma-tionem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Cum autem fuerit ipse Dominus Deus eorum, tunc et ipsi erunt popu-lus ejus, non quilibet, sed qui meruerunt appellari domus Israel. Ac ne putaremus universa, quæ dicta sunt ad pastores et oves hircosque et arietes per-tinere, solvit ænigma, immo *μετάφοραν*, et ponit ma-nifestius, Vos autem oves meæ, et oves pascuæ meæ homines estis. Omnis igitur sermo divinus de homi-

nibus est. Ad quos dicit : « Ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus. » (*Greg.*) Nonnumquam ergo homines dicit eos, quos a bestiis ratione distinguit, id est, quos non atteri bestiali passionum motu demonstrat, quibus per prophetam Dominus dicit : « Vos autem greges pascuæ meæ estis homines (*Ezech.* XXXIV.) » Quia illos nimirum Dominus pascit, quos voluptas carnis jumentorum more non afficit. At contra hi, qui carnali affectione succumbunt, non jam homines, sed jumenta nominantur ; sicut de quibusdam in peccato suo morientibus per prophetam dicitur : « Computruerunt jumenta in stercore suo (*Joel.* I). » Jumenta quippe in stercore suo computrescere, est carnales homines in fetore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed jumenta declarantur : de quibus per prophetam dicitur : « Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (*Jer.* V) ; » et de quibus propheta alius dixit : « Carnes asinorum carnes eorum, et fluxuse quorum fluxus eorum (*Ezech.* XIII). »

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Juxta finem anterioris libri Dominus per Prophetam pastores Israelitarum reprehendit, quod minus essent solliciti de custodia gregis Dei; et per eamdem admonitionem pastores et rectores Ecclesiæ vituperat, quod voluptatibus sæculi, et curis hujus vitæ dediti, minus solertes sint erga curam ovium Christi, et regimen fidelium animarum sibi commissarum. Nunc autem in capite præsentis libri, sermonem increpationis adversum montem Seir, hoc est, Idumæam, per prophetam mandat, eo quod superbe sentiens despexit populum Israeliticum ; minans ei interitum futurum, pro malitia, quam gesserant erga proximos suos; promittitque post hæc Dominus populo suo restaurationem et liberationem de cunctis hostibus suis. Quæ omnia, non tantum juxta historiam ad plebem priorem et legis tempora, sed etiam multo magis secundum allegoriam ad tempus novi testamenti, et ad populum Christianum transferri possunt, ubi manifesta potentia Dei in liberationem electorum clarescit, et juste [justum] judicium ejus in confusione hostium patescit.

CAPUT XXXV.

Sermo super montem Seir, de conditione ejus, pro eo quod afflixit populum Domini.

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : fili « hominis, pone faciem tuam adversum montem Seir, « et prophetabis de eo, et dices illi, Hæc dicit Domi« nus Deus : Ecce ego ad te, mons Seir, et extendam « manum meam super te, et dabo te desolatum at« que desertum. Urbes tuas demoliar, et tu desertus « eris, et scies quia ego Dominus, eo quod fueris « inimicus sempiternus, et concluseris filios Israel « in manus gladii in tempore afflictionis eorum in « tempore iniquitatis extremæ. Propterea vivo ego, « dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te, « et sanguis te persequetur. Et cum sanguinem ode« ris sanguis persequetur te. Et dabo montem Seir « desolatum et desertum, et auferam de eo euntem et « redeuntem, et implebo montes ejus occisorum suo« rum. In collibus tuis et in vallibus tuis atque in « torrentibus interfecti gladio cadent. In solitudines « sempiternas tradam te, et civitates tuæ non habi« tabuntur. Et scietis quia ego Dominus Deus, eo « quod dixeris, Duæ gentes et duæ terræ meæ erunt, « et hæreditate possidebo eas, cum Dominus esset « ibi. Propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia « faciam juxta iram tuam, et secundum zelum tuum, « quem fecisti odio habens eos, et notus efficiar tibi « cum judicavero te, et scies quia ego Dominus. « Audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de « montibus Israel dicens : Deserti nobis dati sunt ad « devorandum. Et insurrexistis super me ore vestro « et derogastis adversum me : verba vestra ego audivi. « Hæc dicit Dominus Deus : Lætante universa terra « in solitudinem te redigam, sicuti gavisus es super « hæreditatem domus Israel eo quod fuerit dissi« pata, sic faciam tibi. Dissipatus eris, mons Seir, « et omnis Idumæa. Et scient quia ego sum Domi« nus. » (*Hieron.*) Illud autem, quod in LXX additum est : « Et consumentur, » in Hebraico non habetur. Si semper in prophetis esset sermo Dei, et juge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam crebro Ezechiel poneret : « Et factus est sermo Domini ad me dicens ; » sed quia ob humanam fragilitatem et vitæ hujus necessitates interdum recedebat ab eis, propterea Joannes Baptista loquitur : « Qui misit me baptizare, ipse dixit mihi, Super quem videris Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem et manentem in eo, ipse est (*Joan.* I). » Nunquam enim proprium esset in Christo, quod additur : « et manentem in eo, » nisi ab aliis nonnunquam recederet : alioquin et ad Moysen loquitur Deus : « Auferam de spiritu, qui in te est : (*Num.* XI) ; » quem utique non haberet, nisi in eum a Domino descendisset. Omnis autem istius capituli prophetia est contra montem Seir, filiorum videlicet Esau et Edom, qui Græca et nostra lingua appellantur Idumæi, eo quod in tempore necessitatis et angustiæ, cum Judas capiebatur a Babyloniis, insultaverint eis, et ejecto populo Judæorum sibi putaverint terram traditam ad possidendum, et non solum non susceperint fratres suos, filios videlicet Jacob fratris sui, sed persecuti sint et concluserint in manus gladii. Unde manifestius interpretatus est Symmachus : « Sanguinem tuum odisti, et sanguis persequetur te. » Prophetatur autem, quod et ipse capiendus sit, et redigendus ad solitudines sempiternas, et rerum fine cognoscat esse judicem Deum, eo quod dixerit, « Duæ gentes et duæ regiones meæ sunt, » vel Idumæorum et Judæorum, vel certe Judæ et Israel, duarum videlicet et decem tribuum. Et locutus es de montibus Is-

rael, dicens: « Deserti nobis dati sunt ad devorandum: » non considerans quod hæc contra Deum blasphemia redundaret. Unde sequitur: Lætante universa terra in solitudinem te redigam: » est sensus, cum omnis terra Judæa receperit pristinum statum, tu permanebis in solitudine sempiterna. Quodque infertur: « Sicuti gavisus es super hæreditate domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi, » in Septuaginta non habetur, sed sub asteriscis de Theodotionis versione additum est. Omnis autem ira Dei illuc proficit contra montem Seir, ut cum fuerit dissipatus, et ipse et universa Idumæa cognoscant quia ipse sit Dominus. Hæc juxta historiam et sensum magis quam verba cursim dixerim: transibo ad ἀναγωγὴν, et studio brevitatis pauca perstringam: « Pone, » inquit, sive converte « faciem tuam adversum montem Seir. » Et significanter, ait, « converte » ab alia prophetia ad aliam prophetiam: faciem autem non corporis, sed animi, de qua dicit et Apostolus: « Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes. » Mons autem Seir, qui interpretatur *hispidus* et pilosus, contraria fortitudo accipienda est, quæ præsidebat genti filiorum Esau, et se contra populum Juda, id est, confessionis et veræ fidei erexerat. Quod si prudens lector opposuerit, quomodo in isto loco Seir, hoc est hispidus et pilosus, intelligatur in malam partem, cum Elias quoque vir pilosus dictus sit, breviter respondebo: De Esau scriptum est (*Gen.* xxv), quod rufus fuerit et quasi pellis hispidæ: de Elia vero, quod vir tantum pilosus. In Esau, qui sanguinarius et cruentus pelli hispidæ comparatur mortalium operum et ipsius mortis indicium est: in Elia virilitatis augmentum (*IV Reg.* i). Quamobrem et habitatio ejus in solitudine et conversationis austeritas non solum virum, sed et virum fortissimum demonstrabat. Porro Jacob, qui supplantaverat Esau, et primogenita ejus acceperat, quia simpliciter habitabat domi et non erat venator sicut gigas Nemrod, idcirco levis appellatur et nitidus. Videamus ergo, quid dici præcipiat Deus ad montem sive contra montem Seir, « Ecce ego ad te, mons Seir. » Non mittam angelos, nec aliis utar ministris, sed ipse ad te veniam, « Et extendam manum meam super te, » ut habitum percutientis adsumam. « Et dabo te desolatum atque desertum, ut qui male habitabaris, et plurimos habebas impietatis tuæ socios, in tantum ut et urbes exstrueres, imperiumque tibi proprium vindicares, nunc desolatus cum urbibus tuis, quas et Jeremias destruere jubetur atque suffodere, ut bonas pro eis exstruat civitates. In eo proficies, ut scias quod ego sim Dominus, quem ante solitudinem tui nosse non poteras. Omnis autem causa peccati, quod fueris inimicus sempiternus. Unde dicit et psalmus: « Irascimini et nolite peccare (*Psal.* iv), » ut cito conciliemur inimicis et odium charitate mutemus. Sed non talis mons Seir, qui super inimicitias sempiternas conclusit sive obsedit filios Israel dolo in manu gladii. Ex quo intelligimus quod quicumque gladium arripuerit contra filios Dei, et dolose aliquid egerit et obsederit eos, tradetur in manus gladii sicut mons Seir, in tempore iniquitatis extremæ, cum dies pessimi sunt et mundus in maligno positus est, et multiplicata iniquitate refrigescit charitas multorum (*I Joan.* v). Est autem et aliud peccatum montis Seir, ut quoniam oderat sanguinem justorum, quem singulis persecutionibus cupiebat effundi, ab ipso sanguine sustineat persecutionem. Unde et sub altari sanctorum animæ clamitant et ultionem a Domino sui sanguinis deprecantur (*Apoc.* vi). Et auferuntur de monte Seir euntes et redeuntes, id est omnis habitator sive homines et jumenta, quod salvantur in ecclesia, de quibus scriptum est: « Homines et jumenta salvos facies, Domine (*Psal.* xxxv). » Quod in monte Seir utrumque deletur, ut et hi, qui videntur aliquid habere rationis, et illi qui simplici fide contenti sunt, Deo jubente dispereant. « Et implentur montes ejus vulneratorum et occisorum. » Et non solum montes, qui ad impietatis verticem pervenerunt, sed colles quoque, hoc est inferiores discipuli montis Seir, et valles quæ in ima depressæ sunt, sive torrentes, qui turbidas habent aquas, et hinc inde collectas, venientesque de superbia, vel, juxta LXX, *campos*, qui medii inter colles et valles sunt. Hi omnes interfecti cadent gladio Domini, et extentæ manus atque percutientis, ut redigantur in solitudines sempiternas. Et si quæ erant civitates, hoc est, conciliabula malæ habitationis, et ipsæ dispereant, et desinant in malam partem habere consensum. Et dividantur linguæ eorum, ne turrem blasphemiæ contra Deum possint exstruere, et redactæ in solitudinem atque desertum cognoscant, quod ipse sit Dominus. Nec sufficit monti Seir tanta dixisse, quæ præteritus sermo narravit, sed hoc quoque, per superbiam locutus est: « Duæ gentes et duæ terræ sive regiones meæ sunt. » Idumæa videlicet et Judæa, et hæreticos et ecclesiasticos pariter possidebo. Et hoc, inquit, dixisti, « cum Dominus esset ibi, » qui suo populo præsidebat. Propterea jurat Dominus et dicit: « Vivo ego, dicit Dominus Deus, » quod juxta iram tuam qua sæviebas in populum Dei, et zelum tuum, quo persequebaris Christi familiam, odio habens eos, quos possidere cupiebas. Cum te percussero et judicavero, tunc tibi notus efficiar et scies quod opprobria tua atque blasphemias non alio referente cognoverim, sed ipse audierim, quæ locutus es contra montes Israel dicens: « Deserti nobis dati sunt ad devorandum. » Montes Israel, Moysen, prophetas, apostolos debemus accipere, quos hæretici et hæreticorum princeps diabolus putant sibi traditos ad devorandum, quando aut nullus in ecclesia reperitur qui possit pugnare pro montibus Domini, et eorum lacerationem sua voce defendere. « Et insurrexistis, inquit, super me ore vestro, » sive magnifice locuti estis, non ut putatis contra montes, sed per illos adversum me. « Et derogastis sive clamastis adversum me. » Omnes enim preces vestræ, o mons Seir, et socii montis Seir, de quibus supra dictum est: « Implebo montes ejus et colles, et

valles, et campos, » sive torrentes, fuerunt adversum me : nequaquam preces et orationes, ut putatis ad Deum, sed clamores, vociferationes atque blasphemiæ. Unde et Dominus comminatur, et dicit : « Sicuti gavisus es super hæreditate domus Israel, » quando tuis persecutionibus dissipata est atque lacerata, et in toto orbe dispersa, « sic faciam tibi. » Lætante enim universa terra, viventium terraque sanctorum, et omnibus conversis ad servitutem Dei, tu « dissipatus eris, mons hispide, mons pilose. Et omnis Idumæa, » opera videlicet terrena et cruori et sanguini dedita. Ut tunc cognoscas quod ipse sim Dominus qui alibi sum locutus : Ego sum Dominus Deus vester.

CAPUT XXXVI.

Quod Dominus vindicabit Israel de inimicis suis : et estituet, et multiplicabit in terram suam. Et quod afflixit Israel pro peccato idololatriæ. De gratia et virtute baptismi; vocatur populus ad pœnitentiam, et promittitur integra restitutio et multiplicatio.

« Tu autem, fili hominis, propheta super montes Israel et dices : Montes Israel, audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus, eo quod dixerit inimicus de vobis, Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis, propterea vaticinare et dic : Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo quod desolati estis et conculcati per circuitum et facti in hæreditatem reliquis gentibus, et ascendistis super labium linguæ et opprobrium populi, propterea, montes Israel, audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus montibus et collibus, torrentibus, vallibusque et desertis parietinis, et urbibus derelictis quæ depopulatæ sunt, et subsannatæ a reliquis gentibus per circuitum. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus, et de Idumæa universa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gladio et toto corde, et ex animo, et ejecerunt eam, ut vastarent, idcirco vaticinare super humum Israel, et dices montibus et collibus, jugis et vallibus : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego in zelo et in furore meo locutus sum eo, quod confusionem gentium sustinueritis. Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ego levavi manum meam, ut gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam portent : Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis et fructum vestrum afferatis populo meo Israel : prope enim est, ut veniat. Quoniam ecce ad vos et convertar ad vos, et arabimini et accipietis sementem, et multiplicabo in vobis homines omnemque domum Israel. Et habitabuntur civitates et ruinosa instaurabuntur, et replebo vos hominibus et jumentis, et multiplicabuntur et crescent. Et habitare vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio, et scietis quia ego sum Dominus. Et adducam super vos homines populum meum Israel et hæreditate possidebunt te. Et eris eis in possessiones, et non addes ultra, ut absque eis sis. Hæc dicit Dominus Deus : Pro eo, quod dixerunt de vobis, Devoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam, propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus. Nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobria populorum nequaquam portabis. Et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus. (*Hieron.*) Supra ponitur prophetæ facies, sive convertitur adversum montem Seir : hic filius hominis loquitur ad montes sive super montes Israel qui jubentur Dei audire sermonem. Et ut parumper differam tropologiam totius ad montes Israel prophetiæ breviter hic sensus est : Quia insultavit vobis inimicus, hoc est, mons Seir, et putavit quod in perpetuum ipse vos possideret et altitudines quondam Domini, nunc desertas cessisse sibi in hæreditatem, et non solum dixit, sed et aliquanto tempore vos possedit, in tantum ut superbe loqueretur contra vos, quod opprobrium essetis cunctis gentibus, propterea hæc dicit Dominus Deus, non solum monti Seir, sed et montibus ejus, et collibus, torrentibus, vallibusque et desertis atque vastatis, et urbibus derelictis, quoniam in igne zeli sui et adversum omnes quidem gentes, sed præcipue contra Idumæam locutus sit. Quæ cum cæteris, inquit, gentibus tenuit terram meam in possessionem, et possedit gladio, et toto corde possedit ut ejiceret habitatores de ea, terramque vastaret. Propterea loquere, ait, propheta, super terram Israel, et dices montibus et collibus et jugis, pro quibus LXX ταῖς νάπαις interpetati sunt, quæ nos nemorosa intelligimus loca : et vallibus hæc dicit Dominus Deus in zelo, et in furore meo opprobrii vestri ultor existam, et levabo manum meam, ut gentes quæ in circuitu vestro sunt ignominiam et confusionem suam portent. Vos autem, o montes Israel, secundum pristinum statum germinetis virgulta ramosque mittatis, sive juxta Septuaginta adferatis uvas, quibus populus meus saturetur Israel. Quod non putetis post longum tempus futurum, prope est, instat, et veniet tempus, ac ne vobis hoc esset difficile, ipse ego veniam ad vos, et qui a vobis recesseram convertar ad vos, ut pristinam culturam recipiatis, et semente omnia compleantur. Ita ut multi in vobis sint homines, et habitentur civitates, quæ prius destructæ fuerant. Et non solum homines multiplicabo, sed et jumenta æque multiplicabuntur et crescent, et habitari vos faciam sicut a principio, quando Moyse duce trans Jordanem duæ et semis tribus acceperunt possessionem, et sub Jesu filio Nave aliæ novem et semis tribus terram Judæam possederunt. Bonisque vos donabo multo majoribus, quam fuistis ab initio, priusquam captivitates varias sentiretis. Et cum hoc vobis fecero, tunc cognoscetis quod ego sim Dominus. Et impleberis, inquit, o terra Israel, populo meo, qui te hæreditate tenturus est. Et eris eis possessio, et non addes ultra, ut absque filiis sis. Cum autem multiplicatus fuerit vester habitator, o montes Israel, tunc nequaquam dicent inimici vestri contra vos; quod homines devoretis, et absque liberis sit vestra possessio, sed e contrario multiplicetis homines, et

largissimam prolem vestra posteritas germinet. Nec audies, inquit, amplius, nec sustinebis confusionem gentium, sed nec amittes gentem tuam, ut aliquando sustineas captivitatem, quoniam Dominus locutus est hæc. Παραφραστικῶς more Judaico dixerimus, quæ illi exspectant in mille annorum regno, quando civitatem Hierusalem asserunt exstruendam, et templum quod in fine hujus voluminis describitur, et rerum omnium felicitatem. Quorum nonnulli arbitrantur sub Zorobabel hæc fuisse completa. Sed quomodo stare potuerit hoc quod dicitur: « Et habitari vos faciam sicut a principio, bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio? » Sub Zorobabel enim Ezra et Neemia pauci de populo sunt reducti, et ipsi obedientes Medis ac Persis, et deinceps Macedonibus et Ægyptiis atque Romanis usque ad Titum et Vespasianum diversarum gentium regibus servierunt: et usque hodie serviunt, ut stare omnino non possit hoc, quod in extrema dicitur prophetia. « Et opprobrium populorum nequaquam portabis, et gentem tuam non amittes amplius. » Et quia longum est nunc adversum dogma Judaicum et beatitudinem ventri et gutturi Judaico servientem, quia omnia terrena desiderant, et dicunt, Manducemus et bibamus, de quibus et Apostolus loquitur: « Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et illam destruet (*I Cor.* v)», in brevi explanatione dicere, nunc ad spiritalem intelligentiam transeamus, juxta quam et extremas partes interpretati sumus. Neque enim juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam et auream de cœlo exspectamus Hierusalem, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum et arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus: quod et multi nostrorum et præcipue Tertulliani liber, qui inscribitur *de Spe fidelium*, et Lactantii institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Petabionensis Episcopi crebræ expositiones, et nuper Severus noster in dialogo, cui Gallo nomen imposuit: et ut Græcos nominem, et primum extremumque conjungam, Irenæus et Apollinaris. Nos ergo montes Israel Prophetas et Apostolos esse dicemus, qui audiunt verbum Dei, et quibus diabolus insultavit inimicus dicens: *Euge;* excelsi quondam montes, de quibus scriptum est: « Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui (*Psal.* CXXIV), » mihi dati sunt in possessionem, quando persecutionis angustiis desolati sunt, et conculcati per circuitum, et facti in hæreditatem reliquis gentibus, et ab omnibus blasphemati. Propterea loquitur Dominus conculcatis montibus et desolatis, et non solum montibus, sed et inferioribus ac per singulos gradus in terra Judæa, hoc est in monte Ecclesiæ constitutis, de qua scriptum est: « Non potest civitas abscondi super montem posita (*Matth.* v). » Et collibus atque torrentibus, quorum hieme persecutionum, et tempestate pressuræ augetur fides. Vallibus quoque his, qui humilitate depressi sunt, et desertis Ecclesiis et parietinis atque in toto orbe ecclesiarum conciliabulis derelictis, qualis sub Diocletiano et Maximiano in toto orbe

A persecutio fuit, per quam proscriptæ sunt ecclesiæ atque vastatæ, quando subsannaverunt ecclesiam gentilium et hæreticorum gentes per circuitum, quod in igne zeli et furoris sui locutus sit, et proprie adversum Idumeam, quæ terrenis operibus volebat omnes, deposita imagine cœlestis, portare imaginem terreni. Illi enim dederunt terram Dei sibi in hæreditatem, et ex toto corde atque ex animo ecclesiam Domini persecuti sunt, et ejecerunt eam de sedibus suis et vastaverunt. Sed quid profuit nationibus, quid juvit hæreticorum gentes insultasse terræ Domini, cum loquatur ad eam et montibus illius collibusque ac jugis, sive nemorosis locis, quæ amœnitate virebant paradisi, et collibus, de quibus supra diximus in zelo et in furore suo locutus sit, et opprobrio gentium

B levet manum suam contra adversarios, qui ecclesiam persecuti sint, ut portent confusionem et ignominiam suam? Tunc persecutoribus interfectis, et pace Ecclesiæ reddita, montes Israel, Apostoli videlicet et apostolici viri germinabunt arbores suas, et extendent ramos uvasque adferent calcandas in prælo Domini, de quibus musta funduntur, quæ inebrient credentium populos, et exprimitur vinum quod lætificat cor hominis: ut omnis fructus montium, de quibus conficitur panis de cœlo descendens, comedatur a populo Dei Israel. Et ne forsitan desperemus in persecutionibus, additur: « Prope est tempus ut veniat. Veniens enim veniet, et non tardabit (*Habac.* II). Unde suum ad montes et ad eos, qui tribulatio-

C nibus perdurarunt, pollicetur adventum atque promittit, quod persecutionis ardorem exerceatur terra prius decerpta Christi vomere et omnem virtutum sementem recipiat, de qua nascantur et multiplicentur homines, et omnis domus Israel. Cumque civitates, hoc est, ecclesiæ credentium fuerint inhabitatæ redeuntibus turbis, tunc nequaquam solum homines, qui pollebunt scientia Scripturarum: sed et jumenta simplices quique credentium multiplicabuntur atque succrescent. Et habitabuntur ecclesiæ sicut a principio, hoc est, priusquam esset persecutio. Bonisque florebunt majoribus, quam habuerunt ab initio, martyrum victoriis coronatæ. Et tunc scient, quod ipse sit Dominus, qui restituit plebem suam pristino statui, quæ possideat ecclesias, et ipsa sit ecclesiarum

D hæreditas. Et nequaquam ultra absque liberis sit quos in persecutione perdiderat. Unde jubetur propheta, ut loquatur ad terram mansuetorum terramque viventium, sive ad montes Israel, et dicat: Persecutorum ultra non patiaris opprobrium, nec insultabunt jugulatum populum tuum, sicut oves occisionis. Pace enim reddita, opprobria universa cessabunt. Nec sustinebis confusionem et ignominiam inter diversas in circuitu nationes, sed gentem tuam habebis et populum: quia veritas promissionis Domino loquente firmata est.

« Et factum est verbum Domini ad me dicens: « Fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo « sua et polluerunt eam in viis suis et in studiis « suis. Juxta immunditiam menstruatæ facta est via

eorum coram me, et effudi indignationem meam super eos pro sanguine, quem effuderunt super terram. Et in idolis suis polluerunt eam, et dispersi eos in gentibus, et ventilati sunt in terris, juxta vias eorum et adinventiones eorum judicavi eos. Et ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum cum diceretur de eis populus Domini iste est, et de terra ejus egressi sunt. Et peperci nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt. Idcirco dices domui Israel : Hæc dicit Dominus Deus, non propter vos ego faciam domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis, et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes quod polluistis in medio earum, ut sciant gentes quia ego Dominus, dicit Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri. Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris, et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum. Et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris, et vocabo frumentum, et multiplicabo illud, et non imponam in vos famem. Et multiplicabo fructum ligni et genimina agri, et non portetis ultra opprobrium famis in gentibus, et recordabimini viarum vestrarum pessimarum studiorumque non bonorum. Et displicebunt vobis iniquitates vestræ et scelera vestra, non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis. Confundimini et erubescite super viis vestris, domus Israel. Hæc dicit Dominus Deus. In die qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris et habitari fecero urbes et instauravero ruinosa, et terra deserta fuerit exculta, quæ quondam erat desolata, in oculis omnis viatoris dicent : Terra illa multa facta est, ut hortus voluptatis, et civitates desertæ et destitutæ atque suffossæ munitæ sederunt. Et scient gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificavi dissipatos plantavique inculta, ego Dominus locutus sim et fecerim : hæc dicit Dominus Deus. Adhuc invenient me in hoc domus Israel, ut faciam eis : Multiplicabo eos, sicut gregem hominum, ut gregem sanctum, ut gregem Hierusalem in solemnitatibus ejus, sic erunt civitates desertæ plenæque gregibus hominum; et scient quia ego Dominus. (*Hieron.*) » Perspicua sunt quæ dicuntur et omnis sensus montium Israel, qui prius deserti fuerant, et postea restitui, nunc manifestius ponitur; redditque causas A Deus quare populum Israel captivitati tradiderit, et propter suam clementiam pollicetur reducturum se eos in terram Judæam, et multo ampliora tributurum, quam abstulerat. Quod quidam Judæorum referunt ad Zorobabel tempora, quando rege Persarum laxante captivitatem eorum de tribu Juda et Benjamin plurimi reducti sunt in Judæam. Alii vero ad mille annorum regnum referunt, quando sub Christo, quem putant esse venturum, ut civitas exstruatur Hierusalem, et ædificetur templum, de quo in ultima parte hujus prophetiæ dicturi sumus. Et interim, ut Judaicas fabulas relinquamus, et interminabiles genealogias, juxta consuetudinem nostram breviter περικοπὴν hujus capituli percurramus, et quid nobis videatur juxta ecclesiasticam intelligentiam disseramus. B Domus Israel, hoc est populus Judæorum, habitavit quondam in terra sua, hoc est, in terra Judææ, quando educta est de Ægypto; sed polluerunt eam in viis, et in studiis sive idolis suis. Et in tantum exstitere polluti, ut immunditiæ mulieris menstruatæ comparati sint, propter quod Deus effudit indignationem suam super eos pro sanguine prophetarum atque justorum, quem fuderant super terram, dicente in Evangelio Salvatore (*Matth.* XXIII) : « Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad ad te missi sunt. » Et iterum : « Amen, amen dico vobis, requiretur sanguis qui effusus est a generatione hac, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem effuderunt inter altare et templum. » Non solum autem effuderunt C sanguinem, sed et polluerunt terram sceleribus suis; quamobrem dispersit eos vel sub Babylonia captivitate vel sub Romana, quando vere effuderunt sanguinem Christi et ventilati sunt in terras, quomodo paleæ ventilantur, et juxta vias suas et adinventiones pessimas judicati : ita ut in gentibus quoque, ad quas captivi ducti fuerant, pollucrent nomen sanctum Dei, eo quod per irrisionem dicerent universæ nationes de ea : Populus Dei iste est, qui se jactabat proprie nosse cultum Dei. Quod cum vidissem, ait, non propter eos, sed propter nomen meum sanctum (Creator enim omnium sum), peperci eis, et sanctificavi illos, et gloriæ pristinæ restitui : ita ut super credentes et ab errore conver- D sos effunderem aquam mundam baptismi salutaris, et mundarem eos ab abominationibus suis, et ab universis erroribus quibus fuerant occupati : et darem eis cor novum, ut crederent in Filium Dei, et spiritum novum, de quibus David loquitur : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psal.* L). » Et considerandum quod cor novum et spiritus novus detur per effusionem et aspersionem aquæ. Quando autem cor novum datum fuerit et spiritus novus, tunc auferetur de corde Judaico omnis duritia, quæ lapidi comparatur : et pro lapideo corde fit cor carneum molle et tenerum, quod spiritum Dei in se possit recipere, et inscribi litteris salutaribus. (*Greg.*) Cor quippe lapideum tollit, cum a nobis superbiæ duritiam sub-

trabit; et cor carneum tribuit, cum eamdem protinus nostram duritiam ad sensibilitatem vertit. (*Hieron.*) Tunc ambulabunt in præceptis Domini, et custodient judicia ejus, et habitabunt in terra confessionis, quam dederat patribus eorum Abraham, Isaac et Jacob, et cunctis sanctis ac prophetis, et erunt in populum Dei, et Dominus erit eis in Deum, quod præsenti tempore comprobatur. Cumque salvati fuerint, vocabit Dominus frumentum et multiplicabit illud : « Nisi enim granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* xii). Et nequaquam patientur famem, « non famem panis, et sitim aquæ, sed famem audiendi sermones Dei (*Amos.* viii), quam passus est ille qui a patre profectus, omnem quam acceperat substantiam dissipavit, quando, famis necessitate cogente, porcorum pastus est siliquis (*Luc.* xv). Tunc multiplicabitur fructus ligni, hoc est sapientiæ, de quo scriptum est : Lignum vitæ est omnibus qui requirunt eam, et genimina agri in similitudinem Jacob, cujus odor erat, quasi « odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* xxvii). » Nec ultra portabunt opprobrium famis in gentibus quod hodieque Judæorum patitur incredulitas, sed postquam beatitudinem fuerint consecuti, imitabuntur Apostolum, qui dicit : « Non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* xv). » Et recordabuntur viarum suarum pessimarum, et studiorum non bonorum quibus offenderant Deum. Et displicebunt eis iniquitates suæ et scelera sua, quibus prius erraverunt. Hæc autem omnia tributurus est Dominus, non propter eos qui proprio errore perierunt, sed propter nomen sanctum suum. Unde provocat domum Israel, ut confundatur et erubescat super prioribus vitiis, et suum intelligat Creatorem. Postquam autem mundaverit credentium ex Judæis populum ab iniquitatibus suis, et habitari fecerit urbes Ecclesiæ, et instauraverit ruinosa, quæ in synagogis conciderant, et terra confessionis fuerit exculta cæremoniis Dei, quæ quondam visa est desolata omnibus sanctis, qui terrenæ conversationis opera prætereunt; tunc omnes dicent : Quomodo terra Judæa, quæ quondam fuerat inculta, nunc habet similitudinem paradisi Dei, et civitates Judæ, quæ desertæ fuerant et destitutæ, et sua incredulitate suffossæ, nunc erectæ et munitæ sunt in confessione et nomine Domini Salvatoris? Ita ut omnis creatura cognoscat, et multitudines angelorum, quæ terram ambiunt Israel, quod Dominus dissipatas ædificaverit civitates, et incultas plantaverit regiones, et quod pollicitus fuerat per prophetas opere compleverit. Nec hoc erit liberalitatis suæ in populum, quem salvaverit contentus munere, sed multo majora præstabit. Invenietur enim a domo Israel, qui multo tempore quæsitus fuerat et non inventus. Et postquam invenerit eum, multiplicabit eos sicut oves : non brutorum animantium, sed oves hominum, qui rationis confessionisque sunt pleni, sicut oves sanctorum et greges Hierusalem, in qua proprie Dei cultus et visio pacis est in solemnitatibus ejus (*I Cor.* v), quando azyma sinceritatis et veritatis, et agni carnibus vescimur, et cruore potamur, et in septem hebdomadibus et in tabernaculis hujus sæculi Domini festa celebramus, ut civitates quondam desertæ plenæ fiant gregibus hominum : et hac ratione cognoscant quia ipse sit Dominus, qui cuncta præstiterit. Hæc juxta historiæ veritatem, imo juxta prophetiæ fidem, quomodo populus Israel restituat in integrum statum, et reliquiæ populi Judæorum, apostolo Paulo docente, salvæ sint in apostolis, et in omnibus qui ex Judæis in principio crediderunt, et usque hodie redeunt ad Ecclesiam, breviter dixisse sufficiat : nunc tropologiæ eadem brevitate aperiendus est sensus. Quicunque de domo est Israel, et cernit pacem Christi, quæ exsuperat omnem sensum, habitat in terra sua, hoc est, Ecclesia, vel in carnis hospitio, quod ei a Domino traditum est. Sin autem polluerit utramque terram in viis suis pessimis, et immunditiæ mulieris menstruatæ fuerit comparatus, effundit Deus indignationem suam super eum pro sanguine vel suo, vel eorum quos scandalizaverit, et effuderit super terram et perversis cogitationibus, quibus polluit eam. Tunc dispergetur in gentes, ut incredulis coæquetur et ventilabitur in terra instar palearum, ut a frumento Ecclesiæ separetur et judicetur secundum vias suas. Quod si nec sic senserit peccatum suum, sed polluerit nomen sanctum ejus, dicent omnes, inter quos habitaverit : Ecce populus Dei, ecce qui egressus est de terra ejus, imo projectus : sin autem egerint pœnitentiam et sanctificatus fuero in medio eorum, tunc omnis gentium turba cognoscet quod ego eos tollam de terris in quas dispersi erant, et reducam in terram Ecclesiæ. Et effundam super illos nequaquam aquas baptismi salutaris, sed aquas doctrinæ et sermonis Dei. Et mundabo illos ab omnibus inquinamentis suis, et ab universis idolis atque erroribus, quæ in suo corde simulaverant. Et dabo, inquit, eis cor novum, quod per peccatum perdiderant, et spiritum rectum innovabo in cordibus eorum (*Psal.* l). Et auferam cor lapideum, cor videlicet incredulum. Et dabo cor carneum molle et tenerum, quod Dei præcepta suscipiat, ita ut ambulent in præceptis meis, et faciant judicia, quæ prius neglexerant. Et habitent in terra quam dederam patribus eorum, magistris videlicet atque doctoribus. Et rursum sit populus Dei, et Dominus eis vertatur in Deum, quem prius offenderant. Tunc salvabuntur ab universis inquinamentis suis, et multiplicabitur eis frumentum, de quo efficitur cœlestis panis, et non patientur ultra famem sermonis Dei. Et multiplicabitur in eis lignum sapientiæ, et genimina in eorum pectore complebuntur. Nec erunt ultra opprobrium in gentibus, sed postquam misertus eorum fuerit Deus, recordabuntur viarum suarum pessimarum. Et scient ubi fuerint : et displicebunt sibi in iniquitatibus suis, quod dicit Dominus non propter illos, sed propter suam se facere clementiam. Unde et cohortatur errantes, ut confundantur et erubescant in viis suis, et restituantur in urbes Eccle-

siæ, quæ rursum habitetur ab eis; et omnia quæ in eis corruerant, ædificentur, et ad pristinas redeant cæremonias. Et terra quondam deserta, quæ accolis et peregrinis, et mundi hujus conversationem transeuntibus, visa fuerat desolata, revertatur in pristinum statum. Omnesque mirentur et dicant: Terra illa inculta, terra deserta, in qua omnes quondam periere virtutes, nunc facta est quasi hortus voluptatis et paradisus Dei. Et civitates quondam desertæ, quæ Deum hospitem non habebant, et destitutæ erant a Spiritu sancto et suffossæ incredulitate unitæ erant fide Christi, ut sciant omnes in circuitu, quod Dominus ædificaverit animas dissipatas et plantaverit in eis, atque conseverit cunctarum virtutum arbores, et ipse rebus præstiterit, quæ sermone promisit. Rursumque cohortatur sermo propheticus pœnitentes, ut etiam cum regressi fuerint in ecclesias, semper requirant Dominum et inveniant eum: ut multiplicentur redeuntium turbis greges Domini, non jumentorum et brutorum animantium, sed greges hominum, qui fidei rationisque sint pleni, greges sancti, greges urbis Hierusalem, in cunctis solemnitatibus, quas Dei clementia receperunt, ut postquam civitates Domini hujuscemodi gregum multitudo compleverit, tunc sciant omnes quod ipse sit Dominus.

CAPUT XXXVII.

De generali resurrectione: de Christo; et quod in novissimis diebus recipiet eum Juda et Jerusalem, et erit unus populus.

« Facta est super me manus Domini, et eduxit me « in spiritu Domini: et dimisit me in medio campi, « qui erat plenus ossibus, et circumduxit me per ea « in gyro. Erant autem multa valde super faciem « campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili « hominis, putasne vivent ossa ista? Et dixi: Domine « Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de os- « sibus istis, et dices eis: Ossa arida, audite verbum « Domini: hæc dicit Dominus ossibus his: Ecce ego « intermittam in vos spiritum, et vivetis; et dabo « super vos nervos, et succrescere faciam super vos « carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo « vobis spiritum et vivetis, et scietis quia ego Do- « minus. Et prophetavi sicut præceperat mihi: fa- « ctus est autem sonitus, prophetante me, et ecce « commotio: et accesserunt ossa ad ossa, unum- « quodque ad juncturam suam. Et vidi, et ecce su- « per ea nervi et carnes ascenderunt, et extenta est « in eis cutis desuper, et spiritum non habebant. Et « dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare, « fili hominis, hæc dices ad spiritum: Hæc dicit « Dominus Deus: A quatuor ventis veni, spiritus, « et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. Et « prophetavi sicut præceperat mihi, et ingressus est « in ea spiritus, et vixerunt, steteruntque super pe- « des suos, exercitus grandis nimis valde; et dixit « ad me: Fili hominis, ossa hæc universa domus « Israel est. ipsi dicunt. Aruerunt ossa nostra et « periit spes nostra, et abscisi sumus. Propterea va- « ticinare et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: « Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos « de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos « in terram Israel: et scietis quia ego Dominus, « cum aperuero sepulcra vestra, et eduxero vos de « tumulis vestris, populus meus, et dedero spiritum « meum in vobis, et vixeritis; et requiescere vos « faciam super humum vestram, et scietis quia ego « Dominus locutus sum et feci, ait Dominus Deus. » (*Hieron.*) Famosa est visio, et omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata. Qui ergo putant de resurrectione, quæ ab omnibus et Judæis et Christianis creditur Dei esse sermonem, hæc solent dicere, Facta est super prophetam manus Domini, hoc est, Dominus atque Salvator: super quem Pater cuncta operatus est: « Omnia enim ab eo facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est (*Joan.* I). » « Et eduxit me, inquit, in spiritu Domini; » subauditur manus Domini. Eduxit autem in spiritu, non in corpore, sed extra corpus. Et posuit illum sive dimisit in medio campi, qui plenus erat humanis ossibus. Nec eum est passa requiescere, sed fecit ossa omnia circuire, quæ non erant operta humo, sed super campum jacentia. Nec solum multa, sed multa nimis, et propter temporis vetustatem arida siccaque vehementer, et nihil in humoris habentia. Cumque interrogasset eum sermo divinus utrum æstimaret hæc ossa posse vivere, respondit: « Domine Deus, tu nosti, » qui plenam habes scientiam futurorum. Dixitque ad eum Dominus: « Vaticinare de ossibus, » sive super ossa hæc, « et dices ad ea: Ossa arida, audite verbum Domini. » In quo mirandum, quomodo ad ossa arida sit locutus, quæ ante nervos, carnem et cutem, et spiritum vivificantem, Dei possent audire sermonem. Primumque ossa cum aliis ossibus nervorum vinculis colligantur, deinde implentur carnibus: et desuper ob pulchritudinem extenditur cutis, quæ nudarum carnium operiat fœditatem. Et tunc accipiunt spiritum, qui vivere ea faciat: et postquam vixerint, tunc cognoscant quod ipse sit Dominus. Dicente itaque propheta quod ei fuerat imperatum, statim est facta commotio, ossaque in suam sunt applicata compagem, astricta nervis, plena carnium, pelle cooperta, jacebantque humana corpora, spiritum non habentia. Idcirco propheta vaticinatur ad spiritum, et ait: « Hæc dicit Dominus Deus. A quatuor ventis veni, spiritus; » a quatuor videlicet mundi plagis, ut quomodo in prima conditione hominis, insufflavit Deus in faciem ejus, « et factus est in animam viventem (*Gen.* II); » sic et secunda conditio, id est, resurrectio mortuorum insufflante spiritu vivificetur. Qui ingressus est humana corpora statimque vixerunt, « steteruntque super pedes suos. » Unde et resurrectio dicitur mortuorum congregatio sive ecclesia multa, et ut in Hebræo habet, *grandis exercitus*, eoque completur tempore: « Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ (*Psal.* CIII). » Quod autem sequitur: « Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc

universa domus Israel est, » videtur facere quæstionem, eo quod non de generali resurrectione, sed proprie de resurrectione dicatur *domus Israel*, quæ dicat: « Aruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, et abscisi sumus a terra nostra, » sive omnino desperavimus. Quibus ista dicentibus tertio Ezechiel prophetare compellitur et dicere ossibus aridis: « Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros. » In quo quæritur, si aperit tumulos, quomodo supra dixerit: « Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. » « Et educam, inquit, vos de sepulcris vestris, populus meus. » Secundum illud quod scriptum est in Evangelio (*Joan.* v): « Venit hora, quando qui in sepulcris sunt, audient vocem Filii Dei, et exibunt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ. » Et iterum; « Qui audierint vivent. » Et si ut nonnulli arbitrantur de generali resurrectione dicit sermo divinus, quid necesse fuit specialiter dici: « Et inducam vos in terram Israel? » cum in omni orbe terrarum resurgere debeant mortui, ex his locis in quibus sepulti sunt. Cumque ait: « Eduxero vos de tumulis vestris, et dedero spiritum meum in vobis et vixeritis, tunc requiescere vos faciam super humum vestram, » ut postquam requieveritis in terra Israel, tunc cognoscatis quod ipse sim Dominus, qui promissa mea opere compleverim. Qui ergo de generali resurrectione hæc dicta intelligunt, illud quod videtur facere quæstionem: « Ossa hæc universa domus Israel est; » ad sanctorum resurrectionem referunt, de qua et apostolus Joannes in Apocalypsi loquitur: « Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima, super eum secunda mors non habet potestatem (*Apoc.* xx), » quod videlicet alia sanctorum, alia peccatorum sit resurrectio. Unde et in psalmo i dicitur: « Non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum. » Terram autem Israel, quam resurgentibus Dominus pollicetur, illam esse confirmant de qua scriptum est: « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v); et: « Placebo Domino in regione viventium (*Psal.* cxiv). Hæc loquuntur qui de generali, ut diximus, resurrectione Ezechielem scripsisse autumant. Qui autem aliter interpretantur ista non debent nobis facere invidiam, quod istum locum aliter exponentes resurrectionem negare videamur. Scimus enim multo robustiora testimonia, et in quibus nulla sit dubitatio in Scripturis sanctis reperiri, ut est illud Job: « Suscitabis pellem meam (*Job.* xix), » quæ ista sustinet; et in Daniel: « Multi qui dormiunt in terræ pulvere, resurgent, isti in vitam æternam, et isti in opprobrium et confusionem æternam (*Dan.* xii). » Et in Evangelio: « Nolite timere eos qui corpus interficiunt, et animam non possunt occidere: timete autem eum magis qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Luc.* xii). Et in apostolo Paulo: « Qui vivificabit et mortalia vestra corpora propter inhabitantem spiritum ejus in vobis (*Rom.* viii), » et multa alia; ex quo perspicuum est, non

A nos resurrectionem negare, sed hæc non scripta de resurrectione contendere, et per resurrectionis parabolam de restitutione Israel prophetari, qui eo tempore captivus erat in Babylone. Nec statim hæreticis occasionem dabimus, si hæc de resurrectione communi intelligi denegemus. Nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur: quia nemo de rebus exstantibus incerta confirmat; totaque nostra illo tendit assertio, quod quomodo videtur incredulum quod ossibus aridis et multa vetustate confectis futura resurrectio promittatur, et tamen futurum est quod promittitur: sic et resurrectio populi Israel, qui ductus est in captivitatem et in toto orbe dispersus, videtur quidem incre-
B dibilis his qui Dei non norunt potentiam; sed tamen futura est, quia ego, inquit Dominus, locutus sum, et faciam sicut pollicitus sum. Denique et anteriori prophetia, in qua montibus Israel antiquus repromittitur status. Et dicit ad eos Dominus: « Et convertar ad vos, et arabimini, et accipietis sementem, et multiplicabo in vobis homines, omnemque domum Israel. » Et rursum quod domus Israel habitura sit in terra sua, quæ quondam inculta, postea futura sit quasi hortus voluptatis, et civitates desertæ et destitutæ muniantur, et multiplicetur in eis domus Israel sicut grex ovium, et cætera quæ sequuntur ad eumdem sensum pertinere: qui nunc sub tropologia et parabola dicitur aridorum ossium, et
C penitus nullum humorem vitæ habentium: impleto illo quod in Evangelio scriptum est: « Quæ apud homines impossibilia videntur, apud Deum possibilia sunt (*Luc.* xviii). » Ejecti sunt autem de sepulcris suis, de sepulcris captivitatis, et vinculis quibus servitute Babylonia tenebantur astricti. Sed hæc omnia Judæi vel sub Zorobabel, ut prius dixi, expleta confirmant, quando facta est magna commotio, et regnum Chaldæorum in Medos Persasque translatum, vel in præsentia Christi sui quem putant esse venturum. Nos autem spiritaliter post crucem Domini Salvatoris completa memoramus, et quotidie fieri in his vel maxime qui instar Lazari peccatorum suorum fasciis colligati ad vocem Domini suscitantur, et vere sunt domus Israel, arens quondam et
D nullam spem habens salutis, sed intrante in se spiritu gratiæ, et porrigente Domino manum, de profundo inferni liberentur: et qui prius dixerant: Domine Deus, tu nosti, hæc postea audiant liberati: Modicæ fidei, quare dubitasti?

« Et factus est sermo Domini ad me dicens: Et tu, « fili hominis, sume tibi lignum unum, et scribe su- « per illud Judæ, et filiorum Israel sociorum ejus; et « tolle lignum alterum, et scribe super illud Joseph « lignum Ephraim, et cunctæ domui Israel socio- « rumque ejus. Et adjunge illa unum ad alterum tibi « in lignum unum, et erunt in unionem in manu tua. « Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes: « Nonne indicas nobis quid in his tibi velis? loqueris « ad eos: Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego assu-

« mam lignum Joseph quod est in manu Ephraim et (A) tribus Israel, quæ junctæ sunt ei, et dabo eas pariter cum ligno Juda, et faciam eas in lignum unum, et erunt unum in manu ejus. Erunt autem ligna super quæ scripseris in manu tua in oculis eorum, et dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt, et congregabo eos undique, et adducam eos ad humum suam. Et faciam eos gentem unam in terra in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans; et non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna. Neque polluentur ultra in idolis suis, et abominationibus, et cunctis iniquitatibus suis, et salvos eos faciam de universis sedibus in quibus peccaverunt, et emundabo eos. Et erunt mihi populus, et ego ero eis (B) Deus, et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum. In judiciis meis ambulabunt, et mandata mea custodient et facient ea. Et habitabunt super terram quam dedi servo meo Jacob in qua habitaverunt patres vestri, et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum usque in sempiternum : et David servus meus princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit in eis : et fundabo eos et multiplicabo, et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel cum (C) fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. » (*Hieron.*) Regum narrat historia (*III Reg.* XII) sub Roboam filio Salomonis duodecim tribus fuisse divisas et duas, hoc est Judam et Benjamin, cum levitis ac sacerdotibus secutas esse Roboam qui regnavit in Hierusalem, et regnum ejus appellatum est Juda. Alias vero decem tribus quæ dixerunt, « non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Jesse. » Jeroboam filio Nabath de tribu Ephraim qui fuit filius Joseph, submisisse cervices et servisse ei, appellatasque ex maxima parte antiquo nomine Israel, et multo tempore regnum Juda et Israel adversum se habuisse certamina propriisque paruisse regibus : primas decem tribus captas ab Assyriis, et post aliquantum temporis eas quæ appellabantur (D) Juda a Chaldæis in Babylonem ductas esse captivas, et tribum Juda post annos septuaginta antiquæ terræ redditam : decem autem tribus quæ vocabantur Israel usque hodie in montibus urbibusque Medorum servire captivas. Præsens igitur prophetia hæc ex ore Domini pollicetur quod utrumque sibi jungatur imperium, hoc est regnum Judæ et regnum Israel, tollaturque virga Ephraim qui de Joseph stirpe generatus est cum reliquis tribubus quæ ei sociatæ sunt, et jungatur virgæ Judæ, ut nequaquam vocetur Juda et Israel, sed uno nomine appellentur Juda : et sub figura prophetæ qui præcedit in typo Domini Salvatoris, nequaquam duabus manibus, sed una Christi teneantur manu. Dicit enim se assumere filios Israel de medio nationum ad quas captivi ducti sunt, et reducturum eos in terram, et in montes Israel de quibus supra legimus, et appellandam unam gentem, uniusque regis regendam imperio, « ut ultra non polluantur in idolis et abominationibus suis, » sed cum fuerint de captivitatis sedibus liberati, in quibus peccaverunt, omnibus vitiis esse mundandos, et futuros populum Dei, ita ut Dominus sit Deus eorum. « Et servus, inquit, meus David rex, super eos, » de quo et angelus loquitur in Evangelio (*Luc.* I), quod regnaturus sit super domum Jacob, et regni ejus non sit finis, tantæque erit clementiæ ut non solum rex, sed et pastor appelletur, eo quod superbum nomen imperii pastoris vocabulo mitiget, qui postquam fuerint in gentem unam, et in terra Israel ac montibus habitaverint, ambulaturi sunt in omnibus judiciis Domini, et præcepta illius custodituri, habitaturi autem non in alia terra, sed in ea quam dedit servo suo Jacob, in qua habitaverunt patres eorum Abraham, Isaac et Jacob et reliqui sancti : et non solum ipsi habitaturi sint, sed et filii eorum ac nepotes, juxta illud Virgilianum :

Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

Habitentque non ad breve tempus, sed in perpetuum. Vultis autem, ait, scire qui sit iste rex et pastor? Ipse est de quo supra dixi, « servus meus David, » — « qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, sed se exinanivit, formam servi accipiens, et factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II). » Cumque sub tali rege fuerint, percutiam illis fœdus pacis, nequaquam ut in Veteri Testamento, certaminum atque bellorum, sed pactum pacis quæ exsuperat omnem sensum. De qua Salvator loquitur ad apostolos (*Joan.* XIV) : « Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. » Et Propheta dicit : « Factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV). » Quos cum in Ecclesia fundaverit et stabilierit, ita ut possint dicere : « Statuit supra petram pedes meos (*Psal.* XXXIX), » tunc multiplicabuntur vel credentium numero, vel multiplicatione virtutum. « Et dabo, inquit, sanctificationem meam, sive sanctuarium in medio eorum in perpetuum. » Quod Judæi de templo interpretantur, quod sub Zorobabel exstructum est. Sed quomodo stare poterit hoc quod dicitur *in perpetuum?* cum templum illud quod a Zorobabel exstructum est, et postea a multis instauratum, Romano igne succensum sit? Quæ omnia referenda sunt ad Ecclesiam, et ad tempora Salvatoris, quando tabernaculum ejus positum est in Ecclesia, ubi factus est Deus noster, et nos populus ejus. Profectusque omnium est, ut sciant quod ipse sit Dominus, et ipse sanctificet Israel, non juxta carnem, sed juxta spiritum : quando sanctificatio ejus in medio credentium facta sit in perpetuum. Quod autem abjecerit Dominus tribum Ephraim, et elegerit tribum Juda, et in psalmis legimus in quibus scriptum est : « Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephrem non elegit, sed elegit

tribum Juda (*Psal.* LXXVII), » de qua scriptum est : « Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* XLIX). » Vere enim in adventu Domini Salvatoris duæ virgæ, et, ut in Hebraico positum est, duo ligna in unum juncta sunt sceptrum, et in baptismate Christi, dudum separata sociantur, ut fiant in unum novum hominem, et in unam gentem. Neque polluantur ultra in idolis et abominationibus, sed mundi lavacro sint populus Dei, et imperet eis Christus, et habitent super terram, terramque viventium quam dederat servo suo Jacob qui populum Israel in matris utero supplantavit. Sin autem voluerimus juxta prophetiam Oseæ, quæ pene omnis ad decem tribus dirigitur, id est ad Joseph et Ephraim et Samariam et Israel intelligere falsi nominis scientiam, et diversas turbas hæreticorum, hoc dicemus, quod in ultimo tempore quando subintraverit plenitudo gentium, et omnis Israel salvus fuerit, tunc etiam adversarii populi qui contra domum Judæ, et confessionem Ecclesiæ pugnaverunt, tradant se ecclesiasticæ fidei, et universis erroribus derelictis, et principibus mundi istius qui destruantur, et patriarchis suis qui eos in blasphemiarum barathrum deduxerunt, consurgant et relinquant idola sua abominationes suas quas de suo corde confinxerant, et de cunctis sedibus suis in quibus peccaverunt transeant ad ecclesiasticam fidem, et mundentur, et sint populus Christi, et ipse sit Deus eorum, quæ plenius in Osea propheta dictitasse me novi. Quod si Judæi et Christiani judaizantes hæc ad mille annorum voluerint referre regnum, necessitate coguntur, ut suscipiant omnes qui salvi fuerint habitaturos in terra Israel, ædificandam Hierusalem, exstruendum templum, cunctas legis cæremonias exercendas, observandum sabbatum, accipiendam circumcisionis injuriam, manducandum et bibendum, et divitiarum abundantiam pro summa beatitudine et cunctis opibus æstimandam. Cum Apostolus dicat : « Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc et illas destruet (*I Cor.* VI). » Quomodo autem in typo resurrectionis superior sermo propheticus restitutionem Judaici populi demonstravit, non carnalem sed spiritalem, sic et ista prophetia nequaquam ad carnis sed ad animæ pertinet felicitatem, et ad Christi fidem, qua mundamur in baptismate, cujus regnum in perpetuum est, ut non exspectemus ventura quæ transacta et quotidie transigi novimus.

CAPUT XXXVIII.

Sermo Domini contra Gog et Magog; de interitu eorum et peccato populi

« Et factus est sermo Domini ad me dicens : Fili « hominis, pone faciem tuam contra Gog et terram « Magog principem capitis Mosoch et Thubal, et vaticinare de eo, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te Gog principem capitis « Mosoch et Thubal. Et circumagam te et ponam « frenum in maxillis tuis, et educam te et omnem « exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis « universos multitudinem magnam, hastam et clypeum arripientium et gladium. Persæ, Æthiopes et « Libyes cum eis omnes scutati et galeati. Gomer et « universa agmina ejus : domus Thogorma latera aquilonis, et totum robur ejus, populique multi tecum. « Præpara et instrue te et omnem multitudinem tuam « quæ coacervata est ad te, et esto eis in præceptum. « Post dies multos visitaberis. In novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est a gladio, « congregata est de populis multis ad montes Israel « qui fuerunt deserti jugiter. Hæc de populis educta « est, et habitaverunt in ea confidenter universi. « Ascendens autem quasi tempestas venies, et quasi « nubes ut operias terram tu, et omnia agmina tua, « et populi multi tecum. Hæc dicit Dominus Deus : « In die illa ascendent sermones super cor tuum, et « cogitabis cogitationem pessimam, et dices : Ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantesque secure : omnes habitant sine « muro, vectes et portæ non sunt eis, ut diripias « spolia et invadas prædam, ut inferas manum tuam « super eos qui deserti fuerant, et postea restituti, « et super populum qui est congregatus ex gentibus, « qui possidere cœpit, et esse habitator umbilici « terræ. Saba et Dedan, et negotiatores Tharsis, et « omnes leones ejus dicent tibi, Nunquid ad sumenda « spolia tu venis? Ecce ad diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum « et aurum, auferas supellectilem atque substantiam, « et diripias manubias infinitas. Propterea vaticinare, fili hominis, et dices ad Gog, Hæc dicit Dominus Deus : Nunquid non in die illo, cum habitaverit « populus meus Israel confidenter, scies et venies « de loco tuo a lateribus aquilonis, tu et populi multi « tecum ascensores equorum universi, cœtus magnus « et exercitus vehemens. Et ascendes super populum « meum Israel, quasi nubes ut operias terram. In « novissimis diebus eris, et adducam te super terram meam ut sciant gentes me cum sanctificatus « fuero in te in oculis eorum, o Gog. Hæc dicit Dominus Deus : Tu ergo ille es de quo locutus sum « in diebus antiquis in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus « illorum temporum ut adducerem te super eos. Et « erit in die illa, in die adventus Gog super terram « Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea « in furore meo et in zelo meo. In igne iræ meæ « locutus sum, quia in die illa erit commotio magna « super terram Israel, et commovebuntur a facie « mea pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ « agri, et omne reptile quod movetur super humum, « cunctique homines qui sunt super faciem terræ. « Et subvertentur montes, et cadent sepes, et omnis « murus corruet in terram. Et convocabo adversus « eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus. Gladius uniuscujusque in fratrem suum « dirigetur. Et judicabo eum peste et sanguine, et « imbre vehementi et lapidibus immensis. Ignem et « sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus,

« et super populos multos qui sunt cum eo. Et magnificabor et sanctificabor, et notus ero in oculis « gentium multarum, et scient quia ego Dominus. » (*Hieron.*) Primum historiæ fundamenta jacienda sunt sciendumque quod ad Ezechiel prophetam iste extremus sermo sit Domini. Neque enim post hunc simile quid possumus invenire, præter illud quod in vicesimo quinto anno scriptum est transmigrationis Jechoniæ, « facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc, » hoc est in terram Israel, quando ædificatio templi describitur, et cæremoniarum ejus ordo narratur. Dein observandum quod ponitur sive obfirmatur facies prophetæ contra Gog terram, sive terram Magog : obfirmatione enim et multa consideratione vultus opus est, ut quæ dicuntur nosse possimus secundum illum apostolicum : « Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem reformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu (*I Cor.* III). » Igitur Judæi et nostri judaizantes putant Gog gentes esse Scythicas immanes ét innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, et Mæotidem paludem, et propter Caspium mare ad Indiam usque tendantur, et has post mille annorum regnum esse a diabolo commovendas, quæ veniant in terram Israel ut pugnent contra sanctos, multis secum gentibus congregatis. Primum Mosoch quo Josephus interpretatur Cappadocas, dein Thubal, quos idem Iberos, vel Hispanos, Hebræi Italos suspicantur, habentes secum in exercitu Persas, Æthiopas et Libyas. Gomer quoque et Thogorma quos Galatas et Phryges interpretantur, Sabæos quoque et Dedan, et Carthaginenses sive Tharsis; et hoc est quod Joannes quoque in sua ponit Apocalypsi : « Et cum finiti fuerint mille anni, solvetur Satanas de custodia sua, et egredietur ut seducat gentes in quatuor angulis terræ Gog et Magog, ut congreget eos ad bellum, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt per latitudinem terræ, et circumdederunt castra sanctorum et civitatem dilectam, et descendit ignis a Deo de cœlo et devoravit eos : et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris ubi erat bestia et pseudoprophetæ, et cruciabuntur diebus et noctibus in sæcula sæculorum ; » non intelligentes totum volumen Joannis, quod revelationis titulo prænotatur, esse mysticum ; et revelatione nos indigere, ut possimus cum Propheta dicere : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua (*Psal.* CXVIII). » Alii vero terrenum sensum relinquentes, et Judaicas atque aniles fabulas, quæ noxiæ sunt, et acquiescentes sibi detrahunt in profundum, nimium ad alta conscendunt, et multo pejores fingunt nænias : ut in cœlesti Hierusalem diaboli, et omnis exercitus ejus bella describunt, et sub etymologiis gentium singularum interpretentur spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Quæ nos omnia lectoris arbitrio concedentes non tam aliena damnare, quam ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur. Gog Græco sermone δῶμα, Latine *tectum* dicitur. Porro Magog interpretatur *de tecto* ; omnis igi-

A tur superbia et falsi nominis scientia quæ erigit se contra notitiam veritatis, his nominibus demonstratur. Ista sunt tecta de quibus et Isaias loquitur in visione contra vallem Sion : « Quid tibi factum est nunc, quoniam ascendistis omnes in tecta vana! » Tectumque interpretabimur hæreticorum principes, et de tecto eos qui illorum suscepere doctrinas. Et pulchre post multas et mysticas in hoc volumine prophetias, extremum vaticinium est contra Gog et Magog. Si enim tempus judicii est, juxta Petrum, « ut incipiat a domo Dei (*I Petr.* IV), » et juxta hunc eumdem Ezechielem qui ait, « et a sanctis meis incipite (*Ezech.* IX), » et novissimus inimicus destruetur mors. In Isaia quoque primus sermo fit contra Judæam in qua confessio Domini est, et extremus

B contra quadrupedes quæ in deserto sunt. Recte et hic novissimus sermo fit contra Gog et Magog, qui oppugnant civitatem Dei, quam fluminis impetus lætificat, et quæ in Isaia dicit, « Ego civitas firma quæ oppugnatur, » et de qua in Evangelio scriptum est (*Matth.* V) : « Non potest civitas abscondi super montem posita. » Et plenius in psalmo : « Hierusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum : montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui (*Psal.* CXXIV). » Porro quod in exercitu Gog sive Magog, qui, juxta Septuaginta, Symmachum et Theodotionem, princeps est Ros Mosoch, et Thubal, primam gentem *Ros* Aquila interpretatur *caput*, quem et nos secuti sumus, ut sit sensus : principem capitis Mo-

C soch et Thubal. Et revera nec in alio Scripturæ loco, nec in Josepho quidem (qui omnium Hebraicarum gentium in primo antiquitatum libro exponit nomina) hanc gentem potuimus invenire. Ex quo manifestum est, *ros* non gentem significare, sed *caput*. Illud quoque breviter adnotandum quod in Ezechiel Gog princeps terræ, Magog esse dicatur : Apocalypsis vero et Gog et Magog nationes esse commemoret, quæ egrediuntur de quatuor angulis terræ : et quomodo ab Jacob, qui postea appellatus est Israel, omnis populus Hebræorum, Israel sortitus est nomen : et ab Aram Syria, a Mesraim Ægyptus, quorum in Genesi scripta sunt nomina : sic et a principe Gog, omnes qui ei subditi sunt, Magog appellantur : Mosoch autem interpretatur *amentia* et

D Thubal *tota* vel omnia. Princeps igitur et caput superbientis amentiæ et omnium malorum juxta illud quod scriptum est : « Mundus in maligno positus est (*I Joan.* V), » Gog et Magog appellantur, quæ gentes inimicæ adversariæque sanctorum egrediuntur ab angulis terræ, rectam lineam relinquentes et dispositionem castrorum Dei quæ narratur in Numeris. Et illud testimonium nescientes : « Multi de oriente et occidente et septentrione et meridie venient, et discumbent cum Abraham, Isaac et Jacob, in regno Dei (*Matth.* VIII). » Et in alio loco : « Dicam Aquiloni Affer ; et Africo, Noli prohibere. Adduc filios meos de terra longinqua, et filias meas ab extremo terræ, omnes qui vocati sunt nomine meo (*Isa.*

xLIII). » Sed non tales anguli terræ, de quibus egrediuntur Gog et Magog, juxta quos angulos stat meretrix in Proverbiis (*Prov.* VII), quæ prætereuntes stultos juvenes per plateas, per latam videlicet et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem (*Matth.* VI), decipere festinat : scribæ quoque et Pharisæi orant in angulis platearum ut ab hominibus videantur; qui receperunt mercedem. Quæ est igitur contra Gog comminatio? « Circumagam te, sive conversam, et ponam frenum in maxillis tuis. » Primum a sententia tua fluctuare te faciam atque converti. « Et ponam frenum in maxillis tuis. » De quo scriptum est : « In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te (*Psal.* XXXI), » ut indomitus equus atque lasciviens et corruens per præcipitia freno Domini subjugetur. Ad quem propheta dicit : « Ascende super equos tuos, et equitatio tua salus (*Habac.* III). » Et ad Job per nubes et turbinem dicitur : « Tu circumdedisti equo fortitudinem (*Job.* XXXIX). » Tales erant equi et equites quorum multitudinem Joannes vidit in cœlo. Dicit ergo ad Gog : « Educam, sive congregabo te et omnem exercitum vel fortitudinem tuam. » Qui educitur, et de dispersione congregatur, retrahitur ad salutem. Juxta illud quod in Lege promittitur : « Si fuerit dispersio tua a summitate cœli usque ad summitatem ejus inde congregabo te (*Deut.* XXX). » Equos quoque ejus et equites vestitos loricis, qui imitantur armaturam Apostoli (*Ephes.* VI), et loricas justitiæ habere se jactant, multitudo nimia est, omnesque arripiunt contra ecclesiam clypeum et gladium. Et sunt gentes sævissimæ et inimicæ Israel, Persæ, Æthiopes, et Libyes, quorum adversum populum Dei bella narrantur. Gomer quoque et domus Thogorma, qui veniunt de lateribus aquilonis, qui est ventus frigidissimus, et nomine Dexter vocatur, totumque robur Magog et omnes qui subjecti sunt ei populi venient cum illo ad prælium. Cui dicitur per ἰρωνίαν, « præpara te et instrue, et omnem multitudinem tuam, quæ tuis paret imperiis, coacerva ad te. » Sed scito quod post multos dies visitaberis, juxta illud quod scriptum est : » Visitabo in virga iniquitates eorum, ut in verberibus peccata eorum (*Psal.* LXXXVIII). » —« In novissimo, inquit, annorum venies; » Unde et Joannes loquitur : « Filioli mei, novissima hora est (*I Joan.* II). » Et populus gentium undecima ad operandam conducitur vineam. Ad quorum terram, id est, terram mitium, terramque sanctorum, quæ affert centenos et sexagenos et tricenos fructus, venit Gog expugnandam, quæ reversa est, sive aversa a gladio. Scit enim scriptum : « Dissipa, Domine, gentes, quæ bella volunt (*Psal.* LXVII). » Et in pace consistit. « Et congregata est de populis et gentibus multis, » ut nationum errore contempto veniret ad montes Israel, patriarchas videlicet et prophetas, qui fuerunt quondam deserti jugiter sine lege Dei et præceptis. Cui postea dicitur : « Plures filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum (*Gal.* IV). » Ista sunt deserta et ina- A quosa, in quibus diabolus locum invenire non poterat, quia vocati fuerant ad salutem ; et postea adsumptis aliis septem dæmonibus nequioribus se reversus est in domum suam (*Matth.* XII), ad gentem videlicet Israel. « Hæc, inquit, de populis educta est, » subauditur terra : sive hic de gentibus eductus est, ut intelligatur credentium populus, qui habitavit in pace et confidit in Domino.

Ascendens autem Gog cum omni exercitu suo, quasi tempestas veniet, et quasi nubes ut operiat terram credentium. Quis enim hæreticorum, quorum princeps diabolus est, non quasi tempestas venit contra Ecclesiam, et nube verborum suorum simplices quosque credentium opprimere et operire festinat? Unde dicitur ad eum : quantum in te est, B cuncta operies tu et omnia agmina tua, et populi multi tecum. Pulchreque ascendens Gog non habet pluviam voluntariam, non imbrem temporaneum et serotinum, qui arentia arva lætificet : sed tempestatem et caliginem, ut cuncta tenebris et errore confundat. Propterea hæc ei loquitur Dominus Deus : « In illo tempore, hoc est in diebus novissimis, ascendent sermones super cor tuum, et cogitabis cogitationem pessimam; Scriptura dicente : Si spiritus potestatem habentis ascendere voluerit super te, locum tuum ne derelinquas (*Eccle.* X). » E contrario autem in sancti cor ascendit Deus, de quo scriptum est : « Ascensiones in corde suo disposuit (*Psal.* LXXXIII). » Dicitque Gog, « Ascendam ad terram absque muro, » sive projectam, hoc est C quæ Dei auxilio destituta est, nec dialecticorum argumentatione munita. « Veniam ad quiescentes habitantes que secure, » sive in pace : rex enim noster pacificus est, et in pace locus ejus. « Hi omnes, inquit, habitant sine muro : vectes et portæ non sunt eis. » Hoc diabolus princeps hæreticorum loquitur, quod nulla habeat munimenta Ecclesia, nec sapientiam sæcularem, quæ apud Deum stultitia est, ut diripiat spolia, et invadat prædam Ecclesiæ, et inferat manum suam super eos, qui deserti fuerant, quando Dei notitiam non habebant, et postea restituti per Christum, veniant ad Patrem, cui loquitur in Evangelio (*Joan.* XVII) : « Pater, revela nomen tuum hominibus. » Et ut sciamus populum, qui desertus fuerat, et postea restitutus significare populum D Christianum, sequitur : « Et super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui populus possidere cœpit hæreditatem Christi, et esse habitator umbilici terræ; » de qua scriptum est : « Operatus est salutem in medio terræ, veritas enim de terra orta est (*Psal.* LXXXIV), » quæ dicit in Evangelio : « Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* XIV). » Hæc illo cogitante atque dicente, et possessionem Ecclesiæ rapere festinante, gentes quæ ab errore pristino conversæ fuerant ad salutem, Saba et Dedan, et negotiatores Tharsis, Carthaginis, sive maris, qui inter sæculi hujus fluctus bonis operibus quærunt mercimonia, et omnes villæ earum, sive leones aut catuli leonum, ut in Hebraico continetur, lo-

quentur ei quæ sequuntur. Dicent ergo Saba et Dedan et negotiatores Tharsis, et omnes sancti, qui leonum catuli appellantur, vel certe villæ habitationesque credentium. O Gog, nunquid idcirco venis, ut spolia rapias Ecclesiæ, et ideo multitudinem congregasti, ut Christi possessio tua fiat hæreditas? Aut putas te argentum et aurum, quod in eloquio sensuque intelligitur, Ecclesiæ possessurum, ut auferas suppellectilem omnemque substantiam, et diripias manubias infinitas, Christi victoriis congregatas? Propterea, o propheta Ezechiel, qui in typo Christi appellaris filius hominis, loquere ad Gog, et dic ei : « Hæc dicit Dominus Deus, » quando totius mundi errore sublato populus meus Israel, qui mente cernit Deum, habitaverit in Ecclesia confidenter, sive in pace, tunc scies, sive consurges, et venies de loco tuo. Qui sit autem locus hæreticæ pravitatis, sequens sermo demonstrat : A lateribus aquilonis, qui omnem calorem credentium refrigerare conatur. Venientque cum eo populi multi, « omnes ascensores equorum, » de quibus scriptum est : « Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* xv). » Cœtus magnus et exercitus vehemens, cum quibus « ascendens, ait, super populum meum Israel, quasi nubes et caligo, ut operias » terram meam, de qua supra dictum est; « In novissimis diebus eris, » quando Evangelica prædicatio. « Et adducam te super terram meam. » Oportet enim, et hæreses esse (*I Cor.* xi), » ut probati quique manifesti fiant, et Dei voluntate Ἀνταγώνιστος diabolus et et omnia perversitatis dogmata derelicta sunt. « Ut sciant omnes gentes, et intelligant me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog, » hoc est, cum pœnis tuis me intellexerint judicem. Et facit apostropham ad ipsum Gog : « Nonne tu ille es de quo locutus sum in diebus antiquis in manibus servorum meorum prophetarum Israel? » Moysi videlicet, qui ait in Numerorum libro, duntaxat juxta Septuaginta : « Egredietur homo de semine ejus, et dominabitur gentium plurimarum, et elevabitur Gog regnum ejus, et crescet regnum illius (*Num.* xxiv). » Cæterum juxta Hebraicum ita scriptum reperi : « Tollatur propterea Gog [Agag] rex ejus, et auferetur regnum illius, » eo quod regnum Israel in Saule propter Agag regem Amalec destructum sit. Et in alio loco : « Mundabit terram populi sui. » Joel quoque in valle Josaphat, hoc est judicii Dei, describit populos congregandos (*Joel.* iii); et Isaias omnesque prophetæ in quorum manibus et bonis operibus sermo fit Domini. Cum igitur veneris super terram Israel, « ascendet indignatio mea in furore meo contra te, et in zelo meo pro populo meo. « In igne iræ meæ locutus sum, » qui omnia vitiorum tuorum ligna consumat. » Illo, inquit, tempore, erit magna commotio super terram Israel. » Immittente enim diabolo crebra contra Ecclesiam persecutio fiet : quæ quando sopita fuerit, et Dei victa præsidio, tunc commovebuntur a facie ejus pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ agri, et omne reptile quod movetur super terram, cunctique homines qui sunt super faciem terræ. Quod manifeste de habitatoribus Ecclesiæ demonstratur, quorum alii ut pisces maris, alii ut volucres cœli, alii ut bestiæ agri, et omnia reptilia quæ moventur super terram, alii ut retinentes hominis dignitatem habitant super faciem terræ. Quod autem morum diversitas variis signetur nominibus, et Apostolus scribit ad Corinthios (*I Cor.* xv), qui alia corpora post resurrectionem dicit esse cœlestia, alia terrena, aliud corpus piscis, aliud volucris, aliud bestiarum, aliud reptilium, et aliud hominum, qui nomen pristinum servaverunt. In actibus quoque Apostolorum linteum illud quod quatuor principiis tertio Petro apostolo demonstratur (*Act.* x), varietatem credentium significat, quæ in arca quoque diluvii continetur. Tunc autem a facie Domini, et a conspectu majestatis ejus subvertentur montes, qui se elevabant contra scientiam Dei, et cadent sepes sive valles, quæ vel humilitate sensus ad ima demersæ sunt; vel certe munitiones quæ aliquid pollicentur, ut imitentur Ecclesiam Dei. De cujus sepibus dicitur : « Qui destruit sepem, mordebit eum coluber (*Eccli.* x). » Et omnes muri in terram corruent : cum enim ecclesiastici sermonis apparuerit fortitudo, omnia hæreticorum corruent munimenta. « Et vocabo, inquit, eum adversum illum, » hoc est hæreticorum principem Gog, in cunctis montibus ejus gladium, et principes exercitus ejus gladio Domini conficiantur. Tunc hæresis dimicabit adversum hæresim, quarum inter se compugnatio nostra victoria est. « Et judicabo, *inquit*, eum morte vel peste, et sanguine et imbre vehementi, et lapidibus immensis » sive grandinibus. Judicatur autem Gog morte sua et sanguine quem effudit, et imbre vehementi, sermonibus eruditi et perfecti viri : et lapidibus immensis qui eum obruant testimoniis Scripturarum, sive grandinis qui calorem illius faciant refrigescere : « Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum (*Ose.* vii). » « Ignem, inquit, et sulphur pluam super eum, » per quæ demonstratur pœna judicii sempiterni. Et non solum super eum qui auctor perversitatis fuit, sed « et super omnem exercitum et multitudinem ejus, et super populos multos qui sunt cum eo. » Plures enim habent hæretici socios, imo diabolus princeps eorum infinita multitudine circumdatur. Omnique errore sublato, et punitis atque destructis hæreticorum principibus, magnificatur Dominus, et sanctificatur in credentibus, et notus fit in oculis gentium multarum, quæ illius fidei crediderunt : et tam ex beatitudine sui quam ex adversariorum pœnis scient, atque cognoscent quod ipse sit Dominus. Hæc ut potuimus interpretati sumus obedientes illi præcepto : « Neque ad dexteram neque ad sinistram declinabis, sed via regia ingredieris. » Si quis autem nostra reprehendit, aut meliora proferat quæ sequamur, aut si nihil voluerit dicere, perfectam Deo scientiam derelinquat : dum tamen sciat nequaquam in nobis vires, sed animum judicandum.

CAPUT XXXIX.

In novissimis diebus insurget Gog et Magog: et de congregatione avium et bestiarum ad edenda cadavera eorum.

« Tu autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog et dices: Hæc dicit Dominus Deus, ego super te Gog principem capitis Mosoch et Thubal. Et circumagam et reducam te, et ascendere te faciam de lateribus aquilonis, et adducam te super montes Israel. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, et sagittas tuas de manu dextera tua, dejiciam te super montes Israel, cades tu, et omnia agmina tua, et populi tui qui sunt tecum, feris, avibus, omnique volatili, et bestiis terræ dedi te ad devorandum. Super faciem agri cades, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus, et emittam ignem in Magog, et in his qui habitant in insulis confidenter, et scient quia ego Dominus. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, et non polluam nomen sanctum meum amplius, et scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel. Ecce venit et factum est, ait Dominus Deus. Hæc est dies de qua locutus sum; Et egredientur habitatores de civitatibus Israel, et succendent et comburent arma, clypeum et hastas, arcum et sagittas, et baculos manuum, et contos, et succendent ea igne septem annis. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igne, et deprædabuntur eos quibus prædæ fuerant, et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus. Et erit in die illa, dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris quæ obstupescere faciet prætereuntes. Et sepelient ibi Gog et omnem multitudinem ejus, et vocabitur vallis multitudinis Gog; et sepelient eos domus Israel ut mundent terram septem mensibus. Sepeliet autem eum omnis populus terræ, et erit eis nominata dies in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. Et viros jugiter constituent lustrantes terram qui sepeliant et requirant eos qui permanserant super faciem terræ ut emundent eam. Post menses autem septem quærere incipient, et circuibunt peragrantes terram. Cumque viderint os hominis statuent juxta illud titulum donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog. Nomen autem civitatis Amona, et mundabunt terram. » (*Hieron.*) Et hæc Judaicæ traditionis hæredes et discipuli interminabilium fabularum post mille annorum regnum futura contendunt interficiendumque Gog principem Rosmosoch Thubal in finibus Israel, et ab omnibus volatilibus bestiis devorandum: et habitatores urbium Israel septem annis lignorum usum nequaquam habituros de succisione sylvarum, sed de armis Gog, scutis videlicet et hastis sagittisque et bacculis sive contis: ipsum autem Gog sepeliendum in valle, quæ Hebraice dicitur *Ge:* et nomen sepulcri illius appellandum ποκγανάριον [*Hier.*, πολυάνδριον], ubi scilicet multitudo hominum sit sepulta. Septem autem men-
A sibus eum sepeliendum a domo Israel ut terra mundetur, et inclytam futuram diem quando interfectus sit Gog, constituendosque qui ossa diligenter inquirant et sepeliant, quo scilicet nihil in terra remaneat insepultum. Post menses autem sive in mensibus septem peragrandam terram, et sicubi os hominis jacere perspexerint, titulo prope posito demonstrandum, ut postea sepeliant illud qui huic operi præpositi sunt. Nomen autem civitatis appellari Amona, quæ Græce dicatur ποκγανάριον, hoc est, multitudo hominum sepultorum, et sic terram esse mundam. Hoc illi dixerint: Nos autem cœptæ explanationis sensum tenentes, singula quæ proposuimus, disseramus.

Habet Gog et ipse trinitatem suam: Ros et Mosoch et Thubal, caput videlicet, et insaniam et uni-
B versa, ut nullum sit vitium, quod non in Gog possessione consistat. Iste educetur sive circumagetur, et palpabitur atque lactabitur, ut sperans victoriam occidendus ducatur ad prælium. Et ascendet de lateribus sive de novissimis aquilonis, ex quo exardescunt mala super omnem terram: et ab eo ipso adducetur super montes Israel, quos apostolos et apostolicos atque ecclesiasticos viros intelligere debemus, ut postquam adductus fuerit ad montes Israel, tunc percutiatur arcus, qui est in manu sinistra ejus, et sagittæ quæ manu tenentur dextera: et ipse enim imitatur ad interficiendos eos quos deceperit habere arma a sinistris et dextris per bonam et malam famam. Istæ sagittæ sunt, et hæc jacula de quibus et Psalmista loquitur: « Ecce enim pecca-
C tores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* X); » quæ ignita diaboli jacula scuto fidei restinguenda sunt. Dejicitur autem sive cadit Gog qui ascenderat super montes Israel, in ipsis montibus cum omni exercitu suo cunctisque agminibus. Et erit in escam feris, avibus omnique volatili et bestiis terræ, adversariis videlicet et potestatibus, quæ juxta viam comederent sementem, et sanguinariis bestiis. Quomodo enim scriptum est de dracone: « Dedisti eum escam populis Æthyopum (*Psal.* LXXIII), » sic decepti quique ab hæreticis, dæmonum cibi sunt. Cadet autem Gog vel in campi latitudine vel in agro qui cultus est a Dei agricolis: neque enim fieri potest ut Domini verba sint irrita. Tunc mittetur ignis
D in Magog, in eos videlicet qui Gog suscepere doctrinam, et in hos qui ad similitudinem insularum sæculi fluctibus verberantur, et putant se debere esse securos. Ille ignis de quo Dominus loquitur: « Ignem veni mittere super terram, et quid volo nisi ut ardeat (*Luc.* XII). » Ut sciant omnes et intelligant, quod ego sim Dominus, et nomen sanctum meum notum fiat, in medio populi mei, qui nequaquam Gog auctoritate seductus est, neque ultra per occasionem falsi nominis scientiæ polluetur nomen meum in hæreticis, ut sciant gentes, quæ in circuitu sunt, quod ego sim Dominus. Quod autem sequitur: « Ecce venit et factum est, » de judicio Christi dicitur, qui veniens veniet et non tardabit, et ipsa est

quentur et quæ sequuntur. Dicent ergo Saba et Dedan et negotiatores Tharsis, et omnes sancti, qui leonum catuli appellantur, vel certe villæ habitationesque credentium. O Gog, nunquid idcirco venis, ut spolia rapias Ecclesiæ, et ideo multitudinem congregasti, ut Christi possessio tua fiat hæreditas? Aut putas te argentum et aurum, quod in eloquio sensuque intelligitur, Ecclesiæ possessurum, ut auferas suppellectilem omnemque substantiam, et diripias manubias infinitas, Christi victoriis congregatas? Propterea, o propheta Ezechiel, qui in typo Christi appellaris filius hominis, loquere ad Gog, et dic ei: « Hæc dicit Dominus Deus, » quando totius mundi errore sublato populus meus Israel, qui mente cernit Deum, habitaverit in Ecclesia confidenter, sive in pace, tunc scies, sive consurges, et venies de loco tuo. Qui sit autem locus hæreticæ pravitatis, sequens sermo demonstrat: A lateribus aquilonis, qui omnem calorem credentium refrigerare conatur. Venientque cum eo populi multi, « omnes ascensores equorum, » de quibus scriptum est: « Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* xv). » Cœtus magnus et exercitus vehemens, cum quibus « ascendens, ait, super populum meum Israel, quasi nubes et caligo, ut operias » terram meam, de qua supra dictum est; « In novissimis diebus eris, » quando Evangelica prædicatio. « Et adducam te super terram meam. » Oportet enim, et hæreses esse (*I Cor.* xi), » ut probati quique manifesti fiant, et Dei voluntate Ἀνταγώνιστος diabolus et et omnia perversitatis dogmata derelicta sunt. « Ut sciant omnes gentes, et intelligant me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog, » hoc est, cum pœnis tuis me intellexerint judicem. Et facit apostropham ad ipsum Gog: « Nonne tu ille es de quo locutus sum in diebus antiquis in manibus servorum meorum prophetarum Israel? » Moysi videlicet, qui ait in Numerorum libro, duntaxat juxta Septuaginta: « Egredietur homo de semine ejus, et dominabitur gentium plurimarum, et elevabitur Gog regnum ejus, et crescet regnum illius (*Num.* xxiv). » Cæterum juxta Hebraicum ita scriptum reperi: « Tollatur propterea Gog [Agag] rex ejus, et auferetur regnum illius, » eo quod regnum Israel in Saule propter Agag regem Amalec destructum sit. Et in alio loco: « Mundabit terram populi sui. » Joel quoque in valle Josaphat, hoc est judicii Dei, describit populos congregandos (*Joel.* iii); et Isaias omnesque prophetæ in quorum manibus et bonis operibus sermo fit Domini. Cum igitur veneris super terram Israel, « ascendet indignatio mea in furore meo contra te, et in zelo meo pro populo meo. « In igne iræ meæ locutus sum, » qui omnia vitiorum tuorum ligna consumat. » Illo, inquit, tempore erit magna commotio super terram Israel. » Immittente enim diabolo crebra contra Ecclesiam persecutio fiet: quæ quando sopita fuerit, et Dei victa præsidio, tunc commovebuntur a facie ejus pisces maris, et volucres cœli, et bestiæ agri, et omne reptile quod movetur super terram, cunctique homines qui sunt super faciem terræ. Quod manifeste de habitatoribus Ecclesiæ demonstratur, quorum alii ut pisces maris, alii ut volucres cœli, alii ut bestiæ agri, et omnia reptilia quæ moventur super terram, alii ut retinentes hominis dignitatem habitant super faciem terræ. Quod autem morum diversitas variis signetur nominibus, et Apostolus scribit ad Corinthios (*I Cor.* xv), qui alia corpora post resurrectionem dicit esse cœlestia, alia terrena, aliud corpus piscis, aliud volucris, aliud bestiarum, aliud reptilium, et aliud hominum, qui nomen pristinum servaverunt. In actibus quoque Apostolorum linteum illud quod quatuor principiis tertio Petro apostolo demonstratur (*Act.* x), varietatem credentium significat, quæ in arca quoque diluvii continetur. Tunc autem a facie Domini, et a conspectu majestatis ejus subvertentur montes, qui se elevabant contra scientiam Dei, et cadent sepes sive valles, quæ vel humilitate sensus ad ima demersæ sunt; vel certe munitiones quæ aliquid pollicentur, ut imitentur Ecclesiam Dei. De cujus sepibus dicitur: « Qui destruit sepem, mordebit eum coluber (*Eccli.* x). » Et omnes muri in terram corruent: cum enim ecclesiastici sermonis apparuerit fortitudo, omnia hæreticorum corruent munimenta. « Et vocabo, inquit, eum adversum illum, » hoc est hæreticorum principem Gog, in cunctis montibus ejus gladium, et principes exercitus ejus gladio Domini conficiantur. Tunc hæresis dimicabit adversum hæresim, quarum inter se compugnatio nostra victoria est. « Et judicabo, *inquit*, eum morte vel peste, et sanguine et imbre vehementi, et lapidibus immensis » sive grandinibus. Judicatur autem Gog morte sua et sanguine quem effudit, et imbre vehementi, sermonibus eruditi et perfecti viri: et lapidibus immensis qui eum obruant testimoniis Scripturarum, sive grandinis qui calorem illius faciant refrigescere: « Omnes enim adulterantes, quasi clibanus corda eorum (*Ose.* vii). » « Ignem, inquit, et sulphur pluam super eum, » per quæ demonstratur pœna judicii sempiterni. Et non solum super eum qui auctor perversitatis fuit, sed « et super omnem exercitum et multitudinem ejus, et super populos multos qui sunt cum eo. » Plures enim habent hæretici socios, imo diabolus princeps eorum infinita multitudine circumdatur. Omnique errore sublato, et punitis atque destructis hæreticorum principibus, magnificatur Dominus, et sanctificatur in credentibus, et notus fit in oculis gentium multarum, quæ illius fidei crediderunt: et tam ex beatitudine sui quam ex adversariorum pœnis scient, atque cognoscent quod ipse sit Dominus. Hæc ut potuimus interpretati sumus obedientes illi præcepto: « Neque ad dexteram neque ad sinistram declinabis, sed via regia ingredieris. » Si quis autem nostra reprehendit, aut meliora proferat quæ sequamur, aut si nihil voluerit dicere, perfectam Deo scientiam derelinquat: dum tamen sciat nequaquam in nobis vires, sed animum judicandum.

CAPUT XXXIX.

In novissimis diebus insurget Gog et Magog: et de congregatione avium et bestiarum ad edenda cadavera eorum.

« Tu autem, fili hominis, vaticinare adversum Gog « et dices: Hæc dicit Dominus Deus, ego super te « Gog principem capitis Mosoch et Thubal. Et cir- « cumagam et reducam te, et ascendere te faciam de « lateribus aquilonis, et adducam te super montes « Israel. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra « tua, et sagittas tuas de manu dextera tua, deji- « ciam te super montes Israel, cades tu, et omnia « agmina tua, et populi tui qui sunt tecum, feris, « avibus, omnique volatili, et bestiis terræ dedi te « ad devorandum. Super faciem agri cades, quia ego « locutus sum, ait Dominus Deus, et emittam ignem « in Magog, et in his qui habitant in insulis confiden- « ter, et scient quia ego Dominus. Et nomen sanctum « meum notum faciam in medio populi mei Israel, et « non polluam nomen sanctum meum amplius, et « scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel. « Ecce venit et factum est, ait Dominus Deus. Hæc « est dies de qua locutus sum; Et egredientur habi- « tatores de civitatibus Israel, et succendent et com- « burent arma, clypeum et hastas, arcum et sagit- « tas, et baculos manuum, et contos, et succendent « ea igne septem annis. Et non portabunt ligna de « regionibus, neque succident de saltibus, quoniam « arma succendent igne, et deprædabuntur eos qui- « bus prædæ fuerant, et diripient vastatores suos, ait « Dominus Deus. Et erit in die illa, dabo Gog locum « nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum « ad orientem maris quæ obstupescere faciet præ- « tereuntes. Et sepelient ibi Gog et omnem multitu- « dinem ejus, et vocabitur vallis multitudinis Gog; « et sepelient eos domus Israel ut mundent terram « septem mensibus. Sepeliet autem eum omnis po- « pulus terræ, et erit eis nominata dies in qua glo- « rificatus sum, ait Dominus Deus. Et viros jugiter « constituent lustrantes terram qui sepeliant et re- « quirant eos qui permanserant super faciem terræ « ut emundent eam. Post menses autem septem quæ- « rere incipient, et circuibunt peragrantes terram. « Cumque viderint os hominis statuent juxta illud « titulum donec sepeliant illud pollinctores in valle « multitudinis Gog. Nomen autem civitatis Amona, « et mundabunt terram. » (*Hieron.*) Et hæc Judaicæ traditionis hæredes et discipuli interminabilium fabularum post mille annorum regnum futura contendunt interficiendumque Gog principem Rosmosoch et Thubal in finibus Israel, et ab omnibus volatilibus et bestiis devorandum: et habitatores urbium Israel septem annis lignorum usum nequaquam habituros de succisione sylvarum, sed de armis Gog, scutis videlicet et hastis sagittisque et bacculis sive contis: ipsum autem Gog sepeliendum in valle, quæ Hebraice dicitur *Ge:* et nomen sepulcri illius appellandum ποκγανάριον [*Hier.*, πολυάνδριον], ubi scilicet multitudo hominum sit sepulta. Septem autem men-

A sibus eum sepeliendum a domo Israel ut terra mundetur, et inclytam futuram diem quando interfectus sit Gog, constituendosque qui ossa diligenter inquirant et sepeliant, quo scilicet nihil in terra remaneat insepultum. Post menses autem sive in mensibus septem peragrandam terram, et sicubi os hominis jacere perspexerint, titulo prope posito demonstrandum, ut postea sepeliant illud qui huic operi præpositi sunt. Nomen autem civitatis appellari Amona, quæ Græce dicatur ποκγανάριον, hoc est, multitudo hominum sepultorum, et sic terram esse mundam. Hoc illi dixerint: Nos autem cœptæ explanationis sensum tenentes, singula quæ proposuimus, disseramus.

Habet Gog et ipse trinitatem suam: Ros et Mosoch et Thubal, caput videlicet, et insaniam et uni- B versa, ut nullum sit vitium, quod non in Gog possessione consistat. Iste educetur sive circumagetur, et palpabitur atque lactabitur, ut sperans victoriam occidendus ducatur ad prælium. Et ascendet de lateribus sive de novissimis aquilonis, ex quo exardescunt mala super omnem terram: et ab eo ipso adducetur super montes Israel, quos apostolos et apostolicos atque ecclesiasticos viros intelligere debemus, ut postquam adductus fuerit ad montes Israel, tunc percutiatur arcus, qui est in manu sinistra ejus, et sagittæ quæ manu tenentur dextera: et ipse enim imitatur ad interficiendos eos quos deceperit habere arma a sinistris et dextris per bonam et malam famam. Istæ sagittæ sunt, et hæc jacula de quibus et Psalmista loquitur: « Ecce enim pecca- C tores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* x); » quæ ignita diaboli jacula scuto fidei restinguenda sunt. Dejicitur autem sive cadit Gog qui ascenderat super montes Israel, in ipsis montibus cum omni exercitu suo cunctisque agminibus. Et erit in escam feris, avibus omnique volatili et bestiis terræ, adversariis videlicet et potestatibus, quæ juxta viam comederent sementem, et sanguinariis bestiis. Quomodo enim scriptum est de dracone: « Dedisti eum escam populis Æthyopum (*Psal.* LXXIII), » sic decepti quique ab hæreticis, dæmonum cibi sunt. Cadet autem Gog vel in campi latitudine vel in agro qui cultus est a Dei agricolis: neque enim fieri po- D test ut Domini verba sint irrita. Tunc mittetur ignis in Magog, in eos videlicet qui Gog suscepere doctrinam, et in hos qui ad similitudinem insularum sæculi fluctibus verberantur, et putant se debere esse securos. Ille ignis de quo Dominus loquitur: « Ignem veni mittere super terram, et quid volo nisi ut ardeat (*Luc.* XII). » Ut sciant omnes et intelligant, quod ego sim Dominus, et nomen sanctum meum notum fiat, in medio populi mei, qui nequaquam Gog auctoritate seductus est, neque ultra per occasionem falsi nominis scientiæ polluetur nomen meum in hæreticis, ut sciant gentes, quæ in circuitu sunt, quod ego sim Dominus. Quod autem sequitur: « Ecce venit et factum est, » de judicio Christi dicitur, qui veniens veniet et non tardabit, et ipsa est

dies pœnarum atque vindictæ, de qua per omnes prophetas locutus est Dominus. « Et egredientur habitatores urbium » Israel credentium populi : urbes autem Israel intelligimus Ecclesias rectæ fidei. Et succendent, et comburent arma, de quibus et in alio loco scriptum est : « Arcum conteret et confringet arma, et scuta comburet igni (*Psal.* XLV), » clypeos et hastas, arcum et sagittas, baculos manus in quibus perversum pascha celebrabant ; lanceas sive contos quibus lata et insanabilia inferebant vulnera doctrinarum, clypeosque arcus et sagittas, de quibus supra dictum est. Quodque sequitur : « Et succendent ea igni septem annis ; » de Exodo et Levitico exponendum est, in quibus lege præcipitur ut septimo anno remissionis, quando servis Hebræis libertas redditur, et debita cuncta solvuntur, et ad dominos redit antiqua possessio, et quies terræ tribuitur, et omnes fruges pauperibus condonantur, quo scilicet in septem annis numero sacrato atque perfecto hæreticorum armatura dispereat, et ecclesiastici viri nequaquam ligna succidant de campis et regionibus, sylvisque et saltibus gentium, quos magis salvare cupiunt quam perdere : sed de hæreticorum, quos vicerint clypeis, hastis, sagittis, baculis, contisque et lanceis. Habent enim et ipsi ad impugnandam Ecclesiam Christi tela diversa, quæ ab eruditis hominibus igne sancti Spiritus succendenda sunt, sermone videlicet ecclesiastico, quem qui habuerit, poterit dicere : « Nonne cor nostrum erat ardens in via cum aperiret nobis Jesus Scripturas ? » Nec possumus plenam habere pacem et habitationis confidentiam, nisi cunctam adversariorum supellectilem deprædemur, ut pereant omnia et in cinerem concrementur, et deprædemur eos, qui nos fuerant ante prædati, et vastemus illos qui vastaverunt prius Ecclesiam. « In die illa, » in claro prædicationis lumine, « dabo, inquit, Gog locum nominatum sepulcrum in Israel. » Juxta Hebraicum, « vallem viatorum » ad orientem maris, « quæ obstupescere facit prætereuntes. » Cujus sermonis hic sensus est : Sepulchrum Gog non erit in montibus, sed in depressis vallibus et in confragosis locis, quæ hebraice appellantur Ge, quæ hæretici cum in occidente siti orientis loca esse confingunt, ut decipiant viatores, eos videlicet, qui sæculum istud pertranseunt, et non sunt habitatores, sed peregrini, dicentes illud propheticum : « Advena sum ego et peregrinus sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » Quis enim prætereuntium, de quibus scriptum est : « Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini super vos (*Psal.* CXXVIII), » non admiratur et obstupescit cum vallem viderit viatorum, quæ viatoribus vallis habitatoribus mons videtur ? hoc juxta Hebraicum. Cæterum Septuaginta transtulerunt « *polyandrion* eorum qui venerint ad mare, et ædificabunt in circuitu introitum vallis. » Labor enim est eorum qui egrediuntur de urbibus Israel, ut omnem introitum et exitum hæreticæ pravitatis, qui venerant a mare et amaritudine illius delectabantur, undarumque molibus et crudelitate naufragii claudant, et circumædificentur, et in voraginibus terræ sepeliant, ne ultra exire valeant, et aliquos sua fraude decipere. Ibi ergo sepeliebant Gog et omnem multitudinem ejus, qua semper hæretici delectantur. « Et vocabitur » nomen vallis illius, in qua Gog sepultus est, « multitudinis ge, sive polyandrii, hoc est, sepulcrum plurimæ multitudinis : et quomodo supra diximus per septem annos adversariorum arma succendi, sic per septem menses, sordibus hæreticorum terra mundabitur. A primo enim mense quando pascha Domini celebramus, et exterminatorem Ægypti agni in postibus nostris cruore vitamus, usque ad exitum anni, hoc est, usque ad septimum mensem, quando tabernacula figimus, et inter cætera frondes palmarum quoque ramis protegimur, ut perfecta contra hostes victoria demonstretur festivitates omnes complemus in populis. Nec solum magistri, sed et omnis populus hoc certatim faciet, ut sepeliat Gog et terram operiat, et nequaquam aerem liberum capere permittat : Post necem autem et interfectionem sive sepulcrum Gog, eligentur viri ecclesiastici qui hoc habeant studii, ne quid in terra Israel maneat sordium pristinarum, ne quid morticinum, qui lustrent terram, et requirant mortuos et sepeliant : ut videlicet mundetur terra ecclesiæ. Sin autem per septem menses quando debent esse cuncta purgata, hi qui terram peragrant, atque circumeunt in aliquo os hominis, hoc est duritiam hæreticæ pravitatis, sive morticinum quid doctrinæ pristinæ viderint remansisse, ponent juxta illud sive ædificabunt titulum : ut postquam notati fuerint *qui hujuscemodi* sunt, tunc vel emundentur vel sepeliantur cum Gog, et in turba sepulturæ illius retrudantur. Nomen autem civitatis ubi servorum Domini victoria est, et jacent adversarii, et omnis inimicorum ejus multitudo prostrata est, appellatur Amona sive Polliandrion, ut finis omnium restitutio puritatis sit. Denique sequitur : « Et mundabunt terram. » Haud dubium quin hi de quibus supra scriptum est : « quærere incipient, et circumibunt peragrantes terram. » (MAURUS.) In Apocalypsi quoque Joannis (*Apoc.* XX) cum ibi commemoraretur angeli descensio, de cœlo qui captivavit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille. Postea sequitur Scriptura, dicens : « Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam, et descendit ignis a Deo de cœlo et devoravit eos. Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi est bestia et pseudoprophetæ, et cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. » (*Beda in Apoc.*) Diabolus *deorsum fluens* interpretatur, Græce autem *criminator* dicitur. Satan, *adversarius* sive *prævaricator*. Draco ergo propter nocendi malitiam, serpens propter fallendi astu

tiam, diabolus propter status sui casum, Satan propter obstinationem Domino adversandi nominatur. A « Et ligant eum per annos mille. » Id est, ejus potestatem a seducendis hominibus, qui liberandi fuerant cohibens refrenavit, quam si totam vi vel fraude permitteretur exercere in tam longo tempore plurimos infirmorum deciperet. Mille annos dixit partem, id est, reliquias mille annorum sexti diei in quo natus est Dominus et passus. « Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo. » Consummatos dixit a toto partem. Nam sic solvetur, ut supersint anni tres et menses sex novissimi certaminis. Sed præter hunc tropum recte dicitur finitum tempus. Non enim computandæ sunt tam exiguæ reliquiæ cum septingenti, et quod Deus voluerit anni hora ad Apostolo appellati sunt. B « Et exibit et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog et Magog, et congregabit eos in prælium. » Ad hoc tunc seducet, ut in hoc prælium congreget: nam et antea modis quibus poterat per mala multa et varia seducebat. Exibit enim dictum est in apertam persecutionem, de latebris erumpet odiorum: porro Gog et Magog vel a parte totum significant, vel juxta interpretationem nominum, quæ tectum et de tecto dicuntur, occultos et apertos judicant hostes: et tectum enim ipsi sunt, quia in eis nunc cluditur et tegitur inimicus: et de tecto ipsi erunt quando in apertum odium erupturi sunt. « Et ascenderunt super latitudinem terræ et circuierunt castra sanctorum et civitatem dilectam. » Non utique ad unum locum venisse vel venturi esse significati sunt, quasi uno C aliquo loco coartanda sit dilecta civitas, id est, Ecclesia, quin potius nomine latitudinis terræ in omnibus tunc gentibus persequendam, et nec militiam suam deserturam vocabulo maluit intimare castrorum. « Et descendit a Deo ignis de cœlo, et devoravit eos. » Non extremum putandum est, id esse supplicium, sed ignis potius invidentiæ, quo cruciabitur adversitas de firmitate sanctorum, firmamentum est enim cœlum, hic est ignis qui exiit ex ore testium Dei, et devorabit inimicos eorum: nam novissimo die non super eos pluet ignem, sed congregatos ante se et judicatos mittet in ignem æternum, de quo et hic subditur: « Et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi est bestia et pseudopropheta, » id est, D diabolus ultimo judicio in ignem mittetur æternum, ubi et omnes quos præmisit, id est, maxima pars impiæ civitatis, bestia quippe pro locis accipienda est, nunc diabolus, nunc antichristus, nunc ipsa civitas impia, potest autem ignis nomine de cœlo descendentis etiam repentinus impiorum interitus designari.

« Tu ergo, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus. « Dic omni volucri et diversis avibus cunctisque « bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, « victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnes et bibatis sanguinem. Carnes fortium « comedetis, et sanguinem principum terræ bibetis, « arietum, agnorum et hircorum taurorumque altilium et pinguium omnium. Et comedetis adipem « in saturitatem, et bibetis sanguinem in ebrietatem « de victima, quam ego immolabo vobis. Et saturabimini super mensam meam, de equo et de equite « forti, et de universis viris bellatoribus, ait Dominus « Deus. Et ponam gloriam meam in gentibus, et videbunt omnes gentes judicium meum, quod fecerim, et manum meam, quam posuerim super eos. « Et scient domus Israel, quia ego Dominus Deus eorum a die illa et deinceps, et scient gentes quoniam « in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod « dereliquerunt me, et absconderim faciem meam ab « illis, et tradiderim eos in manu hostium, et ceciderint in gladio universi. Juxta immunditiam eorum et scelus feci eis, et abscondi faciem meam ab « illis. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Nunc reducam captivitatem Jacob, et miserebor omni domui Israel. Et assumam zelum pro nomine sancto « meo, et portabunt confusionem suam et omnem « prævaricationem, quam prævaricati sunt in me, « cum habitaverint in terra sua confidenter neminem « formidantes, et reduxero eos de populis, et congregavero de terris inimicorum suorum, et sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum. « Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eo quod « transtulerim eos in nationes, et congregavero eos « super terram suam, et non dereliquerim quemquam « ex eis ibi. Et non abscondam ultra faciem meam « ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super « omnem domum Israel, ait Dominus Deus. » (*Hieron.*) Omnia autem usque ad eum locum in quo succedit templi ædificatio, hi quos supra diximus Judæos et nostros judaizantes ad ultimum tempus referunt, quod carnibus Gog cunctique ejus exercitus, quasi pinguissimis hostiis volucres bestiæque saturandæ sint, et restituatur Israel in pristinum statum, et nequaquam ultra a gentibus expugnetur, sed effundat spiritum suum super eos Deus, ut habitent in terra sua, non omnes gentes, sed proprie domus Israel. Nos autem cœptam tropologiam sequentes, hoc dicemus, quod omnes volucres et universas bestias convocet Dominus, ut tradat eis hæreticorum principes, quasi pinguissimas hostias devorandos. Volucres autem et bestiæ vel propter celeritatem in omnia discurrendi vel propter feritatem et crudelitatem appellantur, quibus traduntur adversarii in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, et discant non blasphemare. Comedent autem grandem et pinguissimam victimam, non alibi, sed super montes Israel, quos prophetas et apostolos et sanctos viros intelligere debemus. In illis enim contrariorum dogmatum magistri corruunt, et ab ipsis pereunt vulnerati. Super quos ædificatur Ecclesia, et ut verius dicam, super montium montem. De quo Isaias loquitur et Michæas: « Venite, ascendamus in montem Domini et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis viam suam (*Isa.* II, *Mich.* IV). » Istæ autem aves et

istæ bestiæ celeres atque crudeles comedent carnes et bibent sanguinem, quæ regnum Dei possidere non possunt. « Carnes fortium » sive gigantum, qui contra Dei scientiam rebellabant, et sanguinem principum, non cœli, sed terræ bibent, qui cuncta terrena sapuerunt. « Sanguinem arietum, agnorum et hircorum, » sive, juxta Septuaginta, arietum, vitulorum et hircorum, ut tria significent animantia, quæ in Dei victimis immolantur. Imitantur enim et hæretici ecclesiasticam mansuetudinem, sed oblatio eorum non in Dei cultum, sed in dæmonum cibum proficit, quæ est pinguissima hostia eorum, et quasi adipe saturantur, et bibunt sanguinem deceptorum usque in ebrietatem. Hanc autem victimam Deus immolat per ecclesiasticos viros, ut multitudine deceptorum saturentur convivæ pessimi, et bibant usque ad vomitum et ebrietatem. Quando videris sanctos viros et Scripturis divinis eruditos truncare equos hæreticorum et ascensores, de quibus scriptum est : « Equum et ascensorem projecit in mare (*Exod.* xv) ; » et omnes rebelles et gigantes suo mucrone concidere, et cunctorum bellatorum falsi nominis scientiæ sanguinem fundere, tunc scito mensam Domini præparatam, ut ponat gloriam suam in cunctis gentibus, quæ illius credunt nomini : et intelligant ecclesiæ sanctorum judicium illius, quod fecerit super adversarios, et manum fortem, qua eos percusserit, et sciant domus Israel atque cognoscant, quod sit Dominus Deus eorum, qui locutus est : « Ego sum Dominus Deus vester, » a die victoriæ Domini et usque in perpetuum, et recogitent idcirco captam esse quondam ab hæreticis domum Israel, et in toto perversorum dogmatum orbe dispersam, quod reliquerint eum, qui parumper abscondit sive avertit faciem suam ab eis, et tradidit eos in manu hæreticorum et ceciderunt illorum mucrone confossi propter immunditias et iniquitates suas : quæ causa extitit ut absconderet et averteret faciem suam ab eis. Expositis autem rationibus secundum illud, quod scriptum est : « Oportet et hæreses esse, ut probati quique manifesti fiant (*I Cor.* xi), » captivitatis Israel, videlicet Ecclesiæ, in qua habitant cernentes Deum. Nunc pollicetur, quod reducat in ecclesiam captivi- A tatem Jacob, qui judaicum populum supplantarat, et postea hæreticorum fraudibus supplantatus est, et misereatur omni domui Israel, non juxta carnem, sed juxta spiritum. « Et assumam, inquit, zelum meum pro nomine sancto meo, quo blasphematur in gentibus, » propter hæreticos, ut postquam eos liberaverim, erubescant et confundantur quare fide ecclesiastica derelicta prævaricati sint in me. Confundantur autem et erubescant valde velociter, cum habitaverint in terra sua, terra mitium, terraque sanctorum, « Et habitaverint confidenter sive in pace, » nequaquam hæreticorum insidias formidantes. Tunc reducentur de populis et congregabuntur de terris inimicorum suorum in terram suam. Et sanctificabitur Dominus in eis conspectu gentium plurimo- B rum, quæ et ipsæ crediturae sunt Domino : finisque sit beatitudinis scire atque cognoscere quod ipse sit Dominus Deus eorum, eo quod apparuerit eis in gentibus, sive transtulerit eos de nationibus, et congregaverit super terram suam, terram Judæam, terram confessionis, terram mitium, terramque viventium, et ne unum quidem reliquerit hæreticæ pravitati ; et ultra non abscondat faciem suam ab eis, nec aversetur illos, eo quod effuderit spiritum gratiæ suæ : de quo et Joel propheta loquitur : « In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem (*Joel.* ii), » effuderit autem super domum Israel. Sin autem pro spiritu juxta Septuaginta furorem legerimus, qui in Hebraico non habetur, sic sentiendum est, quod ultra non abscondat faciem C suam ab eis, in quos furorem suum ante effuderat. Huc usque in Ezechiel prophetam Deo, ut optamus et credimus, auxiliante et aperiente os nostrum, locuti sumus, non aliorum si qui scripserunt, vel deinceps si scripturi sunt, sententiam destruentes, sed asserentes qualiacunque sunt nostra. In ædificatione autem templi et ordine sacerdotum terræque sanctæ divisione, et flumine egrediente de templo, et arboribus ex utraque ripa semper virentibus, et per singulos menses asserentibus fructum, et reliquis quæ usque ad finem prophetico volumine continentur, aperte imperitiam confitemur, melius arbitrantes interim nihil quam parum dicere.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

PROŒMIUM.

AD REGEM FRANCIÆ.

Præteriti libri finem dictis beati Hieronymi refugientis mysticam explanationem ultimæ visionis prophetæ Ezechielis terminavimus : cujus sensum in responsione ad Eustochium virginem sequentes in principio præsentis libri tibi, Imperator nobilissime, respondendum censemus, qui ultra vires nostras cogis, hos memoratam visionem usque in finem morali sensu exponere. Ego enim tibi jam hæc mihi suggerenti respondi, quod propter imperitiam men- D tis, et infirmitatem corporis non auderem tantum opus aggredi, quod doctores sapientissimi trepidabant saltem attingere, quin minus totum pleniter explanare : sed tu hanc responsionem meam repulisti, et instantius flagitasti, ut quod hortatus es inciperem, et quoquo modo possem, usque ad finem illud perducere studerem. Obsequar igitur voluntati tuæ, et sicut in prioribus feci, sanctorum doctorum vestigia sequens, ea quæ exposita reperi sub brevitate et succincte ponam. Quæ autem mihi divina gratia ad idem opus explendum

insuper inspiraverit, simul inserere curabo, ut lector et majorum dicta cognoscens, et nostra relegens, quæ sibi salubria et utilia inde esse censuerit, sequatur.

CAPUT XL.

De ædificatione civitatis, et viro qui stabat in porta et mensurabat murum exteriorem cum calamis suis : de locis deputatis ad custodiam templi et altaris, de mensa atrii et altaris holocaustorum, de mensura vestibuli templi.

« In vicesimo et quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quarto decimo anno postquam percussa est civitas, ipsa hac die facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc. » (*Gregor. in Comment., hic et deinceps.*) Dicturus mystica, narrationem historicam præmittit, ut figat ex tempore quod credatur in revelatione. Notandum vero quod in exordio libri hujus quo anno prophetare cœpit, indicavit. In fine vero inseruit quo extremam visionem vidit : ita ut cognosci valeat in quot annis prophetiæ suæ dixerit librum. Tempus namque quo prophetare cœpit in locutionis suæ initio posuit, dicens : « Aperti sunt cœli, et vidi visiones Domini in quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Joachim. » Nunc vero loquitur, dicens : « In vicesimo et quinto anno transmigrationis nostræ. » Idem namque propheta in captivitate prima cum Joachim rege fuerat in Babylonia transductus : nam de secunda Jerosolymorum captivitate subjungit, « quarto decimo anno postquam percussa est civitas. » Undecim quippe annis Sedecias post captivitatem primam, in qua propheta Ezechiel cum Joachim rege ductus est, in Jerosolymorum urbe regnaverat. Post captivitatem vero ejusdem Sedeciæ, quæ jam secunda erat urbis captivitas, quarto decimo anno propheta visionem ultimam videbat. Undecim itaque et quatuordecim simul juncti faciunt viginti et quinque. Si igitur visionem primam quinto captivitatis prioris anno locutus est, atque hanc ultimam vigesimo et quinto anno factam fuisse describit, profecto patet quod in viginti annis locutionis suæ moras usque ad ultimæ visionis verba tetenderit. Nec movere quempiam debet quod in medio prophetiæ suæ volumine, cum de Babylonico rege loqueretur, vicesimi ac septimi anni memoriam facit : quo in loco cum nihil de tempore suæ captivitatis interserit, aperte demonstrat quia ejus regis tempora describit, de quo prophetare cœperat. (*Hieron.*) Quod si juxta Theodotionem qui in eo loco ubi nos posuimus in exordio anni interpretatus est, in nono anno, decima mensis. Nonus autem annus apud Hebræos vocatur mensis septimus, qui apud eos vocabulum habet *theri*, ut Kalendis mensis septimi sit tubarum clangor, et decima die ejusdem mensis dies jejunii et placationis. Quinta decima vero quando totus lunæ orbis expletur dies scenopegiarum datur intelligi, quod decima die placationis Dominicæ monstratum fuerat Ezechieli ædificium civitatis, et quomodo restitutionem populi, imo vivifi-

A cationem in ossibus campi sub resurrectionis imagine demonstravit : sic nunc instaurationem urbis quæ Babylonio fuerat ante annos quatuordecim igne delata, sub descriptione ejus Dominus pollicetur, ut sicut captivitatem et eversionem ollæ succensæ a facie aquilonis monstraverat typus, et prophetiæ veritas opere comprobata est : ita ex præteritorum fide futuræ ædificationis veritas vaticinio probaretur. Nec hoc de illo tempore dicitur quod quidam imperiti Judæorum volunt, quando sub Zorobabel et sub Jesu filio Josedech sacerdote magno templum exstructum est, prophetantibus Aggæo et Zacharia. Hoc enim templum quod nunc describitur, et ordo sacerdotii terræque divisio, et fertilitas, multo augustius est quam fuit quod Salomon exstruxerat.

B Illud autem quod ædificatum est sub Zorobabel in tantum parvum erat, et prioris comparatione nihili, ut qui prius templum viderant, et postea hoc aspiciebant, ejularent doloremque suum lacrymis testarentur : et multo major esset clamor ululantium quam clangor tubarum, lege Esdræ librum. Porro quod additur quarto decimo anno postquam percussa sive capta est civitas, juxta mysticos intellectus quatuordecim significat generationes, quibus completis a David usque ad nativitatem Christi, urbis restitutio promittitur ab eo de quo scriptum est : « Ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem populi mei reducet (*Isa.* XLV, 13). » Et iterum : « Venit ut prædicaret captivis remissionem, et cæ-

C cis visum, dicens his qui erant in vinculis, Exite, et qui erant in tenebris, Revelamini (*Isa.* LXI). » (*Greg.*) Quid est enim quod per hanc visionem ultimam omnipotens Deus ea ipsa die dignatus est promissionis suæ misericordiam facere, qua die in percussa civitate iram justitiæ implevit; nisi quod illa divinitatis vis, quæ in diversitate, motu et mutabilitate non dicitur, diversa ea ipsa luce justitiæ afflictos ac pœnitentes vivificat, quæ superbientes ac rigidos percutit? Præmisso itaque visionis suæ tempore subjungit : « Facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc. In visionibus Domini adduxit me in terram Israel. » Quod dixerat, « Adduxit me illuc, » hoc replicans subdit : « Adduxit me in terram Israel. » Ait autem : « Facta est super me manus Domini, et

D adduxit me illuc in visionibus Domini. » Manus etenim virtutem potestatis, visiones vero ipsam quam acceperat revelationem significant. Manus quippe in visione est, virtus in contemplatione, quibus verbis quid aperte indicat, nisi quia nihil de civitate quam viderat juxta litteram dicat? Nam spiritaliter de ea loquitur, quam spiritaliter contemplatur. « Et dimisit me super montem excelsum nimis. » Quem ergo significat mons excelsus nimis, nisi mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum (*I Tim.* II), qui de terra quidem, sed ultra terram est? quia caro ejusdem Redemptoris nostri de imis habet materiam ? sed in summis præeminet ex potestate, quem minus erat ut excelsum dixerit, nisi adjecerit nimis : qui non solum homo, sed ex ejus-

deinde humanitatis conceptione quæ ab eo assumpta est Deus homo non solum homo ultra homines, sed homo etiam super angelos factus. (*Hieron.*) Fit autem super eum manus Domini, ut juxta carnem in Babylone positus, in spiritu ad terram veniret Israel : et nequaquam in visione, sed in visionibus Dei poneretur super montem excelsum nimis, de quo Isaias et Michæas vaticinantur : « Venite, ascendamus in montem Domini et ad domum Dei Jacob (*Isai.* II, *Mich.* IV). » Qui mons excelsus est nimis ad comparationem montium cæterorum, de quibus Propheta testatur, dicens : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi (*Psal.* CXX). »

« Super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum. » (*Greg.*) Notandum quod non dicitur super quem erat ædificium, sed « quasi ædificium , » ut videlicet ostenderetur quod non corporalis, sed spiritalis civitatis ædificio cuncta dicerentur, qui enim non se ædificium, sed quasi ædificium vidisse perhibet. Cor audientium ad spiritalem fabricam mittit, sicut per Psalmistam dicitur : « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas (*Psal.* CXXI). » Quia enim in illa terrenæ pacis visio ex sanctorum civium congregatione construitur, Jerusalem cœlestis ut civitas ædificatur. Quia tamen in hac peregrinationis terra dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, ejus lapides quotidie quadrantur : et ipsa est civitas, scilicet sancta Ecclesia, quæ regnatura in cœlo adhuc laborat in terra, in qua « magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte sancto ejus (*Psal.* XLV). » (*Hieron.*) Et in turribus civitatis isius Deus cognoscitur quando suscipiet eam, de qua et alibi : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Et : « Non potest abscondi civitas super montem posita (*Matth.* V), » quæ loquitur in Isaia : « Ego civitas firma, civitas quæ oppugnatur (*Isa.* XXVI). » Non dixit *quæ expugnatur*, sed oppugnatur : quæ ædificata est super petram, et nulla tempestate concutitur. (*Greg.*) Quæ videlicet civitas habet hic in sanctorum moribus magnum jam ædificium suum. In ædificio quippe lapis lapidem portat, qui lapis super lapidem ponitur, et qui portat alterum portatur ab altero : sic itaque sic in sancta Ecclesia, unusquisque et portat alterum et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium charitatis surgat. Hinc enim Paulus admonet dicens : « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI). » Cujus legis virtutem denuntians, ait : « Plenitudo legis charitas (*Rom.* XIII). » Si enim ego vos portare negligo in moribus vestris, et vos me intolerare contemnitis in moribus meis. Charitatis inter nos ædificium unde surgit, quos vicaria dilectio per patientiam non conjungit. Lapides vero qui in summitate atque extremitate fabricæ ponuntur, ipsi quidem portantur ab aliis, sed alios nequaquam portant. Quia et hi qui in fine Ecclesiæ, id est, in extremitate mundi nascituri sunt, tolerantur quidem a majoribus, ut eorum mores ad bona merita componantur, sed cum eos non sequuntur qui per illos proficiant, nullus super se fidelis fabricæ jam lapides portat. Nunc itaque alii portantur a nobis, nos vero portati sumus ab aliis. Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores simul omnium solus Redemptor noster tolerat, de quo Paulus ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est (*I Cor.* III). » Et notandum quod eamdem civitatem quam Propheta conspexit ad austrum vergentem vidit. Auster enim ventus qui in sancti Spiritus typo poni soleat, si qui in sacro eloquio studiosi sunt recognoscunt. Sicut e contrario per aquilonem sæpe diabolus designatur, quia et ille relaxat in calore et constringit in frigore. Et Veritas dicit : « Postquam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV). » Hæc ergo civitas ad austrum vergere dicitur, ac si aperte diceretur. Quod prior illa civitas synagoga in infidelibus suis ad aquilonem stetit, quæ in frigore perfidiæ duravit. Sancta vero Ecclesia quæ charitatem fidei concepit per calorem ad austrum vergit, et quasi calido vento innititur quæ non in sua fiducia, sed in dono spiritalis gratiæ lætatur.

Et introduxit me illuc. (*Hieron.*) Et subaudiatur manus Dei. Illuc autem, hoc est, quasi ad ædificium civitatis, ut inibi cuncta quæ erant intrinsecus demonstraret. (*Greg.*) Cœlestis civitatis ædificium ille intrat, qui in sancta Ecclesia bonorum vias imitando considerat : intrare quippe est ædificium super electos sanctæ Ecclesiæ qualiter in Domino proficiunt amando considerare. Quisquis ergo in sancta Ecclesia considerare sollicite studet, ut aut in bonorum conjugatorum vitam, aut in arce continentium et omnia quæ sunt hujus mundi derelinquentium, aut etiam in prædicatorum summitate proficiat, jam civitatis in montem positæ ædificium intravit. Nam qui considerare meliorum vitam ut proficiat negligit, adhuc extra fabricam stat : et si honorem quem jam sancta Ecclesia in mundo habet admiratur quasi ædificium foris conspicit et obstupescit : et quia exterioribus solis intentus est, intus ingressus non est.

« Et ecce vir cujus erat species quasi species æris. » Ipse signatur in viro qui figuratur ex monte : vir autem iste metiri ædificium dicitur. Et recte Dominus per virum signatur et montem : quia et ipse omnia intra sanctam Ecclesiam disponit judicando, et ipse eamdem sanctam Ecclesiam portat, et portando ad cœlestia sublevat. Sic in sancto quoque Evangelio isdem Redemptor noster loquitur dicens : « Qui intrat per ostium, pastor est ovium (*Joan.* X). » Et paulo post : « Ego sum ostium. » Atque iterum post pauca subjungit : « Ego sum pastor bonus. » Si igitur ipse pastor et ipse ostium, et intrat pastor per ostium, cur non hoc in loco, et ipse mons et ipse vir intelligitur qui ædificium metitur in monte, ille videlicet vir de quo scriptum est : « Ecce vir,

Oriens nomen ejus (*Zach.* VI). » (*Hieron.*) Habebat autem speciem nequaquam electri, ut in principio hujus voluminis dicitur; neque accinctus erat zona aurea, ut in Joannis Apocalypsi (*Apoc.* I) continetur, sed habebat speciem juxta hebraicum quasi æris. Hæc enim materia cunctis metallis vocalior est, et tinnitu longe resonat. Unde et in Daniel (*Dan.* II) in imagine quæ erat ex auro, argento, ære, ferroque compacta, regnum Alexandri atque Græcorum in æris similitudine demonstratur, ut Græcæ linguæ eloquentia signaretur : Per quam manifestum est adhuc eos indigere doctrina qui templi spiritaliter ædificandi, necdum plena novere mysteria. Cuncti autem novimus metallum æris valde esse durabile atque omnimodo sonorum. (*Greg.*) Quid est ergo quod aspectus mediatoris Dei et hominum speciei comparatur æris, nisi hoc quod aperte novimus, quia unigenitus Filius formam servi accipiens fragilitatem carnis humanæ per resurrectionis suæ gloriam vertit in æternitatem : quia in eo caro facta est jam sine fine durabilis : Nam « surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Quid est autem quod ipsa ejus incarnatio sono metalli comparatur, nisi quod per eamdem assumptionem humanitatis nostræ insonuit omnibus gloria majestatis suæ?

« Et funiculus lineus in manu ejus. » (*Hieron.*) In Septuaginta interpretibus funiculus lineus non habetur, sed « funiculus cæmentariorum. » Funiculus quoque erat lineus sive cæmentariorum in manu ejus, de quo in Zacharia scriptum est (*Zach.* II), quod funiculum habuerit geometricum, ut latitudinem et longitudinem urbis metiretur. Cæmentariorum autem vel angelorum qui Dei imperio ministrabant, vel Moysi et omnium prophetarum atque apostolorum qui ædificant civitatem Dei, et adjutores vel ministri sunt Dominicæ voluntatis. (*Greg.*) Quid aliud cæmentarios quam sanctos doctores accepimus, qui loquendo spiritalia ad cœleste ædificium vivos lapides, id est, electorum animas componunt? Quidquid enim antiqui Patres, quidquid prophetæ, quidquid apostoli, quidquid apostolorum successores locuti sunt, quid aliud fuit quam compositio lapidum, in hac quæ quotidie construitur fabrica sanctorum. In funiculo autem cæmentarii hoc agi solet, ut cognosci æqualitas vel rectitudo surgentis parietis debeat : et si lapis intus est, foras dicitur, si exterius prominet, interius revocatur. Et certe hoc quotidie agit prædicatio doctorum ut unaquæque anima cui regiminis onera suscipere fortasse non expedit, etiamsi foras apparere appetat, interius revocetur : et rursum quæ latere vult, et sui tantummodo curam gerere, si sibi ac multis esse utilis potest, etiam cum latere desiderat, exterius producatur ut appareat : sicque fit ut sanctorum lapidum ordo teneatur, dum sæpe et volens ad honorem venire repellitur, et honorem fugiens in sacri ordinis arce sublevatur. Sed quia sicut per interpretem nostrum didicimus, Hebræorum historia non habet A cæmentariorum, sed funiculus lineus in manu ejus. Hoc quod apud nos certius habetur exponere debemus. Scimus autem quod funiculus lineus subtilior est quam si funiculi fiant aliunde. Et quid in funiculo lineo, nisi subtiliorem prædicationem, id est, spiritalem debemus accipere? Censura etenim legis funiculus fuit, sed lineus non fuit : quia rudem populum non subtili prædicatione coercuit, in quo per pœnitentiam non peccata cogitationis, sed operis resecavit : at postquam per semetipsum Dominus etiam cogitationes hominum prædicando religavit, et perfectum esse peccatum etiam in corde innotuit, funiculum lineum in manu tenuit. Ait enim : « Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis : Qui viderit mulierem ad concupi- B scendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. » Funiculus ergo lineus est prædicatio subtilis, quæ mentem audientis ligat, ne se vel in misera cogitatione dissolvat. Quodque sequitur :

« Et calamus mensuræ in manu ejus. » (*Hieron.*) designat gratiam prophetalem, de qua scriptum est in quadragesimo quarto psalmo : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » (*Greg.*) De sancta Ecclesia per prophetam alium Dominus pollicetur, dicens : « Orietur in ea viror calami et junci (*Isa.* XXXV), » quod in alio loco exposuisse me memini, ut per calamum scriptores, per juncum vero debeant auditores intelligi. Sed quia ad humorem aquæ, et juncus et calamus nasci solent, et ex una eademque aqua utraque proficiunt, et calamus quidem ad scri- C bendum assumitur, cum junco vero scribi non potest. Quid in junco et calamo acciperemus, nisi quod una est doctrina veritatis quæ multos auditores irrigat? sed irrigati, alii ad hoc usque in verbo Dei proficiunt, ut etiam scriptores fiant videlicet tanquam calami, alii vero verbum vitæ audiunt, bonæ spei et rectorum operum veritatem tenent, sed tamen ad scribendum nullatenus possunt. Hi quid in aqua Dei nisi quidam ut ita dicam junci sunt? Qui quidem viri discendo proficiunt, sed litteras exprimere nequaquam valent. Redemptor igitur noster quia verba quæ dixit etiam per doctorum studium scribi largitus est in manu calamum tenuit : qui calamus mensuræ dicitur quia ipsa doctorum studia D sub quadam occulti judicii dispensatione retinentur, ut et aliis legentibus prosint, et aliis legentibus prodesse non possint. Unde sancti apostoli cum magistrum veritatem sibi apertius loquentem requirerent, cur turbis in parabolis loqueretur, audierunt : Quia « vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non (*Luc.* VIII). » Vel certe calamus mensuræ est, quia in ipso sacro ejus eloquio quid nobis conscriptum est, occultas esse dispensationes cognoscimus. Nam per incomprehensibile ejus judicium, et alter intra mensuram electorum mittitur, et alter foras relinquitur; ut nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Habet ergo funiculum, habet in manu calamum mensuræ : Qui enim funiculo locum metitur, alibi funiculum trahit,

aliunde retrahit, et huc ducit, quem aliunde subducit. Sic nimirum sic redemptor noster in collectione hominum facit, dum alios a suis iniquitatibus educit, alios in sua iniquitate derelinquit. In his enim quos colligere dignatus est, occultæ mensuræ funiculum traxit, et ab his quos relinquendos esse judicavit, quid aliud nisi funiculum retraxit? Ut et boni intra mensuram cœlestis fabricæ teneantur, et mali extra fabricam, in quibus bona quæ æstimentur non sunt, quasi sine mensura remaneant. Hunc funiculum et mensuræ calamum in manu sua redemptor noster tenuit, cum Paulum apostolum per apparentem virum Macedonem ammonere dignatus est (*Act.* XVI), ita ut idem Macedo vir diceret, « Transiens adjuva nos. » Et tamen volentes apostolos ad prædicandum ire in Asiam, non permisit spiritus Jesu. Quid est quod sancti Apostoli, et ibi vocantur ire, ubi fortasse pergere non cogitabant, et illuc ubi desiderabant pergere prohibentur? nisi quia occulti judicii funiculus, et mensuræ calamus tenetur in manu, ut et alii verba vitæ audiant, et alii nullatenus audire mereantur. Potest etiam calamus mensuræ Scriptura sacra pro eo intelligi quod quisquis hanc legit, in ea semetipsum metitur, vel quantum in spiritale proficit virtute, vel quantum a bonis quæ præcepta sunt longe disjunctus remansit, quantum jam assurgat ad bona facienda, quantum adhuc in pravis actibus prostratus jaceat. Sequitur :

« Stabat autem in porta. » (*Hieron.*) Stabat in porta, quia per ipsum ad patrem ingredimur, et sine ipso civitatem Dei intrare non possimus : ut dignos suscipiat, indignos abjiciat. In porta quoque judicium est; unde et Propheta dicit : « Oderunt arguentes in porta (*Psal.* XXIX); » et in alio loco : « Non confundentur cum loquentur inimicis suis in porta. » Hic vir locutus est ad prophetam, in cujus manu erat funiculus, et cujus erat species quasi æris, et qui calamum tenebat manu locutus ad Ezechielem verus architectus quem imitabatur et Paulus apostolus dicens : « Quasi sapiens architectus fundamentum posui (*I Cor.* III), » sapientem autem vocat architectum, ad distinctionem illius qui stultus est. Et in Zacharia (*Zach.* XI) pastor insipiens appellatur. (*Greg.*) Quisquis in porta stat, ex quadam parte intus est, ex quadam foris quia aliud ejus foris aspicitur, aliud vero intus absconditur. Redemptor itaque noster incarnatus pro nobis misericorditer ante humanos oculos quasi in porta stetit, qui et per humanitatem visibilis apparuit, et sese invisibilem in divinitate servavit. Hinc enim Judæi qui hunc ex Prophetarum promissione sustinuerant, perfidiæ suæ confusione turbati sunt per eum; quem ad ereptionem suam venire crediderant mortalem videbant. Qui igitur in porta stat, sicut superius dictum est, ex quadam parte foris, ex quadam vero parte intus videtur. Unde nec ipsa Judæorum perfidia sive divinæ virtutis est ostensione derelicta. Nam miracula ejus videntes trahebantur, ut crede-

A rent, sed rursum passionem illius perpendentes dedignabantur Deum credere, quem mortalem videbant : unde factum est ut de ejus cognitione dubitarent. Videbant enim esurientem, sitientem, comedentem, bibentem, lassescentem, dormientem, et purum hunc hominem esse æstimabant. Videbant mortuos suscitantem, leprosos mundantem, cæcos illuminantem, dæmonia ejicientem, et esse hunc ultra homines sentiebant : sed ipsa ejus miracula in eorum corde cogitata humanitas perturbabat, unde sancta Ecclesia sub sponsæ voce hunc aperte jam videre desiderans ait : « En ipse stat post parietem nostrum (*Cant.* II). » Qui enim humanis oculis hoc quod de mortali natura assumpsit ostendit, et in seipso invisibilis permansit, in aperto se videre quærenti quasi post parietem stetit : quia videndum se

B manifestata majestate non præbuit, quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam quam assumpsit ostendit, et divinitatis naturam humanis oculis occultavit. Sed quia vir iste in porta stare dicitur, quærendum nobis est utrum facie interius, et tergo exterius stetit. Stat ergo interius, et facie exterius stetit. Qua in re si ea quæ sunt præmissa et subjuncta conspicimus citius qualiter steterit invenimus. Prius enim dicitur, « Erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum, et introduxit me illuc, » et paulo post de eodem viro subditur, « Stabat autem in porta, » statimque subjungitur : « Et locutus est ad me idem vir. » (*Greg.*) Qui enim introducto prophetæ in ædificium, stans in porta locutus

C est, profecto constat quia facie interius et tergo exterius stetit. Sed introductus Propheta cum vir stans in porta locutus est, procul dubio faciem ad portam tenebat, unde verba loquentis audiebat. Quid est ergo quod vir interius aspicit, Propheta foris? Quid est quod ejus viri facies ad ædificium, prophetæ vero oculi sunt ad portam; nisi quod unigenitus Patris idcirco incarnatus est, ut nos ad spiritale ædificium, id est, ad sanctæ Ecclesiæ fidem introduceret? Cujus oculis ædificium suum semper aspiciunt, qui quantum quisque in virtutibus proficiat, indesinenter attendunt. Propheta vero a porta ad portam respicit, quia qui verba Dei audit, semper oculos cordis ponere ad exitum debet, et sine cessatione meditari, quando a præsenti vita exeat,

D atque ad æterna gaudia pertingat. Propter hoc quippe incarnatus est Deus, ut nos introduceret ad fidem, et educeret ad speciem visionis suæ. Unde in sancto quoque Evangelio loquitur, dicens : « Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet (*Joan.* X). » Ingredietur videlicet ad fidem, egredietur ad speciem, pascua vero inveniet in æterna satietate. Hinc etiam Psalmista ait : « Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum (*Psal.* CXX). » Custodit enim Dominus uniuscujusque animæ introitum quo intrat ad fidem, exitum quoque quo exiit ad speciem, ut neque intrans ecclesiam erroribus supplantaretur, neque adhuc temporalia ad æternam exiens ab antiquo

hoste rapiatur. Vir itaque qui apparuit in porta stetit, atque ita locutus est: quia mediator Dei et hominum Christus Jesus in ipso quoque passionis suæ tempore, præcepta vitæ discipulis dedit: ut hi qui in eum credunt, ad portam semper aspiciant, et passionem ejus sollicita consideratione pensantes, a suo quoque exitu cordis oculos non avertant. Nos quoque cum jam claustra carnis despicere mortalitatis nostræ angustias per mortalitatis desiderium transire, in supernæ lucis libertatem tendere, ad cœlestis patriæ gaudia anhelare cœperimus, ad portam oculos tenemus: quia dum a sacramentis temporalibus transire ad æterna cupimus, quasi jam præsenti vitæ terga dedimus, et cordis faciem in desiderio exitus nostri habemus.

« Fili hominis, vide oculis tuis et auribus tuis « audi. » Ad testimonium spiritalium rerum deducto, quid est quod dicitur vide oculis, et additur tuis? et cum subditur: audi auribus, adjungitur tuis? Sed sciendum quod oculi atque aures corporis adsunt etiam carnalibus, eisque sunt in usu rerum quæ corporaliter videntur. Oculi vero atque aures cordis solummodo spiritalium sunt, qui invisibilia per intellectum vident; et laudem Dei sine sono audiunt. Has omnipotens Dominus aures quærebat cum diceret: « Qui habet aures audiendi audiat (*Luc.* VIII). » Cur propheta quotiens ad videnda spiritalia ducitur, « filius hominis » appellatur, nisi quia in hac appellatione memorata semper quod est ex infirmitate, ne extollatur de contemplationis magnitudine. Et notandum quia diversa sunt ut dicatur oculis tuis vide, auribus tuis audi, et tamen filius hominis vocetur. Sed per hæc verba quid ei aliud aperte dicitur nisi spiritalia spiritaliter aspice? Et tamen carnalis infirmitatis tuæ memorare. Hinc est etiam quod plerumque, qui plus in contemplatione rapitur, contingit ut amplius in tentatione fatigetur. Sicut quibusdam sæpe contingere bene proficientibus solet, quorum mentem dum aut compunctio afficit, aut contemplatio super semetipsum rapit, statim etiam tentatio sequitur, ne de his ad quæ rapta est extollatur. Nam compunctione vel contemplatione ad Deum erigitur, sed tentationis suæ pondere reverberatus ad semetipsum; quatenus tentatio aggravet, ne contemplatio inflet, et item contemplatio elevet, ne tentatio demergat. « Vide, inquit, oculis tuis et auribus tuis audi. » (*Hieron.*) Non oculis carnis, sed spiritus: nec auribus corporis, sed animæ. « Levate, inquit, oculos vestros, et videte quia messes jam albæ sunt ad metendum (*Joan.* IV). » Et: « Qui habet aures audiendi audiat (*Luc.* VIII). » Videtur autem ædificatio civitatis, et auditur ordo cæremoniarum, et sacerdotum terræque descriptio. Nec sufficit præcepisse ut cerneret oculis, et audiret auribus: sed adjecit, « et pone cor tuum in omnia; » sive, « et pone in corde tuo omnia quæ ego ostendam tibi. » Nihil enim prodest vidisse et audisse, nisi ea quæ videris et audieris in memoriæ reposueris thesauro. Quando autem dicit: « Omnia quæ ego ostendam tibi, » intentum facit auditorem. Facit et cordis oculis præparatum, ut memoriter teneat quæ sibi ostendenda sunt, quia ut omnia ostendantur tibi, adductus es huc. Quo dicto ostendit specialiter nihil theoria et scientia dulcius quam propheta desiderat, dicens: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ: ut videam voluptatem Domini, ut visitem templum ejus (*Psal.* XXVI). » Unde jungit et loquitur: « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* XXV). » Annuntia, inquit, omnia, quæ tu vides, domui Israel, ut qui per se videre non possunt, per te discant quæ tibi a Domino demonstrantur. Domui autem Israel, his qui mente conspiciunt Deum, de quibus erat et Nathanael, qui Christum studiosissime requirebat, et meruit audire: « Ecce verus Israelita in quo dolus non est (*Joan.* I). » Videt quippe ut annuntiet qui in eo quod ipse profecerit, etiam prædicando de profecto proximi curam gerit. Unde et alibi scriptum est, « Qui audit, dicat veni. » Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est, ut proximo prædicationis officium erumpat in voce, et idcirco alium vocet, qui jam ipse vocatus est.

« Et ecce murus forinsecus in circuitu domus un« dique. » (*Greg.*) Plerumque in sacro eloquio ex protectionis suæ munimine murus dici ipse incarnatus Dominus solet, sicut de sancta Ecclesia per Prophetam dicitur. Ponetur in ea murus et antemurale. Ipse enim nobis murus est, qui nos undique custodiendo circumdat. Antemurale autem muri nostri prophetæ omnes fuerunt, quia priusquam Dominus appareret in carne, ad construendam fidem prophetando missi sunt. Et notandum quod iste murus spiritalis ædificii esse forinsecus dicitur. Murus quippe qui ad munitionem ædificii construitur, non interius, sed exterius poni solet. Quid ergo necessarium fuit ut diceretur *forinsecus;* dum nunquam poni murus intrinsecus soleat; qui necesse est ut exterius positus ea quæ intus sunt defendat. Sed in hoc verbo quid aperte nisi Dominica incarnatio demonstratur? Murus enim nobis intus est Deus: murus vero foris est, Deus homo. Unde ei per quemdam prophetam dicitur: « Existi in salutem populi tui, ut salvos facias christos tuos (*Habac.* III). » Iste etenim murus incarnatus videlicet Dominus murus nobis non esset, etsi forinsecus non fuisset, quia intus nos non protegeret; si exterius non appareret. Sed neque hoc negligenter prætereundum est, quod idem murus positus dicitur, in circuitu domus undique. Domus quippe Dei non solum sancti angeli, de quibus Psalmista ait: « Domine, dilexi decorem domus tuæ (*Psal.* XXV), » et locum tabernaculi gloriæ tuæ, sed etiam nos sumus, quorum mentes inhabitare dignatur. Et murus undique in circuitu domus est, quia unigenitus Patris qui sursum est, firmitas angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum. Illis fortitudo ne cadant, nobis ad-

jutorium ut surgamus post casum. Si vero per domum Dei hoc loco sola redemptorum hominum multitudo signatur, undique nobis Dominus et per circuitum murus est : qui ut nos perfecte custodiret, omnia quæ docuit ostendit. Sicut scriptum est : « Quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I). » Quia enim vocare nos ad cœlestem patriam venit, nimirum nos despicere bona transitoria docuit, et mala temporalia non timere. Unde et opprobria despexit, injurias pertulit, mortem non timuit, crucis patibulum non refugit. Et cum hunc voluissent rapere, et regem constituere, statim fugit; quid nobis aliud his exemplis innuens, nisi ut debeamus hujus mundi et adversa non metuere, et prospera vitare? Quia plus plerumque ejus bona occupant animum, quam mala perturbant. Ante passionem vero suam contumelias audivit, nec tamen contumelias reddidit, traditorem suum diu tacitus pertulit, et ficte salutanti dare osculum non recusavit. Suscepit mortem, ne mori timeremus. Ostendit resurrectionem, ut nos resurgere posse crederemus. Post passionem quoque suam de his qui se crucifixerant ad fidei gratiam vocavit, donum pro iniquitate reddidit. Qui ergo nos exemplo suo de omnibus instruxit, murus nobis per circuitum et undique factus est. Sequitur :

« Et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum et palmo. » (*Hieron.*) Calamus autem mensuræ qui habebat sex cubita et palmum, illud significat notam esse Deo conversationem nostram, quæ in sex diebus, in quibus mundus factus est continetur, et notam esse et [ei] rationem operum singulorum, ut aliud ad opera pertineat, aliud ad mentem. Unde et latitudo æqua est altitudini, quorum latitudo ad opera ut diximus, altitudo refertur ad animum, qui ad alta festinat. Illud autem semel monuisse sufficiat, nosse me cubitum et cubita neutrali appellari genere. Sed pro simplicitate et facilitate intelligentiæ vulgique consuetudine ponere et genere masculino : non enim curæ nobis est vitare sermonum vitia, sed Scripturæ sanctæ obscuritatem quibuscunque verbis edisserere. (*Greg.*) Quia per calamum Scriptura sacra signatur, præterita lectione jam diximus, quia calamus mensuræ esse dicitur, quia in ipsam omnem vitæ nostræ actionem metimur : ut scilicet videamus vel quantum proficimus, vel quantum longe a profectu distamus. Nam sæpe aliquid agentes jam cujusdam meriti esse nos credimus : sed cum ad verba Dei recurrentes, præcepta sublimia audimus, ibi cognoscimus quantum a profectione minus habeamus. Calamus ergo mensuræ est qui per manus scribentium vita mensuratur auditorum. Qui calamus in manu viri esse dicitur, sive quia sacrum eloquium in potestate est mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu. Seu certe quia hoc quod scribi voluit operando complevit. Idem vero calamus sex cubitorum esse describitur. Duæ etenim vitæ sunt, in quibus nos omnipotens Deus per sacrum eloquium erudit : activa videlicet et contemplativa. Et per sex cubitos quid aliud quam activa exprimitur? quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Palmus vero qui super sex cubitos esse dicitur, jam de septimo est, sed tamen cubitus non est. Activa ergo vita signatur per sex cubitos, et contemplativa per palmum, quia illam opere perficimus. De ista vero etiam cum contendimus, vix parum aliquid attingere valemus. Activa enim vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmitatis curam gerere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, et commissi nobis qualiter subsistere valeant, providere. Contemplativa vero vita est, charitatem quidem Dei et proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat, ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere, illis hymnidicis angelorum choris interesse, admisceri cœlestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere. In palmo itaque manus et digiti tenduntur, sed parum quidem quid de mensura cubiti per palmum contingitur, quia quantolibet amore animus ardeat, quantalibet virtute se in Deum et cogitatione tetenderit, non jam quod amat perfecte videt, sed adhuc inchoat videre quod amet : quia sicut fortissimus prædicator dicit : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII). » Et : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*Ibid.*). »

« Et mensus latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno. » (*Greg.*) Omnipotens Deus qui nec in magnis tenditur, nec in minimis angustatur : sic de tota simul Ecclesia loquitur, ac si de una anima loquatur. Et sæpe quod ab eo de una anima dicitur, nil obstat si de tota simul Ecclesia intelligatur. Latitudo itaque ædificii ad charitatem pertinet, de qua Psalmista dicit : « Latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). » Nil enim latius quam omnes in sinu amoris recipere, et nullas odii angustias sustinere. Sic quippe lata est charitas, ut in amplitudine affectionis suæ capere etiam inimicos possit. Unde et præcipitur : « Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui vos oderunt (*Matth.* V). » Considerandum quoque nobis est, quia latitudo in æqualitatem, altitudo vero in sublimitatem tenditur. Latitudo ergo pertinet ad charitatem proximi, altitudo ad intelligentiam contemplatoris. Sed latitudo et altitudo ædificii uno calamo mensuratur, quia videlicet unaquæque anima quantum lata fuerit in amore proximi, tantum et alta erit in cognitione Dei. Dum enim se per amorem juxta dilatat, per cognitionem superius exaltat, et tantum super semetipsam excelsa fit, quantum juxta se in proximi amorem tendit. Quia ædificium quod inhabitat Deus, ex angelica simul et humana

natura perficitur per hoc quod angelica creatura sursum est, et humana adhuc deorsum. Potest per latitudinem atque altitudinem ædificii utraque hæc creatoris signari, quia ista adhuc in imis deget, illa vero in sublimibus permanet : sed uno calamo mensuratur utraque, quia humilitas hominum quandoque ad æqualitatem perducitur angelorum, unde scriptum est : Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cœlo. Et unde per Joannem dicitur : « Mensura hominis, quæ est angeli (*Apoc.* XXI). » Quia usque ad illam altitudinem gloriæ homo perducitur, in qua solidatos se angeli lætantur. Latitudo ergo ædificii tanta est, quanta et altitudo : quia electi quique qui modo in imis laborant, quandoque illis beatissimis spiritibus non erunt inæquales.

« Et venit ad portam quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus ejus, et mensus limen portæ calamo uno latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine. » (*Hieron.*) Ingreditur igitur vir, cui Oriens nomen est, per portam orientalem, ut illuminet eos quos in prima vestibuli fronte repererit, sive in ipso introitu portæ, non per unum, sed per plures gradus, quorum siletur numerus, ut ascensionis appareat difficultas, et quotcunque gradus tibi proposueris, scias minus esse ab eo quod dubium derelinquitur. Istam arbitror portam, de qua et in Psalmis canitur : « Hæc porta Domini ; justi intrabunt per eam (*Psal.* CXVII). » (*Greg.*) Quis vero alius portæ hujus appellatione signatur, nisi ipse Dominus ac Redemptor noster, qui nobis janua factus est regni cœlestis, sicut ipse ait : « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV). » Sed cum eumdem virum lineis indutum figuram Domini tenere diximus, quærendum nobis est, qua ratione conveniat ut idem Dominus per virum designare valeat et portam. Dum vir veniat ad portam numquidnam ipse venit ad semetipsum? in ita est, quia et in Evangelio ipse testatur, dicens : « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro : qui autem intrat per ostium, pastor est ovium (*Joan.* X). » Et paulo post dicitur : « Ego sum ostium. » Atque iterum subjungit : « Ego sum pastor bonus. » Si ergo pastor intrat per ostium, et ipse est ostium, ipse pastor, ipse procul dubio intrat per semetipsum. Ecce dum Ezechiel sensum enodare cupimus, de Evangelio etiam quæstionem legamus. Quærendum itaque nobis est qualiter et ipse intret et per semetipsum intret. Dominus etenim ac Redemptor noster cum sancta Ecclesia, quam redemit secundum carnem, una substantia, Paulo attestante, qui ait : « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore est, quod est Ecclesia (*Coloss.* I). » Illius capitis corpus Ecclesia est, et cujus corporis caput Christus. De quo suo capite exaltavit corpus, id est sancta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit : « Nunc autem exaltavit caput meum super inimicos meos. » Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, jam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in cœlis. Cum ergo electi quique ad vitam perveniunt, quia membra ejus per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se : ipse enim in suis membris est, qui intrat : ipse caput ad quod intrantia membra perveniunt. Quod et Ezechiel propheta multipliciter insinuat, qui virum venisse dicit ad portam, quæ eadem porta sit, ostendit dicens : « Quæ respiciebat ad viam orientalem. » Et ipse enim nobis est via qui dixit : « Ego sum via et veritas (*Joan.* XIV). » Ipse etiam orientalis via de quo scriptum est : « Ecce vir, Oriens nomen ejus (*Zach.* VI). » Porta ergo viam orientalem respicit, quia illum signat, qui nobis iter ad ortum luminis fecit. Potest etiam portæ nomine unusquisque prædicator intelligi quia quisquis nobis januam regni cœlestis ore suo aperit, porta est. Unde et duodecim portæ, vel in Joannis Apocalypsi (*Apoc.* XXI), vel in extrema hujus prophetæ visione describuntur. Potest etiam portæ nomine Scripturæ sacræ scientia non inconvenienter intelligi, quæ dum nobis intellectum aperit, cœlestis regni januam pandit. Possumus portæ nomine et fidem accipere, quam primam contingimus, ut ad virtutum ædificia intremus. « Ascendit, inquit, per gradus ejus. » Quid enim per gradus sunt hujus portæ, nisi merita virtutum? Nisi enim in cognitione mediatoris Dei et hominis Christi Jesu, seu in scientia divini eloquii, seu in ipsa fide quam de illo accepimus, quibusdam gradibus ad altiora incrementa pervenimus. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. Hos nimirum gradus Dominus sub messis nomine describit, dicens (*Marc.* IV) : « Sic est regnum Dei ; quemadmodum si jactet homo semen in terra, et dormiat, et exsurgat nocte ac die, et semen germinet et crescat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. » Semen homo jactat in terra, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit, dormit, quia jam in spe boni operis quiescit. Nocte vero exsurgit ac die qui inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat et crescit dum ille nescit, quia et cum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultra terra fructificat, quia præveniente se gratia mens hominis spontanea ad fructum boni operis surgit. Sed hæc eadem terra primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spicam. Herbam quippe producere est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit. Id cum se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest

tempus messis : Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, et messem suam desecat : quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœlestia horrea perducat. Vir ergo vestitus lineis venit ad portam, quia Dominus ac Redemptor noster membris suis intrantibus perducitur ad se, et ascendit per gradus ejus, quia nobis proficientibus eo nobis amplius exaltatur, quo altus et incomprehensibilis esse cognoscitur. In virtutum quippe nostrarum gradibus ipse ascendere dicitur, quia tanto ipse sublimior nobis ostenditur, quanto noster animus a rebus infimis separatur. Et mensus est, inquit, limen portæ calamo uno in latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine. (*Hieron.*) Mensusque est limen portæ, ut scire valeamus omnia patere notitiæ Dei. Quod limen in latitudine unius dicitur calami, et de altitudine siletur ac longitudine : via enim est et introitus per eam, ad interiora pergendum est. (*Greg.*) Cur postquam dictum est limen portæ statim subjungitur limen unum, nisi quia aperte innuit, quod adhuc inferius limen aliud dicatur : porta autem a limine surgit, ut porta sit. Si igitur porta Dominus, quis hujus portæ limen est, nisi illi antiqui patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est, sicut per Paulum dicitur : « Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Notandum vero est in hac Pauli sententia quod dii et cæteri homines sunt vocati, sicut Moysi dicitur : « Ponam te in deum Pharaoni (*Exod.* VII). » Et per Psalmistam dicit Dominus : « Ego dixi : Dii estis (*Psal.* XI). » Et rursum : « Deus stetit in synagoga eorum (*Psal.* LXXXI). » Sed aliud est nuncupative, aliud naturaliter dici Deum. Etsi Moyses in deum Pharaoni est positus, sed deus intra omnia, non deus super omnia dicitur. Qui vero est in utero virginis incarnatus, Deus super omnia vocatur. Itaque limen portæ sunt patres, de quibus ille natus est, qui nobis aditum regni cœlestis aperuit. Limen autem portæ uno calamo mensuratur, qui ipsi antiqui patres qui potuerunt Redemptorem nostrum et prophetando, et bene uniendo prædicare, tanquam sex cubita in perfectione operis et palmum in inchoatione contemplationis habuerunt. Qui enim eorum vitam in unitate fidei, et perfecta operatio et inchoata contemplatio sublimem reddidit, et in uno calamo mensura liminis fuit. Sequitur :

« Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum. » (*Hieron.*) Licet in hoc loco Septuaginta superflue longitudinem, velut in plerisque codicibus continetur, latitudinem dixerint, cubicula autem dixerint thalamum, et πκρασάδες, qui tam in longum quam in altum singulos habeant calamos, sed inter thalamum et thalamum quinque sint cubita, ut interiora cubiculorum plenam habeant mensuram calami, id est, sex cubitorum et palmi unius, dum opera pariter ratioque consentiunt. Ea vero quæ extrinsecus sunt, hoc est inter thalamum et thalamum quinque cubita, necdum enim Christi secreta penetrarunt, nec possunt dicere : « Introduxit me rex in cubiculum suum (*Cant.* I). » Et alibi : « Omnis gloria filiæ regis intrinsecus (*Psal.* XLIV) ; » sed discipulis cum Christo domi commorantibus mysteria ejus audire non possunt, et foras ad se cupiunt Dei exire sermonem : et propterea quinque cubitorum mensura in eis ponitur, ut ad sensus quinque omnia referre doceantur. (*Greg.*) Consideremus quid agi in thalamo soleat, atque exinde hoc quod in sancta Ecclesia agitur, colligamus : in thalamo quippe sponsus et sponsa fœderantur sibique in amore junguntur : quid ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda in quibus anima per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem, pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere ? Mens itaque quæ jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur, vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Unde et in Canticis canticorum dicit : « Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* II). » Mala salus est cordis quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare jam in cœleste desiderium, et sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute : menti autem sponsum suum fortiter amanti, de mora vitæ præsentis una solet esse consolatio ; si per hoc quod ipsa ab ejus visione differtur, aliorum animæ ejus verbo proficiant, et ad cœlestem sponsum amoris facibus inardescant. Pensemus rogo qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat : « Quia mihi vivere Christus est, et mori lucrum (*Philip.* I). » Omnipotenti Deo in quanto se amore conjunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodo, et mori lucrum esse deputabat. Hinc est quod iterum dicit : « Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse multo magis melius. » Sed ecce qui dissolvi desideras, quo amore langueas videmus, qui interim differri te conspicis, fulciri quare floribus non requiris ? Quærit plane ; nam sequitur : « Permanere autem in carne necessarium, propter vos, » et proficientibus discipulis dicit : « Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum nostrum Jesum ? » Hinc est quod idem thalamus uno calamo in longum, et uno calamo in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem exspectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo unusquisque thalamus habet in longitudine, quantum et in latitudine habere potuerit : quia mens cœlesti desiderio succensa quanto amore habuerit ad colligendum proximum, tantam et longanimitatem exhibet ad exspectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis, qui se in profe-

tum proximi dilatat amplitudine charitatis. Potest tiam ipsa longitudo longanimitatem patientiæ, quæ xhibetur proximo, designare. Et quia latitudo chaitatem signat, quæ sinum mentis aperit, et amicos mul atque inimicos in amorem recipit, tanta est ngitudo thalami, quanta latitudo : quia quantum ta mens fuerit per amorem, tantum erit et paens per longanimitatem : nam tantum quisque port proximum, quantum amat. Sequitur :

« Et inter thalamos quinque cubitos. » (*Greg.*) Unum upra thalamum dixerat, et postmodum esse quinuæ cubitos inter thalamos narrat, ea videlicet atione qua multi thalami unum faciunt : sicut ultæ ecclesiæ una ecclesia vocatur. Unde et in oannis Apocalypsi (*Apoc.* XII) septem Ecclesiis scriitur, per quas una catholica designatur. Hi itaue qui in sancta ecclesia, sicut diximus, ferventi more Deum videre sitiunt, eique jam per desierium conjunguntur, thalami vocantur. Sed taıen sunt in ea quidam qui penetrare subtilia on valentes, et quinque adhuc corporis sensibus epressi, tanto minus amant eum qui fecit omnia, uanto amplius in his quæ facta sunt illigantur : t jam quidem exercere in timore Domini et amore roximi tendere student, bona opera corporaliter gere, eleemosynis peccata redimere, sed quia in more intimo ardere ad cœleste desiderium neciunt, quasi adhuc devincti corporis sensibus tenenur. Isti itaque thalamus non sunt, sed tamen inter halamos continentur, qui per eorum ducatum, qui isionem Dei perfecte diligunt, et ipsi ad profectum ıentis ducuntur. Inter thalamos ergo quinque unt cubiti : quia hi qui ab exterioribus quinque ensibus adhuc ad intellectum mysticum non assurunt, dum inter eos sunt qui spiritu amoris ferent, velut manentes inter thalamos in fidei construtione proficiunt, et a mensura cœlestis ædificii disuncti non sunt : nam et paulisper se ab appetitu orporalium sensuum abstrahunt, et dilatato menis spatio imitantur charitatem quam conspiciunt, inc inde ad thalamos extenduntur. Quod ergo on per sex cubitos, sed per quinque descripti sunt, psa adhuc eorum imperfectio designatur : sed taıen per bonum desiderium in mensura spiritalis dificii esse memorantur : quia et voce sanctæ cclesiæ per Psalmistam dicitur : Imperfectum ıeum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes cribuntur (*Psal.* CXXXVIII) ; quia iterum Psalnista dicit : « Benedixit omnes timentes se Domius pusillis cum majoribus. » Hi itaque et imperecti sunt et pusilli : in quantum tamen cognoscere rævalent, et Deum et proximum diligunt, atque deo bona quæ possunt, non negligunt operari. Quia tsi necdum ad spiritalia dona proficiunt, ut vel d perfectam operationem, vel ad succensam conemplationem animum capere prævaleant, non reeilunt : unde fit ut ipsi quoque, etsi minori loco, n sanctæ tamen ecclesiæ ædificatione sint positi, uia etsi ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad

A miraculorum gratiam, si ad contemptum mundi plenius exsequendum, fortasse minores sunt, tamen in timoris et amoris fundamento sunt in quo solidantur, quia etsi igne cœlestis desiderii non ardent, in ipsis exterioribus quæ exercere sufficiunt, vapore charitatis animantur, et inter proximorum præcellentium ædificia continentur. Sequitur :

« Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno. » (*Hieron.*) Limen quoque alterius portæ, sive ut in Septuaginta continetur, secundi vestibuli et tertii ejusdem unius calami mensuræ est. Post quod vestibulum ejus, hoc est limen portæ introitum octo ponuntur cubita, ut interiora vestibuli nequaquam septenarium numerum et sex cubita et palmum unum, sed octonarium numerum

B teneant qui ad resurrectionis et diei Dominicæ pertinent sacramentum. (*Gregor.*) Dum limen quod modo describitur juxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, aperte ostenditur, quia limen quod prius descriptum est, extrinsecus fuit. Sed si porta est Dominus, quod sit limen portæ intrinsecus et extrinsecus requiramus. Per limen etenim portam unusquisque ingreditur. Et quæ sunt duo hæc limina, nisi patres testamenti veteris, et patres testamenti novi ? Non solum quippe hi de quibus Dominus incarnari dignatus est, sed omnes testamenti veteris patres portæ hujus limen fuerunt, quia hi qui eum prædicare, et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei, ut omnis qui crediderit Dominum quasi

C jam portam hujus liminis intraret. Sed cur ante limen exterius, et post limen interius dicitur ? nisi quia prius testamenti veteris patres, postmodum novi testamenti doctores fuerunt. Recte autem limen exterius testamenti veteris patres designat : quia per eorum prædicationem opera perversa punita sunt. Prædicta vero novorum patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus, et in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitatibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt : isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt ? Unde et ipsa Veritas loquitur, dicens : « Au-

D distis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio (*Matth.* V). » Recte quoque exterius limen illos patres designat, qui ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constituerunt. Et quidem ab Abel sanguine passim jam cœpit ecclesia, et una est ecclesia electorum præcedentium atque sequentium, sed tamen quia discipulis dicitur : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt. » Antiquis patribus quasi foris stetisse est Redemptoris nostri præsentiam corporaliter non vidisse. Exterius igitur, sed tamen non divisi a sancta

tempus messis: Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, et messem suam desecat: quia cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per emissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœlestia horrea perducat. Vir ergo vestitus lineis venit ad portam, quia Dominus ac Redemptor noster membris suis intrantibus perducitur ad se, et ascendit per gradus ejus, quia nobis proficientibus eo nobis amplius exaltatur, quo altus et incomprehensibilis esse cognoscitur. In virtutum quippe nostrarum gradibus ipse ascendere dicitur, quia tanto ipse sublimior nobis ostenditur, quanto noster animus a rebus infimis separatur. Et mensus est, inquit, limen portæ calamo uno in latitudinem, id est, limen unum calamo uno in latitudine. (*Hieron.*) Mensusque est limen portæ, ut scire valeamus omnia patere notitiæ Dei. Quod limen in latitudine unius dicitur calami, et de altitudine siletur ac longitudine: via enim est et introitus per eam, ad interiora pergendum est. (*Greg.*) Cur postquam dictum est limen portæ statim subjungitur limen unum, nisi quia aperte innuit, quod adhuc inferius limen aliud dicatur*: porta autem a limine surgit, ut porta sit. Si igitur porta Dominus, quis hujus portæ limen est, nisi illi antiqui patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est, sicut per Paulum dicitur: « Quorum patres ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX). » Notandum vero est in hac Pauli sententia quod dii et cæteri homines sunt vocati, sicut Moysi dicitur: « Ponam te in deum Pharaoni (*Exod.* VII). » Et per Psalmistam dicit Dominus: « Ego dixi: Dii estis (*Psal.* XI). » Et rursum: « Deus stetit in synagoga eorum (*Psal.* LXXXI). » Sed aliud est nuncupative, aliud naturaliter dici Deum. Etsi Moyses in deum Pharaoni est positus, sed deus intra omnia, non deus super omnia dicitur. Qui vero est in utero virginis incarnatus, Deus super omnia vocatur. Itaque limen portæ sunt patres, de quibus ille natus est, qui nobis aditum regni cœlestis aperuit. Limen autem portæ uno calamo mensuratur, qui ipsi antiqui patres qui potuerunt Redemptorem nostrum et prophetando, et bene uniendo prædicare, tanquam sex cubita in perfectione operis et palmum in inchoatione contemplationis habuerunt. Qui enim eorum vitam in unitate fidei, et perfecta operatio et inchoata contemplatio sublimem reddidit, et in uno calamo mensura liminis fuit. Sequitur:

« Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum. » (*Hieron.*) Licet in hoc loco Septuaginta superflue longitudinem, velut in plerisque codicibus continetur, latitudinem dixerint, cubicula autem dixerint thalamum, et παρασάδες, qui tam in longum quam in altum singulos habeant calamos, sed inter thalamum et thalamum quinque sint cubita, ut interiora cubiculorum plenam habeant mensuram calami, id est, sex cubitorum et palmi unius, dum opera pariter ratioque consentiunt. Ea vero quæ extrinsecus sunt, hoc est inter thalamum et thalamum quinque cubita, necdum enim Christi secreta penetrarunt, nec possunt dicere: « Introduxit me rex in cubiculum suum (*Cant.* I). » Et alibi: « Omnis gloria filiæ regis intrinsecus (*Psal.* XLIV); » sed discipulis cum Christo domi commorantibus mysteria ejus audire non possunt, et foras ad se cupiunt Dei exire sermonem: et propterea quinque cubitorum mensura in eis ponitur, ut ad sensus quinque omnia referre doceantur. (*Greg.*) Consideremus quid agi in thalamo soleat, atque exinde hoc quod in sancta Ecclesia agitur, colligamus: in thalamo quippe sponsus et sponsa fœderantur sibique in amore junguntur: quid ergo sunt in sancta Ecclesia thalami, nisi electorum corda in quibus anima per amorem sponso invisibili jungitur, ut ejus desiderio ardeat, nulla jam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem, pœnam deputet, exire festinet et amoris amplexu in cœlestis sponsi visione requiescere? Mens itaque quæ jam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem diligit medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur, vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Unde et in Canticis canticorum dicit: « Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* II). » Mala salus est cordis quæ dolorem hujus vulneris nescit. Cum vero anhelare jam in cœleste desiderium, et sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute: menti autem sponsum suum fortiter amanti, de mora vitæ præsentis una solet esse consolatio; si per hoc quod ipsa ab ejus visione differtur, aliorum animæ ejus verbo proficiant, et ad cœlestem sponsum amoris facibus inardescant. Pensemus rogo qualis thalamus Pauli mens fuerat, qui dicebat: « Quia mihi vivere Christus est, et mori lucrum (*Philip.* I). » Omnipotenti Deo in quanto se amore conjunxerat, qui sibi vitam Christum tantummodo, et mori lucrum esse deputabat. Hinc est quod iterum dicit: « Desiderium habens dissolvi, et cum Christo esse multo magis melius. » Sed ecce qui dissolvi desideras, quo amore languescis videmus, qui interim differri te conspicis, fulciri quare floribus non requiris? Quærit plane; nam sequitur: « Permanere autem in carne necessarium propter vos, » et proficientibus discipulis dicit: « Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum nostrum Jesum? » Hinc est quod idem thalamus uno calamo in longum, et uno calamo in latum dicitur mensus. Longitudo quippe ad longanimitatem exspectationis pertinet, et latitudo ad amplitudinem charitatis. Tantum ergo unusquisque thalamus habet in longitudine, quantum et in latitudine habere potuerit: quia mens cœlesti desiderio succensa quanto amore habuerit ad colligendum proximum, tantam et longanimitatem exhibet ad exspectandum Deum, et patienter portat moras longitudinis, qui se in profe-

:tum proximi dilatat amplitudine charitatis. Potest :tiam ipsa longitudo longanimitatem patientiæ, quæ :xhibetur proximo, designare. Et quia latitudo cha- 'itatem signat, quæ sinum mentis aperit, et amicos .imul atque inimicos in amorem recipit, tanta est ongitudo thalami, quanta latitudo : quia quantum ata mens fuerit per amorem, tantum erit et pa- iens per longanimitatem : nam tantum quisque por- at proximum, quantum amat. Sequitur :

« Et inter thalamos quinque cubitos. » (*Greg.*) Unum .upra thalamum dixerat, et postmodum esse quin- [uæ cubitos inter thalamos narrat, ea videlicet 'atione qua multi thalami unum faciunt : sicut nultæ ecclesiæ una ecclesia vocatur. Unde et in oannis Apocalypsi (*Apoc.* XII) septem Ecclesiis scri- itur, per quas una catholica designatur. Hi ita- |ue qui in sancta ecclesia, sicut diximus, ferventi .more Deum videre sitiunt, eique jam per desi- 'erium conjunguntur, thalami vocantur. Sed ta- nen sunt in ea quidam qui penetrare subtilia ıon valentes, et quinque adhuc corporis sensibus lepressi, tanto minus amant eum qui fecit omnia, [uanto amplius in his quæ facta sunt illigantur : t jam quidem exercere in timore Domini et amore 'roximi tendere student, bona opera corporaliter gere, eleemosynis peccata redimere, sed quia in more intimo ardere ad cœleste desiderium ne- ciunt, quasi adhuc devincti corporis sensibus tenen- ur. Isti itaque thalamus non sunt, sed tamen inter halamos continentur, qui per eorum ducatum, qui isionem Dei perfecte diligunt, et ipsi ad profectum ıentis ducuntur. Inter thalamos ergo quinque unt cubiti : quia hi qui ab exterioribus quinque ensibus adhuc ad intellectum mysticum non assur- unt, dum inter eos sunt qui spiritu amoris fer- ent, velut manentes inter thalamos in fidei constru- tione proficiunt, et a mensura cœlestis ædificii dis- ıncti non sunt : nam et paulisper se ab appetitu orporalium sensuum abstrahunt, et dilatato men- ıs spatio imitantur charitatem quam conspiciunt, inc inde ad thalamos extenduntur. Quod ergo on per sex cubitos, sed per quinque descripti sunt, ›sa adhuc eorum imperfectio designatur : sed ta- ıen per bonum desiderium in mensura spiritalis :dificii esse memorantur : quia et voce sanctæ cclesiæ per Psalmistam dicitur : Imperfectum ıeum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes :ribuntur (*Psal.* CXXXVIII) ; quia iterum Psal- ıista dicit : « Benedixit omnes timentes se Domi- us pusillis cum majoribus. » Hi itaque et imper- :cti sunt et pusilli : in quantum tamen cognoscere rævalent, et Deum et proximum diligunt, atque leo bona quæ possunt, non negligunt operari. Quia tsi necdum ad spiritalia dona proficiunt, ut vel d perfectam operationem, vel ad succensam con- :mplationem animum capere prævaleant, non re- edunt : unde fit ut ipsi quoque, etsi minori loco, ı sanctæ tamen ecclesiæ ædificatione sint positi, uia etsi ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad

A miraculorum gratiam, si ad contemptum mundi plenius exsequendum, fortasse minores sunt, tamen in timoris et amoris fundamento sunt in quo solidantur, quia etsi igne cœlestis desiderii non ardent, in ipsis exterioribus quæ exercere sufficiunt, vapore charitatis animantur, et inter proximorum præcellentium ædificia continentur. Sequitur :

« Et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno. » (*Hieron.*) Limen quoque alterius portæ, sive ut in Septuaginta continetur, secundi vestibuli et tertii ejusdem unius calami mensuræ est. Post quod vestibulum ejus, hoc est limen portæ introitum octo ponuntur cubita, ut interiora vestibuli nequaquam septenarium numerum et sex cubita et palmum unum, sed octonarium numerum

B teneant qui ad resurrectionis et diei Dominicæ pertinent sacramentum. (*Gregor.*) Dum limen quod modo describitur juxta vestibulum portæ intrinsecus esse memoratur, aperte ostenditur, quia limen quod prius descriptum est, extrinsecus fuit. Sed si porta est Dominus, quod sit limen portæ intrinsecus et extrinsecus requiramus. Per limen etenim portam unusquisque ingreditur. Et quæ sunt duo hæc limina, nisi patres testamenti veteris, et patres testamenti novi ? Non solum quippe hi de quibus Dominus incarnari dignatus est, sed omnes testamenti veteris patres portæ hujus limen fuerunt, quia hi qui eum prædicare, et in eo sperare meruerunt, cunctis ad eum venientibus aperuerunt aditum fidei, ut omnis qui crediderit Dominum quasi

C jam portam hujus liminis intraret. Sed cur ante limen exterius, et post limen interius dicitur ? nisi quia prius testamenti veteris patres, postmodum novi testamenti doctores fuerunt. Recte autem limen exterius testamenti veteris patres designat : quia per eorum prædicationem opera perversa punita sunt. Prædicta vero novorum patrum uniuscujusque animus etiam ab illicitis cogitationibus coercetur, dum reatus esse perfectus, et in deliberatione cordis ostenditur. Illi quippe a flagitiis, a crudelitatibus, a rapinis auditorum animas prohibere curaverunt : isti vero dum non solum perversa opera, sed etiam illicita cogitationum resecant, quid nobis aliud nisi limen intrinsecus facti sunt ? Unde et ipsa Veritas loquitur, dicens : « Au-

D distis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit reus erit judicio. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio (*Matth.* V). » Recte quoque exterius limen illos patres designat, qui ab ipsa incarnatione Redemptoris nostri per intervalla temporum longius constituerunt. Et quidem ab Abel sanguine passim jam cœpit ecclesia, et una est ecclesia electorum præcedentium atque sequentium, sed tamen quia discipulis dicitur : « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt. » Antiquis patribus quasi foris stetisse est Redemptoris nostri præsentiam corporaliter non vidisse. Exterius igitur, sed tamen non divisi a sancta

Ecclesia fuerunt : quia mente, opere, prædicatione, ista jam fidei sacramenta tenuerunt. Istam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem conspexerunt, quam nos non adhuc præstolando, sed jam habendo conspicimus: sicut enim nos in præterita passione Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem ventura salvati sunt : illi ergo foris non extra mysterium, sed extra tempus. Sin vero portam scripturam sacram hoc loco accipimus, ipsa quoque duo limina habet : et exterius et interius, quia in littera dividitur et allegoria. Limen quippe Scripturæ sacræ exterius littera, limen vero ejus interius allegoria : quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine quod est exterius venimus. Et sunt in ea permulta quæ ita juxta litteram mentem ædificant, ut per hoc quod exterius agitur, audientis mens interius trahatur. Ibi quippe invenimus prædicamenta operis, et exempla virtutis. Ibi jubetur quid agere etiam corporaliter debemus. Ibi hoc quod ad operandum præcipitur in sanctorum virorum ac fortium actione monstratur. Ut postquam nos apertiora præcepta atque exempla virtutum ad bonam operationem instruunt, tunc ad limen interius, id est ad intellectum mysticum intimæ contemplationis, tendamus si possumus pedem mentis. Notandum vero quod limen portæ uno calamo mensuratur. Calamus autem in sex cubitis et palmo tenditur. Quia videlicet in Scriptura sacra et doctrina perfectæ operationis, et initium supernæ contemplationis invenitur. Sin vero porta hoc loco unusquisque prædicator accipitur, limen exterius in porta est vita activa, limen vero interius vita contemplativa. Per illam quippe ambulatur in fide : per hanc vero festinatur ad speciem. Illa exterius ducit ut unusquisque bene vivere debeat : ista interius perducit, ut ex bona vita ad gaudia æterna pertingat.

« Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis. Vestibulum autem portæ erat intrinsecus. » (*Greg.*): Vir cujus erat species quasi species æris mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis : ac ne hoc vestibulum extra portam esse crederemus, subditur : « Vestibulum autem portæ erat intrinsecus. » (*Hieron.*) Et in fronte, inquit, ejusdem vestibuli duo erant cubita, quæ vel ad utrumque pertinent instrumentum, vel ad litteram et spiritum, vel ad mysterium forcipis, qua in Isaia (*Isa.* VI) de altari carbo comprehenditur, et defertur ad prophetæ labia purganda. Et ut sciamus quod sit hoc vestibulum quod octo et duobus cubitis terminatur, ponit manifestius : Vestibulum autem portæ erat intrinsecus per quod pervenimus ad templum Dei. (*Greg.*) Quid ergo per interius vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo signatur, quæ modo intra angustias vitæ præsentis jam per spem mente concipitur. De qua per Psalmistam dicitur : « Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum (*Psal.* XCIX). » Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ portam ingredimur : sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudem intramus. Quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia æternæ solemnitatis assumpserit. Propter confessionis nostræ angustiam Veritas dicit : « Intrate per angustam portam. » Et cum se Psalmista recipi in latitudine gaudii æterni præsumeret, dicebat : Statuisti in loco spatioso pedes meos (*Psal.* XXX). Ad atrium ergo per portam tenditur : quia in latitudine solemnitatis pertingitur ab angustia confessionis. Illa itaque gaudia quæ apud David atria, hæc apud Ezechielem vestibulum intrinsecus vocantur. Unde et hoc ipsum vestibulum octo cubitis dicitur mensuratum, ibi enim omnes recipiendi sunt, qui nunc et exercitio operis laborant, et ad æterna gaudia, per contemplationis gratiam suspirant. Nec immerito mensura vestibuli in octo cubitis ponitur, quia septem diebus universum tempus evolvitur. Æterna etenim dies quæ expleta septem dierum vicissitudine sequitur scilicet octava est. Unde etiam Psalmista resurrectionis diem considerans, quia de extremi judicii erat districtione locuturus, præmisit titulum, dicens : « In finem, psalmus David pro octava (*Psal.* XI). » Ut enim quam octavam diceret demonstraret diem illam tremendi terroris in psalmi inchoatione secutus est, dicens : « Domine, ne in ira tua arguas me ; neque in furore tuo corripias me. » Modo enim quisquis per flagella corripitur et correptionibus emendatur, in mansuetudine corripitur non in ira. In districto autem illo examine, omnis argutio atque correptio *furor et ira* est : quia venia post correptionem non est. Hujus octonarii numeri causa est, quod post sabbatum Dominus voluit a morte resurgere. Dies quippe Dominicus qui tertius est a morte Dominica, a conditione dierum numeratur octavus, quia septimum sequitur. Unde et ipsa vera Redemptoris nostri passio, et vera resurrectio figuravit aliquid de suo corpore in diebus passionis suæ : Sexta enim feria passus est, sabbato quievit in sepulcro. Dominico autem die resurrexit a morte. Præsens etenim vita nobis adhuc sexta est feria, quia in doloribus ducitur, et in angustiis cruciatur, sed sabbato, quasi in sepulcro quiescimus, quia requiem animæ post corpus invenimus. Dominico vero die videlicet a passione tertio ; a conditione ut diximus octavo, jam corpore a morte resurgimus, et in gloria animæ etiam cum carne gaudemus. Quod ergo mire Salvator noster fecit in se, hoc veraciter signavit in nobis : ut nos et dolor in sexta, et requies in septima, et gloria excipiat in octava. Hinc per Salomonem dicitur : « Da partes septem, necnon et octo, quia ignoras quid mali futurum sit super terram (*Eccl.* XI). » Partem etenim simul septem et octo damus quando sic ea quæ septem diebus evolvuntur, disponimus, ut per hæc ad bona æterna veniamus : ut dum modo caute agitur, postmodum venientes tremendi judicii ira devitetur. Octo itaque cubitis vestibulum mensuratur in-

trinsecus quia per lucem quæ post septem dies sequitur, latitudo nobis æternitatis aperitur. Sed nemo ad illam venit nisi qui hic dilectionem Dei ac proximi devota mente tenuerit. Unde et subditur : « Et frontem ejus duobus cubitis. » Frons etenim portæ est bonum meritum vitæ præsentis. Sicut enim vestibulum intrinsecus æterna requies debet intelligi, ita per frontem portæ necesse est qualitatem visibilis vitæ signari. Frons ergo portæ duobus cubitis mensuratur : quia quisquis hic dilectionem Dei ac proximi servare studuerit, ipse ad æternitatis atrium pertingit. Vita igitur nostra ut duobus sit cubitis mensurata, tendi quotidie per charitatem debet in amorem Dei simul et proximi. Non est enim charitas vera si minus a duobus cubitis habet.

Porro thalami portæ ad viam orientalem tres hinc et tres inde et mensura una trium. (*Hieron.*) Thalami quoque et cubicula quæ erant ad viam portæ orientalis, pro quibus Septuaginta elau scribunt, tres erant hinc et tres inde, mensuræ unius, id est, calamo uno, qui sex cubita et unum palmum habebat. Uno calamo in longum, et uno calamo in latum, et inter thalamos quinque cubitos. Ne igitur putaremus duos esse tantum calamos, ternos ex utraque porta posuit, ut senarium numerum demonstraret : qui et in hydriis evangelii indicatur, in quibus aquæ in vina mutatæ sunt, et quotidie judaici laticés vertuntur, et vinum quod lætificat cor hominis, ex Christi cruore fit dulcius. (*Greg.*) Quid thalami, quid via orientalis designet, jam superius diximus, nec replicare ea latius necessarium putamus. Sed quærendum nobis est : quid est quod dicitur, « tres hinc et tres inde? » Thalami quippe juxta viam orientalem, sunt corda ferventium in amore Dei. Et sive hi qui electi in testamento veteri fuerunt, sive hi qui in testamento novo secuti sunt. Nimirum constat quia omnes ex amore Trinitatis accensi sunt. Neque enim vere Deum diligerent, si ejusdem Trinitatis quæ Deus est, gratiam non accepissent. Juxta viam ergo orientalem tres hinc, et tres inde sunt thalami : quia dum inter veteres et novos patres Dominus incarnari dignatus est, quasi in medio thalamorum via orientalis apparuit, quia thalami ad veram speciem ex Trinitatis sunt cognitione decorati. Sin vero ad virtutes electorum, eumdem numerum referamus, tres sunt virtutes, sine quibus is qui aliquid operari jam potest, salvari non potest, videlicet, fides, spes, charitas. Et quia eadem spes, fides et caritas in antiquis patribus quæ in novis doctoribus fuit, juxta orientalem viam tres hinc et tres inde thalami describuntur : vel certe quia tres patrum veterum distinctiones fuerunt, tres quoque novorum sub gratia sequuntur. Vetus quippe populus habuit patres ante legem ac deinde in lege, et postmodum prophetas : in novo autem populo prius Hebræorum primitiæ crediderunt, postmodum plenitudo gentium in fide secuta est, ac deinde in fine sæculi Hebræorum reliquiæ salvantur. (*Rom.* XI). Quia ergo incarnatio Domini,

A et ex superiori parte patres ante legem, patres in lege, atque ad extremum prophetas habuit, et ex posteriori fideles ex Hebræis, fideles ex gentibus, ac postmodum Hebræorum omnes reliquias collegit, orientalis via tres hinc et tres inde thalamos habere memoratur. Sed hoc quoque non inconvenienter accepimus, si tres esse ordines fidelium dicamus. Sive namque in veteri, seu in novo testamento. Alius est ordo prædicantium, alius continentium, atque alius honorum conjugum (*Ezech.* XIV). Unde et idem Propheta in superiori parte tres viros liberatos vidit, Noe, David et Job : in quibus videlicet tribus prædicatores, continentes atque conjugati signati sunt. Nam Noe arcam in undis rexit; atque ideo figuram rectorum tenuit. B Daniel et in aula regia abstinentiæ deditus fuit, et idcirco vitam continentium signavit. Job vero in conjugio positus, et curam domus propriæ exercens placuit ; per quem digne bonorum conjugum ordo figuratur. Quia ergo etiam ante mediatoris adventum, et prædicatores, et continentes, ac boni conjugati, fuerunt, qui eumdem ejus adventum præstolarentur, et magna hunc siti desiderii videre cuperent, et postmodum prædicatores, continentes ac bonos conjugatos cernimus existere, qui Redemptorem nostrum non jam desiderant incarnandum, sed in majestatis suæ gloria contemplandum : orientalis via tres hinc et tres inde thalamos habet, juxta Psalmistæ vocem, qui de eadem via, videlicet nostro Redemptore, dicit : « In circuitu ejus tabernacula ejus (*Psal.* XVII). » Sed pensandum nobis C est sollicita intentione quod dicitur, quia mensura una trium. Cum enim longe sit a continentibus et tacentibus excellentia prædicatorum, et valde a conjugatis distet eminentia continentium : quid est, quod una mensura dicitur trium ? Conjugati quippe, quamvis et bene agant, et omnipotentem Deum videre desiderent, domesticis tamen curis occupantur, et necessitate cogente in utroque mentem divident. Continentes autem ab hujusmodi actione remoti sunt, et voluptatem carnis etiam a licito conjugio refringunt, nulla conjugis, nulla filiorum cura, nullis noxiis ac difficilibus rei familiaris cogitationibus implicantur. Prædicatores vero non solum D se a vitiis coercent, sed etiam peccare alios prohibent, ad fidem ducunt, in studio bonæ conversationis instruunt. Quomodo ergo una eorum mensura est, quorum vitæ qualitas una non est, sed mensura una trium est, quia etsi in eis meritorum magna est diversitas, tamen distantia in fide in qua tenduntur, non est. Nam eadem fides quæ istos solidat in maximis, illorum infirmitatem continet in parvis. Vere certe trium una mensura est, quia in retributione ultima, quamvis eadem dignitas omnibus non sit, una tamen erit omnibus vita beatitudinis. Unde et per semetipsum Dominus dicit : In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV) ; sed tamen quia in vinea ducti sunt, quamvis diversis horis venerint, unum denarium perceperunt. Qua itaque ra-

tione conveniant mansiones multæ cum uno denario, nisi quia diversæ quidem beatorum civium dignitates erunt? sed tamen una quies æternæ retributionis : nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum : quia etsi alter minus atque alius amplius exultat, omnes tamen unum gaudium, de conditoris sui visione lætificat. Hoc quoque est sive de veteribus seu novis patribus sentiendum : quia orientalis via cum tres hinc et tres inde thalamos habeat, mensura una trium est, quoniam ipsa fides atque ipsum meritum tenuit corda præcedentium, quæ replevit corda sequentium, sub Testamento Novo positorum sicut et per Paulum dicitur : « Habentes autem eumdem spiritum fidei sicut scriptum est, credidi propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod et loquimur (*II Cor.* IV). » Spiritales quippe illi patres omnipotentem Deum, Trinitatem ita esse crediderunt, sicut eamdem Trinitatem novi patres aperte locuti sunt. Isaias namque audivit angelica agmina in cœlo clamantia : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth (*Isa.* VI). » Ut enim personarum trinitas monstraretur, tertio sanctus dicitur, sed una esse substantia trinitatis appareat non Domini sabaoth, sed Dominus sabaoth esse perhibetur. Quod David quoque similiter sentiens, ait : « Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus (*Psal.* LXVI). » Qui cum tertio dixisset Deum, ut unum hunc esse ostenderet, « et metuant eum omnes fines terræ. » Paulus quoque loquitur, dicens : « Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (*Rom.* XI), » ex ipso, videlicet ex patre; per ipsum, hoc est per filium; in ipso autem, hoc est in Spiritu sancto. Quem ergo ipsum tertium dixisset, adjunxit, ipsi gloria in sæcula sæculorum amen. Qui enim non dicit ipsis, sed ipsi, dicendo ter ipsum, distinxit personas : et subjungendo ipsi gloria, non divisit substantiam. Quia itaque una est veterum ac novorum patrum fides, recte thalamorum describitur mensura una trium, quod verbis aliis replicatur, cum subditur.

« Et mensura una frontium ex utraque parte. » (*Greg.*) Ex utraque etenim parte est mensura frontium ; quia patres nostri vel prius a Veteri vel nunc a Novo Testamento venientes in una mediatoris fide conveniunt, quia pro eo quod charitate pleni sunt, carnem abstinentia domant, corda audientium prædicationis lumine illustrant, signa faciunt, virtutes operantur. Per hoc quod eorum bona nobis foras innotescunt, non immerito hujus cœlestis ædificii frontes vocantur : omne enim quod nunc in aperto ostenditur frons est, ut illud sit vestibulum ædificii quod nobis interius reservatur. Sequitur :

« Et mensus est latitudinem liminis portæ decem « cubitorum, et longitudinem portæ tredecim cubi« torum. » (*Hieron.*) Mensus est quoque latitudinem liminis portæ decem cubitorum qui perfectus est numerus, et vel decalogo contineatur, vel evangeliorum quatuor sacramento qui ab uno incipiens ita ad quatuor pervenit ut denarium impleat numerum, cujus longitudo habebat tredecim cubitos. Potest autem porta liminis, in quo sacratus est numerus veteris et novi instrumenti, vel ipse Dominus intelligi qui dicit : « Ego sum ostium (*Joan.* X). » Vel certe omnes sancti per quos ingredimur ad notitiam Dei, quorum apostolus Paulus loquebatur : « Os meum patet ad vos, o Corinthii, dilatamini et vos (*II Cor.* VI). » Tredecim autem cubiti post octonarium numerum librorum Moysi continent sacramentum, qui et in quinque monstrantur panibus, et in Samaritana Evangelii (*Joan.* IV), quæ arguitur quod quinque habuerit viros et sextum quem putabat habere non habeat. Et tamen et octonarius et quinarius numerus in uno cubito, id est decimo tertio consumatur quæ in Christo recapitulantur omnia, unde dicitur, et cubitus unus finis utrumque dum et Vetus et Novum Testamentum una Christi mensura complectitur. (*Greg.*) Multa superius de portæ significatione jam diximus, sed unum tenere aliquid debemus, et quod possit et cætera lectoris prudentia penetrare : Dictum quippe est, per portam sacram Scripturam posse figurari. Sed hoc nobis modo laboriose discutiendum est, cur latitudo liminis portæ decem cubitis, et longitudo tredecim mensuratur. Hoc autem loco longitudo portæ altitudo dicitur. Sicut nos longæ staturæ dicimus, quem altum videmus. Nam longitudo portæ dici in transversum non potest, cujus latitudo per decem cubita demonstratur. Quid ergo latitudo liminis portæ, nisi lex Testamenti Veteris fuit; et longitudo portæ nisi gratia Testamenti Novi; quia videlicet Scriptura sacra dum per Testamentum Vetus crimina operum compescuit, dari decimas præcepit, quasi per mandata humilia in liminis latitudine jacuit. Sed dum per Testamentum Novum cogitationes pravas coercuit, derelinqui omnia et pro Deo vitam corporis jussit cum præsenti sæculo despici, quasi porta nostra in longitudinis altitudine surrexit. Minora quippe præcepta Israelitico populo per legem data sunt : unde et eidem populo Moyses in campo locutus est. Altiora Dominus sanctis apostolis dedit : unde et eosdem mandatis vitæ in monte docuit (*Matth.* V). Dum vero Redemptor noster per Evangelium dicit : « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere (*Ibid.*). » Adimplere legem venerat qui legi justitiæ gratiam addidit : ut quod illa jubebat in minimis, ipse perfici adjuvaret in summis : et quod illa coercebat ab opere, ipse resecaret a corde. Intellecta ergo lex quæ in latitudine jacuit, in altitudine surrexit. Ipsa enim Dei cognitio quæ apud illam in spiritalibus patribus fuit, nota omni Hebræorum populo non fuit : nam omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem, cum prophetæ prædicarent, populus ignorabat : solum Decalogum tenebat in legem, fidem Trinitatis nesciens. Mensuretur ergo latitudo liminis portæ decem cubitis, quia durus ille populus subtilitatem fidei ignorans, mandatis serviebat decalogi. Mensuretur vero longitudo

portæ tredecim cubitis, quia per Testamentum Novum in corde fidelis populi super mandata decalogi quæ verius custodit cognitio Trinitatis crevit, et eo mandata legis perfecit, quo Trinitatem esse omnipotentem Dominum credidit. Ubi et credi rationabiliter potest, cur istam latitudinem liminis portæ quam supra dixerat, uno calamo mensurari inferius subjunxit quod decem cubitis mensuretur, ac deinde subditur, quod longitudo portæ tredecim cubitis mensuretur. Unus etenim calamus jam sicut sæpe dictum est, sex cubitos, et palmum habet: decem vero cubiti jam mensuram suam super calamum tenent; tredecim vero amplius quam decem. Quid est ergo quod prius in uno calamo limen portæ, postmodum latitudo ejus decem cubitis, ad extremum quoque longitudo portæ tredecim mensuratur, nisi quod sancti patres quos per sacram Scripturam ante legem fuisse cognoscimus, unum quidem omnipotentem Deum, sanctam videlicet Trinitatem esse noverunt? sed eamdem Trinitatem quam cognoverant, aperte minime prædicaverunt, qui ejus jussionibus obedientes, et vitæ munditiam conservantes, quasi in sex cubitis calami habuerunt perfectionem operis, et sæpe angelos videntes habuerunt palmum contemplationis. Data autem rudis ille Hebræorum populus mandata decalogi servare conatus est, sed tamen de cognitione sanctæ Trinitatis eruditus non est. Et quamvis hanc spiritales patres perfecte cognovissent, multitudo tamen magna synagogæ nec invenire mysterium Trinitatis potuit, nec quærere scivit. Superveniente autem gratia per Testamentum Novum omnis fidelis populus unum Deum Trinitatem esse cognovit, et virtutem decalogi in ejus agnitione complevit. Prius ergo limen portæ mensuretur calamo uno, postmodum latitudo ejus decem cubitis, atque ad extremum longitudo portæ cubitis tredecim: quia et sanctis patribus ante legem activa et contemplativa vita non defuit, et sub legis decalogo populus divinæ substantiæ mysterium nesciens in mandatorum latitudine servivit; et nunc sub gratia custoditis verius decalogi præceptis, omnis qui ad fidem venerit, sanctæ Trinitatis sacramenta cognoscit. Qua in re hoc quoque nobis sciendum est, quod per incrementa temporum crevit scientia spiritalium patrum: plus namque Moyses quam Abraham, plus prophetæ quam Moyses, plus apostoli quam prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa Scriptura non loquitur (*Dan.* XII), pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia. Sed hæc eadem quæ de Abraham, et prophetis, et apostolis diximus, ex ejusdem Scripturæ verbis si possumus ostendamus. Quis enim nesciat quia Abraham cum Deo locutus est? et tamen ad Moysen Dominus dicit: « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, et nomen meum Adonaï, non indicavi eis (*Exod.* VI). » Ecce plus Moysi quam Abrahæ innotuerat, qui illud de se Moysi indicat, quod se Abrahæ non indicasse narrabat. Si videamus si prophetæ plus quam Moyses divinam scientiam apprehendere potuerunt. Certe Psalmista dicit: « Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est (*Psal.* CXVIII); » atque subjungi.; « Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est, » et iterum: « Super seniores intellexi. » Qui ergo legem meditari se memorat, et super omnes docentes esse ac seniores intellexisse testatur, quia divinam scientiam plusquam Moyses acceperat manifestat. Quomodo autem ostensiori sumus quia plus sancti apostoli edocti sunt quam prophetæ? Certe Veritas dicit: « Multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt (*Luc.* X). » Plus ergo quam prophetæ divina scientia noverunt. Quia quod illi solo spiritu viderunt, ipsi etiam corporaliter videbant. Impleta est itaque ea quæ superius diximus, Danielis sententia, « quia pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia. » Mensura ergo calami qui est sex cubitorum, et palmo ducatur ad cubitos decem, et mensura decem cubitorum ad extremum surgat in tredecim: quia quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ aditus largius aperitur. Sequitur:

« Et marginem ante thalamos cubiti unius. » (*Greg.*) Sicut sæpe diximus, thalami corda electorum sunt, omnipotentis Dei amore ferventia. Quid per marginem ante thalamos nisi fides exprimitur? quia nisi prius ipsa teneatur, nullo modo ad spiritalem amorem pertingitur. Non enim charitas fidem, sed fides charitatem præcedit: nemo enim potest amare quod non crediderit. Margo itaque est ante thalamos, fides ante ardorem charitatis, quia sicut dictum est, nisi ea quæ audis credideris, ad amorem eorum quæ audieris nullatenus inflammaris. Sed margo ante thalamos cubiti unius: quia tunc fides corda audientium Deo in amore copulat, quando per errores et schismata divisa non est, sed in unitate perdurat, ut videlicet margo unius cubiti audientis animum ad thalamum perducat: quia cœlestis sponsi speciem quam hic prædicat, postmodum in cœlestibus demonstrat. Unde et bene subditur:

« Et cubitus unus finis utrumque. » Utrumque autem dicitur ac si dicatur utrorumque. Per latitudinem quippe liminis et longitudinem portæ, Vetus ac Novum Testamentum diximus designari. Ad extremum vero additur quod cubitus unus sit finis utrumque: quia videlicet Testamentum Vetus, unum nobis mediatorem Dei et hominum nuntiavit, et Testamentum Novum eumdem nobis nuntiat in æterna claritate venturum, quem jam pro nobis cognovimus incarnatum. Cubitus ergo unus finis utrumque est: quia et quem lex prædixit in carne apparuit: et ipse quem nunc Testamentum Novum loquitur in gloria majestatis apparebit: et tunc utrumque finis erit cum visus in divinitatis suæ potentia omnia quæ sunt prædicta compleverit. Scriptum namque est: « Finis legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* X); » finis videlicet non qui consumit, sed

qui perficit. Tunc etenim legem perfecit, cum sicut lex prædixerat incarnatus apparuit. Sed adhuc de ejus judicio multa Novum Testamentum loquitur. Adhuc multa de regno illius narrat, quæ necdum videmus impleta. Ecce quotidie Evangelium legitur, ventura vita prædicatur. Tunc ergo erit et Novi Testamenti finis, cum ea quæ de se promisit, impleverit. Finitur vero Testamentum Novum quod perficitur : nam cum ipse de quo loquitur visus fuerit, ejusdem Testamenti verba cessabunt. Dicatur itaque de limine et porta, « et cubitus unus finis utrumque. » Quia cum « unus mediator Dei et hominum homo Jesus Christus (*I Tim.* II) » in majestate sua apparuerit, omnia utriusque Testamenti quæ prædicta et promissa sunt complevit. Sin vero utraque hoc loco marginem ac thalamos memorat, neque hoc ab hac sententia abhorret. Quia cum magna majestas Redemptoris nostri nobis fuerit ostensa, finitur fides. Cum jam cœperit videre homo quod credidit, et ad finem suum perveniunt thalami, quia corda fidelium incomparabiliter longe quam modo sunt, in amore illius perficiuntur. Cubitus ergo unus finis utrumque est, quia unius Domini et Salvatoris visio in electis suis fidem finit, et charitatem perficit. Considerare libet qui nos sumus quia ista tractamus. Certe ex gentilibus venimus, certe parentes nostri lignorum ac lapidum cultores fuerunt. Unde ergo hoc nobis ut ea quæ nunc usque Hebræi nesciunt, Ezechielis prophetæ tam profunda mysteria rimamur? Agamus ergo gratias uni qui cuncta quæ de eo in sacro eloquio scripta sunt, opere implevit : et quæ intelligi audita non potuerunt, visa panderentur. Ibi quippe incarnatio, ibi passio, ibi mors, ibi resurrectio, ibi ascensio illius continetur. Sed quis nostrum hæc audita crederet, nisi facta cognovisset. Signatum ergo librum sicut in Joannis Apocalypsi legitur (*Apoc.* V), quem aperire et legere nullus poterat, leo de tribu Juda aperuit, qui omnia ejus nobis mysteria in sua resurrectione ac passione patefecit : et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, suæ nobis potentiæ ac claritatis bona monstravit. Caro enim factus ut nos spiritales faceret benigne inclinatus est ut levaret, exiit ut introduceret. Visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret. Flagella pertulit, ut sanaret. Opprobria et irrisiones sustinuit, ut ab opprobrio æterno liberaret, mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti et mortuo, et ideo amplius vivificanti quia mortuo. Unde et bene salutem nostram et passionem illius Isaias contemplatus ait : « Ut faciat opus suum, alienum opus ejus : ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo (*Isa.* XXVIII). » Opus etenim Dei est, animas quas creavit colligere, ad æternæ lucis gaudia revocare. Flagellari autem atque sputis illiniri, crucifigi, mori ac sepeliri, non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris, qui hæc omnia meruit per peccatum, « sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : » et qui in natura sua manet semper incomprehensibilis, in natura nostra comprehendi dignatus est, ac flagellari : quia nisi qui erat omnipotens, infirmitatis nostræ naturam susciperet, nunquam nos ad suæ fortitudinis potentiam sublevaret. Ut ergo faciat opus suum, alienum opus ejus, et ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, quia incarnatus Deus ut nos ad suam justitiam colligeret, dignatus pro nobis est tanquam peccator homo vapulari, et alienum opus fecit, ut faceret proprium : quia per hoc quod infirmans mala nostra sustinuit, nos qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam perduxit.

« Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. » (*Hieron.*) Sex cubitorum erant ex utraque parte quod dicitur hinc et inde : et nequaquam habebant palmum nec rationem, desuper additam, quæ præsentem conversationem ad futuram beatitudinem provocaret, sed tantum sex cubita. Unde sequitur :

« Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum sive parietem ejus. » Et invenit latitudinis viginti et quinque cubita qui et ipse numerus, licet quadrus sit, tamen refertur ad sensus. Si enim quinos cubitos contra se quinquies ordinaberis, vicesimum quintum numerum efficies, qui est inter tectum thalamorum et tectum : et tamen utrumque e regione sui positum a summis partibus habet ostium contra ostium. Hæc non frivola videantur esse lectori, licet et mihi ipsi dicta displiceant, sentiens me clausam pulsare januam : sed legenda cum venia sunt; alioquin potui simpliciter ignorantiam confiteri, et omne studiosorum amputare desiderium. Sicut enim a perfecta scientia procul sumus, lenioris culpæ arbitramur saltem parum quam omnino nihil dicere. (*Greg.*) Memoratis superius thalamis propheta subjungit : « Thalami sex cubitorum erant hinc et inde. » Qua in re magna nobis quæstio generatur, cur superius thalamum uno calamo mensuratum dixit : quem videlicet calamum sex cubitos, et palmum habere perhibuit, atque inferius thalamus sex solummodo dicit cubitis mensurari. Si enim non calamo, sed sex cubitis mensuratur palmus, deest qui superius in mensura calami dicebatur adesse. Sed si thalami sunt sensus atque cogitationes fidelium in quibus castæ animæ conditori suo in amore junguntur, et per sex cubitos perfecta operatio, per palmum vero inchoatio contemplationis exprimitur, sanctæ universalis Ecclesiæ debemus membra conspicere; et citius invenimus quia sunt in ea thalami uno calamo : et sunt alii sex tantummodo cubitis mensurati. Nam fideles quidam omnipotentem Deum ita amant, ut et in opere perfecti sint, et contemplatione suspensi. Hi profecto calamum in mensura habent : quia et sex cubitos operationis, et palmum contemplationis possident. Quidam vero omnipotentem quidem Deum diligunt, et perfecti in bonis operibus exercentur, sed tamen contemplari ejus magnitudinem subtiliori intellectu nesciunt. Amant autem, sed investigari gaudia ejus claritatis ignorant. Hi

itaque sex cubitos habent, et palmum non habent, quia ei jam per amorem juncti sunt, sed ex contemplatione disjuncti. Qui tamen thalami, post commemorationem cubiti unius hinc et inde esse referuntur, quia videlicet in amore Auctoris ac Redemptoris nostri fideles animæ ex Judaico populo et ex gentilitate convenerunt. Unde et idem Redemptor noster, cum asello sedens, Jerusalem tenderet, sicut Evangelista testatur: « Multi vestimenta sua straverunt in via, alii autem frondes cædebant de arboribus et sternebant in via: et qui præibant et qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXI). » Salvator etenim noster asello sedens, Jerusalem tendit, quando uniuscujusque fidelis animam regens, videlicet jumentum suum, ad pacis intimæ visionem ducit jumentum; sedet etiam, cum sanctæ Ecclesiæ universaliter præsidet, eamque in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam edomant, ut ei iter ad mentem parent, vel exempla bona sequentibus præbeant. Alii autem frondes vel ramos de arboribus cædunt et sternunt in via: quia in doctrina veritatis verba atque sententias Patrum ex eorum eloquio excerpunt, et hæc in via Dei ad auditoris animum venientis humili prædicatione submittunt: quod indigni quoque et nos modo facimus. Nam cum Patrum sententias in sermone exhortationis assumimus, frondes de arboribus cædimus, ut has in via omnipotentis Domini sternamus. Sed qui præibant et qui sequebantur, clamabant Hosanna: Præcessit quippe Judaicus populus, secutus est gentilis. Et quia omnes electi, sive qui in Judæa esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia existunt, mediatorem Dei et hominum crediderunt, et credunt qui præeunt, et qui sequuntur. Hosanna clamabant: Hosanna autem latina lingua, salva nos dicitur. Ab ipso enim salutem et priores quæsierunt, et præsentes quærunt, et benedictum qui venit in nomine Domini confitentur. Thalami ergo ejus hinc et inde sunt: quia corda amantium fidem quæ in illo est, et a priore parte sæculi, et ab ultima complectuntur: « Et mensus est, inquit, partem a tecto thalami usque ad tectum ejus latitudine viginti et quinque cubitorum. » Sæpe jam diximus portam fidem, et per eamdem fidem ipsum creatorem nostrum mediatorem Dei et hominum Jesum Christum posse signari, quia per fidem quæ in eo est, introitus ad vitam patet. Sed etiam Scripturam sacram quæ nobis eamdem ipsam fidem in Redemptoris nostri intellectum aperit, non immerito portam accepimus. Quia ea ut oportet cognita, ad intelligenda visibilia intramus: Porta quoque, id est, sacrum eloquium habet tectum, quia necdum omnia penetrare intellectu possumus de cœlestibus audimus. Restat ergo, ut in his quæ intelligimus, in profectu quotidie charitatis ambulemus. Et quamvis in nobis proximi nostri non videant quantum diligantur a nobis, atque in sacro eloquio, ea quæ necdum intelligimus, humiliter veneramur, in his tamen ad quæ intelligendo pervenimus, dilatare per bonam operationem debemus: De quo in sequenti libro plenius disseremus.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

SEQUITUR CAPUT XL.

« Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus latitudinem viginti et quinque cubitorum. » (*Greg.*) Quinque enim carnis sensibus præditi sumus, videlicet, visu, gustu, olfactu, auditu, atque tactu. Idem vero quinarius per semetipsum multiplicatus, ad vicesimum et quintum numerum surgit. Operari autem quiddam exterius de mandatis cœlestibus sive istis corporeis quinque sensibus non valemus. His quippe officiis suis judex animus interius præsidet, et quid exterius agere juste vel misericorditer possit, quasi eisdem officiis renuntiantibus ac deservientibus agnoscit. Cum ergo timore omnipotentis Domini animus impletur, necesse est ut quinque nostri sensus nobis velut subjecta officia in bonam operationem deserviant, per quos cum aliquid agere misericorditer cœperimus, plus se quotidie ipsa misericordia aperit, et quasi sinus boni operis expandit. Quinque igitur sensus multiplicantur in se, dum hoc quod per ipsos agitur, in bono quotidie opere per profectum multiplicatur. Unde et latitudo esse viginti et quinque cubitorum dicitur: quia timor tenaciæ et pigrido angusta est. Quisquis enim ideo indigenti dare panem metuit, ne sibi desit, adhuc in angustia timoris est. Quisquis ideo vestimentum algenti non porrigit, quia hoc solus habere concupiscit, adhuc tenaciæ suæ angustia coarctatur. Quisquis ideo bonum non agit; quia tepore animi pigrescit, ipse ei suus tepor angustia est. Respicere autem inopem, exaudire precem, largiri stipem, præbere defensionem, atque pro ejusdem defensione pauperis, adversantis cujuslibet inimicitias non timere, magna mentis latitudo est. Mensuretur ergo inter thalamum et portam ea quæ interjacet latitudo cubitis viginti et quinque; quia in exteriore sensuum operatione probatur et cognoscitur quæ invisibilia instruamus. Si igitur hoc in loco, ut prædiximus, porta Scriptura sacra accipitur, quærendum est quid per tectum thalami, quid per tectum portæ signetur. Sed habet thalamus tectum: quia operta est mens amantium, et ad hoc fervor amoris in occulto est. Habet quoque et porta tectum, quia Scriptura sacra tota quidem propter nos scripta est, sed non tota intelligitur a nobis. Multa quippe in illa ita aperta sunt, ut pascant parvulos. Quædam vero obscurioribus sententiis, ut exerceant fortes, quate-

nus cum labore intellecta plus grata sint. Nonnulla autem ita in ea clausa sunt, ut dum ea non intelligimus agnoscentes infirma nostræ cæcitatis, ad humilitatem magis quam ad intelligentiam proficiamus. Sunt enim quædam quæ ita de cœlestibus loquuntur, ut solis illis supernis civibus in patria sua persistentibus pateant : necdumque nobis peregrinantibus reserentur. Nam si quis ad urbem incognitam pergens multa de illa in via audiat, quædam quidem ex ratione colligit, quædam vero quia necdum videt, nullo modo cognoscit : ipsi vero, cives qui in ea sunt, et quæ de illa tacentur, vident, et quæ de illa dicuntur intelligunt. Nos igitur adhuc in via sumus, multa de illa cœlesti patria audimus, alia jam per spiritum et rationem intelligimus, quædam vero non intellecta veneramur. Unde et de eodem sacro eloquio scriptum est : « Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus (*Psal.* CIII). » Cœlum quippe sicut pellis extenditur : quia per ora mortalium Scriptura sacra nobis expositionibus explicatur. Sed sunt aquæ in cœlo, superiores videlicet multitudines, id est, angelorum agmina, in quibus ejusdem cœli teguntur superiora. Quia ea, quæ in sacro eloquio altiora et obscuriora sunt, angelicis solummodo spiritibus patent, et nobis adhuc incognita perdurant. Habet ergo thalamus tectum, quia nescit adhuc proximus quantum amatur a proximo. Porta quoque, id est, sacrum eloquium habet tectum, quia necdum omnia penetrare intellectu possumus quæ intrinsecus largitas bonitatis habeatur. Nam quidquid jam de Scriptura sacra didiceris, et quam proximum tacitus ames, in latitudine boni operis ostendis. Pateat itaque viginti et quinque cubitis latitudo inter thalamum et portam : quia inter charitatem et scientiam, testis est bona operatio. Quæ si fortasse defuerit, profectu certum est, nec cognovisse te Deum, nec diligere proximum, id est, nec portam sacri eloquii, nec amoris thalamum habere. Et notandum quod a tecto thalami, usque ad tectum portæ dicitur mensuratum : per ea enim quæ nobis in sacra Scriptura cooperta sunt, nostra humilitas approbatur. Quia quidquid in illa non intelligimus, non superbe reprehendere, sed venerari humiliter debemus. A tecto ergo thalami usque ad tectum portæ sit magna latitudo ; et ab occultis nostræ charitatis propter proximum usque ad humilitatem scientiæ propter Deum, in quantum intelligimus et valemus bona semper operemur. Potest etiam porta ipsa jam aditus regni cœlestis intelligi : et habet nunc thalamus tectum, habet porta tectum. Quia et quanta sit nostra charitas in Deo et proximo non cognoscitur : et quando de hoc sæculo ad æternæ vitæ requiem introducamur ignoratur. Semper enim nobis Conditor noster diem mortis nostræ incognitum voluit : ut dum semper ignoratur, semper esse proximus credatur : et tanto quisque ferventior sit in operatione, quanto et incertus est de vocatione. Unde et latitudo viginti et quinque cubitorum a thalamo ad portam tenditur : quia charitatem quam semel in Deo et proximo concupimus, usque ad ingressum regni debemus omne quod possumus multipliciter atque incessanter operari. A tecto itaque thalami, usque ad tectum portæ, magna latitudo est : quia ex gratia qua inchoamus Deum diligere, usque ad ipsam dilectionem, quæ nobis aditum cœlestis regni aperit, debemus nosmetipsos in magna bonorum operum actione dilatare, adversa patienter perpeti, benigne libenter impendere, ipsos etiam quos patimur amare, habita tribuere, non habita non ambire : proximos sicut nosmetipsos diligere : eorum bona, nostra credere ; eorum mala quasi propria deflere. In tali ergo mente magna latitudo est, in qua angustia odiorum non est : quam profecto latitudinem ex Dei et proximi amore concepimus, per sacra mandata cognovimus. Nam et ipsos latitudine viginti et quinque cubitos non inconvenienter intelligimus, si eos juxta sacrum eloquium discutere velimus. Sex enim cubitis mensuratos thalamos discerat ; et sexto die homo est conditus, eoque die Dominus perfecisse opera sua describitur. Unde etiam pro perfectione poni senarius solet, et quia omnem operationem bonam per quatuor sancti Evangelii libros agnovimus : si sex quater ducimus, ad viginti et quatuor pervenimus. Cui monas additur, quia unus est per quem omnes bene operantur. Viginti ergo et quinque cubitis latitudo hæc explicari debuit : quia omnis bona operatio per quatuor sancti Evangelii, ut diximus, libros agnoscitur, et in unius Dei cognitione et confessione completur. Sequitur :

« Et ostium contra ostium. » Hoc loco, contra, non ad adversitatem ponitur, sed ad rectitudinem. Ostium enim contra ostium est : cum recto itinere ab exteriore ad interiorem aditum pervenitur. In cognitione vero omnipotentis Dei primum ostium nostrum, fides est. Secundum vero, species illius ad quam per fidem ambulando pervenimus. In hac etenim vita hanc ingredimur, ut ad illam postmodum perducamur. Ostium ergo contra ostium est, quia per aditum fidei aperitur aditus visionis Dei. Si quis vero utraque hæc ostia in hac vita velit accipere, neque hoc a salubri intelligentia abhorret. Nam sæpe volumus omnipotentis Dei naturam invisibilem considerare, sed nequaquam valemus : atque ipsis difficultatibus fatigata anima ad semetipsam redit, sibique de se ipsa gradus ascensionum facit, ut primum semetipsam si valet consideret, et tunc illam naturam quæ super ipsam est, in quantum potest investiget. Sed mens nostra, si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se vel animæ naturam considerare sufficit : quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula cæcatur. Primus ergo gradus est, ut se ad se colligat. Secundus, ut videat qualis est quod colligat. Tertius, ut super semetipsam surgat, ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo subjiciat, sed se ad se nullo modo colligit, nisi didicerit terrenarum atque cœlestium imaginum phantasmata ab oculo mentis com-

pescere : quidquid de visu, quidquid de auditu, quidquid de odoratu, quidquid de tactu et gustu corporeo cogitationi ejus occurrerit, respuere atque calcare, quatenus talem se quærat intus, qualis sine istis est. Nam hæc quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus versat. Abigenda ergo sunt omnia manu discretionis ab oculis mentis, quatenus talem se anima consideret, qualis sub Deo, super corpus creata est; ut a superiore vivificata, vivificet inferius quod administrat : quæ et sic infusa est, ut non per membrorum partes partibus sit divisa; nam in quolibet loco pars corporis si percutitur, tota dolet. Miro autem modo una eademque vivificatione membris præsidens, cum ipsa per naturam non diversa sit, per corpus tamen agit diversa. Ipsa quippe est quæ per oculos vidit, per aures audit, per nares odoratur, per os gustat, per membra omnia tangit : et tangendo, lene ab aspero discernit : et cum tam diversa operatur per sensus, non hæc diversa, sed una illa in qua creata est ratione disponit. Cum ergo seipsam sive imaginibus corporis cogitat, anima jam primum ostium intravit; sed ab hoc ostio ad aliud tenditur, ut de natura omnipotentis Dei aliquid contempletur. Anima itaque in corpore vita est carnis. Deus vero qui vivificat omnia vita est animarum. Si igitur tantæ est magnitudinis, ut comprehendi non possit vita vivificata, quis intellectu comprehendere valeat, quantæ majestatis sit vita vivificans. Sed hoc ipsum considerare atque discernere jam est aliquatenus intrare. Quia ex sua æstimatione anima colligit quid de incircumscripto spiritu sentiat, quæ incomprehensibiliter regit, quæ incomprehensibiliter creavit. Conditor etenim noster onge incomparabiliter creaturæ suæ præsidet, et quædam operatur ut sint, nec tamen vivant. Quædam vero ut sint et vivant, nec tamen discernere aliquid le vita valeant. Quædam autem ut sint vivant atque liscernant. Et operatus unus omnia, sed in omnibus non divisus : est enim vere summus, et nunquam ibi dissimilis. Anima etsi per naturam sibimetipsi iversa non est, per cogitationem tamen diversa est. o enim momenti ictu quo de visu cogitat, de auitu cogitare obliviscitur : et eo momenti ictu quo de uditu vel gustu cogitat, de odoratu vel tactu cogiıre non prævalet : quia per intentionem et oblivioem fit semper sibimetipsi dissimilis, ut nunc hoc, unc illud cogitatione teneat. Omnipotens autem Deus uia sibimetipsi dissimilis non est, ea virtute videt, ua audit omnia; ea virtute creat, qua indicat creaıram ejus. Ergo et videre simul omnia, administrare it : et administrare conspicere. Alia cogitatione stos adjuvat, atque alia injustos damnat. Sed ıa eadem sex naturæ singularis sibi semper indismilis dissimilia disponit. Cur autem hoc de poten creatoris admiremur, quia virtutis ejus vestigia, in creatura conspicimus. Natura quippe luti et ræ diversa est : solis vero radius non est diversus. tamen cum diversus non sit, diversa sunt quæ in to operatur, et cera : quia uno eodem sui ignis

A calore lutum durat et ceram liquat. Sed fortasse hoc in natura luti vel ceræ est, non in ipsa solis substantia, quæ in naturis diversis, diversa videtur operari. Omnipotens autem Deus in semetipso habet sine immutatione mutabilia disponere, sive diversitate sui diversa agere, sive cogitationum vicissitudine dissimilia formare longe dissimiliter, operatur dissimilia nunquam sibi dissimilis Deus qui et ubique est, et ubique totus est. Ait enim : « Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum (*Isa.* LXVI). Et de ipso scriptum est quia « cœlum metitur palmo, et terram pugillo concludit (*Isa.* XL). » Ex qua re considerare necesse est, quia is qui cœlo velut sedi præsidet, super et intus est : et qui cœlum palmo, et terram pugillo concludit, exte-

B rius, superius et inferius est. Ut ergo indicaret omnipotens Deus interiorem se esse, et superiorem omnibus, cœlum sibi sedi esse perhibuit : ut vero se ostenderet omnia circumdare, cœlum metiri palmo, et terram se asserit pugillo concludere. Ipse est ergo interior et exterior, ipse inferior et superior : regendo superior, portando inferior; replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intus, ut extra sit : sic circumdat ut penetret. Sic præsidet ut portet : sic portat ut præsideat. Cum ergo sublevata ad seipsam anima suum modulum et intelligit, et quia corporalia omnia transcendat agnoscit, atque ab intellectu suo se ad auctoris intellectum tendit, quid jam hæc nisi ostium, quod est contra ostium aspicit? Unde et auctori omnium Propheta dicit : « Mirabilis

C facta est scientia tua ex me (*Psal.* CXXXVIII). » Quia quantumlibet intenderit, nec semetipsam anima perfecte sufficit penetrare : quanto magis illius magnitudinem qui potuit et animam condere? Cumque in scientiæ Dei intellectu laboraret lassescens ac deficiens subdidit. Confortata est nec potero ad eam. Sed cum conantes atque tendentes quiddam jam de invisibili natura conspicere lassamur, reverberamur, repellimur : etsi interiora penetrare non possumus, tamen jam ab exteriori ostio interius ostium videmus. Ipse enim considerationis labor ostium est qui ostendit aliquid ex eo quod intus est, etsi adhuc quod ingrediendi potestas non est.

« Et fecit frontes per sexaginta cubitos, et ad

D « frontem atrium portæ undique per circuitum, et « ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos, et fenestras obliquas in thalamis, et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per « circuitum. Similiter autem erant et in vestibulis « fenestræ per gyrum intrinsecus, et ante frontes « pictura palmarum. » (*Hieron.*) Puto autem inter murum templi extrinsecus per circuitum et ipsam ædem in atrio, hoc est in medio, quædam fuisse propter ornatum posita, quæ Symmachus interpretatur *circumstantias*, id est, stantia quædam, et de terræ solo erecta in sublime, et hæc sexaginta cubitorum obtinere spatium. Rursumque egredientibus de porta interiori ad faciem vestibuli, quod respiciebat

portam exteriorem quinquaginta cubitos obtinuisse locum in quibus fenestræ erant obliquæ, quas septuaginta absconditas, Symmachus *topicos* vocat. Et hæ fenestræ erant in thalamis, hoc est, in cubiculis singulis et porticibus, quæ ante cubicula tendebantur, obtinentes cubitos quinquaginta. Quæ fenestræ obliquæ sive topice idcirco a sagittis vocabulum perceperunt, quod instar sagittarum angustum in ædes lumen immittant, et intrinsecus dilatentur, omniaque per circuitum plena erant hujuscemodi fenestris. Et ante frontes, inquit, porticuum pictura sive cælatura palmarum : per quæ ostenditur in introitu portæ, statimque ingredientibus murum sexaginta occurrere cubita, cum variis ornamentis quæ referuntur ad conditionem mundi : ut ex creaturis Creator intelligatur. Et omnia ordine et ratione currentia ostendant mundi varietatem, qui apud Græcos κόσμος, ab ornatu nomen accepit, et in sex diebus factus est, ut per singulos dies decadæ singulæ supputentur, quem perfectum numerum supra diximus. Post hæc ingredientibus nobis atrium interius occurrunt ante ipsum vestibulum portæ interioris thalami cum obliquis fenestris. Quinquaginta cubitorum tenent spatium, qui et ipse sacratus est numerus. Et post septem hebdomadas plenas festivitatis et gaudii, ocdoadis prima incipit dies, quæ est resurrectionis : et introducit nos ad viciniam templi. Cum enim omnia fecerimus, agentes prioris erroris pœnitentiam, tunc vicini et proximi efficimur Deo, ut in exteriori atrio notitiam Creatoris creaturarum ordo nos doceat atque constantia, et in interiori, verus Jubilæus, in quo omnia nobis debita dimittuntur, instruat θεολογίαν, et introducat ad sancta sanctorum. Notandum quoque quod interius atrium plures fenestras habeat, non directas et æquales, sed obliquas et angustas exterius, et se intrinsecus dilatantes, ut per parva quædam foramina possimus ad interiora penetrare, et ad clarissimi luminis, quod versatur in templo, plenitudinem pervenire. Denique post septuaginta et quinquaginta cubitos et thalamos, et porticus, et frontes porticuum, et fenestras plurimas, per circuitum palmarum, nobis cælatura vel pictura monstratur, ut de mundo victoriam possidentes digni efficiamur palmas videre virtutum. Sequitur : « Et fecit, inquit, frontes per sexaginta cubitos, et ad frontem atrium portæ undique per circuitum. » (*Gregor.*) Sæpe jam diximus senario numero perfectionem boni operis designari : non illud sequentes, quod conati sunt hujus sæculi sapientes astruere, dicentes idcirco senarium numerum esse perfectum, quia suo ordine numeratus perficitur : ut cum unus, duo, tres, dicuntur, senarius numerus impleatur : vel quia in tribus partibus dividitur, id est sexta, tertia et dimidia, videlicet in uno, duobus et tribus; sed idcirco senarium numerum dicimus esse perfectum, quia, sicut paulo ante dictum est, sexto die perfecit Deus omnia opera sua. Quoniam vero peccatori homini legem dedit, quæ in decem præceptis adscripta est, et sex decies ducta in sexagenarium numerum surgat, recte per sexaginta cubitos bonorum operum perfectio designatur. Quod aperte etiam Dominus in Evangelio designat; qui cum parabolam seminantis exponeret, dixit : Aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem : et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. Fructus etenim terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei, quæ est in Trinitate, conceperit. Sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecta protulerit. Centum vero affert, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est præsens vita : dextera vero, vita ventura. Et recte per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur : quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computando pervenimus, idem centenarius in dexteram transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est, quia hic adhuc positi, et credimus quod non videmus, et operamur ut videamus. Cum vero jam se animus in contemplatione æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dexteram manum computus pervenit. Fecit itaque frontes per sexaginta cubitos; quia enim per sexagenarium numerum perfectio, quid per frontes ædificii, nisi ipsa opera designantur, quæ exterius videntur? Prædicationis enim verbum proximis tribuere, et alimenta esurientibus, vestimentaque algentibus dare, et pro bono opere patienter adversa sustinere, quid aliud quam frontes sunt ædificii cœlestis? Quia pulchritudo operum exteriorum ornat habitaculum Dei, quod adhuc latet intrinsecus. Sed istæ frontes habent atrium undique per circuitum, quia in hoc magna sunt opera, si hæc in mente dilatat amplitudo charitatis. De charitate quippe scriptum est, « Latum mandatum tuum nimis. » Atrium ergo ante frontem est, id est, in perfectione operis latitudo dilectionis. Et notandum quod dicitur, « undique per circuitum », ut videlicet homo per omne quod agit semper se in charitatis amplitudine dilatet, ne hunc aut timor aut odia angustent. Si quis enim de verbo Dei loquitur, et charitatem quam prædicat in mente non servat, ædificii frontem habet, sed atrium ante frontem non habet. Si quis eleemosynam indigentibus largitur, et per hanc fortasse in corde extollitur, nec ex charitate proximi inopiæ subvenit, sed se per elationem tacitam extollit, frontem quidem in ædificio ostendit, sed juxta frontem atrium non fecit. Si quis illatas a proximo contumelias tolerat, et male objecta tacitus portat, magna est patientia quam demonstrat; sed si dolorem in corde non habeat, si lucrari ad tranquillitatem mansuetudinis etiam ipsum qui male excesserat, quærat. Nam si patientiam exterius adhibens, intus dolorem tenet, nec amat eum quem sustinet, habet quidem frontem in ædificio, sed ante frontem atrium non habet : quia is qui se angustiæ odiorum subdidit, profecto charitatis latitudinem amisit. Nam sicut in superiore parte jam diximus, patientia vera est, quæ et ipsum amat quem portat; nam tolerare, sed odisse,

non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Et notandum quod hoc ipsum atrium portæ dicitur. Porta nostra quippe est aditus ad regnum: Et Deum ac proximum amare, jam ad ingressum regni est tendere. In quantum enim quisque amat, in tantum ad ingressum propinquat. In quantum vero amare negligit, in tantum ingredi recusat: quia nec studet videre quod appetit. Tunc ergo habemus atrium portæ, quando ex latitudine charitatis ad supernam vitam, quam adhuc contingere minime possumus, jam per desiderium intramus. Itaque cum bonum opus erga proximum agitur, restat ut ejusdem boni operis intentio discernatur, si non præsentis gratiæ retributionem quærit, sed spem suam animus ad futuram promissionem tendit, ut ex temporalibus æterna, ex terrenis cœlestia speret. Spes enim cœlestium mentem solidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum. De qua et per Paulum dicitur: « Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam et incedentem usque ad interiora velaminis. » De quibus interioribus hic quoque subjungitur: « Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos. » Hoc quod hoc loco dicitur, « ante faciem portæ » non exterior, sed interior ante portam locus describitur, dum usque ad faciem vestibuli portæ interioris pertingere perhibetur. Unde et idem locus quinquaginta cubitis dicitur mensuratus. Per quinquagenarium quippe numerum, requies æterna signatur. Habet enim septenarius numerus perfectionem suam, quia eo die, dierum numerus est completus, et per legem sabbatus in requiem datus est. Ipse autem septenarius per semetipsum multiplicatus ad quadraginta et novem ducitur. Cui si monas additur, ad quinquagenarium numerum pervenitur: quia omnis nostra perfectio in illius unius contemplatione erit, in cujus nobis visione jam minus aliquid salutis et gaudii non erit. Hinc etiam Jubilæus, id est, ann. quinquaginta in requiem datus est, quia quisquis ad omnipotentis Dei gaudia æterna pervenerit, laborem et gemitum non habebit. Notandum vero, quod locus qui describitur per quinquaginta cubitos tendi ad faciem vestibuli portæ interioris pertingere memoratur. Non ergo hoc loco Propheta jam ipsum vestibulum portæ interioris, sed locum interius, qui tendit ad vestibulum portæ interioris narrat; per quem locum utique, sicut diximus, spes nostra signatur; quæ, dum æternam requiem quærit, mentem ad vestibulum portæ interioris ducit. Hoc ipsum enim, quod desideramus cœlestia, quod ad promissa gaudia suspiramus, quod æternæ vitæ requiem quærimus, jam ad interioris vestibuli faciem propinquamus. Signetur ergo per portam fides, per atrium charitas: per locum vero qui ad faciem vestibuli portæ interioris propinquat, figuretur spes, sine quibus tribus virtutibus quisquis jam uti ratione potest, ingredi ad cœleste ædificium non potest. Habeatur ergo fides in porta, quia introducit ad intelligentiam: charitas in atrio, quia mentem dilatat in amorem: spes in loco quinquaginta describitur cubitis, quia per desideria atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis: de qua quiete etsi adhuc sicut est veritatis lumen non cernimus, jam tamen per rimas intelligentiæ aliquid videmus. Unde et hic subditur: « Et fenestras obliquas in thalamis. » In fenestris obliquis pars illa, per quam lumen intrat, angusta est, sed pars interior quæ lumen suscipit lata, quia mentes contemplantium, quamvis aliquid tenuiter de vero lumine videant, in semetipsis tamen magna amplitudine dilatantur. Quæ videlicet et ipsa quæ conspiciunt capere pauca vix possunt. Exiguum valde est, quod de æternitate contemplantis vident, sed ex ipso exiguo laxatur sinus mentium in augmentum fervoris et amoris: et inde apud se amplæ fiunt, unde ad se veritatis lumen quasi per angustias admittunt. Quæ magnitudo contemplationis, quia concedi nonnisi amantibus potest, in thalamis obliquæ fenestræ esse perhibentur, vel in his quæ juxta thalamos non jam extrinsecus. sed esse intrinsecus dicuntur. Nam de iisdem fenestris subditur: « Et in frontibus eorum quæ erant intra portam, undique per circuitum. » Erant enim in thalamis: erant et in frontibus eorum, quæ intra portam undique per circuitum fuerant constructa: quia qui cor intus habet, ipse quoque lumen contemplationis suscipit. Nam quia adhuc exteriora immoderatius cogitant, quæ sint de æterno lumine rimæ contemplationis ignorant. Neque enim cum corporearum rerum imaginibus illa se infusio incorporeæ lucis capitur, quia dum sola visibilia cogitantur, lumen invisibile ad mentem non admittitur. Sed quisquis lumini contemplationis intendit, curare magnopere debet, ut mentem semper in humilitate custodiat: nunquam se de gratia qua infunditur, extollat, et ipsas quæ mentes contemplantium signant, quales sint obliquæ fenestræ consideret. Per obliquas etenim fenestras lumen intrat, et fur non intrat, quia hi qui veri speculatores sunt, semper sensum in humilitate deprimunt, atque ad eorum mentes intelligentia contemplationis intrat, sed jactantia elationis non intrat. Et patent itaque fenestræ et munitæ sunt: quia et aperta est in mentibus eorum gratia, qua replentur, et tamen ad se adversarium ingredi per superbiam non permittunt. Notandum vero, quod intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur, et minimis non datur: sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest: quia intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo de hac gratia quasi de singularitate glorietur. Nullus se donum veri luminis æstimet habere privatum: quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter est ditior, quem habere apud

se boni aliquid non putat. Unde hic quoque adhuc apte subjungitur : « Similiter autem erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus. » Postquam dixit « fenestras in frontibus, » adjungit « fenestras in vestibulis per gyrum intrinsecus. » Quia non solum alta sanctæ Ecclesiæ membra, quæ proeminent habent contemplationis gratiam, sed plerumque hoc donum etiam illa membra percipiunt, quæ etsi jam per desiderium ad summa emicant, tamen adhuc per officium in imo jacent. Nisi enim et his qui despecti videntur, omnipotens Deus lumen contemplationis infunderet, fenestræ in vestibulis non fuissent. Videmus itaque alios in summis locis sanctæ Ecclesiæ constitutos alta de cœlestibus loqui; miro studio in quantum illustrata mens sufficit, supernæ patriæ secreta rimari. Fenestræ sunt in frontibus. Alii vero in sanctæ ecclesiæ sinu continentur, et despecti humanis oculis videntur, sed apud se sapientiæ studiis vacant : ad cœlestia anhelant atque, in quantum prævalent, quæ sint gaudia æterna considerant. Fenestræ itaque obliquæ sunt : sed in his sol non est. Bene autem dicitur *per gyrum :* quia omnis inquisitio secretarum rerum gyrum habet, dum in cogitatione sua dicit animus : Putasne hoc? putasne illud est? Quasi circuit ut inveniat quod quærit. Cui cum incircumscriptum lumen erumpere in agnitione cœperit, quasi per obliquam fenestram radius veritatis venit. Sic quippe in contemplatione nostra multa cogitationibus circumeundo perficimus: sicut exempla bonorum sæpe quærimus, ut in moribus proficiamus. Nam cum jam cogitat animus ad meliora transire, quidquid melius de aliis audire possit, exquirit : nunc hujus, nunc sancti alterius vitam ventilat. Unde et electus quidam, qui in expanso sinu sanctæ ecclesiæ, per universum mundum mentis oculos miserat bonorum vitam ad imitationem requirens, dicebat : « Circuibo et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis (*Psal.* XXVI). » Ecce, ut immolaret jubilationis hostiam circumibat : quia nisi animum huc illucque ad bonorum vitam exquirendam mitteret, ipse usque ad jubilationis sacrificium non perveniret. Cum vero sancti viri intra Ecclesiam ad loca summa perducuntur, eorum vita quasi in speculo ponitur, ut cuncti videant bona quæ debeant imitari. Unde et adhuc apte subditur : « Et ante frontes pictura palmarum. » Quid per palmas, nisi præmia victoriæ designantur? Ipsæ quippe dari victoriæ solent. Unde de his quoque qui in certamine martyrii antiquum hostem vicerant, et jam victores in patria gaudebant, scriptum est : « Palmæ in manibus eorum, et clamabant voce magna dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno (*Apoc.* VII). » Palmas quippe in manibus habere, est victorias in operatione tenuisse : cujus operationis palma ibi tribuetur, ubi jam sine certamine gaudetur. Unde hic non dicitur, palmæ ante frontes, sed ante frontes pictura palmarum. Ibi enim victoria videbitur, ubi jam sine fine gaudebitur. Nam plerumque sanctos viros aspicimus mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, tactu ægritudines corporum fugare, prophetiæ spiritu ventura prædicere. Cuncta itaque hæc necdum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum. Nam hæc aliquando dantur et reprobis; unde per Evangelium Veritas dicit (*Luc.* XIII) : « Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus; et in nomine tuo dæmonia ejecimus; et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam novi vos : discedite a me qui operamini iniquitatem. » Unum vero signum electionis est soliditas charitatis, sicut scriptum est : « In hoc scietur quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). » Hæc autem miracula cum electi faciant, longe dissimiliter a reprobis faciunt. Quia quod electi ex charitate, hoc reprobi student agere per elationem : sed eisdem electis et ipsa mira quæ per charitatem faciunt, non jam palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum, quia de eis foris ostenditur, quales apud omnipotentem Dominum intus habeantur. Ibi autem eis palma erit, ubi jam mortis contentio non erit. Nam prædicator egregius tunc aspexit palmam veram vincentibus dari, cum resurrectionem prævidit mortuorum fieri sicut dicit : « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors, victoria tua? ubi est stimulus tuus? (*I Cor.* XV.) » Tunc ergo erit perfecta victoria, cum mors plene fuerit absorpta.

« Et eduxit me ad atrium exterius. Et ecce gazophylacia et pavimentum stratum lapide in atrium per circuitum : triginta gazophylacia in circuitu pavimenti, et pavimentum in fronte portarum erat inferius. Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad orientem et ad aquilonem. » (*Hieron.*) Vir ergo ille qui habebat funiculum cæmentariorum in manu et calamum mensuræ, et stabat in porta, inter cætera quæ prophetæ monstrabat aspectui post atrium sexaginta cubitorum, et aliud vestibulum portæ interioris quod tenebat quinquaginta cubitos, eduxit prophetam ad atrium exterius, sive ut in Septuaginta continetur, introduxit ad atrium interius. Satisque miror juxta litteram et Septuaginta quomodo post exteriora atrii septuaginta et quinquaginta cubitos tenentia, interius sit atrium, quod in latitudine centum cubitorum tendatur spatiis : nisi forte juxta mysticos intellectus, et profectus ingredientium quæ interiora in doctrinis fuerint, latiora sint. Introductus autem in atrium interius, sive ductus ad exterius atrium, ut in Hebraico continetur, statim intuitus est triginta thalamos vel gazophylacia. Et ut Symmachus interpretatus est *exedras*, quæ habitationi Levitarum atque sacerdotum fuerant præparatæ, et pavimentum vivis stratum lapidibus, sive intercolumnia ut ostendatur interius atrium vel exterius habere ante fores ordinem columnarum, et

pavimentum in fronte portarum, sive porticus post tergum portarum. In quibus porticibus puto columnas ordine fuisse dispositas : ut ante gazophylacia essent porticus, et in frontibus porticuum columnæ porticus sustinentes. Pavimentum autem quod stratum erat lapidibus, et ante porticus atrii tendebatur, inferius erat ascensione porticuum, et eamdem habebat longitudinem quam thalamorum ædificatio possidebat. Mensusque est idem vir in cujus maun erat funiculus et calamus a facie portæ inferioris, sive, ut Septuaginta volunt, exterioris usque ad frontem atrii vel portæ interioris, centum cubitos ad orientem, et ut in Hebraico dicitur, et ad aquilonem. Ex quibus intelligimus illud evangelicum quod a Salvatore narratur, missæ in agrum sementis in terram bonam quæ multiplicet fruges pro varietate virtutum in tricenarium, et in sexagenarium et centenarium numerum, hujus loci vaticinio convenire : et hic enim trigesimus et sexagesimus et centesimus numerus ponitur, ut his quasi gradibus ad perfectam scientiam pervenire valeamus, ita duntaxat ut ad interiorem ædem quinquagenarius nos perducat numerus, qui finito septem hebdomadarum sabbato in diem resurrectionis erumpit. Gazophylacia autem appellantur, quæ plena sunt spiritualibus divitiis, de quibus scriptum est : « Redemptio animæ viri propriæ divitiæ (*Prov.* XIII). » Super quibus et Paulus apostolus congratulatur discipulis suis, quod pleni sint omni verbo et omni scientia. Gaza autem lingua Persarum divitiæ nuncupantur. Vel certe thalami, qui Græce dicuntur παστοφορία ostendunt sponsi adventui cubicula præparata quæ fuere triginta numero, ut perfectam ætatem habitantium demonstrarent. Et pavimentum stratum erat lapide, ne luto et terra et pulvere peccatorum habitantium pollueréntur vestigia, sed ut super vivos incederent lapides quibus ædificatur templum Dei. Sive intercolumnia erant ante thalamorum fores, quæ impositum desuper ædificium sustentarent. Istæ sunt columnæ de quibus et Paulus apostolus scribit (*Gal.* II) : « Dextras dederunt mihi et Barnabæ, Petrus et Joannes, qui videbantur columnæ esse. » Et in alio loco (*I Tim.* III) : « Columna et firmamentum veritatis. » Et in Joannis Apocalypsi legimus (*Apoc.* III) : « Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius. » Pavimentum ergo quod erat in fronte portarum, de quo jam diximus, sive porticus post tergum portarum, quæ habitatores thalamorum ab imbribus defendebant, erat inferius. Semper enim quæ inferiora sunt, in altioribus collocantur, ut ad mystica atque secreta et plena divitiis spiritalibus ascensu et gradibus pervenire possimus. Plerumque numerus atque perfectus in decem decadarum numero est, qui et sementem Isaac centena fruge multiplicat. Sed quia in terra erat, et adhuc dicere poterat : « Advena sum ego et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Gen.* XXIII); » hordeum sevisse et centesimam frugem messuisse narratur : necdum enim granum tritici mortuum fuerat in terra,

A quod multas fruges faceret, et famem judaici populi audiendi sermonis Dei saturarat eo pane qui de cœlo descendit. (*Greg.*) Postquam de contemplationis gratia obliquas fenestras insinuans propheta multa locutus est, eductum se exterius dicit, et gazophylacia vidisse commemorat. In quibus gazophylaciis quid aliud quam doctorum scientia designatur? Sed certe hac in re quæri potest, cum doctores sancti spiritalia atque terrena doceant, cur propheta eductum se exterius dicit, et gazophylacia foris vidisse? Sed sciendum est quia alia est contemplatio, quæ tantum videt quantum dicere non valet : alia vero scientia atque doctrina quæ tantum videt quantum exprimere per linguam possit. In comparatione quippe illius luminis quod voce exprimi non potest quasi totum hoc foris est quod exprimi voce potest. Ait itaque :
B « Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia et pavimentum stratum lapide in atrium per circuitum. » Quia sermone Græco phylaxe servare dicitur, et gazæ lingua Persica divitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet quo divitiæ servantur. Quid itaque per gazophylacia designatur, nisi, ut prædiximus, corda doctorum sapientiæ atque scientiæ divitiis plena? Quia juxta Pauli vocem : « Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ in eodem Spiritu (*I Cor.* XII). Sunt enim quidam qui per donum gratiæ, et ipsa intelligunt quæ exponi a doctoribus non audierunt, hi videlicet sermones sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam qui
C per semetipsos intelligere audita nequeunt, sed ea quæ in expositoribus legerunt, retinent atque scienter proferunt, quæ lecta didicerunt. Unde itaque isti nisi sermone scientiæ pleni sunt? Quamvis hoc intelligi et aliter possit, quia sapientia ad vitam, scientia vero pertinet ad doctrinam. Qui igitur bene vivit et prudenter prædicat, gazophylacium spiritalis ædificii recte nominatur, quia ab ejus ore divitiæ dispensantur. His divitiis abundare discipulos idem magister gentium viderat cum dicebat : « Divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia (*I Cor.* I,); » excepto autem eo quod ad æternam patriam divitiæ spiritales ducunt. Est eis a terrenis divitiis magna distantia, quia spiritales divitiæ erogatæ proficiunt, terrenæ autem divitiæ aut erogantur
D et deficiunt, aut retinentur et utiles non sunt. Qui ergo has in se veras divitias continent, recte gazophylacia vocantur. Et habent ipsa gazophylacia pavimentum per circuitum, quia eis adhæret ac subjacet humilitas auditorum. Quod pavimentum recte stratum lapide in atrium dicitur, quia in latitudine charitatis vicissim sibi junctæ sunt animæ fideles, quæ et lapides appellantur pro fortitudine fidei, et stratæ in pavimento sunt in compage humilitatis. Has fidelium mentes Petrus apostolus fortes in fide conspexerat cum dicebat : « Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritales (*I Petr.* II). De his lapidibus sanctæ Ecclesiæ Dominus per Isaiam dicit (*Isa.* LIV) : Ponam jaspidem per propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, universos terminos tuos in

lapides desiderabiles, omnes filios tuos doctos a Domino. Quod ergo Isaias universos Ecclesiæ terminos lapides desiderabiles vidit, hoc Ezechiel pavimentum lapide stratum per circuitum esse perhibuit, quia adhuc de gazophylaciis subdit : « Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti. » Denarius numerus pro perfectione semper accipitur, quia in decem præceptis legis custodia continetur. Activa etenim et contemplativa vita simul in decalogi mandatis conjuncta est : quia in eo et amor Dei, et amor proximi servari jubetur. Amor quippe Dei ad contemplativam, amor vero proximi pertinet ad activam. Sed unusquisque doctor, ut in activam vitam plene se dilatet atque in contemplativam vigilanter surgat, in sanctæ Trinitatis fide debet esse perfectus. Unde et eadem gazophylacia triginta esse memorantur, ut cum denarius ter ducitur, vita et lingua doctoris in Trinitate solidetur. Sed hac in re illud nobis est vigilanter intuendum quod propheta, cum gazophylacia descripsisset, adjunxit pavimentum per circuitum, atque inferius subjungit gazophylacia in circuitu pavimenti : quatenus gazophylacia in circuitu pavimenti, et pavimentum in circuitu gazophylaciorum esse videatur. Pavimentum quippe et gazophylacia eo sunt ordine distincta, ut et gazophylacia intra pavimentum, et pavimentum inter gazophylacia fuerit stratum. Non hoc ergo sine magno mysterio est, quod in circuitu gazophylaciorum esse dicitur pavimentum, et in circuitu pavimenti narrantur esse gazophylacia. Habet enim pavimentum in circuitu gazophylacia : quia vitam audientium erudit quotidie, et custodit lingua doctorum. Doctores enim boni in sanctæ eruditionis verbis modo fomentis dulcedinis, modo asperitate increpationis invigilant, ut auditorum suorum vitam a vitiis defendant. Sed habent ipsa quoque gazophylacia in circuitu pavimentum, quia sæpe etiam doctorum cor vitiorum tentationibus tangitur, ut modo elevetur jactatione superbiæ, modo iræ stimulis inflammetur. Sed cum bonorum auditorum vitam considerant, eam quæ profecisse suis exhortationibus pensant, erubescunt tales non esse, quales auctore Deo per se conspiciunt alios factos esse, et ante se in mente stabiliunt, quam plene in culpa labantur. Nam cum ipsa sua a doctoribus verba ad memoriam redeunt, erubescunt non servare quod dicunt. Unde et per Salomonem dicitur : « Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum (*Prov.* XVI). Os enim nostrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod diximus a vitiis refrenamur : quia turpe nimis est, ibi nos negligendo cadere, unde prædicando conati sumus alios levare. Habent ergo gazophylacia in circuitu pavimentum, quia doctorum magna custodia est, vita venerabilis auditorum, et suus ei sermo fit in adjutorium, quia erubescunt pulsantibus vitiis non resistere qui contra vitia alios armaverunt. Quia enim quandiu in hac vita vivimus, contra malignos spiritus quid aliud quam in acie stamus? Sicut prædiximus, doctoris animus forsitan aliqua elatione pulsatur, sed sive ne ipse pereat, seu ne per exemplum suum alios ad perditionem trahat, vigilanter se et festine circumspicit, in cogitationibus remordet adducta auditorum suorum ad memoriam, semetipsum humiliat, et in quibus prævalet, agit ne elatio principetur in mente, ne dominetur in opere. Scriptum quippe est : « Initium omnis peccati superbia (*Eccl.* X). » Quis ergo erit ante Dei oculos fructus boni operis, si ex radice putruit elationis! Sæpe, ut prædictum est, ejus animus tentatur ex ira, sed citius se ad se circumspiciendo colligit, et disciplinæ se pondere deprimens, agit ne motus animi transeat in sermone, ne erumpat in voce : sitque ut ira perturbati animi ubi per negligentiam oritur, ibi per judicium suffocata moriatur : qua ex re agitur, ut ex concepta culpa animus virtutem pariat, quia etsi sese fortiter custodire noluit ne ad motum surgeret, se tamen in commotione fortiter vicit. Unde bene per Salomonem dicitur : « Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium (*Prov.* XVI). » Et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius. Si portarum longitudinem ad locum referimus, in quo portæ erant constructæ, secundum longitudinem portarum pavimentum erat inferius : quia quantum tenere locus portarum poterat, tantum tendebatur, et pavimentum quod erat inferius. Longitudo ergo pavimenti a portis non erat dissimilis, sed tamen æqualitas pavimenti non erat cum portis. Quid est ergo quod pavimentum cum portis longum similiter erat, sed æquale non erat, nisi quod longe distat vita populorum a vita docentium? quia etsi ad regna cœlestia tendentes eamdem longanimitatem spei habeant, eadem tamen vivendi studia non habent. Tendatur ergo pavimentum similiter in longum quia ipsam fidem, ipsam spem in se retineant auditores quam habere certum est prædicatores. Sed pavimentum inferius jaceat, ut omnes auditores prædicatores suos longe a suis meritis excellere cognoscant. Sin vero longitudinem portarum ipsam, sicut superius diximus, earum altitudinem intelligere debemus, dum, sicut paulo post scriptum est, ad portas gradibus ascendebatur, tanto pavimentum jacet inferius, quanto unaquæque porta surgit in altitudine : quia quanto sanctior est vita doctoris, tanto fit humilior sensus audientis, et semetipsum despicit, dum prædicatoris sui vitam in magna surgere altitudine perpendit. Imitari etenim bona ejus alia forsitan potest, alia non potest, in quibus prævalet proficit; in quibus minime prævalet, ad humilitatem crescit, et hoc ipsum ergo ei in provectu est quod ei imitabile ad provectum non est. Ecce enim si prædicatorum nostrorum ea quæ legimus facta, et dicta pensamus, in quantum altitudine surrexerint portæ agnoscimus. Ut enim taceamus de ostensione signorum, loquamur de virtutibus cordium. Certe Paulus, qui se legi mortuum per legem dicit, qui ut in Christo crederet ei hoc et lex ipsa prædicavit, magno fidei ardore succensus, præcepta legis tenere carnaliter noluit, circumcisionem in gentibus fieri vetuit : et cum Petrus ap-

stolus servari adhuc in circumcisione legis consuetudinem vellet, ei in faciem restitit, eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit, et hoc ejus studium discipulis loquens, non solum culpam, sed quod est magis hypocrisin, id est, simulationem nominat, dicens : « Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quod reprehensibilis erat (*Gal.* II). » Et paulo post : « Et simulationi ejus consenserant cæteri Judæi (*Ibid.*). » Idem vero apostolorum primus, cum multa discipulos admoneret, atque a quibusdam detrahi de Pauli scriptis agnosceret, dicit : « Sicut charissimus frater noster Paulus secundum datam sapientiam sibi scripsit vobis loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem (*II Petr.* III). » Ecce Paulus in Epistolis suis scribit Petrum reprehensibilem : ecce Petrus in epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat, admirandum. Certe enim, nisi legisset Petrus Pauli Epistolas, non laudasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam quod reprehensus est : atque ei et hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat quæ aliter quam debuerat sensit, seque etiam minori fratrum ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sequens minoris sui ut etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate. Pensemus ergo in quo montis vertice stetit qui illas Epistolas laudavit, in quibus se scriptum vituperabilem invenit. Quæ illa tanta esse mansuetudo potuit, quæ quies animi, quæ soliditas mentis atque imperturbatio cogitationis? Ecce a minore suo et reprehenditur, et reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat quod primus in apostolatu vocatus est : non quod quæcunque in terra solveret essent soluta et in cœlo; non quod in mare pedibus ambulavit : non quod paralyticos in Jesu nomine jubendo erexerat, non quod ægros corporis sui umbra sanaverat : non quod mentientes verbo occiderat, non quod mortuos oratione suscitabat. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat, quasi a memoria repulit, ut unum fortiter humilitatis donum teneret. Pensemus ergo, si possumus, Paulum apostolum, qui tantum patiens inter persecutores quantum mansuetus inter discipulos fuerit. Certe Corinthum veniens, ab idolorum servitio Corinthios retraxit, quis esset verus Deus innotuit, æternæ eis vitæ gaudia prædicavit. Et cum magnam multitudinem populi in fide collegisset, tantam illic inopiam pertulit, ut victus sui gravi necessitate laboraret : et panem terræ a discipulis non accepit, quibus panem cœli prædicavit. Instabat verbo pro vita audientium : instabat labori manuum pro vita corporis sui. De terris quoque aliis ei stipendia a discipulis mittebantur, ut Corinthiis prædicare sufficerit : ipse quippe ad eosdem Corinthios per Epistolam loquitur, dicens : « Cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui. Nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia (*II Cor.* XI). » Consideremus ergo quantæ altitudinis istæ spiritalis ædificii portæ sunt, quas et spiritales patres admirantur. Quantum itaque nos in earum admiratione humiliari necesse est qui pavimentum sumus! Sed quia sub longitudinis appellatione altitudinem portarum audivimus, nunc aliquid de earum latitudine cognoscamus. « Et mensus est, inquit, latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus, centum cubitos ad orientem, et ad aquilonem. » In quibus verbis si portam aditum accipimus, quo ad cognitionem Domini intramus, porta inferior fides est; atrium vero interius contemplatio. Habet autem porta inferior latitudinem in facie, quia videlicet fides per charitatis suæ amplitudinem habet eam quæ videtur a proximis operationem. Quam dum fortiter a perfectioribus agi conspicimus, nos qui in bonis actibus angustamur, exempla per eos magnæ operationis accipimus, et unaquæque sancta actio quasi quædam nobis fit latitudo itineris, quæ prius erat angustia difficultatis. Habet quoque atrium interius frontem, quia contemplativa vita per quædam signa desideriorum et gemituum ostendit quantum intus videat quam tantum amat. Denarius autem numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit. Unde recte per centenarium magna perfectio designatur, sicut de electis dicitur : « Omnis qui relinquit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit (*Matth.* XIX). » Neque etenim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit, quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit; nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est; sed per centenarium numerum perfectio designatur, postquam etiam vita æterna promittitur, quia quis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, et hic perfectionem mentis recepit, ut jam ea non appetat quæ contemnit, et in sequenti sæculo ad æternæ vitæ gloriam pervenit. Mensus ergo vir latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos, quia Redemptor noster quotidie per magistros atque doctores in mensura perfectionis metitur vitam fidelium : vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis per contemplationem. Quis ergo est qui per centum cubitos mensuratur, nisi is cujus bona operatio recta intentione utitur, ut in eo quod agit, non ad terrena lucra appetenda aut laudes transitorias reflectatur? Ecce enim misericordiam proximis exhibere, possessa largiri, cum celeritate indigenti tribuere, latitudo in facie portæ inferioris est. Sed si tua dans aliena non appetas, si terrenam gloriam de ipso bono opere non requiras, recte in centenario numero, id est, in perfectione mensuraris. Nam qui videtur dare misericorditer propria, et rapit forsitan violenter aliena, iste adhuc quæ sit via perfe-

ctionis ignorat nec cognovit unde an perfectionem tenditur, quia nec ipsum ejus initium invenit. Prius enim appetitum evellere a mente debuit, et postea quæ in re possidet, largiri. Unde scriptum est : « Declina a malo, et fac bonum. » Quid enim potest esse boni quod facit, qui necdum a malo declinavit? Et sunt quidam, qui, sicut dictum est, ab alimentis abstinent, carnem cruciant : sed tamen si pulsati fuerint, cognoscuntur quia ad mundi gloriam anhelant. Isti frontem atrii interioris ostendunt, sed per centum cubitos non mensurantur. Hi ergo in numero perfectionis sunt de quibus per Paulum dicitur : « Qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* v). » Et notandum quod non dicitur quod intrinsecus, sed extrinsecus ista mensurantur : quia videlicet Redemptor noster cum per nos facta hominum vel approbat vel indicat non intrinsecus metitur. Unde et per Evangelium dicitur : « Ex fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* vii). » Cum enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflictis concurrere, oppressis subvenire, nil eos in hoc mundo gloriæ quærere, nullis hujus mundi compendiis inhiare, atque alios videmus carnem domare, lacrymis insistere, verbis cœlestibus occupari, nil transitorii honoris appetere : quid aliud debemus nisi eos perfectos credere, sanctos æstimare? Quia ergo per hoc quod aspicimus, esse eos perfectos videmus, eorum vitam per centum cubitos metimur. Et quia multi in Judæa, plerique vero in gentilitate positi, ad hanc perfectionis summam venerunt, recte subjungitur : Ad orientem et ad aquilonem. Judaicus etenim populus oriens jure dictus est, de cujus carne ille natus est, qui sol justitiæ vocatur; de quo per prophetam dicitur : « Vobis autem qui timetis Dominum orietur sol justitiæ (*Malach.* iv). » Per aquilonem vero gentilitas figuratur quæ diu in perfidiæ suæ frigore torpuit, et in cujus corde ille regnavit qui attestante propheta apud semetipsum dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem. » Quia itaque incarnatus omnipotens Dominus alios perfectos ex Judæa, alios perfectos ex gentilitate intra sanctam Ecclesiam fecit, centum cubitos non solum orientem mensus est, sed etiam ad aquilonem. (*Hieron.*) Quomodo autem centum cubiti non solum ad portam orientalem fuerint, sed et ad portam aquilonis sequens testimonium demonstrabit.

« Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis « atrii exterioris mensus est tam in longitudine « quam in latitudine, et thalamos ejus tres hinc et « tres inde, et frontem ejus, et vestibulum ejus, se- « cundum mensuram portæ prioris, quinquaginta « cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti « quinque cubitorum; fenestræ autem ejus et vestibu- « lum et sculpturæ, secundum mensuram portæ quæ « respiciebat ad orientem, et septem graduum erat « ascensus ejus. Et vestibulum ante eam, et porta « atrii interioris contra portam aquilonis et orien- « talem. Et mensus est a porta usque ad portam

A « centum cubitos. » Mensus est autem vir cujus funiculus in manu erat portam quoque aquilonis atrii exterioris, sive introduxit prophetam per portam aquilonis. Secundo per portam austri. Tertio per portam orientalem. Ab aquilone enim exardescunt mala super habitatores terræ. Pulchreque qui habitator terræ est, et non advena et peregrinus, patet jaculis ejus qui venit ab aquilone, cujus ignita sunt jacula, quæ juxta Apostolum scuto fidei restinguuntur, et ad aquilonem exterius atrium nominatur : ad meridiem vero, hoc est ad austrum, non exterius sed interius. Dicit enim Scriptura : « Et introduxit me ad atrium interius, ad portam australem; » quod et in orientali atrio scriptum similiter invenitur. Primus enim ad virtutem ingressus est, aquilonem calB care pedibus, et per quinquagenarium et vigesimum quintum numerum ad summitatem centenarii pervenire. Deinde introduci ad australem plagam, et aquilonis frigus expellere. Tunc ad perfectam venire virtutem, id est, ad portam orientalem, in qua oritur sol justitiæ, et per quam solus ingreditur pontifex. Et hoc observandum quod cum quatuor plagæ sint, de occidentali porta taceatur : de qua in principio sexagesimi septimi psalmi scriptum est : « Iter facite ei qui ascendit super occidentem, Dominus nomen ejus (*Psal.* LXVII); ut postquam nobis præparantibus iter Domino, et illud implentibus quod Joannes Baptista clamat in eremo : « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (*Matth.* xi), possimus audire quod in extrema parte ejusdem psalmi C dicitur : « Cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. Quod autem dicuntur thalami tres hinc et tres inde, hoc docet : quod tam littera quam spiritus et utraque intelligentia et historiæ tropologiæ ad Trinitatis sacramenta pertineant. Illud quod additur, « Et frontem ejus et vestibulum secundum mensuram portæ prioris, » orientalem portam significat, quæ prior non ordine, sed merito nuncupatur. « Et habebat, inquit, quinquaginta cubitos in longitudine, et viginti quinque in latitudine; » ut in quinquagesima post septem hebdomadas æterna requies demonstretur, tendens per diem resurrectionis ad regna cœlorum, in quibus vera requies est. In 25 autem de quo numero ante D jam diximus, quinque sensuum per quinque ordines quadranguli mensura servetur, quorum alterum longitudini, alterum latitudini coaptatur : ut in longitudine requies et delectatio sacratioris scientiæ : in latitudine præsentium quæ ad sensus pertinet ratio demonstretur. Quod infertur, « Et fenestræ ejus et vestibula et sculpturæ, » sive ut Septuaginta addidere, « palmæ erant juxta mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem, » hoc subtiliter indicatur, quod quicunque in introitu virtutum positus, tres et tres thalamos fuerit ingressus frontemque et vestibulum mensuræ portæ prioris agnoverit, ad ea perveniat, illaque conspiciat, quæ et in porta orientali plenissime suscepturus est. Porro quod sequitur : « Et septem graduum erat ascensus ejus, et vestibulum

ante eam sive interius, » hunc habet sensum, quod per septem gradus hebdomadis, et ollæ quæ a facie aquilonis accenditur, et cæremonias Judæorum quibus dedit Deus præcepta, non bona et justificationes in quibus non vivant in eis, scandamus ad altiora, et ad vestibulum ejus, id est, portæ, pro quo septuaginta elamoth transtulerunt. Quod vestibulum ante portam est sive interius. Nec solum una porta est aquilonis, quæ supra porta appellatur exterior, sed et altera interior, quæ habet similitudinem portæ orientalis, ut manifestius dixere Septuaginta, et porta atrii interior respiciens portam aquilonis, sicut erat porta quæ respiciebat ad orientem. « Mensusque est a porta exteriori aquilonis, usque ad portam ejusdem aquilonis interiorem, centum cubitos; » ut his quasi gradibus atque mensuris recedentes a porta exteriori, ad interiorem pervenire valeamus: de cujus numeri sacramento supra dictum est. (*Greg.*) Porta etenim viam aquilonis respicit; cum prædicator quisque vitam peccatoris agnoscit, eique interiora vitæ per verbum aperit prædicationis. Quæ porta atrii exterioris dicitur. Exterius quippe est atrium vita præsens, in qua omne quod corporaliter agitur, corporaliter etiam videtur : quæ tam in longitudine quam in latitudine mensuratur : quia cum ad fidem peccator ducitur, necesse est, ut ejus doctor consideret, vel quantum in longitudinem spei, vel quantum in latitudinem charitatis ex ejus admonitione proficiat. Qui enim ad Deum convertitur, si adhuc bona vitæ præsentis sperat, longitudinem non habet: quia brevis est vita in qua spem posuit. Si per terrenarum rerum concupiscentiam, et adhuc proximi odium coangustatur, latitudinem non habet, quia nescit vel transitoria contemnere, vel se in proximi amore dilatare. Cum vero conversus quisque æternæ vitæ gaudia longanimiter sperat, proximorum molestias cum charitate tolerat, et ea quæ non habet concupiscere contemnit, longitudinem et latitudinem porta habet, quia gloria prædicatoris est, profectus auditoris : unde quibusdam per magnum prædicatorem dicitur : « Gaudium meum et corona mea (*Phil.* IV). » Et rursus : « Ecce nunc vivo, si vos statis in Domino (*I Thess.* III). » Atque iterum : « Quæ est enim nostra spes, aut gaudium? nonne vos ante Dominum? (*I Thess.* II). » Longitudo ergo et latitudo portæ est, quæ ad aquilonem respicit : quia cum infidelem quempiam in peccati sui frigore torpentem prædicator ad fidem convertit, per hoc quod eum in longitudinem spei tendit, et in amplitudinem charitatis dilatat, ejus gloriam suam facit : et quia in cognitionem Trinitatis sanctæ ex verbo prædicationis auditores quique in ejusdem Trinitatis amore proficiunt. Habet hæc eadem porta thalamos tres hinc et tres inde : quia omne quod per Testamentum Novum de Trinitate conditor loquitur, hoc etenim de Testamento Veteri ostendit, et cor audientium in amore cœlestis patriæ perficit : ut anima hærens Deo quasi sponsa cum sponso in quodam jam thalamo sedeat atque terrenis se a desideriis funditus avertat. Vel certe ut longe superius dictum est, quia tres sunt ordines bene viventium, bonorum scilicet conjugatorum, continentium, atque prædicatorum. Quos tres bonorum ordines, quia non solum Ecclesia ex gentibus habet, sed aliquando etiam synagoga habuit, dum magna multitudo spiritalium Redemptoris gratiam ardenter exspectavit, porta cœlestis ædificii tres hinc, et tres inde thalamos habet, quia prædicator quisque, cum ad supernam patriam auditorem provocat, et novos patres et veteres anhelasse cœlesti desiderio demonstrat. Plus enim plerumque exempla quam prædicationis verba compungunt; et cum prædicator dicit quales alii in conjugio, vel in continentia, vel in prædicatione erga omnipotentis Dei amorem in Novo Testamento fuerint, vel alii quales in Veteri, porta quæ loquitur ternos ex utroque latere habere se thalamos ostendit. Quæ porta habet et frontem, quia sunt in prædicatoris vita aperta opera quæ videntur. Habet et ante frontem vestibulum, quia priusquam bona opera insinuet, prædicat fidem, per quam anima humiliter veniens ad bonorum actuum altitudinem sublevatur : quæ cuncta secundum mensuram portæ prioris sunt, juxta hoc quod subditur : « Quia mensus est quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum. » Hæc jam superius latius me dixisse meministis. Per quinquagenarium enim numerum requiem diximus figurari, quia et quinquagesimus annus veteri populo in requiem datus est, qui appellatus est jubilæus : et septenarius numerus, per quem hoc omne tempus evolvitur, septies multiplicatus ad quadraginta et novem ducitur; cui unus additur, quia in unius contemplatione requies æterna perficitur. Idem ergo quinquagenarius numerus nobis in longitudinem est, quia pervenire ad illam requiem non potest, nisi qui ad eam spem suam modo tendere longanimiter potest. Unde et hic post longitudinem quinquaginta cubitorum protinus latitudo subjungitur viginti et quinque cubitorum; quæ videlicet latitudo ad charitatem proximi pertinet. Ipsa enim in fratrum amore se dilatat, atque erga eos omne quod potest boni operis exercet. Cuncta autem bona opera quæ corporaliter fiunt, per quinque corporeos sensus exhibentur; videlicet, per visum, auditum, tactum, gustum, odoratum. Quinarius vero numerus per semetipsum ductus, ad vicesimum et quintum pervenit, quia [bona opera cum agi cœperint, per fervorem animum ad augmentum excitant, et per semetipsa multiplicantur : unde et latitudinem menti faciunt, ut non sit angusta per teporem, sed expansa in bonis actibus per charitatem. Omnis enim torpor, teporis angustia est. Omnis vero benignitas charitatis, magna latitudo; nam etsi res desunt quæ fortasse indigenti proximo præbeantur, ampla est substantia voluntatis bonæ, quæ sufficit ad regni retributionem, sicut scriptum est : « In terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). »

« Fenestræ, inquit, ejus et vestibulum, et sculpturæ

secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem. » Cuncta hæc jam superius latius dicta sunt, et idcirco sermo non debet morosa expositione tardari. Hoc tamen magnopere notandum est, quod porta ad aquilonem ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad orientem, fenestras scilicet contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturas bonæ operationis. Omnes enim qui per hoc quod Deo in conversatione nati sunt in innocentia perstiterunt, portam ad orientem habent : quia eis cœlestis regni aditus patet a lumine quod acceperunt. Et omnes qui in peccatis postmodum lapsi torporis sui frigore sunt depressi, sed per pœnitentiam redeunt, ad amorem cœlestis patriæ recalescunt, portam ad aquilonem habent : quia eis etiam post peccati sui frigora regni aditus per misericordiam patet. Ea ergo habere dicitur porta ad aquilonem, quæ habet porta ad orientem : quia et conversi peccatores sic ditantur virtutibus, sicut illi sunt divites, qui cadere in peccato vitaverunt. Unde et Psalmistæ voce per Dominum dicitur : « Cinerem sicut panem manducabam (*Psal.* CI), » quia sic pœnitentes recepit ut justos. Scriptum quippe est de peccatoribus : « Olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. » Cinis ergo sicut panis comeditur : quando ad auctoris sui gratiam peccator per pœnitentiam sicut innocens revocatur. Porta igitur ad aquilonem habet fenestras, habet vestibulum, habet sculpturas : quia cum peccator ad vitam post culpas reducitur, sæpe lumen contemplationis accepit, atque de ipsa memoria iniquitatis suæ gratiam magnæ humilitatis, bonæ quoque operationis efficaciam sumit : ut omne quod fieri præcipitur, in vita ejus quasi sculptum esse videatur. « Septem vero graduum erat ascensus ejus, et vestibulum ante eam. » Septem gradibus ad portam ascenditur, quia per sancti Spiritus septiformem gratiam aditus nobis vitæ cœlestis aperitur. Quam septiformem gratiam Isaias in ipso nostro capite, vel in ejus corpore quod sumus enumerans, dicit : « Requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isai.* XI). Quos gradus de cœlestibus loquens, descendendo magis quam ascendendo numeravit : videlicet sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Et cum scriptum sit : « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX), » constat procul dubio, quia a timore ad sapientiam ascenditur, non autem a sapientia ad timorem reditur : quia nimirum perfectam habet sapientia charitatem. Et scriptum est : « Perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV). » Propheta ergo, quia de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis a sapientia, et descendit ad timorem. Sed nos qui a terrenis ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeremus, ut a timore ad sapientiam pervenire valeamus. In mente etenim nostra primus ascensionis est gradus timor Domini, secundus pietas, tertius scientia, quartus fortitudo, quintus consilium, sextus intellectus, septimus sapientia. Est etenim timor Domini in mente : sed qualis iste timor est, si cum eo pietas non est? Qui enim misereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationi dissimulat, hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem. Sed sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si fortasse pepercerit, quæ parcenda non sunt. Peccata enim, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ sunt verbere corrigenda : sed inordinata pietas cum temporaliter parcit, ad æternum supplicium pertrahit. Ut ergo vera et ordinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda, id est, ad scientiam : ut sciat, vel quid ex judicio puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quid si sciat quid agere quisque debeat, virtutem vero agendi non habeat. Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut cum videt quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit : ne timore trepidet et pavore collapsa non valeat bona defendere quæ sentit. Sed sæpe fortitudo, si improvida fuerit, et minus contra vitia circumspecta, ipsa sui præsumptione incassum ruit.

Ascendat ergo ad consilium, ut prævidendo præmoveat omne quod agere fortiter potest : sed esse consilium non potest, si intellectus deest, quia qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo potest bonum solidare, quod adjuvat? Itaque a consilio ascendamus ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine vigilet, et moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam : ut hoc quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Quia igitur per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ad scientiam ducimur, per scientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad consilium tendimus, per consilium, in intellectu proficimus. Septem gradibus ad portam ascendimus, per quam nobis aditus spiritalis vitæ aperitur. Bene autem dicitur quia vestibulum erat ante eam : quia nisi quis prius humilitatem habuerit, ad hos gradus donorum spiritalium non ascendet, sicut scriptum est : « Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos? Potest quoque per vestibulum fides intelligi, ipsa quippe est ante gradus et portam, quia prius ad fidem venimus, et postmodum per spiritalium donorum gradus, cœlestis vitæ aditum intramus : non enim virtutibus venitur ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutes. Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera solidatur in fide. Vestibulum itaque ante gradus est, quia qui prius crediderit, ipse post virtutum gradibus ad portæ aditum ascendit. Sequitur. « Et porta atrii interioris contra portam aquilonis et orientalem. » Hoc loco, *contra* non pro adversitate ponitur, sed pro rectitudine : ita enim porta interioris atrii posita monstrabatur ut porta aquilonis et orientis recto aditu ad eam tenderet. Quid est ergo, quod porta interior recto itinere posita contra portam orientis et aquilonis ostenditur, nisi hoc quod aperte datur intelligi, quia sive judaico et gentili populo, sive

justis et peccatoribus, sed post peccata conversis, A æque aditus regni cœlestis aperitur? Larga est enim misericordia Creatoris nostri : et porta interior non solum portam orientis respicit, sed etiam aquilonis, quia non solum his qui in innocentia permanent, sed etiam peccatoribus peccata sua pœnitendo damnantibus aperiuntur interioris atrii gaudia, ut ineffabilia mysteria patriæ cœlestis agnoscant; agnoscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. Quid igitur restat, nisi ut se ad perfectioris vitæ cursum dirigant, omnes qui illa gaudia patriæ cœlestis agnoscunt? Unde et hic aperte subjungitur : « Et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos. » Centenarium numerum, quia decies per denarium ducitur, jam superius diximus esse perfectum. Itaque qui aditum atrii interioris videt, profecto necesse est, ut per vitam perfectionis currat : ut a B porta inchoationis usque ad consummationis ingressum perveniat. Mensuretur ergo atrium interius, quod a portis exterioribus usque ad portam interiorem tenditur, centum cubitis : ut qui intrare amando cœpit, latitudinem perfectionis habeat in mente : quatenus in eo, quem nec prospera extollunt, ne adversa coangustent, sed transitoria cuncta despiciens, quousque ad gaudia secreta perveniat, per atrium perfectionis currat. Sunt etenim multi, qui jam in septem gradibus aditum portæ exterioris intraverunt, juxta quemdam supernæ dispensationis modum per timorem Dei humiles, per pietatis studium misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum pro- C vidi, per sapientiam maturi : sed adhuc quibusdam necessitatibus obligati, hujus mundi curis inserviunt, et unde jam ex magna parte excusserunt animum, ibi adhuc tenentur inviti : cumque superimposita terrenæ occupationis portant onera, minus in præceptis cœlestibus exercentur, anhelare medullitus ad æternam patriam non vacat, ipsa in eis suo aliquo modo desideria languescunt : quia animo curis temporalibus præpedito, vera gaudia, quæ cognovit amare tantum non licet, quantum libet. Hi plerumque a jugo mundi colla mentis excutiunt, omnia deserunt, terrenæ curæ pondera deponunt : atque ut ad cœleste desiderium latius animi sinum laxent, vitam remotam petunt : et in ea sanctis precibus intenti, sacris meditationibus dediti, quotidiano se fletu afficiunt, et D vetustatem cordis igne amoris conflant, atque ad cœleste gaudium accendendo se innovant. Hi itaque cum a portis exterioribus usque ad interiorem portam per boni studii atrium differuntur, hoc ipsum in eis atrium centum cubitis mensuratur : quia dilatione et exercitio in sancta quotidie perfectione proficiunt, per quotidiana desideria in mentem perfici, est quasi centum cubitis interius atrium mensurari. Idcirco ergo a portis usque ad portam centum sunt cubiti, ut quasi quædam mora eundi sit ipsa dilatio vivendi, per quam quotidie in virtutibus crescitur, ut ad interiorem aditum perfectius perveniatur. Sequitur.

« Et duxit me ad viam australem, et ecce porta, « quæ respiciebat ad austrum. Et mensus est frontem « ejus, et vestibulum ejus, juxta mensuras superio« res, et fenestras ejus, et vestibula in circuitu, « sicut fenestras cæteras quinquaginta cubitorum « longitudinem, et latitudinem viginti quinque cubi« torum, et in gradibus septem ascendebatur ad eam. « Et vestibulum ante fores ejus. » (*Greg.*) Cuncta hæc in orientis et aquilonis porta jam dicta sunt : et congruum non est, ut ea quæ semel ac secundo exponentes diximus sæpius replicemus. Notandum nobis tamen est, quia in spiritali ædificio alter aditus ad orientem, alius ad aquilonem, atque alius ad austrum patet. Sicut enim aquilonis frigore peccatores, ita per australem viam ferventes spiritu designantur : quia calore Spiritus sancti accensi, velut meridiana luce virtutibus excrescunt. Pateat ergo porta ad orientem, ut hi qui sacramenta fidei inchoaverunt, et in nulla postmodum vitiorum profunditate demersi sunt, ad gaudia secreta perveniant. Pateat porta ad aquilonem, ut hi, qui post inchoationem caloris et luminis in peccatorum suorum frigore et obscuritate delapsi sunt, per compunctionem pœnitentiæ ad veniam redeant, et quæ sit internæ retributionis vera lætitia cognoscant. Pateat porta ad meridiem, ut hi, qui sanctis desideriis in virtutibus fervent, spiritali intellectu quotidie interni gaudii mysteria penetrent. Inter hæc autem quæri potest, cum quatuor hujusmodi partes sint, cur in hoc ædificio atrii exterioris non quatuor, sed tres portæ esse memorantur : quod recte quærendum fuerat, si propheta non spiritale, sed corporale ædificium vidisset. Sancta enim Ecclesia, id est spiritale ædificium, ut ad secreta gaudia pertingat, tres solummodo portas habet, videlicet fidem, spem atque charitatem : unam ad orientem, aliam ad aquilonem, tertiam ad meridiem. Porta quippe in oriente est fides : quia per ipsam lux vera nascitur in mente. Porta ad aquilonem spes : quia unusquisque in peccatis positus, si de venia desperaverit, funditus perit : unde necesse est ut qui per suam iniquitatem exstinctus est, per spem misericordiæ reviviscat. Porta ad meridiem, charitas, quia in igne amoris ardet. In meridiana etenim porta sol in altum ducitur, quia per charitatem lumen fidei in Dei et proximi dilectione sublevatur. Tribus igitur portis ad interius atrium tenditur, quia per fidem, spem et charitatem ad gaudia secreta perveniunt. Alia quoque quæstio oritur, cur porta atrii interioris posita contra portam orientis et aquilonis dicitur, et australis porta, cui pateat tacetur? Sed quia per orientem inchoationem, per aquilonem lapsum diximus designari, dignum fuit, ut vel de inchoantibus, quibus adhuc sol in tepore est, vel etiam de lapsis, sed per conversionem redeuntibus, aperte diceretur quod eis porta atrii interioris pateat : quatenus ex ipsis nos certos faceret, de quibus dubitari poterat. Hoc autem de porta australi dicendum non erat, quia eos ad gaudia interna pertingere, qui fervore spiritus in virtutibus permanent, nullus ignorat. Sequitur.

« Et cælatæ palmæ erant, una hinc et altera inde

« in fronte ejus. (*Hieron.*) » Duæ quoque palmæ cælatæ, de quibus in septentrionali plaga portæ diximus, et hoc tantum admonuisse sufficiat, quod quæcunque ibi ponuntur, juxta intelligentiam viliorem, hoc est, juxta litteram in meridiana porta intelligimus, juxta spiritalem sensum : iisdem enim lineis et historia currit et tropologia, sed illa humilior est, ista sublimior. Illa hæret terræ, ista ad cœlestia subvolat. ⁵ « Et in circuitu per fenestras cuncta plena erant luminis. » Singula enim πρόθατα habent terminos suos, et proprium per illa ad animam credentis lumen ingreditur : præsertim si longitudo vitæ ejus quinquagenarii anni, hoc est, Jubilæi mysterio fuerit protelata, et ad divinioris sensus latitudinem potuerit pervenire. In qua latitudine et plateis agit sapientia confidenter, et cum sublimi voce clamitat, septemque gradibus ingreditur, ut perveniat ad vestibulum, et per palmas propositi sui atque conatus victoriam teneat sempiternam. Et ne putaremus unum esse ad australem partem atrium, de secundo dicitur atrio, et portæ atrii interioris in via australi, et mensus a porta usque ad portam in via australi centum cubitos : ut post hebdomadis et Instrumenti Veteris sacramenta, ad terram bonam et Evangelii gratiam perveniret.

(*Greg.*) Quid est hoc, quod prius in frontibus pictura palmarum, nunc autem cælatæ palmæ in fronte esse memorantur? In cælatura quippe lapidum expressa esse opera videntur. Sed, sicut jam superius diximus, pictura palmarum est ostensio signorum. Nunc vero cælatura palmarum dicitur, ut bonorum operum demonstratio designetur. Ipsis enim summis prædicatoribus dicitur : « Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* v). » Qui igitur in vita sua impressa esse sancta opera demonstrant, palmas in fronte cælatas habent, quia quanto illos in posterum victoria sequatur, jam nunc in sanctis suis operibus ostendunt. Vel certe quia fidem per orientis, spem per aquilonis, charitatem vero per australem portam diximus designari. Notandum nobis est, quia in orientis porta pictura palmarum, in aquilone vero et meridie cælatura esse perhibetur, quia contingit sæpe, ut hi, qui adhuc inchoantes sunt, necdum se in operibus solidis ac magnis exerceant. Hi vero, qui post iniquitates ad virtutem redeunt, plerumque, ut culpas suas ante omnipotentis Dei oculos tegere valeant, in magnis operibus exercentur : et qui jam fervore spiritus in virtutibus excreverunt, quasi meridies in sanctis actibus inardescunt. In orientis ergo porta pictura est, in aquilonis vero et meridiei cælatura, quia signum victoriæ, quod in inchoantibus ostenditur, hoc in revertentibus atque ferventibus jam solidius et robustius tenetur. Notandum quoque magnopere est quod dicitur : « hinc et inde. » Omnes enim qui ad vitæ aditum tendimus, et ex dextro et sinistro latere habere palmam debemus. Quod enim hinc et inde dicitur, latus utrumque signatur. A dextro igitur palmam habet is quem prospera non extollunt; a sini-

A stro palmam habet is quem adversa non dejiciunt. Quasi ex utraque parte portabat Paulus palmam, cum diceret : « Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces (*II Cor.* vi). » Nam hunc adversa frangebant, non prospera in mentis tumore sublevabant. Hinc et hinc ergo gestabat palmam, quia et in adversitate fortis, et in prosperitate humilis permanebat. Quisquis enim de prosperis extollitur, habere in parte dextera palmam nescit : quisquis in adversitate frangitur, portare palmam a sinistro latere ignorat. Ut ergo hinc et inde palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet, et in adversis fiducia, et in prosperis timor : ne aut adversa in desperationem pertrahant, aut

B prospera animum in sui fiducia extollant. Hinc est quod idem egregius prædicator dicebat : « Scio et humiliari, scio et abundare (*Philipp.* iv); » ubique et in omnibus institutus sum, et satiari et esurire et abundare, et penuriam pati : « Omnia possum in eo qui me confortat (*Ibid.*). » Nunquidnam ars est aliqua humiliari et abundare, satiari et esurire, abundare et penuriam pati, ut pro magno se scire ista tantus prædicator insinuet? ars omnino et mira disciplinæ scientia, quæ toto nobis cordis est adnisu discenda. Quem enim penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit : in rerum temporalium desiderium non accendit. Seit humiliari : hoc enim loco Apostolus humiliari, dicit penuriam perpeti. Nam statim e contrario subjunxit : « Scio et abundare. »

C Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui eas ad usum vanæ gloriæ non intorquet, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare, qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit. Scit satiari, qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus agit aliquid, unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo, nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Qui cum statim subderet « omnia possum, » ne elationis esse verba crederemus, adjunxit in quo : « in eo, qui me confortat. » Ecce in altum ramus prodit : sed

D quia in radice se tenuit, in viriditate permansit. In altum enim surgens aresceret, si se a radice divisisset. Sibi enim nil tribuit, qui omnia se posse non in se, sed in eo qui se confortat, fatetur. Hinc et inde ergo prædicator egregius palmam habet, quem nec abundantia in superbiam, nec inopia ad avaritiam pertrahit. Discamus igitur abundare, ut cuncta quæ ab eo accepimus cum indigentibus partiamur, ut mentem abundantia non elevet, ne fortasse gaudeat, quia hoc adest sibi, quod deest alteri : et non jam communi bono, sed proprio lætetur. A privato gaudio Veritas ad commune discipulos revocat, cum eos de prædicatione redeuntes, et de subjectione dæmonum lætantes admonet, dicens : Nolite gaudere

super hoc, sed potius gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Non enim omnes electi dæmonia ejiciunt, sed tamen electorum omnium nomina cœlo tenentur ascripta. Admonentur ergo discipuli privatam lætitiam deponere : communi autem et perpetua felicitate gaudere. Quisquis itaque in eo, quod alter non habet, gaudet, ex ipsa sua abundantia deterior factus gaudium privatum habet. Contra hujus nos appetitum abundantiæ Joannes admonet, dicens : « Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt (*I Joan.* II) ; » qui mox rationem subdidit quare : « si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo (*Ibid.*). Nemo enim potest duobus dominis servire (*Matth.* VI), » quia non valet simul transitoria et æterna amare. Si enim æternitatem diligimus, cuncta temporalia in usu non in affectu possidemus, quia eamdem rationem protinus subdit, dicens : « Quia omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Ideo enim habere aliquid homines, et ultra quam necesse est concupiscunt, ut habendo superbiant : et quia hoc alius non habet, se in cogitationibus extollant. Discamus penuriam pati, ne ea quæ non habemus, habere etiam cum culpa requiramus : ne felices putemus, quos rebus onustos cernimus. Nimia valde sunt ea, quæ sibi quasi in sumptus vitæ præsentis præparant, multa portant, sed in via brevi : magna est nobis in hoc itinere socia paupertas, quæ animum non angustat, cum deest terrena substantia, de qua æterno judici rationes ponamus. Liberius ad patriam tendimus, quia quasi in via pondere caremus. Discamus satiari, ne in sumendis alimentis corporis gulæ magis quam necessitati serviamus. Plus enim concupiscentia, quam necessitas petit : et sæpe dum carnis inopiæ satisfacere curamus, voluptas subrepit, modum refectionis excedit : unde fit ut culpa transeat ad culpam, quia plerumque inde alia carnis tentatio nascitur, dum carni immoderatius in refectione servitur : ex peccato etenim primi hominis infirmante natura in hoc mundo cum nostris tentationibus nascitur, et caro nobis aliquando adjutrix est in bono opere, aliquando autem seductrix in malum. Si igitur ei plus quam debemus tribuimus, hostem nutrimus : et si necessitati ejus, quæ debemus, non reddimus, civem necamus. Satianda itaque est caro, sed ad hoc usque, ut in bono nobis opere famulari sufficiat. Nam quisquis ei tantum tribuit, ut superbiat, satiari penitus ignorat. Ars itaque magna est satiari, ne unusquisque per satietatem carnis ad iniquitatem prorumpat turpitudinis. Discamus esurire, ut nobis propter abundantiam sequentem nostra hic inopia placeat, ne nos ventris necessitas ad culpam trahat, ne peccatum menti ipsi indigentia suggerat : et dum caro fame afficitur, ad cupiditatem animus irritetur, et quærat cum culpa providere, unde carni valeat in necessitate satisfacere : ne cor in indignatione prosiliat, et linguam in murmurationis amaritudinem accendat. Qui igitur in carnis suæ inopia se hinc inde circumspicit atque a peccati laqueo custodit, novit esurire. Nos itaque, fratres carissimi, iram atque avaritiam in adversitate fugientes, elationes et immoderata gaudia in prosperitate declinantes, quia per fidem, spem, atque charitatem interioris vitæ atrium tribus portis intrare concupiscimus, palmas hinc et inde teneamus. « Et introduxit me, inquit, in atrium interius ad portam australem, et mensus est portam juxta mensuras superiores, etc. » (*Hieron.*) Singula enim atria habent mensuras et ordines suos, et in iisdem mensuris diversa gratia est, dum easdem res aliter in principio, aliter in profectu, aliter in fine cognoscimus. Hoc vero, quod in Septuaginta non habetur, et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, et latitudine quinque cubitorum, videtur facere quæstionem, propter quod in veteri interpretatione non positum est, quomodo post profectum tertii gradus viginti quinque cubiti et quinque ponantur : sed tollit ambiguitatem illud, quod sequitur, « et vestibulum ejus ad atrium exterius, et palmas ejus in fronte, » ut scilicet hoc atrium, quod habebat in longitudine viginti quinque cubitos, et in latitudine quinque, non interioris, sed exterioris atrii sit, ut prioris atrii latitudinem, hoc est, viginti quinque cubitos exterioris atrii possideat longitudo, et in latitudine quinque cubitos teneat. Quas mensuras, id est, viginti quinque, et quinque, ad eosdem sensus referemus, visum videlicet et auditum, gustum et odoratum et tactum. Quas si ad altiora conscendimus quinquies duplicamus, et de carnalibus sensibus facimus spiritales, ut est illud : « Levate oculos vestros, et videte quoniam jam albæ messes sunt ad metendum (*Joan.* IV) ; » et : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Luc.* VIII) ; » et : « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII) ; » et : « Christi bonus odor sumus in his qui credunt (*II Cor.* II) ; » et in Joannis epistola dicitur : « Quod audivimus et vidimus, et manus nostræ palpaverunt, de verbo vitæ (*I Joan.* I) ; » et ad extremum nequaquam, ut in septentrionali plaga septem tantum gradus sufficiunt, sed post septem octonarius ponitur numerus, ut de Synagoga ad Ecclesiam, de veteri instrumento ad novum, de terrenis ad cœlestia transeamus.

« Et introduxit me in atrium interius per viam « orientalem, et mensus est portam secundum mensuras superiores thalamum ejus et frontem ejus, et « vestibula ejus, sicut supra, et fenestras ejus, et « vestibulum in circuitu, longitudine quinquaginta « cubitorum et latitudine viginti quinque cubitorum, « et vestibulum ejus, id est, atrii exterioris. » (Pro quo Septuaginta et Symmachus *interiorem* posuerunt.) « Et palmæ cælatæ in fronte ejus hinc et inde, « et in octo gradibus ascensus ejus. » De septentrionali plaga, in cujus atrium septem tantum ascendebatur gradibus, transit ad australem portam et atrium ejusdem plagæ : ad quod non solum septem, ut supra, sed et octo gradibus ascenditur. videlicet ut per vetera transeamus ad nova : et ut loquar mani-

festinus, per patriarchas et prophetas veniamus ad apostolos, ut in altero hebdomas in altero ogdoas sit. Nunc autem venit ad ultimum, imo ad summum, et introducit prophetam per viam portæ interioris, sive per atrium, ad quod itur per viam orientalem. Via juxta Septuaginta in hoc tantum habetur loco, in septentrionali et australi plaga omnino tacita est : ut possimus intelligere in orientali tantum porta illam intelligendam viam, quæ dicit : « Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* XIV). » Per ipsum enim venimus ad Patrem. Et de ipso scriptum est : « Beati immaculati in via (*Psal.* CXVIII), » qui nihil de Christi sinistrum sapiunt, sed fides eorum pura est, et nequaquam hæreticorum sorde polluta est. Idemque numerus thalamorum, frontium et vestibulorum, et fenestrarum et luminis earum, et eadem mensura longitudinis et latitudinis quinquaginta, videlicet et viginti quinque cubitorum sacramenta conservans. Et vestibulum ejus portæ sive atrii interioris, quod juxta hebraicum exterius ponitur, ut orientali lumine omnia teneantur inclusa, secundum illud, quod scriptum est : Nec est, qui se abscondat a calore ejus. Sin autem et exterius et interius accipimus, atrium, sic intelligendum est quod Deus, et circumfusus sit et infusus, dicens per prophetam, « qui tenet cœlum palmo et terram pugillo (*Isa.* XL), » ut omnia ab illo videantur includi. Et rursum : « Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum (*Act.* VII); » ut intra omnia credendus sit, juxta illud Virgilianum (*Æn.* VI, 723) :

> Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
> Lucentemque globum lunæ Titaniaque astra
> Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
> Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Cumque per arma justitiæ a dextris et sinistris, per gloriam et ignominiam, per bonam et malam famam, per laudes et vituperationes victoriam de iste sæculo ceperimus, tunc palmæ nobis dantur ex utroque latere, quos nec gaudia mutavere, nec mœror, nec prospera, nec adversa superabunt, et nequaquam per octo gradus, sicut in aquilonis plaga, nec per septem et octo, sicut in meridie continetur, sed per septem tantum gradus ad summa conscendimus, et quod sufficiat nobis octonarii numeri, id est, evangelicum sacramentum, ut possimus juxta Apostolum dicere : « Et si noveramus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus eum (*II Cor.* V), » subauditur juxta carnem.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

Si quem movet cur in prophetica explanatione quosdam libros longiores, quosdam vero breviores condiderimus, ipsamque prophetiam non æquali spatio diviserimus, ita ut quædam pars plures versus habere, quædam vero pauciores, sciat hoc facere explanationis difficultatem et mysteriorum profunditatem. Sic enim majores nostri, quorum auctoritatem sequimur et stylum imitamur, agere consueverunt, ut in obscurioribus locis tractando diutius morarentur, et in lucidioribus ociùs modum expositionis explerent. Unde jam duos libros de conditione templi consummantes, qui sunt in ordine totius operis quartusdecimus, et quintusdecimus, tertium, qui in ordine decimus sextus est, ubi vir ille, qui hæc omnia prophetæ ostendit ipsum prophetam introduxit ad portam, quæ respiciebat ad aquilonem, sic inchoare decernimus.

SEQUITUR CAPUT XL.

« Et introduxit me ad portam, quæ respiciebat ad « aquilonem. Et mensus est, secundum mensuras su- « periores, thalamum ejus, frontem ejus et vestibu- « lum ejus et fenestras ejus, per circuitum, longitu- « dine quinquaginta cubitorum et latitudine viginti « quinque cubitorum, et vestibulum ejus respiciebat « ad atrium exterius, et cælatura palmarum in fronte « illius hinc et inde, in septem gradibus ascensus « ejus. » etc. (*Hieron.*) Introducitur ergo rursum ad portam, quæ respiciebat ad aquilonem, sed nequaquam ut supra ad atrium exterius, sed interius. In eo enim, quod in consequentibus dicitur, vestibulum ejus respiciebat in atrium exterius, ostenditur hoc atrium fuisse intrinsecus : per quæ profectus ingredientis ostenditur, dum in singulis locis nomina mensuræque sunt propriæ, et fenestræ per circuitum luminis plena scientiæ universa monstrantes, et per quinquaginta et viginti quinque cubita remissionis divinorumque sensuum sacramenta sunt posita, ut in vestibulo atrii interioris positi exteriora videamus, et præteritorum et præsentium notitiam contemplantes, per quam veniamus ad duplices palmas atque victorias, et octo graduum mysteria cognoscamus, introgressi gazophylacia, in quibus templi divitiæ continentur, et lavantur orationes nostræ ab omni sorde peccati : mensæque ex utraque parte binæ sunt positæ, ut primum immoletur holocaustum, quod totum sacer ignis assumat, dein pro peccato, et ad extremum pro ignorantia, quod vel scientes commisimus, vel ignorantes. Ad latus quoque exterius, juxta Septuaginta, erat rivus fabrefactus, qui holocaustorum cineres et carnium purulentias efferebat exterius : sive erant duæ mensæ, et ad latus alterum vestibuli ejusdem portæ duæ mensæ, id est, ex utraque parte quaternæ : quatuor hinc et quatuor inde. Et post tergum sive ad latus earum aliæ octo mensæ, ut simul faciant mensas sedecim; quo numero prophetarum mysteria demonstrantur: ut quidquid offerimus per evangelicam dignationem prædictum eorum vaticinationibus approbemus. Quodque inferuntur quatuor mensæ de lapidibus quadris

exstructæ, et hæ ipsæ ad sacrificium holocaustorum, isti sunt vivi lapides, qui volvuntur super terram, et habent secum angularem lapidem, quo veteris et novi Instrumenti parietes continentur. Quartus autem numerus evangelica sacramenta demonstrat, longitudine et latitudine habens unum cubitum et dimidium, id per quadrum : quæ simul juncta tres cubitos faciunt. Qui tres cubiti, habent in altitudine cubitum unum : ut mysteria Trinitatis unius cubiti, hoc est, divinæ majestatis mensura conservet, dicente Domino ad discipulos : « Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII). » Nomen autem Dei quasi unus altitudinis cubitus est, qui tres complectitur proprietates et holocausta oblationum nostrarum semper assumit. Super ipsas autem quatuor mensas holocaustorum de vivis lapidibus exstructas, quarum longitudo et altitudo et latitudo descripta est, ponuntur vasa, in quibus immolatur holocaustum martyrum, de quibus dicitur : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV); » et eorum victimæ, qui continentia et corporis sanctitate animas suas immolant Domino. Mensarumque istarum nomina puto in Matthæo et Luca, Marco, et Joanne apostolis contineri : quarum corona desuper flexa intrinsecus per circuitum margines ambiebat, ut holocausta contineret intrinsecus, et non passim fluere permitteret, teneretque carnes oblationis, sive ut LXX transtulerunt, « Et ipsæ mensæ tectæ erant desuper, » propter imbrium violentiam et æstivi solis nimiam siccitatem, ut carnes desuper positæ possint dicere cum propheta : « Per diem sol non uret nos, neque luna per noctem (*Psal.* CXX); » quorum alterum nimiis pluviis et tempestatibus tribulationum dissolvit oblationes, alterum vehementi æstu persecutionum arescere facit quidquid oblatum est.

(*Greg.*) Hæc prophetiæ verba lectione magis indigent, quam expositione. Ea enim in tribus portis replicantur, quæ secundo jam vel tertio de exterioribus dicta sunt, pauca vero in earum descriptione permutantur. Nunc ergo quærendum nobis est, quæ istæ tres portæ interiores sint : vel quid est, quod earumdem portarum vestibula viginti quinque cubitis in longitudine, et quinque cubitis in latitudine metiuntur : vel cur ad eas non septem, sicut de portis exterioribus dictum fuerat, sed octo gradibus ascenditur. Porta enim atrii interioris, quæ superius dicta est, de his tribus portis interioribus non est, quia illa contra orientis et aquilonis portam respicere dicitur. Istæ autem singulæ interius ad austrum vel orientem et aquilonem positæ esse memorantur. Unde recte per illam aditus interior designatur, quia, sicut præcedenti locutione jam dictum est, vel Judæ et gentilitati, vel inchoantibus atque in bono perseverantibus, vel a bono cadentibus, sed post culpas per pœnitentiam surgentibus patet. Nunc autem postquam singulæ in oriente et aquilone, et austro portæ descriptæ sunt, cur interioris atrii rursum portæ singulæ in austro et oriente atque aquilone describuntur? Aspirante Deo magna intentione opus est sinum tantæ profunditatis indagare. Si enim portarum nomine sanctos prædicatores accepimus, sciendum nobis est, quia una est Ecclesia in prædicatoribus Testamenti Veteris ac Novi. Portæ autem septem vel octo gradus habent : quia sancti Spiritus septiformem gratiam concorditer prædicant. Octavum vero gradum annuntiant retributionis æternæ. Unde scriptum est : « Da partem septem nec non et octo (*Eccli.* XI). » Quid itaque dicere possumus exteriores portas nisi antiquos patres fuisse, qui per præcepta legis noverant opera populi magis, quam corda custodire ? ut interiores portas prædicatores sanctæ Ecclesiæ debeamus accipere, qui spiritalibus monitis discipulorum suorum corda custodiunt, ne malis quæ non faciunt, vel in cogitationibus delectentur. Per illas enim septem gradibus ascendi dicitur; istarum vero octo graduum ascensus esse perhibetur, quia et in veneratione legis dies septimus fuit, et in Novo Testamento octavus dies cum sacramento est : is videlicet, qui dominicus appellatur, qui tertius a passione, sed octavus a conditione est, quia et septimum sequitur.

Sin vero portarum nomine solos intelligimus sanctos apostolos designari, qui videlicet primi nobis sunt sanctæ Ecclesiæ prædicatores, et fidem nos, spem atque charitatem summo opere tenere docuerunt : ipsi itaque nobis in his virtutibus portæ sunt, qui nos per easdem virtutes ad interiorem intellectum æternæ sapientiæ perducunt : sed si ipsi exteriores sunt portæ, quos accepimus interiores ? Si vero ipsi interiores sunt, quos intelligimus exteriores ? Qua in re intelligi utiliter potest, quia ipsi nobis exteriores simul et interiores portæ sunt. Cum enim adhuc inchoantibus non alta et mystica, sed quædam quæ capi prævalent prædicant, portæ exteriores sunt. Cum vero perfectis profunda et mystica loquuntur, portæ interiores. Videamus qualiter porta exterior pateat : « Non potui vobis loqui, quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III). » Videamus qualiter porta interior pateat : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II). » Videamus utrum eadem ipsa sit porta interior et exterior : « Sapientibus et insipientibus debitor sum (*Rom.* I). » Qui rursum dicit : « Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis (*II Cor.* V). » In hoc enim, quod contemplando et loquendo sapientibus mente excedit, porta interior est : in hoc vero, quod parvulis sobrie in prædicatione se temperat, et quanta ebrietate spiritus infundatur in mente cum prædicat non ostendit, exteriorem portam se esse manifestat. Ipsi itaque et exteriores portæ nobis sunt et interiores, quæ nos et in primo aditu fidei, spei atque charitatis instituunt, et cum jam proficientibus cœlestis regni mysteria prædicant per subtiliorem sensum nos ad interiora perducunt. Unde et per septem gradus prius ascensus earum describitur, et postmodum per octo : per octavum etenim gradum illius vitæ mysteria signantur, quam

in secretis suis perfecti intelligunt, qui jam cuncta temporalia mente transcendere noverunt : qui præsentem vitam quæ septem dierum curriculo evolvitur, plene despiciunt : qui de intima contemplatione pascuntur. Habent igitur portæ spiritalis ædificii septem gradus : quia timorem Domini, pietatem et scientiam, fortitudinem et consilium, intellectum et sapientiam suis auditoribus prædicant. Sed cum jam omnia dimitti præcipiunt, cum nil in hoc mundo diligi admoneant, nil per affectum teneri, cum contemplationi cœlestis patriæ intendi atque in ejus suadent mysteriis delectari, gradum addunt et ad interiora trajiciunt. Iste gradus, docente Veritate, cuidam ostensus est : cui cum legis præcepta dicerentur, respondit : « Hæc omnia custodivi a juventute mea (*Matth.* XIX; *Luc.* XVIII), » quasi enim in septem gradibus stabat, cum a juventute sua se omnia custodisse diceret. Sed ei mox dicitur : « Adhuc unum tibi deest, si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me. » In quibus verbis octavum equidem gradum vidit, sed ascendere noluit, quia tristis abscessit. Quisquis itaque contemptis rebus temporalibus æternitatis contemplatione pascitur, cœlestis regni gaudia rimatur, post septem gradus quos timendo et operando atque intellectu sapientiæ succrescendo tenuit, octavo gradu interioris portæ aditum intravit. Per octavum quoque numerum, et dies æterni judicii et carnis resurrectio designatur. Unde et psalmus qui pro octavo scribitur, a pavore judicii est inchoatus, cum dicitur : « Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me (*Psal.* VI). » Nunc enim tempus est misericordiæ : in illo autem judicio dies iræ, in quo videlicet die omne hoc tempus finitur, quod septem diebus evolvitur : et quod post septem dies sequitur, jure octavus appellatur, in quo et caro nostra resurget ex pulvere, ut sive bona sive mala egit recipiat a veritate. Unde per legem quoque octavo die fieri circumcisio jubetur. Nam per membrum, quod circumciditur, mortalis propagatio generatur, decedentium et succedentium numerus augetur. Sed quia in resurrectione mortuorum nec carnis jam propagatio agitur, et decessio atque successio nulla erit, quia « neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo (*Matth.* XXII), » octavo die præcipitur præputium incidi : ibi enim locum jam carnis propagatio non habet, ubi resurgens caro perseverantiam æternitatis habet. Per hoc membrum mater Virgo descendit, quæ Deum in utero sine virilis carnis admixtione concepit, qui primus nobis æternæ patriæ gloriam in sua resurrectione monstravit : qui surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur : nobisque exemplum dedit, ut ea fieri in die ultimo de nostra carne credamus, quæ facta de carne illius in die resurrectionis agnovimus. Sed quia sermo nobis de carnis resurrectione se intulit, triste nimis et valde lugubre est, quod quosdam in Ecclesia stare, et de carnis resurrectione dubitare cognoscimus. Hanc autem antiqui Patres venturam esse certissime crediderunt : et etiam cum nullum adhuc ejusdem resurrectionis exemplum tenerent. Qua igitur damnatione digni sunt, qui et exemplum jam Dominicæ resurrectionis acceperunt, et tamen de sua resurrectione diffidunt? Pignus tenent, et fidem non habent : ecclesias replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant. Habent autem interiores portæ vestibula, quæ viginti et quinque cubitis in longitudinem metiuntur. Si enim octo ter ducimus ad viginti quatuor pervenimus, cui unus additur, ut viginti et quinque teneamus. Auditores etenim boni, qui quasi vestibula quædam sunt portarum, æternæ spei longanimitatem tenent, octavum diem in Trinitatis fide sustinent : quæ Trinitas, quia unus est Deus, octo quidem per ter ducunt, sed in unius Dei confessione solidantur. Plana sunt vestibula : quia humilia sunt corda auditorum bonorum. Habent longitudinem : quia in spei perseverant longanimitate. Viginti et quinque cubitis earum longitudo mensuratur : quia resurrectionem carnis in octava per Trinitatem credunt, et eamdem sanctam Trinitatem unum esse Deum fatentur. Habent quoque quinque cubitos in latitudinem : quia per vitam simplicem quæ quinque sensibus ducitur, circa amorem proximi dilatantur. Et notandum, quia postquam portarum vestibula superius alia dicta sunt, postmodum vestibulum, quod quinque cubitorum habet in latitudinem, exterius respicere dicitur. Quia nimirum sunt auditores alii, qui intellectum interioris vitæ magis virtutibus proficiendo penetrant. Et sunt quidam simplices, qui bene quidem, sed juxta sensus corporeos vivunt. Unde et exterius respicere dicuntur : quasi enim extra respiciunt, quia juxta sensus corporeos vivunt. Sed tamen exterius respicientes intus sunt : quia etsi sensus corporeos intelligendo transcendere nesciunt, fidem tamen atque charitatem humiliter tenent. Et intus ergo sunt in spiritali ædificio per amorem, et quasi foras respiciunt per simplicitatem. Potest per vestibulum quod exterius respicit, fides inchoantium designari, et per vestibulum quod est interius, fides perfectorum qui jam per eam in virtutibus emicant. Possunt etiam per vestibulum interius præcepta altiora, per vestibulum vero quod respicit exterius præcepta adhuc minima figurari. Per vestibulum quippe itur ad gradus et portam : quia per præcepta prædicationis pertingitur ad virtutes atque aditum gratiæ cœlestis. Cum vero jubetur aliis in cogitatione sua æterna meditari, cœlestia sapere, eisque dicitur in psalmis hymnis et canticis spiritalibus vivere, quasi interius vestibulum ostenditur quod quinquaginta cubitis longitudine, et viginti et quinque latitudine mensuratur. De quibus numeris nunc tacemus, quia ex his multa jam superius diximus. Cum vero aliis præcipitur uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro, quasi vestibulum, quod exterius respicit designatur. Quod quamvis extra respiciat, et tamen intus est; quia rudis auditor adhuc agit, quod car-

nis est; et tamen a bonorum numero alienus non est. Potest autem et per orientis portam Dominus, et per austri Judæa, per aquilonis vero conversa gentilitas designari. Sed hac in re, quæstio animum pulsat, cur in superiori narratione prophetæ prius orientalis postmodum aquilonis, ac deinde austri porta descripta est : cumque easdem portas in anteriori atrio narraret, prius portam austri, deinde orientis, et tertio in loco descripsit aquilonis. Cur autem non eumdem ordinem, quem cœperat tenuit, sed hunc in portarum descriptione permutavit; ut et prius diceret orientis portam, aquilonis et austri, et postmodum austri, orientis et aquilonis? Sed si aquilonis nomine gentilitas designatur, cunctis studiose legentibus liquet, quia ante Synagogam gentilitas fuit. Nam Heber ipse, a quo Hebræi appellati sunt, ex gentibus electus est. Dicatur ergo porta orientalis ante portam aquilonis et austri, quia in divinitate sua Dominus ante gentilitatem et Judæam natus est, quia et ante omnia sæcula. Dicatur vero narratione subsequenti porta austri, orientis et aquilonis: quia Redemptor noster in humana natura inter Judæam et gentilitatem nasci dignatus est, qui et in fine Synagogæ venit, et ante initium Ecclesiæ, quam ex gentibus collegit. In prima ergo, id est, descriptione, sit orientalis porta ante portam aquilonis et austri. In secunda autem inter portam austri et aquilonis, orientis porta nominetur. Quia et ex divinitate antecessit omnia, et ex humanitate venit inter omnia : qui et decedentis Judææ finis factus est, et subsequentis gentilitatis initium. Igitur quia ea, quæ necdum dicta fuerant, ut Domino largiente potuimus, rimati sumus, et ea quæ sæpius sunt replicata transcurrimus : nunc ad ea venimus, quæ sic jam per ordinem dicuntur, ut in eis pene nihil de his, quæ dicta sunt, replicetur.

« Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum, ibi lavabant holocaustum. » (*Gregor.*) Gazophylacia superius diximus corda doctorum, quæ scientiæ divitias servant; frontes autem portarum sunt verba atque opera prædicatorum, in quibus eos foris agnoscimus, quales apud se intrinsecus vivant. Est autem ostium per gazophylacia singula in frontibus portarum : quia unusquisque doctor in corde auditoris intellectum aperit in dictis et operibus Patrum. Cum enim Petri apostoli prædicationem discutimus, cum Pauli verba perscrutamur, cum Joannis Evangelium investigamus, atque inter hæc verbis auditores nostros ad meliorem intellectum trahimus, quid aliud agimus nisi ostium in portarum frontibus aperimus? Dicatur ergo per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum, quia si doctor hoc, quod loquitur, apostolorum dictis minime confirmat, in frontibus portarum ostium non habet : etsi ostium non habet, dici jam gazophylacium spiritalis ædificii non potest : quia si his intellectum non aperit, doctor non est. Cum vero auditores boni per ora docentium apostolorum dicta et opera cognoscunt, culpas suas apud semetipsos taciti reprehendunt, et lacrymis insequuntur omne, quod se egisse inique meminerunt. Unde hic quoque de ostio, quod est in frontibus portarum subditur : « Ibi lavabant holocaustum. » Qui enim se per fidem in conversatione sancta Domino devoverunt, holocaustum Domino facti sunt. Sed quia adhuc multa in se de corruptibili sua carne patiuntur, quia adhuc in eis cordis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad lacrymas redeunt, assiduis fletibus affliguntur : sanctorum enim Patrum dicta et facta considerant, et cum se indignos pensant, in portarum ostio holocaustum lavant. Ecce etenim quis pro timore omnipotentis Domini esse patiens devovit : nulli convicium pro convicio reddere, omnia æquanimiter tolerare. Et tamen cum hunc contumelia ab ore proximi illata subito percusserit, turbatus forte aliquid loquitur, quod loqui non debuit : certe iste jam holocaustum est, sed adhuc inquinatum : fortasse contra illatas contumelias patientiam exhibuit, tacitus permansit, sed tamen contra easdem contumelias, quas portat, dolore tangitur, ejusque animus in charitate sanciatur. Patientia enim vera est, quæ et ipsum amat, quem portat : nam tolerare sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Hic itaque sæpe in cogitatione sua se judicat, reprehendit semetipsum quia dolet : nec tamen apud se prævalet obtinere ne doleat. Jam ergo per bonam devotionem holocaustum est, sed tamen per dolorem, quo tangitur adhuc inquinatum. Alius ea quæ possidet apud semetipsum decrevit indigentibus cuncta tribuere, nihil sibimet reservare, vitam suam soli supernæ gubernationi committere. Sed dum præbet pauperibus quæ habet, fortasse cogitatio mentis subripit, quæ dicit : unde vives si cuncta dederis? Nec tamen desistit tribuere : sed quod lætus dare cœperat, postmodum tristis præbet. Quid hujus mens nisi misericordiæ holocaustum est, sed tamen per tristitiam cogitationis inquinatum? Aut enim deliberare summa non debuit, aut post deliberationem nullo modo dubitare. Alius contempta mundi superbia honores atque dignitates hujus sæculi decrevit vitare : ultimum appetit inter homines locum tenere, ut tanto excelsior inveniatur in permanenti gloria, quanto humilior aspicitur in transeunti vita. Is fortasse cum sese subito a proximo despici agnoscit, dedignatur cur despicitur : vult quidem esse in loco humili, sed tamen attendi contemptibilis non vult. Hunc jam devotio elevat, sed adhuc infirmitas gravat. Jam ergo per devotionem holocaustum est, sed adhuc ex infirmitate inquinatum. Hi itaque, qui in eis, quæ optime devoverunt, aliqua infirmitatis suæ culpa tanguntur, cum per verba doctorum dicta Patrum intelligunt, et in quanta culpa jaceant agnoscunt, seque ipsos pœnitentiæ lamentis afficiunt : holocaustum in ostio portarum lavant. Sciendum vero est, quia hoc inter sacrificium atque holocaustum distat : quod omne holocaustum sacrificium est, sed non omne sacrificium holocaustum. In sa-

crificio enim pars pecudis : in holocaustum vero totum pecus offerri consueverat. Unde et holocaustum Latina lingua totum incensum dicitur.

Pensemus ergo, quid est sacrificium, quid holocaustum : cum enim quis suum aliquid Deo vovit, et aliquid non vovit, sacrificium est. Cum vero omne quod habet, omne quod vovit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Nam sunt quidam, qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, et tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant : isti in bonis, quæ faciunt sacrificium offerunt, quia et aliquid de sua actione Deo immolant, et aliquid sibimetipsis reservant. Et sunt quidam, qui nihil sibimetipsis servant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. Quid isti nisi holocaustum offerunt, imo magis holocaustum fiunt? Israeliticus enim populus primum sacrificium in Ægypto obtulit, secundum vero in eremo. Qui itaque adhuc mentem habet in sæculo, sed boni jam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Ægypto. Qui vero præsens sæculum deserit, et agit bona quæ valet, quasi jam Ægypto derelicta, sacrificium præbet in eremo : quia repulso strepitu desideriorum carnalium in mentis suæ quiete atque solitudine Deo immolat quidquid operatur. Quamvis ergo, sicut dictum est, sacrificium sit holocaustum, majus tamen est holocaustum sacrificio : quia a mente, quæ hujus mundi dilectione non premitur, totum in omnipotentis Dei sacrificio incenditur, quod habetur. Sed sciendum nobis est, quia sunt quidam, qui etiam sæculum relinquentes, totum quidem, quod habent, offerunt, sed tamen in bonis, quæ agunt, minime compunguntur, et bonum quod agunt holocaustum est : sed quia flere ac semetipsos judicare nesciunt, seque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc enim per Psalmistam dicitur : « Memor sit Dominus sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* XIX). » Holocaustum quippe siccum est, bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum vero pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursum dicitur : « Holocausta medullata offeram tibi (*Psal.* LXV). » Quisquis enim bonum opus agit, sed ex omnipotentis Dei amore atque desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullam in holocaustum non habet. Qui vero bona operatur, et visioni jam Creatoris sui inhiat, atque ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore, quo accenditur, in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit.

Studendum ergo nobis est et mala funditus relinquere, et bona quæ sufficimus operari : atque ut in ipsis bonis quæ agimus, amore æterni luminis compungamur : ipse enim cordis tenebras discutit amor lucis, ut subtilius videre valeamus, ne qua in bonis quæ agimus prava misceantur. Considerandum quippe nobis est opus nostrum quale sit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione : et cum nostro bono operi admixta aliquid malitiæ vel pravæ dilectionis agnoscimus, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Sunt autem quidam qui semetipsos in magnis actionibus Domino devoverunt, atque ad tantam perfectionem perveniunt, ut ab eis nulla unquam difficultate flectantur : quatinus in deliberatione castitatis, nequaquam caro in pravæ cogitationis delectatione animum sternat. Nam et si signando per suggestionem pulsat, surgere non permittitur, quia vigore judicii calcatur. In deliberatione quoque patientiæ nec sermo inordinatus ab ore prodeat, nec dolor tacitus animum premat, ut in largitate eleemosynæ nulla inopiæ suspicio tristitiam generet, ut in deliberatione humilitatis nullus despectus animum mordeat. Sed cum jam in his, quæ recte devoverunt, sese fortiter exhibent, priora tamen peccata, quæ ab ipsis ante bonam deliberationem perpetrata sunt, ad memoriam deducunt et plangunt quidquid illicite egisse meminerunt. Hi itaque per vitam quam tenent, holocaustum sunt, sed per vitam, quam ante tenuerant, inquinatum. Lavant ergo holocaustum in ostio portarum, quia in intellectu quem percipiunt de dictis Patrum, lamentis se quotidianis afficiunt, et mundant vitam lacrymis, quam pravis aliquando actibus inquinaverunt. Nos itaque inter hæc ad vitam præteritam mentis oculos reducamus, reminiscamur qui fuimus, cum mundi hujus concupiscentias sequeremur : et si Domino toto corde servimus, quia nos peccasse meminimus, defleamus in fletibus, lavemus holocaustum. Ecce omnipotenti Deo devovimus castitatem nostram, sed si adhuc immunda cogitatio mentem inquinat, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Ecce patientiam nos servare decrevimus, si adhuc ira perturbat, si mentem tacitus dolor excruciat, redeamus ad lacrymas : lavemus holocaustum. Ecce jam vovimus possessa tribuere, atque in hoc mundo humilem locum tenere, de qua adhuc animum inopiæ suspicio deprimit, si despectus proximi in aliqua nos indignatione confundit, redeamus ad lacrymas, lavemus holocaustum. Magnus est etenim creatori nostro ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus. Ubi enim innumerabilium hominum fletus suscepti sunt, ibi locum suum inventuræ sunt et lacrymæ nostræ.

« Et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc et duæ « mensæ inde, ut immoletur super eas holocaustum « et pro peccato et pro delicto. Et ad latus exterius « quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad « aquilonem, duæ mensæ ; et ad latus alterum ante « vestibulum portæ, duæ mensæ. Quatuor mensæ « hinc et quatuor mensæ inde per latera portæ. Octo « mensæ erant super quas immolabant. » (Greg.) In quibus videlicet verbis magna caligo dubietatis oboritur, utrum hæc de una porta qualibet, an de duabus, an de singulis portis dicantur : sed dum quaternæ mensæ per latera describuntur, ac postea

dum in summa conclusionis dicitur : « Octo mensæ erant super quas immolabant, » patet quia hoc spiritus non de singulis portis quas superius descripserat dicat. Quia si portæ sex superius enarratæ quaternas mensas per latera haberent, simul omnes non octo, sed quadraginta et octo dicerentur. Rursum si hoc de una dicitur, magno obstaculo nostra intelligentia reverberatur, quod post descriptum portæ vestibulum, ubi duæ mensæ hinc et duæ inde esse narratæ sunt, adhuc ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pergit ad aquilonem, duæ esse mensæ memorantur : atque subjungitur : « Et ad latus alterum ante vestibulum portæ, duæ mensæ ; » si enim intra vestibulum portæ binæ per latera mensæ erant, cum subditur, « Et ad latus exterius duæ mensæ, atque ad latus alterum ante vestibulum duæ mensæ, » inter quas etiam porta, quæ respicit viam aquilonis esse memoratur, profecto patet aliud vestibulum intrinsecus, atque aliud extrinsecus fuisse, quia et prius porta interior, et postmodum hoc in loco exterior aquilonis porta describitur. Nam cum tres portas superius descripsit, tres quoque alias interioris atrii esse memoravit, quarum extremam aquilonis portam narraverat, sed, ut prædictum est, atrii interioris. Nunc ergo cum duæ mensæ hinc in portæ vestibulo, et duo mensæ inde describuntur, adhuc de eadem interiori porta sermo contexitur, quippe cum protinus subinfertur, quia ad latus exterius, quod ascendit ad ostium portæ, quæ pertingit ad aquilonem duæ mensæ, et ad latus alterum ante vestibulum portæ duæ mensæ. Porta ergo interior binas per latera in vestibulo mensas habere descripta est, et porta exterior similiter binas. Quatuor autem hinc et quatuor inde mensæ pariter fiunt, dum per latera singula binæ in vestibulo portæ interioris binæ hinc et inde exterius in aquilonis porta describuntur, quæ simul omnes octo sunt in quibus immolatur. Possunt enim portarum nomine, sicut superius dictum est, sancti prædicatores intelligi : ut vestibulum portæ sit populus, qui dum mente humili verba prædicationis suscipit, in eo mensæ ad sacrificium ex virtutibus construuntur. Rursum nihil obstat si portam accipimus hoc, quod nobis per ora prædicantium sacri eloquii intellectus aperitur, ut vestibulum portæ ejusdem nobis prædicationis verba sint, quæ prius humiliter accipimus, ut post ad sacri eloquii intelligentiam veniamus. Sit itaque nobis porta interior Testamentum Novum, porta vero exterior Testamentum Vetus : quia et hoc spiritalem intellectum aperit, et illud rudibus adhuc mentibus in historia sacri eloquii litteram custodivit. Habet autem porta interior in magna jam multitudine fidelium populorum duo latera, videlicet, dilectionem Dei et dilectionem proximi. Binæ autem mensæ sunt hinc et inde, quia in dilectione Dei necessario tenenda est fides et vita. In dilectione autem proximi debet summopere patientiæ bonitas custodiri. Est enim in dilectione Dei necessaria fides et vita, quia videlicet scriptum est : « Sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI). » Et rursum scriptum est : « Fides sine operibus mortua est (*Jac.* II). » Est autem in dilectione proximi nobis patientia et benignitas conservanda : quia de eadem dilectione scriptum est : « Charitas patiens est, benigna est (*I Cor.* XIII). » Patiens scilicet ut illata a proximis mala æquanimiter portet. Benigna autem, ut sua bona proximis desiderabiliter impendat.

Habet quoque porta exterior, videlicet lex, duo latera, spiritales Patres et carnalem populum. In quibus singulis binæ mensæ sunt, quia habet spiritalibus Patribus doctrinam et prophetiam, habet in carnali populo circumcisionem et sacrificium. In his itaque, octo mensis immolatur, quia quidquid fides credit, quidquid vita in exemplo boni operis ostendit, quidquid patientia humiliter tolerat, quidquid benignitas largiter ministrat, quidquid doctrina salubriter docet, quidquid prophetia in posterum præmonet, quidquid circumcisio ad mandatum exterius ligavit, quidquid sacrificium ex devotione offerentis egit, in omnipotentis Dei oculos hoc esse victimam ostendit : in lege enim etiam per carnale sacrificium, quid populus nisi devotionem sui cordis immolabat? Notandum vero quod quatuor mensæ solummodo ad holocaustum fuisse memorantur, quas videlicet vestibuli portæ interioris accipimus, ut de reliquis quatuor sentiamus quia ad sacrificium constructæ fuerunt, non ad holocaustum. Holocaustum enim sicut præcedente jam locutione professus sum, totum incensum dicitur. Et lex quidem Deum ac proximum diligi, divina mandata custodiri præcipit, ab alienarum rerum concupiscentia compescit, non tamen omnia dimitti jubet. In Testamento autem Novo nos Veritas contestatur dicens : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus discipulus esse (*Luc.* XIV; *Matth.* XVI). » Atque iterum dicit : « Qui vult venire post me, abneget semetipsum (*Luc.* IX). » Mensæ ergo interioris portæ holocaustum habent : quia in virtutibus Testamenti Novi, quasi per holocaustum omnia incendimus, quando omnibus, quæ hujusmodi sunt renuntiamus. Mensæ vero portæ exterioris sacrificium habent, sed holocaustum non habent, quia præcepta legalia decimas offerri jubent, sed dimitti omnia non jubent. De interioris autem vestibuli quatuor mensis dicitur, ut immoletur super eas holocaustum et pro peccato et pro delicto. Hoc etenim inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est mala facere, delictum vero bona derelinquere : quæ summopere sunt tenenda. Vel peccatum certe in opere est, delictum in cogitatione. Recte ergo in interioris portæ quatuor mensis immolatur holocaustum et pro peccato et pro delicto : quia quicunque potuerit hoc sæculum præsens plene contemnere, et derelinquens omnia semetipsum Domino holocaustum dare, ipse jam perfecte novit et peccata operis plangere, et peccata cogitationis, vel quod malum fecit, vel quod debuit facere bonum, quod non fecit. Qui etenim totum dimisit,

culpas suas in fletibus jam liberius conspicit. Cumque ejus mentem terrena cura non præpedit, pro opere simul mentem suam omnipotenti Domino quid aliud, quam holocaustum dedit? Neque hoc a ratione videtur extraneum, quod Propheta cum latus exterius diceret et ostium portæ nominaret, addidit, « quæ pergit ad aquilonem. » In exteriori enim custodiam litteræ lex data tenebatur. Ostium vero portæ est ipse historicus intellectus legis, qui ad Domini timorem ducit. Quæ porta ad aquilonem pergere dicitur, quia lex eadem sub timore minarum frigida Judaici populi corda constrinxit: quasi enim per calorem ille populus curreret, si præcepta dominica ex amore servasset. Sed quia sub timore mortis propositæ litteram custodivit, quasi in torpore frigoris remansit. Inde novis populis æterna præmia amantibus, non autem temporalia tormenta timentibus atque jam calentibus dicitur: « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis in quo clamamus: Abba, Pater (*Rom.* VIII). » Dicatur ergo, quatuor mensæ hinc et quatuor mensæ inde per latera portæ. Dum enim fides et vita, doctrina et prophetia in bonorum mentibus custodit, porta nostra, id est, intellectus sacri eloquii quatuor ex latere mensas habet. Cumque in proficientibus populis sancta prædicatio patientiam et benignitatem servat, quæ prius in carnalibus circumcisionem et sacrificium custodivit, mensæ quoque quatuor, quasi ex alio latere monstrantur: quæ simul omnes octo ad immolandum fiunt, quatuor videlicet interiores ad holocaustum, quatuor vero exteriores ad sacrificium. Quia et hi, qui in sancta Ecclesia fidem, vitam, patientiam atque benignitatem custodiunt, summis jam procul dubio virtutibus pollent. Et hi qui in synagoga doctrinam et prophetiam, circumcisionem et sacrificium cognoverunt, alia offerendo atque sibimetipsis alia retinendo, devotionis suæ victimam omnipotenti Domino dederunt. Sed quia superius dictum est, idcirco mensas quatuor interioris vestibuli esse constructas ut immoletur super eas holocaustum et pro peccato et pro delicto. Unde mensæ constructæ sint, inferius aperitur cum subditur:

« Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris exstructæ. » Quos autem hoc loco lapides quadros accipiemus, nisi quoslibet sanctos quorum vita in prosperitate atque adversitate novit fortiter stare? Lapis etenim quadrus æque stat in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in adversitate non frangitur, suasionibus ad mala non trahitur, vituperationibus a bono opere non revocatur, lapis quadrus est, et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet. Certe cum Judæorum populum Propheta a fide perire cognosceret, et sanctos apostolos surgere in Ecclesiam præviderit, per quos multi sunt ex gentibus in fidei et vitæ fortitudine solidati, in magna consolatione locutus est, dicens: « Lapides [Lateres] ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus (*Isa.* IX). » Videns quippe in sancta Ecclesia apostolos, martyres atque doctores surgere de lapidum casu, id est, de Judæorum perditione, minus doluit: quia omnipotentis Dei ædificium, id est sanctam Ecclesiam, de quadris lapidibus ædificari conspexit. Mensæ ergo quatuor de quadris lapidibus construuntur: quia fides et vita, patientia et benignitas de vita sanctorum in exemplum datæ sunt sequentibus populis, ut jam vestibulum mensas habeat, id est, virtutes vitæ populus teneat, in quibus omnipotenti Deo orationis sacrificium in ara sui cordis incendat. Quidquid etenim boni fideles S. Ecclesiæ populi vel fecerunt vel faciunt, hoc in exemplo de prædicatorum suorum vita susceperunt. Unde enim mensas hoc vestibulum haberet, nisi quadros lapides invenisset? Cum ergo a populo fideli ad imitandas virtutes sanctorum prædicatorum vita cognoscitur, profecto in vestibulo de quadris lapidibus mensæ construuntur. Habuit vero et Synagoga et spiritales patres in doctrina atque prophetia, ex quibus exemplum vitæ in virtutibus traheret, sed rudis ejus populus magis per timorem serviens quam per amorem, sequens vitam patrum noluit imitari quam vidit, atque ideo porta exterior, quæ ad aquilonem pertingit, mensas non habet et holocaustum. Sed quia hæc moraliter diximus, restat adhuc ut easdem mensas super intelligentiam typicam perscrutemur. Porta etenim nostra in interiori vestibulo quatuor mensas habet, quia sancta Ecclesia ad eruditionem fidelium populorum quatuor regentium ordines accepit, quos Paulus ex dono omnipotentis Domini enumerat, dicens: « Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (*Ephes.* IV). » Pastores vero et doctores unum regentium ordinem nominat, quia gregem Dei ipse veraciter pascit, qui docet. Habuit quoque et porta exterior mensas quatuor, quia videlicet ipsa synogoga exteriorem observantiam per principes sacerdotum, et seniores populi, per scribas atque Pharisæos tenuit, qui scilicet Pharisæi etiam legis doctores vocati sunt. Sive autem in exteriori seu in interiori porta duæ mensæ hinc sunt, et duæ inde: quia in exordiis suis sancta Ecclesia apostolos et prophetas habuit. Prophetas autem dicimus non eos, qui in veteri populo fuerant, sed eos, qui in sancta Ecclesia post apostolos sunt exorti. Posteriori quoque tempore quod nunc est, habet evangelistas atque doctores. Quia vero Evangelium bonum nuntium dicitur, evangelistas utique appellamus, qui rudibus populis bona patriæ cœlestis annuntiant. Qui videlicet evangelistæ atque doctores, et priori quidem tempore fuerunt, sed nunc usque Domino largiente permanent, quia adhuc quotidie et infideles populos ad fidem trahi, et fideles quosque in bonos mores per doctores erudiri cognoscimus. Apostoli vero et prophetæ ab hoc tempore præsenti sublati sunt: atque ideo dicimus, quia mensas has portæ

nostræ, id est, sanctæ Ecclesiæ, quasi in alio latere habet, et portæ quæ pergit ad aquilonem duas mensas hinc et duas inde, eosdem quos diximus principes sacerdotum et seniores populi in majori auctoritate regiminis : scribas quoque et Pharisæos, qui rudi illi populo minori loco præfuerunt. Sed hæ mensæ juxta portam sunt, quæ ad aquilonem pergit, quia cum quatuor isti ordines populo præessent, synagoga in persecutione redemptoris nostri sæviens, ad torporem perfidiæ prorupit. Quæ tamen mensæ habuerunt sacrificium, quod juxta solam litteram tenuerunt : unde et ad torporem frigoris lapsæ sunt, quia flamma spiritus succensæ non sunt. Interioris autem mensæ holocaustum habent, quia sive in cordibus apostolorum atque prophetarum, seu in mente evangelistarum atque doctorum ignis spiritus et arsit et ardet, qui pro eo quod omnem eorum cogitationem in bono opere absumit flamma amoris Dei, quasi holocaustum totum simul, quod invenit incendit. Holocaustum enim offerunt, qui sive in bono opere seu in sancta cogitatione medullitus accenduntur. Mensæ vero hæ ex quadris lapidibus factæ sunt : quia dum quotidie sacri eloquii in suis cordibus verba meditantur, ad offerendum Domino verba orationis holocaustum, quasi ex quadratis lapidibus conferuntur : verba etenim Scripturæ sacræ lapides quadri sunt, quia ubique stant, quæ ex nullo latere reprehensibilia inveniuntur. Nam in omne quod præteritum narrant, in omne quod venturum annuntiant, in omne quod moraliter prædicant, in omne quod spiritaliter sonant, quasi in diverso latere statum habent, quia reprehensionem non habent. Corda itaque sanctorum mensæ Dei sunt, ad holocaustum ex quadris lapidibus exstructæ : quia qui semper Dei cogitant, semetipsos Domino a carnali vita in cogitatione mactant. Unde scriptum est : « Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus (*Psal.* XXXVI). » Et unde scriptum dicitur : « In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccarem tibi (*Psal.* CXVIII). » Sed mensæ quæ unde sint constructæ agnovimus, etiam cujus mensuræ sint audiamus. Sequitur :

« Longitudine unius cubiti et dimidii, latitudine unius cubiti et dimidii, et altitudine cubiti unius. » Sæpe autem diximus longitudinem ad longanimitatem spei, latitudinem vero ad charitatis amplitudinem pertinere. Mensæ ergo, quæ ad holocaustum constructæ sunt, longitudine cubiti unius et dimidii metiuntur : quia sancti Patres atque doctores, qui se longanimiter ad secreta spei intimæ extendunt, per hoc quod in virtutibus vivunt, quantum ad humanam quidem mensuram pertinet, valde perfecti sunt : quantum vero ad divina illa mysteria, quæ plene ab homine capi non possunt, quandiu in hac mortali carne subsistunt, perfecti non sunt. In semetipsis ergo jam cubitum habent, in Deo autem adhuc cubitum non habent : quia jam quidem in virtutibus plene proficiunt, sed tamen aliquid de Deo adhuc ex parte cognoscunt. Ecce iterum in mensura mensæ ad testimonium Paulus occurrit. Videamus an ejus vita cubito integro mensuretur. Dicit autem, « Quotquot perfecti sumus, hoc sapiamus (*Philip.* III). » Videamus si in his, quæ de Deo sentit, jam percipienda mysteria perfecte tetenderit. Qui dixit : « Ego me non arbitror comprehendisse (*Ibid.*) ; » qui rursus ait : « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus : cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*I Cor.* XIII). » Qui iterum dicit : « Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*Ibid.*). » Si ergo perfectus est, et ex parte cognoscit, cubitum habet, quantum ad se, sed tamen dimidium super se. Tendantur ergo in longanimitatem spei corda sanctorum, tendantur in perfectione, quam habent cubito uno, sed quia adhuc plene videre non possunt, ubi spei oculum mittunt, hoc quod super unum cubitum habent, in dimidio cubito recidatur : quatenus in hac vita semper se imperfectos aspiciant, et ardentius ad perfectionem currant. Habent quoque mensæ latitudinem cubiti unius et dimidii, quia sanctorum corda in charitatis amplitudine dilatata juxta proximum quem diligunt et vident, habent cubitum : possunt enim perfecte diligere, quos perfecte valent juxta aliquid scire. Omnipotentem vero Deum medullitus diligunt, medullitus sequuntur, sed tamen tantum diligere non possunt, quantum debent : quia adhuc non valent videre quem diligunt, et mensura amoris minor est, ubi adhuc mensura minor est cognitionis. Super unum ergo cubitum habent et dimidium : quia hoc eis jam in amore integrum est, quod valde minus est, id est, charitas cum proximo, atque illud in eis quod valde majus est, id est amor Dei, quem non vident, adhuc integrum non est. Altitudo vero mensurarum est cubiti unius. Quæ est enim altitudo sanctorum nisi invisibilium? Per fidem enim creditur, quod non videtur. Atque ideo per hanc justorum mens ad altitudinem ducitur, ut cuncta visibilia despiciat in terra, et ea quæ audit invisibilia sequatur in cœlo. Sed unum cubitum habet altitudo mensurarum, quia unitas est fidei in corde omnium sanctorum. Unum Deum esse Trinitatem, et Patres Testamenti Veteris, et prædicatores professi sunt Testamenti Novi. Altitudo itaque mensurarum nil uno cubito amplius habet, nil minus : quia in magna sibi unitate concordat omnium fides Patrum. Sed hi qui jam in longanimitate spei summis virtutibus proficientes, unum et dimidium cubitum habent, atque in latitudine charitatis uno ac dimidio cubito metiuntur : in altitudine vero fidei uno cubito excrescunt, magni sunt et summa admiratione venerandi. Debent ergo parvulorum animas in sinu suæ conversationis suscipere atque eas in conspectu Domini velut quoddam holocaustum ac sacrificium offerre. Unde apte sequitur :

« Super quas ponunt vasa in quibus immolatur holocaustum et victima. » Quid enim sunt animæ fidelium nisi vasa sancta, quæ verbum pietatis capiunt, ut ex eorum mentibus holocaustum vitæ atque orationis immoletur ? Hinc est etenim, quod Paulus

cum adhuc rudis esset in fidei vocatione, quia jam Domini verba perceperat, et cœlesti gratia plenus erat, vas appellatur, cum dicitur, vas electionis mihi est. Hinc pastores atque doctores Propheta admonet dicens: « Mundamini qui fertis vasa Domini (*Isa.* LII); » ipsi etenim, quasi mensæ Domini vasa portant, qui vitam fidelium erudiendo tolerant, ut quandoque hanc Domino ad holocaustum et sacrificium perducant. Sed neque hoc negligenter intuendum est, quod in eisdem vasis, holocaustum et victima dicitur immolari. Holocaustum enim, sicut superius diximus, victima est. Non tamen victima semper holocaustum, quia cum quid ex parte offertur, ex parte retinetur, sacrificium quidem est, sed holocaustum non est. Sunt vero in multitudine magna fidelium aliqui, qui ea, quæ mundi sunt, omnia relinquunt, cuncta quæ possident tribuunt, nihil sibimetipsis reservant, ad æternam patriam medullitus anhelant, seque ex toto corde in lacrymis mactant. Hi videlicet vasa super mensam sunt, in quibus immolatur holocaustum. Et sunt alii, qui curam propriæ domus gerunt, de filiis cogitant, eisque hæreditatem servant, qui tamen æterni judicii memores misericordiam pauperibus impendunt, alimenta ac vestimenta eis ex parte qua decreverint tribuunt: hi nimirum vasa super mensam sunt, in quibus victima immolata est, non holocaustum. Quia enim patientia et doctrina sanctorum admonendo et sustinendo, suadendo atque terrendo aliorum corda usque ad hoc erudiunt, ut omnia deserant, et totos se in amore Domini accendant. Aliorum vero ad hoc usque instruunt, ut quia omnia relinquere non valent, vel ex parte qua prævalent, misericordes fiant, et carnis curam cum animæ cura partiantur, mensæ Domini de quadris lapidibus instructæ vasa portant in quibus immolatur holocaustum et victima: quia et perfecti, sicut dictum est, cum omnia deserunt, totum cor in amore Domini accendunt, et imperfecti sacrificium offerunt, quod ex parte devoverunt. Sequitur:

« Et labia earum palmi unius reflexa intrinsecus per circuitum. » Quid est hoc, quod mensarum labia palmo metiuntur, nisi quod in palmo manus tenditur, et sancti Patres atque doctores ea prædicant, in quibus auditorum opera tendantur. Quasi enim manum extendimus, cum opera nostra dilatamus. Loquatur ergo unusquisque doctor, cor audientis exerceat, otiosorum torporem excutiat, quos dum ad opera tetenderit, palmum se habere in labiis ostendat. Pensandum quoque quia in palmo digitus major ac minimus tenditur. Quid vero majori ac minimo digito, nisi magna et extrema actio designatur? Palmum ergo mensæ in labio habeant, quatenus in doctorum suorum prædicatione vigilent, et sic ex eorum admonitione magna opera faciant, ut agere et minima non omittant. Sic minimis intenti sint, ut pigri in agendis majoribus non sint. Unde per Evangelium Veritas dicit: « Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham et anetum et cyminum, et relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium et misericordiam et fidem. Hæc oportuit facere et illa non omittere (*Matth.* XXIII). » Per judicium quippe et misericordiam et fidem, major digitus operationis ostenditur. Per mentham vero et anetum et cyminum digitus procul dubio minimus figuratur. Hæc ergo oportuit facere, et illa non omittere: quia si opus nostrum palmo metiri volumus, sic necesse est ut tendatur minimus, quatenus major digitus non attrahatur. Bene autem cum mensarum labia metiuntur, et mensura palmi dicitur, additur unius: ut ex doctorum prædicatione sicut unitas tenetur in fide, ita quoque unitas mentium servetur in opere, ne per opus bonum, quod alter agit, alter ad discordiæ malum prorumpat. Ita enim bona opera facere debemus, ut per hæc quoque cum his cum quibus vivimus unanimitatem in quantum recte possumus conservemus: id est, non deserendo, quod agimus, sed præveniendo bonis persuasionibus malum discordiæ quod timemus. Pensandum vero est valde quod dicitur: « quia earumdem mensarum labia interius sunt reflexa: » tunc enim mensarum labia intrinsecus reflectuntur, quando doctores ad conscientiam revocant tacita cogitatione quod dicunt, quando semetipsos subtiliter perscrutantur si faciunt, quod loquuntur. Doctor ergo cui de disciplinæ moderamine loqui necesse est, mensam Dei esse se sciat, quæ intus labrum reflectat: ut quod docendo loquitur, hoc sub discretionis spiritu vigilanter operetur, et si quædam sibi deesse considerat, oportet ut ab eorum prædicatione conticescat. Locus quippe ejus exigit ut loquatur. Verbis ergo suis semetipsum conveniat, et si non ideo loquitur, quia non operatur, ideo operetur, quia loqui compellitur. Ubi itaque se conspicit opere implere quod dicit, ibi auditores admoneat, eorumque animos ad studium bonæ operationis accendat. Ubi autem necdum se videt implesse, quod loquitur, ad bona de quibus auditores admonet, se quoque pariter inflammet ut ipse etiam simul discat in opere, quod per eum loquitur Veritas in prædicatione. Sæpe enim quod vivendo nescimus compulsi locutione doctrinæ loquendo discimus, et dum de cogitatione pigritiæ nostræ reatus nascitur in mente, eamdem mentem compunctio subito oborta transverberat, et sua voce excitata evigilat in opere, quæ prius torpebat in otio sine voce. Ecce enim cum mensæ labium palmo tenditur, id est, per doctoris os contra vitia disputatur, atque ad bona opera cor auditorum accenditur, nonnulli qui ejus verba audiunt, quanta vel qualia mala perpetraverint recognoscunt, atque ad eum confitentes veniunt, eum pro peccatis suis intercessorem fieri cum fletibus petunt, ut ipse orando deleat culpas, quas prædicando manifestat. Unde et subditur:

« Super mensas autem carnes oblationis. » Doctores etenim sancti cum pro compunctis ac peccatoribus atque confitentibus omnipotenti Domino preces fundunt, per hoc, quod veniam pro carnali eorum vita postulant, mensæ Domini carnes oblationis portant. Ut ergo sint pro quibus conversis et flentibus rogent, oportet ut eisdem prius in peccato positis prædicent,

et cum jam cœperint peccata relinquere, atque ad innocentiam festinare, necesse est ut erga eos in ore doctoris incrementa prædicationis excrescant, et quibusdam doctrinæ suæ verbo tanto vehementius insistat, quanto eos gravius cecidisse considerat: videlicet sciens quod in se tanto mercedem magnæ remunerationis accipiat, quanto verbis suis alios de profundioribus peccatis levat. Sacri eloquii mysticus est sensus ut Propheta per aspirationem sancti Spiritus prudenter intelligens dicebat: « Mirabilia testimonia tua, Domine, ideo scrutata est ea anima mea, etc. (*Psal.* CXVIII). » Cui ergo verbum sacri eloquii nisi lapidi simile dixerim, in quo ignis latet, qui manu quidem frigidus tenetur, sed percussus ferro per scintillas emicat. Atque hoc emittit ignem, qui post ardeat, quod prius manus frigidum tenebat: sic etenim sic verba sunt sacri eloquii, quæ quidem per narrationem litteræ frigida tenentur. Sed si quis hæc aspirante Domino intento intellectu pulsaverit, de mysticis ejus sensibus ignem producit, ut in eis verbis post animus spiritaliter ardeat, quæ prius per litteram ipse quoque frigidus audiebat. Ecce etenim Propheta dicit:

« Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori quod erat in latere portæ respicientis ad aquilonem, et facies eorum contra viam australem, unam ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam aquilonis. » In his itaque verbis litteræ ad amorem Dei cujus animus infervescat? quin potius quis non ex ipsa eorum lectione tepefiat? Si autem latens in littera spiritalis medulla discutitur, per hoc scintillæ intellectus exeunt et incendunt, quod prius cordis auribus frigidum sonabat: nobis tamen ut se aspirante Domino interior intellectus aperiat, ipsa prius narratio juxta litteram patefiat. Ait enim, quia porta erat interior atque extra hanc atrium quod appellatur interius, ac deinde aliæ, id est, aquilonis, austri atque orientis portæ describuntur: ut ipsum atrium quod esse extra portam interiorem dixerat, a portis exterioribus esse interius ostendat. Atrium ergo hoc et foris et intus est, foris, quia extra portam interiorem: intus autem, quia intra portas exteriores. Gazophylacia quoque cantorum esse in hoc eodem atrio narrantur, quæ a latere portæ posita dicuntur respicientis ad aquilonem: sed ipsa eadem gazophylacia ad australem viam respiciunt. Et subditur: « Ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam aquilonis. » In quibus verbis aperte intelligitur, quia cunctorum gazophylacia inter latus portæ respicientis ad aquilonem, et latus portæ orientalis fuerant posita, quæ porta videlicet respiciebat ad viam aquilonis. Facies atque gazophylaciorum contra viam australem, sed positio inter portam erat orientis et aquilonis. Porta ergo interior habebat ex latere portam aquilonis, ex alio quoque latere portam australem, in fronte vero vestibuli orientalis porta surrexerat: atque sic atrium erat extra portam interiorem, ut hoc quoque esset interius, portæ exterius ambiebant. Hæc de verbis litteræ sub brevitate transcurrimus, in eis sensus mysticus nunc breviter exquiratur. In parte autem superiori tres portæ descriptæ sunt, id est, orientis, aquilonis et austri: moxque interioris atrii tres aliæ narratæ, id est, austri, orientis et aquilonis, ac deinde porta atrii interioris dicta est in qua mensæ de quadris lapidibus extructæ memorantur, et porta, quæ respiciebat ad aquilonem, in qua mensæ essent ad sacrificium non ad holocaustum. Unde in interiore diximus significari Ecclesiam, in exteriori synagogam. Seu his expletis rursum Propheta incipit interiorem portam atque tres alias, id est aquilonis, austri et orientis describere, et in earum atrio interiori, quod erat extra portam interiorem esse gazophylacia cantorum, sacerdotes, templum, altare et sacrificia perhibet. In quibus verbis, quia de sanctæ Ecclesiæ institutione narrare alia ab eis, quæ prius dixerat cœpit, patet quod interioris portæ intellectum mutavit. Si enim sub uno intellectu omnia diceret, novo ordine ipsa atque alia non replicaret. Nam quomodo possumus extra portam interiorem, atrium, gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia dicere, si per eamdem portam interiorem hoc loco sancta Ecclesia designetur? Cum enim cuncta hæc intra ipsam sint, quomodo extra portam interiorem sunt, si extra Ecclesiam non sunt? Intelligi ergo porta interior potest ea, de qua jam longe superius locuti sumus, quæ contra portam aquilonis et orientalem dicitur posita per quam figurari diximus aditum, qui nobis ad interiora gaudia patriæ cœlestis aperitur, ut hic quoque per portas, quæ circa vestibulum narrantur, sancta Ecclesia: per portam vero interiorem, cœlestis regni aditus figuretur. Sed ne quis me verba sancti Spiritus æstimet ad intellectum meum violenter inflectere, et dicat quia de porta interiore significationem sanctæ Ecclesiæ, quam semel dixi mutare non debui, infulgente Dei omnipotentis gratia, quæ cœpimus ipsa teneamus: ut et porta interior signet Ecclesiam, quæ eos ad interiora gaudia perducit, et gazophylacia, cantores, sacerdotes, templum, altare, sacrificia sint in atrio quod est extra portam, et tamen extra Ecclesiam non sint. Si enim subtili investigatione perquirimus, nil obstat intelligi, ut interiorem portam, sicut dictum est, sanctam Ecclesiam sentiamus, de qua nunc dicitur: « et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori. » Duo sunt etenim, quæ dicuntur, porta interior, atque extra hanc atrium interius, quatenus hoc ipsum atrium et exterius sit, et interius, exterius a porta, interius autem, sicut prædiximus, portis quas narrando subjunxit. Sancta enim Ecclesia duas vitas habet, unam qua temporaliter ducit, aliam quam in æternum recipit: unam qua laborat in terra, aliam qua remuneratur in cœlo; unam qua mercedes colligit, aliam vero in qua jam de receptis mercedibus gaudet. Atque in utraque vita offert sacrificium: hic videlicet sacrificium compunctionis, et illic sacrificium laudis. De hoc sacrificio dicitur: « Sacri-

ficium Deo spiritus contribulatus (*Psal.* L). » De illo autem scriptum est : « Tunc acceptabis sacrificium justitiæ oblationes et holocausta (*Ibid.*). De quo rursus ait : « Ut cantem tibi gloria mea et non compungar (*Psal.* XXIX). » In utroque autem sacrificio carnes offeruntur : quia hic oblatio carnis est maceratio corporis : ibi oblatio carnis est in laude Dei gloria resurrectionis. Tunc quippe illic quasi in holocaustum offertur caro, quando in æterna incorruptione permutata nil contradictionis, nil mortalitatis habuerit, quia tota simul amoris ejus ignibus accensa in laude sine fine permanebit. Porta ergo hæc interior, id est sancta Ecclesia, habeat interiora sua, illam videlicet vitam, quæ adhuc oculis nostris occulta est. Habeat extra eam atrium exterius, id est, vitam præsentem in qua omne bonum agitur, ut ad bonum sine fine perveniatur. Sint ergo in interiori atrio, quod tamen extra portam est, gazophylacia cantorum. Quia electi quique atque perfecti, qui adhuc in carne mortali subsistunt, et intra sinum sunt sanctæ Ecclesiæ, et adhuc extra secreta gaudia interioris vitæ. Quid sunt autem gazophylacia cantorum, nisi sancta desideria amantium, qui præcepta divina, quasi quasdam divitias custodiunt in mente quas cantando servant, quia mandata Dei non ex timore, sed ex amore perficiunt : eisque ipsæ sacri eloquii præceptiones cantabiles fiunt, quas non ex tristitia, sed ex desiderio semper operantur. Superiori locutione per portam orientis fidem, per aquilonis spem, per austri autem charitatem diximus designari.

Hæc itaque gazophylacia inter portam orientis et aquilonis esse memorantur, atque ad viam australem respicere, quia corda sanctorum inter fidem, et spem posita, australem viam respiciunt, quæ sanctæ charitatis ignibus inardescunt. Ipsa quoque orientalis porta respicere dicitur ad viam aquilonis, quia nobis per fidem quidem omnia in baptismate peccata laxantur, sed tamen dum adhuc hic vivimus, etiam post fidem sæpius ad peccata declinamus, et quasi orientis porta viam aquilonis respicit, cum vita nostra post perceptam fidem adhuc aliquatenus in frigore culpæ torpescit. Quis enim in hac vita valeat post fidem, sine culpa vivere, cum Joannes dicat : « Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Cujus verbis Jacobus concordans ait : « In multis enim offendimus omnes (*Jacob.* III). » Si autem peccata præterita in fidei perceptione dimissa sunt, et adhuc post fidem ad peccata declinatur, quæ nobis erit præsumptio justitiæ, quæ spes vitæ permanentis, nisi ut nunc dum adhuc inter portam orientis et aquilonis sumus, ad viam austri mentis oculos levemus ? quatenus ex sancta charitate ferventes, calor nos amoris liberet a culpa teporis, et frigoris. Sint ergo gazophylacia inter portam orientis, et aquilonis, sed, sicut dictum est, ad australem viam facies intendant, ut inter hoc, quod nati sumus in fide, et quod post ad peccata delapsi de spe pietatis præsumimus, exerceamus nosmetipsos in ardore charitatis, et ibi tendamus oculos cordis, ubi accendimur igne amoris. Potest autem per aquilonis portam gentilitas, per austri viam Judæa, per orientis autem portam ipse Dominus designari. Per aquilonem quippe non immerito gentilitas figuratur, quam ille in torporis frigore possedit, qui dixit : « Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis (*Isa.* XIV). » Per australem quoque portam recte Judæa accipitur, in qua spiritales Patres cœlesti amore ferbuerunt : quorum unus loquitur, dicens : « Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro (*Psal.* CXXV). » Quæ etsi carnalem populum habuit, in quo velut aquilonis frigora portavit, in sanctis tamen suis doctoribus ac prophetis ad Deum, ac proximum calore charitatis arsit. Orientalis autem porta non immerito ipsum signat de quo scriptum est : « Ecce vir, Oriens nomen ejus. » Et de quo Zacharias ait : « Visitavit nos oriens ex alto (*Zach.* VI; *Luc.* I). » Sint ergo gazophylacia cantorum ex latere portæ aquilonis : quia non solum in Judæa fuerunt corda sanctorum spiritaliter accensa, sed etiam in gentilitatis multitudinem ad sanctæ fidei sacramenta conversæ ardent corda sanctorum amore cœlestis patriæ, inhiant gaudiis æternis, spirant ad societatem suorum civium in cœlo. Sed tamen exempla hujus ardoris quem dono sancti Spiritus acceperunt, ab spiritalibus patribus synagogæ capiunt. Unde ipsa quoque gazophylacia et in aquilonis latere posita, oculos ad viam australem tendunt. Ecce enim ex gentibus venimus, sed in hoc, quod per sancti amorem calemus Judææ Patres aspicimus, qui nobis in suis dictis quotidie sancti desiderii exempla præbent. An non, quasi calorem meridiani fervoris ardebat, qui æstuabat, dicens : « Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam et parebo ante faciem Dei ? » (*Psal.* XLI.) Qui rursus ait : « Psallam et intelligam in via immaculata quando venies ad me (*Psal.* C). » Hoc quoque ardore succensus fuerat, qui dicebat : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum (*Luc.* II). »

Quia ergo ex gentilitate venimus, sed sanctos Judææ patres nobis in divini amoris imitatione proponimus, quasi quædam cantorum gazophylacia ex latere portæ, quæ viam aquilonis respicit, sumus, sed ad viam austri facies tenemus. Et notandum, quod hæc eadem gazophylacia inter portam aquilonis et orientis esse perhibentur. Quia post incarnationem Dominicam, multitudo gentium ad fidem venit, atque inter ipsos fideles populos, et sacramenta dominicæ incarnationis, quæ medullitus diligunt, corda amantium surgunt. Habeant ergo sancta gazophylacia hinc orientis portam et inde aquilonis : quia inter ipsa redemptionis suæ mysteria quæ sequuntur, et carnales quosdam quos et intra sanctam Ecclesiam tolerant, multi in Deum forti amore prof-

iunt, virtutibus excrescunt, æterni judicis adven-
um quærunt et inter ea quæ amant, atque illa quæ
olerant, quasi quædam gazophylacia, divitias spiri-
us in mente servant. Nec inter sacramenta, quæ
iligunt, et quæ jam contraria portant deficiunt,
uia ad australem viam facies intendunt. Quid enim
atimur, quod patres nostri pro amore Domini an-
ea non pertulerunt. Notandum vero, quod inter
ortam austri et aquilonis orientalis esse describi-
ır : quia Dominus ac redemptor noster de Judæa
atus est, moxque in fide sua Ecclesiam ex genti-
us construxit. Quasi enim inter meridianam por-
am et aquilonis apparuit, quia ex illa venit, et
tam in suo servitio convertit. Unde et bene dici-
ır quod porta eadem orientalis ad viam aquilonis
espicit : quia natus Dominus synagogam destruit,
t multitudinem gentium colligit. Notandum quoque
st, quod cum de gazophylaciis diceretur, et facies
orum ad viam australem additum est, unam : ut
idelicet aperte sentiamus, quia non alia est via ad
œlestem patriam nobis, qui ex gentilitate venimus,
tque alia illis patribus, qui fuerunt in Judæa : sed
ne eadem una via est nobis et illis, quæ nos ad
terna gaudia perducit, quæ nobis per Evangelium
icit : « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Et
e qua Psalmista ait : ut cognoscamus in terra viam
uam, et in omnibus gentibus salutare tuum. Quod
nim Hæbraice est *Jesus*, hoc Latine dicitur *Salvator*.
alvatoris ergo in terra via cognoscitur, quia Jesus
eus ante sæcula et homo factus in fine sæculorum,
entibus est manifestatus. Una ergo est via, et illis,
ui ab austro sunt, et his, qui ab aquilonis parte
espiciunt : quia electis Judæis et gentibus Domi-
us ac redemptor noster expulsa pœna formidinis,
d Patrem factus est iter amoris, atque adjutorium
erventionis. Sequitur :

« Et dixit ad me. Hoc est gazophylacium quod re-
spicit viam meridianam sacerdotum, qui excubant
in custodiis templi. » Atque mox subditur : « Porro
gazophylacium quod respicit ad viam aquilonis,
sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium al-
taris. » In quibus prophetæ verbis prius nobis
uærendum est qui sint majoris ordinis sacerdotes :
trum hi, qui in custodiis excubant templi, an hi
ui in ministerio altaris. Sed quia paulo post sub-
itur : *Altare erat ante faciem templi*, aperte osten-
itur illos esse majoris ordinis sacerdotes, qui in
ustodiis templi excubant, quia profecto in altari
uod est interius ministrant. Hi autem, qui ad al-
are, quod ante faciem templi est, excubant, tanto
nferiores sunt, quanto in exterioribus ministrant.
Quærendum ergo jam nobis est, qui sacerdotes sint,
ui templum custodiunt, et qui ad ministerium al-
aris excubare perhibentur. Magister enim gentium
idelibus scribens ait : « Templum Dei sanctum
st, quod estis vos (*I Cor.* III). » Qui itaque sacer-
lotes sunt, qui templum Dei custodiunt, nisi hi
qui, orando, prædicando, spiritalibus actibus vigi-
ando, sanctam Ecclesiam a malignorum spirituum

A immissionibus, a pravorum suasionibus, ab hæreti-
corum erroribus defendunt? An non custos templi
fuerat, qui labores suæ passionis enumerans dicit :
« In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame, et
siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate (*II Cor.*
XI). » Atque statim subdit : « Præter illa, quæ ex-
trinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo
omnium ecclesiarum (*Ibid.*). » Pensate, quæso,
custos templi quanta sollicitudine vigilet : ecce
enim in seipso inæstimabilia patitur, et cordis sui
sollicitudinem aliis impartitur. Cujus, rogo, virtutis
est, plus de utilitate proximorum, quam de sua af-
flictione cogitare? Quis hoc digne æstimet, quis di-
gne penset? Laborat, luget, esurit, sitit, alget, je-
junat, vigilat, et tamen vigilando de ecclesiarum
B omnium sollicitudine cogitat. Ecce est solertissi-
mus custos templi in exemplo propositus. Imitetur,
qui valet. Adversa etenim pro veritate pati, bona
proximis impendere, circa animarum sollicitudinem
vigilare : ne quis in perfidia, ne quis in superbia, ne
quis in rapina, vel immunditia laberetur, exquirere
atque compescere. Hoc est, templum Dei, id est,
sanctam Ecclesiam custodire.

Sunt autem minoris ordinis sacerdotes, qui ad
ministerium altaris excubant : qui videlicet in adju-
torio majorum peccata delinquentium subtiliter in-
vestigant, et vitam carnalium corrigunt, atque ad
hoc usque perducunt, ut per lamenta pœnitentiæ,
quasi incendant carnem in sacrificio, quam prius
vivere permiserant in peccato. Non enim hi, qui
C sanctis ecclesiis præsunt, per semetipsos cuncta
agere prævalent, sed cum ipsi causis spiritalibus oc-
cupantur, si qua prava et carnalia perpetrantur,
hæc aliis discutienda atque corrigenda committunt,
per quos dum carnalis vita corrigitur, et usque ad
abstinentiæ atque orationis studium proficientibus
pervenitur, quasi in altari jam caro incenditur, ut
in conspectu omnipotentis Domini inde sacrificium
redoleat, unde prius culpa displicebat. Sed hac in
re quæstio oritur, cum superius dictum sit quod
gazophylacia ad australem viam facies haberent, qua
ratione nunc dicitur, quia gazophylacium, quod re-
spicit viam meridianam, sacerdotum est, qui excu-
bant in custodiis templi, et gazophylacium quod re-
spicit viam aquilonis, sacerdotum, qui excubant ad
D ministerium altaris? Si enim utraque facies ad
australem viam tendebat, quomodo nunc unum ad
meridianam, atque aliud ad aquilonis viam respicere
dicitur? Sed in his verbis agnoscimus quod gazo-
phylacium sacerdotum qui excubant in custodiis
templi ita positum fuerat, ut solam meridianam
viam respiceret, gazophylacium vero sacerdotum
qui excubant ad ministerium altaris ita erat in atrio,
ut et ad australem viam et aquilonis faciem inten-
deret, quatinus et cum gazophylacio sacerdotum qui
excubant in custodiis templi meridianam viam as-
piceret : et tamen sine gazophylacio eorumdem sa-
cerdotum gazophylacium sacerdotum qui excubant
ad ministerium altaris aquilonis viam videret. Sed

quid est hoc, fratres charissimi, quid in his verbis A mysticum possumus intueri, nisi hoc quod secundum ea quæ præmissa sunt jam spiritalis adjutor majoris ordinis queat intelligi, quia sacerdotes majoris ordinis qui excubant in custodiis templi solam meridianam viam respiciunt, quoniam solis studiis spiritalibus occupati, semper his, quæ amoris Dei sunt, sollicite intendunt. Sacerdotes autem minoris ordinis, qui discutiendis peccatis delinquentium præsunt, etiam ad aquilonis viam oculos reflectunt, ut in mente peccantium, quæ sint torporis frigora videant: et hæc verbis correptionis usque ad pœnitentiæ gemitus perducentes, quasi carnes in altari Domini incendunt. Respiciunt etiam cum magnis sacerdotibus ad meridianam viam, quia quantum ad semetipsos est fervent igne charitatis, et succensi sunt flammis amoris Dei: sed B quia peccata delinquentium crebro corrigunt, etiam ad aquilonis viam oculos reflectunt. (*Hieron.*) Qui utrique pro officiis suis Domino servientes, appellantur filii Sadoc. Unde subditur:

« Isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi « ad Dominum, ut ministrent ei. » Sadoc ergo, qui interpretatur *justus* sive *justificans*, omnipotens videlicet Deus. De quo scriptum est: « Justus Dominus et justitias dilexit, æquitates vidit vultus ejus (*Psal.* x). » Isti autem filii Sadoc de filiis Levi, qui interpretatur *assumptus*, et ipsi assumuntur a Domino ut accedant ad eum et nequaquam de solo dicatur Moysi, Moyses accedebat ad Dominum, alii vero non accedebant, sed omnes, qui serviunt ei et ministrant Domino appropinquare dicuntur. (*Greg.*) C Omnes enim, qui perseveranter spiritalibus actibus intendunt filii justi sunt, et de filiis populi assumpti accedunt ad Dominum ut ministrent ei. Quia de ipsis quoque fidelibus eliguntur, qui ad omnipotentis ministerium veniant, et cœlestibus studiis pro eruditione populi intendant. Sed nobis solerter inquirendum est, qui sunt, qui Domino ministrant. Neque enim omnes qui legunt, omnes qui prædicant, omnes qui propria tribuunt, omnes qui per carnis abstinentiam corpus castigant, Domino ministrant: qui enim legendo atque prædicando gloriam propriam quærunt, largiendo quæ habent, et corpus in abstinentia macerando, laudes recipere ab hominibus appetunt, sibi, non Domino, ministrant. Quo contra per Psalmistam Dominus dicit: « Ambulans D in via immaculata hic mihi ministrabat (*Psal.* c). » Habet enim maculam in via, qui in bono opere quod agit, terrenæ gloriæ sibi præmium proponit, quia in hoc mundo recipere mercedem requirit. Et fœdat in conspectu Dei speciem boni operis macula pravæ intentionis. Fortasse etenim quis disciplinæ studio intentus fervet, culpas delinquentium resecat, qui tamen ad hæc agenda si non ex omnipotentis amore, sed proprio ducitur: sibi in his et non Domino ministrat. Alius ne asper esse videatur, multa leniter tolerat, quæ perpetrantur. Is itaque quia videri pro Domino districtus non vult per lenitatis suæ studium sibi et non Domino ministrat. Restat ergo ut sive in verbi ministerio fatigemur, seu indigentibus nostra largiamur, sive per abstinentiam carnem domemus, seu zelo moveamur, sive per patientiam aliquando leniter prava toleremus, ut nos summopere debeamus intentionem nostram discutere, quatenus omne quod facimus, non nostro, sed Domini zelo faciamus, ne in his quæ agimus nobis potius, quam Domino ministremus.

« Et mensus est atrium centum cubitorum longi- « tudine et latitudine centum cubitorum per qua- « drum. » (*Hieron.*) Iste autem vir qui introduxit Ezechielem in atrium exterius, et ut ita loquar ad sancta sanctorum mensus est ipsum atrium in quo erant duæ exedræ sive gazophylacia custodum templi sive altaris habitaculis delegata, et reperit longitudinis et latitudinis per quadrum centenos cubitos, ut sacerdotes Dei ministerio servientes, qui per arctam et angustam viam intraverant, habeant deambulacra latissima, et in perfecto consummatoque virtutum numero commorentur. (*Greg.*) Sæpe jam per longitudinem longanimitatem spei, per latitudinem vero charitatis amplitudinem dicimus figurari. Centenarius autem numerus in quo denarius decies ducitur, quod summum perfectionis signet plene superius dictum est. Quid est itaque atrium spiritalis ædificii, nisi amplitudo fidelium populorum? Ipsa autem longanimitas spei, et latitudo charitatis vacua in cordibus fidelium non est: nam per fidem quidquid valet operatur. Unde et per Paulum dicitur: « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. » Si ergo in vita fidelium juxta quemdam modum per singulos perfecta est, longanimitas spei, perfecta latitudo charitatis, perfecta certitudo fidei, perfectum studium operationis atrium templi per quadrum centum cubitos habet. In mensura autem quadri, non aliud latus majus est, atque aliud minus, sed cuncta simul quatuor latera æquali spatio tenduntur: quia et ipsas easdem virtutes quas diximus, fidem scilicet, spem et charitatem atque operationem, quamdiu in hac vita vivimus æquales sibi esse apud nosmetipsos invenimus. Idcirco autem major spe, fide, charitas dicitur, quia postquam ad auctoris nostri speciem pervenitur, spes quidem et fides transit, sed charitas permanet. Nam nunc et quantum credimus, tantum amamus, et quantum amamus tantum de spe præsumimus. De fide quoque et operatione Joannes apostolus fatetur dicens: « Qui se dicit nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II). Notitia quippe Dei ad fidem pertinet mandatorum, custodia ad operationem. Cum ergo virtus tempus et locum operandi appetit, tanto quis operatur, quanto Deum noverit, et tanto se Deum nosse indicat, quantum per bona operatur. Metiuntur ergo fideles populi virtutes in quadrum, quia unusquisque qui in activæ vitæ exercitio versatur, tantum credit quantum sperat, amat et operatur, tantum sperat quantum credit, operatur, et amat,

.antum amat quantum credit, sperat et operatur, antum operatur quantum credit, amat, sperat. Quia taque in sancta Ecclesia populi multi sunt, et robusti er fidem, et longanimes per spem, et ampli per cha-itatem, et efficaces per operationem, atrium templi 00 cubitis in quadro mensuratur. Nam ut aliud uoque de eorum virtutibus loquamur, sæpe ex eis uosdam prudentes per intelligentiam, fortes in ad-ersitatibus, justos in operatione, temperantes a vo-iptatibus atque in omni zelo discretionis se men-ura moderantes, qui dum prudentiam, fortitudinem, istitiam, atque temperantiam : vel sicut eas enu-ierare quibusdam placet, prudentiam, temperan-am, fortitudinem atque justitiam tenent, mensuram piritalis atrii in quadro habent. Ecce enim virtutes)sæ, quas habere bonos ac fideles diximus, ita in uadro sunt, ut una aliam non excedat. Magna est uippe prudentia, sed si minus est a voluptatibus :mperans, minus in periculis fortis, minus in ope-itionibus justa, profecto minus est prudens. Magna it temperantia, sed si minus intelligit unde se tem-:ret, si adversa sustinere per fortitudinem minus ilet atque in timore animum dejicit, si per præcipi-tionem suam aliquando in justitiæ opera pro-:mpit, minus est temperans. Magna est fortitudo, d si minus intelligit, quæ bona custodiat, quibus alis resistat, si minus a voluptatis appetitu se tem-:rat, sed vincitur delectatione, si justitiæ opera mi-is tenet, atque aliquando in injustitiæ dominatione peratur, minus est fortis. Magna est justitia; sed minus quam debet inter justa et injusta opera dis-:rnit, si minus curam mundi delectatione temperat, minus se contra adversa confortat, minus est justa. ensuretur ergo perfectorum fidelium vita per qua-'um, et tantum habeat spiritalis atrii latus unum, iantum latera singula. Quia unusquisque tantum 'udens est, quantum temperans, fortis et justus; ntum temperans, quantum prudens, fortis et ju-us; tantum fortis quantum prudens et temperans justus; tantum justus quantum prudens, tempe-ns et fortis fuerit. Sunt tamen inter eos plurimi, ii adhuc carnaliter vivunt, qui et si fortasse litteras norant, et præcepta Dei legere non valent, certe et multorum fidelium conversatione bona, quæ imi-itur vident, Ecce in Ecclesia voces sancti Evan-lii atque apostolorum sonant. Ecce exempla bene ventium quotidie hominum oculis opponuntur, nec excusatione sua dicere poterunt : Non vidimus, iod imitari deberemus. Unde et subditur :

« Et altare ante faciem templi. » Quid est tem-um nisi fidelis populus? sicut per Paulum apo-olum discipulis dicitur : « Templum enim Dei san-um est, quod estis vos (*I Cor.* III). » Et quid est al-re Dei nisi mens bene viventium? qui rite pecca-rum suorum memores lacrymis maculas lavant, rnem per abstinentiam macerant, nullis se hujus undi actionibus miscent, quæ habent, indigenti-is tribuunt, et habere quæ non habent non concu-scunt. Recte igitur horum cor altare Dei dicitur

A ubi ex mœrore compunctionis ignis ardet, et cor consumitur. Altare ergo ante faciem templi est, cum multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt positi, qui æterni judicii memores, semetipsos quotidie Deo sacrificium in lamenta compunctionis mactant. Qui ut prædictum est corpora castigant, quatinus hoc quod per magistrum gentium dicitur, impleant : « ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. » Hostia quippe occiditur ut offeratur, sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum, quod et hostia dicitur, et vivens, quia vivit in virtu-tibus, et est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum. Vivens autem, quia cuncta quæ prævalet bona operatur. Sed quia sub altaris nomine de compunctionis flamma

B sermo se intulit, necessarium puto, quæ sit diver-sitas ejusdem compunctionis ostendere. Alia quippe compunctio est, quæ per timorem nascitur, alia quæ per amorem. Quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. Unde et in tabernaculo per le-gem duo altaria fieri jubentur, unum videlicet exte-rius, aliud vero interius. Unum in atrio, aliud ante arcam, unum quod ære coopertum est, aliud quod auro vestitur, atque in altari æreo concremantur, carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata. Quid est hoc, fratres charissimi, quod foris concre-mantur carnes, intus aromata, nisi hoc quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera, atque alii adhuc per timorem plangunt, alii vero jam se per amorem in lamentis afficiunt? Multi namque pecca-

C torum suorum memores, dum supplicia æterna per-timescunt, quotidianis se lacrymis affligunt : plan-gunt mala quæ fecerunt, et incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur : quid isti, nisi altare sunt æreum, in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur? Alii vero a carnalibus vitiis liberi, aut longis jam fletibus securi, amoris flamma in compun-ctionis lacrymis inardescunt, cœlestis patriæ præ-mia cordis oculis proponunt : supernis jam civibus interesse concupiscunt. Dura eis apparet servitus, longitudo peregrinationis suæ, regem in decore suo videre desiderant, et flere quotidie ex ejus amore non cessant. Quid isti, nisi altare sunt aureum in quo-

D rum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent? Bene autem de eodem altari dicitur, quod ante velum arcæ sit positum in sancta sanctorum. Arca quippe testamenti ipse nobis factus est. De quo scriptum novimus, « in quo sunt omnes thesauri sa-pientiæ et scientiæ absconditi. » Arca intra velum est redemptor noster in cœlo. Altare vero aureum in quo thymiama incenditur ante velum, sanctorum corda, quæ cum magnis virtutibus in Dei amore succensa sunt, per sanctum desiderium in illo ardent, quem adhuc revelata facie videre non possunt. Inter arcam quippe et altare velum est, quia hoc quod nos adhuc a visione Dei separat, corruptionis nostræ obstaculum remotum non est, sed quousque ante velum sumus, oportet ut quasi thymiamatis in-

censum flamma amoris ardeamus Per compunctionis autem lacrymas, nil terrenum, nil transitorium quærere debemus. Solus nobis ipse sufficiat qui fecit omnia : transcendamus per desiderium omnia, ut mentem colligamus in uno. Non jam timore pœnarum, non memoria vitiorum, sed amoris flamma succensi, ardeamus in lacrymis cum odore virtutum.

« Et introduxit me in vestibulum templi, et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, et quinque cubitis inde. Et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, latitudinem undecim cubitorum, et octo gradus ascendebatur ad eam. » (*Hieron.*) Supradictus quoque vir introduxit Ezechielem in vestibulum sive πρόπυλον templi, quod mensus est quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde, quoniam qui introductus est, divinis sensibus fuerat eruditus : et nec dextram noverat nec sinistram, sed via regia ingrediebatur. Latitudo autem ipsius portæ, per quam introitus erat ad vestibulum templi, habebat ternos cubitos hinc et inde. In quo Scripturæ sanctæ observanda elegantia, quod non dixerit a dextra et sinistra : ne videretur in sanctis sanctorum sinistrum aliquid nominare, sed hinc et inde, id est, ex utraque parte. Statimque prudens lector intelligit, trinum numerum ad Trinitatis mysterium pertinere, quæ porta est ingredientium ad Deum : dum et Pater in Filio est, et Filius in Patre, et in utroque Spiritus sanctus : qui trinus numerus una porta est eorum, qui post baptismum Trinitatis, perveniunt ad salutem.

Quod autem sequitur « longitudo vestibuli viginti cubitorum , et latitudo undecim cubitorum, » videtur facere quæstionem , quomodo dualis numerus, qui refertur ad duas decadas, et undecimus, qui uno indiget ut sacrum numerum expleat duodecimum in vestibulo templi esse dicatur : Quod plerique sic solvunt. Quamvis sancti sint sacerdotes, et in templi ministeriis collocati, et quotidie victimas offerant Christo, tamen quia in hoc mortali fragilique corpusculo, et ægrotationibus vitiisque subjecto commorantur, vicenarium habent numero, et undecimum. Unde dicebat et Apostolus : « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (*Rom.* VII). » Non quod juxta sævissimam hæresim abolenda corpora esse credamus, sed quod voti nostri sit supervestiri, non spoliari, et mortale hoc accipere immortalitatem, et corruptivum induere incorruptionem. Et octo gradibus ascendebatur ad eam. Octo sive decem gradibus qui perfectus est numerus, aut undecim, de quo jam diximus, ascenditur ad portam sanctorum. In cujus frontibus columnæ erant, una hinc, et altera inde. Non dixit duæ, ne in dualem incurreret numerum, sed una et una, qui perfectus est numerus, et unione sui imitatur Deum. Hæ autem erant columnæ duæ, de quibus et in Apocalypsi dicitur : « Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur. » Et Petrus ac Joannes columnæ appellantur Ecclesiæ, per quos ingredimur ad Sancta sanctorum, et quorum doctrina ad Christum, noster introitus est.

« Et columnæ erant in frontibus una hinc et altera inde. » De quibus columnis in libro Regum et Paralipomenon legitur, ubi structura templi Salomoniaci commemoratur, quod in vestibulo templi unam posuerit a dextris, et alteram a sinistris juxta ostium templi. Hæ sunt videlicet columnæ, de quibus Paulus ait (*Gal.* II) : « Jacobus, Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentibus, illi autem in circumcisione. » Quibus verbis, quasi exponere videtur mysterium columnarum materialium ; et quid videlicet figuraverint, et quare duæ sint factæ. Apostolus namque et doctores cunctis spiritales significant. Fortes nimirum fide atque opere et contemplatione ad superna electos. Duæ sunt autem, ut et gentes, et circumcisionem prædicando in Ecclesiam introducant. Stabant in porticu ante fores templi, et ingressum illius suo decore ac pulchritudine ex utraque parte mirabiliter ornabant. Ostium autem templi Dominus est : « quia nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum (*Joan.* XIV). » Et sicut alibi dicit : « Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). » Quod videlicet columnæ ab utroque latere coram positæ circumstant, cum ministri sermonis utrique populo introitum regni cœlestis ostendunt : ut sive a luce scientiæ legalis quisque, seu ex rigore gentilitatis ad fidem Evangelii venerit, habeat paratos eos, qui sibi iter salutis et verbo demonstrent et exemplo. Ve- certe, quia de iisdem columnis libro Paralipomenon ita scriptum est : « Ipsasque columnas posuit in vestibulo, unam a dextris et alteram a sinistris (II *Par.* III). » Ideo sunt duæ factæ columnæ, atque ita dispositæ, ut nobis et in prosperis et in adversis ingressum patriæ cœlestis, ante oculos mentis habendum esse doceant.

(MAURUS.) Hæc quoque sobrio lectori sufficere credimus, quæ juxta majorum documenta de mensura ratione templi, et vestibuli, et cæterorum, quæ ibi descripta sunt, nos diximus. Nunc quomodo ipse propheta introductus sit in templum, et quid ibi gesserit, exponere curabimus.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

CAPUT XLI.

Mensuratur templum et Sanctum sanctorum : de cochlea quoque agitur : de hostiis templi et sanctuarii, et ostiariis sanctuarii.

« Et introduxit me in templum, et mensus est « frontes sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos « latitudinis inde, latitudinem tabernaculi. Et latitu« do portæ decem cubitorum erat, et latera por« tæ quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde. « et mensus est longitudinem ejus quadraginta cubi« torum, et latitudinem viginti cubitorum. » (*Hieron.*) Post multa mysteria variosque introitus, et locorum singulorum proprietates, tandem aliquando vir cujus funiculus cæmentariorum, et mensuræ calamus in manu erat, Ezechielem prophetam introducit in templum, et mensus est frontem templi : pro quo *ælam* Septuaginta, et *ælim* Theodotio, et *in circuitu* Symmachus transtulerunt. Et utraque parte latitudo tabernaculi senum cubitorum erat, sacramentum creaturarum omnium continens, in sex enim diebus mundus est consummatus. Per quorum notitiam causasque conditionis atque rationem intramus ad templum Dei, et ex Creaturarum ordine atque constantia cognoscimus Creatorem. Latitudo autem portæ templi erat decem cubitorum, qui sacratus et perfectus est numerus, et in quo mense septimo, die decima mensis, jejunium et propitiatio est. Decima autem die mensis primi, qui appellatur Nisan, ad immolationem et præparationem Paschæ agnus assumitur. Septimo igitur mense decimæ offeruntur in Dei horrea, sive, ut Scriptura appellari consuevit, torcularia. Unde dicit et Apostolus : « Dilatamini et vos (*II Cor.* VI). » Ut postquam per decem portæ cubitos templum quis fuerit ingressus, ex utraque parte portæ ipsius latera, sive, ut proprie in Hebraico dicitur, humeri mensurentur, qui semper referuntur ad opera. Unde et Issachar, « desideravit bonum, requiescens inter medios cleros, vidensque requiem, quia bona est, et terram, quia pinguis, supposuit humerum ad laborandum, et factus est vir agricola (*Gen.* XLIX). » Et in veste pontificis humerale cum rationali stringitur, ut rationi opera copulentur, et possit dicere vir ecclesiasticus : « A mandatis tuis intellexi (*Psal.* CXVIII). » Qui humeri portæ ex utraque parte, quinas habebant porticus, ut per terrenos sensus atque divinos, super quorum differentia sæpe scripsimus, ingrediamur adita templi, cujus mensus est vir ille, qui ductor prophetæ erat, longitudinem quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum, sive, ut melius est, portæ longitudinem ac latitudinem, quia supra tantum de latitudine et humeris ejus dixerat. Quod autem vicies quadraginta octingentesimum numerum faciat, qui vicinus est octonario, nulli dubium est. Unde et in Ecclesiaste præcipitur : « Date partes septem, date et

A octo (*Eccle.* XI). » De cujus numeri sacramento crebro disputasse me novi. Sive quia per tribulationes et angustias hujus sæculi intramus ad sanctum atrium Domini, idcirco longitudo portæ habebat cubitos quadraginta, qui numerus semper in labore positus est. Unde et Moyses (*Exod.* XXXIV) et Elias (*III Reg.* XIX) quadraginta diebus non comedunt panem, et aquam non bibunt. Et annis quadraginta populus Israel vexatur et probatur in solitudine, et per multos labores terram repromissionis ingreditur (*Num.* XIV; *Deut.* II). Et Dominus atque Salvator secundum assumpti corporis fragilitatem, quadraginta diebus tentatur in solitudine (*Matth.* IV), ut post victoriam accedant angeli et ministrent ei. Cum autem per tribulationes et angustias potuerimus
B dicere illud apostolicum : « In omnibus tribulati, sed non coangustati (*II Cor.* IV), » atque illud propheticum : « In tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV), » tunc nobis latissimus aperitur introitus, qui viginti cubitorum habet latitudinem : ut superatis mundi certaminibus atque terrenis, qui et ipse dualis est numerus, ingrediatur templi penetralia, et audiamus imperantem discipulis Dominum : « Confidite, ego vici mundum. »

« Et ingressus intrinsecus mensus est in fronte « portæ duos cubitos, et portam decem cubitorum, « et latitudinem portæ septem cubitorum, et mensus « est longitudinem ejus viginti cubitorum et latitu« dinem viginti cubitorum ante faciem templi. Et di« xit ad me : Hoc est Sanctum sanctorum. » (*Hieron.*) Quantumvis proficiamus, semper nobis major profe-
C ctus aperitur, unde post introitum templi rursum ingredimur, intrinsecus, sive, ut LXX transtulerunt, interius atrium, in cujus fronte duo erant cubiti, ut juxta superiorem sensum per dualem numerum ingrediamur ad eum locum, ubi sunt sancta sanctorum. Unde et ipsa porta sex cubitorum erat, per quam introgressi æternam requiem possidemus, quæ in septenario numero demonstratur. Pro quo LXX transtulerunt, « Et latitudinem portæ septem cubitorum hinc et septem cubitorum inde, » in Hebræo et cæteris editionibus semel tantum septem cubiti in latitudine portæ positi sunt. Quod autem sequitur : « Et mensus est longitudinem ejus viginti cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum ante faciem templi,
D et dixit ad me : Hoc est Sanctum sanctorum, » illud significat quod ante templi faciem, et in introitum ejus præteriti laboris atque certaminis nobis mensura semper occurrat. Quam enim rationem in singulis numeris duplex numerus possidet, eamdem duæ habent decades. Et hoc considerandum, quod ingressus intrinsecus per portam duorum in fronte cubitorum, et sex habentem cubitos, septemque in latitudine ex utraque parte, et viginti cubitos in longitudine, totidemque in ipsis templi foribus, doceatur propheta qui sit ille locus, vel quo appelletur vocabulo. Dixit

enim mihi: « Hoc est Sanctum sanctorum. » Sin autem ante templum, sive, ut Scriptura cognominat, ante faciem templi Sanctum sanctorum est, quantam beatitudinem in templi aditis et in interioribus ejus æstimare debemus! De qua Propheta loquitur: « Hoc labor est in conspectu meo, donec ingrediar in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum (*Psal.* LXXII). » Sed et hoc notandum, quod in descriptione tabernaculi dicuntur sancta sanctorum plurali numero: hic autem Sanctum sanctorum numero singulari, ut post Sancta sanctorum veniamus ad Sanctum: quomodo post multa cantica pervenimus ad Canticum canticorum, quod omnium carminum carmen est, et quod canentes sponsi copulamur amplexibus.

« Et mensus est parietem domus sex cubitorum, « et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique « per circuitum domus. Latera autem latus ad latus « bis triginta trium; et erant eminentia, quæ ingre« derentur per parietem domus in lateribus per « circuitum, ut continerent et non attingerent parie« tem templi. Et platea erat in rotundum ascendens « sursum per cochleam, et in cœnaculum templi de« ferebat per gyrum. Idcirco latius erat templum « in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur « ad superiora in medium. » Quod autem in Septuaginta ponitur « et de mediis ad tristega, » id est, ad tria cœnacula, et *thrael*, in Hebraico non habetur.

« Et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata « latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio, et « latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque « cubitorum. Et erat interior domus in lateribus do« mus. Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubi« torum in circuitu domus undique. Et ostium lateris « ad orationem (quod in Septuaginta non habetur), « ostium unum ad viam aquilonis, et ostium unum ad « viam australem, et latitudinem loci ad orationem « quinque cubitorum in circuitu. Et ædificium, quod « erat separatum versumque ad viam respicientem « ad mare latitudinis septuaginta cubitorum: paries « autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per « circuitum, et longitudo ejus nonaginta cubitorum. » Postquam pervenit ad Sanctum sanctorum, de quo supra diximus, vir ille venerabilis mensus est Sancti sanctorum parietem, qui propter fabricam mundi et omnem visibilem creaturam, quæ in sex diebus condita est, sex habebat cubita, et latitudinem unius lateris quatuor cubitorum, non ex uno latere, sed per circuitum. Quatuor autem cubita tenebat per circuitum domus latitudo, ut quatuor elementa monstraret, ex quibus universa compacta sunt, et maxime humana corpora: contra quæ sancti dimicantes et subjicientes se animæ potestati, interiora merentur intrare, et Domini arcana cognoscere. Ipsa autem latera, quæ in circuitu domus erant, et quatuor cubitorum spatio a templi pariete separabantur, juncta sibi erant, ita ut unum latus aliud latus contingeret et haberet in longitudine non triginta et tres cubitos, sed bis triginta tres, hoc est, sexaginta sex. Vetus in Levitico loquitur Testamentum (*Levit.* XII) in ortu maris post unam hebdomadam et illam quæ genuit, et illum, qui genitus est, triginta tres explere dies, ut veniant ad purificationem. Porro si genuerit feminam, duplicem observari numerum, id est, sexaginta sex. Et quia, ut veniamus ad Sancta sanctorum, non solum prima indigemus nativitate, sed et secunda, ut nati in carne, renascamur in spiritu, idcirco non sexaginta sex, sed bis triginta, et trium ponitur numerus: ut utraque nativitas Deo sacr[…] debeatur illiusque clementiæ, et duplici muro circumeant latera domus, quæ templi fulciunt ædificium. Quodque sequitur juxta Hebraicum: « Et erant quædam eminentia, quæ egrederentur per parietem domus per latera in circuitu, ut contine[…]rent, et non attingerent parietem templi, » illud significat, quod sancti viri in multitudine credentium erumpant per parietem templi, per omnia videlicet latera in circuitu; et contineant Ecclesiæ fundamenta, et tamen non tangant parietem templi, tantum vidisse contenti, et de longe inenarrabilia adorasse mysteria. Nunc enim videmus per speculum in ænigmate, et plenissimam tangere atque comprehendere non possumus veritatem. Quod autem platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum, et idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora et medium, puto perspicuum esse lectori semper angustiora esse, quæ deorsum sunt in jejuniis, χαμευνίαις, et victus continentia, paulatimque dum ad summa conscendimus, latiorem nobis aperiri viam, et impleri quod scriptum est: « In tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV). » Per rotundum autem et per cochleam ascendimus templi cœnaculum, quæ figura inter omnia schemata a philosophis quoque hujus sæculi pulchrior approbatur, dum et cœlum, et sol, et luna, et astra cætera, et punctum terræ in corporibus quoque humanis oculi, quasi altera sidera, et figura capitis quod omnium sensuum receptaculum est, teretesque digiti, et femina, et brachia, hanc præferunt rotunditatem. Porro cœnaculum templi ad quod de angustioribus ad altiora conscendimus, illud puto esse, quod in Regum volumine Elias habuit et Eliseus (*III Reg.* VI; *IV Reg.* IV), et in apostolorum Actibus Tabitha, id est Δόρκας, et damula nostra possedit, quæ bonis operibus ad summa conscenderat (*Act.* IX; *Act.* X). Apostolus autem Petrus, super quem Dominus Ecclesiæ fundamenta solidavit, transcendit cœnaculum, et venit ad tectum, quod significantius Græce δῶμα dicitur, id est, tecti solarium, et incognita prius sæculo Ecclesiæ sacramenta cognovit. Salvator quoque generis humani pascha facit in cœnaculo, et magno latoque cœnaculo atque omni sorde purgato stratoque, et ad spiritale convivium præparato, ubi mysterium corporis et sanguinis suis tradidit discipulis, et æternam nobis agni immaculati reliquit festivitatem. (BEDA.) Quod autem de structura templi in libro Regum scriptum est: « Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ et per […]

chleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium, » non inconvenienter juxta mysticam significationem huic loco aptari potest. Nam hic locus proprie ad corpus Dominicum referri potest. Ostium namque lateris medii in parte erat domus dextræ, quia, defuncto in cruce Domino, unus militum lancea latus ejus aperuit. Et bene in parte domus dextræ, quia dextrum ei latus a milite apertum sancta credit Ecclesia : ubi etiam apto verbo usus est evangelista, ut non diceret, Percussit latus aut vulneravit, sed aperuit, videlicet, quasi ostium lateris medii, per quod nobis iter ad cœlestia panderetur. Denique ita subjunxit : « Et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX), » aqua scilicet qua abluimur in baptismo, et sanguis, quo consecramur in calice sancto. Per hoc namque ostium nobis est ascensus in medium cœnaculum, et a medio in tertium, quia per fidem et mysteria nostri redemptoris, de præsenti Ecclesiæ conversatione ad requiem animarum post mortem ascendimus : rursusque de requie animarum, adveniente die judicii, ad immortalitatem quoque corporum, quasi in tertium cœnaculum sublimiore profectu penetrabimus, ex quo in magna amborum et corporis videlicet et animæ beatitudine vivamus. Quod quidem iter invisibiliter agebatur, ita ut soli hoc qui intraverant nossent, quamvis ipsum ostium etiam foris positi viderent. Quia nimirum actus fidelium in hoc sæculo, et celebrationes sacramentorum etiam reprobi possunt intueri, verum arcana fidei intimæ, et gratiam dilectionis, nullus nisi qui per hæc, Domino duce, ad cœlestia scandit, agnoscit : « Qui enim dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II). » « Et vidi, inquit, in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio, et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum. Et inter gazophylacia (quæ Symmachus *exedras* vocat) latitudinem viginti cubitorum per circuitum domus. » (*Hieron.*) Quibus numeris ostenditur, quod de mundo hoc et de terrenis sensibus, et de duali duarum decadarum numero, qui refertur ad viginti non solum in Sancta sanctorum, sed et in cœnacula eorum mereamur ascendere, et semper habere in memoria, quod per sex dies conditionis nostræ, et per quinque sensus, et per viginti cubita latitudinis ascenderimus ad cœnaculum templi, et terrenam humilitatem, sensumque litteræ relinquentes, transierimus ad summitatem Ecclesiæ, Spiritusque sancti consortio gaudeamus. « Et ostium, inquit, lateris ad orationem contra viam aquilonis, » a quo exardescunt mala super omnem terram, et quem Dominus abacturum se a nobis pollicetur dicens : « Et eum qui ab aquilone est a vobis abigam. » Pulchreque in ostio contra aquilonem locus orationis est, ut secundum Apostolum oremus sine cessatione (*I Thess.* V), et dicamus cum Jeremia : « Non sileat pupilla oculi mei (*Thren.* II) ; » vel præsentia mala vitare cupientes, vel agentes gratias pro præteritis. Quandiu enim in tabernaculo

A corporis hujus sumus, ingemiscimus, dicimusque : « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (*Rom.* VII.) Sed et ad viam australem erat ostium, et ipsum juxta Hebraicum habens locum orationis ; et quinque tendens cubitis per circuitum. Per frigus enim aquilonis, ad australem transimus calorem, et tamen rursum orationis quærimus locum in aquilonis ostio, ut evadamus pericula ; in australi ; ut agamus gratias pro præteritis, et sit nobis victoriæ secura possessio. Quinque autem cubiti et in hoc loco divinos indicant sensus, per quos de terrenis ad altiora conscendimus. « Et ædificium, inquit, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum, » ut post labores, et pericula, et sæculi istius

B fluctus atque naufragia, et annos septuaginta, de quibus Jeremias scribit, et Daniel, et Zacharias (*Jer.* XXV ; *Dan.* IX ; *Zach.* VII), verum et legitimum septem decadarum sabbatum consequamur, ut sit nobis æterna requies : et per quinque cubitorum latitudinem veniamus ad longitudinem nonaginta cubitorum, in qua ætate de repromissione filium Sara generavit, quæ nonaginta annorum, id est novem decadarum, peperit Isaac, juncta Abraham centenario, id est, decem decadarum habenti mysterium (*Gen.* XXI). Qui numerus quid significet, sequens Scriptura monstrabit.

« Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium et parietes ejus longitudinis centum cubitorum. Latitudo autem ante faciem domus et ejus quod erat sepa-

C ratum contra orientem centum cubitorum. Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum, hecthecas (id est eminentia) ex utraque parte centum cubitorum, et templum interius et vestibula atrii, limina, et fenestras obliquas, hecthecas in circuitu per tres partes contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu. Terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia, et usque ad domum interiorem et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, et forinsecus ad mensuram, et fabrefacta cherubin et palmæ. Et palma inter cherub et cherub. Duasque facies habebat cherub. Faciem hominis juxta palmam ex hac

D parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu. De terra usque ad superiora portæ, cherubin et palmæ cælatæ erant in pariete templi. Limen quadrangulum erat ; et facies sanctuarii aspectus contra aspectum altaris lignei, trium cubitorum altitudo ejus, et longitudo ejus duorum cubitorum, et anguli ejus et longitudo ejus, et parietes ejus lignei. » (*Hieron.*) Describuntur autem Sancta sanctorum et templum interius quod post nonaginta cubitos ex tribus partibus centenos cubitos habere dicatur. Perfectum videlicet numerum decadarum decem, ut et mente et sermone, et operibus Domino serviamus, recordantes illius apostolici exempli in quo ait, « ut scire possimus, quæ sit latitudo, et longitudo, et profundum,

et altitudo. Quod autem Hebraicum dicit ædificium separatum et parietes ejus, Septuaginta reliqua interpretantur et separantia, quæ non hæreant parietibus templi, sed propinquos et suos habeant parietes; ipsum quoque templum et anguli ejus et ælam, id est, *πρόπυλον*, sive vestibulum, exterius erant strata ligno, sapientia videlicet quod lignum vitæ situm in paradiso Scriptura commemorat; fenestræ quoque juxta Septuaginta erant factæ in modum retis instar cancellorum, ut non speculari lapide nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur; pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet, quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet et sinistram, et post tergum, id est, ad meridiem et ad aquilonem, et ad occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi januarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intro quis posset aspicere. (*Beda.*) Retis autem connexio unitatem designat fidei, quæ est in vinculo pacis. Quod autem dicit fenestras esse obliquas, ostendit abundantiam lucis internæ. Fenestræ templi doctores sunt sancti et spiritales quique in Ecclesia, quibus mente excedentibus Deo, arcana secretorum cœlestium specialius cæteris videre conceditur. Quidam ea, quæ in occulto vident, publice fidelibus pandunt, quasi suscepto lumine solis fenestræ cuncta templi penetralia replent. Unde bene eædem fenestræ obliquæ, id est, intus latiores fuisse perhibentur, quia nimirum necesse est, ut quisquis jubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad majora capessenda solerti exercitatione præparet. Item quod Propheta dicit terram usque ad fenestras, et fenestras clausas, designat in doctoribus paucitatem doctrinæ spiritalis; Paulus namque Apostolus dicit: « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* XIII). » (*Greg.*) In hoc autem templo fenestræ, sacerdotes et speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen sanctæ prædicationis infundunt. Sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt, quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. (*Hieron.*) Et non solum exteriora erant strata ligna, sed tanta erat lignorum copia per circuitum, ut et pavimentum et de pavimento usque ad fenestras lignis omnia jungerentur. Quæ fenestræ juxta Septuaginta aperiebantur tripliciter, ut apertis eis, triplex in templo Dei intelligentia monstraretur. Juxta illud quod alibi dicitur: « Tu autem describe ea tripliciter (*Prov.* XXII). » Prospicitur autem per eas non solum interius, sed et exterius, ut quæ interiora sunt invisibilia, quæ exteriora visibilia cognoscamus, ut aliud mentem, aliud carnem, aliud spiritalem intelligentiam, aliud simplicem monstret historiam. Et per omnes parietes in circuitu tam intrinsecus quam extrinsecus erant mensuræ suæ, nihil enim absque ratione et mensura in templo Dei, et maxime in Sancta sanctorum a Deo factum est. Cælata quoque erant cherubin: haud dubium quin in lignis de pavimento usque ad fenestras pertingentibus, et tam fabrefacta erant cælaturæ, ut non sculptæ, sed appositæ viderentur. Cherubin interpretantur *scientiæ multitudo*. Igitur intrinsecus in interioribus templi, post scientiæ multitudinem cælantur ei palmæ, in quibus signum victoriæ est, dicente Apostolo: « Persequor autem ad statutum bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu (*Philip.* III). » Quæ palmæ erant inter cherub et cherub, ut unum cherub duarum palmarum lateribus vallaretur. (*Beda.*) Hinc quoque in libro Regum scriptum est: Et fecit in eis cherubin et palmas et picturas varias, quasi prominentes de pariete et egredientes. Cherub namque in parietibus templi facit Salomon, cum electos suos Dominus ad regulam Scripturarum sanctarum, in quibus est multitudo scientiæ, vitam suam dirigere donat. Cherubin facit, cum eos in hoc mundo castitatem angelicæ conversationis pro modulo suo docet imitari, quod maxime vigiliis ac laudibus divinis, dilectione sincera Conditoris et proximi, geritur. Palmas facit, cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit; ut eo minus ab arce justitiæ labi queant, quo mercedem justitiæ semper ante cordis oculos habent. Facit picturas varias quasi prominentes de pariete et egredientes: cum multifarias virtutum operationes fidelibus tribuit. Verbi gratia, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, sufferre invicem, et donare sibimetipsis, super omnia autem hoc charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. Quæ videlicet virtutes, cum in tantam electis consuetudinem venerint, ut velut naturaliter eis videantur insitæ, quid aliud, quam picturæ domus Domini prominentes, quasi de pariete exeunt? quia verba et opera veritatis non adhuc ab aliis extrinsecus discunt, sed ut si sint sibimet infixa radicitus et parata, semper ab intimis cordis, quæ sunt agenda, sive dicenda proferunt. (*Hieron.*)

Quod cherub nequaquam ut in principio hujus prophetæ legimus quatuor habebat facies, hominis scilicet et leonis, et vituli, et aquilæ, sed tantum duas, hoc est, hominis et leonis. Quorum primum ad rationem pertinet, sequens ad furorem. Furorem autem dicimus, non eum, qui perturbationi et vitio proximus est, sed qui mentis consolidat mollitiem, et fortiorem facit animum dimicantis. In principio enim subjacemus et concupiscentiæ, quæ refertur ad vitulum propter terræ opera, et alia sunt carnalia, alia spiritalia, quorum extremum aquilæ deputatur. Cum autem intraverimus Sancta sanctorum, et interiora templi possiderimus, nequaquam alia re indigemus, nisi ratione atque fortitudine, quorum alterum ad sensum atque prudentiam, alterum refertur ad animi perseverantiam. Omnis igitur paries per circuitum templi a pavimento usque ad laquearia cherubin habebat et palmas mira arte cælatas. Post

quæ aperiebatur sanctuarium et templum per quatuor angulos contra faciem sanctorum. Prius enim habemus scientiæ multitudinem, per quam, victoriam de hoste consequimur, et postea nobis sanctuarium aperitur et templum, quod habet quatuor angulos, et stationem firmissimam, et quæ in nullam partem declivior sit. Hanc enim habet naturam mensura quadranguli, ut stabili consistat basi. Et in mystico numero, qui prudenti lectori perspicuus est, elementa quatuor ex quibus constant omnia solida perpetuaque possideat. Et cuncta contra faciem sanctuarii aspiciebant. Ante quod sanctuarium, sive in quo sanctuario erat species altaris lignei trium cubitorum altitudine, et longitudine cubitorum duorum, et latitudine cubitorum duorum, qui juncti septem faciunt cubitos. Quod altare habebat cornua, et tam bases, quam parietes ejus, hoc est, latera erant lignea. In quo Scripturæ sanctæ mysteria humanus sermo potest explicare, quomodo altare in quo ignis succendendus erat, mensa videlicet thymiamatis, nihil ab igne patiatur, sed, ut ita dicam, igne purius fiat. Sicut enim sanctorum opera, de quibus scribit Apostolus: « Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, » non pereunt, sed per ignem puriora monstrantur: ita et altaris ligna, quæ de lignis paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora redduntur. Nec mirum hoc de sanctuario et interioribus templi, et altari thymiamatis credere, cum etiam ἀμίαντος, quod ligni genus est vel lini habens similitudinem, quanto plus arserit, tanto mundius inveniatur.

(MAURUS.) Possunt tamen in altitudine altaris, quæ est trium cubitorum, mystice accipi corda electorum, quæ per fidem, spem, et charitatem ad cœlestia tendunt; in longitudine, quæ erat duorum cubitorum, longanimitas et patientia eorum intelligi, qui exspectant regnum futurum, et exercent se bene operando in duobus præceptis charitatis, donec perveniant ad gaudia sempiterna. Apte enim in constructione tabernaculi Dei de lignis setim, quæ albæ spinæ similia, et esse incorruptibilia dicuntur, utrumque altare fieri præcipitur. Hoc est, holocausti et thymiamatis: quia nimirum una est fidei non fictæ firmitas. Quia omnium corda electorum præmuniri atque ad suscipiendum ignem dilectionis, et offerenda Deo virtutum libamina, debent præparari, quia omnibus generaliter pusillis cum majoribus loquitur Apostolus dicens: « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (*I Cor.* VII). » Apte unus ac non dispar erat ignis, qui in hoc altari victimas, in illo thura incendebat, quia nimirum unus est spiritus, qui cunctorum mentes fidelium variante donationum gratia vivificat. (*Hieron.*) Ignosce, lector, difficultati, et veniam tribue pauperi intelligentiæ. Per fenestras enim obliquas et in modum retis factas, et quæ semper clausæ sunt, vix usque ad interiorem domum cordis nostri oculum possumus intromittere, ut omnia quæ cernimus in umbra videamus et imagine, et cum Apostolo clamemus: « O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viæ illius! » (*Rom.* XI.) Et, « Quis cognovit sensum Domini (*Ibid.*)? » nisi ille qui est magni consilii angelus, et sua potest dignis aperire mysteria: ἐκθέτας autem Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia, sive meniana, ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum ἐξώστρας vocant.

« Et locutus est ad me: Hæc est mensa coram « Domino. Et duo ostia erant in templo et in sanctuario, et in duobus ostiis ex utraque parte bina « erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur: bina « enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. Et « cælata erant in ipsis ostiis templi cherubin, et « sculpturæ palmarum sicut in parietibus quoque « expressæ erant. Quamobrem et grossiora erant « ligna in vestibuli fronte forinsecus, super quæ fe« nestræ obliquæ et similitudo palmarum hinc atque « inde in humerulis vestibuli, secundum latera do« mus latitudinemque parietum. » Vir ergo ille qui prophetam in abdita templi introduxerat, et inter cætera ostenderat ei altare ligneum, quod et angulos et cornua, juxta Septuaginta, et parietes habebat ligneos, dixit ei: Hoc altare quod respicis ipsa est mensa coram Domino, quæ in similitudine rubi ardet et non comburitur. De qua sanctus loquitur ad Deum: « Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XXII). » Duo quoque ostia erant in templo, et in ipso sanctuario, per quæ utriusque instrumenti sacramenta monstrantur. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur: ut et in historia spiritalem habeas intelligentiam, et in tropologia historiæ veritatem, quorum utrumque altero indiget, et si unum defuerit, perfecta caret scientia. Quod autem sequitur: « Bina ostia erant ex utraque parte ostiorum, » juxta litteram perspicuum est. Solent enim in majoribus tricliniis bina sibi hærere atque conjungi, ut major introitus nequaquam duobus et ingentibus, sed quatuor minoribus claudatur vel aperiatur foribus. (*Beda.*) Hæc itaque ostia per significationem multifarie possunt accipi. Nam et angelicos spiritus quorum ministerio in habitationem patriæ cœlestis introducimur, aptissime designant: et apostolorum æque apostolicorumque virorum, quibus claves regni cœlorum sunt datæ, tenent figuram. Qui accepta potestate a Domino ligandi atque solvendi (*Matth.* XVI), et dignos intra regni januam admittunt, et contumaces, impuros ac superbos, excommunicando, sive anathematizando, ab ingressu vitæ perennis eliminant. Sed et opera justitiæ quorum merito ad regnum cœleste pervenitur, recte per ostia, per quæ in Sancta sanctorum ingrediebatur, possunt typice designari, juxta hoc quod in libro Sapientiæ scriptum est: « Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo (*Sap.* VI). » Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Quibus omnibus apte congruit. Duo sunt

autem ostiola, sive quia Deum ac proximos diligunt, et angeli, et homines sancti, neque ullus januam vitæ, nisi per geminam hanc dilectionem poterit intrare : seu quia utriusque populi fidelibus et Judæi scilicet et gentilis eadem vitæ janua reseratur. Postes habent angulorum quinque, quia non solum animas electorum aula cœli recipit, sed et corporibus immortali gloria præditis in judicio suas fores aperit. (*Hieron.*) In quibus ostiis templi sive sancti sanctorum cælata erant cherubin, de quibus supra diximus, et sculpturæ palmarum : ut post scientiæ multitudinem victoria intrantibus præbetur. Quæ sculptura palmarum in omnibus quoque parietibus templi erat. Redditque causas quare cælata fuerint in ipsis ostiis cherubin, et palmarum expressæ similitudines, unde et grossiora erant ligna in vestibulo portæ forinsecus ut et firmitatem haberent, et cœlaturam possent recipere. Pulchreque juxta intelligentiam spiritalem firmiora et cælata sunt ostia, ut et firmitatem habeant et pulchritudinem, ne quis ad Sancta sanctorum similis Oziæ possit irrumpere, et sibi sacerdotium vindicare. (*Beda.*) Illi præcipue quibus fidelium cura commissa, et claves regni cœlorum sunt datæ, omni debent solertia insistere, ut quantum gradu præminent cæteris, tantum et merito præcellant bonæ actionis. Habent namque in se picturam cherubin sculptam, cum angelicam in terris vitam, quantum mortalibus possibile est, et mente imitantur et opere. Habent palmarum species, cum dona supernæ retributionis fixa semper intentione meditantur. Palma namque manus victricis ornatus est. (*Hieron.*) Super quæ ostia erant fenestræ obliquæ sive absconditæ, ut ipsum quoque lumen, quod præbebatur intrinsecus, non haberet perfectam scientiam, nec clarum lumen et cunctis patens, sed pleraque ex parte esset absconditum. Nunc enim videmus in ænigmate, et necdum novimus sicut oportet nos scire. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte fuerat destruetur. Et erat similitudo palmarum hinc atque inde. Eleganter in interioribus templi et sanctis sanctorum non posuit dextram et sinistram, ne quid sinistrum in his quæ magna sunt et arcana dicere videretur, sed hinc atque inde, juxta illud quod in Evangelio scriptum est : « Qui te percusserit in dextram maxillam, præbe ei et alteram (*Matth.* v). » Nunquid dicere non potuit et sinistram? Sed quando percutitur dextra, præbetur altera dextra, quia in sancto viro utrumque dextrum, utrumque perfectum est. « Et in humerulis vestibuli secundum latera domus latitudinemque parietum. » Pro quo Septuaginta transtulerunt in laquearibus ælam, hoc est, προπύλον et latera domus, æqualis ponderis sive mensuræ. Per quæ latenter ostenditur et postes superliminaris sive vestibuli (hoc enim humeruli videntur significare), et latera domus et latitudinem parietum, cuncta rationis plena esse atque mensuræ, et nihil in templo Domini reperiri quod absque mensura et sapientia constitutum sit.

CAPUT XLII.

De gazophylaciis australis et aquilonaris ædificii, et descriptione eorum ædificiorum : de locis ubi edebant sacerdotes, qui non exeant ad populum, nisi depositis vestimentis ministerii sui, etc.

« Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium et contra ædem vergentem ad aquilonem, in facie longitudinis centum cubitos, ostii aquilonis et latitudinis quinquaginta cubitos contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad aquilonem, ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. Tristega enim erant et non habebant columnas sicut erant columnæ atriorum; propterea eminebant de inferioribus, et de mediis atriis a terra cubitis quinquaginta. Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia. Longitudo ejus quinquaginta cubitorum, quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi centum cubitorum. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori, in latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem in faciem ædificii separati. Et erant ante ædificium gazophylacia, et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via aquilonis. Secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum, et omnis introitus eorum et similitudines et ostia eorum, secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad austrum. Ostium in capite viæ, quæ erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus. » (*Hieron.*) Volueram desperatione et magnitudine rei præsens testimonium silentio præterire, sed melius arbitratus sum quodcunque dicere quam omnino nil dicere. Socraticum illud assumens : Scio quod nesciam. Pars enim scientiæ est scire quod nescias. Postquam igitur ea quæ erant intus propheta diligenter contemplatus est, eduxit eum vir, cujus funiculus et calamus erat in manu, ad atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, quod et supra jam viderat, antequam interiora penetraret. Sed aliter videmus perfectam habentes scientiam, aliter in principiis disciplinæ; et necesse est, ut qui interiora conspexerit, secundum eamdem formam atque mensuras et recondita sacramenta, etiam quæ exteriora sunt videat. Eductus autem est in gazophylacium sive, ut Symmachus et Septuaginta transtulerunt, exedram, et Theodotio παστοφόριον, quod in thalamum vertitur, quod erat contra separatum ædificium. Quod autem Septuaginta addidere pro gazophylacio exe-

ras quinque, in Hebraico non habetur; quod gazophylacium erat contra separatum ædificium, de quo ıpra diximus, gazera : separatum autem erat eos susipiens qui ab aquilone veniebant. Et erat contra :dem vergentem ad aquilonem, id est, respicientem uidem aquilonis partes, sed non in aquilone posiım, ut facilior esset transitus his qui aquilonis :igora relinquebant, a quo exardescunt mala super ɜrram. Legimus in Numerorum libro (*Num.* xxxii) ribus Dan, et Nephtalim, et Aser filiorum Balæ et elphæ, ancillarum Rachel et Liæ, ad aquilonis plaas castra tenuisse. Nunc quoque in facie longitudiis ostii aquilonis centum fuisse cubitos, et latitudinis uinquaginta, ut ex decem decadis quadrangulus umerus atque perfectus, et ex septem hebdomadius, qui remissionis est numerus, et in principium nionis, id est, ogdoadis erumpit, sacerdotalia in ɜmplo Dei spatia monstrarentur. Illudque quod ıxta Hebraicum jungitur contra viginti cubitos atrii ıterioris, pro quo Septuaginta transtulerunt, decripta erant sicut portæ atrii interioris, hunc habet ensum : quod exterioris atrii centenarius et quinuagenarius numerus eamdem vim habeat, quam vienarius atrii interioris. Si enim quatuor quinquies upputes in numero viceenario, utrumque reperies estamentum, ut et lex teneatur in Evangelio, et ivangelium de legis radice nascatur : pro quo nuuero Septuaginta similitudinem atrii interioris inerpretati sunt, forsitan formidantes vicenarium ıumerum, in quo offeruntur Esau munera in atrio nteriori ponere. Sequitur : « Et contra pavimentum C itratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus uncta porticui triplici. » Pro quo Septuaginta transulerunt : « Et sicut columnæ atrii exterioris per ɔrdinem positæ contra faciem porticuum triplitium. » Significat autem, quod pavimentum atrii :xterioris vivo fuerit stratum lapide, ut nec æstatis ɔulvere, nec luto hiemis sacerdotum vestigia poluantur. Unde et Dominus ascensurus ad Patrem, ıpostolorum lavat pedes (*Joan.* xiii), ut mundatis ɔurgatisque vestigiis scandant regna cœlorum : et imɔerat apostolis (*Matth.* x; *Marc.* vi), ut in quamcunque ingressi fuerint civitatem, et non susceperint eos, excutiant pedum suorum pulverem, quo scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiantur. Non solum autem pavimentum D stratum erat lapide, sed et porticus erat juncta porticui triplici. Una porticus ab imbre et æstu protegens sacerdotes, et juncta porticui triplici, demonstratque mysterium Trinitatis, quod cum Patris et Filii et Spiritus sancti dividatur nominibus, tamen una sibi divinitate conjungitur. Erat quoque ante gazophylacia sive exedras vel thalamos deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Quodque a Septuaginta additum est « per cubitos longitudinis centum, » superfluum est, quia in Hebraico non habetur, quod ponentes tulerunt id quod habetur in Hebræo : « ad interiora respiciens viæ cubiti unius, » quod nos de Hebraica veritate trans-

A tulimus. Significat autem quod ante fores gazophylaciorum omnium sive exedrarum et thalamorum fuerit deambulatio latitudinem habens cubitorum decem, qui et ipse perfectus est numerus, vel propter decalogum vel propter Evangelii sacramentum. Si enim ab uno per duos et tres ad quartum numerum venias, denarius Evangeliorum numerus efficitur, in cujus latitudine deambulant sacerdotes, ante singula gazophylacia gradientes, ita duntaxat ut semper ad interiora respiciant viæ ejus, quæ ducit ad cubitum unum, ad cultum videlicet unius divinitatis, dicente Filio ad Patrem : « Revelavi nomen tuum hominibus (*Joan.* xvii). Ipsa est enim via interiora respiciens, quæ dicit in Evangelio : « Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* xiv), » quia nemo B venit ad notitiam Patris nisi per Filium. Et ostia earum ad aquilonem, ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus et mediis ædificii. Tristega enim erant et non habebant columnas sicut erant columnæ atriorum. Propterea eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubitis quinquaginta. Quod jungitur : « ostia earum, » subauditur exedrarum sive gazophylaciorum, de quibus supra sermo fuit. Quæ gazophylacia erant in superioribus, id est in cœnaculis humiliora. Quæ cœnacula ascendit Elias, et Elisæus (*III Reg.* vi; *IV Reg.* iv), et Dominus cum discipulis pascha facturus (*Marc.* xiv; *Luc.* xxii), et Tabitha, quæ et fide apostoli et virtutum suarum merito suscitata est (*Act.* ix). Ista sunt cœC nacula, de quibus in psalmo scriptum est : « Qui rigat montes de cœnaculis [*Al.*, superioribus] suis (*Psal.* ciii). » Nisi enim quis fons fuerit effectus, et ad altiora surrexerit, pluviis Domini non rigabitur; qui pro diversitate meritorum de primo, secundo et tertio irrigatur cœnaculo. Ipsa quoque gazophylacia, hoc est, thesauri gazarum Domini in superioribus humiliora sunt. Quanto enim quis excelsior fuerit, tanto cum Apostolo humilitate dejicitur, dicens : « Qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* xv). » Erant autem ipsa gazophylacia in cœnaculis humiliora, quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. Reddit causas cur gazophylacia in cœnaculis posita humiliora fueD rint : quia supportabant, inquit, porticus, quæ libertate aeris fruebantur. Et eminebant de inferioribus et de mediis ædificii, ut secundum cœnaculum pavimento inferioris domus esset eminentius, et tertium cœnaculum secundo esset excelsius. Et quanto quis ad superiora conscenderet, tanto altior uteretur cœnaculo, quanto humilitate crescebat, dicente Domino : « Qui vult inter vos major esse, fiat omnium minimus (*Matth.* xxiii). » Neque enim columnis aliis portabantur, sicut in atriorum columnis legimus, sed eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubitis quinquaginta numero remissionis omnium debitorum. Hæc sunt autem tristega, de quibus præcipitur : « Describe ea tripliciter, consilio et scien-

tia, ut respondeas sermonibus veritatis his quæ proponuntur tibi (*Prov.* xxii). » Inferiora igitur et exteriora columnis indigent. Quæ autem altiora sunt et interiora, columnarum, id est, alieni auxilii usum non habent. Post hæc dicitur : « Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia, longitudo ejus quinquaginta cubitorum : quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi centum cubitorum. » Peribolus murum significat, qui erat exterior, et cingebat gazophylacia in via atrii exterioris, habens in longitudine quinquaginta cubitos : de cujus numeri sacramento crebro diximus. Porro longitudo ante faciem templi nequaquam quinquaginta cubitorum erat, ut ante gazophylacia, sed centum cubitorum : ut post remissionem omnium peccatorum, perfecta præmia in centenario numero præstolemur. Pro peribolo sive muro, quod Hebraice dicitur *gader*, Septuaginta *lumen* interpretati sunt quod venit extrinsecus et illuminat cordis nostri oculos, non sufficiente natura nostri luminis, quod versatur in sensu perfectum scientiæ habere fulgorem, nisi extrinsecus per Dei gratiam introeat, quod primum oculos nostri cordis illuminat. Et omne atrium exterius, quod quinquaginta cubitorum latitudine tenditur, facit clarescere. Postea vero cum venerimus ante faciem templi, perfecta in centenario numero recepimus præmia. Erat autem subter gazophylacia introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori. Oportet enim Dei nos possidere divitias, et de atrio exteriori subter gazophylacia orientis introitum reperire : et per latitudinem periboli, qui respicit viam orientis, venire ad ædificium, quod sanctis est separatum, ante quod sunt gazophylacia, et in ipsa via similitudo gazophylaciorum, quæ erant in via aquilonis. Licet enim ad orientis perveniamus introitum, tamen similitudo majorum est in minoribus ; et non possumus ad orientis pervenire lumen, nisi per viam aquilonis, id est, per minora et humiliora ad majora et altiora tendamus. In ipso autem introitu longitudo erat similis latitudinis, id est, eadem mensura per quadrum. Omnisque ingressus et similitudines et ostia eamdem habebant mensuram et similitudinem, quam gazophylacia, quæ erant in via respiciente ad austrum. Per orientem enim aquilonis frigora restinguentes pervenimus ad austrum, in quo sponsus recubat in meridie, et in pleno versatur lumine. In capite autem ejusdem viæ, hoc est, orientalis quæ patet ingredientibus ostium est, quod nisi apertum fuerit ab eo, qui dicit : Ego sum ostium, et qui habet clavem David ad vestibulum sanctorum virtutibus separatum, et quod ab aquilone venientes suscipit, non possumus pervenire.

« Et dixit ad me : Gazophylacia aquilonis, et gazophylacia austri, quæ sunt ante ædificium separatum, hæc sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum, in Sancta sanctorum. Ibi ponent Sancta sanctorum et oblationem pro peccato et pro delicto. Locus enim sanctus est. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes non egredientur de sanctis in atrium exterius : et ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestienturque vestimentis aliis, et sic procedent ad populum. » (*Hieron.*) Vir ille, qui ductor prophetæ fuit, postquam eum duxit in atrium exterius, et monstravit omnia quæ præteritus sermo narravit, gazophylacia quoque sive exedras, in quibus diutissime commoratus est, dixit ad eum : Hæc sunt gazophylacia vel exedræ thalamique ad aquilonem et austrum, quæ sunt ante ædificium separatum, et appellantur sancta gazophylacia, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum. Ex quibus discimus multas ciborum esse diversitates, quibus vesci sacerdotibus licet vel non licet, et de his ipsis, quos licet in cibos sumere non in omnibus sumantur locis, nec ab omnibus, neque omni tempore. Gazophylacia aquilonis et austri puto esse, quæ vel historiæ contineant simplicitatem, vel spiritalis intelligentiæ sacramenta, ut per aquilonem veniamus ad meridiem. Neque enim sic legenda est littera et historiæ fundamenta jacienda, ut non veniamus ad culmina : nec ita pulcherrimo ædificio tecta ponenda, ut nequaquam fundamenta sint solida. Sacerdotes autem qui vescuntur in cellariis, in quibus multæ divitiæ continentur, ipsi sunt qui appropinquant ad Dominum, de quibus Scriptura testatur (*Exod.* xxiv), quod Moyses appropinquaverit ad Dominum, et cæteri accedere non potuerint. In ædificatione templi mystici et in Ecclesiæ sacramento multi sunt sacerdotes et apostolici viri, qui accedunt ad Dominum, et non in quolibet loco, sed in Sancto sanctorum. Quodque juxta Septuaginta dicitur, filii Sadoc, qui interpretatur *justus*, in Hebraico non habetur. *Ibi*, inquit, *ponent sacerdotes Sancta sanctorum et oblationem*, hoc est, victimam holocausti, *et pro peccato et pro ignorantia*, ut non solum juge offerant sacrificium, sed pro diversitate temporum et qualitate peccati atque ignorantiæ, sciant placare Dominum, quia ipse locus sanctus est, et sacerdotalis in eo dignitas commoratur, quæ possit rogare pro cæteris. Quando autem procedendum est ad eos, qui non possunt templi adita penetrare, nec divinæ scientiæ arcana cognoscere, egrediantur, inquit, foras ad eos sacerdotes in atrium exterius : nequaquam cum his vestimentis, quibus intrinsecus induti erant, viscera videlicet misericordiæ et Dominum Salvatorem, de quibus scriptum est : « Induimini Christum Jesum (*Rom.* xiii), » nec his utantur sermonibus, de quibus loquitur Deus, Mysterium meum mihi et meis, ne incurrant in illud, quod Salvator prohibet dicens : « Nolite dare sanctum canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos (*Matth.* vii) ; » sed ponent vestimenta sua intrinsecus, quibus induuntur quando ministrant in templi adytis, sancta enim sunt, et ad eos qui perfectam non habent sanctitatem non debent inferri. Accipientque alia vestimenta, et sic

procedent ad populum. Sic, inquit, loquentur ad po- **A** pulum, quomodo potest audire populus. Unde et Apostolus ad Corinthios loquebatur, in quibus « audiebatur fornicatio et talis fornicatio, qualis nec inter gentes (*I Cor.* v) : » « Lac quidem vobis potum dedi, non escam (id est solidum cibum), necdum enim capere poteratis (*I Cor.* III). » Ad quos rursum dicit : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Gal.* IV). » Parvulis enim atque lactantibus non solum non prodest solidus cibus, sed interficit eos, qui perfectæ ætatis hominibus congruit. Quod aliter intelligi potest. (*Greg.*) Sacerdotes vero etiam post compunctionem ac lacrymas coguntur necessaria filiorum suorum cognoscere, et ea quæ refugiunt animo patienter audire, atque post suspiria cœlestium, quorumlibet carnalium hominum **B** onera portare, et sæpe cum supervenientibus cor in diversa qualitate transfundere. Nam aliquando sacerdos de lucris spiritalibus gaudet. Sed cum quilibet mœrens supervenerit; nisi ejus mœrorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget, et repente superveniunt, qui de quibusdam suis prosperitatibus lætantur, quorum si lætitiæ sacerdos non congaudeat, minus amare creditur filios, in quorum gaudio non exsultat, præcipue cum Paulus dicat : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (*Rom.* XII). » Nihil ergo tam onerosum ordini video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare; et tamen hoc valde est necessarium. Nam quomodo ex prædicatione ejus ad **C** boni operis gratiam peccator adducitur, si ipse qui prædicat videtur ingratus? Unde per hunc quoque eumdem prophetam postea dicitur, ut cum sacerdotes intrinsecus ministrant, vestibus lineis utantur, de quibus subditur : « Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimenta sua in quibus ministraverunt, et ponent ea in gazophylacio sanctuarii. » Grossiora quippe vestimenta sunt lanea. Sed cum sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtili intellectu necesse est, quasi lineo vestimento induatur. Sed cum ad populum foris egreditur, oportet ut vestimenta, in quibus intrinsecus ministraverat, reponat, atque populo aliis vestibus indutus **D** appareat. Quia si in compunctionis suæ rigore se teneat, si in eo, quem orationis tempore habuit, mœrore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit, et quid grex de necessariis faciat, si audire atque perpendere ad hoc, quod præsens tempus exigit, pastor recusat? Grossiora ergo vestimenta sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suæ habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat.

« Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem, et mensus est eam undique per circuitum. Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ per circuitum quingentos calamos, in calamo mensuræ per gyrum. Et mensus est contra ventum aquilonis quingentos calamos, in calamo mensuræ per gyrum. Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos, in calamo mensuræ per circuitum. Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos, in calamo mensuræ. Per quatuor ventos mensus est murum ejus undique per circuitum, longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum dividentem inter sanctuarium et vulgi locum. » (*Hieron.*) Sciendum quod post ventum orientalem et aquilonem in vento australi et occidentali apud Septuaginta ordo præposterus sit. Illi enim primum posuerunt occidentalem, id est mare, et postea australem, cum apud Hebræos primum ponatur ventus australis, et postea occidentalis. Quodque Scriptura nunc dicit : « Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respicit ad viam orientalem, » ostendit cuncta, quæ supra dicta sunt, et forinsecus et intrinsecus, et in interioribus templi, hoc est, sancti sanctorum, proprie ad templi ædificium pertinere, et templi interioris. Unde nunc sequitur : « Eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem, et mensus est eam undique per circuitum, sive similitudinem domus. » Per quod demonstratur non ipsam domum, sed similitudinem domus esse, quæ cernitur, quia « nunc per speculum videmus in ænigmate. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur (*I Cor.* XIII). » Unde et Moyses in tabernaculo, et Salomon in ædificio non veritatem tentorii templi, sed similitudinem figuramque fecerunt, ut per hæc, quæ minora sunt et terrena, ea quæ in cœlestibus, et in spiritali ædificio sunt, intelligere possimus. Vir autem, qui prophetam eduxerat, nequaquam in atrium exterius, sed per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem, primum mensus est contra ventum orientalem, id est, ad orientalem plagam quingentos calamos per gyrum : secundo ad aquilonem : tertio ad austrum : quarto ad mare, id est, ad occidentem. Per quatuor videlicet ventos murum in circuitu tam in longitudine, quam in latitudine, hoc est, per quadrum. Qui murus simul habebat duo millia calamos. Sin autem calamus sex cubitorum erat, et παλαιστῆ unius quæ παλαιστή, sexta pars cubiti est, perspicuum est murum exteriorem habuisse per circuitum calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia trecentos triginta tres, et trientem de duobus millibus. Prudens lector et diligens legat librum Jesu Nave, et inveniet quomodo in suburbanis hæc mensura servetur. Unde et legio dæmonum hunc numerum eligit in suffocatione porcorum (*Luc.* VIII), ut qui servientibus Deo præcepto Domini separatus est, in contrariam partem referatur ad perditionem eorum qui vitam cœno dignam et sordibus consectantur. Omnis autem murus qui est exterior, et habet spatiosissimam longitudinem et latitudinem per quadrum, apostolorum continet numerum, id est, duodecim millium, ut singulis apo-

stolis millenus numerus deputetur, et tamen ad A mensuram plenitudinis Christi et perfecti viri non veniat nisi jungatur ei et παλαιστά, qui trecenti triginta et tres cubitos et cubiti tertiam partem, per quæ sanctæ et venerabilis Trinitatis mysterium demonstratur, habeat, quæ cingit et vallat omnia, et habitatores templi sui præstat tutissimos. Unde trecentorum cubitorum arca Noe habet longitudinem, et triginta cubitorum altitudinem, quæ consummatur in uno cubito: quod autem ibi adduntur quinquaginta cubiti in latitudine remissionis, ut sæpe diximus, significat sacramentum. Unde et Dominus triginta annorum venit ad baptismum (*Luc.* III). Et hic ipse propheta in principio voluminis sui annum ponit tricesimum, qui tricentesimus et tricesimus numerus tribus additis et tertia parte completur. Illud autem, B quod per simplicitatem interpretationis, dum parum attendimus celeritate dictand' et Septuaginta habent, et nostra translatio « murum ejus undique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum, » Hebræus sermo non continet, sed simpliciter longitudinem quingentorum et latitudinem quingentorum, ut subaudiatur calamorum, sicuti quarto supra dictum est ad orientalem ventum et ad aquilonem, et ad austrum, et ad mare quingentis calamis murum partium singularum ab eo qui tenebat calamum fuisse dimensum. Quingentesimus autem numerus, qui vicinus est quinquagenario, quod ad remissionem pertineat omnium peccatorum, non solum vetus Scriptura, sed et Salvatoris in Evan- C gelio verba demonstrant, dicentis: « Duo debitores erant feneratori cuidam: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta (*Luc.* VII). » Et murus dividit inter sanctuarium et vulgi locum. Ex quo intelligimus omnem supra templi descriptionem sacerdotum, qui sunt filii Sadoc, fuisse ministeriis delegatam: hunc autem murum, qui tanto spatio dilatetur, et universa circumeat, separare sanctuarium et vulgi locum.

CAPUT XLIII.

Vidit propheta claritatem Dei: arguit Judæos de idolis suis: præcipitur ostendere figuram et descriptionem domus; de mensura altaris holocaustorum, et de ritu ejus et sacrificiis ejusdem.

« Et eduxit me ad portam, quæ respiciebat ad D « viam orientalem. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, et vox erat ei quasi « vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. Et vidi visionem secundum speciem « quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum, quem videram juxta fluvium Chobar. Et cecidi super faciem meam: et majestas Domini ingressa est « templum per viam portæ, quæ respiciebat ad « orientem. Et levavit me spiritus, et introduxit me « in atrium exterius. Et ecce repleta erat gloria « Domini domus. Et audivi loquentem ad me de « domo. Et vir qui stabat juxta me, dixit ad me: « Fili hominis, locus solii mei et locus vestigiorum « pedum meorum, ubi habito in medio filiorum « Israel in æternum. Et non polluent ultra domus « Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum « suorum, et in excelsis, qui fabricati sunt limen « suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos, et murus erat inter me et eos. Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt, propter quod consumpsi eos « in ira mea. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me, et habitabo in medio eorum semper. » (*Hieron.*) Dicamus strictim de singulis quantum explanationis patitur difficultas, ne dum studemus brevitati, velamentum non solum Moysi, sed et prophetæ Ezechielis remaneat in nobis, qui cupimus revelata facie veritatem Domini contemplari. Gloria ergo Dei Israel ingreditur per viam orientalem, per quam et egressa fuerat, quando civitas Domini furore percussa est. Ingreditur autem, imo regreditur ad eam, quia templum Domini ædificatum in monte demonstraverat. Et tamen multo plus est, quod in consequentibus dicitur: « Levavit me Spiritus, et introduxit me in atrium exterius. Et ecce repleta erat gloria Domini domus. » Hic enim gloria tantum Dei Israel ingreditur, ibi autem dicitur, quod plenitudo gloriæ Domini fuerit in templo. De qua et Isaias scribit: « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum (*Isa.* VI). » *Et plena domus gloria ejus,* quando revelata facie gloriam Domini contemplantes reformamur in imaginem creatoris (*II Cor.* II). *Vox quoque erat Dei quasi vox aquarum multarum*: omnium scilicet in toto orbe populorum, ut Joannes evangelista (*Apoc.* I) interpretatur, sive quasi vox castrorum et sicut vox geminantium multorum, ut exercitus Dei sacramenta cognosceret. Quod intelligens et Jacob vocavit nomen illius loci castra (*Gen.* XXXII), de quibus et alibi scriptum est: « Currus Dei decem millium multiplex millia lætantium (*Psal.* LXVII). » Una autem vox dicitur castrorum et multitudinis, propter unum in Dei laude consensum, geminaturque vox canentium Patri et Filio et Spiritui sancto, « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. plena est terra gloria ejus (*Isa.* VI). » Sequitur « Et terra splendebat a majestate ejus; » quod proprie in adventu Christi factum est, quando « in omnem terram exivit apostolorum sonus, et in fines orbis terrarum verba eorum (*Psal.* XVIII). » Quotidieque impletur in credentibus, et ad perfectum complebitur, quando corruptivum hoc induerit incorruptionem, et mortale istud fuerit immortalitate vestitum. Quod autem infertur: « Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, » pro quo Septuaginta transtulerunt, « quando ingressus sum, ut ungerem civitatem, » cum juxta Hebraicum perspicuum sit, juxta Septuaginta plurimam obscuritatem habet,

quomodo Ezechiel ingressus sit, ut ungeret civitatem, ad cujus prophetiam comminationemque conciderit. Nisi forte illud dicamus, quod correptio prophetæ sit unctio civitatis et unctio olei exsultationis sacerdotalis et regii : quod qui libenter receperint, et audire voluerint, efficiuntur uncti Domini, de quibus scriptum est : « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*Psal.* CIV). » Ille autem potest juxta ἀναγωγὴν ungere civitatem, de qua scriptum est : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI), » qui vidit visionem currus et mysteriorum Dei, quam intuitus est Ezechiel super fluvium Chobar, qui onus pondusque significat. Quid enim gravius fluminibus Babylonis, super quæ David sedit et flevit, cum recordaretur Sion? De quibus scriptum est : « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII); » nihilque puto in sæculi hujus confusione esse perpetuum, sed omnia præterire et fluere. Quæ qui consideraverit, cadet super faciem suam, intelligens quam procul sit a majestate Dei et flectet genua ad Patrem in nomine Jesu Christi. « Cumque, ait, ego corruissem, majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad orientem, statimque me elevavit spiritus (ipse enim jacens pergere non valebam); et introduxit me in atrium exterius. » Foris enim cecideram. Et ecce, qui prius conspexeram gloriam Dei Israel venientem per viam orientalem, vidi repletam gloria Domini domum ejus : et vocem ad me de domo interiori loquentis audivi. Quæ quid sit locuta, Scriptura non narrat, nisi forte illud Apostoli : « Et audivi verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). » Vir autem, inquit ille, qui stabat juxta prophetam, dixit ad eum, quem perspicue Dominum intelligimus. Cui enim alii poterit convenire, quod sequitur : « Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum; » nisi illi, qui habitat in Ecclesia, in medio filiorum Israel cernentium Dominum, et habitat in perpetuum, non secundum templum Salomonis ad tempus? Et locus ejus est ille de quo scriptum est : « Et factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV), » quæ exsuperat omnem sensum. Et locus vestigiorum pedum illius, apostolis dicentibus : « Adoremus in loco ubi steterunt pedes ejus (*Psal.* CXXXI). » Et pulchre dixit, *steterunt*, in Ecclesia enim stant pedes Domini. In Synagoga ambulant et prætereunt. Ut autem sciamus hoc dici de Ecclesia, jungitur, « Et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum. » Quod proprie ad eos pertinet, qui sanctæ conversationis in Ecclesia commorantur. Qui sunt autem qui polluerint prius nomen sanctum Dei ponit manifestius : « Ipsi et reges eorum tam populus, quam sacerdotes in fornicationibus suis, quibus a Deo fornicati sunt, et in ruinis regum suorum, » qui frustra sibi per superbiam regium nomen assumunt. Denique sequitur : « Et in excelsis; » arrogans enim mens offendit Deum, humilis ad misericordiam provocat. Qui

A post superbiam, imo per superbiam fabricati sunt limen suum juxta limen Dei, et postes suos juxta postes illius. Audiant hæc juxta litteram mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV), semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes : mentem junctam Deo, non vicinitatem ecclesiarum, et habitationem proximam Dei in se provocare clementiam, quin potius indignationem Domini commoveri, quando in consecratis Deo locis indignus habitator est. « Fabricati sunt, inquit, limen suum juxta limen meum, » ut nihil interesset inter sacrum et profanum. « Et postes suos juxta postes meos; » ut unus laicorum et sacerdotum esset introitus. Unde Apostolus dicit : « Probet autem se homo, et sic accedat ad corpus B et sanguinem Domini (*I Cor.* XI). » Et ut gravius faceret quod dicebat, sequentem jungit versiculum : « Et murus erat inter me et eos, » ut sacerdotalia sacrificia et loca sacramentorum corporis et sanguinis Christi brevissimus murus divideret. » Et polluerunt, inquit, nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt. » Quid prodest habitationis vicinia et medius inter cellulam nostram et altare Domini paries, cum in his, quæ secreto facimus, et quæ turpe est etiam dicere, contaminetur et polluatur nomen Domini? Ego hoc arbitror, quod non polluat nomen Dei, nisi ille, qui visus est nomini ejus credere, et ex illius censeri vocabulo, et quomodo tollit membra Christi et facit membra meretricis, qui prius Christo credidit : sic ille C polluit nomen Dei, qui prius nominis ejus fidem susceperit. Alioquin ethnicus et Judæus cum sint polluti et contaminati, imo contaminatio ipsa atque pollutio nomen Dei polluere et contaminare non possunt, quod illi polluunt. Ad quos dicitur : « Per vos nomen meum blasphematur in gentibus (*Isa.* LII). » « Propter has igitur causas consumpsi eos in ira mea, » quia hæc fecere quæ diximus. Et tamen clemens Dominus rursum prophetæ præcipit, ut jubeat eis procul a se removere fornicationes pristinas, et ruinas regum suorum ac principum derelinquere et repellere non tam a se quam a Deo. Et boni operis statim præmia pollicetur, dicens : « Et habitabo in medio eorum. » De quo et in Evangelio dicitur : « Medius inter vos stat, quem vos nescitis D (*Joan.* I). » Et habitabit non parvo tempore, ut in Synagoga, sed in perpetuum : quod in Christi Ecclesia comprobatur.

« Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel « templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, « et meditentur fabricam, et erubescant ex omni« bus quæ fecerunt. Figuram domus et fabricæ ejus, « exitus et introitus, et omnem descriptionem ejus, « et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem « et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in « oculis eorum, ut custodiant omnes descriptiones « ejus, et præcepta illius, et faciant ea. Ista est lex « domus in summitate montis, omnes fines ejus in « circuitu : sanctum sanctorum erit. Hæc est ergo

lex domus. » (*Hieron.*) Non parvi operis est, quod oculis carnis vel mente conspexeris audientibus demonstrare, ut et ipsi tecum vidisse videantur. Quamobrem scribit et Josephus eos qui ad describendam terram missi sunt ab Jesu filio Nave fuisse γεωμέτρας, et artem, quæ nunc philosophorum propria est, habuisse geometriæ. Domui igitur Israel eorum qui animo conspiciunt Deum, ostenditur domus, hoc est, templum, quod Ezechiel situm in monte conspexit. Et non solum in monte, sed sicut nunc dicitur, in summitate montis. Quam nequaquam illam putemus, quæ a Salomone constructa narratur in Regum et Paralipomenon libris (*III Reg.* VI; *I Paral.* XII). Illa enim alterius ordinis atque mensuræ est, et in singulis magnam habens diversitatem: tantumque inferior templo, quod nunc ostenditur Ezechieli, ut non solum cultores ejus et æditui, sed et ipse fabricator ejus Salomon peccaverit et offenderit Deum, licet postea egerit pœnitentiam scribens Proverbia in quibus ait: « Novissime ego egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam. » Ista autem quæ Ezechieli et per Ezechielem domui Israel ostenditur, talis est, ut qui eam mente conspexerit, cesset ab iniquitatibus suis, non quibusdam, sed omnibus. Sive ut in Hebraico continetur: « Confundatur et sustineat tormentum suum pro omnibus quæ fecerit. » Sustinet autem tormentum iniquitatum suarum, qui cessat præterita facere peccata. Multumque prodest ei, qui ante peccaverit, videre domum Dei, et omnis fabricæ ejus nosse rationes, ut et peccare desistat, et habens illud desiderium, dicat ad Dominum: « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* XXV). » Et iterum: « Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI). » Cum cœpero vivere et esse cum Christo, qui est vita credentium.

(*Greg.*) Juxta tropologiam vero, templum Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, quando uniuscujusque justi anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur; ut in illa bonum, quod negligunt, videant, et in se ipsis malum quod operantur erubescant. Metiri vero est fabricam, pensare subtiliter justorum vitam. Sed dum metimur fabricam, necesse est, ut ex cunctis, quæ fecimus, erubescamus. Quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem prophetæ dicitur ut ostendat templum, quia enim justorum rectitudinem peccator considerare dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere est, sponte sua considerare nolentibus, rectorum opera narrare. Qui itaque sicut diximus, perduci ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum profectibus intendant, quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius, quod admirentur vident. Sed quid ista de peccantibus dicimus, cum ipsos quoque operatores justitiæ tanta pervehi dispensatione videamus? Alius namque donum scientiæ accipit, et tamen ad virtutem miræ abstinentiæ non pertingit. Alius magnæ abstinentiæ virtute accingitur, nec tamen in summa conscientiæ contemplatione dilatatur. Alius per prophetiæ spiritum valet omnia ventura præscire, sed tamen per curationis gratiam non valet præsentis molestiæ mala sublevare. Alius per curationis gratiam mala præsentis molestiæ sublevat, sed tamen quia prophetiæ spiritum non habet, quid sequatur ignorat. Alius indigentibus multa jam propria largiri potest, sed tamen injuste agentibus obviare libere non potest. Alius injuste agentibus audacter pro Deo obviat, sed tamen indigentibus, quæ habet, tribuere omnia recusat. Alius jam et ab otioso se sermone restringens linguæ lasciviam superat, sed tamen adhuc insurgentes iræ stimulos perfecte non calcat. Alius insurgentem iram jam perfecte edomat, sed tamen adhuc linguam in lætitiam relaxat. Quid est hoc, quod iste eo bono indiget, quo alius pollet, et ille cum multis polleat, abundet, aliis bona adesse considerat, quod sibi deesse suspirat: nisi quod mira nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc, quod alter habet, et iste non habet, unus altero melior ostendatur: quatenus tanto ardentius de humilitate quisque proficiat, quanto ex bonis, quæ non habet, inferiorem se habentibus penset? Sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit, quod admiretur, distincta bona et ab altitudine elationis reprimant, et ad studium profectus accendant. Magna namque sollicitudine ad curam nostræ meliorationis accingimur quando id virtutis in aliis cernimus, quod non habemus. (*Hieron.*) Sequitur: « Exitus ejus et introitus, » subauditur domus. Exitus autem eorum qui egrediuntur ad eos qui foris sunt, et introitus eorum qui per magistrorum disciplinam ad interiora penetrant. Et omnem, inquit, descriptionem ejus sive substantiam, ut LXX transtulerunt. Quæ non tam ad naturam domus, quam ad supellectilem pertinet atque divitias. Et universa præcepta cunctaque ordinem, et omnes leges templi ostendes eis, qui portaverunt tormentum iniquitatum suarum, et cessaverunt, sive confusi sunt super his, quæ ante gesserant. Idcirco autem ostende eis ut custodiant omnia quæ præcepta sunt. Nihil enim prodest scire descriptionem domus et omnes distributiones ejus, de quibus scriptum est: « Multæ mansiones apud Patrem meum (*Joan.* XIV). » Et iterum: « Statuit terminos gentium secundum numerum filiorum Israel (*Deut.* XXXII), » sive angelorum Dei, nisi feceris quæ præcepta sunt. Domus autem et lex omnium præceptorum Dei, et urbs, quæ in summitate montis est constituta, illa credenda est, de qua scriptum est, Non potest abscondi civitas super montem posita. Et, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; quæ perspicue refertur ad Ecclesiam, et sita est in eo monte qui in vertice omnium montium est, et a quo vulneratus est princeps Tyri, omnesque fines

et termini domus hujus sancta sanctorum sunt. In illa domo, hoc est, in tabernaculo quod fabricatus est Moyses, et in templo quod a Salomone constructum est, interiora tantum, ubi erant cherubim, et propitiatorium et arca testamenti et mensa thymiamatis appellabantur sancta sanctorum. In hac autem domo, quæ monstratur Ezechieli, et quæ in summitate montis est constituta, omnes termini ejus reputantur in sancta sanctorum. Quodque infertur, « Hæc est lex domus, » vel ad præterita pertinet, de quibus jam dictum est, vel ad ea quæ dicenda sunt postea.

« Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum. In sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine, et definitio usque ad labium ejus, in circuitu palmi unius. Hæc quoque erat fossa altaris. Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo cubiti unius; et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo unius cubiti. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum; et ab Ariel usque ad sursum cornua quatuor. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulum æquis lateribus. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus, et corona in circuitu illius dimidii cubiti, et sinus ejus unius cubiti per circuitum. Gradus autem ejus versi ad orientem. » Scriptum est : « Abyssum et sapientiam quis investigabit (*Eccli.* I). » Et : « O profundum sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.* XI), » cujus alta profunditas, et quis inveniet eam? Multum est, si voluerimus templum Salomonis huic templo et omnes partes ejus et tabernacula comparare. Quod quia difficillimum est interim in præsentiarum altare quod Ezechieli ostensum est, altari quod in Exodo legimus (*Exod.* XXVII), ex parte modica conferamus. Ibi altare quinque cubitorum in longitudine, et quinque cubitorum in latitudine, id est, quadrangulum, et trium cubitorum in altitudine describitur. Hic vero recedens a sensibus quinque tendit ad unionem, in quo cubitus perfectus sive verissimus ponitur. Cui jungitur palmus, id est, παλαιστὴ, sextam, ut supra diximus, habens partem cubiti. In sinu autem ejus, hoc est altaris, erat cubitus, qui scilicet ea quæ igne consumebantur suscipiebat, et in latitudine ejus alius cubitus, ut et interiora, hoc est, secreta et spatia altaris, quæ in latitudine demonstrantur, uno cubito finirentur. Quod autem sequitur : « Et definitio usque ad labium ejus, » pro quo Aquila, Symmachus, et Theodotio posuerunt *terminum*, Septuaginta rursum *gisum* interpretati sunt : cujus verbi, ut ante jam dixi, non possum scire rationem, nec cujus linguæ sit dicere confidenter, nisi hoc admonere lectorem, quod ubi nunc definitionem interpretatus sum, supra coronam transtulerim. Illudque breviter demonstratur, quod in circuitu ipsius altaris, id est, in margine et circulo separatum fuerit labium et quasi corona in modum lilii habens in aspectu plurimam venustatem : quæ definitio sive gisus per circuitum palmi unius sive παλαιστῆς latitudine tendebatur. Fovea autem altaris sive profundum et altitudo, pro qua in Hebraico ponitur *gab*, de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam, vel usque ad propitiatorium maximum, duobus cubitis erat. Et latitudo ejus cubiti unius. Inferiora enim et profunda et terræ cohærentia duali numero, qui et in immundis animalibus positus est continentur. Superiora autem et ad crepidinem sive propitiatorium pervenientia, quod Theodotio ipso Hebraico nomine appellavit *azara*, unius cubiti habent latitudinem, ut dualis numerus transeat ad solitarium et bonum nuptiarum quod inferius est ad unionis proveniat beatitudinem.

(*Greg.*) Potest ergo in fossa altaris virtus patientiæ, quæ melior est arrogantia, intelligi. Unde scriptum est : « Melior est patiens arrogante (*Eccli.* VII). » Quia videlicet elegit patiens quælibet mala perpeti quam per ostentationis vitium bona sua occulta agnosci. At contra elegit arrogans bona de se vel falsa jactari, ne mala possit vel minima perpeti. Quia igitur cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur, recte ad Ezechielem in altare Dei fieri fossa præcipitur; ut in ea videlicet superposita holocausta serventur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Domini, nisi animam justi; quæ quot bona egerit, tot super se ante ejus oculos sacrificia imponit. Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia? quæ dum mentem ad adversa toleranda humiliat, quasi more fossæ hanc in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat; id est, electorum mens patientiam custodiat, ne commota vento impatientiæ, et hoc quod bene operata est amittat. Bene autem hæc eadem fossa unius cubiti esse memorat : quia nimirum si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus ait ad Galatas : « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Lex quippe Christi, est charitas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur, excedunt. (*Hieron.*) Quodque sequitur : « Et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubitorum, et latitudo unius cubiti, » pro quo in Septuaginta positum est : « Et a propitiatorio minori usque ad propitiatorium majus, » et Theodotio in utroque *azara*, transtulit, illud est intelligendum, quod propitiatorium minus, lapis sit excisus de monte sine manibus, et propitiatorium majus, ipse lapis, qui crevit in montem magnum et implevit universum orbem. Sive juxta alterum sensum, propitiatorium minus est, quando « exinanivit se, formam servi accipiens (*Philip.* II). » Et propitiatorium majus, quando recepit gloriam, quam habuit apud Patrem, antequam mundus fieret (*Joan.* XVII). Prius enim Christi humiliora cognoscimus, et sic ad divinitatis ejus altitudinem pervenimus : et tamen utriusque naturæ

lex domus. » (*Hieron.*) Non parvi operis est, quod oculis carnis vel mente conspexeris audientibus demonstrare, ut et ipsi tecum vidisse videantur. Quamobrem scribit et Josephus eos qui ad describendam terram missi sunt ab Jesu filio Nave fuisse γεωμέτρας, et artem, quæ nunc philosophorum propria est, habuisse geometriæ. Domui igitur Israel eorum qui animo conspiciunt Deum ostenditur domus, hoc est, templum, quod Ezechiel situm in monte conspexit. Et non solum in monte, sed sicut nunc dicitur, in summitate montis. Quam nequaquam illam putemus, quæ a Salomone constructa narratur in Regum et Paralipomenon libris (*III Reg.* VI; *I Paral.* III). Illa enim alterius ordinis atque mensuræ est, et in singulis magnam habens diversitatem: tantumque inferior templo, quod nunc ostenditur Ezechieli, ut non solum cultores ejus et æditui, sed et ipse fabricator ejus Salomon peccaverit et offenderit Deum, licet postea egerit pœnitentiam scribens Proverbia in quibus ait: « Novissime ego egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam. » Ista autem quæ Ezechieli et per Ezechielem domui Israel ostenditur, talis est, ut qui eam mente conspexerit, cesset ab iniquitatibus suis, non quibusdam, sed omnibus. Sive ut in Hebraico continetur: « Confundatur et sustineat tormentum suum pro omnibus quæ fecerit. » Sustinet autem tormentum iniquitatum suarum, qui cessat præterita facere peccata. Multumque prodest ei, qui ante peccaverit, videre domum Dei, et omnis fabricæ ejus nosse rationes, ut et peccare desistat, et habens illud desiderium, dicat ad Dominum: « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* XXV). » Et iterum: « Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI), » Cum cœpero vivere et esse cum Christo, qui est vita credentium.

(*Greg.*) Juxta tropologiam vero, templum Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, quando uniuscujusque justi anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur; ut in illa bonum, quod negligunt, videant, et in se ipsis malum quod operantur erubescant. Metiri vero est fabricam, pensare subtiliter justorum vitam. Sed dum metimur fabricam, necesse est, ut ex cunctis, quæ fecimus, erubescamus. Quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem prophetæ dicitur ut ostendat templum, quia enim justorum rectitudinem peccator considerare dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere est, sponte sua considerare nolentibus, rectorum opera narrare. Qui itaque sicut diximus, perduci ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum profectibus intendant, quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius, quod admirentur vident. Sed quid ista de peccantibus dicimus, cum ipsos quoque operatores justitiæ tanta pervehi dispensatione videamus? Alius namque donum scientiæ accipit, et tamen ad virtutem miræ abstinentiæ non pertingit. Alius magnæ abstinentiæ virtute accingitur, nec tamen in summa conscientiæ contemplatione dilatatur. Alius per prophetiæ spiritum valet omnia ventura præscire, sed tamen per curationis gratiam non valet præsentis molestiæ mala sublevare. Alius per curationis gratiam mala præsentis molestiæ sublevat, sed tamen quia prophetiæ spiritum non habet, quid sequatur ignorat. Alius indigentibus multa jam propria largiri potest, sed tamen injuste agentibus obviare libere non potest. Alius injuste agentibus audacter pro Deo obviat, sed tamen indigentibus, quæ habet, tribuere omnia recusat. Alius jam et ab otioso se sermone restringens linguæ lasciviam superat, sed tamen adhuc insurgentes iræ stimulos perfecte non calcat. Alius insurgentem iram jam perfecte edomat, sed tamen adhuc linguam in lætitiam relaxat. Quid est hoc, quod iste eo bono indiget, quo alius pollet, et ille cum multis polleat, abundet, aliis bona adesse considerat, quod sibi deesse suspirat: nisi quod mira nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc, quod alter habet, et iste non habet, unus altero melior ostendatur: quatenus tanto ardentius de humilitate quisque proficiat, quanto ex bonis, quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat? Sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit, quod admiretur, distincta bona et ab altitudine elationis reprimant, et ad studium profectus accendant. Magna namque sollicitudine ad curam nostræ meliorationis accingimur quando id virtutis in aliis cernimus, quod non habemus. (*Hieron.*) Sequitur. « Exitus ejus et introitus, » subauditur domus. Exitus autem eorum qui egrediuntur ad eos qui foris sunt, et introitus eorum qui per magistrorum disciplinam ad interiora penetrant. Et omnem, inquit, descriptionem ejus sive substantiam, ut LXX transtulerunt. Quæ non tam ad naturam domus, quam ad suppellectilem pertinet atque divitias. Et universa præcepta cunctaque ordinem, et omnes leges templi ostendes eis, qui portaverunt tormentum iniquitatum suarum, et cessaverunt, sive confusi sunt super his, quæ ante gesserant. Idcirco autem ostende eis ut custodiant omnia quæ præcepta sunt. Nihil enim prodest scire descriptionem domus et omnes distributiones ejus, de quibus scriptum est: « Multæ mansiones apud Patrem meum (*Joan.* XIV). » Et iterum: « Statuit terminos gentium secundum numerum filiorum Israel (*Deut.* XXXII), » sive angelorum Dei, nisi feceris quæ præcepta sunt. Domus autem et lex omnium præceptorum Dei, et urbs, quæ in summitate montis est constituta, illa credenda est, de qua scriptum est, Non potest abscondi civitas super montem posita. Et, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; quæ perspicue refertur ad Ecclesiam, et sita est in eo monte qui in vertice omnium montium est, et a quo vulneratus est princeps Tyri, omnesque fines

et termini domus hujus sancta sanctorum sunt. In illa domo, hoc est, in tabernaculo quod fabricatus est Moyses, et in templo quod a Salomone constructum est, interiora tantum, ubi erant cherubim, et propitiatorium et arca testamenti et mensa thymiamatis appellabantur sancta sanctorum. In hac autem domo, quæ monstratur Ezechieli, et quæ in summitate montis est constituta, omnes termini ejus reputantur in sancta sanctorum. Quodque infertur, « Hæc est lex domus, » vel ad præterita pertinet, de quibus jam dictum est, vel ad ea quæ dicenda sunt postea.

« Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, « qui habebat cubitum et palmum. In sinu ejus erat « cubitus, et cubitus in latitudine, et definitio usque « ad labium ejus, in circuitu palmi unius. Hæc quoque erat fossa altaris. Et de sinu terræ usque ad « crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo « cubiti unius; et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo unius « cubiti. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum; et ab « Ariel usque ad sursum cornua quatuor. Et Ariel « duodecim cubitorum in longitudine per duodecim « cubitos latitudinis, quadrangulum æquis lateribus. « Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis « per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor « angulis ejus, et corona in circuitu illius dimidii « cubiti, et sinus ejus unius cubiti per circuitum. « Gradus autem ejus versi ad orientem. » Scriptum est : « Abyssum et sapientiam quis investigabit (*Eccli.* I). » Et : « O profundum sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.* XI), » cujus alta profunditas, et quis inveniet eam? Multum est, si voluerimus templum Salomonis huic templo et omnes partes ejus et tabernacula comparare. Quod quia difficillimum est interim in præsentiarum altare quod Ezechieli ostensum est, altari quod in Exodo legimus (*Exod.* XXVII), ex parte modica conferamus. Ibi altare quinque cubitorum in longitudine, et quinque cubitorum in latitudine, id est, quadrangulum, et trium cubitorum in altitudine describitur. Hic vero recedens a sensibus quinque tendit ad unionem, in quo cubitus perfectus sive verissimus ponitur. Cui jungitur palmus, id est, παλαιστὴ, sextam, ut supra diximus, habens partem cubiti. In sinu autem ejus, hoc est altaris, erat cubitus, qui scilicet ea quæ igne consumebantur suscipiebat, et in latitudine ejus alius cubitus, ut et interiora, hoc est, secreta et spatia altaris, quæ in latitudine demonstrantur, uno cubito finirentur. Quod autem sequitur : « Et definitio usque ad labium ejus, » pro quo Aquila, Symmachus, et Theodotio posuerunt *terminum*, Septuaginta rursum *gisum* interpretati sunt : cujus verbi, ut ante jam dixi, non possum scire rationem, nec cujus linguæ sit dicere confidenter, nisi hoc admonere lectorem, quod ubi nunc definitionem interpretatus sum, supra coronam transtulerim. Illudque breviter demonstratur, quod in circuitu ipsius altaris, id est, in margine et circulo separatum fuerit labium et quasi corona in

A modum filii habens in aspectu plurimam venustatem : quæ definitio sive gisus per circuitum palmi unius sive παλαιστῆς latitudine tendebatur. Fovea autem altaris sive profundum et altitudo, pro qua in Hebraico ponitur *gab*, de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam, vel usque ad propitiatorium maximum, duobus cubitis erat. Et latitudo ejus cubiti unius. Inferiora enim et profunda et terræ cohærentia duali numero, qui et in immundis animalibus positus est continentur. Superiora autem et ad crepidinem sive propitiatorium pervenientia, quod Theodotio ipso Hebraico nomine appellavit *azara*, unius cubiti habent latitudinem, ut dualis numerus transeat ad solitarium et bonum nuptiarum quod inferius est ad unionis proveniat beatitudinem.

B (*Greg.*) Potest ergo in fossa altaris virtus patientiæ, quæ melior est arrogantia, intelligi. Unde scriptum est : « Melior est patiens arrogante (*Eccli.* VII). » Quia videlicet elegit patiens quælibet mala perpeti quam per ostentationis vitium bona sua occulta agnosci. At contra elegit arrogans bona de se vel falsa jactari, ne mala possit vel minima perpeti. Quia igitur cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur, recte ad Ezechielem in altare Dei fieri fossa præcipitur; ut in ea videlicet superposita holocausta serventur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Domini, nisi animam justi; quæ quot bona egerit, tot super se ante ejus C oculos sacrificia imponit. Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia? quæ dum mentem ad adversa toleranda humiliat, quasi more fossæ hanc in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat : id est, electorum mens patientiam custodiat, ne commota vento impatientiæ, et hoc quod bene operata est amittat. Bene autem hæc eadem fossa unius cubiti esse memorat : quia nimirum si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus ait ad Galatas : « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Lex quippe Christi, est charitas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur, excedunt. (*Hieron.*) Quodque sequitur :
D « Et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubitorum, et latitudo unius cubiti, » pro quo in Septuaginta positum est : « Et a propitiatorio minori usque ad propitiatorium majus, » et Theodotio in utroque *azara*, transtulit, illud est intelligendum, quod propitiatorium minus, lapis sit excisus de monte sine manibus, et propitiatorium majus, ipse lapis, qui crevit in montem magnum et implevit universum orbem. Sive juxta alterum sensum, propitiatorium minus est, quando « exinanivit se, formam servi accipiens (*Philip.* II). » Et propitiatorium majus, quando recepit gloriam, quam habuit apud Patrem, antequam mundus fieret (*Joan.* XVII). Prius enim Christi humiliora cognoscimus, et sic ad divinitatis ejus altitudinem pervenimus : et tamen utriusque naturæ

enim mihi : « Hoc est Sanctum sanctorum. » Sin autem ante templum, sive, ut Scriptura cognominat, ante faciem templi Sanctum sanctorum est, quantam beatitudinem in templi aditis et in interioribus ejus æstimare debemus ! De qua Propheta loquitur : « Hoc labor est in conspectu meo, donec ingrediar in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum (*Psal.* LXXII). » Sed et hoc notandum, quod in descriptione tabernaculi dicuntur sancta sanctorum plurali numero : hic autem Sanctum sanctorum numero singulari, ut post Sancta sanctorum veniamus ad Sanctum : quomodo post multa cantica pervenimus ad Canticum canticorum, quod omnium carminum carmen est, et quod canentes sponsi copulamur amplexibus.

« Et mensus est parietem domus sex cubitorum, « et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique « per circuitum domus. Latera autem latus ad latus « bis triginta trium ; et erant eminentia, quæ ingre- « derentur per parietem domus in lateribus per « circuitum, ut continerent et non attingerent parie- « tem templi. Et platea erat in rotundum ascendens « sursum per cochleam, et in cœnaculum templi de- « ferebat per gyrum. Idcirco latius erat templum « in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur « ad superiora in medium. » Quod autem in Septuaginta ponitur « et de mediis ad tristega, » id est, ad tria cœnacula, et *thrael*, in Hebraico non habetur.

« Et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata « latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio, et « latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque « cubitorum. Et erat interior domus in lateribus do- « mus. Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubi- « torum in circuitu domus undique. Et ostium lateris « ad orationem (quod in Septuaginta non habetur), « ostium unum ad viam aquilonis, et ostium unum ad « viam australem, et latitudinem loci ad orationem « quinque cubitorum in circuitu. Et ædificium, quod « erat separatum versumque ad viam respicientem « ad mare latitudinis septuaginta cubitorum : paries « autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per « circuitum, et longitudo ejus nonaginta cubitorum. » Postquam pervenit ad Sanctum sanctorum, de quo supra diximus, vir ille venerabilis mensus est Sancti sanctorum parietem, qui propter fabricam mundi et omnem visibilem creaturam, quæ in sex diebus condita est, sex habebat cubita, et latitudinem unius lateris quatuor cubitorum, non ex uno latere, sed per circuitum. Quatuor autem cubita tenebat per circuitum domus latitudo, ut quatuor elementa monstraret, ex quibus universa compacta sunt, et maxime humana corpora : contra quæ sancti dimicantes et subjicientes se animæ potestati, interiora merentur intrare, et Domini arcana cognoscere. Ipsa autem latera, quæ in circuitu domus erant, et quatuor cubitorum spatio a templi pariete separabantur, juncta sibi erant, ita ut unum latus aliud latus contingeret et haberet in longitudine non triginta et tres cubitos, sed bis triginta tres, hoc est, sexaginta sex. Vetus in Levitico loquitur Testamentum (*Levit.* XII) in ortu maris post unam hebdomadam et illam quæ genuit, et illum, qui genitus est, triginta tres explere dies, ut veniant ad purificationem. Porro si genuerit feminam, duplicem observari numerum, id est, sexaginta sex. Et quia, ut veniamus ad Sancta sanctorum, non solum prima indigemus nativitate, sed et secunda, ut nati in carne, renascamur in spiritu, idcirco non sexaginta sex, sed bis triginta, et trium ponitur numerus : ut utraque nativitas Deo auctori debeatur illiusque clementiæ, et duplici muro circumeant latera domus, quæ templi fulciunt ædificium. Quodque sequitur juxta Hebraicum : « Et erant quædam eminentia, quæ egrederentur per parietem domus per latera in circuitu, ut continerent, et non attingerent parietem templi, » illud significat, quod sancti viri in multitudine credentium erumpant per parietem templi, per omnia videlicet latera in circuitu, et contineant Ecclesiæ fundamenta, et tamen non tangant parietem templi, tantum vidisse contenti, et de longe inenarrabilia adorasse mysteria. Nunc enim videmus per speculum in ænigmate, et plenissimam tangere atque comprehendere non possumus veritatem. Quod autem platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum, et idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora et medium, puto perspicuum esse lectori semper angustiora esse, quæ deorsum sunt in jejuniis, χαμευνίαις, et victus continentia, paulatimque dum ad summa conscendimus, latiorem nobis aperiri viam, et impleri quod scriptum est : « In tribulatione dilatasti mihi (*Psal.* IV). » Per rotundum autem et per cochleam ascendimus templi cœnaculum, quæ figura inter omnia schemata a philosophis quoque hujus sæculi pulchrior approbatur, dum et cœlum, et sol, et luna, et astra cætera, et punctum terræ in corporibus quoque humanis oculi, quasi altera sidera, et figura capitis quod omnium sensuum receptaculum est, teretesque digiti, et femina, et brachia, hanc præferunt rotunditatem. Porro cœnaculum templi ad quod de angustioribus ad altiora conscendimus, illud puto esse, quod in Regum volumine Elias habuit et Eliseus (*III Reg.* VI ; *IV Reg.* IV), et in apostolorum Actibus Tabitha, id est Δόρκας, et damula nostra possedit, quæ bonis operibus ad summa conscenderat (*Act.* IX ; *Act.* X). Apostolus autem Petrus, super quem Dominus Ecclesiæ fundamenta solidavit, transcendit cœnaculum, et venit ad tectum, quod significantius Græce δῶμα dicitur, id est, tecti solarium, et incognita prius sæculo Ecclesiæ sacramenta cognovit. Salvator quoque generis humani pascha facit in cœnaculo, et magno latoque cœnaculo atque omni sorde purgato stratoque, et ad spiritale convivium præparato, ubi mysterium corporis et sanguinis suis tradidit discipulis, et æternam nobis agni immaculati reliquit festivitatem. (BEDA.) Quod autem de structura templi in libro Regum scriptum est : « Ostium lateris medii in parte erat domus dextræ et per co-

cbleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium, » non inconvenienter juxta mysticam significationem huic loco aptari potest. Nam hic locus proprie ad corpus Dominicum referri potest. Ostium namque lateris medii in parte erat domus dextræ, quia, defuncto in cruce Domino, unus militum lancea latus ejus aperuit. Et bene in parte domus dextræ, quia dextrum ei latus a milite apertum sancta credit Ecclesia : ubi etiam apto verbo usus est evangelista, ut non diceret, Percussit latus aut vulneravit, sed, aperuit, videlicet, quasi ostium lateris medii, per quod nobis iter ad cœlestia panderetur. Denique ita subjunxit : « Et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX), » aqua scilicet qua abluimur in baptismo, et sanguis, quo consecramur in calice sancto. Per hoc namque ostium nobis est ascensus in medium cœnaculum, et a medio in tertium, quia per fidem et mysteria nostri redemptoris, de præsenti Ecclesiæ conversatione ad requiem animarum post mortem ascendimus : rursusque de requie animarum, adveniente die judicii, ad immortalitatem quoque corporum, quasi in tertium cœnaculum sublimiore profectu penetrabimus, ex quo in magna amborum et corporis videlicet et animæ beatitudine vivamus. Quod quidem iter invisibiliter agebatur, ita ut soli hoc qui intraverant nossent, quamvis ipsum ostium etiam foris positi viderent. Quia nimirum actus fidelium in hoc sæculo, et celebrationes sacramentorum etiam reprobi possunt intueri, verum arcana fidei intimæ, et gratiam dilectionis, nullus nisi qui per hæc, Domino duce, ad cœlestia scandit, agnoscit : « Qui enim dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II). » « Et vidi, inquit, in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio, et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum. Et inter gazophylacia (quæ Symmachus *exedras* vocat) latitudinem viginti cubitorum per circuitum domus. » (*Hieron.*) Quibus numeris ostenditur, quod de mundo hoc et de terrenis sensibus, et de duali duarum decadarum numero, qui refertur ad viginti non solum in Sancta sanctorum, sed et in cœnacula eorum mereamur ascendere, et semper habere in memoria, quod per sex dies conditionis nostræ, et per quinque sensus, et per viginti cubita latitudinis ascenderimus ad cœnaculum templi, et terrenam humilitatem, sensumque litteræ relinquentes, transierimus ad summitatem Ecclesiæ, Spiritusque sancti consortio gaudeamus. « Et ostium, inquit, lateris ad orationem contra viam aquilonis, » a quo exardescunt mala super omnem terram, et quem Dominus abacturum se a nobis pollicetur dicens : « Et eum qui ab aquilone est a vobis abigam. » Pulchreque in ostio contra aquilonem locus orationis est, ut secundum Apostolum oremus sine cessatione (*I Thess.* V), et dicamus cum Jeremia : « Non sileat pupilla oculi mei (*Thren.* II) ; » vel præsentia mala vitare cupientes, vel agentes gratias pro præteritis. Quandiu enim in tabernaculo corporis hujus sumus, ingemiscimus, dicimusque : « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (*Rom.* VII.) Sed et ad viam australem erat ostium, et ipsum juxta Hebraicum habens locum orationis ; et quinque tendens cubitis per circuitum. Per frigus enim aquilonis, ad australem transimus calorem, et tamen rursum orationis quærimus locum in aquilonis ostio, ut evadamus pericula ; in australi, ut agamus gratias pro præteritis, et sit nobis victoriæ secura possessio. Quinque autem cubiti et in hoc loco divinos indicant sensus, per quos de terrenis ad altiora conscendimus. « Et ædificium, inquit, quod erat separatum, versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum, » ut post labores, et pericula, et sæculi istius fluctus atque naufragia, et annos septuaginta, de quibus Jeremias scribit, et Daniel, et Zacharias (*Jer.* XXV ; *Dan.* IX ; *Zach.* VII), verum et legitimum septem decadarum sabbatum consequamur, ut sit nobis æterna requies : et per quinque cubitorum latitudinem veniamus ad longitudinem nonaginta cubitorum, in qua ætate de repromissione filium Sara generavit, quæ nonaginta annorum, id est novem decadarum, peperit Isaac, juncta Abraham centenario, id est, decem decadarum habenti mysterium (*Gen.* XXI). Qui numerus quid significet, sequens Scriptura monstrabit.

« Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium et parietes ejus longitudinis centum cubitorum. Latitudo autem ante faciem domus et ejus quod erat separatum contra orientem centum cubitorum. Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat separatum ad dorsum, hecthecas (id est eminentia) ex utraque parte centum cubitorum, et templum interius et vestibula atrii, limina, et fenestras obliquas, hecthecas in circuitu per tres partes contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu. Terra autem usque ad fenestras, et fenestræ clausæ super ostia, et usque ad domum interiorem et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus, et forinsecus ad mensuram, et fabrefacta cherubin et palmæ. Et palma inter cherub et cherub. Duasque facies habebat cherub. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu. De terra usque ad superiora portæ, cherubin et palmæ cælatæ erant in pariete templi. Limen quadrangulum erat ; et facies sanctuarii aspectus contra aspectum altaris lignei, trium cubitorum altitudo ejus, et longitudo ejus duorum cubitorum, et anguli ejus et longitudo ejus, et parietes ejus lignei. » (*Hieron.*) Describuntur autem Sancta sanctorum et templum interius quod post nonaginta cubitos ex tribus partibus centenos cubitos habere dicatur. Perfectum videlicet numerum decadarum decem, ut et mente et sermone, et operibus Domino serviamus, recordantes illius apostolici exempli in quo ait, « ut scire possimus, quæ sit latitudo, et longitudo, et profundum,

et altitudo. Quod autem Hebraicum dicit ædificium separatum et parietes ejus, Septuaginta reliqua interpretantur et separantia, quæ non hæreant parietibus templi, sed propinquos et suos habeant parietes; ipsum quoque templum et anguli ejus et ælam, id est, πρόπυλον, sive vestibulum, exterius erant strata ligno, sapientia videlicet quod lignum vitæ situm in paradiso Scriptura commemorat; fenestræ quoque juxta Septuaginta erant factæ in modum retis instar cancellorum, ut non speculari lapide nec vitro, sed lignis interrasilibus et vermiculatis clauderentur; pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habet, quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet et sinistram, et post tergum, id est, ad meridiem et ad aquilonem, et ad occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi januarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intro quis posset aspicere. (*Beda.*) Retis autem connexio unitatem designat fidei, quæ est in vinculo pacis. Quod autem dicit fenestras esse obliquas, ostendit abundantiam lucis internæ. Fenestræ templi doctores sunt sancti et spiritales quique in Ecclesia, quibus mente excedentibus Deo, arcana secretorum cœlestium specialius cæteris videre conceditur. Quidam ea, quæ in occulto vident, publice fidelibus pandunt, quasi suscepto lumine solis fenestræ cuncta templi penetralia replent. Unde bene eædem fenestræ obliquæ, id est, intus latiores fuisse perhibentur, quia nimirum necesse est, ut quisquis jubar supernæ contemplationis vel ad momentum perceperit, mox sinum cordis amplius castigando dilatet, atque ad majora capessenda solerti exercitatione præparet. Item quod Propheta dicit terram usque ad fenestras, et fenestras clausas, designat in doctoribus paucitatem doctrinæ spiritalis; Paulus namque Apostolus dicit: « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* XIII). » (*Greg.*) In hoc autem templo fenestræ, sacerdotes et speculatores sunt, qui in populo fidelium lumen sanctæ prædicationis infundunt. Sed cum terra usque ad fenestras est, fenestræ clausæ sunt, quia cum terrena cogitatio in sacerdotum cordibus excrescit, fenestræ lumen non fundunt, quia sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. (*Hieron.*) Et non solum exteriora erant strata ligna, sed tanta erat lignorum copia per circuitum, ut et pavimentum et de pavimento usque ad fenestras lignis omnia jungerentur. Quæ fenestræ juxta Septuaginta aperiebantur tripliciter, ut apertis eis, triplex in templo Dei intelligentia monstraretur. Juxta illud quod alibi dicitur: « Tu autem describe ea tripliciter (*Prov.* XXII). » Prospicitur autem per eas non solum interius, sed et exterius, ut quæ interiora sunt invisibilia, quæ exteriora visibilia cognoscamus, ut aliud mentem, aliud carnem, aliud spiritalem intelligentiam, aliud simplicem monstret historiam. Et per omnes parietes in circuitu tam intrinsecus quam extrinsecus erant mensuræ suæ, nihil enim absque ratione et mensura in templo Dei, et maxime in Sancto sanctorum a Deo factum est. Cælata quoque erant cherubin: haud dubium quin in lignis de pavimento usque ad fenestras pertingentibus, et tam fabrefactæ erant cælaturæ, ut non sculptæ, sed appositæ viderentur. Cherubin interpretantur *scientiæ multitudo*. Igitur intrinsecus in interioribus templi, post scientiæ multitudinem cælantur ei palmæ, in quibus signum victoriæ est, dicente Apostolo: « Persequor autem ad statutum bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu (*Philip.* III). » Quæ palmæ erant inter cherub et cherub, ut unum cherub duarum palmarum lateribus vallaretur. (*Beda.*) Hinc quoque in libro Regum scriptum est: Et fecit in eis cherubin et palmas et picturas varias, quasi prominentes de pariete et egredientes. Cherub namque in parietibus templi facit Salomon, cum electos suos Dominus ad regulam Scripturarum sanctarum, in quibus est multitudo scientiæ, vitam suam dirigere donat. Cherubin facit, cum eos in hoc mundo castitatem angelicæ conversationis pro modulo suo docet imitari, quod maxime vigiliis ac laudibus divinis, dilectione sincera Conditoris et proximi, geritur. Palmas facit, cum memoriam æternæ retributionis eorum mentibus infigit; ut eo minus ab arce justitiæ labi queant, quo mercedem justitiæ semper ante cordis oculos habent. Facit picturas varias quasi prominentes de pariete et egredientes: cum multifarias virtutum operationes fidelibus tribuit. Verbi gratia, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, sufferre invicem, et donare sibimetipsis, super omnia autem hoc charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. Quæ videlicet virtutes, cum in tantam electis consuetudinem venerint, ut velut naturaliter eis videantur insitæ, quid aliud, quam picturæ domus Domini prominentes, quasi de pariete exeunt? quia verba et opera veritatis non adhuc ab aliis extrinsecus discunt, sed ut si sint sibimet infixa radicitus et parata, semper ab intimis cordis, quæ sunt agenda, sive dicenda proferunt. (*Hieron.*) Quod cherub nequaquam ut in principio hujus prophetæ legimus quatuor habebat facies, hominis scilicet et leonis, et vituli, et aquilæ, sed tantum duas, hoc est, hominis et leonis. Quorum primum ad rationem pertinet, sequens ad furorem. Furorem autem dicimus, non eum, qui perturbationi et vitio proximus est, sed qui mentis consolidat mollitiem, et fortiorem facit animum dimicantis. In principio enim subjacemus et concupiscentiæ, quæ refertur ad vitulum propter terræ opera, et alia sunt carnalia, alia spiritalia, quorum extremum aquilæ deputatur. Cum autem intraverimus Sancta sanctorum, et interiora templi possiderimus, nequaquam alia re indigemus, nisi ratione atque fortitudine, quorum alterum ad sensum atque prudentiam, alterum refertur ad animi perseverantiam. Omnis igitur paries per circuitum templi a pavimento usque ad laquearia cherubin habebat et palmas mira arte cælatas. Post

quæ aperiebatur sanctuarium et templum per quatuor angulos contra faciem sanctorum. Prius enim habemus scientiæ multitudinem, per quam, victoriam de hoste consequimur, et postea nobis sanctuarium aperitur et templum, quod habet quatuor angulos, et stationem firmissimam, et quæ in nullam partem declivior sit. Hanc enim habet naturam mensura quadranguli, ut stabili consistat basi. Et in mystico numero, qui prudenti lectori perspicuus est, elementa quatuor ex quibus constant omnia solida perpetuaque possideat. Et cuncta contra faciem sanctuarii aspiciebant. Ante quod sanctuarium, sive in quo sanctuario erat species altaris lignei trium cubitorum altitudine, et longitudine cubitorum duorum, et latitudine cubitorum duorum, qui juncti septem faciunt cubitos. Quod altare habebat cornua, et tam bases, quam parietes ejus, hoc est, latera erant lignea. In quo Scripturæ sanctæ mysteria humanus sermo potest explicare, quomodo altare in quo ignis succendendus erat, mensa videlicet thymiamatis, nihil ab igne patiatur, sed, ut ita dicam, igne purius fiat. Sicut enim sanctorum opera, de quibus scribit Apostolus: « Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, » non pereunt, sed per ignem puriora monstrantur: ita et altaris ligna, quæ de lignis paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora redduntur. Nec mirum hoc de sanctuario et interioribus templi, et altari thymiamatis credere, cum etiam ἀμίαντος, quod ligni genus est vel lini habens similitudinem, quanto plus arserit, tanto mundius inveniatur.

(MAURUS.) Possunt tamen in altitudine altaris, quæ est trium cubitorum, mystice accipi corda electorum, quæ per fidem, spem, et charitatem ad cœlestia tendunt; in longitudine, quæ erat duorum cubitorum, longanimitas et patientia eorum intelligi, qui exspectant regnum futurum, et exercent se bene operando in duobus præceptis charitatis, donec perveniant ad gaudia sempiterna. Apte enim in constructione tabernaculi Dei de lignis setim, quæ albæ spinæ similia, et esse incorruptibilia dicuntur, utrumque altare fieri præcipitur. Hoc est, holocausti et thymiamatis: quia nimirum una est fidei non fictæ firmitas. Quia omnium corda electorum præmuniri atque ad suscipiendum ignem dilectionis, et offerenda Deo virtutum libamina, debent præparari, quia omnibus generaliter pusillis cum majoribus loquitur Apostolus dicens: « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei (*I Cor.* VII). » Apte unus ac non dispar erat ignis, qui in hoc altari victimas, in illo thura incendebat, quia nimirum unus est spiritus, qui cunctorum mentes fidelium variante donationum gratia vivificat. (*Hieron.*) Ignosce, lector, difficultati, et veniam tribue pauperi intelligentiæ. Per fenestras enim obliquas et in modum retis factas, et quæ semper clausæ sunt, vix usque ad interiorem domum cordis nostri oculum possumus intromittere, ut omnia quæ cernimus in umbra videamus et imagine, et cum Apostolo clamemus: « O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viæ illius! » (*Rom.* XI.) Et, « Quis cognovit sensum Domini (*Ibid.*)? » nisi ille qui est magni consilii angelus, et sua potest dignis aperire mysteria: ἐκθέτας autem Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia, sive meniana, ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum ἐξώστρας vocant.

« Et locutus est ad me: Hæc est mensa coram « Domino. Et duo ostia erant in templo et in sanctuario, et in duobus ostiis ex utraque parte bina « erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur: bina « enim ostia erant ex utraque parte ostiorum. Et « cælata erant in ipsis ostiis templi cherubin, et « sculpturæ palmarum sicut in parietibus quoque « expressæ erant. Quamobrem et grossiora erant « ligna in vestibuli fronte forinsecus, super quæ fe« nestræ obliquæ et similitudo palmarum hinc atque « inde in humerulis vestibuli, secundum latera do« mus latitudinemque parietum. » Vir ergo ille qui prophetam in abdita templi introduxerat, et inter cætera ostenderat ei altare ligneum, quod et angulos et cornua, juxta Septuaginta, et parietes habebat ligneos, dixit ei: Hoc altare quod respicis ipsa est mensa coram Domino, quæ in similitudine rubi ardet et non comburitur. De qua sanctus loquitur ad Deum: « Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XXII). » Duo quoque ostia erant in templo, et in ipso sanctuario, per quæ utriusque instrumenti sacramenta monstrantur. Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur: ut et in historia spiritalem habeas intelligentiam, et in tropologia historiæ veritatem, quorum utrumque altero indiget, et si unum defuerit, perfecta caret scientia. Quod autem sequitur: « Bina ostia erant ex utraque parte ostiorum, » juxta litteram perspicuum est. Solent enim in majoribus tricliniis bina sibi hærere atque conjungi, ut major introitus nequaquam duobus et ingentibus, sed quatuor minoribus claudatur vel aperiatur foribus. (*Beda.*) Hæc itaque ostia per significationem multifarie possunt accipi. Nam et angelicos spiritus quorum ministerio in habitationem patriæ cœlestis introducimur, aptissime designant: et apostolorum æque apostolicorumque virorum, quibus claves regni cœlorum sunt datæ, tenent figuram. Qui accepta potestate a Domino ligandi atque solvendi (*Matth.* XVI), et dignos intra regni januam admittunt, et contumaces, impuros ac superbos, excommunicando, sive anathematizando, ab ingressu vitæ perennis eliminant. Sed et opera justitiæ quorum merito ad regnum cœleste pervenitur, recte per ostia, per quæ in Sancta sanctorum ingrediebatur, possunt typice designari, juxta hoc quod in libro Sapientiæ scriptum est: « Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo (*Sap.* VI). » Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Quibus omnibus apte congruit. Duo sunt

autem ostiola, sive quia Deum ac proximos diligunt, et angeli, et homines sancti, neque ullus januam vitæ, nisi per geminam hanc dilectionem poterit intrare : seu quia utriusque populi fidelibus et Judæi scilicet et gentilis eadem vitæ janua reseratur. Postes habent angulorum quinque, quia non solum animas electorum aula cœli recipit, sed et corporibus immortali gloria præditis in judicio suas fores aperit. (*Hieron.*) In quibus ostiis templi sive sancti sanctorum cælata erant cherubin, de quibus supra diximus, et sculpturæ palmarum : ut post scientiæ multitudinem victoria intrantibus præbetur. Quæ sculptura palmarum in omnibus quoque parietibus templi erat. Redditque causas quare cælata fuerint in ipsis ostiis cherubin, et palmarum expressæ similitudines, unde et grossiora erant ligna in vestibulo portæ forinsecus ut et firmitatem haberent, et cœlaturam possent recipere. Pulchreque juxta intelligentiam spiritalem firmiora et cælata sunt ostia, ut et firmitatem habeant et pulchritudinem, ne quis ad Sancta sanctorum similis Oziæ possit irrumpere, et sibi sacerdotium vindicare. (*Beda.*) Illi præcipue quibus fidelium cura commissa, et claves regni cœlorum sunt datæ, omni debent solertia insistere, ut quantum gradu præminent cæteris, tantum et merito præcellant bonæ actionis. Habent namque in se picturam cherubin sculptam, cum angelicam in terris vitam, quantum mortalibus possibile est, et mente imitantur et opere. Habent palmarum species, cum dona supernæ retributionis fixa semper intentione meditantur. Palma namque manus victricis ornatus est. (*Hieron.*) Super quæ ostia erant fenestræ obliquæ sive absconditæ, ut ipsum quoque lumen, quod præbebatur intrinsecus, non haberet perfectam scientiam, nec clarum lumen et cunctis patens, sed pleraque ex parte esset absconditum. Nunc enim videmus in ænigmate, et necdum novimus sicut oportet nos scire. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte fuerat destruetur. Et erat similitudo palmarum hinc atque inde. Eleganter in interioribus templi et sanctis sanctorum non posuit dextram et sinistram, ne quid sinistrum in his quæ magna sunt et arcana dicere videretur, sed hinc atque inde, juxta illud quod in Evangelio scriptum est : « Qui te percusserit in dextram maxillam, præbe ei et alteram (*Matth.* v). » Nunquid dicere non potuit et sinistram? Sed quando percutitur dextra, præbetur altera dextra, quia in sancto viro utrumque dextrum, utrumque perfectum est. « Et in humerulis vestibuli secundum latera domus latitudinemque parietum. » Pro quo Septuaginta transtulerunt in laquearibus ælam, hoc est, προπύλου et latera domus, æqualis ponderis sive mensuræ. Per quæ latenter ostenditur et postes superliminaris sive vestibuli (hoc enim humeruli videntur significare), et latera domus et latitudinem parietum, cuncta rationis plena esse atque mensuræ, et nihil in templo Domini reperiri quod absque mensura et sapientia constitutum sit.

CAPUT XLII.

De gazophylaciis australis et aquilonaris ædificii, et descriptione eorum ædificiorum : de locis ubi edebant sacerdotes, qui non exeant ad populum, nisi depositis vestimentis ministerii sui, etc.

« Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, et introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium et contra ædem vergentem ad aquilonem, in facie longitudinis centum cubitos, ostii aquilonis et latitudinis quinquaginta cubitos contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Et ostia eorum ad aquilonem, ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. Tristega enim erant et non habebant columnas, sicut erant columnæ atriorum; propterea eminebant de inferioribus, et de mediis atriis a terra cubitis quinquaginta. Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia. Longitudo ejus quinquaginta cubitorum, quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi centum cubitorum. Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori, in latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem in faciem ædificii separati. Et erant ante ædificium gazophylacia, et via ante faciem eorum, juxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via aquilonis. Secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum, et omnis introitus eorum et similitudines et ostia eorum, secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad austrum. Ostium in capite viæ, quæ erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus. » (*Hieron.*) Volueram desperatione et magnitudine rei præsens testimonium silentio præterire, sed melius arbitratus sum quodcunque dicere quam omnino nil dicere. Socraticum illud assumens : Scio quod nesciam. Pars enim scientiæ est scire quod nescias. Postquam igitur ea quæ erant intus propheta diligentius contemplatus est, eduxit eum vir, cujus funiculus et calamus erat in manu, ad atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, quod et supra jam viderat, antequam interiora penetraret. Sed aliter videmus perfectam habentes scientiam, aliter in principio disciplinæ : et necesse est, ut qui interiora conspexerit, secundum eamdem formam atque mensuras et recondita sacramenta, etiam quæ exteriora sunt videat. Eductus autem est in gazophylacium sive, ut Symmachus et Septuaginta transtulerunt, exedram, et Theodotio παστοφόριον, quod in thalamum vertitur, quod erat contra separatum ædificium. Quod autem Septuaginta addidere pro gazophylacio exe-

dras quinque, in Hebraico non habetur; quod gazophylacium erat contra separatum ædificium, de quo supra diximus, gazera : separatum autem erat eos suscipiens qui ab aquilone veniebant. Et erat contra æ.lom vergentem ad aquilonem, id est, respicientem quidem aquilonis partes, sed non in aquilone positum, ut facilior esset transitus his qui aquilonis frigora relinquebant, a quo exardescunt mala super terram. Legimus in Numerorum libro (*Num.* XXXII) tribus Dan, et Nephtalim, et Aser filiorum Balæ et Zelphæ, ancillarum Rachel et Liæ, ad aquilonis plagas castra tenuisse. Nunc quoque in facie longitudinis ostii aquilonis centum fuisse cubitos, et latitudinis quinquaginta, ut ex decem decadis quadrangulus numerus atque perfectus, et ex septem hebdomadibus, qui remissionis est numerus, et in principium unionis, id est, ogdoadis erumpit, sacerdotalia in templo Dei spatia monstrarentur. Illudque quod juxta Hebraicum jungitur contra viginti cubitos atrii interioris, pro quo Septuaginta transtulerunt, descripta erant sicut portæ atrii interioris, hunc habet sensum : quod exterioris atrii centenarius et quinquagenarius numerus eamdem vim habeat, quam vicenarius atrii interioris. Si enim quatuor quinquies supputes in numero vicenario, utrumque reperies testamentum, ut et lex teneatur in Evangelio, et Evangelium de legis radice nascatur : pro quo numero Septuaginta similitudinem atrii interioris interpretati sunt, forsitan formidantes vicenarium numerum, in quo offeruntur Esau munera in atrio interiori ponere. Sequitur : « Et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici. » Pro quo Septuaginta transtulerunt : « Et sicut columnæ atrii exterioris per ordinem positæ contra faciem porticuum triplicium. » Significat autem, quod pavimentum atrii exterioris vivo fuerit stratum lapide, ut nec æstatis pulvere, nec luto hiemis sacerdotum vestigia polluantur. Unde et Dominus ascensurus ad Patrem, apostolorum lavat pedes (*Joan.* XIII), ut mundatis purgatisque vestigiis scandant regna cœlorum : et imperat apostolis (*Matth.* X; *Marc.* VI), ut in quamcunque ingressi fuerint civitatem, et non susceperint eos, excutiant pedum suorum pulverem, quo scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se remanere patiantur. Non solum autem pavimentum stratum erat lapide, sed et porticus erat juncta porticui triplici. Una porticus ab imbre et æstu protegens sacerdotes, et juncta porticui triplici, demonstratque mysterium Trinitatis, quod cum Patris et Filii et Spiritus sancti dividatur nominibus, tamen una sibi divinitate conjungitur. Erat quoque ante gazophylacia sive exedras vel thalamos deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Quodque a Septuaginta additum est « per cubitos longitudinis centum, » superfluum est, quia in Hebraico non habetur, quod ponentes tulerunt id quod habetur in Hebræo : « ad interiora respiciens viæ cubiti unius, » quod nos de Hebraica veritate transtulimus. Significat autem quod ante fores gazophylaciorum omnium sive exedrarum et thalamorum fuerit deambulatio latitudinem habens cubitorum decem, qui et ipse perfectus est numerus, vel propter decalogum vel propter Evangelii sacramentum. Si enim ab uno per duos et tres ad quartum numerum venias, denarius Evangeliorum numerus efficitur, in cujus latitudine deambulant sacerdotes, ante singula gazophylacia gradientes, ita duntaxat ut semper ad interiora respiciant viæ ejus, quæ ducit ad cubitum unum, ad cultum videlicet unius divinitatis, dicente Filio ad Patrem : « Revelavi nomen tuum hominibus (*Joan.* XVII). Ipsa est enim via interiora respiciens, quæ dicit in Evangelio : « Ego sum via, et vita, et veritas (*Joan.* XIV), » quia nemo venit ad notitiam Patris nisi per Filium. Et ostia earum ad aquilonem, ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus et mediis ædificii. Tristega enim erant et non habebant columnas sicut erant columnæ atriorum. Propterea eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubitis quinquaginta. Quod jungitur : « ostia earum, » subauditur exedrarum sive gazophylaciorum, de quibus supra sermo fuit. Quæ gazophylacia erant in superioribus, id est in cœnaculis humiliora. Quæ cœnacula ascendit Elias, et Elisæus (*III Reg.* VI; *IV Reg.* IV), et Dominus cum discipulis pascha facturus (*Marc.* XIV; *Luc.* XXII), et Tabitha, quæ et fide apostoli et virtutum suarum merito suscitata est (*Act.* IX). Ista sunt cœnacula, de quibus in psalmo scriptum est : « Qui rigat montes de cœnaculis [*Al.*, superioribus] suis (*Psal.* CIII). » Nisi enim quis fons fuerit effectus, et ad altiora surrexerit, pluviis Domini non rigabitur, qui pro diversitate meritorum de primo, secundo et tertio irrigatur cœnaculo. Ipsa quoque gazophylacia, hoc est, thesauri gazarum Domini in superioribus humiliora sunt. Quanto enim quis excelsior fuerit, tanto cum Apostolo humilitate dejicitur, dicens : « Qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* XV). » Erant autem ipsa gazophylacia in cœnaculis humiliora, quia supportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. Reddit causas cur gazophylacia in cœnaculis posita humiliora fuerint : quia supportabant, inquit, porticus, quæ libertate aeris fruebantur. Et eminebant de inferioribus et de mediis ædificii, ut secundum cœnaculum pavimento inferioris domus esset eminentius, et tertium cœnaculum secundo esset excelsius. Et quanto quis ad superiora conscenderet, tanto altior uteretur cœnaculo, quanto humilitate crescebat, dicente Domino : « Qui vult inter vos major esse, fiat omnium minimus (*Matth.* XXIII). » Neque enim columnis aliis portabantur, sicut in atriorum columnis legimus, sed eminebant de inferioribus, et de mediis a terra cubitis quinquaginta numero remissionis omnium debitorum. Hæc sunt autem tristega, de quibus præcipitur : « Describe ea tripliciter, consilio et scien-

tia, ut respondeas sermonibus veritatis his quæ proponuntur tibi (*Prov.* XXII). » Inferiora igitur et exteriora columnis indigent. Quæ autem altiora sunt et interiora, columnarum, id est, alieni auxilii usum non habent. Post hæc dicitur : « Et peribolus exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia, longitudo ejus quinquaginta cubitorum : quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi centum cubitorum. » Peribolus murum significat, qui erat exterior, et cingebat gazophylacia in via atrii exterioris, habens in longitudine quinquaginta cubitos : de cujus numeri sacramento crebro diximus. Porro longitudo ante faciem templi nequaquam quinquaginta cubitorum erat, ut ante gazophylacia, sed centum cubitorum : ut post remissionem omnium peccatorum, perfecta præmia in centenario numero præstolemur. Pro peribolo sive muro, quod Hebraice dicitur *gader*, Septuaginta *lumen* interpretati sunt quod venit extrinsecus et illuminat cordis nostri oculos, non sufficiente natura nostri luminis, quod versatur in sensu perfectum scientiæ habere fulgorem, nisi extrinsecus per Dei gratiam introeat, quod primum oculos nostri cordis illuminat. Et omne atrium exterius, quod quinquaginta cubitorum latitudine tenditur, facit clarescere. Postea vero cum venerimus ante faciem templi, perfecta in centenario numero recepimus præmia. Erat autem subter gazophylacia introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori. Oportet enim Dei nos possidere divitias, et de atrio exteriori subter gazophylacia orientis introitum reperire : et per latitudinem periboli, qui respicit viam orientis, venire ad ædificium, quod sanctis est separatum, ante quod sunt gazophylacia, et in ipsa via similitudo gazophylaciorum, quæ erant in via aquilonis. Licet enim ad orientis perveniamus introitum, tamen similitudo majorum est in minoribus ; et non possumus ad orientis pervenire lumen, nisi per viam aquilonis, id est, per minora et humiliora ad majora et altiora tendamus. In ipso autem introitu longitudo erat similis latitudinis, id est, eadem mensura per quadrum. Omnisque ingressus et similitudines et ostia eamdem habebant mensuram et similitudinem, quam gazophylacia, quæ erant in via respiciente ad austrum. Per orientem enim aquilonis frigora restinguentes pervenimus ad austrum, in quo sponsus recubat in meridie, et in pleno versatur lumine. In capite autem ejusdem viæ, hoc est, orientalis quæ patet ingredientibus ostium est, quod nisi apertum fuerit ab eo, qui dicit : Ego sum ostium, et qui habet clavem David ad vestibulum sanctorum virtutibus separatum, et quod ab aquilone venientes suscipit, non possumus pervenire.

« Et dixit ad me : Gazophylacia aquilonis, et gazophylacia austri, quæ sunt ante ædificium separatum, hæc sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum, in Sancta sanctorum. Ibi ponent Sancta sanctorum et oblationem pro peccato et pro delicto. A « Locus enim sanctus est. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes non egredientur de sanctis in atrium « exterius : et ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestienturque « vestimentis aliis, et sic procedent ad populum. » (*Hieron.*) Vir ille, qui ductor prophetæ fuit, postquam eum duxit in atrium exterius, et monstravit omnia quæ præteritus sermo narravit, gazophylacia quoque sive exedras, in quibus diutissime commoratus est, dixit ad eum : Hæc sunt gazophylacia vel exedræ thalamique ad aquilonem et austrum, quæ sunt ante ædificium separatum, et appellantur sancta gazophylacia, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum. Ex quibus B discimus multas ciborum esse diversitates, quibus vesci sacerdotibus licet vel non licet, et de his ipsis, quos licet in cibos sumere non in omnibus sumuntur locis, nec ab omnibus, neque omni tempore. Gazophylacia aquilonis et austri puto esse, quæ vel historiæ contineant simplicitatem, vel spiritalis intelligentiæ sacramenta, ut per aquilonem veniamus ad meridiem. Neque enim sic legenda est littera et historiæ fundamenta jacienda, ut non veniamus ad culmina : nec ita pulcherrimo ædificio tecta ponenda, ut nequaquam fundamenta sint solida. Sacerdotes autem qui vescuntur in cellariis, in quibus multæ divitiæ continentur, ipsi sunt qui appropinquant ad Dominum, de quibus Scriptura testatur (*Exod.* XXIV), C quod Moyses appropinquaverit ad Dominum, et cæteri accedere non potuerint. In ædificatione templi mystici et in Ecclesiæ sacramento multi sunt sacerdotes et apostolici viri, qui accedunt ad Dominum, et non in quolibet loco, sed in Sancto sanctorum. Quodque juxta Septuaginta dicitur, filii Sadoc, qui interpretatur *justus*, in Hebraico non habetur. *Ibi*, inquit, *ponent sacerdotes Sancta sanctorum et oblationem*, hoc est, victimam holocausti, *et pro peccato et pro ignorantia*, ut non solum juge offerant sacrificium, sed pro diversitate temporum et qualitate peccati atque ignorantiæ, sciant placare Dominum, quia ipse locus sanctus est, et sacerdotalis in eo dignitas commoratur, quæ possit rogare pro cæteris. Quando autem procedendum est ad eos, qui non D possunt templi adita penetrare, nec divinæ scientiæ arcana cognoscere, egrediantur, inquit, foras ad eos sacerdotes in atrium exterius : nequaquam cum his vestimentis, quibus intrinsecus induti erant, viscera videlicet misericordiæ et Dominum Salvatorem, de quibus scriptum est : « Induimini Christum Jesum (*Rom.* XIII), » nec his utantur sermonibus, de quibus loquitur Deus, Mysterium meum mihi et meis, ne incurrant in illud, quod Salvator prohibet dicens : « Nolite dare sanctum canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos (*Matth.* VII) ; » sed ponent vestimenta sua intrinsecus, quibus induuntur quando ministrant in templi adytis, sancta enim sunt, et ad eos qui perfectam non habent sanctitatem non debent proferri. Accipientque alia vestimenta, et sic

procedent ad populum. Sic, inquit, loquentur ad populum, quomodo potest audire populus. Unde et Apostolus ad Corinthios loquebatur, in quibus « audiebatur fornicatio et talis fornicatio, qualis nec inter gentes (*I Cor.* v) : » « Lac quidem vobis potum dedi, non escam (id est solidum cibum), necdum enim capere poteratis (*I Cor.* III). » Ad quos rursum dicit : « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (*Gal.* IV). » Parvulis enim atque lactantibus non solum non prodest solidus cibus, sed interficit eos, qui perfectæ ætatis hominibus congruit. Quod aliter intelligi potest. (*Greg.*) Sacerdotes vero etiam post compunctionem ac lacrymas coguntur necessaria filiorum suorum cognoscere, et ea quæ refugiunt animo patienter audire, atque post suspiria cœlestium, quorumlibet carnalium hominum onera portare, et sæpe cum supervenientibus cor in diversa qualitate transfundere. Nam aliquando sacerdos de lucris spiritalibus gaudet. Sed cum quilibet mœrens supervenerit; nisi ejus mœrorem in se susceperit, tribulationi illius compatiens non est. Et aliquando de damnis animarum luget, et repente superveniunt, qui de quibusdam suis prosperitatibus lætantur, quorum si lætitiæ sacerdos non congaudeat, minus amare creditur filios, in quorum gaudio non exsultat, præcipue cum Paulus dicat : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (*Rom.* XII). » Nihil ergo tam onerosum ordini video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, et cum personis supervenientibus animum mutare ; et tamen hoc valde est necessarium. Nam quomodo ex prædicatione ejus ad boni operis gratiam peccator adducitur, si ipse qui prædicat videtur ingratus? Unde per hunc quoque eumdem prophetam postea dicitur, ut cum sacerdotes intrinsecus ministrant, vestibus lineis utantur, de quibus subditur : « Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimenta sua in quibus ministraverunt, et ponent ea in gazophylacio sanctuarii. » Grossiora quippe vestimenta sunt lanea. Sed cum sacerdos ad sanctum ministerium accedit, cum intus per compunctionem ingreditur, subtili intellectu necesse est, quasi lineo vestimento induatur. Sed cum ad populum foris egreditur, oportet ut vestimenta, in quibus intrinsecus ministraverat, reponat, atque populo aliis vestibus indutus appareat. Quia si in compunctionis suæ rigore se teneat, si in eo, quem orationis tempore habuit, mœrore perduret, exteriorum rerum verba suscipere non admittit, et quid grex de necessariis faciat, si audire atque perpendere ad hoc, quod præsens tempus exigit, pastor recusat? Grossiora ergo vestimenta sacerdos exiens ante populum induat, ut mentis suæ habitum pro utilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat.

« Cumque complesset mensuras domus interioris, « eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad « viam orientalem, et mensus est eam undique per « circuitum. Mensus est autem contra ventum orien« talem calamo mensuræ per circuitum quingentos « calamos, in calamo mensuræ per gyrum. Et mensus
A « est contra ventum aquilonis quingentos calamos, in « calamo mensuræ per gyrum. Et ad ventum austra« lem mensus est quingentos calamos, in calamo men« suræ per circuitum. Et ad ventum occidentalem « mensus est quingentos calamos, in calamo mensu« ræ. Per quatuor ventos mensus est murum ejus un« dique per circuitum, longitudine quingentorum cu« bitorum, et latitudine quingentorum cubitorum « dividentem inter sanctuarium et vulgi locum. » (*Hieron.*) Sciendum quod post ventum orientalem et aquilonem in vento australi et occidentali apud Septuaginta ordo præposterus sit. Illi enim primum posuerunt occidentalem, id est mare, et postea australem, cum apud Hebræos primum ponatur ventus australis, et postea occidentalis. Quodque Scriptura
B nunc dicit : « Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ respicit ad viam orientalem, » ostendit cuncta, quæ supra dicta sunt, et forinsecus et intrinsecus, et in interioribus templi, hoc est, sancti sanctorum, proprie ad templi ædificium pertinere, et templi interioris. Unde nunc sequitur : « Eduxit me per viam portæ, quæ respiciebat ad viam orientalem, et mensus est eam undique per circuitum, sive similitudinem domus. » Per quod demonstratur non ipsam domum, sed similitudinem domus esse, quæ cernitur, quia « nunc per speculum videmus in ænigmate. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur (*I Cor.* XIII). » Unde et Moyses in tabernaculo, et Salomon in ædificio non verita-
C tem tentorii templi, sed similitudinem figuramque fecerunt, ut per hæc, quæ minora sunt et terrena, ea quæ in cœlestibus, et in spiritali ædificio sunt, intelligere possimus. Vir autem, qui prophetam eduxerat, nequaquam in atrium exterius, sed per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem, primum mensus est contra ventum orientalem, id est, ad orientalem plagam quingentos calamos per gyrum : secundo ad aquilonem : tertio ad austrum : quarto ad mare, id est, ad occidentem. Per quatuor videlicet ventos murum in circuitu tam in longitudine, quam in latitudine, hoc est, per quadrum. Qui murus simul habebat duo millia calamos. Sin autem calamus sex cubitorum erat, et παλαιστῇ unius quæ παλαιστή, sexta pars cubiti est,
D perspicuum est murum exteriorem habuisse per circuitum calamos duo millia, qui faciunt cubitos duodecim millia trecentos triginta tres, et trientem de duobus millibus. Prudens lector et diligens legat librum Jesu Nave, et inveniet quomodo in suburbanis hæc mensura servetur. Unde et legio dæmonum hunc numerum eligit in suffocatione porcorum (*Luc.* VIII), ut qui servientibus Deo præcepto Domini separatus est, in contrariam partem referatur ad perditionem eorum qui vitam cœno dignam et sordibus consectantur. Omnis autem murus qui est exterior, et habet spatiosissimam longitudinem et latitudinem per quadrum, apostolorum continet numerum, id est, duodecim millium, ut singulis apo-

stolis millenus numerus deputetur, et tamen ad mensuram plenitudinis Christi et perfecti viri non veniat nisi jungatur ei et παλαιστά, qui trecenti triginta et tres cubitos et cubiti tertiam partem, per quæ sanctæ et venerabilis Trinitatis mysterium demonstratur, habeat, quæ cingit et vallat omnia, et habitatores templi sui præstat tutissimos. Unde trecentorum cubitorum arca Noe habet longitudinem, et triginta cubitorum altitudinem, quæ consummatur in uno cubito; quod autem ibi adduntur quinquaginta cubiti in latitudine remissionis, ut sæpe diximus, significat sacramentum. Unde et Dominus triginta annorum venit ad baptismum (*Luc.* III). Et hic ipse propheta in principio voluminis sui annum ponit tricesimum, qui tricentesimus et tricesimus numerus tribus additis et tertia parte completur. Illud autem, quod per simplicitatem interpretationis, dum parum attendimus celeritate dictand' et Septuaginta habent, et nostra translatio « murum ejus undique per circuitum longitudine quingentorum cubitorum, et latitudine quingentorum cubitorum, » Hebræus sermo non continet, sed simpliciter longitudinem quingentorum et latitudinem quingentorum, ut subaudiatur calamorum, sicuti quarto supra dictum est ad orientalem ventum et ad aquilonem, et ad austrum, et ad mare quingentis calamis murum partium singularum ab eo qui tenebat calamum fuisse dimensum. Quingentesimus autem numerus, qui vicinus est quinquagenario, quod ad remissionem pertineat omnium peccatorum, non solum vetus Scriptura, sed et Salvatoris in Evangelio verba demonstrant, dicentis: « Duo debitores erant feneratori cuidam: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta (*Luc.* VII). » Et murus dividit inter sanctuarium et vulgi locum. Ex quo intelligimus omnem supra templi descriptionem sacerdotum, qui sunt filii Sadoc, fuisse ministeriis delegatam: hunc autem murum, qui tanto spatio dilatetur, et universa circumeat, separare sanctuarium et vulgi locum.

CAPUT XLIII.

Vidit propheta claritatem Dei: arguit Judæos de idolis suis: præcipitur ostendere figuram et descriptionem domus; de mensura altaris holocaustorum, et de ritu ejus et sacrificiis ejusdem.

« Et eduxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem. Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus. Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum, quem videram juxta fluvium Chobar. Et cecidi super faciem meam: et majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad orientem. Et levavit me spiritus, et introduxit me in atrium exterius. Et ecce repleta erat gloria Domini domus. Et audivi loquentem ad me de domo. Et vir qui stabat juxta me, dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum. Et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis, et in ruinis regum suorum, et in excelsis, qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos, et murus erat inter me et eos. Et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt, propter quod consumpsi eos in ira mea. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, et ruinas regum suorum a me, et habitabo in medio eorum semper. » (*Hieron.*) Dicamus strictim de singulis quantum explanationis patitur difficultas, ne dum studemus brevitati, velamentum non solum Moysi, sed et prophetæ Ezechielis remaneat in nobis, qui cupimus revelata facie veritatem Domini contemplari. Gloria ergo Dei Israel ingreditur per viam orientalem, per quam et egressa fuerat, quando civitas Domini furore percussa est. Ingreditur autem, imo regreditur ad eam, quia templum Domini ædificatum in monte monstraverat. Et tamen multo plus est, quod in consequentibus dicitur: « Levavit me Spiritus, et introduxit me in atrium exterius. Et ecce repleta erat gloria Domini domus. » Hic enim gloria tantum Dei Israel ingreditur, ibi autem dicitur, quod plenitudo gloriæ Domini fuerit in templo. De qua et Isaias scribit: « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum (*Isa.* VI). » *Et plena domus gloria ejus*, quando revelata facie gloriam Domini contemplantes reformamur in imaginem creatoris (*II Cor.* III). *Vox* quoque erat Dei *quasi vox aquarum multarum*: omnium scilicet in toto orbe populorum, ut Joannes evangelista (*Apoc.* I) interpretatur, sive quasi vox castrorum et sicut vox geminantium multorum, ut exercitus Dei sacramenta cognosceret. Quod intelligens et Jacob vocavit nomen illius loci castra (*Gen.* XXXII), de quibus et alibi scriptum est: « Currus Dei decem millium multiplex millia lætantium (*Psal.* LXVII). » Una autem vox dicitur castrorum et multitudinis, propter unum in Dei laude consensum, geminaturque vox canentium Patri et Filio et Spiritui sancto, « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est terra gloria ejus (*Isa.* VI). » Sequitur: « Et terra splendebat a majestate ejus; » quod proprie in adventu Christi factum est, quando « in omnem terram exivit apostolorum sonus, et in fines orbis terrarum verba eorum (*Psal.* XVIII). » Quotidieque impletur in credentibus, et ad perfectum complebitur, quando corruptivum hoc induerit incorruptionem, et mortale istud fuerit immortalitate vestitum. Quod autem infertur: « Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando venit ut disperderet civitatem, » pro quo Septuaginta transtulerunt, « quando ingressus sum, ut ungerem civitatem, » cum juxta Hebraicum perspicuum sit, juxta Septuaginta plurimam obscuritatem habet,

quomodo Ezechiel ingressus sit, ut ungeret civitatem, ad cujus prophetiam comminationemque conciderit. Nisi forte illud dicamus, quod correptio prophetæ sit unctio civitatis et unctio olei exsultationis sacerdotalis et regii : quod qui libenter receperint, et audire voluerint, efficiuntur uncti Domini, de quibus scriptum est : « Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari (*Psal.* CIV). » Ille autem potest juxta ἀναγωγὴν ungere civitatem, de qua scriptum est : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI), » qui vidit visionem currus et mysteriorum Dei, quam intuitus est Ezechiel super fluvium Chobar, qui onus pondusque significat. Quid enim gravius fluminibus Babylonis, super quæ David sedit et flevit, cum recordaretur Sion? De quibus scriptum est : « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII); » nihilque puto in sæculi hujus confusione esse perpetuum, sed omnia præterire et fluere. Quæ qui consideraverit, cadet super faciem suam, intelligens quam procul sit a majestate Dei et flectet genua ad Patrem in nomine Jesu Christi. « Cumque, ait, ego corruissem, majestas Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad orientem, statimque me elevavit spiritus (ipse enim jacens pergere non valebam); et introduxit me in atrium exterius. » Foris enim cecideram. Et ecce, qui prius conspexeram gloriam Dei Israel venientem per viam orientalem, vidi repletam gloria Domini domum ejus : et vocem ad me de domo interiori loquentis audivi. Quæ quid sit locuta, Scriptura non narrat, nisi forte illud Apostoli : « Et audivi verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). » Vir autem, inquit ille, qui stabat juxta prophetam, dixit ad eum, quem perspicue Dominum intelligimus. Cui enim alii poterit convenire, quod sequitur : « Fili hominis, locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in æternum; » nisi illi, qui habitat in Ecclesia, in medio filiorum Israel cernentium Dominum, et habitat in perpetuum, non secundum templum Salomonis ad tempus? Et locus ejus est ille de quo scriptum est : « Et factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV), » quæ exsuperat omnem sensum. Et locus vestigiorum pedum illius, apostolis dicentibus : « Adoremus in loco ubi steterunt pedes ejus (*Psal.* CXXXI). » Et pulchre dixit, *steterunt*, in Ecclesia enim stant pedes Domini. In Synagoga ambulant et prætereunt. Ut autem sciamus hoc dici de Ecclesia, jungitur, « Et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum. » Quod proprie ad eos pertinet, qui sanctæ conversationis in Ecclesia commorantur. Qui sunt autem qui polluerint prius nomen sanctum Dei ponit manifestius : « Ipsi et reges eorum tam populus, quam sacerdotes in fornicationibus suis, quibus a Deo fornicati sunt, et in ruinis regum suorum, » qui frustra sibi per superbiam regium nomen assumunt. Denique sequitur : « Et in excelsis; » arrogans enim mens offendit Deum, humilis ad misericordiam provocat. Qui post superbiam, imo per superbiam fabricati sunt limen suum juxta limen Dei, et postes suos juxta postes illius. Audiant hæc juxta litteram mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV), semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes : mentem junctam Deo, non vicinitatem ecclesiarum, et habitationem proximam Dei in se provocare clementiam, quin potius indignationem Domini commoveri, quando in consecratis Deo locis indignus habitator est. « Fabricati sunt, inquit, limen suum juxta limen meum, » ut nihil interesset inter sacrum et profanum. « Et postes suos juxta postes meos; » ut unus laicorum et sacerdotum esset introitus. Unde Apostolus dicit : « Probet autem se homo, et sic accedat ad corpus et sanguinem Domini (*I Cor.* XI). » Et ut gravius faceret quod dicebat, sequentem jungit versiculum : « Et murus erat inter me et eos, » ut sacerdotalia sacrificia et loca sacramentorum corporis et sanguinis Christi brevissimus murus divideret. » Et polluerunt, inquit, nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt. » Quid prodest habitationis vicinia et medius inter cellulam nostram et altare Domini paries, cum in his, quæ secreto facimus, et quæ turpe est etiam dicere, contaminetur et polluatur nomen Domini? Ego hoc arbitror; quod non polluat nomen Dei, nisi ille, qui visus est nomini ejus credere, et ex illius censeri vocabulo, et quomodo tollit membra Christi et facit membra meretricis, qui prius Christo credidit : sic ille polluit nomen Dei, qui prius nominis ejus fidem susceperit. Alioquin ethnicus et Judæus cum sint polluti et contaminati, imo contaminatio ipsa atque pollutio nomen Dei polluere et contaminare non possunt, quod illi polluunt. Ad quos dicitur : « Per vos nomen meum blasphematur in gentibus (*Isa.* LII). » « Propter has igitur causas consumpsi eos in ira mea, » quia hæc fecere quæ diximus. Et tamen clemens Dominus rursum prophetæ præcipit, ut jubeat eis procul a se removere fornicationes pristinas, et ruinas regum suorum ac principum derelinquere et repellere non tam a se quam a Deo. Et boni operis statim præmia pollicetur, dicens : « Et habitabo in medio eorum. » De quo et in Evangelio dicitur : « Medius inter vos stat, quem vos nescitis (*Joan.* I). » Et habitabit non parvo tempore, ut in Synagoga, sed in perpetuum : quod in Christi Ecclesia comprobatur.

« Tu autem, fili hominis, ostende domui Israel « templum, et confundantur ab iniquitatibus suis, « et meditentur fabricam, et erubescant ex omni« bus quæ fecerunt. Figuram domus et fabricæ ejus, « exitus et introitus, et omnem descriptionem ejus, « et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem « et omnes leges ejus ostende eis, et scribes in « oculis eorum, ut custodiant omnes descriptiones « ejus, et præcepta illius, et faciant ea. Ista est lex « domus in summitate montis, omnes fines ejus in « circuitu : sanctum sanctorum erit. Hæc est ergo

lex domus. » (*Hieron.*) Non parvi operis est, A quod oculis carnis vel mente conspexeris audientibus demonstrare, ut et ipsi tecum vidisse videantur. Quamobrem scribit et Josephus eos qui ad describendam terram missi sunt ab Jesu filio Nave fuisse γεομέτρας, et artem, quæ nunc philosophorum propria est, habuisse geometriæ. Domui igitur Israel eorum qui animo conspiciunt Deum ostenditur domus, hoc est, templum, quod Ezechiel situm in monte conspexit. Et non solum in monte, sed sicut nunc dicitur, in summitate montis. Quam nequaquam illam putemus, quæ a Salomone constructa narratur in Regum et Paralipomenon libris (*III Reg.* VI; *I Paral.* XI). Illa enim alterius ordinis atque mensuræ est, et in singulis magnam habens diversitatem : tantumque inferior templo, quod nunc B ostenditur Ezechieli, ut non solum cultores ejus et æditui, sed et ipse fabricator ejus Salomon peccaverit et offenderit Deum, licet postea egerit pœnitentiam scribens Proverbia in quibus ait : « Novissime ego egi pœnitentiam, et respexi ut eligerem disciplinam. » Ista autem quæ Ezechieli et per Ezechielem domui Israel ostenditur, talis est, ut qui eam mente conspexerit, cesset ab iniquitatibus suis, non quibusdam, sed omnibus. Sive ut in Hebraico continetur : « Confundatur et sustineat tormentum suum pro omnibus quæ fecerit. » Sustinet autem tormentum iniquitatum suarum, qui cessat præterita facere peccata. Multumque prodest ei, qui ante peccaverit, videre domum Dei, et omnis fabricæ ejus nosse rationes, ut et peccare desistat, et habens C illud desiderium, dicat ad Dominum : « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal.* XXV). » Et iterum : « Unum petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*Psal.* XXVI). » Cum cœpero vivere et esse cum Christo, qui est vita credentium.

(*Greg.*) Juxta tropologiam vero, templum Dei filiis Israel ad confusionem ostenditur, quando uniuscujusque justi anima, quam inspirando Deus inhabitat, quanta sanctitate fulgeat ad confusionem suam peccatoribus demonstratur; ut in illa bonum, quod negligunt, videant, et in se ipsis malum quod operantur erubescant. Metiri vero est fabricam, pensare subtiliter justorum vitam. Sed dum metimur fabri- D cam, necesse est, ut ex cunctis, quæ fecimus, erubescamus. Quia bonorum vitam quanto subtilius pensando discutimus, tanto severius in nobis omnia inique gesta reprobamus. Bene autem prophetæ dicitur ut ostendat templum, quia enim justorum rectitudinem peccator considerare dissimulat, saltem hanc ex voce prædicantis agnoscat. Templum quippe peccatoribus ostendere est, sponte sua considerare nolentibus, rectorum opera narrare. Qui itaque sicut diximus, perduci ad summa desiderant, semper necesse est ut meliorum profectibus intendant, quatenus tanto districtius in se culpas judicent, quanto in illis altius, quod admirentur vident. Sed quid ista de peccantibus dicimus, cum ipsos quoque operatores justitiæ tanta pervehi dispensatione videamus? Alius namque donum scientiæ accipit, et tamen ad virtutem miræ abstinentiæ non pertingit. Alius magna abstinentiæ virtute accingitur, nec tamen in summa conscientiæ contemplatione dilatatur. Alius per prophetiæ spiritum valet omnia ventura præscire, sed tamen per curationis gratiam non valet præsentis molestiæ mala sublevare. Alius per curationis gratiam mala præsentis molestiæ sublevat, sed tamen quia prophetiæ spiritum non habet, quid sequatur ignorat. Alius indigentibus multa jam propria largiri potest, sed tamen injuste agentibus obviare libere non potest. Alius injuste agentibus audacter pro Deo obviat, sed tamen indigentibus, quæ habet, tribuere omnia recusat. Alius jam et ab otioso se sermone restringens linguæ lasciviam superat, sed tamen adhuc insurgentes iræ stimulos perfecte non calcat. Alius insurgentem iram jam perfecte edomat, sed tamen adhuc linguam in lætitiam relaxat. Quid est hoc, quod iste eo bono indiget, quo alius pollet, et ille cum multis polleat, abundet, alii bonum adesse considerat, quod sibi deesse suspirat : nisi quod mira nobiscum dispensatione agitur, ut per hoc, quod alter habet, et iste non habet, unus altero melior ostendatur : quatenus tanto ardentius de humilitate quisque proficiat, quanto ex bonis, quæ non habet, inferiorem se habentibus pensat? Sicque fit ut dum ille in isto, atque hic in illo respicit, quod admiretur, distincta bona et ab altitudine elationis reprimant, et ad studium profectus accendant. Magna namque sollicitudine ad curam nostræ meliorationis accingimur quando id virtutis in aliis cernimus, quod non habemus. (*Hieron.*) Sequitur : « Exitus ejus et introitus, » subauditur domus. Exitus autem eorum qui egrediuntur ad eos qui foris sunt, et introitus eorum qui per magistrorum disciplinam ad interiora penetrant. Et omnem, inquit, descriptionem ejus sive substantiam, ut LXX transtulerunt. Quæ non tam ad naturam domus, quam ad suppellectilem pertinet atque divitias. Et universa præcepta cunctumque ordinem, et omnes leges templi ostendes eis, qui portaverunt tormentum iniquitatum suarum, et cessaverunt, sive confusi sunt super his, quæ ante gesserant. Idcirco autem ostende eis ut custodiant omnia quæ præcepta sunt. Nihil enim prodest scire descriptionem domus et omnes distributiones ejus, de quibus scriptum est : « Multæ mansiones apud Patrem meum (*Joan.* XIV). » Et iterum : « Statuit terminos gentium secundum numerum filiorum Israel (*Deut.* XXXII), » sive angelorum Dei, nisi feceris quæ præcepta sunt. Domus autem et lex omnium præceptorum Dei, et urbs, quæ in summitate montis est constituta, illa credenda est, de qua scriptum est, Non potest abscondi civitas supra montem posita. Et, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; quæ perspicue refertur ad Ecclesiam, et sita est in eo monte qui in vertice omnium montium est, et a quo vulneratus est princeps Tyri, omnesque fines

et termini domus hujus sancta sanctorum sunt. In illa domo, hoc est, in tabernaculo quod fabricatus est Moyses, et in templo quod a Salomone constructum est, interiora tantum, ubi erant cherubim, et propitiatorium et arca testamenti et mensa thymiamatis appellabantur sancta sanctorum. In hac autem domo, quæ monstratur Ezechieli, et quæ in summitate montis est constituta, omnes termini ejus reputantur in sancta sanctorum. Quodque infertur, « Hæc est lex domus, » vel ad præterita pertinet, de quibus jam dictum est, vel ad ea quæ dicenda sunt postea.

« Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum. In sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine, et definitio usque ad labium ejus, in circuitu palmi unius. Hæc quoque erat fossa altaris. Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam, duo cubiti, et latitudo cubiti unius; et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo unius cubiti. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum; et ab Ariel usque ad sursum cornua quatuor. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulum æquis lateribus. Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus, et corona in circuitu illius dimidii cubiti, et sinus ejus unius cubiti per circuitum. Gradus autem ejus versi ad orientem. » Scriptum est : « Abyssum et sapientiam quis investigabit (*Eccli.* I)? » Et : « O profundum sapientiæ et scientiæ Dei (*Rom.* XI)! » cujus alta profunditas, et quis inveniet eam? Multum est, si voluerimus templum Salomonis huic templo et omnes partes ejus et tabernacula comparare. Quod quia difficillimum est interim, in præsentiarum altare quod Ezechieli ostensum est, altari quod in Exodo legimus (*Exod.* XXVII), ex parte modica conferamus. Ibi altare quinque cubitorum in longitudine, et quinque cubitorum in latitudine, id est, quadrangulum, et trium cubitorum in altitudine describitur. Hic vero recedens a sensibus quinque tendit ad unionem, in quo cubitus perfectus sive verissimus ponitur. Cui jungitur palmus, id est, παλαιστή, sextam, ut supra diximus, habens partem cubiti. In sinu autem ejus, hoc est altaris, erat cubitus, qui scilicet ea quæ igne consumebantur suscipiebat, et in latitudine ejus alius cubitus, ut et interiora, hoc est, secreta et spatia altaris, quæ in latitudine demonstrantur, uno cubito finirentur. Quod autem sequitur : « Et definitio usque ad labium ejus, » pro quo Aquila, Symmachus, et Theodotio posuerunt *terminum*, Septuaginta rursum *gisum* interpretati sunt : cujus verbi, ut ante jam dixi, non possum scire rationem, nec cujus linguæ sit dicere confidenter, nisi hoc admonere lectorem, quod ubi nunc definitionem interpretatus sum, supra coronam transtulerim. Utique breviter demonstratur, quod in circuitu ipsius altaris, id est, in margine et circulo separatum fuerit labium et quasi corona in

A modum filii habens in aspectu plurimam venustatem : quæ definitio sive gisus per circuitum palmi unius sive παλαιστῆς latitudine tendebatur. Fovea autem altaris sive profundum et altitudo, pro qua in Hebraico ponitur *gab*, de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam, vel usque ad propitiatorium maximum, duobus cubitis erat. Et latitudo ejus cubiti unius. Inferiora enim et profunda et terræ cohærentia duali numero, qui et in immundis animalibus positus est continentur. Superiora autem et ad crepidinem sive propitiatorium pervenientia, quod Theodotio ipso Hebraico nomine appellavit *azara*, unius cubiti habent latitudinem, ut dualis numerus transeat ad solitarium et bonum nuptiarum quod inferius est ad unionis proveniat beatitudinem.

B (*Greg.*) Potest ergo in fossa altaris virtus patientiæ, quæ melior est arrogantia, intelligi. Unde scriptum est : « Melior est patiens arrogante (*Eccli.* VII). » Quia videlicet elegit patiens quælibet mala perpeti quam per ostentationis vitium bona sua occulta agnosci. At contra elegit arrogans bona de se vel falsa jactari, ne mala possit vel minima perpeti. Quia igitur cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur, recte ad Ezechielem in altare Dei fieri fossa præcipitur; ut in ea videlicet superposita holocausta serventur. Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Domini, nisi animam justi; quæ quot bona egerit, tot super se ante ejus C oculos sacrificia imponit. Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia? quæ dum mentem ad adversa toleranda humiliat, quasi more fossæ hanc in imo positam demonstrat. Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat; id est, electorum mens patientiam custodiat, ne commota vento impatientiæ, et hoc quod bene operata est amittat. Bene autem hæc eadem fossa unius cubiti esse memorat : quia nimirum si patientia non deseritur, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus ait ad Galatas : « Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. » Lex quippe Christi, est charitas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur, excedunt. (*Hieron.*) Quodque sequitur : D « Et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubitorum, et latitudo unius cubiti, » pro quo in Septuaginta positum est : « Et a propitiatorio minori usque ad propitiatorium majus, » et Theodotio in utroque *azara*, transtulit, illud est intelligendum, quod propitiatorium minus, lapis sit excisus de monte sine manibus, et propitiatorium majus, ipse lapis, qui crevit in montem magnum et implevit universum orbem. Sive juxta alterum sensum, propitiatorium minus est, quando « exinanivit se, formam servi accipiens (*Philip.* II). » Et propitiatorium majus, quando recepit gloriam, quam habuit apud Patrem, antequam mundus fieret (*Joan.* XVII). Prius enim Christi humiliora cognoscimus, et sic ad divinitatis ejus altitudinem pervenimus : et tamen utriusque naturæ

propitiatorium, hoc est, minoris atque majoris ad unius altaris pertinet sacramentum. Inter duo autem propitiatoria minus atque majus quatuor erant cubita, quatuor mundi elementa significantia, quæ et ipsa perveniunt ad unius cubiti altitudinem. Et hoc animadvertendum, quod in mensura altaris primus cubitus in latitudine nulli copulatur, sed sua unione perfectus est. Secundus autem latitudinis cubitus, post duos cubitos crescit ad summum. Et tertius cubitus post propitiatorium minus et majus per quatuor elementa, ad unius cubiti mysterium tendit. Ut unus et alter et tertius cubitus in altare Domini nequaquam primus secundus et tertius, sed unus et unus et unus esse dicatur. Ipse autem Ariel quatuor cubitorum erat, et ab Ariel usque sursum cornua quatuor; sive ut in Septuaginta dicitur, ab Ariel usque ad superiora cornuum cubitus unus. Ariel, ut plerique æstimant, interpretatur *lux mea Deus*. De quo et in Isaia propheta, ubi scriptum est: « Væ tibi, civitas Ariel, quam expugnavit (sive circumdedit) David (*Isa.* XXIX), » plenius diximus. Ut autem ego arbitror leo vel fortis Dei, quod nomen refertur proprie ad altare, in quo vel illuminatio Dei est, vel leo et fortitudo ejus, dicente Jacob ad Judam: « Catulus leonis Juda, fili mi, ad prædam ascendisti, requiescens accubuisti ut leo; et quasi leæna, quis suscitabit eum? » (*Gen.* XLIX.) Cubitorum autem quatuor est, et cornua habet quatuor, sive superiora quatuor cornuum, uno cubito finiuntur, ut Evangeliorum mensura et in totum orbem fortitudo discurrens sub illuminatione Dei et leonis fortitudine demonstretur, ad unumque cubitum perveniant divinæ confessionis. Et ut paulatim obscuritas præsentis loci manifestior fiat, sequitur: « Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine, per duodecim cubitos latitudinis quadrangulum æquis lateribus, » quod nemo dubitat ad duodecim tribus pertinere quæ in Joannis Apocalypsi scriptæ sunt, et ad apostolorum numerum, de cujus sacramento supra dixisse me memini. Per quatuor autem latera mundi duodeni cubiti simul efficiunt quadraginta octo cubitos sacerdotalium civitatum, ut istis quasi fundamentis in toto orbe diffusis Ecclesiæ fortitudo solidetur. Porro crepido pro qua Septuaginta *propitiatorium*, Theodotio, ut supra *azara*, Symmachus *περίδρομον*, hoc est, circuitum interpretati sunt, quatuordecim cubitorum erat longitudinis, per quatuordecim latitudinis in quatuor angulis ejus, « et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, » pro quo Septuaginta rursum *gison* interpretati sunt. Et sinus, sive juxta Symmachum, « consummatio ejus atque perfectio cubiti unius per circuitum, » illud latenter ostendit, quod Dominus noster, qui vere propitiatorium dicitur, non solum pro peccatis nostris, sed pro omni mundo, qui per quatuordecim generationes venerit ab Abraham usque ad David; et rursum per alias quatuordecim usque ad captivitatem Jechoniæ, et ejusdem numeri sacramento ad terrena descenderit, ut in tertia τεσσαρεσκαιδεκάδι et divini muneris sacramento salvaret quatuor angulos mundi; de quibus scriptum est: « Multi ab oriente et occidente et aquilone et meridie venient, et accubabunt cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Quodque sequitur: « Et corona sive gisus per circuitum ejus, » subauditur propitiatorii, « habebat dimidium cubitum et sinus ipsius propitiatorii, » sive consummatio atque perfectio, quæ Symmachus interpretatus est *περίδρομον*, habebat unum cubitum, illud significat, quod et peccatores et justi Domini propitiatione salventur; dicente apostolo Paulo: « Reconciliati sumus Deo in sanguine Filii ejus (*Rom.* V). » Et de peccatoribus dicitur, quod dimidii cubiti mensuram habeant per circuitum, qui tamen salventur misericordia creatoris, juxta illud quod in Psalmo scriptum est: « Pro nihilo salvos facies eos. » De justis, quod in uno salventur numero solitario atque perfecto, et imitantur unam divinitatem dicente eodem apostolo: « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V). » Quod autem in fine hujus testimonii ponitur, « Et gradus ejus versi ad orientem, » gradus hujus propitiatorii, septuaginta quatuor libros veteris Instrumenti debemus accipere, qui habebant cytharas in Apocalypsi Joannis (*Apoc.* V), et coronas in capitibus ejus, vel sacramentum Patris et Filii et Spiritus sancti in quo vera nobis datur propitiatio. Et ut dicamus apertius, propterea graduum numerus incertus relinquitur, ut quantocunque studio ad altiora scandere potuerimus, in inferioribus putemus collocatos, et cogitemus illud psalmi: « Ibunt de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII). »

« Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Hi sunt ritus altaris, in quacunque die fuerit fabricatum, ut offeratur super illud holocaustum et effundatur sanguis; et dabis sacerdotibus et levitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato. Et assumens de sanguine ejus pones super quatuor cornua, et super quatuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu, et mundabis illud et expiabis. Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato, et combures illum in separato loco domus extra sanctuarium. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato, et expiabunt altare sicut expiaverunt in vitulo. » (*Hieron.*) Postquam prophetæ monstravit altare et cubitum ejus cubitosque duos, et rursum cubitum, et quatuor cubitos, et tertio cubitum, duodecim quoque cubitos per alios duodecim, et quatuor altaris cornua, Ariel quoque duodecim cubitorum per duodecim cubitos et crepidinem, hoc est, propitiatorium quatuordecim cubitorum per quatuordecim cubitos, coronam quoque illius, et sinum dimidio cubito per circuitum, gradusque ad orientem, quorum incertus est numerus, locutus est vir, cujus calamus et funiculus erat in manu, et docet eum, quomodo altaris opere perfecto altare debeat expiari sive consecrari. Primum-

que offertur victima et datur sacerdotibus de genere Levi, qui sunt de genere Sadoc. Offerturque vitulus; vitulum autem qui pro nobis immolatus est, et multa Scripturarum loca, et præcipue Barnabæ epistola, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat. Et hircus caprarum secundo offertur die: unde et pascha facturi assumunt de grege agnum et hædum: et qui primum pascha facere non potuerunt, in secundo mense faciunt, quorum alterum ad justos pertinet, et alterum ad pœnitentes. (*Isid.*) Quia enim Christus secundum carnem de Judæis, qui sub jugo legis vivebant, ortus est, recte vituli sacrificium nominatur. Qui autem secundum quod incarnatus erat de communi massa hominum factus est, propterea rursus hircus appellatur. Asperum enim hoc animal pilorum indumentum gerit, asperum ut pote peccato refertum omne viventium genus, quia nihil est peccato asperius. Unde hoc aperte approbare legislator volens: « Cumque mactaverit, inquit, hircum pro peccato populi, » totum hic intelligens humanum genus, quod quondam non populus, nunc populus, ex quo de nobis primitias Jesus suscepit; ergo ut demonstraret de Judæis quidem principaliter Christum propter Abraham cognationem esse, sed tamen omnis nostræ naturæ, quæ in peccato est, primitias portare, propter quod et Adam appellatus est: vitulum simul et hircum lex ad figuram sacrificii ejus assumpsit. Cum autem unum sit sacrificium sive vitulus, sive hircus nominetur, effectusque unus in utrumque sit (peccatorum enim ex eo profligatur absolutio) necessarie communia sunt ea quæ in hirco aguntur et vitulo. Cernis enim qui hircum occidens ante Dominum videlicet Patrem, et sanguinem inferens in interiora velaminis, id est, ad Patrem. Et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et a prævaricationibus eorum cunctisque peccatis. Videtur quidem de tabernaculo dicere. Dicit autem non de eo, qui sensui subjacet (quid enim expiationis seu propitiationis agerent, quidve pelles vel reliqua, ex quibus tabernaculum Judæorum quod sensui subjacebat, confectum erat) sed generalitatem sive totam dicit hominum speciem. Sancta enim fuit ab initio massa nostra, ita ut Dei in ea habitaret spiritus. Quod demonstratur ex eo quod auferre illud irascens minatus est Deus, quando hi qui ex Seth descendebant, cum essent justi, et filii Dei appellarentur, concupiscentes eas quæ et filiæ hominum dicebantur, unius generis cum malis et iniquis effecti sunt. Dixit enim sic: « Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant. Et dixit Dominus Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est (*Gen.* VI). Ergo si habitabat spiritus Dei in hominibus antequam omnes sequi passiones charius inciperent, sancta recte erat hominum massa. Nam nec primitias ex ea sanctus sanctorum assumeret. Quia autem sordidata est, expiavit eam ab immunditiis filiorum Israel. Secundum rationem pro sensibili Israel Jesus immolatus est, et sacrificium pro omni humano genere ad expiationem immunditiarum nostrarum obtulit. Quarum immunditiarum? id est « a prævaricationibus eorum, inquit, cunctisque peccatis. » Animæ quippe immunditia non mortui pollutio, non porcinus cibus, non quippiam aliud simile nocet, sed nocere proximo est et peccare in Deum, vel mandata Dei contemnere. (*Hieron.*) Sin autem LXX nobis interpretatio placet, qui dixerunt, « Die autem secundo tollent hædos duos immaculatos pro peccato, » audax quidem est quod dicturi sumus, sed tamen aliorum simpliciter ponenda sententia est, qui aiunt duos hædos immaculatos propter passionem Domini oblatos esse ad altare Domini, Jacobum et Stephanum, quorum alter de apostolorum numero, alter de septem electis in ministerium Domini princeps fuit. Iste est Jacobus qui transformatum Salvatorem vidit in monte, qui resurgentem filiam Archisynagogi cum Domino Petroque et Joanne intuitus est, qui in καταλόγῳ apostolorum, in quo bina junguntur nomina, prior fratre ponitur. Hunc interfecit Herodes, et quasi hædum immaculatum post passionem Salvatoris in die immolavit secunda. Stephanum quoque cujus sapientiæ atque doctrinæ nullus poterat resistere, et qui stantem vidit Filium ad dexteram Patris, et dixit, « Domine Jesu, suscipe spiritum meum, » lapidibus obruere Judæi (*Act.* VI, VII). Et quomodo quosdam credentium primitias Achaiæ et Asiæ Apostolus nominat (*I. Cor.* XVI), sic et isti primitiæ fuere martyrum quos Christi postea confessio coronavit. Et hoc notandum quod vitulus totus offertur in holocaustum, et crassitudo corporis ejus divino igne consumitur. Etsi enim noveramus Christum, sed jam nunc non novimus secundum carnem. Jacobus autem et Stephanus, qui secunda die oblati sunt, sive hircus, qui juxta Hebraicum narratur, offertur quidem in victima sed holocaustum præsentiæ Domini reservatur. Quod autem tollitur sanguis de quo loquitur Petrus: « Redempti sumus ex vana nostra conversatione paternæ traditionis pretioso sanguine Christi (*I Petr.* I). Et Paulus apostolus docet: « Pretio redempti estis (*I Cor.* VII). » Et in alio loco: « Pacem faciens per sanguinem crucis suæ, sive in terra, sive super cœlos (*Coloss.* I). » Illud significat quod sanguine Salvatoris quatuor cornua purificentur altaris, id est quatuor mundi plagæ. Aspergiturque corona propitiatorii, sive bases per circuitum, ut universa purgentur, et firma sit propitiatio. Propterea autem in secunda die vel duo hædi, de quibus supra diximus, vel hircus assumitur, quod animal est semper ad excelsa festinans et nihil periculi sustinens in præcipitiis: et ibi invenit viam, ubi cæteris animantibus interitus est. Unde et Græco sermone caprarum et hircorum grex sublimium conversatio dicitur. Porro altare Christi expiatur sanguine, et orationes sanctorum mundæ permanent ad Deum. Hoc quoque notandum quod juxta Hebraicum ipse Ezechiel quasi sacerdos vitulum jubetur assumere, et holocaustum facere, et sanguinem ejus in circui-

tu aspergere tam altaris quam angulorum et coronæ sive basis. Septuaginta autem interpretes alios sacerdotes hoc facere demonstrant, de quibus dictum est : « Dabis sacerdotibus Levi qui sunt ex semine Sadoc, qui accedunt ad me. »

« Cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, et arietem de « grege immaculatum, et offeres eos in conspectu « Domini. Et mittent sacerdotes super eos sal, et « offerent eos holocaustum Domino. Septem diebus « facies hircum pro peccato quotidie, et vitulum de « armento, et arietem de pecoribus, immaculatos « offerent. Septem diebus expiabunt altare, et mundabunt illud et implebunt manum ejus. Expletis « autem diebus, in die octavo et ultra facient sacer« dotes super altare holocausta vestra, et quæ pro « pace offerunt, et placatus ero vobis, ait Dominus « Deus. » (*Hieron.*) Postquam altare et mensuræ ejus in montis vertice demonstratæ sunt, rursumque expiatio et consecratio illius prophetæ ostensa est, per unum vitulum immaculatum, et hircum sive duos hædos, quorum primum ad Dominum Salvatorem duo sequentia ad apostolos ministrosque retulimus, ne in consecratione spiritalis altaris et proprie ad Ecclesiam pertinentis lex et prophetæ viderentur exclusi, propterea consecrato altari vitulus immaculatus assumitur et aries, et offertur in conspectu Domini et filii Sadoc, hoc est justorum sacerdotes aspergunt super capita eorum sal, ut et lex et prophetæ sapore Evangelii condiantur. Nec ullum est sacrificium juxta legis imperium et interpretationem Apostoli, qui ait : « Sermo vester sit sale conditus (*Coloss.* IV), » quod sale careat. (*Isid.*) Quod sal pro apostolica sapientia intelligendum sit, plane hoc nobis Dominus ostendit dicens apostolis : « Vos estis sal terræ. Si autem evanuerit, ad nihilum valebit ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus (*Matth.* V). » Propterea hic sal apostolicam sapientiam appellavit, quia si communis cibus ad nutriendum aptus, omnimodo sale conditur, ita et omnis sermo utilis ad juvandum, apostolicæ omnimodo necessarium habet sapientiæ condimentum. Propterea non esse minus sal a sacrificiis, sed in omni munere præcepit sal offerri ut quodcunque docueris, quodcunque correxeris, in quacunque virtute conversatus fueris, apostolicam æmulationem atque imitationem opereris ; memorque sis Pauli dicentis : « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi (*I Cor.* I). » Et rursus : « Ergo jam non estis advenæ et hospites (*Ephes.* II), » sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Quia hic non simpliciter sal dixit, sed illud intelligibile legislator innuit : « Non auferes sal, inquit, fœderis Dei tui (*Levit.* II). » Quod si fœdus sive testamentum rationale est, utique et sal rationale est. Utrumque autem offertur holocaustum Domino, ut corpus pinguius litteræ quod significatur in lege, et prophetiæ nubilum igne Domini, hoc est spiritu sancto, de quo dicit Paulus : « Spiritu ferventis (*Rom.* XII), » in spiritalem et tenuem substantiam convertantur. Volumus scire apertius qui sit vitulus de armento immaculatus, et aries de ovibus purissimo vellere intelligamus Moysen et Eliam, quorum prior mansuetissimus fuit inter omnes homines qui versabantur in terra (*Num.* XII) ; alter ardore fidei similis Moysi, unde et audebat dicere : « Ego relictus sum solus (*III Reg.* XIX). » Quod autem in Hebraico scriptum est, « offeres vitulum, » in Septuaginta, offerent sacerdotes, nulla sit quæstio, et ipse enim Ezechiel cui hæc dicuntur de numero sacerdotum est, plenæ ætatis atque perfectæ, et sacerdotalem gradum prophetiæ auxit gratia. Et Moyses et Elias videntur in monte cum Domino (*Matth.* XVII), id est lex et prophetæ qui annuntiabant ei quod Hierosolymis passurus esset. Expiato autem altari septem diebus offertur hircus sive hædus pro peccato quotidie, et vitulus de armento et aries de pecoribus immaculatus, ut per hæc sacrificia septem diebus ad perfectum expietur altare. In septem diebus sabbatismus ostenditur, qui juxta Apostolum populo Domini reservatur, in quibus æternam veramque speramus requiem, et nequaquam servile opus faciemus peccatorum. In hirco autem et vitulo et ariete, tria generalia delicta monstrantur, quibus omne mortalium subjacet genus. Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere, peccamus. Cogitatio refertur ad arietem, quia prima est omnium peccatorum, et ex qua alia duo peccata nascuntur. Hædus autem sive hircus ad eloquium atque sermonem, qui semper de excelsioribus disputat. Opera vero proprie vitulo deputantur, quo vomeri et labori et terrenis operibus mancipatus est. Hæc igitur immaculata per septem dies veri sabbati atque perfecti Deo offerre debemus, et expiare altare, ut oratio nostra munda perveniat ad Deum. Quod autem infertur, « et mundabunt illud et implebunt manum ejus, » quod et Hebraicum et cæteri interpretes transtulerunt, illud significat quod ipsius quoque altaris, pro cujus expiatione offertur sacrificium, dona complenda sint, sicut offertur pro sacerdotibus et populo atque pontifice, ne quid vacuum stetisse videatur in conspectu Domini. Pro quo posuere Septuaginta, « Et mundabunt illud et implebunt manus suas, » ut subaudiatur sacerdotes, qui cum pleni fuerint bonis operibus, hoc enim plene significant manus, transacto sabbato veniant ad diem resurrectionis octavam, et dicant cum Apostolo, « Resurreximus cum Christo, » et ultra octavam tendant ad cœlestia, et offerant pro nobis holocausta, sive quæ pro pace peccatorum nostrorum, et salute sunt nostra, ut per ignem Spiritus sancti omnia quæ cogitamus loquimur et facimus in spiritalem substantiam convertantur, et hujusmodi Dominus delectatus sacrificiis nobis placabilis fiat.

CAPUT XLIV.

De porta clausa, et ne incircumcisi intrent sanctuarium, et de sanctimonia et hæreditate Levitarum.

« Et converti me ad viam portæ sanctuarii exterioris quæ respiciebat ad orientem, et erat clausa. Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est (sive) ingredietur per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea ut comedat panem coram Domino. Per viam vestibuli portæ, id est Ecclesiam ingredietur, et per viam ejus egredietur. » (*Hieron.*) Pro eo quod in Hebraico scriptum est, » erat clausa principi, » Septuaginta transtulerunt, « erit clausa, qui dux ipse sedebit in ea. » Multæ sunt portæ quas in descriptione templi Ezechielis Scriptura commemorat tam intus quam foris. Altaris quoque figuram et consecrationem et sacrificia sermo præteritus præcurrit. Quo finito, venit ad portam sanctuarii exteriorem quæ respiciebat ad orientem et erat clausa. Statimque vir ille qui erat ductor prophetæ, et ei omnia demonstrabat, locutus est ad eum : « Porta hæc quam respicis clausam, semper clausa erit et non aperietur. » Et reddit causas cur clausa sit semper. « Quoniam Dominus Deus Israel ingressus est, » vel ingredietur « per eam. » Erit clausa juxta Hebraicum principi, quem ducem Septuaginta transtulerunt. « Qui princeps et dux, id est, Nasi sedebit in ea, ut comedat coram Domino panem. Et per viam vestibuli portæ ingredietur, et per ipsam egredietur. » Quænam ista porta est quæ semper clausa est, et solus Dominus Deus Israel ingreditur per eam ? nempe illa de qua Salvator loquitur in Evangelio : « Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, et væ vobis doctoribus legis, qui tollitis clavem scientiæ, ipsi non ingredimini, et intrantes prohibetis (*Luc.* XI). » De hac sub nomine libri scribit et Isaias : « Erunt verba libri istius sicut verba signata. Quem cum dederis homini nescienti litteras, et dixeris ei, Lege, respondebit tibi, Nescio litteras. Et dabunt illum homini scienti litteras dicentes, Lege. Et dicet : Non possum legere quia signatus est (*Isa.* XXIX). » Iste autem liber est cujus nemo potest solvere et aperire signacula, neque in cœlo, neque in terra, neque sub terra : nisi ille de quo in Apocalypsi Joannis dicitur : « Ecce vicit leo de tribu Juda, radix et genus David, ut aperiat librum et solvat signacula ejus (*Apoc.* V). » Prius enim quam Salvator humanum corpus assumeret et humiliaret se formam servi accipiens (*Philip.* II), clausa erat lex et prophetæ et omnis scientia Scripturarum, clausus erat paradisus. Postquam autem ille pependit in cruce, et locutus est ad latronem : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII), » statim velum templi scissum est, et aperta sunt omnia; ablatoque velamine dicimus : « Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam (*II Cor.* III). » Sin autem revelata sunt omnia,

A in Christo enim juxta sermonem Pauli omnia revelantur : quomodo porta clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam ? Ex quibus discimus, quamvis ad summam scientiam venerimus comparatione divinæ scientiæ, nunc ex parte nos scire, et ex parte cognoscere : quando autem venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur. Unde et in alio loco ipse Apostolus imperfectum se esse loquitur, rursumque perfectum (*I Cor.* XIII). Quod si interpretatione caret, videtur esse contrarium ; dicit enim ; « Non quia jam accepi, aut quia jam perfectus sum, fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, posteriora obliviscens et ad priora me extendens, statutum persequor ad bravium supernæ vocationis Dei (*Philip.* B III). » Cumque putaremus eum secundum professionem suam non esse perfectum, et magis quærere quam invenisse quod verum, non solum se, sed et alios dicit esse perfectos : « Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus (*Ibid.*). » Est autem sensus hujus loci, ad comparationem hominum cæterorum qui curam non habent notitiæ Scripturarum, nec mysteriorum Dei, perfectum esse me fateor. Quantum autem ad scientiam divinæ majestatis, nunc in ænigmate video, et per nubilum et caliginem, et dico cum Propheta : « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII). » Hæc igitur porta quæ omnibus clausa est, vir enim non transibit per eam, erit clausa principi sive duci, et illius adventui reserabitur qui « sedebit in ea ut C comedat panem coram Domino. » De quo ipse in Evangelio profitetur dicens : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit, et compleam opus ejus (*Joan.* IV). » Ipse est princeps et pontifex secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX), et hostia et sacerdos, qui in conspectu patris nobiscum cœlestem comedit panem, et vinum bibit, de quo loquitur in Evangelio : « Non bibam de genimine vitis hujus, nisi cum bibero illud novum in regno Patris mei (*Matth.* XXVI) : » in illo videlicet regno, de quo scribit Apostolus : « Regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII). » Clausaque erit porta : nemo enim potest passionis Domini corporisque ejus, et sanguinis pro majestate rei sacramenta cognoscere. Tantæque bonitatis est et clementiæ princeps noster, ut cum solus D sedeat in porta quæ clausa est, et panem coram Domino comedat, velit mensæ suæ atque convivii plures habere consortes, et dicat : « Ecce ego sto et pulso : si quis aperuerit, ingrediar ad eum, et cœnabo cum illo et ipse mecum (*Apoc.* III). » Solus autem panem comedit coram Domino, quia substantia ejus divinaque natura cunctis creaturarum substantiis separata est. Ipse per eamdem vestibuli portam ingreditur et egreditur, quia et intus et foris, hoc est infusus et circumfusus omnibus, ingrediensque per portam, ut secum introducat eos qui absque doctrina ejus et auxilio intrare non possunt : et egrediens ut rursum alios introducat, et loquatur eis qui difficiliora non capiunt. Quod autem porta orien

talis extra terminos mundi semper clausa sit, et humano nequaquam pateat aspectui, Joannis Evangelium probat, dicentis : « Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarravit (*Joan.* I). » Quasi aliis verbis dixerit : « Eritque clausa principi ; princeps solus sedebit in ea ut comedat panem » perfectæ et consummatæ scientiæ : « Nemo enim novit Filium nisi Pater, et nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* XI). » Pulchre quidam portam clausam per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, et dux cui porta clausa est Mariam virginem intelligunt, quæ A et ante partum, et post partum virgo permansit. Etenim tempore quo angelus loquebatur : « Spiritus sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te ; quod autem nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Et quando natus est, virgo permansit æterna, ad confundendos eos qui arbitrantur eam post nativitatem Salvatoris habuisse de Joseph filios, ex occasione fratrum ejus qui vocantur in Evangelio. Super qua quæstiuncula Romæ adversum Helvidium, illius temporis hæreticum, in adolescentia non grandem librum scripsisse me novi, ait Hieronymus.

LIBER DECIMUS OCTAVUS.

SEQUITUR CAPUT XLIV.

Post descriptionem domus sanctæ et ornatus ejus atque ostensionis gloriæ Domini quæ ingrediebatur templum per viam orientalem, ipsiusque præcepta ad prophetam, nunc instruit eum de universis cæremoniis domus Domini, et de cunctis legibus ejus, cujus mysterium in præsenti libro, hoc est octavo decimo hujus operis, explanandum est

« Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus : et vidi, et ecce impleverat gloria « Domini domum Domini, et cecidi in faciem meam. « Et dixit ad me Dominus : Fili hominis, pone cor « tuum, et vide oculis tuis, et auribus tuis audi omnia « quæ ego loquor ad te de universis cæremoniis do- « mus Domini, et de cunctis legibus ejus. Et pones « cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctua- « rii. » (*Hieron.*) Vir qui ductor prophetæ est, et quo cuncta in templo monstrante cognoscit, postquam clausam ei ostenderat portam, nunquamque reserandam, et tamen apertam ei qui clausis ingressus est ostiis, ducit prophetam ad viam portæ aquilonis, quæ tamen et ipsa esset in conspectu domus, haud dubium quin templum significet. Cumque propheta e regione vidisset plenam domum Domini gloria Domini, eamdem videlicet quam in aquilonis plaga positus contra cernebat, statim cecidit in faciem suam, majestatem gloriæ Domini ferre non sustinens. Unde quia fuerat humilitate dejectus, dicit ad eum, nequaquam vir sed Dominus : « Fili hominis, pone cor tuum, » etc. In consummatione tabernaculi et ædificii templi, quod a Salomone constructum est, apparuit gloria Domini, quæ postea evangelicæ gloriæ comparatione destructa est, dicente Apostolo : « Etenim non est glorificatum quod glorificatum est in hac parte propter excellentem gloriam. Si enim quod destruitur per gloriam, multo magis quod manet in gloria (*II Cor.* III). » Cavendumque ne destructionem prioris gloriæ abolitionem putemus : sed sentiendum quod postquam venerit quod perfectum est, id quod ex parte fuerat destruetur. Velut si solis radiis lampadem compares, aut lampadis lumen lucernulæ. Quamobrem et de Joanne Baptista dicitur : B « Ille erat lucerna lucens in domo (*Joan.* V). » Postquam autem venit sol justitiæ, lucernæ lumen absconditum est, dicente ipso propheta atque Baptista : « Illum oportet crescere, me autem minui (*Joan.* III). » Cecidit autem in faciem suam propheta, ne dum plus cernere cupit, quam potest humana fragilitas intueri, etiam ipsum oculorum lumen amitteret. Unde familiarius eum vocat Dominus *filium hominis*, præcipitque ut ponat cor suum et videat oculis, et auribus audiat. Primum enim ad intelligendum quod dicitur aperiendus est animus. Secundo cordis intelligendi oculis, de quibus dicitur ad Abraham : « Leva oculos tuos, et vide stellas cœli (*Gen.* XV). » Tertio his auribus audiendum, de quibus Salvator ait : « Qui habet aures audiendi audiat (*Luc.* C VIII). » Ut possit cunctas templi cæremonias et legitima ejus intelligere, et ad extremum ponere cor suum in viis templi, quia diversi ad Deum introitus sunt : sive per vias templi cæremoniarum ordinem significat ; et exitus sanctuarii. Proœmium igitur est et præparatio prophetæ ad intelligenda quæ postea super templi ordine cogniturus est. Et hoc notandum quod in mundi hujus plaga qui in maligno positus est, et in aquilonis frigore constitutus, cœlestis nobis cæremoniarum ordo monstratur.

« Et dices ad exasperantem me domum Israel : « Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiant vobis omnia « scelera vestra, domus Israel, eo quod inducitis filios « alienos sive alienigenas incircumcisos corde et incir- « cumcisos carne, ut sint in sanctuario meo et pol- D « luant domum meam, et offertis panes meos adipem « et sanguinem, et dissolvistis pactum meum in om- « nibus sceleribus vestris, et non servastis præcepta « sanctuarii mei, et posuistis custodes observatio- « num mearum in sanctuario meo vobismetipsis. » Quando dicit sufficiant vobis omnia scelera vestra, sive iniquitates vestræ, ad priorum peccatorum hortatur pœnitentiam, ne augeamus peccata peccatis, et materiam futuro paremus incendio. Sed audiamus illud quod Isaias loquitur : « Væ his qui attrahunt peccata sicut funiculo longo, et sicut jugo corrigiæ vituli iniquitatis (*Isa.* V). » Primumque peccatum

est, quod inducunt filios alienos sive alienigenas incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario Dei, et polluant domum Domini. « Modicum enim fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* v). » Et in quibusdam exemplaribus fertur Proverbiorum, « Ne introducas impium in tabernaculis justorum. » Urgent nos in hoc loco Judæi et Ebionitæ qui circumcisionem carnis accipiunt, quomodo possumus præsentem locum exponere, incircumcisos corde et incircumcisos carne : quo videlicet post spiritalem intelligentiam etiam carnis circumcisionem suscipere debeamus. Sed qui legimus Paulum dicentem : « Contestor autem omnem hominem qui circumciditur, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* v). » Et illud Jeremiæ : « Ecce incircumcisæ aures vestræ, et noluistis audire (*Jer.* vi). » Et in Exodo locutus est Moyses (*Exod.* iii) in conspectu Domini, dicens: Ecce filii Israel non audierunt te, et quomodo audiet me Pharao? Ego autem sum tardi sermonis, pro quo melius habetur in Hebræo : « Ego autem incircumcisus labiis. » Interrogemus eos, imo cogamus circumcidere aures et labia desecare, ut Scripturam implere videantur. Sin autem cœperunt circumcisionem aurium interpretari, quando nihil turpe et inhonestum audire nos patimur, et circumcisionem labiorum quando nihil indecens loquimur, dicamus eis eamdem expositionem etiam in corde et in carne servare debetis. Cor circumcidimus cultello Dei, et aufertur de corde nostro præputium, quando turpes cogitationes nequaquam exeunt de corde nostro, nec de nobis dicitur : « Impinguatum est cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt (*Act.* xxviii, *Isa.* vi). » Ergo et caro similiter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera quæ pro necessitate corporis facere compellimur, cibum capere, et potum et somnum, et uti vestibus : quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias et ad luxuriam et ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ et corporis istius sustentaculum cuncta faciamus. Qui bibit vinum modicum propter stomachum et frequentes infirmitates (*I Tim.* v), et odit ebrietatem, circumcidit carnem suam. Qui dormit quantum natura patitur, audiet a Salomone : « Si sederis, absque timore eris; si dormieris, suaviter dormies, et non timebis pavorem supervenientem tibi neque impetus impiorum supervenientes (*Prov.* iii). » Et qui fugit fornicationem, et uxori debitum reddit, revertens ad idipsum, ne tentet eum Satanas, audiet cum populo Israel, « in hac die abstuli opprobrium Ægypti a vobis. » Vestibus quoque utetur quæ frigus repellant, non quæ tenuitate sui corpora nuda demonstrent. Attenuata jejuniis caro et circumcisa continentia fugit opprobrium Ægyptiorum qui sunt magnis carnibus, et illud potest dicere, quod in plerisque juxta editionem Septuaginta legitur : « Quomodo contabuit caro mea in terra deserta et invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi (*Psal.* lxii). Si quando ergo alienigenas introducere voluerimus in templo Dei, circumcidamus aures eorum, et labia, et cor, et omnem carnem, oculosque, gustum et odoratum, ut omnia cum Dei timore et ratione faciamus. Audiant hoc episcopi atque presbyteri, et omnis ordo ecclesiasticus ut non inducant filios alienos incircumcisos corde, et incircumcisos carne, ne sint in sanctuario Dei, et polluant domum ejus. Si enim hoc fecerint, aptabitur illis quod sequitur : « Et offertis panes meos, » panes videlicet propositionis in cunctis ecclesiis et in orbe terrarum, de uno pane pullulantes. Et non solum panes, sed adipem quoque, de quo scriptum est : « Et adipe frumenti saturavit eos (*Psal.* xiv), » et sanguinem qui in Christi passione effusus est. Legendumque ita et sic lectionis ordo reddendus. Cum filios alienigenas, et incircumcisos corde et corpore inducatis in sanctuarium meum, et polluatis domum meam, audetis offerre panem et adipem et sanguinem, mystica sacramenta, et non intelligitis quod solveritis et prætergressi sitis pactum meum in omnibus sceleribus et impietatibus vestris, et non servaveritis præcepta sanctuarii mei, neque posueritis custodes cæremoniarum mearum in sanctuario meo. Omnis autem adversus eos est comminatio, qui non audierunt Apostolum præmonentem : « Manus cito nemini imposueris, neque communices peccatis alienis (*I Tim.* v). » Vel certe sic intelligendum, « Dissolvistis pactum meum in omnibus sceleribus vestris, et non servastis præcepta sanctuarii mei; » et audetis indignos alienosque custodes ponere in observatione sanctuarii mei vobismetipsis, ut subaudiatur non mihi. Et est sensus : Qui vobis in carnalibus serviant ac ministrent, et ob vestra refrigeria meum polluant sanctuarium.

« Hæc dicit Dominus Deus : Omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel. Sed et Levitæ qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et erraverunt a me post idola sua, portabunt iniquitatem suam qui erant in sanctuario meo æditui et janitores portarum domus et ministri domus. Ipsique mactabant holocausta et victimas populi, et ipsi stabant ante eos ut ministrarent pro illis. Pro eo ergo quod ministraverunt pro eis in conspectu idolorum suorum, facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis, idcirco levavi manum meam super eos, dicit Dominus Deus, et portaverunt iniquitatem suam. Et non appropinquabunt ad me ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta sancta sanctorum, sed portabunt confusionem suam et scelera sua quæ fecerunt. Et dabo eos janitores domus in omni ministerio ejus, et universis quæ fiunt in ea. Sacerdotes autem Levitæ filii Sadoc qui custodierunt cæremonias sanctuarii mei, cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi, et stabunt in conspectu meo ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus. Ipsi ingredientur in sanctuarium meum, et ipsi accedent ad

« mensam meam ut ministrent mihi, et custodiant « cæremonias meas. » Hebraicum autem hunc habet sensum : « Omnis alienigena incircumcisus corde et carne, non ingredietur sanctuarium meum, » licet cum populo Israel esse videatur. Levitæ autem hoc est sacerdotalis gradus qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et secuti sunt idola, portabunt iniquitatem suam, eo quod fuerint in sanctuario meo ministrantes, in officio portarum domus et ministri ejus. Ipsi enim offerebant holocaustum et victimas populi, et ipsi stabant in conspectu eorum ut ministrarent pro eis. Quia ergo ministraverunt pro illis in conspectu idolorum suorum, et fuerunt domui Israel offendiculum iniquitatis, propterea levavi manum meam super eos, dicit Dominus Deus, et portaverunt iniquitatem suam, et non appropinquabunt ad me, ut sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne sanctuarium meum juxta sancta sanctorum, sed portabunt confusionem suam, et scelera sua quæ fecerunt. Pro sacerdotali enim officio qui holocaustum et victimas omneque sacrificium offerre consuerant, redigentur in ultimum gradum. Et erunt janitores domus in ignominiam sempiternam, ut ab universo populo videantur intrante et exeunte, de qua sublimi dignitate, ad quam ultimum gradum pervenerint. « Sacerdotes autem, » inquit, id est Levitæ « qui sunt filii Sadoc, » hoc est justorum sive justi Dei, et *qui* in tempore erroris universi Israel « custodierunt cæremonias sanctuarii mei, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi, et stent in conspectu meo, » et offerant mihi adipem, hoc est pinguissimam hostiam, et sanguinem, vivam scilicet et placentem hostiam Deo ; « et ipsi ingredientur sanctuarium meum, et accedent ad mensam meam, » ut accendant thymiama mihi, et omnem ritum sacrificii custodiant. Sin autem hoc ita est, ut qui in tempore erroris et persecutionis idola sunt secuti, quæ de suo corde confinxerant, et non solum voce, sed et subscriptione manus asseruerunt Dei filium creaturam, et servierunt creaturæ magis quam creatori qui est benedictus in sæcula, quomodo sacerdotale sibi, et pontificale adsumunt fastigium, et audent offerre victimas Deo cultores quondam idolorum ? Sed ut ardentissimus poeta testatur :

Quidquid a multis peccatur inultum est.

Multitudo peccantium impetrabiliorem fecit impiis veniam, ut qui redacti in laicos pristina sacrilegii sui debuerant scelera deplorare, nunc resupini in pontificali solio sedeant, et ructent nobis simulatæ fidei nauseas, imo apertæ perfidiæ aperta compendia. Audiant igitur saltem sero, et observent præcepta omnipotentis Dei. Omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum. Licet ille sit filius, licet cognatione sociatus, licet antiqua nobis hæreat necessitudine, si incircumcisus corde vel carne est, non introducatur in sanctuarium Dei, ne ministros Christi, nostros faciamus ministros, et pro carnalibus

A refrigeriis altaria Domini polluamus. Pro eo quod nos posuimus : « Et dabo eos janitores domus in ministerio ejus, et in universis quæ fiunt in ea, » eos videlicet Levitarum qui longe recesserunt a Deo in errore filiorum Israel, et secuti sunt idola quibus victimas immolarunt. Symmachus ordinem lectionis sensumque considerans, rectius interpretatus est, dicens : Posueram enim eos custodes januarum domus universi ministerii ejus, et cunctorum quæ fiunt in ea, ut non ad eos pertineat qui sunt in templo, sed ad eos qui fuerunt.

« Cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus sive stolis lineis induentur, nec ascendet « super eos quicquam laneum quando ministrant in « portis atrii interioris et intrinsecus. Vittæ lineæ
B « erunt in capitibus eorum, sive cidares lineas habebunt super capita sua, et feminalia linea erunt « in lumbis eorum, et non accingentur in sudore. « Cumque egredientur atrium exterius ad populum, « exuent se vestimentis suis in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylaciis sanctuarii, et « vestient se vestimentis aliis, et non sanctificabunt « populum in vestimentis suis. Caput autem suum « non radent neque comam nutrient, sed tondentes « attondebunt capita sua. Et vinum non bibet omnis « sacerdos, quando ingressurus fuerit in atrium interius. » (*Hieron.*) Primum historiæ verba pandenda sunt. Inter cætera quæ sacerdotibus præcipit sermo Dominicus, hoc quoque observandum jubet, ut in ipsis portis interioris atrii, vestibus, id est stolis li-
C neis induantur, nec utantur laneis indumentis tam in portis atrii interioris, quam intrinsecus, hoc est in adytis sanctisque sanctorum : vittæque sive cidares lineæ sint in capitibus eorum, et fœminalia linea in lumbis. Quodque sequitur juxta Septuaginta, « et non accingentur violenter, » pro quo Aquila et Symmachus transtulerunt *in sudore*, Theodotio ipsum verbum Hebraicum exprimens posuit *in Jeze*, Aquilæ secunda editio *Buza*. Per quod significat non eos violenter arcte atque constricte instar vinctorum esse cingendos, ne in ministeriis sacerdotalibus atque Leviticis inhabiles fiant, et tenere et cædere victimas, attrahere quoque nequeant atque discurrere. Et quia semel præceperat quibus vestibus uti deberent sacerdotes, quando intrinsecus in ministeriis
D sunt, rursum jubet, ut egredientes in gazophylaciis, sive in exedris sanctorum, exuant se pristinis vestibus, et induantur aliis, ne si sanctas vestes habuerint sanctificent populum foris positum, qui necdum fuerit sanctificatus, nec se præparaverit in sanctificationem templi, ut sit Domini Nazaræus. Per quæ discimus non quotidianis et quibuslibet pro usu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum, sed munda conscientia, et mundis vestibus tenere Domini sacramenta. Vestibus lineis utuntur Ægypti sacerdotes non solum intrinsecus, sed extrinsecus. Porro divina religio alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi ; feminalia recte assumuntur, ut

honestas decorque servetur, ne scilicet ascendentes altaris gradus, et in ministerio discurrentes, revelent turpitudinem. Quæ universa quid juxta sensum indicent spiritalem, sequentia verba monstrabunt. Esse indumenta sancta et spiritalia docet Apostolus dicens: « Induimini Domino Jesu Christo (*Rom.* XIII). » Et in alio loco: « Induite vos viscera misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, et patientiæ (*Coloss.* III). » Et iterum: « Exspoliati vetere homine cum operibus ejus, et induti novo qui renovatur in scientia juxta imaginem Creatoris (*Ibid.*). » Quod et illud significare puto: « Oportet enim corruptivum hoc indui incorruptionem, et mortale hoc indui immortalitatem: cum autem corruptivum hoc indutum fuerit incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, » etc. (*I Cor.* XV.) (MAURUS.) De sacerdotalibus vero vestibus in Exodo plenius scriptum est. Jubentur ergo sacerdotes indui vestibus lineis sive byssinis, quando ministrent Domino in portis atrii interioris, et intrinsecus, hoc est, castitatem habere corporis ac mentis: nec aliquid laneum, hoc est molle ac segne, in conversatione sua ostendere. Byssus ergo quæ de terra quidem oritur, sed eruta de terra longo exercitio siccandi, tundendi, purgandi, coquendi, et nendi, gramineum solet perdere, et candidum in sese recipere colorem, corpora designat castitatis nitida decore, quæ cum carnis quidem illecebris nascentia, magno continentiæ labore quasi nativum exsudant humorem, atque ad decorem Deo dignæ puritatis solerti jejuniorum et vigiliarum, orationum et lectionis, patientiæ et humilitatis instantia, perveniunt. Recte de his potest illud apostolicum dici: « An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est? » (*II Cor.* VI.) Tunicas namque habent sacerdotes lineas, cum totum corpus suum candore castitatis dedicant. Balteis tunicas cingunt, cum eamdem castimoniam vigilanti mentis custodia circumspiciunt, ne conscientia illius desidiosiores erga bonorum operum exercitia remaneant; ne per jactantiam castimoniæ ipsius, etiam castimoniæ meritum minuant. Vitta ergo linea sive thiara, quæ et cidaris sive mitra vocabatur, tegebant capita eorum; ut sensus corporis sui qui maxime in capite vigent, hoc est, visum, auditum, gustum, olfactum et tactum, in venustate castimoniæ custodirent; seque pro eadem custodia coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se accipere sperarent. Jubentur feminalia linea habere in lumbis suis, hoc est, continentiam servare. Feminalia hæc quæ ad operiendam carnem turpitudinis fieri mandantur, illam castimoniæ portionem quæ ab appetitu copulæ conjugalis cohibet, proprie designat; sine qua nemo vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris potest ministerium consecrari, id est, si non aut virgo permanserit, aut uxoreæ conjunctionis fœdera non solverit. Quod videlicet genus virtutis nulli per legem Dei necessario imperatum, sed voluntaria est devotione Domino offerendum, dicente ipso de hoc: « Non omnes capiunt verbum istud (*Matth.* XIX). » Ad quam tamen benigna mox exhortatione eos qui possint invitat, dicens: « Qui potest capere capiat. » Et paulo post eisdem qui vel uxorem vel alios cognatos, et implicamenta mundi hujus propter ipsum reliquerint, centuplum promittit in hac vita præmium, et in sæculo futuro vitam æternam. Unde certa gratia distinctionis non Moyses hoc indumento vestire Aaron et filios ejus jubetur, sicut de prioribus dicitur: « Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, et filios ejus cum eo, sed facies, inquit, feminalia linea, ut operiant carnem (*Exod.* XXVIII). » Ipsi, inquit, operiant carnem turpitudinis suæ, tu feminalia pontifici et filiis ejus facies, tu castitatis regulam docebis; tu abstinendum ab uxoreo complexu eis qui sacerdotio functuri sunt, intimabis. Nulli tamen violentum hujusmodi continentiæ jugum impones; sed quicunque sacerdotes fieri ac ministerio servire altaris volunt, ipsi sua sponte uxorum servi esse desistant. Quod ubi perfecerint, et suscepto semel continentiæ proposito, ministros se sanctuarii atque altaris fore consentiunt: aderit lex divina quæ velut cæterum illis habitum sacerdotibus congruum imponens, quomodo vivere vel docere debeant, abundanter instituat.

(*Hieron.*) Hæc vestimenta proprio nobis labore conficimus quæ texta sunt desuper, qualem et Dominus habebat tunicam, quæ scindi non potest, quibus induimus, quando secreta Domini et arcana cognoscimus. Et habemus spiritum qui scrutatur etiam alta et profunda Dei, quæ non sunt monstranda vulgo, nec proferenda ad populum qui non est sanctificatus, nec Domini sanctitudini præparatus: ne si majora se audierint, majestatem scientiæ ferre non possint, et quasi solido suffocentur cibo, qui adhuc lacte infantiæ nutriendi sunt. Esse autem e contrario pessima vestimenta docet Scriptura divina, ut est illud quod in Psalmis de Juda proditore cantatur: « Indutus est maledictione sicut vestimento (*Psal.* CVIII). » Et post paululum: « Fiat ei sicut vestimentum quo circumdatur, et sicut zona qua semper accingitur. » Unde et Dominus qui pro nobis doluit, et nostra peccata portavit, in Zacharia sordida habere dicitur vestimenta (*Zach.* III), de quibus scriptum est: « Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, » quæ postea deponit, Scriptura dicente: « Auferte ab eo vestimenta sordida, et induite eum podere, » etc. Quod autem sequitur, « vittæ sive cidares lineæ erunt in capitibus eorum, » puto coronam ostendere gratiarum, de qua scriptum est: « Coronam enim gratiarum suscipiet tuus vertex (*Prov.* IV). » Nec illud nobis de operto et nudo capite faciat quæstionem, quod Apostolus loquitur: « Mulier debet velamen habere super caput propter angelos (*I Cor.* XI). » Si enim non velatur mulier, attondeatur; sin autem turpe est mulieri tonderi aut radi, operiatur. Vir enim non debet operire caput cum sit imago et gloria Dei: mulier autem gloria viri est. Si enim virorum est non operire caput, videtur esse contrarium, quo

modo nunc sacerdotes capita vittis vel cidare operire jubeantur. Sed si legamus diligentius ex prioribus solventur præsentia. Supra enim dicitur, « quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus. » Si enim ingrediamur ad sancta, et stemus in conspectu Domini, capita nostra operire debemus, quia non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens, et, ab infantia cor hominis appositum est ad malitiam. Denique et feminalibus intrinsecus utimur, ne ulla in conspectu Dei pollutæ conscientiæ, et operis nuptialis appareat turpitudo. Quibus feminalibus accingi vult et Salvator apostolos, dicens : « Sint lumbi vestri accincti et lucernæ ardentes in manibus (*Luc.* XII). » Et Apostolus credentibus loquitur : « State ergo accincti lumbos vestros in veritate (*Ephes.* VI). » Et imitatores Christi audiunt illud quod de eo scriptum est : « Erit justitia accinctus lumbos, et veritate circumdatus latera (*Isa.* XI). » Et hac ipsa zona qui cinctus, et ad virtutum culmen ascenderit, nequaquam violenter astringitur, ne invitus bonum continentiæ observare videatur, et in sudore vultus sui comedere panem, sed præceptum Domini facere voluntate. Denique quando foras egreditur, et miscet se populo, sacerdotalia vestimenta deponit in gazophylacio, in quo Domini divitiæ conservantur. Et aliis utuntur vestibus sacerdotes, aliaque doctrina ad vulgus ignobile, ne sanctificetur populus in stolis eorum. Grave est multitudini onus ultra vires suscipere, dicente Salomone : « Laqueus est viri cito quid de suis sanctificare. »

Quod autem sequitur de sacerdotibus : « Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua, » perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicuti sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapidis nos esse debere, nec rursum comam dimittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque et militantium. Sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur. Pro quo dixere Septuaginta : « Capita sua non radent, et comas suas ad pressum non tondebunt, sed operientes operient capita sua. » Juxta quod discimus nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur : sed in tantum capillos dimittendos, ut operta sit cutis. Vel certe semper sacerdotes operire capita sua juxta illud Virgilianum ;

Purpureo velare comas, adopertus amictu.

Sed hæc violenta interpretatio est. Denique et Nazaræi sponte se offerunt, et quicunque aliquid voverit, et non impleverit, voti reus est. Unde de viduis dicitur ; « Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt (*I Tim.* V). » Melius est enim non promittere, quam promittere et non facere. Anna obtulit Samuelem (*I Reg.* I) qui in æterna sanctitate permansit; et Manue obtulit Samson filium (*Jud.* XIII), sed sanctificationem capillorum ejus Dalilæ libido turpavit; denique Dominus recessit ab eo, et cæcitate damnatus est ; nisi quod postea crescentibus capillis pristinum robur accepit : et in typo Christi multo plures alienigenarum mortuus quam vivus occidit. Vult autem Dominus sacerdotes suos capillos sanctificationis habere perpetuos, et operiri capita eorum, non aliquo extrinsecus velamento, sed sua, naturalique cæsarie, non ad ornatum atque luxuriam, sed ad honestatem. Unde et capilli capitis apostolorum numerati sunt, dicente Salvatore : « Vestri autem et capilli capitis numerati sunt (*Matth.* X), » illius capitis de quo in Ecclesiaste scriptum est : « Sapientis oculi in capite ejus (*Eccle.* II) ; » « caput autem viri Christus est (*I Cor.* XI), quod peccator conculcat et despicit, et, ut ita loquar, radit novacula, et aufert ejus pulchritudinem : quod et filii Ammon fecerunt his quos David legatos miserat (*II Reg.* X). Sin autem legis prævaricatio inhonorat Deum, consequenter qui legis præcepta conservat, honorat eum, ut impleatur quod scriptum est : Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. « Sacerdotes, inquit, caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondant capita sua. » (*Greg.*) Sacerdotes namque jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum præbeant fidelibus præsunt. Capilli vero in capite exteriores sunt cogitationes in mente : qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt, quæ ex sensu negligenti, quia inopportune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; sacerdotes recte et caput prohibentur radere et comam nutrire : ut cogitationes carnis debita cura subditorum, nec a se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent, ubi et bene dicitur : « Tondentes tondant capita sua, » ut videlicet curæ temporalis sollicitudines, et quantum necesse est prodeant, et tamen resecentur citius ne immoderatius excrescant. Dum igitur et per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, et rursum per immoderatam cordis intentionem non impenditur, capilli in capite sacerdotis, et servantur ut cutem cooperiant, et resecantur ne oculos claudant. (*Hieron.*) Porro quod sequitur : « Ut omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius, vinum non bibat ; » perspicuum est ebrietate et sicera statum mentis everti, et non plene nos sapere, quando vino et satietate animus occupatur. Ebrietas autem non solum in potione vini, sed in omnibus rebus ostenditur, quibus et in contractibus et in negotiis sæculi, et damnis ac lucris, amore et odio mens inebriatur et fluctuat, et statum suum tenere non potest. Et quia fragili carne circumdamur, et cogimur pro victu atque vestitu, et necessariis quæ ad corpus pertinent, aliqua facere quæ facere non debemus, saltem hoc a nobis exigitur, ut quando in nos revertimur, et scimus cur nati sumus, et interiora atque adyta templi ingredimur, recedamus a vitiis sæculi, et se

minima quidem peccata faciamus. Per quæ ostenditur, et peccare non pro necessitatibus carnis peccata levia, et rursum esse tempus, quando atrium ingredientes interius, ab omni ebrietate mundi atque alieni esse debemus. Vinum autem non solum in ministerio sacerdotes non bibant atque Levitæ, sed ne ingressuri quidem sancta sanctorum ne opprimatur mens, et sensus crassior fiat. Unde et Apostolus: « Bonum est, inquit, vinum non bibere (*Rom.* XIV). » Et in alio loco: « Et vinum, in quo est luxuria (*Ephes.* V). » Manducavit enim populus et bibit, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII). Quodque concedit Timotheo (*I Tim.* V), ut vinum paululum bibat, perspicue demonstrat cur hoc concesserit: « Propter stomachum, inquit, et frequentes infirmitates. » (*Isid.*) Hanc usque nunc legem in ecclesiis invenis **B** custodiri. Neque enim omnimodo a vino abstinere præcepit, sed quando ad tabernaculum testimonii aut ad altare ascendimus, id est, quando quodcunque ministerium doctrinæ cœlestis contingimus, ministerii enim altare figura est: tabernaculum enim testimonii cœlestium rerum contrectationes. Unde et Timotheo Paulus scribebat: « Vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. » Qui autem modico utitur, hic tempore ministerii videlicet et doctrinæ, ab omni vinolentia et ebrietate se abstinet. Similiter autem et sacerdotes hi qui student, legem custodient. Propter quod non solum Aaron, sed et filiis ejus sublimiora videlicet adeptis, mandatum hoc tradit. Similia autem **C** his et Paulus ad Ephesios scripsit: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed magis implemini spiritu (*Ephes.* V). » Hebetem quippe ebrietas mentem reddit, et sobrietatem ejus in deterius vertit, ut non intelligantur quæ aguntur. Quæ testificatur Isaias sic dicens: « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara et lyra, et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis (*Isa.* V). » Qui autem opera Domini non vident, quomodo dividere inter sancta et profana aut munda et immunda, vel quomodo exhortari et illuminare populum de Scripturis possunt? Unde hoc mandatum sublimius ostendere cupiens, ipsum hoc ait locutum fuisse Dominum; sed intende quemadmodum locutum esse **D** Dominum Moysi non per linguam sed per manum dicit, aut omnino dignitatem legis ostendere voluit, quia exposuit quidem eam Deus. Scripsit autem Moyses, excepit vero eam Deo quæ disposita sunt jubente.

« Viduam et repudiatam sive ejectam non accipient uxores, sed virginem de semine domus Israel. « Sed et viduam quæ fuerit vidua a sacerdote accipient, et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis. Et cum fuerit controversia, ut in Septuaginta additum est sanguinis, stabunt in judiciis meis, et judicabunt leges meas. Et præcepta **A** « mea in omnibus solemnitatibus meis custodient. »

(*Hieron.*) Omnis hic locus præcepta continet sacerdotum, qui post multa quæ supra exposuimus, jubentur viduam et repudiatam, sive ejectam non accipere uxores. Vidua et repudiata est Synagoga, id est congregatio Judæorum, quæ Dominum non recepit, unde et recte ejecta dicitur, sive vidua Synagoga. (*Isid.*) De qua in Lege scriptum est (*Levit.* XXI): « Scortum et vile prostibulum non ducet uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito, quia consecratus est Deo suo, et panes propositionis offert. Sit ergo sanctus, quia et ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos. » Si ergo datam a Deo nobis sanctificationem nos sacerdotes custodiamus, sanctificamus per nostram sanctificationem eum qui sanctus secundum naturam est et nobis duntaxat, quia in conformibus et participibus ejus gloriæ voluit sanctificari. Hac transformatione usus est, quasi figurata, et typice loquens. Verumtamen eos qui sanctificantur ab eo, scortum et vile prostibulum ducere non vult, aperte contra Judæorum synagogam intendens; quæ quia meretrix est, audi Dominum in Isaia dicentem: « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ (*Isa.* I). » Sed et in Osee: « Et auferam fornicationem ejus in medio ejus, et adulterium ejus de medio uberum ejus (*Ose.* II). » Insuper et David prædicat profanationem ejus. Ait enim Deo: « Profanasti in terra sanctitatem ejus, destruxisti omnem maceriam ejus (*Psal.* LXXXVIII). » Sanctificatio autem Judæorum synagoga eorum erat procul dubio. In ipsa enim erat et sacrificium tabernaculi, in qua eorum consummabantur legitima; ipsa est et repudiata a Deo tanquam a viro suo, qui et per electionem vir factus fuerat: sed quia postea eam culpabilem reperit, propterea repudiavit. Quia autem omnino ejecta est, vocem audi quam Osee protulit (*Ose.* II). Judicate matrem vestram judicate, quia ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Audi autem et quam Isaias propheta tradidit: « Sic dicit Dominus, quod est hoc libellum repudii matris vestræ quod misi ad eam? (*Isa.* L.) » Ubi autem est repudium et missio; manifestum quia uxor erat, de qua hæc dicebat. Non vult ergo eam uxorem sacerdotem ducere, ut non aliqua eorum quæ ad eam pertinent legitimorum prædicent, nec utatur eis quibus illa secundum litteram utebantur, id est, ut neque sacrificia irrationalium et purificationes sensibiles, in quibus intelligibilia credita sunt agant. (*Hieron.*) Item ejecta potest intelligi hæreticorum frequentia qui exierunt a nobis, quia non erant ex nobis. « Sed virginem, inquit, de semine domus Israel, quæ nutrita est in domo Dei, in Lege et prophetis (*Prov.* IV). » De qua et Apostolus loquitur: « Volo omnes vos virginem sanctam exhibere Christo (*II Cor.* XI). » Ista est virgo de qua et alibi dicit sermo divinus « Ama illam, et servabit te; circumda illam, et exaltabit te; honora eam, ut te amplexetur (*Prov.* IV). » Quæ sit autem virgo quæ amanda sit, et cum

custodiat amatorem, sciet qui illud legerit: « Hanc dilexi et quæsivi ab adolescentia mea, et quæsivi sponsam ducere mihi, et amator fui decoris ejus (*Sap.* VIII). » Et iterum: « Et omnium Dominus dilexit eam. » Non solum autem virginem, sed et viduam debet sacerdos ducere, quæ tamen alterius sacerdotis uxor fuerit: scientiam videlicet quam alius Dei cultor invenerit. Neque enim nova tantum contenti debemus esse doctrina, sed et veterem excolere, et nostro jungere comitatui, si tamen in sacro cultu fuerit erudita. Sacerdotis quoque officium est docere populum, quid sit inter sanctum et pollutum, inter mundum et immundum, ut prius referamus ad dogmata, secundum ad opera quæ per carnem efficiuntur. « Delicta enim quis intelligit? (*Psal.* XVIII.) » Et cum fuerit controversia de omni re, sive, ut Septuaginta transtulerunt, sanguinis, hoc est, quod ad mortale pertinet crimen, stabunt sacerdotes in judiciis meis, ut non judicent secundum honorem, nec accipiant personam pauperis sive divitis in judicio, sed stent in judiciis Dei, et recordentur illius psalmi: « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat (*Psal.* LXXXI), » deos appellans qui habent judicandi de hominibus potestatem, qui in quo judicio judicaverint, judicabitur de eis (*Matth.* VII). « Leges, inquit, meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient; » ut sciant quomodo nobis Christus pascha sit immolatus; quomodo septem hebdomadas implere debeamus gaudii atque lætitiæ, et humiliare animas nostras in jejunio, clangoremque tubarum intelligere, et scenopegias spiritales, in quibus dicimus: « Advena sum ego et peregrinus sicut omnes patres mei (*Gen.* XXVII; *Psal.* XXXVIII). » Hæ sunt veræ solemnitates quas consequentius quis Pentateuchum disserens interpretabitur. Prima virtus est sacerdotis, non tantum docere quæ noverit, sed omnes Dei festivitates custodire, ut possit aliis custodienda præcipere, quæ et ipse observaverit. Sacerdotum autem esse officium legis habere notitiam, et in Malachia discimus, qui ait: « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. »

« Et sabbata mea sanctificabunt. Et ad mortuum « hominem non ingredientur ne polluantur, nisi ad « patrem et matrem, filium et filiam, fratrem et so« rorem, quæ virum non habuit, in quibus conta« minabatur, Et postquam fuerit mundatus septem « dies numerabuntur ei. Et in die introitus sui in « sanctuarium, et ad atrium interius ut ministret « mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo Do« mino Deo, sive offeret placationem. Non erit au« tem eis hæreditas. Ego hæreditas eorum, et pos« sessiones non dabitis in Israel. Ego possessio eo« rum. » Adhuc sacerdotibus præcipitur, in quibus observandum quod non dixerit absolute: « Et sabbata sanctificabunt, » vel juxta Isaiam: « Neomenias et sabbata vestra odit anima mea (*Isa.* I), » sed cum distinctione, *sabbata mea*. Unde et in Evangelio scriptum est: « Sacerdotes in templo sabbatum violant, et absque culpa sunt, non sabbatum Dei, sed sabbatum litteræ, sabbatum Judæorum, quod recte violant, qui sunt genus electum, regale, sacerdotale. Porro sabbatum quod sanctificatum est, illud intelligamus quod et Apostolus docet relictum esse populo Dei, de quo dicitur: « Si intrabunt in requiem meam (*Psal.* XCIV), » quod Hebraice sabbatum nominatur. Sanctificat autem sabbatum Dei, qui non portat onus peccati in sabbato: nec dicit: « Sicut onus grave gravatæ sunt super me (*Psal.* XXXVII). » Qui talis est non colligit ligna in sabbato, nec superædificat fundamento Jesu Christi (*I Cor.* III), ligna, fenum, stipulam: nec accendit ignem qui inutilem consumat materiam, et die sabbati in uno permanet loco. Nec foras egreditur, sed quasi columna in templo Dei positus permanet, super quo Joannes scribit in Apocalypsi: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius (*Apoc.* III). » Quodque sequitur: « Et ad mortuum hominem non ingredientur ne polluantur, proprie sacerdotalis officii est, morticina non tangere, ut qui pro aliorum vitiis deprecatur, ipse ad altare mundus accedat. De quibus mortuis, et Salvator loquitur in Evangelio: « Dimitte mortuos, ut sepeliant mortuos suos (*Matth.* VIII). » Isti contaminantur in patre mortuo, quando relinquunt creatorem suum, et in matre mortua de Ecclesia recedentes. In filio quoque et filia, quod aliud ad cogitationes, aliud ad opera pertinet. Quod significantius Græce dicitur τὰ νοητὰ καὶ αἰσθητά. Fratrem quoque et sororem qui eodem renatus est spiritu, si putaverit mortuum, contaminatur in eo. Ita duntaxat si soror virgo permanserit, nec ullius viri maculata complexu. Ex quibus intelligimus privilegium virginale, quod cujuslibet viri contactus perfectam auferat puritatem. Quæ utrum recte perperamve dicta sint lectoris arbitrio relinquamus. Naturæ quoque super hoc probatur affectus, ut ordine charitatis juxta quod scriptum est: « Ordinate in me charitatem (*Cant.* II), » post rerum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur, et mater, filius et filia, frater et soror, ita duntaxat si de domo non exierit, nec in alterius transierit potestatem. Postquam autem sacerdos fuerit emundatus purificationis ordine quæ in lege Mosaica conscripta est, septem dies numerabuntur ei, vel perfectus numerus plenitudinis, vel post consummationem mundi, quando ad veram transimus ὀγδοάδα, ut introeat sancta sanctorum, hoc est enim interius atrium, et possit ministrare in sanctuario, et semper offerre pro peccato conscientiæ victimam, nec ullum tempus sit, quo non recordetur maculatum se fuisse super patre et matre, filio et filia, fratre et sorore. Multa quippe facere compellimur in sæculi hujus angustiis constituti, vel conditione carnis, vel fragilitate naturæ. Qui autem talis exstiterit ut ministret in sanctuario, et atrium ingrediatur interius, et offerat semper Deo sacrificium, ita ut verus sit sacerdos, imo imitator ejus de

quo scriptum est : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX), » iste nullam habebit hæreditatem, nisi Deum, qui est hæreditas ejus. Nec accipiet possessionem in Israel, hoc est inter vulgus ignobile, sed sacerdotalem, ut dicat de eo Dominus. « Ego sum hæreditas; » et : « Ego possessio eorum. » Quem cum invenerint, loquentur ac dicent : « Tenebo eum et non dimittam (*Cant.* III), » et psallent cum propheta : « Pars mea Dominus (*Psal.* LXXVII). » (*Adamant.*) Levitis vero neque Moyses dedit hæreditatem, neque Jesus. Quare, quid aliud sentiendum est, nisi quod sunt in Ecclesia Domini quidam qui virtute animi et meritorum gratia cæteros homines præcedunt : quibus ipse Dominus esse hæreditas dicitur. Etsi fas est audire in talibus, et arcani reconditi aliquid aperire, videamus ne forte illud sit quod sacerdotum vel Levitarum figuram latenter ostendit. Quia in omni populo, eorum dico qui salvantur, major sine dubio pars est, et longe numerosior eorum qui simpliciter credentes in timore Dei, per opera bona, per honestos mores, et actus probabiles Domino placent. Pauci vero sunt et valde rari qui sapientiæ operam dantes, et mentem suam puram mundamque servantes, atque in omnibus præclaris virtutibus suas animas excolentes, cæteris simplicioribus per doctrinæ gratiam illuminant iter quo gradiuntur, et veniunt ad salutem. Hi fortassis sub Levitarum et sacerdotum nomine designantur, quorum hæreditas ipse Dominus est, qui est sapientia, quam præ cæteris omnibus dixisse perhibentur. Invenio tamen aliquam differentiam in his quæ Moyses distribuit, et in his quæ Jesus.

Moyses namque duabus et semis tribubus terram distribuens ultra Jordanem (*Num.* XXXV), non dedit Levitis habitaculi portionem quæ eis contingebat. Jesus autem dedit non solum his tribubus quas ipse dispensat, verum et in illis quæ a Moyse trans Jordanem fuerant collocatæ. Habitacula etenim Levitis in singulis tribubus decernuntur, ut et per multo magnificentius mysterium nosceremus. Iste enim ordo Leviticus vel sacerdotalis qui Dei sapientiæ et scientiæ operam impendit, non potuit a Moyse sortem habitationis accipere, quia non erat Moyses veritatis, sed umbræ exemplaris minister. Jesus vero Dominus noster, qui erat sapientia Dei, ipse habitacula sapientibus præbet. Non enim potuit dicere Moyses : « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis; et veni, sequere me (*Matth.* XIX). » Hoc est enim partem dare Levitis. Nec potuit dicere Moyses : quia « qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse discipulus meus (*Luc.* XIV). » Non enim potuit dicere Moyses : « Omnis enim qui non oderit patrem vel matrem, et fratres et sorores, et filios, insuper etiam et animam suam, non potest esse meus discipulus (*Luc.* XIV). » Hoc Moyses facere non potuit, idcirco habitacula sacerdotum vel Levitarum dispensare non potuit. Beatus ergo est, qui se exhibet talem, et in istis omnibus quæ præcipit Jesus invenitur esse perfectus, ut ab Jesu sortem cœlestis mansionis accipiat in futuro, de quo ipse Dominus Jesus ait : « Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum; et sicut ego in te, et tu in me, unum sumus, et isti in nobis unum sint (*Joan.* XVII). » Quod si audiens perfectorum et eminentiorum hæreditatem Dominum dici, ignoras et ambies quid illud sit, quod sub hoc nomine designetur. Audi quia; Dominus sapientia est. Cui ergo dicitur hæreditas esse Dominus, iste hæreditatem sapientiæ capit, Dominus justitia dicitur. Cui ergo Dominus hæreditas est, iste hæreditatem justitiæ consequitur. Dominus pax est, Dominus redemptio est, Dominus salus est; « et in Domino sunt thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II). » Hæc omnia in hæreditatem percipiet cujus hæreditas Dominus fuerit. Verumtamen et isti quibus sapientia Dei verbum Dei et veritas, et justitia esse hæreditas dicitur : Habitationem interim cum illis accipiunt, quorum hæreditas habetur in terris, ut ex ipsorum consortio hi qui per semetipsos nondum valent participes effici sapientiæ et scientiæ Dei, et veritatis ejus ac verbi. Et ita etiam ad minimos quosque dispensatio divina pertendit. Et qui principaliter non possunt divinæ gratiæ capaces existere, illuminari ex sanctorum consortio mereantur, et compleatur illud quod Apostolus dicit ad Corinthios de sanctis Jerosolymitis : « Ut vestra quidem abundantia fiat ad illorum inopiam; ut illorum abundantia fiat ad vestram inopiam (*II Cor.* VIII). » Ita ergo et nunc cohabitare jubentur levitæ et sacerdotes qui non habent terram, ut percipiat ab Israelita sacerdos et Levita terrena quæ non habet : et rursum Israelita percipiat a sacerdote et Levita cœlestia, et divina quæ non habet. Lex enim Dei sacerdotibus commissa est, et levitis; ut huic soli operam tribuant, et verbo Dei absque ulla sollicitudine vacent. Sed iterum ut vacare possint, laicorum uti ministeriis debent. Si enim laicus ea quæ necessaria sunt non præbuerit sacerdotibus et Levitis; occupati illi in talibus, id est, in corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitabis. Obscurabitur enim lux scientiæ quæ in illis est, te non ministrante oleum lucernæ, et culpa tua illud eveniet, quod dixit Dominus : Quia cæcus cæco ducatum præbens, ambo in foveam cadent. Sed et illud complebitur quod Dominus dicit : Si enim lux quæ est in te tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ sunt! Ut ergo lux scientiæ in sacerdotibus fulgeat, lucerna eorum sit semper accensa : Tu imple officium, tu comple mandatum Dei erga obsequia sacerdotum. Quod si forte susceptis a te quæ necessaria sunt, et sic non quasi non avaritiam, sed quasi benedictionem illi neglexerint eruditioni operam dare, et verbo Dei vacare, et in lege Dei meditari die ac nocte, ipsi videbunt quomodo pro animabus vestris reddant Domino rationem.

« Victimam et pro peccato et pro delicto, sive pro « ignorantia ipsi comedent, et omne votum sive se-

« paratio in Israel ipsorum erit. Et primitiva omnium « primogenitorum, et omnia libamenta ex omnibus « quæ offeruntur sacerdotum erunt. Et primitiva cibo- « rum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedi- « ctionem domui suæ, (*sive* ut ponat benedictiones « super domos vestras). » (*Hieron.*) Et considerandum quod omnia quæ nunc per prophetam Dominus loquitur, per Moysen ante jam dixerit : et quærendum cur eadem quæ dicta sunt repetat. Ut videlicet quæ in mentibus hominum sunt, vel legendi negligentia, vel audiendi contemptu, et oblivione deleta, viva voce innoventur, quæ non sit scripta calamo, et atramento, sed Spiritu et Verbo Dei. Unde et Salvator nullum volumen doctrinæ suæ proprium dereliquit, quod in plerisque apocryphorum deliramenta confingunt : sed Patris et suo Spiritu quotidie loquitur in corde credentium. Et hæc erit responsio adversum eos qui calumniantur prophetas, cur quæ in Pentateucho continentur in suis voluminibus replicent. (*Isid.*) Nihil eorum quæ necessaria fuerunt legislator omisit, designans quippe conversationum differentias, et ostendens nobis vias in oblatione sacrificiorum, quibus nos oporteat conversari. Post hoc necessarie exponit Christi sacrificium, per quod nobis peccatorum remissio et redemptio concessa est. (*Hieron.*) Victimam igitur et pro peccato, et pro delicto, sive ignorantia, comedent sacerdotes, de quibus dictum est : « Peccata populi mei comedent (*Ose.* IV). » Nec tantum gaudendum est ad oblationem munerum, quantum timendum ad honoris condemnationem, si eo abutamur indigne. Primitiva juxta litteram sunt animantium et inanimantium quæ prima nascuntur, et quæ primum terra gignit. Primitiæ quoque ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, ut nihil gustemus novarum frugum, nisi quod sacerdos ante gustaverit. Hoc autem facimus, ut reponat sacerdos benedictionem et oblationem nostram in domo sua : sive ut ad imprecationem suam Dominus benedicat domibus nostris. Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mœroris de sublimioribus corruisse. Neque enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium quorum abutimur donis, et nequaquam simus de eorum salute solliciti. (*Adamant.*) Ab omnibus ergo fructibus sanctificatis sanctæ sunt offerendæ primitiæ spiritali pontifici. Ex quibus ergo fructibus spiritales primitias offeremus? Audi quos fructus enumeret Apostolus : « Fructus, inquit, spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, » etc. (*Gal.* V).

Quas igitur primitias ex charitatis fructu, qui primus est fructus spiritus, offeram vero pontifici, illas ego puto esse primitias charitatis, ut diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, et ex tota anima, et ex tota mente mea (*Matth.* XXII); istæ sunt primitiæ. Quid autem est, quod ex isto charitatis fructu secundo loco habere debeam, ut diligam proximum meum sicut memetipsum. Illæ ergo primitiæ charitatis Deo offeruntur per Pontificem, hæc vero quæ secundo in loco sunt mihi ipsi relinquuntur. Puto adhuc aliquid esse ex fructu quod tertio loco habendum sit, ut diligam etiam inimicos meos. Vide etiam si potes similiter, et de cæteris fructibus spiritus similes invenire primitias. Gaudium secundo loco fructus spiritus scribitur. Si ergo in Domino gaudeam, et spe gaudeam, et si gaudeam pro nomine Domini passus injurias; in his omnibus aliisque horum similibus Deo primitias gaudii per Pontificem verum Deo obtuli; sed et si rapinam bonorum meorum cum gaudio sustineam, et si tribulationes, si paupertatem, si qualemcumque contumeliam gaudens tolerem, est mihi et iste secundo in loco ex fructibus spiritus, fructus gaudii. Nam si gaudeam de rebus sæculi, de honoribus, de divitiis, falsa sunt ista gaudia ex vanitatibus vanitatum. Si vero in malis gaudeam, et si exsultem de aliorum ruinis, ista etiam non solum vana, sed et diabolica gaudia : imo nec gaudia nominanda sunt : « Non enim est gaudere impiis, dicit Dominus (*Isa.* XLVIII). » Sic et in Veteri et Novo Testamento ministris altaris et servitoribus templi Domini mandatum est de oblationum largitate et decimarum datu nutrimentum habere, nec terrenis possessionibus concessum est eis adipiscendis ullo modo inhiare. Unde Dominus in Evangelio apostolis et prædicatoribus Evangelii præcepit, dicens : « Euntes autem prædicate, dicentes quia appropinquabit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo (*Matth.* X). Hinc et Paulus Corinthiis loquens : « Nescitis, inquit, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, qui altario deserviunt, cum altario participant (*I Cor.* IX). » Ita et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Hinc et ad Timotheum scribens ait : « Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit (*II Tim.* II). » Laborantem enim agricolam oportet primum de fructibus accipere. Nec enim conveniens est, ut ille quem oportet semper adstare officio divino, pro adquirendo occupetur terreno lucro. Si quis autem quæsierit quid mystice decimæ significent, sciat observantiam legis in eis accipere posse, sive integritatem fidei catholicæ, seu perfectionem bonorum operum; quæ maxime his convenit habere, qui speciale Deo servitium secundum electionem qua electi sunt ad ministerium divinum, exhibere debent. In denario enim numero creaturæ ac creatoris cognitio comprehenditur, quia septenarius numerus ad humanam respicit naturam tribus videlicet vim animæ ostendentibus. Unde in Deuteronomio scriptum est : « Diliges Dominum Deum tuum ex

toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota A fortitudine tua (*Deut.* VI). » Corpus autem ex quatuor notissimis constat elementis. Hunc enim septenarium, si ternario numero fidem et confessionem sanctæ Trinitatis exprimenti adjunxeris, denarium rite complebis.

« Omne morticinum et captum a bestia de avibus « et pecoribus non comedent sacerdotes. » (*Hieron.*) Et juxta litteram omni generi electo, regali et sacerdotali, quod proprie ad Christianos refertur qui uncti sunt oleo spiritali de quo scriptum est ; « Unxit te Deus Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis (*Psal.* XLIV), » hæc præcepta conveniunt ut morticinum non comedat tam de avibus quam de pecoribus, cujus nequaquam sanguis effusus est, quod in Actibus apostolorum (*Act.* XV) dicitur suffo- B catum, et quæ necessario observanda apostolorum de Jerusalem Epistola monet. «Et captum a bestia,» quia et ipsum similiter suffocatum est, et condemnat sacerdotes, qui in turdis, ficedulis, gliribus et cæteris hujuscemodi. Hæc aviditate gulæ non custodiunt. Possumus autem juxta ἀναγωγήν morticinum dicere in quo animæ sanguis mortuus est, et imitatur Nabal Carmelum qui interpretatur *stultus*, et audita ira David pavore contremuit, et mortuum est cor ejus in eo (*I Reg.* XXV). Captus autem a bestiis, quarum ne morsibus lanietur, Propheta suspirat, dicens : « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi (*Psal.* LXXIII), » ille dicendus est, qui adversarii leonis morsibus devoratur, et pardi, qui non mutat varietatem suam, et ursæ quæ raptis sævit catulis, et lu- C porum rabie et reliquarum bestiarum, quas in varietate dæmonum accipimus. Aves autem illas dicemus quæ ponunt in cœlo os suum : et illa pecora quæ prona in terramque vergentia ventri tantum, et his quæ sub ventre sunt serviunt (*Isid.*) Item possumus morticinum esse peccatorem intelligere, utpote qui crudelem peccati sustinet mortem, a bestiis autem captum non tantum simpliciter, sed valde peccatorem, in tantum ut maligni in eo operentur dæmones, sicut fuit Judas qui diabolo ingrediente in corde suo Christum tradidit, sicut olim diximus, cum pollutionum sacrificia legislator exponeret. Sed illic quidem eum qui tetigit morticina, aut a bestiis capta, id est, qui communicavit sive particeps fuit, cum his qui prædicti sunt, dicit. Hic autem eum qui comedit, videlicet D qui totum illius peccatum suum proprium fecit, suamque malignam intentionem explevit, ex malo quod ille commisit, sicut fuerunt Annas, et Caiphas, qui non simpliciter Judæ participes sunt proditionis effecti, ipsi enim ementes, proditionis ei dederunt pecuniam, et olim esurientes, vel desiderantes mortem Domini ad pascendam, nutriendamve suam intentionem, et ad satisfaciendum desiderio per Judam prævaluerunt. Hujus modi comedere morticina, et a bestiis capta dicuntur, qui necesse habent lavare vestimenta sua et corpus. Lavat autem vestem suam et corpus, qui mundat semetipsum totum, id est interiorem exterioremque suum hominem ; quia intra vestimenta corpus est, sicut intra exteriorem hominem homo interior. Quomodo autem lavat? Aut per baptismum, aut per abundantiam lacrymarum imitantium aquas baptismatis. Qui autem hoc non facit, portabit iniquitatem suam, retributionem videlicet injustitiæ. Sic enim divinam Scripturam in peccatis pœnas restituere invenies comminantem. Unde Ezechiel Deum induxit dicentem : « Non parcet oculus meus super te, et non miserebitur ; sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt (*Ezech.* VI). »

CAPUT XLV.

De loco sanctificato, in quo sunt Sancta sanctorum et habitatio sanctorum ; de justitia ponderis et mensuræ ; de quantitate primitiarum ; de duabus primis solemnitatibus primi mensis, quæ non sunt in Lege ; de oblationibus Paschæ, Pentecostes et Scenopegiæ.

« Cumque cœperitis terram dividere in possessio« nem, separate primitias Domino, sanctificatum de « terra longitudinis viginti quinque millia, et latitu« dinis decem millia. Sanctificatum erit in omni ter« mino ejus per circuitum. Et erit ex hoc sanctifica« tum, quingentos per quingentos, quadrifariam per « circuitum, et quinquaginta cubitis suburbana ejus « per gyrum. Et a mensura ista mensorabis longitu« dinem viginti quinque millium, et latitudinem de« cem millium. Et in ipso erit templum sanctumque « sanctorum : sanctificatum de terra erit sacerdotibus « ministris sanctuarii qui accedunt ad ministerium « Domini. Et erit eis locus in domos et in sanctua« rium sanctitatis, viginti quinque millia longitudi« nis, et decem millia latitudinis. Levitæ autem qui « ministrant domui, ipsi possidebunt viginti gazo« phylacia. Et possessionem civitatis dabitis quinque « millibus latitudinis, et longitudinis viginti quin« que millibus secundum separationem sanctuarii « omni domui Israel. Principi quoque hinc et inde « de separatione vel primitiis sanctuarii in pos« sessionem civitatis contra faciem separationis « sanctuarii, et contra faciem possessionis urbis a « latere maris usque ad mare, et a latere orientis « usque ad orientem, longitudinis autem juxta « unamquamque partem a termino occidentali us« que ad terminum orientalem terræ erit ei pos« sessio in Israel. Et non depopulabuntur ultra prin« cipes populum meum, sed terram meam dabunt « domui Israel, secundum tribus eorum. » (*Hieron.*) Post cæremonias sacerdotum cultumque eorum et cibum quæ debeant sumere quæve vitare, nunc terræ sanctæ facit descriptionem, et antequam omnem in tribus dividat, de cunctis tribubus jubet eligi locum qui in longitudine habeat viginti quinque millia, et in latitudine decem millia. Et quia non est positum cubitorum sive pedum, aut ulnarum, subintelligi datur significare calamum qui erat in manu viri, et habebat mensuræ sex cubitos, et sextam partem unius cubiti, id est, παλαιστήν. Diligens supputet lector quot calami mille passus faciant, et quam multa millia in longitudine fuerint et latitudine ; post quam descri-

ptionem rursus præcipit, ut de sanctificata terra quæ electa est ex omnibus tribubus Israel, id est, viginti quinque millium calamorum in longitudine, et decem millium in latitudine eligatur ad ædificandum sanctuarium, id est, templum Domini, alia intrinsecus terra quingentorum calamorum per circuitum, hoc est duum millium. Et ne forsitan ædificatio templi ædes aliæ jungerentur, præcipit ut quinquaginta cubitis per circuitum terra sit vacua in suburbana, vel, ut Symmachus, et Theodotio et Septuaginta transtulerunt, « in terminum, et separationem et spatium. » Hac descriptione finita, alia ex integro separandæ sanctificationis mensura præcipitur, ut viginti quinque millium calamorum in longitudine et latitudine decem millium, post superiorem mensuram terra alia metiatur, in qua nequaquam sit templum, id est sanctum, sed sanctum sanctumque sanctorum : « Et habitent in ea sacerdotes qui accedunt ad ministerium Domini. » Habitent autem eo tempore quando sacerdotali funguntur officio : et sit ipsa, ut diximus, possessio viginti quinque millium calamorum in longitudine, et decem millium in latitudine. Porro Levitæ qui sacerdotibus serviunt, et habent propria ministeria, accipient locum ad ædificanda viginti gazophylacia, juxta Aquilam *exedras*, juxta Symmachum *thalamos*, juxta Theodotionem *gazeras*, sive, ut Septuaginta transtulerunt, *civitatem*. Per quod intelligimus separatum quemdam locum ad habitationem Levitarum, urbis vocabulo nuncupari, qui locus quinque millia habeat calamorum in latitudine, et viginti quinque millia in longitudine. Hæc autem omnia, id est, sanctuarium et alterum sanctuarium, sanctumque sanctorum et habitacula sacerdotum, et domus Levitarum qui ministrant sacerdotibus, appellantur loca separata et consecrata in ministerium, et in sanctificationem domui Israel. Post quadruplicem terræ sanctæ descriptionem ponitur quinta divisio. Princeps sive dux populi accipiat hinc et inde, hoc est ex utraque parte sanctuarii in possessionem suam, et in urbe versetur, respiciatque ejus possessio ad separatum templo locum et faciem urbis, sitque a latere maris, hoc est ab occidente usque ad alterum latus maris; latitudinem habens quam inferius in descriptione tribuum singularum Propheta describit. Denique sequitur, In longitudinem autem juxta unamquamque partem quam singulæ tribus accipiunt a termino occidentali, id est maris usque ad terminum orientalem, qui ubi finiatur in tribuum descriptione noscemus. Et hæc erit possessio ducis sive principis in terra Israel. Hæc interim dicta sint, ut simplex historiæ sermo noscatur. Cæterum si voluerimus comparare spiritalibus spiritalia, et juxta quosdam interpretes ad altiora conscendere, qui asserunt figuram futurorum esse præsentia, et omnia quæ dicuntur pertinere ad cœlestem Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum, et ecclesiam primitivorum, non quidem difficile erit dicere quæ dicta sunt ab aliis, sed veremur ne hujuscemodi expositionem prudens lector nequaquam recipiat. Unde ad præsens tempus, et ad ecclesiam quæ nunc laborat in mundo, et ad cœlestia ire festinat, referenda sunt omnia, ut de universo mundo eligantur, alii in possessionem Dei qui sanctum possideant, alii qui ad majora profecerint, teneant sancta sanctorum. In ministris quoque ordo diversus est sacerdotum et Levitarum, quorum alii orationibus suis atque virtutibus quotidie sacrificia offerant Deo, alii in secundo et minori gradu sunt ut his ministrent, et per eos qui ad virtutum culmina conscenderunt. Et ad extremum sit dux sive princeps qui tantum possit ut contra unam tribum possessionem accipiat, uniusque meritum compenset merita plurimorum. Et primum dum versatur in sæculo de mari usque ad mare, latitudinem possideat. Deinde ab occidente sive a mari usque ad orientem, ut præsentia derelinquens, ad futura festinet et habeat certam possessionem suam. Et nequaquam principes aliena desiderent, et unaquæque tribus suam partem teneat. Quod proprie ad episcopos et presbyteros referri potest, quibus dicitur, « ut non vastent atque populentur ultra populum Dei, nec terram Israel hæreditate possideant. » Sed unusquisque habeat possessionem suam, quæ gradu illius constituta est. Viginti quinque autem millia referuntur ad sensus, quæ quater posita sunt. Porro decem millia ad perfectam scientiam, ut in altero simplex tantum teneatur historia : in altero etiam de θεολογία, et supernis virtutibus disputetur, quia decennarius perfectus est numerus. Illud quoque considerandum quod sacerdotes, qui in majori gradu sunt constituti, viginti quinque millia possideant in longitudine, et decem millia in latitudine. Levitæ autem, id est, inferior gradus, eumdem quidem numerum habeat in longitudine, hoc est viginti quinque millia, sed latitudo ipsius quinario numero finiatur. Unde et viginti tantum tenent gazophylacia in quo numero offeruntur munera Esau. Princeps vero qui vere princeps in populo est, et meretur ducis nomen accipere, hinc inde accipit possessionem sanctuarii, ex omnibus videlicet qui ei voluntate subjecti sunt, et urbis habitator est, multorumque salutem suam mercedem facit. In priori templo quod dicitur sanctuarium, quingenti per singula latera calami describuntur, et rursum quinquaginta cubiti, quibus omnis sacerdotum possessio separatur. In secundo autem sanctuario, ubi sunt sancta sanctorum, latitudo templi et spatium non describitur, sed incertus numerus est. Quod quidem et in possessione principis invenimus, qui absque ullo numero habet possessionem in populo Israel, dum profectus universorum redundat in principem, et discipulorum salus præmium magistrorum est.

« Hæc dicit Dominus Deus : Sufficiat vobis, principes Israel; iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium et justitiam facite. Separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus. » (*Hieron.*) Pro *rapinis* Septuaginta *miseriam* transtulerunt; pro *confiniis*, *oppressionem*. Est autem sensus :

Qui accepistis partem vestram, o principes, Scriptura dicente, principi quoque hinc inde in separationem sanctuarii possessionem civitatis, subauditur, dabitis. Et tanta est vestra potentia, ut unius tribus partem acceperit vestra possessio. Idcirco præcipio atque commoneo ut sufficiat huc usque iniquitatem fecisse et rapinas, dum aliena invaditis atque diripitis. Et quia scriptum est : « Dimitte malum et fac bonum (*I Petr.* III), » e contrario : « Judicium facite atque justitiam, judicantes pupillos, et justificantes viduam. Separate vestra confinia a populo meo, » ne videlicet terminos transferatis, et quia ipsa vicinia lædit humiliorem, qui supercilium majoris et potentioris non potest sustinere. Hinc per Isaiam dicitur : « Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis soli super terram? » (*Isa.* V.) Quæ est enim rabies, cum tecta et agri ad depellendos imbres, et ad serendas fruges habere debeant, ea habere cupere in quibus cunctis habitare non possis, et quæ colere non sufficias, alteriusque necessitatem tuam facere voluptatem? Juxta tropologiam contra hæreticos quidam hoc dictum arbitrantur, qui cum moverint pedes suos de oriente, veniunt in campum Sennaar, qui interpretatur excussio dentium, et ædificant civitatem confusionis turremque superbiæ. Isti domus domibus, id est, dogmata conjungunt dogmatibus. Quibus dicitur per Michæam : « Nolite ædificare in domo derisum (*Mich.* VII), » ne super fundamentum Christi quod Paulus apostolus posuit (*I Cor.* III), et in quo debuerant ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos, e contrario ædificent ligna, fenum, stipulam, quorum finis incendium est. De hujuscemodi domibus Salvator in Evangelio loquitur : « Omnis qui audierit verba mea, et non fecerit ea, assimilabitur viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et cecidit : et fuit ruina domus illius magna. » Tam diu autem quærunt hæretici nova veteribus jungere, et eadem recentioribus immutare, donec et sensus humanus et sermo deficiat. Hoc interim dictum sit ad illius temporis populum et ad hæreticos. Cæterum et nostris principibus præceptum poterit coaptari, qui in morem Pharaonis et Ægyptiorum opprimunt filios Israel per potentiam (*Exod.* II); nec meminerunt scriptum : « Ducem te constituerunt, ne eleveris; sed esto inter eos quasi unus ex ipsis (*Eccli.* XXXII). » Et illud quod in Evangelio Dominus loquitur : « Sin autem dixerit servus ille in corde suo : Moratur dominus meus venire, et cœperit percutere servos et ancillas, comedere et bibere, et inebriari, veniet dominus servi illius in die qua non putat, et hora quam nescit : et dividet eum, et partem ejus ponet cum infidelibus (*Matth.* XXIV; *Luc.* XII). » Discipulos quoque suos in Evangelio his præceptis erudit : « Scitis quoniam principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos : non sic erit inter vos. Sed qui voluerit in vobis magnus esse, fiat minister (*Matth.* X; *Luc.* XXII). » Et qui voluerit esse primus, sit omnium servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro plurimis. Multa sunt si voluero de sacris Scripturis revolvere, ubi majorum superbia coercetur, et ad humilitatem omnes domini provocantur, dicentis, Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.

« Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit « vobis. Ephi et batus æqualia et unius mensuræ « erunt, ut capiat decimam partem batus, et decimam partem ephi, juxta mensuram cori erit æquilibratio eorum. Siclus autem viginti obolos habet. « Porro viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli minam faciunt. » (*Hieron.*) Dicamus ergo juxta Hebraicum et litteram, et quid nobis videatur in singulis apertius explicemus. Statera, quæ Hebraice dicitur *mozene*, in his intelligitur quæ appenduntur; epha, quæ in Græco sermone corrupte dicitur ephi, ad mensuram pertinet variarum frugum, verbi gratia, tritici, hordei, leguminum. Porro batus, qui Hebraice appellatur *bati*, eadem mensura est quæ et ephi, et in speciebus tantum liquidis vini et olei, et istiusmodi. Corus triginta habet modios, et in utraque mensura, hoc est tam aridarum quam liquentium, tenet principium. Decima pars cori in his quæ modio mensurantur, appellatur epha, id est, tres modii, et decima pars cori in speciebus liquidis vocatur batus sive vadus, ut ejusdem mensuræ sit epha et batus. (*Maurus.*) Unde in Lege jubetur (*Levit.* VI, *Exod.* XXIX) : « Decima pars ephi conspersa oleo, » quod mensuram habebit quartam partem hin : « et libum ad vina fundenda ejusdem mensuræ » dari in holocaustum. Mensura ergo ephi, quæ tres habet alias mensuras, sanctæ Trinitatis significat fidem, cujus decimam jubemur offerre, id est, credulitatem incarnationis Christi, quæ in Lege nobis plenissime commendatur, sive observantiam ipsius decalogi. Jubemur simul offerre oleum, hoc est charitatem et misericordiam. Jubemur et vinum ad libamentum, id est, gratiam spiritalem, sive communicationem passionis Christi, et hæc juxta partitionem mensuræ hin, hoc est secundum distributionem perfectæ devotionis. (*Hieron.*) Porro siclus, qui Græce dicitur *stater*, viginti habet obolos. Mina vero, quæ appellatur *mna*, habet siclos sexaginta, qui faciunt obolos mille ducentos. Quod autem dicitur, viginti sicli et viginti quinque sicli, et quindecim sicli minam faciunt, lectorem turbare non debet. Idcirco enim difficultas in numeris ponitur, ut intentum animum faciat auditoris. Unde et multa dicuntur in parabolis et ænigmatibus, « ut qui habet aures audiendi, audiat (*Matth.* XI). » Omnis quippe prophetia obscuritate continet veritatem, ut discipuli intrinsecus audiant, vulgus ignobile et foris positum nesciat quid dicatur. Præcipit ergo Scriptura divina ut justa sint pondera, dicens : « Non erit in marsupio tuo mensura grandis et minor, statera vera et justa erit vobis, et mensura vera

et justa erit vobis (*Levit.* XIX). » Et in Proverbiis A dicitur : « Statera grandis et minor, abominabile est utrumque in conspectu Dei (*Prov.* XI). » Quod quidem non solum in commerciis et in usu quotidianæ vitæ nobis est observandum, sed in omnibus custodienda justitia, dicente Scriptura : Sermonibus tuis facies stateram et appendiculum, ut et in verbis et in opere et cogitationibus omnia pondere et ratione faciamus. Obolum autem, hoc est vicesimam partem sicli sive stateris, esse minimam portiunculam in alio loco legimus : ejus qui fidelis est totus mundus divitiarum : illius autem qui infidelis est neque obolus, quasi aliis verbis dixerit : Infidelis nihil in verbo possidet, sed etiam minima indiget portione. De quo alio verbo in Evangelio dicitur : « Non egredietur inde nisi reddat novissimum quadrantem (*Matth.* V), » hoc est, etiam extremum nummum et minutum. Legimus decem mnas singulis servis ad negotiandum traditas. Et in alia parabola, inter servos talenta divisa, et debitorem quingentorum denariorum et quinquaginta, et operarios vineæ qui singulos accipiant denarios, et mulierem viduam quæ drachmam perdiderat, et vix eam lucernæ accensione reperit (*Luc.* XIV ; *Matth.* XXV ; *Luc.* VII ; *Matth.* XX ; *Luc.* XV). Quæ omnia quem sensum habeant, non est hujus temporis disserere.

« Et hæ sunt primitiæ quas tolletis, sextam partem ephi de coro frumenti, et sextam partem ephi de coro hordei. Mensura quoque olei. Batus olei decima pars cori est, et decem bati eorum faciunt, quia decem bati implent corum. » (*Hieron.*) Dicamus igitur primum juxta litteram, δέκαδας, hoc est decimam partem omnium frugum Leviticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex ipsius decimis Levitæ, hoc est inferior ministrorum gradus decimas dabat sacerdotibus, et hæc est quæ appellabatur δευτεροδεκάτη. Erant quoque et aliæ decimæ quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat ut comederet eas, cum iret ad templum in urbe Jerusalem, et in vestibulo templi, et sacerdotes ac Levitas invitarent ad convivia. Erant autem et aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant. At vero primitiva quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Traditionemque accepimus Hebræorum non Lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam, qui plurimum quadragesimam partem dabat sacerdotibus, qui minimum sexagesimam, inter quadragesimam et sexagesimam licebat offerre quodcumque voluissent. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter definitur propter sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in primitiis deferendis, id est, ut sexagesimam partem offerant eorum quæ gignuntur e terra. Si enim corus, qui Hebraice appellatur *omer* et a Septuaginta dicitur κόρος, triginta habet modios tam in aridis speciebus quam in liquentibus, epha quoque et batus, juxta quod supra diximus, decima pars est cori, præcipiturque ut sexta pars tam ephi quam bati detur sacerdotibus in primitiis offerendis quæ de tribus modiis dimidium facit modium, perspicue supputatur sexagesimam partem primitiarum sacerdotes accipere debere. Hæc interim juxta litteram et juxta Hebraicam veritatem, et sensisse et audisse sufficiat. Nunc revertamur ad intelligentiam spiritalem, in qua primum quærendum quomodo dicatur : « Honora Dominum de justis tuis laboribus, et da ei de fructibus justitiæ tuæ, ut impleantur cellaria tua frumento, et vino torcularia tua redundent (*Prov.* III) ; » ut postquam obtuleris primitias laborum tuorum atque virtutum, et dixeris, ecce nunc ego attuli tibi primitias fructuum terræ, quos dedisti mihi, Domine : merearis audire : « Benedictus tu in civitate, et benedictus tu in agro ; benedicti filii uteri tui, et genimina B terræ tuæ, et fructus jumentorum tuorum, » etc. (*Deut.* XXVIII.) Et possideas juxta Apostolum (*Ephes.* I) omnem benedictionem spiritualium in cœlestibus in Christo, dum quidquid habes, non tuæ putas esse virtutis, sed ejus misericordiæ, qui fruges dedit. Et siquidem tantam habuerimus scientiam Scripturarum, ut mystica quæque pandamus et doceamus homines, id est, rationale animal, damus primitias frumenti nostri. Si autem post anagogen puram tantum sequamur historiam, quæ simplices nutrire potest, juxta illud quod scriptum est : « Homines et jumenta salvos facies, Domine, » damus primitias hordei nostri, quod hordeum sevit et Isaac, sed in terra alienigenarum, et ortum est ei centuplum. Qui hordei dat primitias, potest dicere : « Dominus C pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit : super aquas refectionis educavit me (*Psal.* XXII). » Qui autem rationalia pascit animantia, vertit sententiam, et dicit : « Præparasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XXII). » Et postquam olei et vini obtulerit primitias, jungit et loquitur : « Impinguasti in oleo caput meum, et calix tuus inebrians quam præclarus est (*Ibid.*), » illo oleo quod absque fece mundissimum ad lucernam Domini præparatur. Quod qui paraverit, exhilaratur facies ejus in oleo, oleo exsultationis quo Christus unctus est præ participibus suis (*Psal.* XLIV), et effectus oliva cum propheta cantabit : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*Psal.* LI), » et illo vino quod de vera vite D redundat in torcularibus Salvatoris, dicente Domino : « Ego sum vitis, vos propagines, Pater meus agricola (*Joan.* XV). » De his torcularibus tres psalmos legimus, octavum, et octogesimum, et octogesimum tertium, qui omnes ad Ecclesiæ sacramenta referuntur. Et in veteri quidem Lege absque mensura erant et numero primitiæ : « Non enim ad mensuram Deus spiritum dabat (*Joan.* III). » In secunda autem ædificatione templi, quod Ezechielis prophetia continet, certa mensura est, id est sexagenarius numerus, quo mundus expletur, ut dicitur nobis : « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII). »

« Et arietem unum de grege ducentorum, de his

« quæ nutrivit Israel in sacrificium, et in holocaustum, et in pacifica ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Israel. Et super principe erunt holocausta, et sacrificium, et libamina in solemnitatibus, et in Kalendis et in sabbatis, in universis solemnitatibus domus Israel. Ipse faciet pro peccato sacrificium et holocaustum et pacifica ad expiandum pro domo Israel. » Supra dixit quota pars eorum quæ appenduntur, mensuræ quoque tam aridarum specierum quam liquentium, debeat offerri principi. Nunc eumdem primitiarum in animantibus tenet ordinem, ut unum de grege ducentorum arietum jubeat offerri, quos nutrit Israel in sacrificium, et in holocaustum et in pacifica ad expiandum pro populo, ait Dominus Deus. Quod nos interpretati sumus « de his quæ nutrit Israel, » in Hebraico scriptum est, *memmasce*, quod Aquila et Symmachus interpretantur ἀπὸ τῶν ὑδάτων, Septuaginta et Theodorio, ἀπὸ τῶν ποτιστηρίων, quod alterum de irriguis, alterum de canalibus sive piscinis sonat, ut videlicet primitiæ principis non alibi nisi in irriguis nutriantur. Et quomodo in superioribus legimus, sexagesimam partem debere offerri principi, de his quæ appenduntur, et quæ mensuræ subjacent, sic nunc ducentesima pars animantium jubetur offerri, et hujuscemodi legis præceptis omnem populum esse subjectum, ut offerat duci sive principi, quod videlicet per illum holocausta et sacrificia et libamina in singulis solemnitatibus offerantur pro populo, et expietur domus Dei. Ex quo animadvertendum, quod quomodo populus debitor est primitiarum offerendarum principi, sic princeps debitor est populi offerre pro eo victimas. Quem juxta tropologiam non alium intelligere possumus, nisi Dominum Salvatorem : iste de ducentis animantibus suscipit arietem, sive, ut significantius Hebraicus sermo demonstrat, βόσκημα, quod ad cuncta animantia, et non proprie ad arietem referri potest. Et suscipit animal vel arietem qui nutritus est in locis irriguis, sanctarum videlicet Scripturarum, et potest dicere : « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit : super aquas refectionis educavit me (*Psal.* XXII). » Hæc erant irrigua, imo et canales ad quos et Jacob ducebat pecora sua (*Gen.* XXX), ut in ipsis biberent atque conciperent, et juxta virgarum colorum fetus ederent Domino; pro sacrificio Aquila et Symmachus *donum* interpretantur : quod in Hebraico dicitur *Manaa*, et proprie non pertinet ad hostiam, sed ad ea quæ ex simila et polenta, et oleo offeruntur in sacrificio. Holocaustum vero est, quod totum offertur Deo et sacro igne consumitur. Pacifica, quando reconciliamur Deo, et pro nobis Apostolus loquitur : « Precamur pro Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* V). » Et in alio loco : « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*Ibid.*). »

Iste autem princeps, cui primitiæ de animantibus offeruntur, ipse est et rex, ut in crucis quoque titulo demonstratur Hæbraicis et Græcis litteris ac Latinis, nitentibusque Judæis ut deponeretur titulus triumphalis, gentium in Pilato turba respondit : « Quod scripsi scripsi. » « Sub principe, inquit, erunt (*Joan.* XIX). » Pulchre sacerdotalis dignitas commonetur cui subjecta sit officio, ut sciat se sacrificium, et libamina quæ offeruntur ex humo pro populo offerre debere in cunctis solemnitatibus, tam videlicet in Kalendis, id est neomeniis, quam in sabbatis, quando tenebris cuncta operientibus, lunaris exordium luminis est. Et in requie sabbatorum, ut faciat videlicet pro peccato ad expiandum pro domo Israel, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis : ista est enim domus viventis Dei, et domus Israel, quæ expiatione suorum indiget peccatorum. Quia ergo festorum leges habemus in manibus, et inde nunc sermo est, requiramus diligentius qui sit ordo festivitatum, ut ex ipsis ordinibus et sacrificiorum ritu colligere possimus qualiter unusquisque ex suis actibus et conversationibus sanctis Deo festivitatem possit parare. Prima ergo est festivitas Dei, quæ appellatur indesinens. De his enim mandatur quæ indesinenter, et sine ulla prorsus interruptione matutinis et vespertinis sacrificiis offerantur. Mandans igitur festivitatum ritus, non primo statim venit ad festivitatem Paschæ, neque ad Azymorum, neque ad Scenopegiæ, aliasque de quibus præcipitur, sed hanc primam posuit in qua sacrificium indesinens mandat offerri, quo scilicet agnoscat quis ille vult esse perfectus et sanctus, quia non aliquando quidem agenda est Deo, aliquando non agenda festivitas : sed semper et indesinenter justus agere debet diem festum. Sacrificium namque quod indesinenter, et in matutinis et in vespertinis mandatur offerri, hoc indicat, ut et in lege ac prophetis quæ matutinum tempus ostendunt, et in evangelica doctrina quæ vespertinum, id est, in vespera mundi Salvatoris ostendit adventum, indesinenti intentione persisteret. Has ergo tales festivitates Dominus dicit ; « Et observabitis dies festos meos. » Dies ergo festus Domini est, si ei sacrificium indesinenter offeramus, si sine intermissione oremus; ita ut ascendat oratio nostra, sicut incensum in conspectu ejus mane, et elevatio manuum nostrarum fiat ei sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL). Est igitur prima solemnitas jugis sacrificii vel indesinentis, quæ a cultoribus Evangelii eo modo quo supra exposuimus, debet expleri. Sed quoniam, sicut propheticus sermo perdocuit (*Amos.* VIII), dies festi peccatorum convertuntur in luctum, et cantica eorum in planctum; certum est quia qui peccati, et agit dies peccati, agere non potest diem festum : et ideo illis diebus quibus peccat, offerre non potest indesinens sacrificium Deo. Sed ille offerre potest, qui indesinenter custodit justitiam, et conservat semetipsum a peccato. Qua die autem interruperit et peccaverit, certum est quod in illa die non offert sacrificium indesinens Deo. Quæ est autem festivitas sabbati, nisi illa de qua Apostolus dicit : « Relinquetur ergo sabbatismus, hoc est sabbati observatio, populo Dei (*Hebr.* IV). » Relin-

quentes ergo Judaicas sabbati observationes, qualis A debeat esse Christiano sabbati observatio videamus. Die sabbati nihil ex omnibus mundi actibus oportet operari. Si ergo desinas ab omnibus sæcularibus operibus, et nihil mundanum geras, sed spiritalibus operibus vaces, ad ecclesiam convenias, lectionibus divinis et tractatibus aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia et visibilia, sed ad invisibilia et futura : hæc est observatio sabbati Christiano : sed hæc et Judæi observare debèrent. Denique etiam apud ipsos si faber, si structor, et si qui hujusmodi opificum fuerit, otiatur in die sabbati. Lector autem legis divinæ vel doctor non desinit a bono opere, et tamen sabbatum non contaminat. Si enim dicit ad eos : B « Aut non legistis quia sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? (*Matth.* XII.) »

Qui ergo cessavit ab operibus sæculi et spiritalibus actibus vacat, iste est qui sacrificium sabbati et diem festum agit sabbatorum. Neque onera portat in via. Onus enim est omne peccatum, quemadmodum dicit et Propheta : « Sicut onus grave gravata sunt super me (*Psal.* XXXVIII). » Neque enim ignem accendit illum, scilicet ignem de quo dicitur : « Ite in lumine ignis vestri, et in flamma quam accendistis in sabbato unusquisque (*Isa.* L). » Sed et in loco suo et non procedit ex eo. Quis ergo est locus ejus? Animæ scilicet spiritalis. Justitia locus ejus, veritas, sapientia, sanctificatio, et omnia quæ Christus est locus animæ est. Ex quo loco eam non oportet exire, C ut vera sabbata custodiat, et diem festum in sacrificiis exigat sabbatorum, sicut et Dominus dicebat : « Qui manet in me et ego in eo (*Joan.* XV). » Quod autem diximus vera sabbata, si altius repetamus quæ sint vera sabbata, ultra hunc mundum est vera sabbati observatio. Quod enim scriptum est in Genesi (*Gen.* II), quia requievit Deus in die sabbati ab operibus suis, non videmus vel tunc factum esse in die septima vel etiam nunc fieri. Semper Deum videmus operari, et nullum sabbatum est, in quo non Deus operetur, in quo non perducat solem suum super bonos et malos, et pluat super justos et injustos (*Matth.* V). « In quo non producat in montibus fenum, et herbam servituti hominum (*Psal.* CXLVI), » in quo non percutiat et sanet, deducat ad D infernum et reducat, in quo non occidat et vivere faciat. Unde et Dominus in Evangeliis, cum Judæi præscriberent sibi de operatione et curatione sabbati, respondit eis : « Pater meus usque modo operatur et ego operor (*Joan.* V). » Ostendens per hæc in nullo hujus sæculi sabbato requiescere Deum, a dispensationibus mundi, et a provisionibus generis humani. Nam creaturas quidem fecit ex initio et substantias protulit, quantas sibi sciebat ut pote rerum conditor, ad perfectionem mundi posse sufficere : sed usque ad consummationem sæculi, ab earum provisione et dispensatione non cessat. Erit ergo verum sabbatum, in quo requiesceret Deus ab omnibus operibus suis, sæculum futurum, tunc cum aufugiet dolor et tristitia et gemitus, et erit omnia et in omnibus Deus. In quo sabbato concedat etiam nobis Deus diem festum agere secum, cum sanctis angelis suis festa celebrare; offerentes sacrificium laudis, et reddentes Altissimo vota nostra. Tunc fortassis et sacrificium indesinens, de quo supra exposuimus melius offeretur : tunc enim melius indesinenter assistere anima poterit Deo et offerre sacrificium laudis per pontificem magnum, qui est sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Tertia festivitas ponitur Neomeniæ dies, in qua offertur et hostia sicut scriptum est : « In calendis autem, » id est, in mensium exordiis, « offeretis holocaustum Domino, » etc. Neomenia autem dicitur nova luna. Est ergo et ista festivitas, cum luna innovatur. Nova autem dicitur cum soli proxima fuerit effecta et valde ei conjuncta, ita ut sub claritate ejus lateat. Sed mirum fortasse videatur, immo superfluum lex divina mandare. Quid enim religionis condecet lunæ novæ, id est, cum conjungitur soli et adhæret ei observare festivitatem. Hæc si secundum litteram considerentur, non tam religiosa quam superstitiosa videbuntur. Sed sciebat Apostolus Paulus, quia non de his loquitur lex, neque ullum ritum quia Judæis observari videtur sanctus Spiritus præcipit, et ideo ad eos, qui fidem Dei susceperunt, dicebat : « Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu aut in parte diei festi aut neomenia aut sabbato, quæ sunt umbræ futurorum (*Coloss.* II). » Si ergo umbra futurorum est, sabbatum, de quo pro viribus supra explicavimus; et neomenia umbra futurorum est : certum est quia et cæteræ festivitates similiter umbræ sunt futurorum. Sed nunc de neomenia videamus. Diximus quia neomeniæ festivitas appellatur, cum luna innovari cœperit et soli proxima fieri penitusque conjuncta. Sol justitiæ, Christus est. Huic si luna, id est, Ecclesia sua, quæ lumine ipsius repletur, juncta fuerit, et penitus ei adhæserit, ita ut secundum verbum Apostoli : « qui se jungit Domino, unus cum eo spiritus fiat (*I Cor.* VI), » tunc festivitatem neomeniæ agit. Tunc enim nova efficitur, cum abjecerit veterem hominem, et induta fuerit novum, « qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV), » atque ita merito innovationis solemnitatem, quæ est neomeniæ festivitas, gerit. Tunc denique est, quando neque videri neque comprehendi humanis aspectibus potest. Anima enim cum totam se sociaverit Domino, et in splendorem lucis ejus tota concesserit, nihilque omnino terrenum cogitat, nihil mundanum requirit, nec hominibus placere studet, sed totam se sapientiæ lumini, totam calori sancti Spiritus mancipaverit, subtilis et spiritalis effecta, quomodo cerni ab hominibus aut humanis potest conspectibus apprehendi? Animalis namque homo intelligere et discernere non potest spiritalem. Et ideo dignissime diem festum aget et hostiam neomeniæ Domino, utpote per ipsum innovata jugulabit. Quarto in loco ponitur inter festivitates Dei

Paschæ solemnitas, in qua festivitate agnus occiditur. Sed vide tu Agnum verum, Agnum Dei, Agnum qui tollit peccata mundi, et dicito quia « Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* v). » Judæi carnali sensu comedant carnes agni, nos autem comedamus carnem verbi Dei. Ipse enim dixit : « Nisi comederitis carnes meas, non habebitis vitam in vobis ipsis (*Joan.* vi). » Hoc quod modo loquimur carnes sunt verbi Dei, si tamen non quasi infirmis olera, aut quasi pueris lactis alimoniam præferam : si perfecta loquimur, si robusta, si fortia, carnes vobis verbi Dei apponimus comedendas. Ubi enim mysticus sermo, ubi dogmaticus et Trinitatis fide repletus profertur ac solidus, ubi futuri sæculi, amoto velamine litteræ, legis spiritalis sacramenta panduntur, ubi spes animæ avulsa de terris jactatur in cœlos, et in illis collocatur « quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*I Cor.* ii), » hæc omnia carnes sunt verbi Dei, qui potest perfecto intellectu vesci et corde purificato, ille vere festivitates paschæ immolat sacrificium, et diem festum agit cum Deo et cum angelis ejus. Post hanc imo continuata huic festivitas sequitur azymorum, quam merito celebrabis, si extermines omne fermentum malitiæ et nequitiæ ab anima tua, et azyma sinceritatis veritatisque custodias (*I Cor.* v). Neque enim putandum est omnipotentem Deum leges hominibus pro fermento scribere, et per ea jubere exterminari animam de populo ; si qua forte parum aliquid fermenti hujus ex farina conspersi in domo sua habuisse deprehendantur, eamque curam magnopere fuisse divinæ majestati qua fermenti hujus causa intantum se dicat offendi, ut animam, quam ipse ad imaginem et similitudinem suam fecit, exterminari pro hoc jubeat et everti. Non mihi videtur hæc divinis legibus digna esse intelligentia, sed illud magis est, quod horrescit, merito horrescit Deus, si malitiæ, si iræ, si nequitiæ spiritu infirmetur anima et intumescat ad flagitia ; hæc non vult esse in anima Deus, et tale fermentum nisi abjecerimus de domo animæ nostræ, merito exterminabimur. Sed ne contemnas, etiamsi parvam videris intra te fermentari malitiam, quia « modicum fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* v). » Et ideo neque de parvo peccato negligas, quoniam ex uno peccato generatur et aliud. Sicut enim ex justitia generatur justitia, ex castitate castitas (si enim primo tenuiter castus esse cœperit, accepto castitatis fermento, quotidie castior efficitur : ita et qui semel intra se, licet parvum malitiæ reposuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur ac deterior. Et ideo si vis agere azymorum festivitatem cum Deo, ne parvum quidem malitiæ fermentum intra te residere patiaris. Post hanc sequitur sexta festivitas, quæ dicitur Novorum, id est, primitiæ de novis offeruntur. Ubi enim seminatus fuerit ager, diligenter excultus, atque ad maturitatem pervenerit seges, tunc in fructuum perfectione festivitas Domini geritur. Si ergo et tu vis novorum diem festum agere cum Domino, vide quomodo semines, aut ubi semines, ut possis tales metere fructus, ex quibus lætari facias Deum, et agere diem festum. Quod aliter implere non poteris, nisi audias Apostolum dicentem : « Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam (*Gal.* vi). » Si sic semines, et sic metas, vere diem festum agis novorum. Propterea denique et propheta admonet, dicens : « Innovate in vobis novalia, et nolite seminare super spinas (*Ose.* x). » Qui ergo cor suum et interiorem hominem renovat de die in diem, iste sibi innovat novalia, et non seminat super spinas, sed super terram bonam, quæ reddat ei fructum tricentesimum aut sexagesimum aut centesimum (*Luc.* viii). Iste ergo est, qui in spiritu seminat et colligit fructus spiritus. Fructus autem spiritus primus omnium est gaudium (*Gal.* v). Et merito diem festum novorum fructuum agit, qui gaudium metit ; præcipue qui simul metat et pacem et patientiam, et bonitatem et mansuetudinem, aliosque horum similes fructus colligat, dignissime novorum fructuum festivitatem Domino aget.

Tunc deinde sequitur festivitas Septimanorum. Sicut enim inter dies, septimus quique dies observatur sabbatum, et est festivitas, ita ut inter menses septimus quique mensis sabbatum sit mensium. Agitur ergo in eo festivitas, quæ dicitur Sabbata sabbatorum, et fit in die prima mensis memoria tubarum. Sed quis est qui festivitatem gerat memoriæ tubarum, nisi qui potest scripturas propheticas et evangelicas atque apostolicas, quæ velut cœlesti quadam personant tuba, mandare memoriæ, et intra thesaurum cordis sui recondere? Qui ergo hæc facit et in lege Domini meditatur die ac nocte (*Psal.* i), iste festivitatem gerit memoriæ tubarum. Sed et si qui potest gratias illas sancti Spiritus promereri, quibus inspirati sunt prophetæ, et psallens dicere : « Canite in initio mensis tuba, in die insignis solemnitatis ejus (*Psal.* lxxx), » et qui scit in Psalmis jubilare, digne Deo agit solemnitatem tubarum. Est adhuc et alia festivitas cum affligunt animas suas et humiliant, sed non festa celebrantes. O mira festivitas! Dies festus vocatur afflictio animæ. « Hic enim, inquit, dies est propitiationis, decima die mensis septimi. » Vides ergo, si vis diem festum agere, si vis ut lætetur Deus super te, affige animam tuam et humilia eam. Non ei permittas explere desideria sua, nec concedas ei lascivius evagari, sed in quantum fieri potest, affige et humilia eam. Denique et Paschæ festivitas et azymorum panem afflictionis habere dicitur. Nec potest quis agere diem festum, nisi afflictionis panem manducaverit, et manducaverit pascha cum amaritudine. « Manducabitis enim, inquit, azyma cum amaritudine. » Vides ergo quales sunt festivitates Dei. Non recipiunt dulcedinem corporalem ; nihil remissum, nihil voluptuosum, aut luxuriosum volunt, sed afflictionem animæ, et amaritudinem, humilitatemque deposcunt : quia « qui se humiliat, ipse exaltabitur (*Matth.* xxiii) » apud Deum. Hoc ergo deposcit et propitiationis dies. Cum enim afflicta fuerit anima et humiliata in conspectu

Domini, tunc ei propitietur Deus : et tunc ad eam venit ille, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine suo Christus Jesus Dominus et Redemptor ejus (*I Joan.* II). Jam vero ultimus dies festus Dei, qui sit, quo Deus lætatur in homine, videam. Scenophegia, inquit. Lætatur ergo super te, cum viderit in hoc mundo in tabernaculis habitantem, cum te viderit non habere fixum et fundatum animum ac propositum super terras, nec desiderantem quæ terrena sunt, nec umbram vitæ hujus quasi possessionem propriam et perpetuam deputantem, sed velut in transitu positum, et ad veram illam patriam unde egressus est, paradisi, festinantem ac dicentem : « Incola ego sum et peregrinus sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » In tabernaculis enim habitaverunt et patres, et Abraham in casulis, id est, in tabernaculis habitavit cum Isaac et Jacob cohæredibus remissionis ejusdem. Cum ergo incola fueris et peregrinus in terris, et non est mens tua fixa et radicata in desideriis terrenorum, sed paratus es, ut cito transeas, et paratus es extendere te semper ad anteriora, usquequo pervenias ad terram fluentem lac et mel (*Phil.* III), et hæreditatem capias futurorum : si te, inquam, positum in his videat Deus, lætatur in te, et diem festum aget super te. Hæc quidem in præsenti. In futuro vero, si vis considerare quomodo dies festi agantur, erige paululum si potes sensus tuos a terra, et obliviscere paulisper hæc quæ habentur in facie. Describe vero tibi quomodo cœlum et terra transeat, et transit omnis hic habitus mundi. Cœlum vero novum et nova terra fundetur. Amove de conspectibus tuis etiam solis hujus lucem, et da illi mundo, qui venturus est, solis hujus septuplum lumen : imo potius secundum Scripturæ auctoritatem ipsum ei da Dominum. Lucem pone, astantes angelos glo-

A riæ. Pone virtutes, potestates, sedes, dominationes, atque omne nomen clarissimarum cœlestiumque virtutum, non solum, quod in præsenti sæculo nominatur, sed quod etiam in futuro. Inter hos omnes considera, et conjice quomodo agi possint dies festi Domini, quæ ibi festivitas, quæ gaudia, quæ lætitiæ magnitudo. Nam de his quas supra diximus spiritalibus festivitatibus, etiam si magnæ sunt et vere præcipuæ cum spiritaliter geruntur in anima, tamen ex parte sunt, non ex integro. Ex parte ergo in hoc mundo sancti agunt diem festum, quia ex parte sciunt, et ex parte prophetant. Cum autem venerint, quæ perfecta sunt, destruent ista quæ ex parte sunt (*I Cor.* XIII). Sicut enim perfectæ scientiæ cedit ista, quæ ex parte est, et perfectæ prophetiæ cedit ista, quæ ex par-

B te est : ita et perfectæ festivitati, cedit ista, quæ ex parte est festivitas. Neque enim, quod perfectum est, mundus iste capere potest ; ubi, ut diximus, necessitas corporis, nunc cibum, nunc potum, nunc somnum suggerit, nunc etiam quantamcunque necessario vitæ præsentis sollicitudinem movet ; quæ omnia interrumpunt sine dubio continuationem festivitatis Dei. Cum autem venerit illud, quod dictum est, de his qui restituentur in sancta, si tamen et nos et ex his esse mereamur qui restituendi sunt, qui neque esurient, neque sitient, neque dormitabunt, neque laborabunt, sed erunt pervigiles sicut angelorum vita pervigil dicitur, cum in illum ordinem restitui merebuntur, tunc erit vera et incorrupta festivitas : cujus festivitatis princeps et sponsus et Dominus

C erit ipse Jesus Christus Salvator noster. Sed his ita prælibatis in singulis festivitatibus, quas oblationes offerre debeant, sequens liber demonstrat, mysticamque observationem earum brevi sermone demonstrat.

LIBER DECIMUS NONUS

SEQUITUR CAPUT XLV.

« Hæc dicit Dominus Deus : In primo mense, una mensis sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium. Et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato, et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrii interioris. Et sic facies in septima mensis pro unoquoque qui ignoravit et errore deceptus est, et expiabis pro domo. In primo mense, quarta decima die mensis, erit vobis paschæ solemnitas. Septem diebus azyma comedentur. Et faciet princeps in die illa pro se et pro universo populo terræ vitulum pro peccato. Et in septem dierum solemnitate faciet holocaustum Domino : septem vitulos et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus, et pro peccato hircum caprarum quotidie ; et sacrificium ephi per vitulum et ephi per arietem faciet, et olei hin per singula ephi. Septimo mense, quinta decima die mensis in solemnitate faciet, sicut supra dicta sunt per septem dies tam pro peccato, quam pro holocausto, et in sacrificio et in oleo. » (*Hieron.*) Totum capitulum posui, ne divisum per singula legentis ani-

D mum conturbaret. Et primum de interpretationis varietate dicendum est. Ubi nos interpretati sumus « in quatuor angulis crepidinis altaris, » Septuaginta transtulerunt, « et super quatuor angulos templi et super altare : » Et ubi nos diximus, « pro unoquoque qui ignoravit et errore deceptus est, » illi posuerunt, « pro ignorante et pro parvulo. » In eo quoque ubi nos diximus, « et sacrificium ephi per vitulum, et ephi per arietem faciet, et olei hin per singula ephi ; » illorum editio tenet, « et sacrificium et coctionem vitulo et coctionem arieti dabis et olei hin coctionis. » In extremo quoque versiculo, ubi nos diximus, in sacrificio et in oleo, illi dixerunt, « sicut in manna, sicut in oleo. » In primo, inquit, mense et prima die mensis : haud dubium quin Nisan significat : « sumes

vitulum de armento, non qui domi nutritus sit, sed A qui in armento, hoc est, de grege et numero plurimorum. « In septima quoque mensis ejusdem die; » quæ duæ solemnitates, hoc est, primi mensis prima dies, ejusdem septima in lege Mosaica non habentur. Quartum decimum autem diem mensis, quo pascha celebratur, et Moyses præcipit observandum, quando septem diebus azyma comedimus. Quartam vero solemnitatem, de qua dicit: « Septimo mense quinta decima die mensis in solemnitate, » etc., videtur mihi significare Scenopegiam, quam hic sine nomine posuit. Curramus ergo ad singula, et quid nobis videatur, breviter disseramus. Esse solemnitates spiritales et Apostolus docet: « Ne ergo quis vos judicet in cibo et potu, aut in parte solemnitatis, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum (*Coloss.* II). » Et si per Isaiam loquitur Deus: « Neomenias vestras, et sabbata vestra, et diem magnum non suscipio, jejunium et ferias, et neomenias et solemnitates vestras odit anima mea (*Isa.* I). » Manifestum est quod qui solemnitates oderit Judæorum, suos diligat, sabbatum videlicet quod relictum est populo Dei, ut videamus quæ a Deo donata sunt nobis, et loquamur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritalibus spiritalia comparantes. In præsenti enim sæculo, quod in maligno positum est, dies bonos videre non possumus, sed in novo. De quibus diebus in carmine Mosaico Spiritus sanctus canit: « Memento dierum antiquitatis, intellige annos generationis generationum (*Deut.* XXXII). » De quibus et sanctus loquebatur in psalmo: « Nocte in corde meditabar (*Psal.* LXXVI). » Et iterum: « Et annos æternos in mente habui et meditatus sum. » Qui istum non suscipit intellectum, respondeat quomodo illud possit exponere, quod Isaias de futuro et novo sæculo vaticinatur. « Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato, et veniet omnis caro adorare Dominum (*Isa.* LXVI), » quando veri adoratores nequaquam adorabunt in monte Garizin, nec in Jerusalem, sed in spiritu et veritate, quando erit cœlum novum et terra nova, et liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei, et sol septies tantum lumen accipiet et luna soli comparabitur. Accessimus enim ad montem Sion, quod interpretatur *specula*, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem (*Hebr.* XII), et ad millia angelorum solemnitates. De qua solemnitate loquitur et alius propheta: « Quid facietis in diebus congregationis, et in diebus solemnitatis Domini (*Ose.* IX). » Hoc est illud quod et alibi dicitur: « Celebra, Juda, festivitates tuas, redde vota tua (*Nahum.* I). » Si ergo didicimus solemnitates spiritales, consequenter docebimur et victimas spiritales. Assumitur vitulus de armento, sive taurus, ut interpretatus est Symmachus, liber et nullo pressus jugo, hoc est, onere peccatorum, et immaculatus, « qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Pet.* II), » vitulus novellus, cornua afferens et ungulas, ut in ipso mundetur et expietur sanctuarium. « Et tollet, inquit, sacerdos de sanguine ejus, quod erit pro peccato omnium. » Qui aliis verbis agnus appellatur, in Exodo et in Evangelio, Baptista Joanne dicente: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Sanguis autem ipse est pretiosus, in quo redimimur in passione Domini Salvatoris, cujus carnibus alimur et cruore potamur, quo tanguntur quatuor anguli crepidinis altaris. Quod Theodotio ipsum Hebraicum « posuit *azara* sive templi, ut Septuaginta transtulerunt, ut sanctificetur domus et altare. » Universa enim mundi elementa hoc sanguine sanctificantur, ut cum quis expiatus fuerit atque mundatus, ingrediatur portam atrii interioris, et possit Domini arcana cognoscere, et consequenter venire ad B septimam diem mensis primi, et consequi requiem, et Domino offerre sacrificium tam pro ignorantia, de qua David loquitur: « Delicta juventutis et ignorantiæ meæ ne memineris (*Psal.* XXIV); » quam pro parvulo, qui cum ad perfecti viri mensuram pervenerit, destruet ea, quæ parvuli sunt. Et loquitur confidenter: « Dum essem parvulus, quasi parvulus loquebar, sapiebam quasi parvulus (*I Cor.* XIII), » sive qui errore deceptus est, et non tam voluntate quam boni opinione peccavit. Completis autem duabus solemnitatibus primi mensis, hoc est, primæ diei, et septimæ ejus, venit ad quartum decimum diem mensis, in quo Paschæ solemnitas est, de qua scriptum est: « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* V), » tunc comedimus septem C diebus azyma in requie et securitate rerum omnium, quando fermentum malitiæ et nequitiæ destruentes, manducamus azyma sinceritatis et veritatis, principe nostro cuncta hæc pro nobis offerente, et primum pro seipso.

Suscepit enim corpus humanum, et per peccatum destruxit peccatum, qui pro nobis dolet et portat infirmitates nostras. Proinde *pro domo sua*, quod in Septuaginta scriptum est, sed in Hebraico non habetur, id est, pro Ecclesia et pro omni populo terræ, universo videlicet humano genere. Salvator est enim omnium hominum, et maxime fidelium, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non solum pro nobis, sed pro omni mundo. Oblato autem D vitulo pro universo populo terræ, in septem diebus reliquis Dominicæ passionis, septem vituli, et septem arietes immaculati offeruntur quotidie, ut holocausto et igne Dominico concrementur. Septem autem vituli et septem arietes sunt, qui configurantur Dominicæ passioni, ut imitentur verum vitulum, et verum arietem, et sanguine martyrum per septem dies totius mundi peccata purgentur. (*Adamant.*) Hircus quoque caprarum offertur pro peccato quotidie, septem videlicet diebus. Si vero quis inveniatur, qui possit velamen, quod est positum in lectione veteris testamenti, removere atque inde quærere quæ sint vera sacrificia, quæ purificent populum in diebus festis: tunc videbit quam mira et magnifica sunt, quæ per hæc indicantur quæ superflua ignorantibus

ac superstitiosa ducatur. Sed hæc quidem Paulus, et si qui ei similes sunt, plenius ab ipsa sapientia et verbo Dei perfectiusque cognoverint. Nos autem quantum ex ipsorum litteris colligere possumus, in quibus nobis velut per umbram et imaginem judicia quædam dederunt ad ædificationem communem, discutere summatim de sacrificiorum ritu aliqua tentabimus. In paschæ festivitate agnus scribitur esse, qui purificat populum, in aliis vitulus, in aliis hircus, aut aries, vel capra, vel vitula, sicut ex his, quæ recitata sunt, didicistis. Unus ergo ex his animalibus, quæ ad purificandum populum sumuntur, est agnus, qui agnus ipse esse dicitur Dominus et Salvator noster: sic enim intellexit Joannes, qui est major omnium prophetarum, et signavit de ipso dicens: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi (*Joan.* I). (*Greg. Nazian.*). » Quod si agnus, qui ad purificandum populum datus est, ad personam Domini et Salvatoris nostri refertur, consequens videtur, quod etiam cætera animalia, quæ his ejusdem purificationis usibus deputata sunt, referri debeant, similiter ad aliquas personas, quæ purificationis aliquid humano generi conferant. Vide ergo ne forte sicut Dominus et Salvator noster « quasi agnus ad occisionem ductus (*Isa.* LIII), » et in sacrificium altaris oblatus peccatorum remissionem universo præstitit mundo: ita fortassis et cæterorum sanctorum ac justorum « sanguis, qui effusus est a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ prophetæ, qui interfectus est inter ædem et altare (*Matth.* XXIII); alterius quidem sanguis sicut vitulæ, alterius sicut hirci aut capræ, aut alicujus horum fusus est ad expiandum pro parte aliqua populum. Sive ergo hæc ad justorum prophetarumque personas, qui in hoc mundo jugulati sunt, vel eorum qui dicunt: « Quoniam propter te morte afficimur [mortificamur] tota die, æstimati sumus ut oves occisionis (*Psal.* XLIII), » referenda videantur, quis facile audeat affirmare? Neque enim hæc animalia per speciem, sed per figuram referri ad illam vel illam personam putanda sunt. Nam ipse Dominus Jesus Christus non ideo agnus dicitur, quasi qui mutatus sit, et conversus in speciem agni: dicitur tamen agnus quia voluntas et bonitas ejus qua Deum repropitiavit, hominibus et peccatorum indulgentiam dedit, talis exstitit humano generi, quasi agni hostia immaculata et innocens, qua placari hominibus divina creduntur. Sic ergo si qui justorum hominum hic pro repropitiatione divina velut aries aut vitulus, aut hircus oblatus est, sacrificium ob purificationem populo impetrandam accipi potest: aut non videtur aries aut hircus holocaustum se obtulisse Paulus pro populo Israel, cum dicebat: « Optabam autem ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem (*Rom.* IX)? » Vis autem scire, quod se hostiam etiam Paulus offerat jugulandam? Audi eum et in aliis dicentem: « Jam enim ego immolor, et tempus resolutionis (*II Tim.* IV), » vel ut in Græcis codicibus legimus, « reversionis meæ instat. » Sic ergo figuraliter potest videri, quod alius pro festivitate novorum, alius pro festivitate sabbati, alius pro festivitate tabernaculorum, quod hircus aut vitulus, aut aries offeratur ad reconciliandum hominibus Deum: donec enim sunt peccata, necesse est requiri et hostias pro peccatis. Nam pone, verbi gratia, non fuisse peccatum. Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat Deus verbum. Verum, quoniam introivit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, et propitiatio non fit nisi per hostiam; necessarium fuit provideri hostias pro peccato. Et quoniam peccati ipsius diversæ et variæ qualitates fuerunt; diversorum animalium mandantur hostiæ; procul dubio, quæ convenient varietatibus peccatorum. Sic ergo efficit alius quidem sanctorum sive angelorum, ut diximus, sive hominum vitulus, qui in illa festivitate interveniat pro populi delictis; alius autem aries in alia festivitate, quorum intercessione fiat purificatio pro peccatis. Quod si purificari potuerint homines a peccatis et esse puriores, minuuntur et hostiæ. Si enim pro peccatis sunt hostiæ et pro multitudine peccatorum multiplicatæ sunt, sine dubio et pro exiguitate minuuntur. (*Hieron.*) Attendendumque diligentius quod in sacrificio ephi per vitulum, et ephi per arietem et olei hin offeruntur, quæ in lege præcepta sunt. In oblatione autem hirci nec ephi, nec, ut LXX transtulerunt, *coctio* ponitur; qui pro ephi ἕψημα, hoc est, coctionem interpretati sunt. *Hin* vero quæ olei certa mensura est, de qua ante jam diximus, assumit in sacrificio vituli et arietis, ut fomentum luminis sempiterni, et requiem laboris et lassitudinis sanitatem, post placationem peccatorum accipere possimus. In septimo quoque mense, quinta decima die mensis, hoc est, scenophegiarum, idem oblationis et sacrificiorum ordo servandus est, tam pro peccato, quam pro holocausto, et in sacrificio, et in oleo, ut festivitatem Domini, fugatis tenebris et orto lumine olei, consequamur, clarioresque habeamus solemnitates, in quibus nobis omnia peccata donantur.

CAPUT XLVI.

De sacrificiis Sabbati et Neomeniæ; per quas portas intrare debebunt, et exire principes et populi ad orandum Deum; de spontaneo holocausto principis, quod princeps possit dare, et de destructione coquinarum.

« Hæc dicit Dominus Deus: Porta atrii interioris, « quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus, « in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur, « sed et in die Kalendarum aperietur, et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in « limine portæ. Et facient sacerdotes holocaustum « ejus et pacifica ejus, et adorabit super limen « portæ, et egredietur. Porta autem non claudetur « usque ad vesperam. Et adorabit populus terræ ad

« ostium portæ illius in sabbatis et in Kalendis coram Domino. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino in die sabbati, sex agnos immaculatos et arietem immaculatum, et sacrificium ephi per arietem. De agnis vero sacrificium, quod dederit manus ejus, et olei hin per singula ephi. In die autem Kalendarum vitulum de armento immaculatum, et sex agni et arietes immaculati erunt, et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium. In agnis autem sicut invenerit manus et olei hin per singula ephi. » Priusquam quid ista significent disseramus, ipsa Scripturæ παραφραστικῶς verba pandenda sunt. « Porta, inquit, atrii interioris sex diebus » (de quibus scriptum est, « Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua) erit clausa; » nec quælibet porta, sed « quæ respicit ad orientem, » unde oritur sol justitiæ. Porro die sabbati, id est, septimo, in quo requies est, aperietur per singulas hebdomadas, et rursum completis diebus triginta, quando alterius mensis finis et alterius exordium est, id est, neomenia, die videlicet Kalendarum, aperietur: ut quod privilegium habet septimus dies in hebdomade, hoc habeat privilegium mensis exordium. Cur autem aperiatur die septimo, et die Kalendarum porta interioris atrii, quæ respicit ad orientem, sequens sermo monstrabit. « Et intrabit, inquit, princeps per viam portæ deforis, atrii videlicet exterioris, et stabit in limine portæ, » interioris atrii, quæ respicit ad orientem. Nec ingredietur atrium interius, sed illo stante alii sacerdotes facient pro ipso holocaustum, quam oblationem interpretatus est Symmachus, et pacifica, sive, quæ ad salutem pertinent, ut postquam hostia principis sacro igne fuerit concremata, et dux reconciliatus Deo, tunc adorare possit super limen portæ interioris atrii, in quo steterit et egrediatur. Quid igitur? post egressionem principis statim porta claudetur? Nequaquam, sed aperta erit usque ad vesperam; et post principem omnis populus terræ adoret contra ostium portæ illius: adoret autem in sabbatis et in Kalendis, quando aperitur porta. Et quia supra dixerat: Facient sacerdotes holocaustum ejus et pacifica ejus, nec significaverat holocaustorum numerum, nunc infert « holocaustum hoc, offeret princeps Domino in die sabbati. » Offeret autem non per se, sed per sacerdotes, de quibus scriptum est: « Et facient sacerdotes holocaustum ejus et pacifica ejus. Sex, inquit, agnos immaculatos et arietem immaculatum, » ita ut sacrificium arietis mensura ephi sit, quæ hebraice appellatur *epha*. Sex autem agnis sit sacrificium, quod offerre potuerit manus ejus, qui offert, et per singula ephi, erit olei mensura quæ appellatur hin. Kalendarum autem, hoc est, neomeniarum dies, hoc habebit privilegium amplius a die sabbati, ut vitulus immoletur de armento sive taurus immaculatus. Cætera autem, id est sex agni immaculati, et aries immaculatus, et sacrificia eorum ritum sabbati possidebunt. Ita duntaxat, ut sicut in ariete ephi offertur sacrificii, id est similæ et hin olei, ita offeratur et in vitulo. Hæc perspicuitatis causa sint posita, nunc spiritalem sensum Domino donante reseremus. Sex diebus, quibus operamur in mundo, porta orientalis atrii interioris clausa nobis est. Postquam autem venerimus ad diem septimum, id est ad diem sabbati, in quo æterna requies est, sive ad diem Kalendarum, quando post cæcam noctem et horribiles tenebras lucis exordium est, aperitur nobis porta orientalis, et si quis nostrum per merita virtutum ducis nomen et dignitatem fuerit consecutus, per viam vestibuli portæ deforis, hoc est per mundi hujus labores, et portam Ecclesiæ, quæ adhuc in terrenis finibus posita est, ingredietur: non interius atrium, hoc enim in præsenti loco scribitur, sed ad limen portæ interioris, et stabit in ea. Sin autem princeps in præsenti scriptura non ingreditur atrium interius, sed stat in limine ejus, nulli dubium est nunc ex parte nos videre, et ex parte cognoscere, et necdum revelata facie gloriam Domini contemplari. Denique stante principe in limine portæ atrii interioris, cæteri sacerdotes, quibus hoc officium delegatum est, quos possumus intelligere virtutes angelicas, facient pro ipso holocaustum et pacifica. Indigemus enim misericordia Dei, et omnis creatura ad comparationem creatoris immunda est et divino igne purganda, quo et Isaiæ (*Isa.* VI) prophetæ purgata sunt labia, ut postquam per sacrificium pacem receperit, tunc in limine constitutus, adoret omnipotentiam Dei, et se atrii interioris ingressu fateatur indignum et statim ingrediatur. Postquam autem, qui primus est fuerit egressus, non claudetur usque ad vesperam hujus sæculi ipsa porta interioris atrii, sed aperta erit, ut populus quoque terræ sit ad ostium, et adoret ad eum: nequaquam omni tempore, sed quando requieverit a peccatis, et, fugatis tenebris, fidei et scientiæ lumen acceperit. Hoc autem ipsum holocaustum, quod offert princeps per sacerdotes in die sabbati, sex agnorum immaculatorum numero terminatur: pro sex videlicet diebus, in quibus operamur in mundo: et arietem immaculatum, qui princeps gregis est, ita ut per singulos arietes offeratur in sacrificio ephi, id est, decima pars cori. In agnorum autem sex sacrificio certa mensura non ponitur, « sed quantumcumque dederit manus ejus, » qui offert, hoc est, pro operum qualitate atque mensura: olei autem hin offeret per singula ephi, hoc est oleum quod sibi quinque virgines præparaverunt, ut ungat similam sive commisceat, et omnis oblatio Dei plena sit lumine veritatis, et exhilaretur facies offerentis oleum. Die autem Kalendarum, hoc est, die tricesimo, quando primogenita et Levitæ numerantur in lege, præter omnem Israel, de quibus supra diximus, offertur vitulus de armento immaculatus, super quo plenius in priori capitulo disseruimus: et agni sex et arietes immaculati, et cætera quæ offeruntur in sabbatis ut æternam requiem consequamur, et mereamur audire: « Euge, serve bone, quia in paucis fidelis fuisti, super multa te con-

stituam, intra in requiem domini tui (*Matth.* xxv); » et non solum ad portam interioris atrii pervenire, sed etiam penetralia ejus intrare possimus et illud opere possidere, « Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri (*Psal.* ix) » florebunt.

« Cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur et per eamdem viam exeat. « Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini « in solemnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ. Et qui ingreditur per viam portæ meridianæ, « egrediatur per viam portæ Aquilonis. Non revertatur per viam portæ, per quam ingressus est, sed « e regione illius egredietur. Princeps autem in medio eorum : cum ingredientibus ingredietur, et « cum egredientibus egredietur. Et in nundinis et in « solemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum et « ephi per arietem. In agnis autem erit sacrificium « sicut invenerit manus ejus, et olei hin per singula « ephi. » Princeps ille, de quo supra dictum est, « Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis : per eamdem portam ingrediatur et per eamdem egrediatur; » liberi enim arbitrii est, et potestatem habet ponendi animam suam (*Joan.* x), et rursum resumendi eam, et tam ad nos veniens, quam ad cœlestia conscendens, eadem majestatis suæ utitur libertate, denique non quærit nundinas, nec solemnitates, nec differentiam ullam observat dierum, quia omne tempus ei festivitas est. Populus autem in nundinis tantum et in solemnitatibus ingreditur et egreditur, et non per eamdem viam, sed per alteram atque alteram : scriptum est enim : « Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ; » et qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis, non revertetur per viam portæ per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur. Quod non solum his præcipitur, qui egrediuntur de Sodomis, et dicitur eis, « ne respicias retrorsum (*Gen.* xix), » neque illis qui manum mittunt ad aratrum, ut non respiciant ea quæ post tergum sunt, sed in domo quoque Domini constitutis jubetur, ne post terga respiciant, et revertantur ad egena et infirma elementa, et incipientes spiritu, carne consumantur, sed ut de spiritalibus quoque ad majora procedant et dicant cum Apostolo (*Philip.* iii) : « Præteritorum obliviscens et in priora me extendens, » ut nequaquam ex parte cognoscant et ex parte prophetent (*I Cor.* xiii), sed veniant ad perfectum, juxta eam tamen perfectionem, quam potest capere humana natura, ut intelligamus illud evangelicum : « Et vos cum omnia feceritis dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus (*Luc.* xvii). » Unde et Apostolus in eadem Epistola de duabus loquitur perfectionibus; quasi imperfectus enim scribit : « Non quia jam accepi et quasi jam perfectus sim : persequor autem si apprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo (*Philip.* iii). » Statimque quasi perfectus loquitur : « Unum autem posteriorum obliviscens, ad ea quæ in priora sunt me extendens, juxta propositum persequor ad bravium supernæ vocationis : quotquot ergo perfecti hoc sapimus (*Ibid.*). » Quomodo enim potest stare sententia, ut qui dixerat non quia jam accepi, aut quia jam perfectus sum, audeat dicere : Quotquot ergo perfecti hoc sapimus? Ex quo perspicuum est omnem hominem et universam creaturam, quamvis ad perfectionem venerit, tamen indigere misericordia Dei et plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidere. Præcipitur itaque populo terræ, « ut si ingreditur per portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ. » Quis est iste populus, cui hoc præcipitur? Nempe gentilium, ut qui derelinquens portam Aquilonis, a quo exardescunt mala super terram, ingressus fuerit templum, non egrediatur nisi per viam portæ meridianæ ad portam luminis, ad portam caloris, ad portam in qua sponsus cubat in meridie. Denique dicitur in eodem Cantico canticorum : « Surge, Aquilo; et veni, Auster (*Cant.* iv). » Qui vero ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis; quisnam ille est populus? scilicet Judæorum, qui derelinquens portam viæ luminis, vadit ad portam Aquilonis de quo dicitur : « Aquilo ventus durissimus (*Eccli.* xliii); » nam et olla Jeremiæ a facie aquilonis accenditur (*Jer.* i). Dicamus et aliter. Per portam Aquilonis ingreditur, qui peccata dimittit : et egreditur per portam meridianam, qui virtutes sequitur. E contrario, si justus lapsus fuerit in peccatis, ingreditur quidem per portam meridianam, sed egreditur per viam portæ Aquilonis. « Princeps autem, inquit, in medio eorum erit, » ingredientium scilicet et egredientium, juxta illud quod scriptum est : « Medius inter vos stat, quem vos ignoratis (*Joan.* i). » Et Apostolus : « An ignoratis quoniam Christus in vobis est (*II Cor.* xiii) ? » Sin autem ignorantibus dicitur, quod medius inter eos stetit Christus, quanto magis scientibus ! Sed cum inter scientes Christus steterit, tunc corpus mortuum fiet propter peccatum, et spiritus vivens propter justitiam. Ingreditur autem princeps cum ingredientibus, et egreditur cum egredientibus, utrorumque virtutis atque peccati testis assistens. In nundinis ergo et in solemnitatibus, sabbatorum videlicet et Kalendarum, et universæ festivitatis, de qua in anterioribus locuti sumus, tam in vitulo, quam in ariete singula ephi offeruntur in sacrificio. In agnis vero non erit certus numerus, nec voluntati dimissum arbitrium, sed viribus quis utetur et bono conscientiæ, ut quantum potest, non quantum vult offerat : et super omnia olei hin per ephi singula, ut ungatur simila et lucerna accendatur in conspectu Domini, et qui eo utitur possit dicere : « Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini (*Psal.* li). »

« Cum autem fecerit spontaneum holocaustum aut « pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ « respicit ad orientem, et faciet holocaustum suum,

« et pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati, et « egredietur clauditurque porta postquam exierit. « Et agnum anniculum immaculatum faciet holo« caustum quotidie Domino. Semper mane faciet « illud. Et sacrificium faciet super eo cata mane, « mane sextam partem ephi, et de oleo tertiam « partem hin, ut misceatur similæ. Sacrificium Do« mino legitimum juge atque perpetuum. Faciet « agnum et sacrificium et oleum cata mane, mane « holocaustum sempiternum. » (*Hieron.*) Ubi nos legimus *immaculatum*, et in Hebraico scriptum est *thamin*. Aquila *perfectum* interpretatur : et ubi Septuaginta *manaa*, Theodotio *sacrificium*, Aquila et Symmachus, *donum* transferunt. Pro eo autem quod nos diximus *spontaneum*, Septuaginta ὁμολογίαν, id est, *confessionem* verterunt, et pro principe *ducem* : hoc enim *nasi* significat. Adhuc autem sermo de principe est, de quo Isaias loquitur : « Ecce testimonium in gentibus, dedi eum principem et præceptorem in gentibus (*Isa.* LV). » Et Ezechiel : « Et ego Dominus ero eis in Deum (*Ezech.* XXXIV). » Et David : « Princeps in medio eorum (*Psal.* XLV). » Cum igitur iste princeps fecerit spontaneum, et dixerit « voluntaria, sive spontanea, oris mei, beneplacita fac, Domine (*Psal.* CXVIII); » Spontaneum autem holocaustum, ut totum se offerat Deo, et pacifica voluntaria, quod in prioribus non invenitur. Scriptum est enim : « Et facient sacerdotes holocaustum ejus et pacifica ejus, » et de spontaneis ac voluntariis, quibus nunc dicitur omnino reticetur, ut non necessitate faciat, sed voluntate, post holocaustum offerat pacifica et reconcilietur Deo. Unde et virginitas major est nuptiis, quia non exigitur nec redditur, sed offertur. Pro pacificis, quæ Hebraice dicuntur *selamim*, Septuaginta *salutaria* interpretantur, ut ipsa reconciliatio pacificorum salus sit offerentis. Cum ergo hoc fecerit princeps, aperietur ei porta, vel juxta Septuaginta, « aperiet sibi portam quæ respicit ad orientem, » illam videlicet portam de qua scriptum est : « Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam (*Psal.* CXVII). » Et unde oritur sol justitiæ. « Et faciet, inquit, holocaustum suum et pacifica sua, » de quibus nunc diximus : Faciet autem, quia spontaneum sacrificium est, et non alii pro eo facient sacerdotes, videlicet sicut fieri solet in die sabbati. Ergo omni tempore holocaustum et pacificum, quod offertur voluntarie, reseratam habet portam Domini, nec observat sabbatum, sed omnes dies ei reputantur in requiem. Denique postquam obtulerit holocaustum et pacifica, statim egreditur et clauditur post eum janua, sive claudit januam, ut servetur principi privilegium suum nec sacrificio ejus populo misceantur. Et quia generaliter dixerat « spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, » nec apposuerat taurum sive vitulum, arietem vel ovem hircumque pro peccato, docet, quod sit ipsum holocaustum. « Agnum, inquiens, anniculum, immaculatum faciet holocaustum, » et non certis diebus, sed quotidie; » nec qualibet hora, sed mane « mane faciet illum, » per singula videlicet mane, quando, orto sole, lucis exordium est, de quo mane David loquitur in psalmo : « Mane exaudies vocem meam : mane assistam tibi et videbo (*Psal.* V). » Mane deprecatur, qui in lucida degere conversatione dignoscitur. Tunc enim mane dicimus, quando discussis tenebris clari luminis adventus infulserit. Ecclesia enim, quæ se cognoscit habuisse tenebras peccatorum et de nocte mundi istius congregata, tunc se exaudiri merito credit, cum in lucem cœlestis conversationis erupit : repetit quoque mane, quod necessario mentem lucidam beneficio Domini astare sui semper orationibus sentiebat. Et intuere, quare mane dictum est, scilicet cum in ipso exordio bonorum actuum veritatem cœperit mens clarificata cognoscere : ne putares post peccatum moram fieri, qua potuisset audiri, sicut Ezechiel propheta dicit : « Impius quacunque die se averterit ab impietate sua, omnes impietates ejus non erunt in memoriam (*Ezech.* XVIII). » Astare est enim præsentem semper assistere. Per hoc autem verbum religiosæ devotionis continuitas indicatur. Ille siquidem bene dicitur Deo astare, qui dignus potest ejus conspectibus apparere, sicut Elias de se dixit : Vivit Dominus, in cujus conspectu adsto. Supra dixit : exaudies hic additur : et videbo; quoniam in illa resurrectione ipsum conspiciet, cui hic sanctis orationibus supplicavit. Qui sit autem iste agnus immaculatus, sive perfectus et anniculus, Isaias plenius docet, dicens : « Sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus in conspectu tondentis se sine voce, et non aperiens os suum (*Isa.* LIII). » Et Jeremias : « Ego autem sicut agnus innocens ductus ad victimam non cognovi (*Jer.* XI). » Et Joannes Baptista : « Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi (*Joan.* I). » Iste est agnus, qui immolatur in Ægypto, de cujus sanguine armantur postes fidei et exterminator excluditur. Anniculus autem quia prædicavit annum Domini acceptabilem et diem retributionis. Nec miretur lector, si idem et princeps est, et sacerdos et vitulus, et aries et agnus, cum in Scripturis sanctis pro varietate causarum legamus eum Dominum, et Deum, et hominem, et prophetam, et virgam, et florem, et radicem, et principem, et judicem, et regem, justum et justitiam, apostolum, et episcopum, brachium, servum, unigenitum, pastorem, filium et puerum, unigenitum et primogenitum, ostium, viam, angelum, sagittam et sapientiam, et multa alia : quorum omnium si voluero testimonia dicere, proprio libro indigent. In holocausto itaque istius agni immaculati et anniculi, qui mane semper offertur, faciet ipse princeps sacrificium sive manaa, et similam, sive donum mane, mane sextam partem ephi, subauditur similæ : sexta autem pars ephi dimidius modius est. Si enim ephi decima pars cori est, id est tres modii, nulli dubium quin sexta pars ephi dimidium faciat modium. De oleo quoque mensuræ hin, tertia pars offertur, ut misceatur sive aspergatur simile sacrificium Domino legitimum juge atque perpetuum quod nulla inter-

mittitur die, sed omni tempore orto sole semper offertur ut impleatur, quod in fine capituli hujus ponitur : facies agnum in sacrificium et oleum mane mane holocaustum sempiternum.

« Hæc dicit Dominus Deus : Si dederit princeps « (sive dux) donum alicui de filiis suis, hæreditas ejus « filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditarie. « Sin autem dederit legatum de hæreditate sua uni « servorum suorum, erit illius usque ad annum re- « missionis » (pro quo Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit *deror*), « et revertetur ad principem. « Hæreditas autem ejus filiis ejus erit. Et non accipiet « princeps de hæreditate populi per violentiam, et de « possessione eorum, sed de possessione sua hæredi- « tatem dabit filiis suis, ut non dispergatur populus « meus unusquisque a possessione sua. » (*Hieron.*) Huc usque sermo de principe, nunc de hæredibus ejus præcepta tribuuntur, imo de donis, hæreditate atque legatis, quibus dare debeat, et quorum sit vel ad tempus vel æterna possessio. Si, inquit, filiis suis dederit vel donum, vel hæreditatem, ipsi possidebunt eam, quia eis successionis jure debetur, et de alio ad alium non potest transire possessio. Sin autem dederit uni servorum suorum legati nomine, tandiu habebit possessionem, quandiu vel septimus annus remissionis, qui dicitur deror vel Jubilæus, hoc est, quinquagesimus adveniat, quando omnis emptio atque donatio revertitur ad priores dominos, ita ut servus usum habeat pro tempore, et proprietatem possessionis filii principis. Quod autem sequitur : « Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, » sive, ut Septuaginta transtulerunt, « ut opprimat eos; » vel, ut Aquila et Symmachus, « ut affligat eos atque contristet; » sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis : suggillat non solum illius temporis sacerdotes, et principes, sed nostros quoque, qui ditiores fiunt sacerdotii dignitate, et præter ea, quæ sibi Domini dispositione debentur, tollunt a pauperibus per violentiam, vel sub honoris nomine divites spoliant, ut ipsis quoque filiis suis quibus paterna debetur hæreditas, nihil debeant derelinquere, nisi quod sibi a parentibus derelictum est. Ergo qui ditior est sacerdos, quam venit ad sacerdotium, quidquid plus habuerit, non filiis debet dare, sed pauperibus, et sanctis fratribus, et domesticis fidei, qui vincunt merita liberorum, ut reddat ea quæ Domini sunt Domino suo, qui loquitur in Evangelio : « Quidquid uni justorum feceritis, mihi fecistis (*Matth.* XXV). » Ipse enim in pauperibus suscipitur hospitio, visitatur in carcere, nudus tegitur, sitiens bibit, saturatur esuriens, ut non dispergatur populus meus a possessione sua. Si enim licentiam habuerit princeps, vel accipere, vel rapere, vel sub figura honoris tenere, quæ non sunt sua, et liberis derelinquere, populus, qui in nomine Dei fuerat congregatus, dispergetur in partes, atque lacerabitur, sive juxta legem, ne paulatim alterius hæreditas transeat ad alium, et pereat funiculus divisionis, per quem forte ad unumquemque venit hæreditas.

A Dispergit ergo populum Dei, et aufert ab eo possessionem fidei sempiternam, qui aliena dona, vel bona, vel rapina, vel adulatione, vel blanditiis, vel præcepto religionis filiis fratribusque, et consanguineis derelinquit.

« Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ, in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes, qui respiciebant ad aquilonem, et ecce erat « ibi locus vergens ad occidentem et dixit ad me : Iste « est locus ubi coquent sacerdotes pro delicto, ubi co- « quent sacrificium ut non efferant in atrium exterius, « et sanctificetur populus. Et eduxit me in atrium « exterius et circumduxit me per quatuor angulos « atrii. Et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola « singula per angulos atrii. In quatuor angulis atrii B « atriola disposita quadraginta cubitorum per lon- « gum, et triginta per latum. Mensuræ unius quatuor « erant, et paries per circuitum ambiens quatuor « atriola, et culinæ fabricatæ erant subter porticus « per gyrum. Et dixit ad me : Hæc est domus culinarum in qua coquunt ministri domus Domini vi- « ctimas populi sive victimam. » (*Hieron.*) Hoc enim Hebraice significat *Zeba* ; vir qui calamum tenebat manu, et funiculum cœmentarii quo ædificium metiretur, « introduxit, inquit, me per ingressum, qui erat ex latere portæ, » vel post tergum portæ, nec posuit cujus portæ orientalis australis aut alterius plagæ, sed reliquit incertum, ut iret ad locum sanctuarii, « et in gazophylacia » sive cubicula sacerdotum, quæ respiciebant ad aquilonem et ad mare, ad septen- C trionem videlicet et ad occidentem, hanc habente Scriptura sancta consuetudinem, ut pro situ terræ Judææ semper mare occidentem vocet. Et considerandum quod locus sacerdotum, ubi pro delicto sive ignorantia et pro peccato coquuntur sacrificia, ne cruda offerantur in atrium exterius, ad aquilonem et occidentem positus sit, unde ventus frigidissimus oritur, et ubi solis lumen occumbit. Ex quo ostenditur quidquid ad edulium pertinet, vel pro errore esse, vel pro peccato ; sin autem et pro ignorantia offertur sacrificium, quanto magis pro delicti conscientia? Unde et Job offerebat mane quotidie hostiam pro filiis suis, timens ne per ignorantiam deliquissent (*Job*, I). Quod autem sequitur, « ut non efferant in D atrium exterius et sanctificetur populus, » qui sanctificationi non fuerat præparatus, illud significat ne facile non sanctificatis sancta tribuamus, nec mittamus juxta Evangelium margaritas ante porcos, hoc demus sanctum canibus. Denique Moyses tribus diebus ab omni immunditia et ab uxorum complexu vult populum sanctificari (*Exod.* XIX), ut accedat ad montem Sina, et sanctificatus sancta suscipiat. Si autem accessuri ad audienda et suscipienda verba Dei sanctificari jubentur ab uxoribus, manifestum est in lege illud apostolicum contineri : Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi (*I Cor.* VII), « et ex consensu abstinendum ab uxoribus ut vacemus orationi. Post hæc scriptum est : « Et eduxit me in atrium exterius, et circum-

duxit me per quatuor angulos atrii. Et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii; » in quatuor atriolis anguli atriola disposita. Ille vir quem sæpe commemorat, eduxit eum de loco sacerdotum, qui vergebat ad aquilonem, sive qui erat separatus, ubi coquunt sacerdotes pro delicto et pro peccato vel ignorantia. Eduxit autem in atrium exterius. Ex quo intelligimus illud atrium de quo egressus est fuisse interius, et multa esse atria in Scripturis sanctis de quibus legimus : « Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri (*Psal.* CXXXVI). » Et in Joanne : « Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc atrio, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum atrium et unus pastor (*Joan.* X). » Hoc enim Græce αὐλὴ significat, quod Latina simplicitas in *ovile* transtulit.

Quando autem dixit ex hoc atrio, ostendit esse et aliud quod vel in gentium turba ad distinctionem Israel, vel in cœlis ad separationem terreni atrii demonstratur, et pro qualitate meritorum unicuique officio atrium delegatum : super quo in anterioribus plenius disputatum est. Hoc autem atrium de quo nunc sermo est, per singulos angulos quatuor habebat atriola, quæ septuaginta minora vocant, et nos pro facilitate sensus ὑποκοριστικῶς atriola diximus. Quadraginta cubitorum erat per longum et triginta per latum, de quibus numeris in hoc eodem propheta disputasse me memini, quod aliud ad tribulationes et angustias, aliud ad perfectam referatur ætatem. Unde quadraginta diebus Moyses et Elias et Dominus atque Salvator in eremo jejunarunt. Et ad sacerdotale officium non post vicesimum quintum ætatis annum, sed post tricesimum accedunt. Quamobrem et Dominus triginta annorum erat cum venit ad baptismum. Et in hoc eodem propheta tricesimus annus ponitur in exordio. Ubi igitur cibi, ibi et angustia atque tentatio per quæ parantur cibi : et ubi perfecti viri venerimus ad ætatem, ibi calcanda sunt omnia et dicendum : « Habentes victum et vestitum his contenti sumus (*I Tim.* VI); » et : « Si dederit mihi Dominus cibum ad vescendum, et vestem ad operiendum (*Gen.* XXVIII); » vel certe illud : « Esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et illas destruet (*I Cor.* VI). » Neque in futuro manducabimus et bibemus, sed illo vescemur pane qui de cœlo descendit (*Joan.* VI). De quo in Psalterio canitur : « Panem angelorum manducavit homo (*Ps.* LXXVII); » et : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui me misit (*Joan.* IV). » Quod autem mensura una atriolorum erat quatuor, quæ atrii majoris angulos possidebant, quatuor mundi significat plagas, quod in sudore vultus nostri comedimus panem (*Gen.* III), et omnis labor ventri stercorique proficiat, quæ quatuor atriola vel unus paries ambiebat. Et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita, ut ubi cibi, ibi et mensarum præparatio. Et ne forsitan ignoraret Propheta quid essent quæ ostenderat, dixit ad eum : Hæc est domus culinarum in qua coquent ministri Domini

A victimas populi : populi quidem victimæ, quæ offeruntur pro delicto sive peccato et ignorantia, sunt alimenta et refrigeria sacerdotum, ut meminerint nihil se aliud debere appetere, cum etiam in templo carnes ad eorum refrigeria præparatæ sint. (MAUR.) Legitur siquidem in Levitico, ubi commemoratio fit consecrationis Aaron et filiorum ejus in sacerdotium de coctione carnium consecratarum ad usum eorumdem sacerdotum, ita præcepisse Moysen atque dixisse : « Coquite carnes ante fores tabernaculi et ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens : Aaron et filii ejus comedent eas. *Quidquid autem* reliquum fuerit de carne et de panibus, ignis consumet. De ostio quoque tabernaculi non exibitis

B septem diebus usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ ; septem enim diebus finitur consecratio (*Levit.* VIII). (*Isid.*) Quod etiam ad hujusmodi culinarum significationem non incongrue pertinet. Præcipua quoque nunc legislator providit ac discrevit mysteria et figuraliter per ea quæ nunc contemplatus est tradidit, intra Ecclesiam eam perfici, et nullatenus profanorum visibus et auribus publicari, nec cuilibet volenti profanandi ea esse facultatem. Unde quia tabernaculum testimonii Dei cœlum esse, atrium autem tabernaculi hujus ecclesiam, quia ipsa est ante cœli introitum collocata, ipsa Jerusalem quippe cœlestis tenet imaginem sicut olim prædiximus. In ea carnes sacrificii coqui præcepit. Ait enim : « Præcepit eis dicens : Coquite car-

C nes ante fores tabernaculi, et ibi comedite eas. » Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia spiritus? Nullam quippe dubietatem hujusmodi intellectui dereliquit. Propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis et caro est sicut corpus Christi, « panis vivus, qui de cœlo descendit. » Et hoc ideo ut illic absolute mystica cœna deberet celebrari.

Aaron autem et filii ejus illud recte comedunt. Nisi enim Christus rogatus ore sacerdotum ipse venerit, et cœnam sanctificaverit et initiaverit, ea quæ aguntur nullatenus sacrificium Dominicum fiunt. Sed hoc quod reliquum est de carnibus et panibus in igne incendi præcepit : quod nunc videmus etiam

D sensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta. Ergo ex hoc quod agitur sensibiliter, significatio cujusdam intelligibilis rei eis qui intendunt provenit, ut quando ad comestionem sacrificii deficimus, et comedere illud integra non possumus, mente forsan lassescente sive deficiente, utrum ea quæ videntur corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet spiritus, ut ea comedat quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia : quomodo autem comedat, cum cogitaverimus, virtuti spiritus esse possibilia, ea quæ nobis impossibilia videntur.

CAPUT XLVII.

De aquis multis quæ procedunt de templo, de gratia baptismi, de divisione terræ, quam hæreditarie accepit Israel: de porta civitatis, cujus nomen est domus Judæ.

« Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ « egrediebantur subter limen domus ad orientem. « Facies enim domus respiciebat ad orientem. Aquæ « autem descendebant in latus templi dextrum ad « meridiem altaris. Et eduxit me per viam portæ « aquilonis, et convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad orientem. « Et ecce aquæ redundantes a latere dextro cum « egrederetur vir ad orientem, qui habebat funiculum « in manu sua, et mensus est mille cubitos, et trans- « duxit me per aquam usque ad talos. Rursumque « mensus est mille, et transduxit me per aquam usque « ad genua. Et mensus est mille, et transduxit me « per aquam usque ad renes. Et mensus est mille « torrentem quem non potui pertransire, quoniam « intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non po- « terat transvadari. » (*Hieron.*) Pro quo Septuaginta transtulerunt : « Et mensus est mille et non poterat pertransire, » quoniam ferebatur aqua instar præcipitis torrentis, qui transiri non potest. Aquæ istæ, quæ egrediebantur subter limen domus, id est templi non ferebantur ad aquilonem et ad occidentem, sed ad orientem. Et in latere templi dextro, id est ad meridiem, ipsamque meridiem non cujuslibet loci, sed altaris. Ex quo perspicuum fit sacras esse aquas et Salvatoris nostri significare doctrinam, juxta illud quod scriptum est : « De Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem (*Isa.* II). » Et in alio loco : « Repleta sunt omnia scientia Domini, sicut aqua multa operiens mare (*Isa.* XI). » De his aquis et Zacharias propheta vaticinatus est dicens : « In illo die egredietur aqua vivens de Jerusalem, et medium ejus in mare primum, medium autem illius in mare novissimum (*Zach.* XIV). » De his aquis et ad Samaritanam Dominus loquebatur : « Si scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses eum, et dedisset tibi viventem aquam (*Joan.* IV). » Et iterum : « Omnis qui bibit de aqua ista sitiet denuo : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum (*Ibid.*). » Et in templo clamabat atque dicebat : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat : qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII). » Istæ sunt aquæ de quibus Propheta loquebatur in psalmo : « Super aquas refectionis educavit me (*Psal.* XXII). » Et Ezechiel : « Assumam vos de gentibus et de terris et aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini ex omnibus immunditiis vestris, apparuerunt enim fontes aquarum (*Ezech.* XXXVI). » Et in nonagesimo secundo psalmo canitur : « Elevaverunt flumina Domini, elevaverunt flumina voces suas a vocibus aquarum multarum, mirabiles elevationes maris (*Psal.* XCII, *Psal.* XXIX). » Istæ sunt aquæ Siloe, « quæ vadunt

A cum silentio (*Isa.* VIII), » de quibus loquitur Isaias : « Haurietis aquas de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII). » Et Psalmista : « Benedicite Domino de fontibus Israel (*Psal.* LXVII). » Et idem Isaias de Domino Salvatore : « Iste, ait, habitabit in excelsa spelunca petræ fortissimæ, panis ei dabitur, et aqua illius fidelis : erupit enim in deserto aqua et vallis in terra sitienti (*Isa.* XXXIII). » Diciturque credentibus : « Nolite timere, quoniam redemi te; meus es tu, et si transieris per aquam, tecum ego sum (*Isa.* XLIII). » Et rursum : « Qui sititis, ite ad aquam (*Isa.* LV). » Et per Jeremiam loquitur Deus : « Duo mala fecit populus meus, me dereliquit fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus qui aquam continere non possunt (*Jer.* I). » Sicut igitur legimus in bonam partem aquas, quæ egre-

B diuntur de limine templi et referuntur ad doctrinam Ecclesiæ, sic sunt aquæ amaræ et aquæ pessimæ, ad quas Jeremias propheta nos prohibet accedere dicens : « Quid vobis et viæ Ægypti ut bibatis de aquis Geon (*Jer.* II), » quæ Hebraice dicuntur *sior*, id est, turbidæ atque cœnosæ. De quibus iratus super hæreticis loquitur Deus : « Ecce ego cibabo eos angustiis, et dabo eis potum aliquam fellis (*Jer.* IX), » in qua draco regnat Ægyptius, qui dicit : « Mea sunt flumina, et ego feci memetipsum (*Ezech.* XXIX), » qui omne excelsum videt, et ipse est rex eorum qui in aquis sunt. Unde vir ecclesiasticus Dominum deprecatur et dicit : « Salvum me fac, Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limum profundi et non est substantia; veni in

C altitudinem maris, et tempestas demersit me (*Psal.* LXVII). » Et iterum : « Liberer ab his qui oderunt me et de profundo aquarum. Non me præcipitet tempestas aquæ, nec absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum (*Ibid.* XV). » Et in alio psalmo : « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis. Cum exsurgerent homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos. Cum irasceretur furor eorum super nos, forsitan aqua absorbuisset nos (*Psal.* CXXIII). » Et sponsa in Cantico canticorum : « Aqua multa non poterit restinguere charitatem, et flumina non demergent eam (*Cant.* VIII). » Ista est aqua de qua dicit Osee : « Contempsit me Galaad civitas, quæ operatur vanitates conturbans aquam; et fortitudo ejus viri

D piratæ (*Ose.* VI). » Quæ aqua alio nomine vocatur *Mara*, hoc est amaritudo, in qua lignum crucis mittitur, et amara vertentur in dulcia. Considera legem Moysi, si intelligitur juxta sensum carneum Judæorum, quomodo amara sit, effodiens oculum pro oculo, dentem pro dente, Judam in Thamar fornicatione et Osee junctum fornicariæ, Jeremiæ περίζωμα, Mosi uxorem Æthiopissam et interfectionem Ægyptii, et mille alia, quæ si intelligamus juxta occidentem litteram, et non juxta spiritum vivificantem, amara sunt, et lectorem suum non tam ædificant quam destruunt. Istæ igitur aquæ, quæ egrediuntur de templo Domini, pergunt ad orientem, et descendunt in latus templi dextrum, ad altaris meridiem, ubi sponsus convivas

suas pascit et accubat. Quod autem sequitur: « Et eduxit me per viam portæ aquilonis, et convertit ad viam foras portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad orientem, illud latenter ostendit, quod statim ad portam orientalem pervenire non possumus, nisi per viam portæ aquilonis longo circuitu perveniamus ad eam. Nisi enim ventum frigidissimum vicerimus calore fidei, et calcaverimus regiones ejus, ut impleatur illud in nobis apostolicum: « Deus autem conteret Satanam sub pedibus vestris velociter (*Rom.* XVI); » portam per quam egrediuntur aquæ et sunt a latere dextro, ingredi non valebimus. Et nota quod aquæ istæ, quæ egrediuntur per portam orientis, intantum lævas partes fugiunt, ut a dextris altaris ad meridiem pergere describantur: « Vir autem, inquit, ille qui habebat funiculum in manu, cum me duxisset per portam aquilonis forinsecus ad viam quæ respiciebat orientem, et ipse quoque esset in eodem loco, mensus est ejusdem aquæ mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad talos, » quos Aquila et Symmachus et Theodotio ἀστραγάλους interpretati sunt, pro quibus Septuaginta transtulerunt, sed transibit in aquam aquam remissionis. Quod intelligere possumus prima hominum significare peccata, quæ ingredientibus nobis aquas Domini dimittuntur, et baptismi ostendunt gratiam salutarem, et initia sunt profectuum. Denique ad talos usque pertingunt, qui plantæ calcaneoque vicini sunt, qui patet morsibus colubri, dicente Domino: « Tu ejus observabis caput, et ipse observabit tuum calcaneum (*Gen.* III). » Et in Psalterio de Juda dicitur proditore: « Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (*Ps.* XL), » sive calcaneum. Hoc enim Græcum πτέρνα significat. Post mille autem cubitos, qui perveniunt usque ad talum, mensus est alios mille cubitos in aqua, « et transduxit me ad genua. » Post remissionem siquidem peccatorum et iter profectuum quando paululum de terrenis ad altiora conamur ascendere, flectimus Domino genua, dicente Apostolo: « Ut omne genu flectatur cœlestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). » Tertio mensus est mille alios cubitos « et transduxit, inquit, me per aquam usque ad renes. »

His enim gradibus ad sublimia pervenimus, quæ tamen ipsa sublimia usque ad lumbos et renes perveniunt, ut omnis in nobis ignobilis libido truncetur, et possideamus sanctificationem corporis sine qua nemo videt Deum. Unde et in hoc eodem propheta a pedibus usque ad lumbos Deus igneus cernitur. Indigent enim igne et purgatione opera lumborum, dicente justo: « Quoniam lumbi mei repleti sunt illusionibus (*Psal.* XXXVII), » per quos nobis et in die et in noctium phantasmate illudit inimicus. A lumbis vero usque ad caput et verticem pretiosissimo metallo electri fulgore resplendet, ut nihil in se sordidum, nihil habeat utilitatis. Unde nunc quarto dicitur: « Et mensus est mille, » subauditur *cubitos* torrentem, quod Septuaginta non transtulerunt; « quem non potui pertransire, » multo melius quam Septuaginta, qui dixerunt « quem non potuit pertransire. » Propheta enim et omnis humana natura post lumbos torrentem cogitationum et incentiva in corde vitiorum non potest pertransire. Vir autem ille, qui indutus erat *baddim* et ductor prophetæ, liquido pertransiit, « qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (*I Petr.* II). » Causasque reddit cur propheta mille quartos cubitos non potuerit pertransire: « Quoniam, inquit, intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. » Et quomodo scriptum est gloriante propheta: « Torrentem pertransiit anima nostra? » Sed facile solvitur si sciamus pro hoc scriptum in Hebræo: « Torrens pertransiit animam meam. » De hoc torrente et Isaias loquitur: « Ecce ego inclino super eos sicuti fluvium pacis, et sicut torrentem inundantem gloriam. » Et in tricesimo quinto psalmo de sanctis dicitur: « In protectione alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ; » et in centesimo vicesimo quinto: « Converte, Domine, captivitatem nostram sicut torrens in austro; » et super Salvatore: « De torrente in via bibat (*Psal.* CIX). » Quis enim hominum gloriari potest castum se habere cor? vel ad cujus mentem per oculorum fenestras mors concupiscentiæ non introivit, et ut parum dicam, animi titillatio? « Mundus enim in maligno positus est (*I Joan.* V), » et a pueritia appositum est cor hominis ad malum, ut ne unius quidem diei a nativitatis exordio sine peccato sit humana conditio. Unde et David confitetur in psalmo: « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea (*Psal.* L). » Non in iniquitatibus matris meæ vel certe meis, sed in iniquitatibus humanæ conditionis. Unde et Apostolus dicit: « Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam super eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ (*Rom.* V). » (*Greg.*) Quid namque millenario numero, nisi collati numeri plenitudo signatur? Vir itaque qui apparuit, mille cubitos metitur, et Propheta per aquas usque ad talos ducitur. Quia Redemptor noster cum nobis ad se conversis boni exordii plenitudinem tribuit, dono spiritalis sapientiæ prima nostri operis vestigia infundit. Aquam quippe usque ad talos venire, est jam nos per acceptam sapientiam desideratæ rectitudinis vestigia tenere. Qui rursum mille metitur, et Propheta usque ad genua per aquam ducitur. Quia cum boni operis plenitudo tribuitur, ad hoc usque nostra sapientia augetur, ut in parvis jam actibus minime flectatur. Hinc namque per Isaiam dicitur: « Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (*Isa.* XXXV). » Aqua ergo ad genua pervenit, cum nos, percepta sapientia, perfecte ad boni operis rectitudinem stringit. Qui iterum metitur mille, et Propheta per aquam usque ad renem ducitur: quia videlicet tunc in nobis plenitudo operis excrescit, quando in nobis

percepta sapientia omnes quoque, in quantum est possibile, delectationem carnis exstinxerit. Nisi enim carnis delectatio esset in renibus, Psalmista minime dixisset, « Ure renes meos, et cor meum (*Psal.* xxv). » Aqua igitur ad renes venit, cum dulcedo sapientiæ etiam incentiva carnis interimit, ut ea quæ urere mentem poterant delectationis incendia frigescant. Qui adhuc mensus est mille torrentem, videlicet quem Propheta pertransire non potuit. De quo etiam dicit : « Quoniam intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari. » Percepta namque perfectione operis, ad contemplationem venitur, in qua scilicet contemplatione dum mens in altum ducitur sublevata videt in Deo, quia non potest penetrare quod videt, et quasi tangit ad aquam torrentis, quam pertransire non valet, quia et intuetur speculando, quod libeat, et tamen hoc ipsum perfecte non valet intueri, quod libet. Propheta ergo ad aquam quandoque pervenit, quam non pertransit ; quia ad contemplationem sapientiæ cum ad extremum ducitur, ipsa ejus immensitas, quæ ex se hominem sublevat ad se humano animo plenam cognitionem necat, ut hanc et tangendo amet, et tamen nequaquam pertranseundo penetret. Beatus igitur Job hæc incrementa virtutum, quia distincte hominibus superno munere tribui conspexit, gradus vocavit : quoniam per ipsos ascenditur ut ad cœlestia obtinenda veniatur. Sacri itaque libri, id est, divini eloquii memoriam faciens, dicit : « Per singulos gradus meos pronuntiabo illum (*Job.* xxxi). » Quia nimirum ille ad doctrinam Dei veraciter ascendit, qui ad obtinendam hanc gradibus sanctæ operationis eruperit, et quasi per singulos gradus suos librum pronuntiat, qui percepisse se ejus scientiam non per verba tantummodo, sed etiam per opera demonstrat. (*Hieron.*) Quod cubitos genere masculino et non neutrali cubita dicimus, juxta regulam Grammaticorum, et in superioribus docui, nonnos ignorantia hoc facere, sed consuetudine propter simplices quosque et indoctos, quorum in congregatione Ecclesiæ major est numerus.

« Et dixit ad me : Certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me et convertit ad ripam torrentis. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. Et ait ad me : Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientis et descendunt ad plana deserti intrabunt mare et exibunt, et sanabuntur aquæ. Et omnis anima vivens, quæ serpit quocunque venerit torrens, vivet, et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istæ. Et sanabuntur et vivent omnia ad quæ venerit torrens, et stabunt super illas piscatores. Ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit. Plurimæ species erunt piscium ejus sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ. In his autem, quæ egrediuntur ripas et sunt palustria, non sanabuntur, sed in salinas dabuntur. Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum. Non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus. Per singulos menses afferet primitiva, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur. Et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam. » Totum capitulum, quanquam prolixum sit, simul ponere volui, ne sensum legentis interrumperem et lectionis ordo divisus in partes audientis intelligentiam conturbaret. Dicamus ergo quid nobis videatur in singulis. Vir ille, qui erat ductor Ezechielis, commonet prophetam, ut diligentius intueatur et videat, et occulta mysteria oculis mentis attendat. Vocat autem filium hominis vel in figura Domini Salvatoris. Etenim Ezechiel interpretatur fortitudo vel imperium Dei : vel certe ad commonitionem fragilitatis humanæ, ne obliviscatur conditionis suæ, dum ei magna monstrantur. Et commonitum ducit atque convertit ad ripam torrentis, ut quoniam mediam profunditatem transire non poterat, saltem ea quæ in ripis sunt recognoscat. Cumque, ait, me convertissem, sive ille me convertisset, qui ductor erat et monitor, ecce in ripa torrentis sive fluvii ligna multa vel arbores plurimæ nimis ex utraque parte. Torrens iste, qui pro aquarum abundantia fertur more torrentis et suscipit de cœlo pluvias, de quo in præterita diximus lectione, ipse a Septuaginta appellatur fluvius, eo quod perpetuas aquas habeat, nec de pluviis hinc inde collectas, sed vivo et perpetuo fonte manantes. De quo fluvio multa in Scripturis sanctis legimus, sed in præsentiarum pauca dicenda sunt, ac primum illud : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* xlv). » Et in alio loco : « Flumen Dei repletum est aquis, præparasti cibum eorum, quia sic est præparatio tua (*Psal.* lxiv). » Rursumque pluraliter : « Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina voces suas a vocibus aquarum multarum, mirabiles elationes maris (*Psal.* xcii). » Et in Isaia : « Faciam in deserto viam, et in invio flumina (*Isa.* xliii). » Et in alio ejusdem loco manifestius : « Apparebit in Sion fluvius decurrens gloriosus in terra sitienti (*Isa.* xxxiii). » Super hunc fluvium erant arbores plurimæ ex utraque parte ripæ, ut inter duo scilicet instrumenta, vetus et novum, clausus curreret fluvius. Ligna autem multa vel arbores plurimas et multas nimis, illas arbitror, quas in paradiso Scriptura commemorat pomis variis abundare. (MAURUS.) Scriptum est enim et in psalmo de beato viro, qui in lege Domini meditatur die ac nocte, quod fiat « tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non decidit, et omnia quæcunque fecerit prosperabuntur (*Psal.* i). » Arbor enim ista principaliter intelligitur Dominus Christus, propter crucem, quam pro hominum salute suscepit, quæ merito lignum vitæ dicitur, quando et ibi Dominus Christus, qui est vita nostra, suspensus est, et latroni in eadem confitenti dictum est : « Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* xxiii). » Quod etiam lignum secus decursus aquarum positum, hoc est, juxta doctrinam salutarem ipsius Domini, qui ad Samaritanam mulierem in Evangelio

ait : « Si scires quis est, qui a te aquam petit, petisses ab eo ut daret tibi aquam vivam, » etc. (*Joan.* IV). Dedit fructum suum in tempore suo, quando Ecclesias constituit tempore competenti, in quibus exstat refectio spiritalis fidelium animarum. In hoc ligno folia manentia sunt, quia verba vitæ fixa veritate ibi consistunt, sicut in Evangelio dicitur : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt (*Luc.* XII). » Et intuere Domini verba foliis arboris comparata : quia sicut illa fructus tegunt, sic promissiones suas, et ista custodiunt. Hæc sunt aquæ spiritales, hæc folia salutaria. De quibus in Apocalypsi beatus Joannes dicit : « Et ostendit mihi flumen aquæ vitæ, splendidum sicut crystallum, exiens de throno Dei et Agni. In medio plateæ ejus et ex utraque parte fluminis arborem vitæ, quæ facit fructum duodecies, singulis mensibus reddens fructum suum, et folia arboris illius sunt ad sanitatem gentium deputata (*Apoc.* XXII). » (*Beda.*) In duodecim mensibus omne tempus insinuat vitæ, scilicet illius ubi dicitur : « Et anni tui non deficient (*Psal.* CI). » Et iterum : « Erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato (*Isa.* LXVI). » Ubi præsens Domini vultus, æterna sanitas, æternus vitæ cibus est. Potest et simpliciter intelligi quod per doctrinam duodecim Apostolorum crux Christi fructificet : « Et folia ligni ad sanitatem gentium. » Si fructus merces beatæ immortalitatis accipitur, recte folia perpetuus intelligitur cantus, quod in sanitatem cadat felici jam sorte canentibus : ibi enim gentium curatio vera, redemptio plena, felicitas sempiterna. (*Hieron.*) Docetque prophetam ductor prævius et magister et dicit : Aquæ istæ quæ egrediuntur vel in Galilæam gentium, juxta Septuaginta, vel, ut verius in Hebræo continetur, ad tumulos sabuli orientalis et descendunt ad plana deserti, vel ad Arabiam, intrabunt mare, vel ad exitus maris, et sanabuntur aquæ : aquas vel baptismi gratiam vel Evangelicam significare doctrinam dudum diximus : quæ si egrediantur de limine templi, et Apostolicam teneant disciplinam, tumulos sabuli steriles prius et infertiles faciunt esse frugiferos, et omnia plana atque deserta ita irrigantur, ut exprimant in se Jerichuntini fontis sacramentum, quem Elizæus evangelico et apostolico curavit sale (*IV Reg.* II), in tantum ut ubi prius sterilitas fuerat et mors, ibi ubertas esset et vita ; nec solum deserta sanarunt, sed intrant mare orientale, mare videlicet Mortuum, in quo nihil poterat esse vitale, et mare amarissimum, quod Græce τὴν λίμνην ἄσφαλτον, id est, *Stagnum bituminis* vocant. Mirumque in modum aquis evangelicis aquæ sanantur mortuæ, quæ ab eo, quod nihil in se vitale habeant, nomen mortis sortitæ sunt. Non enim noverant eum qui dicit : « Ego sum vita (*Joan.* XX). » Et revera juxta litteram hoc usque nihil quod spiret et possit incedere præ amaritudine nimia in hoc mari reperiri potest, nec cochleolæ quidem parvique vermiculi et anguillæ et cætera animantium, sive serpentium genera, quorum magis corpuscula possumus nosse quam nomina ; A denique si Jordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit, statim moriuntur et pinguibus aquis supernatant : cum hæc itaque nihil utilitatis habeant, ut simplex sermo testatur, et jam si facta fuerint, quod stulta Judæorum credit superstitio, juxta intelligentiam spiritalem Domini torrente curatæ, habebunt pisces plurimos, et vivent omnia, ad quæ torrens iste pervenerit. Ita ut piscatores stent super ripas ab Engaddi usque ad Engallim, quorum prius fontem, sive *oculum hædi*, sequens fontem *oculumve vitulorum* sonat. Engallim in principio est maris Mortui, ubi Jordanis ingreditur : Engaddi vero ubi finitur atque consumitur : mare autem Mortuum illud puto esse de quo Zacharias loquitur : « In die illa egredietur aqua vivens de Jerusalem (*Zach.* XIV), » et B medium ejus in mare primum. Daniel quoque in hæc verba consentit : « Videbam, et ecce quatuor venti cœli innitebantur in mari magno (*Dan.* VII). » Et David : « Mirabiles elevationes maris (*Psal.* XCII). » Et ex persona Salvatoris in psalmo : « Veni in profundum maris et tempestas demersit me (*Psal.* LXVIII). » Rex quoque Ægypti juxta eumdem Ezechiel draco appellatur (*Ezech.* XXXII), qui habitat in mari, et ventilat fluminibus, quasi cornibus suis. Et iterum : « Hoc mare magnum et spatiosum (*Psal.* CIII). » Quod quandiu non susceperit in se aquas fluminis sive torrentis, omne quod in se habet, mortificat, sed Dominus de quo dictum est : « Percutiet et curabit post duos dies ; » et in die tertio « Surgemus et vivemus in conspectu ejus (*Ose.* VI) ; » ipse lo- C quitur in eodem propheta Osee : « Ego colligavi Ephraim, suscepi eum in brachio meo et non cognoverunt quia sanavi eos in corruptione hominis, qui vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus pro iniquitatibus nostris, disciplina pacis ejus super eum, et livore ejus sanati sumus (*Ose.* XI, *Isa.* LIII). » Ipse istud mare quod est salsissimum et nimia amaritudine mortuum, sua morte sanavit, qui dicit per Isaiam : « Spiritus Domini super me propter quod unxit me ; evangelizare pauperibus misit me, sanare eos qui contriti sunt corde (*Isa.* LXI). » Unde et per Hieremiam clamitat : « Convertimini, filii, convertentes, et sanabo contritiones vestras (*Jer.* III). » Dixerat enim populus impatiens, et dolorem vulnerum suorum diutius ferre non sustinens : « Transivit æstas, D pertransiit messis, et nos salvati non sumus (*Jer.* VIII). » Unde respondit ei Dominus : « Nunquid resina non est in Galaad, aut medici non sunt ibi ? quare non ascendit sanatio filiæ populi mei ? » Et ipse Jeremias vociferatur et dicit : « Sana me, Domine, et sanabor ; salvum me facies, et salvus ero (*Jer.* XVII). » Denique angeli, qui præsides erant populi Judæorum eo tempore quando clamavit multitudo insipiens et ait : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII) ; » et, Velum templi scissum est, et omnia Hebræorum sacramenta reserata : responderunt præcipienti Domino atque dixerunt : « Curavimus Babylonem et non est sanata, relinquamus eam (*Jer.* LI), » urbem videlicet confusionis atque vi-

tiorum. Unde et Josephus in sua narrat Historia, quod postquam Dominus crucifixus est, et velum templi scissum, sive liminare templi fractum corruit, audita sit vox in adytis templi virtutum cœlestium: « Transeamus ex his sedibus. » Hoc totum non superfluo, sed necessario dictum sit, quia mare Mortuum influente in se flumine Domini, dicitur esse curatum. Super hoc mare ab Engaddi, oculo et fonte hædi, qui pro peccatis semper offertur, usque ad Engallim fontem vitulorum, qui mactantur Domino, et imitantur vitulum cornua offerentem et ungulas, qui in typo Salvatoris ad altare mactatur, erunt piscatores quibus loquitur Jesus: « Venite ad me, faciam vos piscatores hominum (*Matth.* IV). » De quibus et Jeremias: « Ecce ego, inquit, mittam piscatores (*Jer.* XVI). » Et plurimæ species, imo genera piscium erunt in mari quondam mortuo: quos pisces ad dexteram partem jubente Domino extrahit Petrus (*Joan.* XXI), et erant centum quinquaginta tres, ita ut præ multitudine eorum retia rumperentur. Aiunt enim, qui de animantium scripsere naturis et proprietate, qui ἀλιευτικὰ tam Latino quam Græco didicere sermone (de quibus Appianicus Cilix [*Al.*, Cilix] est poeta doctissimus) centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab apostolis, et nihil remansit incaptum, dum et nobiles et ignobiles, et divites et pauperes, et omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. Quod autem sequitur: « In littoribus ejus, et in palustribus, » sive in his quæ extra littora « egrediuntur, aquæ non sanabuntur, » illud latenter ostendit, quod qui in Noe arca non fuerit, pereat regnante diluvio, et quos iste fluvius non attigerit, non suscipiant sanitatem. « Sed in salinas, inquit, dabuntur; » juxta illud quod scriptum est: « Pestilente flagellato, stultus sapientior erit (*Prov.* XIX), » erudiunt enim bonos exempla pejorum. Sive in salinas dabuntur juxta illud quod in Evangelio scriptum est: « Bonum est sal, si autem sal infatuatum fuerit, in nihil est utile (*Matth.* V); » ut in perpetuum frugibus careant et virore, quod et urbs post ruinam sale conspersa demonstrat. Super torrentem vero sive fluvium orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum, sive ut omnes voce consona transtulerunt βρῶμα, quod cibum et escam tribuit et quod mandi potest, appellaturque lingua Hebraica *Machal.* « Et nihil, juxta Septuaginta, veterescet in eo, » sed quotidie innovabuntur fruges ejus, sive « non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus, » juxta illud quod in primo psalmo scriptum est: « Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet. » Per singulos, inquit, menses afferet primitiva, sive ut in Septuaginta scriptum est: « Fructus ejus in renovatione sui primitiva dabit; » ut omnis credentium fructus primitiæ sint, et singuli menses singulis apostolis deputentur. Hoc autem eveniet, « quoniam aquæ ejus de sanctuario egredientur. » Ne putemus riparum esse vel arborum aut mensium tantarum frugum abundantiam, reddit causas ubertatis et infert, quia aquæ ejus de sanctuario egredientur. « Non ergo volentis neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX). » Horum omnium lignorum principatum tenet lignum vitæ, quod intelligitur sapientia, de qua scriptum est: « Lignum vitæ est omnibus credentibus in ea (*Prov.* III). » Illudque quod dicitur: « Et erunt fructus ejus in cibum, et folium ejus ad medicinam, » divinorum librorum sacramenta demonstrat, quorum alterum pertinet ad litteram, alterum ad spiritum, ut verba simplicia intelligamus in foliis, in fructibus vero sensum latentem. Sicut enim scientia Scripturarum ducit ad regna cœlorum et præbet nobis panem, qui dicit: « Ego sum panis, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI); » sic ejus folia moralem doctrinam continent et tribuunt sanitatem, ut peccantium curent vulnera. Pro foliis quæ Hebraice dicuntur *Ale* propter verbi et vocis similitudinem Septuaginta ascensionem transtulerunt. Quod et ipsum sic edisseri potest, ut post cibos fructuum, verborum monitis ad cœlestia conscendamus.

LIBER VICESIMUS.

Cum propheta in præcedenti libro de oblationibus singularum festivitatum et de oblatione principis, nec non et sacerdotum officiis commemorasset, aquarumque abundantiam et lignorum in ripis ejus fructificationem enarraret, convertit se ab hoc ut juxta præceptum Domini terminos terræ duodecim tribuum possessionisque spiritalis enarret primitiæ sanctuarii, possessionemque Levitarum describit: novissime vero portas civitatis in quatuor plagis notando in fine libri habitatorem ipsius templi Dominum esse ostendit, qui totius boni initium et auctor, et perfecta operationis consummatio.

SEQUITUR CAPUT XLVII.

« Hæc dicit Dominus Deus: Hic est terminus in « quo possidebitis terram in duodecim tribubus « Israel, quia Joseph duplicem funiculum habet. Pos« sidebitis autem eam singuli æque ut frater suus; « super quam levavi manum meam ut darem patribus « vestris, et cadet terra hæc vobis in possessionem. » (*Adamant.*) Sicut umbræ et exemplari deserviunt cœlestium his qui legem suscipiunt, quæ est illius veræ legis umbra, ita exemplar et umbra consequenter sunt divisionis cœlestis his qui in Judæa hæreditatem dividunt terræ. Erat ergo in cœlis veritas, umbra vero et exemplar veritatis in terris, et donec umbra hæc constabat in terris, erat Jerusalem terrestris, erat templum, erat altare et erat visibilis cultus, erant pontifices et sacerdotes, con-

stabant etiam civitates et vici Judæ, et omnia hæc, quæ nunc in libro hoc descripta esse recitantur. Cum vero in adventu Salvatoris Dei nostri de cœlis descendit salus : « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV), » umbræ et exemplaria ceciderunt. Cecidit enim Jerusalem, cecidit templum, altare sublatum est, ut neque in monte Garizim neque in Jerusalem sit locus ubi oportet adorare, sed « veri adoratores, qui adorant Patrem, in spiritu et veritate adorent (*Joan.* IV). » Sic ergo præsente veritate typus et umbra cessavit. Et cum adesset templum illud, quod per Spiritum Dei et virtutem Altissimi in utero Virginis fabricatum est (*Joan.* I), dirutum est templum ex lapidibus fabricatum. Aderat pontifex futurorum bonorum, cessaverunt pontifices taurorum et hircorum. Venit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, destitit agnus ex pecudibus assumptus, et nequidquam atque inaniter tot sæculis jugulatus. Refertur ergo prima et secunda hæreditatis facta divisio. Prima quidem per Moysen, secunda vero, quæ et potentior est, per Jesum facta describitur. (*Nazian.*) Et Moyses trans Jordanem tribui Ruben, et tribui Sad et dimidiæ tribui Manasse possessionem decernit, cæteri vero omnes per Jesum suscipiunt hæreditatem (*Num.* XXXII). Diximus jam prius quomodo per legem placuerunt Deo præcedentes tempore eos, qui per fidem Jesu ad promissa perveniunt, nondum ea quæ perfecta sunt consequuntur, exspectantes eos qui posteriores diverso quidem tempore, sed una fide placabunt, sicut Apostolus dixit (*Hebr.* XI) : « Ut non sine nobis perfectione consequerentur. » Quod sub tali exemplo possumus conjicere. Si enim « Deus cum dispergeret filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei, » vel ut in aliis exemplaribus legimus, « secundum numerum filiorum Israel » in initio mundi, et ita dispersi sunt filii illius Adam sicut vel illorum merita vel ipsius Adæ contemplatio postulabat : quid dicemus futurum, cum novissimi Adam, qui non in animam viventem, sed in spiritu vivificantem factus est, cœperit filios non dispergere, sed dispensare atque disponere divina dignatione, non in initio, sed in fine mundi, et non illis, qui in Adam omnes mortui sunt, sed eis qui in Christo omnes vivificati sunt, sine dubio tunc erit quædam divisio et distributio talis, quæ non solum pro meritis eorum, qui dispensant, sed et quæ pro novissimi Adam in quo omnes vivificandi dicunt contemplatione pensanda sit. Gratia enim Dei sumus salvati et non ex nobis, « nec sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Dei enim dono sanctis et electis ejus confert gloriam regni cœlestis, ipso tribuente, qui discipulis ait : « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego disponam vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Luc.* XXII). » Pro eo

A quod nos diximus; « quia Joseph duplicem funiculum habet, » LXX transtulerunt « augmentum funiculi; » etenim Joseph interpretatur *augmentum*, rem intelligentes pro nomine, et lectoris animum confundentes. Subtracta enim Levitica tribu et templi sacrificiis delegata, remanebant duo tribus quarum Joseph divisa est in duas, Ephraim et Manasse, qui dixerunt ad Josue filium Nun : Quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis et benedixerit mihi Dominus? (*Josue* XVII.) Quibus respondit Josue : « Si populus multus es, ascende in sylvam, et succide tibi spatia in terra Pherezæi et Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Ephraim. » Et iterum : « Dicitque Josue ad domum Ephraim et Manasse : Populus multus es et
B magnæ fortitudinis, non habebis sortem unam, sed transibis ad montem et succides tibi atque purgabis ad habitandum spatia et poteris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus et esse fortissimum. » Hoc propterea dixerim, quia nunc Scriptura commemorat Joseph, hoc est Ephraim et Manasse duplicem habere funiculum, singulæ autem tribus juxta multitudinem suam æqualia accipiunt terræ spatia, nequaquam arbitrio dividentis, sed sorte, quæ in Domini potestate consistit. In consuetudine quidem hominum cum aliquid sorte dividitur, fortuito videtur sors illa ad illum, vel alia ad alium cedere; in Scriptura autem sancta non ita est : et aliquotiens quærebam apud memetipsum si de re tanta ac tali Patres sancti sortibus judicium
C commisissent. Quod si esset apud sanctos ita gestum, jam de aliis hominibus vel gentibus nihil mirum videris, si nihil haberetur eximium in his quæ a sanctis dicuntur sorte divisa. Sed videamus si forte in Scripturis aliquid inveniamus esse positum, quod nobis quid virtutis contineatur in sortibus manifestet. Incipiamus igitur a Levitico, ubi scriptum est : « Et accipient, inquit, duas sortes, sors una Domino, et sors una Apopompæo, hoc est transmissori. Et super quemcunque venerit sors, Apopompæi accipient hircum illum et abducent in locum eremi vivum, et dimittent illum in dimissionem suam, alium vero hircum immolabunt Domino, » et reliqua, quæ ibi sunt, quæ utique sciunt, qui legunt. Et iterum : ubi Moyses sorte divisit tribui Ruben et tribui Gad et
D dimidiæ tribui Manassæ, quæ poposcerant trans Jordanem, accipere terram illam quam poposcerant filii Israel. Dedit autem ipse Jesus secundum præceptum Domini Chaleb filio Jephonæ, et tribui Juda sortem. Dedit autem Ephrem, et illi quæ super erat tribui Manasse : et post hæc congregavit in Ecclesia filios Israel, et dixit : « Mittam sortem et proferam in conspectu Domini, si prius describentes terram attuleritis mihi descriptionem ejus, » et ita post hæc sortibus missis hæreditas populo Dei distribuitur : et agitatur sors ista non fortuita, sed secundum hoc quod prædestinatum est a Deo. Denique tribus Benjamin primam ibi accepit sortem ubi erat Jerusalem. Post hæc tribus Simeon secundam : post hæc Issa-

char, deinde Zabulon, deinde Aser, post hæc etiam Nephthalim, deinde Dan (*Josue* XVI, XVII, XVIII, XIX): in quibus novissime veniunt tres illæ tribus, quæ ex concubinis descenderant Jacob. Quæ ergo ratio sit sortium apud memetipsum requirebam, ut ex multis testimoniis Scripturarum, quod latebat agnosceremus. Inveni sane in Scripturis etiam gentiles homines usos esse sortibus, tunc cum navigaret Jonas et tempestas urgeret. Aiunt namque illi qui navigabant: « Mittamus sortem et sciamus cujus causa hæc tanta malitia sit (*Jonæ* VII), » quasi sors tantum valeret, ut prodere possit, cujus causa periculum navigantibus immineret. Quamvis gentiles essent, et alieni a cognitione Dei, non tamen hac opinione falluntur, sed quod verum erat prodidit eis sors super Jonam. Quærens ergo de his, invenio et Salomonem in Proverbiis dicentem : « Contradictiones cohibet sors, et inter potentes definit (*Prov.* XVIII), » veluti cessare ostendens contradictiones, ubi mittetur sors.

Sed cum hæc in Testamento Veteri non pauca referri de sortibus invenirem, converti me etiam ad Novum Testamentum, ut viderem si forte vel ibi contemnerentur sortes, aut ne ibi quidem earum usus alibi diceretur, et invenio quod aliquando cum deesset numero apostolorum unus, ut esset necessarium in locum Judæ alium subrogari (*Act.* I), convenientes apostolos, qui utique multo sapientiores erant quam hi qui nunc episcopos vel presbyteros, vel diaconos ordinant, et elegerunt duos et statuerunt in medio, nec tamen de his semetipsis judicium permiserunt ut illum facerent quem ipsi voluissent. Sed « orantes, inquit, miserunt sortem, » ut ex illis duobus quos statuerant in conspectu Domini, id est Joseph, qui vocatur Barnabas, qui cognominatus est justus, et Mathian : « Cecidit, inquit, sors super Mathian, et annumeratus est cum Christi apostolis. » Præcedente namque ratione, non jam casu, sed prudentiæ sors divinum judicium deferebat. Sed adhuc quærebam in Novo Testamento si autem sors in Christo vel in Ecclesia nominetur, vel in rebus mysticis, quæ ad animam pertinere videantur, invenio Paulum ad Ephesios scribentem dicere de Christo : « In quo, inquit, sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis ejus, et simus in laudem gloriæ ejus, qui ante speravimus in Christo (*Ephes.* I). » Sed et ad Colossenses hæc scribentem : « Gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine (*Coloss.* I). » Tam multis ex Scripturis sanctis de commemoratione sortium testimoniis congregatis, quo ex locorum multorum consideratione virtutem reposcimus diligentius apprehendere, mihi quidem ex his omnibus vel evidens adhuc sensus ad liquidum patere non potuit, vel etiam de re tanta enuntiandi et proferendi animi metus insedit. Illud autem inquantum res patitur contigisse sufficiat, quod nobis ab apostolis sors ducta designat. Quia ubi fide integra ac oratione præmissa sors ducitur, ea quæ Dei vo- A luntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto. Secundum vero interiorem intellectum sicut Paulus videtur judicare cum dicit : « In parte sortis sanctorum in lumine, et sorte vocati in Christo. » Videndum est ne forte non solum hominibus, sed et in supernis virtutibus sors Agassur et præsideat aliqua virtus huic officio, quæ verbi causa Jesu filio Nave nunc sorte hæreditatem distribuendi non aliquam gratiam, sed secundum hoc quid sit placere Deo ducatum præbeat sortis, et illi quidem faciat evenire, quæ prima sunt, quem scit apud Deum primum locum tenere, ut hoc, quod in occultis apud Deum habetur, sortis gubernatione etiam hominibus demonstretur, alium vero facere secundi loci et alium tertii, quod non solum in terris arbitror, verum B etiam in cœlestibus et hujusmodi sorte, quæ apud Dominnm meritorum contemplatione distinguitur etiam in illo tempore habetur : « Cum viderit excelsus gentes et disseminaverit filios Adam, et constituerit filios gentium secundum numerum angelorum Dei (*Deut.* XXXII). » Et facta est portio Domini Jacob funiculus hæreditatis ejus Israel. Vides ergo et hic partem, et funiculum Domini Israel dicit esse sorte. Non ergo fortuito arbitrandum venisse sortem. Illi quidem angelo gentem illam suscipere verbi gratia Ægyptiorum, alii autem angelo Idumæorum Moabitarum : et alii Indiam vel unamquamque nationem earum, quæ sunt super terram. Sed et ibi etiam si secundum numerum angelorum Dei dicantur sorte gentes istæ divisæ, ta- C men illa sors sicut in hominibus diximus, *quia Dei* judicium quod in occulto est, sors pandit *in publico*: ita etiam ibi fuisse credendum est, ut pro merito et virtute unusquisque angelus etiam et illam gentem in divisione susciperet, et esse in his singulis sacramenta ineffabilia divinæ dispensationis, ut ordini suo cuncta competenti per unamquamque virtutem dirimantur officio. Sic enim et Apostolus dicit : « Nonne omnes ministratorii sunt Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ? » Ad horum igitur imitationem credendum est, etiam his Scripturarum auctoritate referre sortes et duci per Jesum hæreditatem, et per unamquamque tribum divina dispensatione decerni, et per ineffabilem providentiam Dei a præsentibus in his sortibus D adumbrari futuræ hæreditatis portio expleatur. Quoniam quidem lex umbram dicitur habere futurorum bonorum, et sicut dicit Apostolus de his qui ad Dominum Iesum Christum venerunt, « Quia accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem. » Est aliqua in cœlis civitas, quæ dicitur Jerusalem et mons Sion : Non est utique hoc sine causa quod Benjamin in sorte sua accepit Jerusalem et montem Sion, quia cœlestis illius Jerusalem ratio sine dubio hoc exigebat ut jam aliquam Benjamin dare deberet Jerusalem terrestris, quæ illius cœlestis figuram servat ac formam. Similiter autem de Benjamin dicendum est, quod certa aliqua ratione in Judæ sortem decernitur, vel Hebron vel

aliæ singulæ civitates singulis quibusque tribubus conscribuntur : nisi quia illa cœlestia loca, in quibus Jerusalem et Sion memoratur esse, sine dubio et cætera, quæ his vel vicina, vel conjuncta sunt loca, hoc in se causa et ratione continebant in cœlis, quod sorte distribuendo figurabatur in terris. Hinc ergo est quod dispensavit divina sapientia nomina quædam locorum scribi in Scripturis, quæ mysticam quamdam interpretationem contineant. Per quæ indicatur vobis, qui hæc cernitis, quibusque rationibus et non casu vel fortuito fieri dispensentur. Si enim non est putandum quod fortuito acciderit, verbi causa ut ille angelus Michael vocaretur, alius vero Raphael et ut ad humana descendant sicut non fortuito ut ille patriarcha Abraham vocaretur : et ille Isaac, et alius Israel; sed ne in feminis quidem casu accidit, sed certe divina ratione ut illa Sara vocaretur ex Sarai, et ille Israel ex Jacob, vel ille Abraham, et ut certum est, quod unusquisque angelorum vel hominum ex his, quæ sibi injungantur officiis et actibus etiam nomina sortiantur : ita consequens est etiam loca quædam esse cœlestia et civitates, sicut cœlestis dicitur Hierusalem et Sion esse, etiam alias, quarum typum et imaginem istæ quæ in terris sunt continent, quæ nunc in hac Scriptura mystice nobis per Jesum Nave filium designantur. De ipsis puto civitatibus dictum : « Ædificabuntur civitates Judæ, et habitabunt ibi, et hæreditabunt eam (*Psal.* LXVIII). » De ipsis etiam Dominus et Salvator noster dicit : « Quia multæ mansiones sunt apud Patrem meum (*Joan.* XIV). » Et de ipsis credendum est civitatibus servo illi qui bene negotiatus fuerit Dominum dicere : « Habeo potestatem supra decem civitates (*Luc.* XIX); » et alii supra quinque. Hæc de divisione sortium terræ Judæ proferre ad vos inquantum fas fuit ausi sumus Scriptura provocante, quæ Hierusalem dicit cœlestem Sion, et cætera, quæ similiter scripta sunt esse in cœlis, quæ nobis occasionem dederunt sentire de his omnibus, quod mysteria in his cœlestia describuntur.

« Hic est autem terminus terræ ad plagam septentrionalem a mari magno via Ethalon venientibus. Sedada, Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter medium Damasci et confinium Emath : atrium Thicon, quæ est juxta terminos Auran sive Auranitidis, et erit terminus a mari usque ad atrium Enon sive Serenan terminus Damasci, et ab aquilone ad aquilonem terminus Emath plaga septentrionalis. » (*Hieron.*) Inter descriptionem terræ sanctæ duodecim tribuum Josue filii Nun, et quæ nunc per Ezechiel fieri imperatur, hoc interest, quod ibi inter tribus sorte terra dividitur hic Domini jubentis imperio delegatur. In Numerorum igitur libro (*Num.* XXXIV) in quo omnis terra repromissionis per quatuor plagas brevi sermone dividitur ab aquilone, id est plaga septentrionali ista descriptio est. Porro ad septentrionalem partem a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum, a quo venies in Emath

A usque ad terminos Sedada : ibuntque confinia usque Zefrona et villam Enan sive Aserenan. Dicuntque Hebræi septentrionalem plagam incipere a mari magno quod Palestinæ, Phœnicis et Syriæ, quæ appellatur Cœle Ciliciæque prætenditur littoribus, et per Ægyptum tendit ad Libyam. Quod autem dicit pervenientes terminos usque ad montem altissimum, in hoc Hebræi, autumant vel Amanum montem significari vel Taurum, quod nobis videtur verius. « A quo, inquit, venies in Emath, quæ nunc Epiphania nominatur ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine commutato : nam cognomentum habuit Ἐπιφανής; « usque ad terminos, inquit, Sedada, » qui locus et in præsenti Ezechielis ponitur lectione. « Ibunt confinia usque Zefrona, » quam urbem hodie

B Zephirium oppidum Ciliciæ vocant. Hoc autem quod sequitur : « Et villa Enan » pro quo in Hebræo scriptum est : *Aserenan* sive *Enan*, et præsens continet locus. Et interim secundum historiam breviter strinxisse sufficiat, et tam Numerorum quam Ezechielis descriptionem sibi ex latere copulasse : ut prudens lector intelligat in quibus vel eadem vel vicinia vel diversa memorarint. Nunc interpretatis nominibus singulorum sequamur ἀναγωγήν, et quid nobis videatur in singulis præbente Domino disseramus. Ethalon interpretatur *incunabula mœroris* : Sadada, *latus ejus* : a latere non a latitudine intellige; Emath, *furor*, Berotha, *putei*, Sabarim, *circuitus montium*, Damascus, *sanguis sacci* et *osculi* sive *poculi*. Domum autem sive atrium *Thicon* Symmachus interpreta-

C tur : « Atrium medium quod pergit ad terminos Auran; » igitur *Thicon* medium sonat : Auran quam Septuaginta in Græcum vertere sermonem Auranitidis iracundiam. Asor autem *Enon*, qui est terminus Damasci, in lingua nostra dicitur *atrium fontis*. Septentrionalis igitur plaga fit a mari magno per viam Ethalon, quod interpretatur *incunabula mœroris* : per pœnitentiam venit ad Sadada ubi est ex latere declinatio. Intelligimus enim impendentem nobis Emath, hoc est indignationem Domini, sive Emath, veritate comperta, aperiuntur nobis putei Berotha, quos foderunt principes Abraham, Isaac et Jacob : longoque circuitu pervenimus ad montes Sabarim qui positi sunt inter Damascum, hoc est sanguinem cilicii, et confinium Emath, ut supra dixi-

D mus, veritatis. Sicut enim per mœrorem declinamus mala impendentia et ex latere devitamus, sic post sanguinem et cilicium vitæ sanguinariæ antequam veniamus ad confinia Emath circuimus et pervenimus ad montes, de quibus scriptum est : « Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui. » Cui locus appellatur atrium Thicon, hoc est *atrium medium*, ut interpretatus est Symmachus. Juxta terminos Auran, quod *iracundiam* sonat, et cum propheta dicamus : « Iram Domini sustineo quoniam peccavi ei (*Mich.* VII). » Et a mari usque ad terminos Damasci : in quo et apostolus Paulus a furore Judaico et effusione ecclesiastici sanguinis lumen cæcitate conspexit : et assumpto cilicio perse-

cutionis veteris Evangelium prædicavit, ut perveniret ad atrium fontis æterni, et in aquilone quondam positus apprehenderet terminum veritatis.

« Porro plaga orientalis de medio Auran, et de « medio Damasci, et de medio Galaad, et de medio « terræ Israel, Jordanis disterminans ad mare orien« tale metiemini plagam orientalem. » (*Hieron.*) Pro quo in Numerorum libro ita scriptum reperi : « Inde metientur fines contra orientalem plagam de villa Enan, hoc est Aserenon usque Sephania, et de Sephania descendent termini Rebbla contra fontem. Inde pervenient contra orientem in mare Chenereth, et tendent usque Jordanem, et ad ultimum claudentur mari. » Supra dixerat : « Et erit terminus a mari usque Eserenon terminus Damasci. » A fine igitur septentrionalis plagæ, hoc est atrio Enon tendunt fines, juxta Numerorum librum, usque Sephania, quam Hebræi Apamiam nominant, et de Apamia descendunt termini in Rebbla, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia. Et ut scias Rebblam hanc significare urbem, quæ nunc in Syria Cœle nobilissima est, sequitur, « contra fontem, » quem perspicuum est significari Daphnen, de quo fonte supradicta urbs aquis abundantissimis fruitur. Hic autem locus a Cneo Pompeio, qui prius Judæam Romano subegit imperio militari manu consitus est, et ab eo juxta fabulam poetarum Daphnes nomen accepit ob lauros et cyparissos, quæ arbores in ipso loco frequentissimæ sunt. Inde, inquit, pervenient termini contra orientalem plagam ad mare Chenereth usque ad stagnum Tiberiadis. Mare autem dicitur cum habeat dulces aquas juxta idioma Scripturarum quo congregationes aquarum appellantur Maria. « Et tendent, inquit, termini usque Jordanem et ad ultimum claudentur mari : » vel mari Mortuo, vel ut alii putant lingua maris Rubri, in cujus littore Ahila posita est, ubi nunc moratur legio et præsidium Romanorum. Hoc juxta librum Numerorum dictum sit : juxta Ezechiel vero de medio Auran quod est oppidum Damasci in solitudine, et de medio Galaad, qui mons Libani collibus copulatus cecidit in sortem Ruben et Gad et dimidiæ tribus Manasse, et est a tergo Phœnicis et Arabiæ, ad quem montem usque pervenit de Carris profectus Jacob, et comprehensus est a Laban, de quo et Jeremias loquitur : « Galaad, tu mihi initium Libani (*Jer.* XXVII), » quam cœpit de Amorrhæorum regione Galaad filius Machir filii Manasse : finis hujusque plagæ Jordanis fluvius disterminans, et mare orientale, quod in hoc loco mare Mortuum non linguam maris Rubri intelligunt. Dicamus juxta tropologiam post terminos aquilonis longo circuitu per Ethalon et Sedada, et Berotha, Sabarim quoque et Thicon, et Auran, et Damascum, et atrium Enon ad Emath usque pervenit Orientalis plaga : de medio iracundiæ Auran, et de medio Damasci sanguine videlicet pœnitentiæ, et de medio Galaad, quod interpretatur revelatio vel tumulus testimonii; ut post iram et pœnitentiam spem salutis ostendat, et de medio terræ Israel, quæ visionem continet pacis usque ad dulcissima Jordanis fluenta pertingat, quæ longe separato mari lumen orientis consequitur, ita ut fluvio Jordanis, qui interpretatur rivus judicii et orientis termino finiatur. Quod autem in Septuaginta ponitur phœniconos, id est palmeti, in Hebraico non habetur; pro quo nos metiemini interpretati sumus : errorque manifestus, quod pro *thamoddu*, litteræ decepti similitudine *daleth* et *res*, legerunt *thamorru*.

« Plaga autem australis meridiana a Thamar « usque ad aquas contradictionis. Cades et torrens « usque ad mare magnum hæc est plaga ad meri« diem australis. » Pro quo in Numerorum libro ita scriptum est (*Num.* XXXIV) : « Incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom, et habebit terminos contra orientem mare, qui circuibunt australem plagam per ascensum scorpionis, ita ut transeant Senna et perveniant in meridiem usque ad Cadesbarne. Unde egredientur confinia ad villam nomine Addar, et tendent usque ad Asemona, ibique per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris Magni littore finietur. » Quod breviter hoc significat, ne per occasionem Ezechielis ad expositionem videamur Numerorum transisse latissimam, a solitudine Sin, quæ est juxta Edom et mari Rubro terminum circuire, et per ascensum scorpionis et per Senna et Cadesbarne et atrium Addar et Asemona pervenire usque ad torrentem Ægypti, qui juxta urbem Rinocoruram mari influit. Hic vero terminus plagæ australis, hoc est meridianæ incipit a Thamar, quæ urbs in solitudine est, quam et Salomon miris operibus exstruxit, et hodie Palmyra nuncupatur. Hebræoque sermone Thamar dicitur, quæ in lingua nostra palmam sonat, usque ad aquas contradictionis Cades, quam in deserto esse non dubium est, et torrens ingrediens mare Magnum, hoc quod Ægypti Palæstinæque prætendit littoribus et hæc est plaga australis ad meridiem. Post plagam ergo aquilonis et orientis, quando ortus nobis fuerit sol justitiæ, accipimus meridianam plagam, quando totum nobis desuper lumen infunditur, et cum Abraham inimus convivium, et inebriamur vino quod lætificat cor hominis (*Psal.* CIII), cum Joseph et fratribus ejus. Incipit autem ista possessio et hi termini a Thamar, a palma videlicet victoriaque vitiorum, usque ad aquas contradictionis : semper enim virtutibus contradicitur. Unde et prædicationi evangelicæ Judæi contra Paulum disserentes, in toto orbe asserunt contradici. Et in Evangelio legimus Simeone dicente : « Hic erit in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur (*Luc.* II). » Omnis autem contradictio est sanctitatis, quod interpretatur Cades, dicente Psalmista : « Concutiet Dominus desertum Cades (*Psal.* XXVIII). » Quod videlicet primum non habebat Domini sanctitatem, sed concussum est atque commotum, ut reciperet hospitem Deum, qui dicit : « Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea (*Isa.* LXVI)? » Post desertum Cades usque ad mare Magnum in

meridie plagæ australis torrens est, de quo supra diximus, qui non de terra, sed de cœlo pluvias habet diversarum virtutum varietate collectas.

« Et plaga maris mare Magnum a confinio per directum donec venias Emath. Hæc est plaga maris. » De qua manifestius et brevius scribit Numerorum liber (*Num.* XXXIV) : « Plaga autem occidentalis a mari Magno incipiet, et ipso fine concludetur, » hoc est de mari usque ad mare, a torrente videlicet Rinocorure, qui in mare influit usque ad eum locum, qui est contra Emath urbem Syriæ, de qua supra diximus. Occidens autem juxta leges tropologiæ semper in mari est, semper in salo et fluctibus ubi quotidie naufragia suscitantur, et miserorum neces, et divitiarum et mercium amissio. Et tamen cum hæc omnia patientia fregerimus, venimus per directum ad Emath, hoc est ad Domini veritatem, qui victis persecutionibus æterna nobis præmia repromisit. (MAURUS.) Et ut breviter supradicta morali sensu simul omnia recapitulemus, quisquis cupit terræ sanctæ hæreditatem possidere, et futuræ patriæ sortem cum electis et sanctis Dei accipere, necesse est, ut incipiat a plaga septentrionis et tendat ad orientem, id est a deserto infidelitatis frigore, ad rectæ fidei ortum tendat, et primum ut diximus per Thalon, id est per pœnitentiam peccatorum veniat ad Sadada, hoc est declinet a vitiis, et cesset a peccatis, indignationem Domini metuens. Juxta illud Psalmistæ, quo ait : « Declina a malo et fac bonum, et inhabita in sæculum sæculi : quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur. Injusti autem punientur, et semen impiorum peribit, » et reliqua (*Psal.* XXXVII). Sicque ad puteos viventis aquæ, hoc est ad sacramentum baptismatis, vel doctrinam sacræ scientiæ tendens ad montes spiritales, hoc est doctores sanctos ire festinet, ut ab eis accipiat lumen veræ scientiæ et discat castigare corpus suum, et terrena membra mortificare : quatenus ad atrium fontis æterni et ipsum terminum veritatis pervenire possit. Cum autem ei ab orientali plaga ipsa veritate illucessit et ex testimoniis sanctarum Scripturarum mysteria ipsa revelantur, tunc in Jordane, hoc est in rivo judicii profunditatem sapientiæ intelligit, et vere mundationis lavacrum cognoscit. Postquam autem ad meridiem, hoc est ad puram lucem scientiæ et ardorem charitatis pervenerit, necesse est ut bella contradictionis et persecutionis æstum sustineat. Quia juxta Apostolum : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur (*II Tim.* III). » Quando autem ad Occidentem properamus, et finis vitæ nostræ appropinquaverit necesse est ut in maris fluctibus, hoc est præsentis sæculi turbinibus exagitemur, et sic per patientiam ad Domini veritatem devictis persecutionibus perveniamus : ut secundum ipsius Domini sententiam, in patientia nostra possideamus animas nostras, et accipiamus præmia vitæ æternæ, possideamusque terram viventium, et habitemus in Hierusalem cœlestem, hoc est in visione pacis sempiternæ. Sed quis nostrum talis est, ut ab hujusmodi distributione ad illam cœlestis hæreditatis sortem venire mereatur? Quis ita beatus erit, cujus sors Hierusalem veniet, ut sit ibi, ubi templum Dei est, imo ut ipse sit Dei templum? Quis ita beatus est, ut ibi dies festos agat ubi altare divinum perpetuis ignibus adoletur? Quis ita beatus est, qui sacrificium suum et incensum suavitatis supra illum ignem ponat, de quo dicebat Salvator : « Ignem veni mittere (*Luc.* XII)? » Quis ita beatus est, qui ibi semper agat Pascha in loco quem elegerit Dominus Deus suus, ibi Pentecostes diem gerat, et festivitatem repropitiationis et tabernaculorum solemnitatem, non jam per umbram, sed per ipsam speciem rerumque veritatem? Quis nostrum dignus habebitur beatæ sortis electione cum dividere Deus cœperit filios novissime, cui dicat (*Luc.* XIX) : « Eris super quinque civitates potestatem habens, » aut cui dicat : « Eris super decem civitates potestatem habens, » nec solum cui dicat, « Intra in gaudium Domini Dei tui, » sed cui dicat, « Sedete et vos mecum super duodecim thronos judicantes et vos duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). » Et de quibus dicat : « Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum (*Joan.* XV), » et volo etiam istos esse reges, ut ego sum rex regum, volo et istos habere dominationem, ut et ego sum Dominus dominantium. Beati qui ad hanc pervenient beatitudinem summam. Beati qui ad ista conscenderint fastigia meritorum. Et benedictus Deus noster, qui hæc promisit diligentibus se. Hi sunt ipsi vere sacris numeris numerati apud Deum : imo ipsi sunt quorum etiam capilli capitis numerati sunt per Jesum Christum Dominum nostrum. Sed quia per superbiam vel invidiam nemo ad sortem electorum et ad possessionem cœlestis patriæ pertingere poterit, necesse est ut per humilitatem veram et dilectionem fraternam illuc ire contendat, quisquis ad futura bona pervenire desiderat, memineritque scriptum : « Quia omnis, qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur (*Matth.* XXIII). » Ideoque nullum despiciat, nullum spernat, sed magis inferiorem se omnibus esse credat, sciatque juxta Petri apostoli sententiam, quod « non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (*Act.* X). » Quod consequenter vir qui ad prophetam locutus est, ostendit, dicens :

« Et dividetis terram istam vobis, Israel, et mittetis eam in hæreditatem vobis et advenis qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestri, et erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel. Vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel. In tribu autem quacunque fuerit advena ibi dabitis possessionem illi : ita Dominus Deus. » (*Hieron.*) Per hoc capitulum discimus, et decutitur supercilium Judæorum, nihil inter Israel et gentium populum esse divisum. Si enim advenis et alienigenis cum his qui sunt de populo

Israel, hoc est indigenis, terra dividitur, nulli dubium eamdem esse hæreditatem populi gentium et populi Judæorum, si tamen conversi fuerint ad cultum Dei Israel quod proprie nomen possidet Christianum habentibus Judæis legis litteram et nobis spiritum, illisque tenentibus membranas, et nobis eum qui scriptus est in membranis : et apud Moysen sorte terra dividitur, hic autem ut diximus Domini judicio delegatur unaque possessio est, advenæ et Israeli, et in singulis tribubus datur hæreditas jubente Domino Deo.

CAPUT XLVIII.

Hic describitur divisio terræ, quantum ad intraneos.

« Et hæc nomina tribuum : A finibus aquilonis « juxta viam Ethlom pergentibus. Emath atrium « Ænon terminum Damasci ad aquilonem juxta « Emath, et erit ei plaga orientalis mare Dan una. « Et a termino Dan a plaga orientali usque ad « plagam Aser una. Et super terminum Aser a « plaga orientali usque ad plagam maris Nephthalim una. Et super terminum Nephthalim a plaga « orientis usque ad plagam maris Manasse una. Et « super terminum Manasse a plaga orientali usque « ad plagam maris Ephraim una. Et super terminum Ephraim a plaga orientali usque ad plagam « maris Ruben una. Et super terminum Ruben a « plaga orientali usque ad plagam maris Juda una. » (*Hieron.*) Descripta terræ sanctæ possessione tam juxta præsentem Ezechielis prophetiam, quam juxta Numerorum librum, nunc singularum tribuum a plaga orientali usque ad plagam occidentis, id est, maris possessio describitur. Et primum fines accipiunt ab aquilone juxta viam Ethlom pergentibus Emath, atrium sive Aser Enon terminum Damasci, ad aquilonem juxta Emath, de quibus ante jam diximus. Incipit autem primum tribus Dan, secunda Aser, tertia Nephthalim, quarta Manasse, quinta Ephraim, sexta Ruben, septima Judæ. Hoc est, a sinistra parte et completus numerus septenarius. Deinde primitiæ sacerdotum et Levitarum, et sanctuarium Domini in medio sanctumque sanctorum. Urbs quoque describitur per singula latera in quadrum quatuor millia et quingentos habens calamos. Suburbana quoque sacerdotum et Levitarum per ordinem describuntur, et possessio principis. Rursumque a parte dextra succedunt quinque tribus a plaga similiter orientis usque ad plagam occidentis, quarum prima est Benjamin, secunda Simeon suam possessionem specialiter habens, et nequaquam ut prius mixtam cum Juda, tertia Issachar, quarta Zabulon, quinta Gad. Portæque civitatis ternæ, per singulas plagas et nomen ipsius civitatis, quod in fronte pontificis auri lamina continetur, de quibus universis in suis disseremus locis. Hoc quoque notandum, quod quadraginta octo civitatum, quæ in Numerorum volumine tribui Leviticæ dantur ad habitandum cum suburbanis suis, hic silentur nomina, et civitates fugitivorum quarum tres trans
A Jordanen, Bosor videlicet et Ramoth, et Gaulon, in duabus et dimidia tribu datæ sunt, et tres intra Jordanen, Cades videlicet et Sichem et Cariatharbe. Neque enim opus erat in descriptione mystica et habitatione sanctorum et conversatione perfecta fugitivorum describi auxilia quibus Israel indiguit adhuc in terra positus, et per multos labores atque discrimina ad hanc civitatem venire festinans, et in singulis sanctis loquens : « Advena sum et peregrinus, sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » Et in alio loco : « Habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea (*Psal.* CXIX). »

« Et super terminum Juda a plaga orientali usque « ad plagam maris, erunt primitiæ quas separabitis
B « XXV millia latitudinis et longitudinis sicuti sin« gulæ partes a plaga orientali usque ad plagam « maris. Et erit sanctuarium in medio ejus. Pri« mitiæ quas separabitis Domino longitudo viginti « quinque millibus et latitudo decem millibus. » Superfluum est disserta disserere, et in quibus supra laboravimus, quasi non sint dicta iterum laborare. Post septem tribuum terminos ab oriente usque ad occidentem describuntur primitiæ, quarum latitudo teneat viginti quinque millia calamorum : longitudo vero sicuti tenent singulæ tribus ab oriente usque ad mare cujus longitudinis incertus est numerus. Neque enim in singularum descriptione tribuum mensura descripta est. Sin autem latitudo habet XXV millium calamorum, conici datur multo majorem
C esse numerum longitudinis, quæ semper major est latitudine. In medio autem sanctuarium ponitur juxta primitias, quæ sunt Domino separatæ, longitudinis viginti quinque millium calamorum et latitudinis decem millium. Quæ legens nihil aliud possum dicere nisi illud Apostoli (*Rom.* XI) : « O profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia judicia ejus et investigabiles viæ ejus! » Et in alio loco (*Ephes.* III) : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. » Viginti quinque millium autem numerum referri ad sensus de quibus dictum est : Sensum divinum possidebitis : et x millium ad perfe-
D ctam consummatamque virtutem, quæ decalogo veteris Instrumenti ad evangelicum perveniat sacramentum, ut prius brevi sermone perstrinximus, et hic ex parte commonebimus. Si enim ab uno addens numero ad quatuor pervenias, denarium implebis numerum, atque ita fiet ut et vetus Testamentum constringatur in novo, et novum in veteri dilatetur.

« Hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum « ad aquilonem longitudinis viginti quinque mil« lium, et ad mare latitudinis decem millium. Sed « et ad orientem latitudinis decem millium, et ad « meridiem longitudinis viginti quinque millium. » (*Adamant.*) Omnes filii Israel acceperunt sortes suas in terra. Levitis autem hæreditas solus suf-

ficit Deus. Verum quoniam accipiebant Levitæ decimas et primitias de fructibus a filiis Israel per præceptum Dei, oportebat eos etiam de terra, ut ita dicam, et de habitaculis decimas accipere, hoc est enim, ab omnibus decimas accepisse. Et ideo accedentes primarii viri, qui erant de filiis Levi ad Eleazarum sacerdotem, et ad Jesum filium Nave, et ad principes tribuum filiorum Israel in Selom in terra Chanaan dixerunt : Dominus præcepit in manu Moysi dari nobis civitates ad habitandum, et suburbana earum animalibus nostris, sicut in libro Jesu Nave scriptum reperitur (*Josue.* XXI). Oportebat ergo etiam de suburbanis et de civitatibus sortem fieri : ne forte indiscrete et fortuito inter Levitas celebrata divisio videretur. Sicut ergo distributio sortis, quæ facta est in filiis Israel, habuit rationem, qua quis prima sorte dignus haberetur, qua et alius secunda, de qua ut potuimus jam ante tractavimus ; sed et hi qui per Moysen ultra Jordanen et ab Jesu in terra repromissionis accipiunt, ubi prima sors cecidit in Benjamin, et postmodum inter cæteros in quibus fuit ultimus Dan : ita necesse est esse aliquam rationem etiam in ordine sacerdotalis et Leviticæ sortis, ut alii prima, alii secunda, alii vero tertia sors ducatur, per quas illa vel illa loca unicuique decernuntur. Dicuntur autem filii esse Levi, Gerson, et Caath, et Merari, et ostenditur primatum tenuisse in honore Caath, hoc est, qui filii Caath fuerunt ex Amram : nam de eo Moyses, et Aaron, et Muria. (*Nazian.*) Igitur de Caath pars quidem [quædam] plebis effecta est sacerdotalis, quæ est Aaron et filii ejus. Moyses autem in sacerdotali ordine, aut si quid etiam amplius sacerdotali esse potest habendus est : alia vero est ratio de filiis ejus. Cæteri autem ex filiis Caath, secundum tenuerunt in tribu Levi. Si qui sunt ex Issachar et Chebron et Odiel. Cum deinde post hoc accipiunt partem post Caath e filiis Gerson tertio loco : novissimus vero omnium Merari. Hæc est autem differentia primi ordinis, et secundi, et tertii vel quarti, quam primo omnium observavimus in numeris. Postea enim, quam ordinatæ fuerant duodecim tribus per quatuor orbis terræ partes, circa arcam testamenti Domini excubias agere, et statutæ sunt tres quidem tribus ab oriente, et tres quidem ab Africo vel meridiano, tres autem mare, quod est ad occidentem, tres vero ad aquilonem, qui est septentrio, ubi etiam isti per quatuor orbis terræ partes eodem ordine deputantur. Et ab oriente quidem ubi erat tribus Juda, quæ erat inter cæteras prima, Aaron atque filii ejus collocantur. Caath vero et reliqui, qui erant filii arcam testamenti Domini levare in humeros et tubis canere statuuntur : ita ut cum prima tuba cecinissent, moverent castra hi qui erant ab oriente. Cum vero cecinisset secunda, hi qui erant a meridiano consurgerent, tertia ab occidente, quarta ab aquilone. Vides quantum ordo et quanta differentia in Scripturis et rerum consequentia describitur, quomodo nihil sine moderatione et ordine geritur. Intuere diligentius, et in omni scriptura hæc ita invenies ordinata. Sed quis potest ascendere hæc omnia et comprehendere? Quis invenisse potest saltem, et observare ordinem mysteriorum valet, cum secundum litteram solam difficile textus narrationis explicari potest, et permixtio vel locorum vel personarum, quæ in historia continentur evolvi? Quid dicimus de his sacramentis, quæ per hoc scribuntur et in quibus distributiones futuræ hæreditatis adumbrantur? et per quem sanctæ terræ, quam mansueti hæreditate suscipient, divisio celebrabitur? Quis castrorum sedes diversas explicet, quomodo hæc in resurrectione per singulos quosque sanctorum sacerdotali vel Levitico ordine habenda sit distributio? ut quemadmodum dicit Apostolus in resurrectione non confuse agantur omnia, sed « veniat unusquisque in suo ordine initium Christus, deinde hi, qui sunt Christi, qui in adventu ejus speraverunt cum tradiderit regnum Deo et patri, et cum subjecerit ei omnem principatum et potestatem (*I Cor.* XV), » ubi sine dubio tales quædam castrorum observationes et sacerdotales distributiones et ordines ac tubarum significationes erunt. Quod autem exceptis sex urbibus fugitivorum, alias quadraginta duas urbes Levitæ accipiunt, indubitanter ipsa prædicatio sanctorum signatur. Ipsi enim possident doctrinam, quæ constat legis decalogo, et quadrifido Evangelii numero, quasi decies quaternas urbes habentes, quibus etiam duæ adjiciuntur, quia nimirum cuncta quæ prædicant, morali ac mystico sensu annuntiant.

« Et erit, inquit, sanctuarium Domini in medio « ejus. Sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sa« doch, qui custodierunt cæremonias meas et non « erraverunt cum errarent filii Israel, sicut errave« runt Levitæ. Et erunt primitiæ de primitivis terræ « sanctum sanctorum juxta terminum Levitarum. » (*Hieron.*) Quatuor primitiarum describuntur plagæ, quæ non ad populum nec ad vulgus ignobile, neque ad Levitas, hoc est inferiorem gradum, sed proprie ad cultum pertinet sacerdotum, aquilonis videlicet et occidentis et orientis et austri, et per partes profectuum ordo narratur, ut aquilonis frigora relinquentes veniamus ad occidentem, quo scilicet occidant nobis vitia atque intereant. Et inde transeamus ad orientem, ortoque nobis sole justitiæ veniamus ad meridiem in qua clarissimum lumen atque perfectum est, et tam ab aquilone usque ad mare, quam ab oriente usque ad meridiem viginti quinque millia longitudinis et latitudinis decem millia sint, ut ubique eadem longitudinis et latitudinis mensura servetur. « Sanctuarium autem, » id est templum Domini, « in medio erit » primitiarum sacerdotalium, et æquo latere ex omni parte vallabitur. Et quia dixerat, hæ autem erunt primitiæ sanctuarii sacerdotum,

ne communi vocabulo omnes sacerdotes vindicarent sibi hujus loci possessionem et cæremonias observandas, ponit specialiter inferens, « sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoch, » qui interpretatur justus, de quo dicitur : « Justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus (*Psal.* x). » Pro quo *Sadoch* Septuaginta scribunt *Saduc*. Ipse Sadoch loquitur in Evangelio : « Non enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v). » Et de hoc sub nomine Salomonis mystice Propheta decantat : «Deus, judicium tuum da regi, et justitiam tuam filio regis.» Illi autem sacerdotes domini sanctuarium possidebunt et custodient cæremonias ejus, qui non erraverunt cum errarent filii Israel atque Levitæ, de quibus in superioribus disputatum est, qui non offerunt victimas, sed privilegio nominis et erroris sui humilitate contenti, semper loquuntur in corde : « Iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum coram me est semper (*Psal.* L). » Audiat hoc sacerdotalis gradus et Arianæ persecutionis ardore superatus, ac veræ postea fidei ne opibus careat, potentia colla submittens, sufficere sibi si non expellatur e templo, si pristini nominis umbram quamdam et imaginem teneat, et non resupinus eructans delicias, quasi immaculatus et purus de excelsissimo throno nobis imperitiæ suæ et barbaræ garrulitatis ructet nauseam. « Erunt, inquit, eis primitiæ de primitiis terræ, » hoc est sacerdotibus, et qui non erraverunt cum errarent filii Israel et Levitæ. Primitiæ autem de primitiis, sicut decimarum decimæ, sanctumque sanctorum juxta terminum Levitarum, ut habeant quidem Levitæ confinia sacerdotum, sed umbilicum, id est medium ejus, et ipsam possessionem tenere non valeant.

« Sed et Levitis similiter juxta fines sacerdo« tum viginti et quinque millia longitudinis, et « latitudinis decem millia. Omnis longitudo xxv « millium, et latitudo decem millium. Et non ve« nundabunt ex eo neque mutabunt nec transfe« rentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt « domino. Quinque millia autem, quæ supersunt « in latitudine per viginti quinque millia profana « erunt urbis inhabitaculum et in suburbana. Et « erit civitas in medio ejus. » Quod nos vertimus in profanum, pro quo Aquila βέϐηλον, Symmachus et Theodotio λαϊκὸν transtulerunt, Septuaginta dixere προτείχισμα, quod *antemurale* possumus dicere. Profanum autem est, et laicum, id est, vulgare, quod omni populo habitare passim licet. Illud autem, quod dixerunt LXX, nec mensurabitur, nec auferetur, pro eo quod nos diximus, non mutabitur neque transferetur sensum non habere perspicuum est. Describitur quoque Levitarum possessio, quæ vicina quidem est finibus sacerdotum, et eadem habet spatia in longitudine, et in latitudine pro multitudine Levitarum, quæ habet paucitas sacerdotum, sed tamen propriis utitur terminis,

A et intelligit se a sacerdotali gradu esse disjunctam ad decutiendam superbiam ministrorum, qui ignorantes humilitatem status sui, ultra sacerdotes, hoc est, presbyteros intumescunt, et dignitatem non merito, sed divitiis æstimant. Certe qui primus fuerit ministrorum, qui per singula concionatur in populos et a pontificis latere non recedit, injuriam putat si presbyter ordinetur, et non meminit mensarum et viduarum minister in obsequium se, et ministerium non solum sacerdotum, sed et viduarum et pauperum delegatum. « Et non venundabunt, inquit, ex eo neque mutabunt, » ut permaneat Leviticæ distributionis æterna possessio, nec vincatur pretio meritum dignitatis, nec ab alio transferamus ad alium, quia quæ sanctificata sunt Domino

B non sunt eorum quibus data sunt, sed ejus cujus nomine possidentur. Quinque millia autem, quæ supersunt in latitudine per viginti quinque millia, subauditur longitudinis profana erunt urbis et cunctis habitare liceat Israelitis, omnique de plebe, non quod immunda sint aut aliquid in habitatione terræ sanctæ contaminatum putetur et sordidum, sed quod præter sacerdotes omnibus in eis habitare permissum sit. Per quæ intelligimus cuncta, quæ referimus ad sensus, hoc est, ad corporis voluptates, quæ visu et auditu, tactu, odore et sapore capimus esse profana, et templi sanctimoniam non habere, nec sacerdotalis esse privilegii, sed laicæ vilitatis. Civitas autem erit in medio, de qua scriptum est : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). » Et : « Non

C potest civitas abscondi super montem posita (*Matth.* v), » de qua dicemus in consequentibus, Προτείχισμα, hoc est, antemurale, et Διάστημα, id est, spatium quod Septuaginta pro *suburbanis* interpretati sunt, quem sensum in hoc loco habeant ignoramus.

« Et hæ mensuræ ejus : Ad plagam septentriona« lem quingenta et quatuor millia, et ad plagam me« ridianam quingenta et quatuor millia et ad plagam « orientalem quingenta et quatuor millia, et ad pla« gam occidentalem quingenta et quatuor millia. » Quod dicit : « Et hæ mensuræ ejus, » subaudiendum est civitatis. In fine enim præteriti capituli positum est, « et erit civitas in medio ejus, » id est, terræ. Primumque a plaga septentrionali incipit, et e regione ponit plagam meridianam. Rursumque par reddit

D pari ut orientali plagæ e contrario ponat occidentalem, id est mare. Singulaque latera civitatis habent quatuor millia et quingentos calamos, qui faciunt supputati undecim millia passuum et octoginta quinque, ut simul omnis urbs, sicut in fine hujus voluminis scribitur, per circuitum habeat decem et octo millia calamorum, qui faciunt quadraginta quatuor millia passuum et trecentos quadraginta. Unde et quadragesimus quartus psalmus, qui inscribitur : « In finem, pro his qui commutabuntur : » et pertinet ad *Idida*, id est, ad amabilem Domini, sive ut interpretatus est Aquila *pro liliis*. Symmachusque *pro floribus*, Ecclesiæ, quæ urbs Domini est, continet sacramenta : de qua scribitur in eodem psalmo :

« Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato cir- A cumdata varietate. » Et iterum : « Omnis gloria filiæ regis intrinsecus, » ut non sit similis sepulchris forinsecus dealbatis, sed et intus et foris omnia lavet paropsidis. Cumque recesserimus ab aquilone vento frigidissimo, transimus ad meridiem, et post ortum in nobis lumen scientiæ occasum fortitudinum formidamus, nequaquam præterita, sed futura considerantes, nec habentes certam virtutis possessionem, sed quotidie in oratione dicentes : « Ne inducas nos in tentationem, » quam ferre non possimus.

« Erunt autem suburbana civitatis ad aquilonem « ducenti quinquaginta, et ad meridiem ducenti quin- « quaginta, et ad orientem ducenti quinquaginta et « ad mare ducenti quinquaginta. » Pro *suburbanis*, quæ Hebraice dicuntur *magras*, rursum Septuaginta B *διάστημα*, id est spatium, transtulerunt. Quod dicitur ducenti quinquaginta per singulas plagas, subauditur calami, qui sena cubita habent et unum palmum : et per singula latera faciunt passus sexcentos decem et septem paulominus, et in commune mille calamos habentes passus duo millia quadringentos sexaginta octo, quæ spatia muros per circuitum ambiunt civitatis, ut inter urbem et ea quæ reliqua sunt dividant. Ex quo ostenditur nullum de his spatiis ad exercendum opera civitatis capiendorumque fructuum habere licentiam, sed vacare ab usu et opere hominum, ut circum muralia urbis sponte nascentium virgultorum atque herbarum et cæterorum, quæ terra gignit, habeant amœnitatem.

« Quod autem reliquum fuerit in longitudine se- C « cundum primitias sanctuarii decem millia in orien- « tem, et decem millia in occidentem erunt sicut « primitiæ sanctuarii et erunt fruges ejus in cibum « vel in panes his, qui serviunt vel operantur civi- « tati. Servientes autem vel operantes civitati ser- « vient sive operabuntur ex omnibus tribubus Israel. « Omnes primitiæ viginti quinque millium, per vi- « ginti quinque millia in quadrum, separabuntur in « primitias sanctuarii et possessionem civitatis. » Post urbis sanctæ descriptionem et suburbana ejus, reliquam partem primitiarum sanctuarii decem millia calamorum in orientem, et alia decem millia ad occidentem tendentium delegari vult his, qui opera civitatis exercent ad varios usus, et quibuscunque urbs D indiget, ut scilicet serantur, et ex frugibus, quæ in hoc terræ nascuntur spatio, vescantur operarii, qui vel mœnia urbis exstruunt, vel interrupta et ruinosa restituunt, ut habeat civitas cultum suum, et sarta tecta cum poposcerit necessitas instaurentur. Et hoc non solum in Israel, vel in possessione terræ sanctæ spiritaliter Ecclesiæ mysterio continetur, sed in Romano quoque fieri probamus imperio, ut quædam villæ sint pertinentes ad jura urbium vel regia munificentia vel hæreditatibus et dono multorum : ne scilicet ædificia paulatim collabantur, et ædes publicæ, quæ ornamento sunt civitati, longa vexentur incuria. *Operarii autem*, inquit, sive qui serviunt in operibus civitatis, *erunt ex omnibus tribubus Israel*, ut nullus se ab opere civitatis immunem putet, sed omnes certatim exstruant Ecclesiam, quod in tabernaculo quoque factum legimus, ut pro varietate virium, alius aurum, et argentum, cocum, byssum, et purpuram, variaque et diversa subtegmina, alii pelles, et caprarum offerunt pilos. Et cum essent dona diversa pro qualitate substantiæ unum donantium esset præmium : imo majus eorum qui parva quidem obtulerint, sed majora pro viribus, in exemplum viduæ pauperis, quæ duo minuta in gazophylacii dona mittebat (*Luc.* XXI), et Domini est judicio laudata dicentis, « Vere dico vobis quia vidua hæc paupercula plus quam omnes misit. Nam omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei. Hæc autem ex eo quod deest illi omnem victum suum quem habuit misit. Sicut ergo diximus de operibus civitatis, sic illud breviter perstringendum est, quod omnes primitiæ sanctuarii, et possessio civitatis pariter supputata per quadrum contineat millia ducenta quadraginta sex et partem tertiam. Si enim viginti quinque millia calamorum, qui senos cubitos habent et palmum unum faciunt, nostra, hoc est, Romana sexaginta et unum millia, et sexcentos sexaginta septem passus, nulli dubium est, hæc in quadruplum supputata superiorem efficere numerum. Ex quo perspicimus omnia intelligenda spiritaliter, Ecclesiæ possessionem multo latiorem esse, quam quondam fuit in Judæa, qui ne accipere quidem partes terræ sanctæ, sed ex singulis tribubus quadraginta octo civitatum, non ex pleno possessionem, sed habitationem et hospitia susceperunt, ut ipsi quoque qui videntur laici, nec pervenisse ad sacerdotalem et leviticum gradum, tamen si operentur in domini civitate, vescantur de sancta terra, terra initium terraque credentium, quorum unus loquebatur : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI). »

« Quod autem reliquum fuerit principis erit ex « omni parte primitiarum sanctuarii et possessionis « civitatis : e regione viginti quinque millium primi- « tiarum usque ad terminum orientalem, sed et a mari « e regione viginti quinque millium usque ad termi- « num maris similiter in partibus principis erit. Et « erunt primitiæ sanctuarii et sanctuarium templi « in medio ejus. De possessione quoque Levitarum et « de possessione civitatis in medio partium principis « erit, inter terminum Juda, et intra terminum Benja- « min et ad principem pertinebit. » De hoc principe supra plenius disputatum est, et quod tantum solus acciperet, quantum una tribus : nunc autem aliud discimus, quod ex cunctis tribubus quidquid reliquum fuerit hic solus accipiat, ut nulla tribus sit, quæ Principi dona non offerat, non aliunde, sed ex primitiis, quæ templo et sanctuario et delegatis urbis partibus serviunt. Hoc est enim quod dicit : « e regione sive contra faciem, viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem, » sive usque ad terminum maris, ut sint primitiæ inter septem et quinque tribus et in ipsis primitiis civitas et suburbana ejus

in medio civitatis sanctuarium templi. Sed et de possessione Levitarum et de possessione civitatis, quidquid reliquum est, principi deputabitur. Eritque pars extrema septem tribuum vicina primitiis et civitati et templo in tribu Juda, et pars extrema quinque tribuum eodem jure quo supra in tribu Benjamin ipsa extrema pars ad principem pertinebit. Ex quo Scripturæ sanctæ sacramenta miranda sunt, et cogitanda magis quam eloquio proferenda. In priori enim divisione terrarum trans Jordanem per Mosen duabus tribubus Ruben et Gad et dimidiæ tribui Manasse terra divisa est, intra Jordanem autem per Josue filium Nun et Eleazarum filium Aaron : Judas possedit ab austro, et Ephraim et Manasse tribus dimidia ab aquilone. Postea vero de Silo missis exploratoribus per singulas tribus et descriptione terræ allata ad Josue et Eleazar, Benjamin juxta Judam ab austro, et juxta Ephraim et dimidiam tribum accepit possessionem. Secunda tribus Simeon hæreditatem accepit de tribu Juda, ut impleretur, quod scriptum est de Levi et Simeon, « Dividam eos in Jacob et dispergam eos in Israel (*Gen.* XLIX). »

Tertia Zabulon Galilæam accepit in qua est mons Thabor. Quarta Issachar, ubi est Jezrahel usque ad Jordanem. Quinta Asser, usque ad montem Carmelum, qui imminet mari magno Tyrumque et Sidonem. Sexta Nepthalim in Galilæa usque ad Jordanem, ubi Tiberias quæ olim appellabatur Chenereth. Septima Dan usque Joppen, ubi sunt turres Ahialon et Selebi et Emmaus, quæ nunc appellatur Nicopolis; licet postea legerimus, quod cœperint sibi transcensis aliis tribubus urbem Lesem in tribu Dan, quæ hodie appellatur Paneas. Cum hæc se ita habeant, et inter priorem tribuum descriptionem, et quæ nunc habetur tanta diversitas sit ; hoc consideremus, quomodo et in præsenti descriptione et in præterita inter tribum Juda, et Benjamin urbs templum collocatum sit, et in priori quidem descriptione Judas erat ab austro, et Benjamin ab aquilone. Hic vero e contrario fit, ut Judas sit ab aquilone, et Benjamin ab austro : post quem secundus est Simeon, tertius Isachar, quartus Zabulon, quintus Gad, quinque videlicet tribus, sicut in consequentibus dicitur. Scriptum est enim :

« Et reliquis tribubus a plaga orientali usque ad « plagam occidentalem Benjamin una. Et contra « terminum Benjamin a plaga orientali usque ad « plagam occidentalem Simeon una. Et super ter« minum Simeonis a plaga orientali usque ad pla« gam occidentalem Isachar una. Et super termi« num Isachar a plaga orientali usque ad plagam « occidentalem Zabulon una. Et super terminum « Zabulon a plaga orientali usque ad plagam maris « Gad una. Et super terminum Gad ad plagam austri « in meridiem, et erit finis de Thamar usque ad aquas « contradictionis Cades, hæreditas contra mare ma« gnum. Hæc est terra, quam metiemini tribubus « Israel, et hæ partitiones earum, ait Dominus Deus. » (*Hieron.*) Quod in quinque et septem tribubus semper in fine ponitur una, subintelligitur, vel pars, vel possessio, vel hæreditas ; licet Aquila et Symmachus interpretentur genere neutrali τὸ ὅριον quod significat terminum. Illudque breviter attendendum in extrema quinque tribuum, tribum Gad, quæ in priori descriptione trans Jordanem fuit, poni eam partem quam prius Judas tenuit ad plagam videlicet austri in meridiem ; et esse terminum de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades hæreditatem contra mare Magnum. Thamar ipsa est de qua jam diximus, quam nunc Palmyram vocant et olim a Salomone constructa. Palma enim Hebræo sermone Thamar appellatur, ab eo quod ibi palmeta sint plurima, quidam putant hoc sortitam vocabulum. Quod sequitur : « Usque ad aquas contradictionis Cades hæreditas contra mare Magnum, » pro quo Septuaginta transtulerunt, « De Theman et aqua Maribinoth Cades hæreditas usque ad mare Magnum, » illud observandum in Hebraico eumdem sermonem *nehela* quia ambiguus sit et hæreditatem sonare et torrentem, et hic magis torrentem accipi debere, quam hæreditatem. Iste est enim torrens, qui ingreditur mare Magnum Rinocoruræ, ut ante jam diximus. Cades autem, quæ in libro Josue appellatur Cades barne in deserto est, quod extenditur usque ad urbem Petram. Maribinoth vero, quod interpretatur contradictionis non vocabulum loci est, ut plerique æstimant, sed aquarum in quibus Domino contradixit populus, et Moyses offendit Deum, dicente psalmo : « Tentaverunt eum ad aquam contradictionis, et afflictus est Moses propter eos (*Psal.* CV). Omnisque terræ sanctæ hæreditas ab australi plaga juxta terminos Ægypti Rinocorura et torrente finitur. Et quia Gad interpretatur *tentatio*, in possessione ejus de palmetis transimus ad aquas contradictionis usque Cades, quæ interpretatur *sancta*, ut intelligamus nos etiam post victoriam mundi debere esse sollicitos et semper in metu, et recordari illius versiculi, « Tentatio est vita hominum super terram : » et ad sanctitatem adversariis repugnantibus pervenire ; sicque obtinere victoriam, et e vicino torrentem plenum imbrium contemplemur

« Et egressus civitatis a plaga septentrionali « quingenta et quatuor millia mensurabis et portæ « civitatis ex omnibus tribubus Israel. Portæ tres a « septentrione. Porta Ruben una. Porta Judæ una. « Porta Levi una : Et ad plagam orientalem quin« gentos et quatuor millia et portæ tres. Porta « Joseph una, Porta Benjamin una. Porta Dan una. « Et ad plagam meridianam quingentos et quatuor « millia metieris et portæ tres. Porta Simeonis « una : porta Issachar una, porta Zabulon una ; et ad « plagam occidentalem quingenti et quatuor millia. « Portæ eorum tres, Porta Gad una. Porta Aser una. « Porta Nephtalim una. Per circuitum decem et octo « millia et nomen civitatis ex illa die Dominus ibi« dem. » De ambitu civitatis quod per latera singula in quadrum quatuor millia, quingentos calamos habuerit præteritus sermo narravit, qui faciunt decem

et octo millia calamorum, ut in præsenti quoque capitulo positum est, id est, quadraginta quatuor millia passuum et trecentos quadraginta passus. Nunc scribitur per singula latera, hoc est, per undecim millia passuum et octoginta passus ternas fuisse portas quas Aquila Symmachus et Theodotio Διεξόδους, Septuaginta Διεκβολὰς vocant, nos interpretati sumus *egressus* et *exitus* civitatis.

Illudque primum breviter admonendum, easdem tribus in circuitu tabernaculi ita castrametatas ut ad orientem fuerit Judas, Issachar et Zabulon filii Liæ : et ad meridiem Ruben, Simeon, Gad, duo filii Liæ : et tertius filius Zelphæ ancillæ Liæ : ad occidentem vero Ephraim Manasses et Benjamin, duo videlicet filii Rachelis : quia Joseph pro tribu Levi, quæ sacrificiis deputata est, in duas tribus Ephraim et Manassen divisa est, ad aquilonem autem Dan et Aser et Nephtalim, quorum primus et tertius filii sunt Balæ ancillæ Rachelis, secundus filius Zelphæ, ancillæ Liæ ignobiles, et ad aquilonem positi quippe, qui ex ancillarum inter se dissidentium stirpe generati sunt. Hoc juxta Numerorum librum (*Num.* XXXIV) et descriptionem tabernaculi, quæ jubente Deo Moysi ore dictata est. Nostra vero urbs quæ est « civitas Regis magni (*Psal.* XLVII), « cujus artifex et conditor est Deus, de qua et Psalmista canit : « Numquid Sion dicet homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam altissimus (*Psal.* LXXXVI), » aliam habet tribuum in terra sancta descriptionem et mensuram civitatis, et possessionis ordinem, et plagas tribuum singularum. Primum enim plagæ aquilonis opponuntur, tres portæ, sive exitus civitatis, quorum est primogenitus Ruben, et Judas regiæ stirpis auctor, et Levi super cujus nomine in tabernaculo et sacrorum descriptione nil dictum est, ut primogenita possidentes quasi genus regale et sacerdotale, aquilonis frigora contemnamus. Secundo vero ad orientem est Joseph, Benjamin et Dan, ambo filii Rachel et unus Balæ ancillæ ejus, ad meridiem vero Simeon, Issachar, Zabulon, qui tres Liæ filii sunt. Porro ad occidentem Gad, Aser, et Nephtalim : quorum priores duo filii Zelphæ sunt ancillæ Liæ : tertius filius Balæ ancillæ Rachelis : « Quis sapiens et intelligit hæc, intelligens et cognoscet ea? » (*Psal.* CVI.) Quia rectæ viæ Domini et justi ambulabunt in eis, « prævaricatores autem corruent in illis (*Ose.* XIV). » Has duodecim portas sive exitus pro qualitate meritorum atque virtutum singulis tribubus sub apostolicis et patriarcharum nominibus arbitror delegatas, de quibus et in Apocalypsi Joannis apertius scribitur, et multa divinarum Scripturarum sacramenta testantur. (*Beda.*) Nam et in Apocalypsi de his portis mysticæ civitatis Dei ita scriptum est : « Et habebat murum magnum et altum habebat portas duodecim, et in portis angulos duodecim, et nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel, ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres : et murus civitatis habens fundamenta

A duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et agni. » Murus ergo iste magnus et altus, inexpugnabilem fidei et charitatis, speique firmitatem significat. Potest et ipse Dominus Ecclesiam undique protegens, murus magnus intelligi, de quo Isaias ait : « Ponetur in ea murus et antemurale (*Isa.* XXVI), » id est, Domini protectio, et intercessio sanctorum, qui iter faciunt ei docendo ad corda credentium. Habet hic murus portas duodecim, quæ portæ apostoli sunt, qui suo vel scripto, vel opere cunctis primordialiter gentibus Ecclesiæ pandebant introitum. « Et in portis angulos duodecim, » doctores scilicet, apostolorum vestigia fidei et verbi mysterio sequentes : « Et nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim filiorum Israel (*Exod.* XXVIII); »
B memoriam veterum Patrum significat prædicatorum cordibus insitam. Unde et pontifex tabernaculum ingressus memoriale Patrum in rationali pectoris ferre jubetur. « Ab oriente erant portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres. » Hac tam solerti reor descriptione portarum duodenarii numeri voluit indicare mysterium : quo idcirco vel summa apostolorum vel Ecclesiæ sit figurata perfectio, quia per eam orbi quadrato sanctæ Trinitatis erat fides intimanda. « Et murus civitatis habebat fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum et Agni; » quod sunt portæ, hoc fundamenta, quod civitas hoc murus. Possunt autem et patriarchæ fundamentorum vocabulo designari, qui nomina in
C se apostolorum, id est, figuram tenuerint. Per illos enim fundata hæc civitas, quamvis per apostolos quasi per portas latius credituris sit aperta nationibus. Et notandum, quod fundamenta cum pluraliter dicantur, doctores vel virtutes Ecclesiæ significant : cum vero singulariter, ipsum significare Dominum, qui est fundamentum fundamentorum. (*Hieron.*) Et necesse est ut talis civitas decem et octo millium per circuitum teneat calamorum, sub quo numero et in duodevicesimo psalmo lex naturalis et scripta gratiaque Evangelii describitur, quibus Ecclesia, id est, urbs Salvatoris exstructa est. Nomen quoque ipsius civitatis nequaquam erit ut prius Hierosolyma, quæ interpretatur *visio pacis :* sed *Adonaisan* [*Adonaisama*], quod in Latinum sermonem vertitur *Dominus ibidem*, qui nunquam re-
D cedat ab ea, ut a priori populo ante discessit dicens ad discipulos : « Surgite, abeamus hinc (*Joan.* XIV). » Et ad Judæos : « Relinquetur vobis domus vestra deserta (*Luc.* XIII), » sed æternam habeat possessionem, et sit ei ipse possessio, iisdem discipulis repromittens : « Ecce ego vobiscum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII), » et qui ad Patrem loquens ait : « Pater quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi (*Joan.* XVII). » (MAURUS.) De hac ergo beatitudine visionis Dei, ubi sancti cum Domino gaudebunt, in æternum, et de præsentia

ejus, sine cessatione et absque ullo termino lætantur, qualis sit, Psalmista explicat dicens : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculi laudabunt te (*Psal.* LXXXIII) ; » nam si beatus hic habetur cui ad tempus omnia secunda procedunt, nec aliqua adversitate concutitur, quid de illa beatitudine sentiemus, cui nec in qualitate nec in perennitate quidquam simile reperitur? Sed quia humanis verbis hoc bonum non potest explicari, tamen unde proveniat non tacetur, dicit enim : « Laudabunt te : » Inde est quippe illa beatitudo mirabilis, quam ut æternam intelligeres, subjecit : « In sæculum sæculi. » Sed qualis rogo illius sæculi ventura lætitia est, ubi dabitur copiose gaudere, et nunquam ab ea posse discedere? Electi ergo omnes, laudes et misericordias Domini libere in æternitate cantabunt, ubi jam de peccati venia dubietas non erit, ubi jam securam mentem culpæ suæ memoria non addicit, ubi non sub reatu animus trepidat, sed ejus indulgentia liber exsultat. Nam si in illa æterna vita homo nulla peccati memoria tangitur, ereptum se unde gratulatur? aut quomodo largitori gratias refert de venia quam accepit, si interveniente oblivione transactæ nequitiæ esse se pœnæ debitorem nescit, et si miseriæ transactæ non meminit, unde pro largitate misericordiæ laudes reddit? Quærendum ergo est, quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine possit; si hanc inter gaudia memoria sui reatus tangit? aut quomodo perfectæ lucis clarescit gloria, quam reducta ab animo obumbrat culpa? Sed sciendum est, quia sicut sæpe nunc tristium læti reminiscimur, ita nunc transactæ nequitiæ A sine læsione nostræ beatitudinis recordabimur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos sine dolore reducimus, et quo ægros recolimus, eo nos incolumes plus amamus. Sic ergo erit et in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mente polluat, sed quæ lætitiæ arctius astringat, ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, inde se ad gratias agendas, debitorem fieri suo medico verius fateatur, ut eo magis acceptam salutem diligat, quo de molestia meminit quid evasit. In æternum ergo laudem misericordiæ largitoris nostri referimus, et nequaquam miseriæ conscientia gravamur : quia dum mala nostra sine aliquo mentis malo respicimus; et nunquam erit, quod corda laudantium de transactis B iniquitatibus polluat, et semper erit, quod hæc ad laudem liberatoris accendat. Hinc quoque Paulus apostolus Philippensibus ait : « Nostra conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Jesum Christum, qui reformavit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philip.* III). » Erunt enim tunc electorum corpora claritate Dominici corporis configurata; quæ etsi æqualitatem gloriæ ejus non habent per naturam, similitudinem tamen configurationis habent per gratiam. Quia itaque similitudo ejus vitæ nunc in moribus trahitur electorum, tunc in resurrectione sequitur similitudo æternitatis in mente; quoniam « videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III), » et juxta Prophetam : « Adimplebimur lætitia cum vultu suo, delectationesque C nostræ erunt in dextera ejus usque in finem (*Psal.* XV). »

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

AD HUMBERTUM

QUOTA GENERATIONE LICITUM SIT CONNUBIUM

EPISTOLA. (ANNO 842.)

Domino vere sancto ac beatissimo Patri HUMBERTO gratia Dei episcopo, RABANUS, vilissimus servorum Dei servus, in Christo salutem.

Nuper venerunt ad me litteræ de tua sanctitate directæ, quæ inter alia ex quibus mecum tua dilectio decrevit tentare, continebant de nuptiis : ut quota generatione legitimum esse posset, tibi edicerem : ubi et commemorabas te quædam capitula legisse papæ Gregorii ad Augustinum gentis Anglorum episcopum : nec non et decreta Zachariæ de eadem re : similiter quoque quid Isidorus, Hispalensis episcopus, in Etymologiis suis inde senserit, notum habere : et quid ego super hæc omnia sentirem, tibi a me rescribi postulabas. Unde ego tunc videns quan- D titatem negotii, breviter respondi : quod tanta res, et spatium temporis, et otium scribentis quæreret : nec cito me posse ad ea quæ rogabas, in multis occupatum condigne respondere : sed multorum dicta et sacrorum librorum volumina ante perscrutari velle : et sic ad rescribendum, manum mittere. Sed cum postmodum te sentirem ad primissa exequenda avidius anhelare, præoccupavi tempus, et festinanter tuæ voluntati obtemperare decrevi : breviter hæc commemorans, quæ legisse me recordatus sum : vel quæ subito dictanti in mentem venerant. Igitur de nuptiis quid licitum sit vel illicitum, Dominus per legem et Evangelium innotuit, qui bono conjugali uti concessit : atque omnem incestum et fornicatio-

nem omnino prohibuit. Quomodo autem consanguinitas honoranda sit, liber Leviticus ostendit: « Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filiis Israel, et dices ad eos: Ego Dominus Deus vester: juxta consuetudinem terræ Ægypti in qua habitastis, non facietis: et juxta morem regionis Chananææ, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis: nec in legitimis eorum ambuletis: facietisque judicia mea et præcepta servabitis, et ambuletis in eis. Ego Dominus Deus vester: custodite leges meas atque judicia, quæ homo faciens, vivet in eis. Ego Dominus. Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus, ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies. Mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis: eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis: nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est: nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ et filiæ ejus non revelabis: filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, et talis coitus incæstus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies: nec revelabis turpitudinem ejus (*Levit.* XVIII). » Cum enim Dominus populum suum de contaminationibus gentium voluisset separare, primum generali vocabulo ad proximitatem sanguinis prohibuit quemquam accedere, ne revelaret turpitudinem ejus. Deinde ipsam generalitatem ferme in duodecim species subdivisit: quæ tamen ultra tertiam vel quartam generationem non procedunt: ac ideo reor dominum Gregorium papam Augustino interroganti, tertia vel quarta generatione jam illicite connubia jungi respondisse. Similiter et in Theodori archiepiscopi gentis Anglorum capitulis, quæ de necessariis rebus conscripsit invenimus, quod in tertia propinquitate carnis secundum Græcos liceat nubere: in quinta vero secundum Romanos. Qui tamen conjugia in tertia propinquitate facta non solverent, si antea ab inscientibus compacta fuissent: æqualiterque conjungerentur in matrimonia eis, qui sibi consanguinei sunt, et uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris. Hunc autem Theodorum Tarso Ciliciæ natum, Vitellianus papa, Romæ episcopum ordinans, Britanniam misit: unde A etiam Orientalium ecclesiarum consuetudinibus pleniter institutus fuerat: nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in observationibus legitimis Græci vel Romani eo tempore habuerunt: maxime cum in utraque lingua perfecte instructus esset. Quod autem proximis temporibus Romanorum pontificum scripta contineant, usque ad sextam vel septimam generationem conjugii usum differendum, magis ex consuetudine humana, quam ex lege divina hoc eos præcepisse credendum est. Quod ita sentiens beatus Bonifacius martyr, nosterque patronus de eadem re episcopos gentis suæ credidit consulendos: ut ipsi quid in sanctorum Patrum sententiis inde explanatum invenirent, sibi rescriberent. Nam quod Isidorus in Etymologiis suis, usque ad sextam generationem consanguinitatis B abstinendum, et sic legitime connubio conjungendum asseruit, inde reor eum fecisse, quod genealogiæ seriem retexens, quousque ordinem numerando perduxit, eo cognationem sanguinis servandam æstimavit: sicque ad novationem generis et amicitiæ ejus confirmandam, redire ad connubium sancivit quando jam cognationis ordo numerari desivit. Cæterum ante omnia considerandum est, ut sic censura disciplina temperetur, ne per immoderationem correptionis, peccati cumulus augeatur. Scimus enim, quod qui in lege cognationis jus observare constituit, ipse in Evangelio fœdus conjugii non dissolvendum præcepit: ita sane, « ut si quis dimitteret uxorem excepta causa fornicationis, faceret eam mœchari: et qui dimissam duceret, C mœcharetur (*Matth.* V). » Sic et Apostolus eamdem rationem sequens in Epistola sua (*I Cor.* VII), jussit « mulierem a viro non discedere: quod si discederet, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. » Si enim ubicunque aliquid proximitatis vel consanguinitatis licet longinquæ, inter conjugatos inveniri potest, statim matrimonium dissolvitur, ne (reor) quod adulterium et fornicationis scelus multiplicetur, qui cum conjugato adolescenti vel juveni societas comparis suæ denegatur: nec aliquid ei solatii impenditur, unde continentiam servare possit, libidine inflammatus, per diaboli instigationem, multiplici fornicatione forsan polluitur: ac sic in præcipitium mortis æternæ, anima demergitur. Unde Apostolus hujuscemodi vitium amputare volens, scripsit D dicens (*Ibid.*): « Bonum est mulierem non tangere; propter fornicationem autem, unusquisque uxorem suam habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro; » et paulo post: « Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; » et iterum: « Revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam. » His ergo omnibus consideratis, bonum mihi videtur, ut legis divinæ constitutio inviolata servetur: et scandalum quantum ad homines pertinet, pro facultate virium declinetur, ubi autem sine majori detrimento scandalum toleretur; quoniam maximum propter [a] . . . incaute jam efficia-

[a] Deest aliquid.

tur. Igitur quia a mea parvitate voluisti, quid sentiram de hac re, ubi rescribi, propter infirmitatem instantis temporis, reor hoc quod Theodorus archiepiscopus inter Gregorium et Isidorum medius incedens, in suis capitulis diffinivit, magis sequendum : ut post quintam generationem jam licitum connubium fiat : quia lex divina hoc non contradicit : nec etiam sanctorum Patrum dicta hoc prohibent. Si autem et in quinta ab insciis copula fuerit peracta, melius A mihi videtur, ut cum pœnitentiæ humiliatione, si se uxoratus continere non vult, Deo satisfaciat : et tamen ei prædicetur, quoniam bonum sit, ut ab hujuscemodi copula semetipsum abstineat : si forte det illi Deus pœnitentiam, et resipiscat a diaboli laqueis : gratamque continentiæ suæ spontanea voluntate oblationem, postmodum offerat Deo : et sic ni fallor, cautela erit in judicio : atque justitia servatur in facto.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

DE CONSANGUINEORUM NUPTIIS

ET

DE MAGORUM PRÆSTIGIIS FALSISQUE DIVINATIONIBUS

TRACTATUS.

Magnorum virorum et clarissimorum doctorum mos semper fuit, ad ea de quibus interrogati fuerant, competenter responsum quærere, et adnitentes auctoritati sanctarum Scripturarum, sanctorumque Patrum sententiis, ea quæ ab eis postulata fuerant, breviter, dilucideque reserere. Sed cum hæc ipse indoctus, et non tam sermone quam etiam scientia imperitus, pro modulo meo imitari solebam : et his qui me de aliquibus quæstionibus pulsabant, per Scripturas sacras et sententias sanctorum Patrum, respondere curabam. Nunc ita apud te, charissime virorum, et solertissime custos gregis Dei, Bonose, mihi evenit, quoniam in his in quibus aliquo modo satis egi, tibi nullo modo satisfacere potui, sed semper juxta consuetudinem tuam, astutius inquirebas, et diligentius investigabas, quomodo ea quæ prolata C sunt, inviolata constare possent. Unde modo difficilem exitum in quæstionibus a te mihi propositis invenire potui : eo quod testimonia de vetere lege assumpta, in epistola rescripta ad Humbertum episcopum, quota generatione liceret cognatis connubia jungere, redarguebas : quasi non convenientia huic tempori, hoc est, religioni Christianæ, sed quia in novo Testamento de hoc plane scriptum non inveni, necessarium æstimavi, quid sancti patres de ipsis sententiis legis Dei senserint, de opusculis eorum, tibi exempla proferre : ut qui mihi propter vilitatem meæ personæ difficulter credis, saltem illis qui magnæ auctoritatis sunt, coactus credas. Proponebas enim mihi duas quæstiones : unam de consanguineis, D quota generatione eis liceret seinvicem nuptiis copulare. Alteram quid de his sentiendum esset, qui magicis præstigiis sive incantationibus dæmoniacis, dicuntur homines fallere : et a statu suo pristino evertere posse. Unde primum de præfatis nuptiis, B deinde de magicæ artis argumentis, scribendum tibi esse arbitramur. Sed prius notandum est, quod ubi veteris legis præcepta necessaria sunt in testimonium assumenda, non sunt despicienda : quia unus atque idem auctor veteris et novi Testamenti est, Deus. Idcirco ipse mediator Dei et hominum, de lege et prophetis exempla sumens, confirmabat et commendabat doctrinam evangelicam auditoribus suis, sicut scriptum est de eo in Evangelio (*Luc.* IV), « quod ipse « in synagoga surrexerit legere : et datus sit illi liber Isaiæ prophetæ. Qui cum aperuisset librum, « invenit locum ubi scriptum erat : Spiritus Domini « super me, propter quod unxit me : evangelizare « pauperibus misit me. Sanare contritos corde : « prædicare captivis remissionem, et cæcis visum : « dimittere confractos in remissionem. Prædicare « annum Domini acceptum, et diem retributionis. « Et cum plicuisset librum, reddidit ministro et sedit, et omnium in synagoga oculi erant intendentes « in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie « impleta est hæc scriptura in auribus vestris : et « omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in « verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius ; » et post resurrectionem legitur, quod duobus discipulis secum in via ambulantibus et dubitantibus, dixerit (*Luc. ult.*) : « O stulti et tardi corde ad credendum « in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc « oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam « suam ? et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, « interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ « de ipso erant, » et in aliis pluribus locis idem fecisse invenitur, nec immerito. Nam in monte ubi coram tribus discipulis transfiguratus est (*Matth.* XVII), « apparuerunt Moyses et Elias cum eo lo« quentes, et dicebant excessum quem completurus

« erat in Hierusalem, ut intelligeretur eum testimonium habere velle, a lege et prophetis. » Unde et Apostolus, gratiam novi Testamenti testificatam asserit a lege et prophetis (*Rom.* VII), quia « lex spiritalis est et sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum. » Ex quo notandum est, quod ipsa lex in aliquibus locis secundum historiam tantum, in aliquibus vero secundum allegoriam, in aliquantis autem secundum historiam simul et allegoriam intelligenda est. Quia, ut B. Ambrosius scripsit, triplex quidem lex est. Ita ut prima pars de sacramento divinitatis, sit Dei : secunda autem quæ congruit legi naturali, quæ interdicit peccatum : tertia vero, lex est factorum, id est, sabbati historica observatio, neomeniæ et circumcisio, quæ spiritaliter, non carnaliter, temporibus gratiæ servanda sunt. Similiter autem et lex naturalis, quæ concordat in multis legi Moysi, tres habet partes. Cujus prima hæc est, ut agnitus honoretur creator : nec ejus claritas et majestas, alicui de creaturis deputetur. Secunda autem pars est moralis, hoc est, ut bene vivatur modestia gubernante. Congruit enim homini habenti notitiam creatoris, vitam suam lege frenare, ne frustretur agnitio. Tertia vero pars est docibilis : ut notitia Dei creatoris, et exemplum mox cæteris tradatur : ut discant quemadmodum creatoris meritum collocetur : hæc est enim vera et Christiana prudentia : et omni catholico ad discendum, atque ad servandum necessaria, quia per hanc in hoc sæculo vita honesta ducitur, et in futuro ad præmia æterna pervenitur. Igitur ubi de sacramento divinitatis sermo sit, vel de vitandis vitiis ac virtutibus assequendis præcepta dantur, bona est historica, et moralis intelligentia. Ubi autem umbra futurorum exprimitur, ut de lege factorum diximus, spiritalis omnino intellectus, ibi quærendus est. Cæterum ubi historia narrat transitum filiorum Israel de Ægypto per mare Rubrum, et in deserto constructionem tabernaculi, et signa miraculorum, quæ in priori populo Domini jussu facta sunt, præliaque Israelitarum cum Chananæis et cæteris gentibus, hæc quidem historialiter ita facta esse credenda sunt, et tamen in mysteriis veneranda. Unde Paulus apostolus facta priorum mystice intelligens, ad Corinthios scripsit, dicens (*I Cor.* x) : « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra. Petra autem erat Christus. » Similiter autem et ad Galatas scribens duos filios Abrahæ, unum de ancilla natum, et alterum de libera, duobus populis per similitudinem comparavit dicens (*Gal.* IV) : « Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est. Qui autem de libera, per repromissionem, » quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc

A enim sunt duo Testamenta : unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, et servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est : quæ est mater nostra. Scriptum est enim : « Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum, » etc. (*Isa.* LIV). Si ergo ipsa Veritas et discipuli ejus, ex testimoniis legis doctrinam suam probaverunt, et auditoribus suis commendaverunt, quis est qui ipsam legis assertionem audeat reprehendere, quando eam viderit evangelicæ doctrinæ concordare? Cum enim salubria præcepta in lege de charitate, de castitate, de continentia,
B et de misericordia, cæterisque virtutibus auctoritate divina proferuntur, omni cum honore suscipienda, et cum magna diligentia servanda sunt : quia in hoc se quisque probat ipsius veritatis devotum esse discipulum, et mandatorum Dei custodem diligentissimum, si consentiat legi Dei, et credit illis quæ in ea scripta sunt. Hinc quoque ipse ad incredulos Judæos, et contra altercantes, ait : « Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit : Si autem illius litteris non creditis, quomodo meis verbis credetis? » (*Joan.* v). Hinc et alibi in Evangelio legitur (*Luc.* XVI) : « Abraham diviti de inferno ad se clamanti, » et postulanti, ut Lazarum transmitteret in domum patris sui, quatenus testaretur illis, ne et ipsi venirent
C in locum ipsum tormentorum, respondisse : « Habent Moysen et prophetas, audiant illos. » At ille dixit : « Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit, credent. » Ac si patenter diceret : Si legi et prophetis, justitiam et veritatem docentibus non acquiescunt, nec Christo qui ex mortuis resurrexit, et evangelicam doctrinam annuntiat, rite obediunt. Denique de consanguinitate Dominus ipse qui legem dedit, et postmodum Evangelii benedictionem addidit, ut electi sui ambularent de virtute in virtutem, in Levitico ad Moysen locutus est dicens : « Loquere filiis Israel et dices ad eos : Ego Dominus Deus vester :
D Juxta consuetudinem terræ Ægypti in qua habitastis, non facietis, et juxta morem regionis Chanaan ad quam ego introducturus sum vos, non agetis. Neque enim in legitimis eorum ambulabitis. Facietis judicia mea, et præcepta mea servabitis, et in eis ambulabitis : ego Dominus Deus vester. Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus : ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies : mater tua est : non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies : turpitudo enim patris tui est.

« Turpitudinem sororis tuæ ex patre sive ex matre « quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui vel nepotis ex filia, non « revelabis, quia turpitudo tua est. Turpitudinem « filiæ uxoris patris tui quam peperit patri tuo, et « est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non « revelabis, eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad « uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii « tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia « turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ « et filiæ ejus non revelabis : filiam filii ejus, et « filiam filiæ ejus non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt : et talis coitus « incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum « illius non accipies, nec revelabis turpitudinem « ejus, adhuc illa vivente (*Lev.* XVIII). » Cujus capituli expositionem, ex dictis beati patris Augustini hic interserendam esse, censuimus : ut lector sobrius, ejus sensui non diffidat credere atque consentire, quem videt nullo modo a veritatis tramite deviare. Turpitudinem, inquit, patris tui, et turpitudinem matris tuæ non revelabis. Turpitudo enim eorum est. Prohibet cum matre concumbere. Ibi enim est turpitudo patris et matris. Nam propterea prohibet et novercæ, ubi dicit : Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis : turpitudo enim patris tui est. Ubi exposuit, quomodo in matre utrique sit turpitudo, id est, patris et matris : in noverca autem, tantum patris. Turpitudinem sororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi vel foris nata est, non revelabis. Turpitudo enim earum est. Quæ domi nata est, intelligitur ex patre : quæ foris nata est, intelligitur ex matre : si forte de priori viro eam mater susceperat, et cum illa in domum venerat, quando patri ejus nupserit : quoniam monet Scriptura, ne revelet turpitudinem sororis suæ, hic videtur non prohibuisse et quasi prætermisisse concubitum cum sorore de utroque parente nata : non enim dicit : Turpitudinem non revelabis sororis tuæ ex patre et ex matre, sed ex patre aut ex matre. Verum quis non videat etiam illud esse prohibitum multo maxime? Si enim non licet sororis turpitudinem revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque. Quid est autem, quod interposita prohibitione concubitus etiam cum suis neptibus sive de filio, sive de filia, sequitur et dicit : Turpitudinem filiæ uxoris patris tui non revelabis? Si enim hucusque dixisset, intelligeremus etiam cum filia novercæ prohibitum fuisse concubitum, quam ex priore viro noverca peperisset, nec hujus qui prohibetur, soror esset vel ex patre vel ex matre. Cum vero addidit, quæ ex eodem patre soror tua est, non revelabis turpitudinem ejus, manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem,

A cum fuerit ex patre et ex noverca, de qua jam superius dixerat : an ideo iterum hoc apertius voluit prohibere, quia superius subobscurum fuit. Sæpe enim hoc facit Scriptura. Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, et ad uxorem ejus non introibis. Exposuit quid dixerit : Turpitudinem fratris patris tui, id est, patrui tui non revelabis, hoc est enim, ad uxorem ejus non introibis. In uxore quippe patrui tui, voluit intelligi turpitudinem patrui tui. Sicut in uxore patris, turpitudinem patris. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis : turpitudo enim fratris tui est. Quæritur utrum hoc vivo fratre, an mortuo, sit prohibitum : et non parva quæstio est. Si enim dixerimus de vivi fratris uxore locutam Scripturam uno generali præcepto, quo prohibetur B homo ad uxorem accedere alienam, etiam hoc utique continetur. Quid est ergo, quod tam diligenter has personas quas appellat domesticas, propriis prohibitionibus distinguit a cæteris? Non enim et quod prohibet de uxore patris, hoc est, de noverca vivo patre accipiendum esset, et non potius mortuo. Nam vivo patre, quis non videat multo maxime prohibitum, si cujuslibet hominis uxor aliena prohibita est maculari adulterio? De his personis ergo videtur loqui, quæ possent non habentes viros in matrimonium convenire, nisi lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris uxorem, occurrit illud, quod excitandi seminis causa, si ille sine filiis defunctus esset, jubet Scriptura esse C faciendum : ac per hoc collata ista prohibitione cum illa jussione, ne invicem adversentur, intelligenda est exceptio, id est, non licere cuiquam defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit, aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris uxorem, etiam quæ a fratre vivo per repudium recessisset; tunc enim sicut Dominus dicit, « Ad duritiam Judæorum Moyses permiserat dari libellum repudii (*Marc.* X); » et per hanc dimissionem potuit putari quod licite quisquam sibi uxorem copularet fratris : ubi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset. « Turpitudinem mulieris et filiæ ejus non revelabis. » Id est, ne putet quisquam licere sibi ducere filiam uxoris suæ. Simul « enim mulieris et filiæ ejus, non licet revelare turpitudinem ejus, » id est ambabus misceri, et matri D et filiæ. « Filiam filii ejus et filiam filiæ ejus non accipies; » etiam neptem uxoris de filio vel de filia duci prohibuit uxorem. « Super uxorem sororem ejus non accipies in zelum. » Hic non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis. Sed sororem sorori noluit superduci, quod videtur fecisse Jacob : sive quia nondum fuerat lege prohibitum, sive quia supposita alterius fraude, deceptus est. At illa magis de placito veniebat, quam posterius accepit : sed injustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait, *in zelum;* utrum ideo positum est ne sit zelus inter sorores quod inter illas quæ sorores non

essent, contemnendum fuit: an ideo potius, ne propter hoc fiat, id est, ne hoc animo fiat, ut in zelum sororis, soror superducatur. Qualiter autem in cognatis jus matrimonii servandum sit, memoratus doctor ostendit dicens: Quod autem postea legitur: « Quicunque dormierit cum cognata, turpitudinem cognationis suæ revelabit; sine filiis morientur; » quæritur quousque sit intelligenda ista cognatio, cum ex longo gradu licet utique accipere uxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus, quos prohibuit non licere: et secundum ipsos dictum: « Quicunque dormierit cum cognata sua. » Ubi et aliqua non commemorata intelligenda dimisit. Sicut sororem de utroque parente. Sicut uxorem fratris matris, id est, avunculi. Nam de uxore patrui primum prohibuit, quamvis hæc non cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, sine filiis moriantur, cum filii ex hujusmodi conjunctionibus et ante nati sunt, et hodie nascantur? An hoc intelligendum est, lege Dei constitutum, ut quicunque ex eis nati fuerint, non deputentur filii? Id est, nullo parentibus jure succedant. Quod autem quidam reprehendunt rescripta beati Gregorii ad interrogationem Augustini episcopi gentis Anglorum, qui ab eo sciscitatus est, usque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi conjugio copulari, et novercis, et cognatis si liceat copulari conjugio, non caute faciunt, quia qui irreprehensibilis est in cæteris dogmatibus suis, in hac etiam responsione non potest rite reprehendi, quia legi Dei, et sanctorum Patrum sententiis magis studuit concordare, quam nova ex suo sensu condere, qui inter cætera sic ait: Quædam terrena lex in Romana republica permittit, ut sive frater et soror, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere: et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia vel quarta generatione fidelium, licenter sibi jungi debeat. Nam secunda quam prædiximus, a se omni modo debet abstinere. Cum noverca autem misceri, grave est facinus, quia et in lege scriptum est: « Turpitudinem patris tui non revelabis (*Lev.* XVIII). » Neque enim patris turpitudinem filius revelare potest. Sed quia scriptum est: Erunt duo in carne una (*Gen.* II), qui turpitudinem novercæ quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelabit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quia per conjunctionem priorem caro fratris fuerit facta: pro qua re etiam Joannes Baptista capite truncatus est, et sancto martyrio consummatus. Cui non est dictum ut Christum negaret, et pro Christi confessione occisus est. Sed quia Dominus noster Jesus Christus dixerat: « Ego sum veritas (*Joan.* VI), » pro veritate Joannes occisus est videlicet, et pro Christo sanguinem fudit. In hoc ergo responso facile potest lector diligens agnoscere, utrum hanc relationem ad præcepta legis divinæ, quæ su-

A perius commemorata sunt, hic præsul sedis apostolicæ referret, an de suo aliquid noviter constituerit. Non enim mihi videntur ejus dicta discordare a supra memoratis sententiis beati Augustini: sed ejus sensui paria sentire. In canonibus autem Patrum, quid de incestis conjugiis decretum sit, inserendum arbitror: ut ibi perspiciatur, utrum eorum sententiæ, ad prædictorum doctorum scripta concordent, an non. Nam in Agathensi concilio ita scriptum est: Incestos vero nullo conjugii nomine deputandos censemus: quos etiam designare funestum est, id est, si quis relictam fratris quæ prius soror exstiterat, carnali conjunctione violaverit. Si quis frater germanam uxorem accipiat; si quis novercam duxerit. Si quis consobrinæ suæ se sociaB verit: quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea quæ sunt ante nos constituta, non dissolvamus. Si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patris filiæ, hæc conjunctio illicita interdicitur. Habebunt enim, ineundi meliores conjugii libertatem. In Aurelianensi quoque synodo ita decretum legitur de incestis, ut communicentur: Ne superstes super thorum defuncti fratris accedat: neve quisque amissa uxore sorori audeat sociari: quod si fecerit, ab ecclesiastica districtione feriatur. Item in Capitulari Orientalium Patrum, quod a Martino episcopo cæterisque episcopis constitutum est, ita scriptum reperitur: Si quæ mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, a communione abstineant usque ad mortem. In morte eis communio C per misericordiam detur. Si vero supervixerint communione accepta, et de infirmitate convaluerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto. In decretis quoque Gregorii papæ, qui apud Romanos a primo secundus dicitur, ita scriptum est: Si quis commatrem spiritalem duxerit in conjugio, anathema sit: et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugio, anathema sit: et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis neptem duxerit in conjugis, anathema sit; et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis novercam aut nurum suam duxerit in conjugio, anathema sit: et responderunt omnes tertio, Anathema sit. Si quis consobrinam duxerit in conjugio, anathema sit: et responderunt D omnes tertio, Anathema sit. Non enim hic de trinepote, sive de trinepte, aut de trinepotis nepote, seu trinepotis nepte aliquid dicitur, aut specialiter enumeratur. Unde magis arbitror hoc sequendum, quod divina auctoritas in duobus Testamentis sancivit: et quod juxta ejus exemplum, plurimorum Patrum sententia in communi conventu servandum constituit: quam quod quilibet juxta libitum suum conjectura propria sequendum esse, decernit. Verumtamen, si quis voluerit se continere usque ad quintam vel sextam vel etiam septimam generationem, non prohibendus est, sed magis hortandus: quia quanto longior est a discrimine, tanto securior erit de internecione. Nam Apostolo testante,

« honorabiles sunt nuptiæ, et thorus immaculatus (*Heb.* xiii). » Ideo Christianum decet omnia honeste et secundum ordinem facere. Ego quoque, quia ex meo aliquid noviter non ausus sum proferre, majorum scripta vel dicta, secundum id quod inveni, simpliciter posui ; non præjudicans alteri melius intelligenti. De his sentiat quisque quod velit ; ita tamen, ut discretionem in judicio, et veritatem conservet in facto.

DE MAGICIS ARTIBUS.

De magicis autem artibus atque incantationibus, et de superstitionibus diversis, quos gentiles et falsi Christiani in divinationibus suis et observationibus perversis sequi videntur, quid lex divina sanciat, in auctoritate Veteris Testamenti ac Novi, facile est invenire. Detestatur enim eos lex divina : quæ in libro Exodi ita dicit : « Maleficos in terra tua non « patieris vivere (*Exod.* xxii) ; » et item : « Qui « immolat, ait, diis, occidetur, præter Domino soli « (*Ibid.*). » Et in Levitico : » Non comedetis, inquit, « carnem cum sanguine. Non augurabimini, nec ob- « servabitis somnia : et super mortuo non incidetis « carnem vestram : neque figuras aliquas et stigmata « facietis vobis. Ego Dominus (*Lev.* xix). » Et item : « Non declinabitis, ait, ad magos, nec ab hariolis « aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos (*Ibid.*) ; » et item : « Vir, inquit, sive mulier, in quibus py- « thonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte « moriantur, lapidibus obruent eos : sanguis eorum « sit super eos (*Lev.* xx). » In Deuteronomio quoque sic dicit : « Quando ingressus fueris terram quam « Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari « velis abominationes illarum gentium : nec invenia- « tur in te qui lustret filium suum, aut filiam suam « ducens per ignem, aut qui hariolos sciscitetur, et « observet somnia atque auguria. Non sit maleficus « neque incantator, neque qui pythones consulat, « neque divinos : et quærat a mortuis veritatem. « Omnia autem hæc abominatur Dominus, et pro- « pter istiusmodi scelera, delebit eos in introitu « tuo. Perfectus eris, et absque macula, cum Do- « mino Deo tuo. Gentes istæ quarum possidebis ter- « ram, augures et divinos audiunt : tu autem a Do- « mino Deo tuo aliter institutus es (*Deut.* xviii). » Et quid sequendum sit vel obaudiendum, mox subsequitur dicens : « Prophetam de gente tua et de « fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus « Deus tuus. Ipsum audies, ut petisti a Domino Deo « tuo in Horeb, quando concio congregata est atque « dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei ; « et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne « moriar, et ait mihi Dominus : Bene omnia sunt « locuti : Prophetam suscitabo eis de medio fratrum « suorum similem tui : et ponam verba mea in ore « ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. « Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, « audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem « qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in no- « mine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut « ex nomine aliorum deorum, interficietur. » Quis autem ille propheta fuerit, cujus sermones audire debent, et cui tota intentione animi obediendum est, patet cum in Evangelio legitur quod turba fidelium videns miracula et signa quæ faciebat Jesus, clamaret dicens : « Vere hic est propheta, qui venturus « est in hunc mundum (*Joan.* xi). » Et alibi de eo scriptum est : « Accepit autem omnes timor, et ma- « gnificabant Deum dicentes : Quia propheta ma- « gnus surrexit in nobis ; et quia Deus visitavit « plebem suam (*Luc.* vii). » Hic ergo propheta, et Dominus omnium prophetarum, qui est via, veritas et vita, conditor utriusque testamenti, non solum in veteri, sed etiam in novo omnes errores et divinationes atque artes noxias respuit atque condemnat : nec ab alio quam a se requiri veritatem aut sanitatem vult, quia ipse cum Patre et Spiritu sancto, unus verus atque omnipotens est Deus, faciens mirabilia magna solus. Unde et in Evangelio omnes ad se invitat dicens : « Venite ad me omnes qui la- « boratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tol- « lite jugum meum super vos, et discite a me quia « mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem « animabus vestris. Jugum enim meum suave est, « et onus meum leve (*Matth.* xi) ; » et item : « Ego « sum, inquit, lux mundi. Qui sequitur me, non « ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ « (*Ibid.*). » Hic ergo juxta Pauli sententiam, salvator est omnium hominum maxime fidelium. De quo et Petrus ait : « Non est enim aliud nomen datum « hominibus super terram, in quo oporteat homines « salvos fieri (*Act.* iv). » In quo etiam nomine, quotidie signa magna et sanitates in Ecclesia per orationes fidelium fiunt ; quoniam ipse discipulis suis in Evangelio ait : « Ecce ego do vobis potestatem « calcandi super serpentes et scorpiones, et supra « omnem virtutem inimici. Euntes prædicate Evan- « gelium, infirmos curate, mortuos suscitate, le- « prosos mundate, dæmones ejicite (*Luc.* x). » De quo etiam Marcus testatus est dicens : « Mul- « tos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut « illum tangerent. Quotquot autem habebant plagas « et spiritus immundos, cum illum videbant, proci- « debant ante eum, et clamabant, dicentes : Tu es « Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne « manifestarent illum : et ascendens in montem, vo- « cavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum, « et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitte- « ret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curan- « di infirmitates, et ejiciendi dæmonia (*Marc.* iii). » Quid ergo necesse est salutem ab alio, quam a me-

dico competente quærere? aut quæ ratio est, scientiam aut sapientiam ab alio quolibet discere velle, quam ab omni sapientiæ et scientiæ fonte? De quo scriptum est (*Eccli.* I) : « Omnis sapientia a Domino « Deo est, et apud illum fuit semper, et est ante « ævum. Arenam maris, et pluviæ guttas, et dies « sæculi, quis dinumeravit? Altitudinem cœli, et lati« tudinem terræ, et profundum abyssi, quis mensus « est? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis in« vestigavit? Prior omnium creata est sapientia, et « intellectus prudentiæ ab ævo. Fons sapientiæ ver« bum Dei in excelsis : et ingressus illius mandata « æterna. » Qui enim sine Salvatore salutem vult habere, et sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non salvus sed æger, non prudens sed stultus, in ægritudine assidua laborabit : et in cæcitate noxia stultus et demens permanebit : ac proinde omnis inquisitio et omnis curatio, quæ a divinis et magis, vel ab ipsis dæmoniis in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda est, quam vita : et qui ea sectantur, si se non correxerint, ad æternam perditionem tendunt : quoniam Psalmista dicente : « Omnes dii gentium sunt dæmonia (*Psal.* XCV), » qui perceptos homines alios decipere quotidie gestiunt, ut perditionis suæ faciant eos esse participes. Itaque hæc vanitas magicarum artium, ex traditione angelorum malorum in toto terrarum orbe plurimis sæculis valuit, per quamdam scientiam futurorum et infernorum, et per inventiones eorum inventa sunt aruspicia, augurationes, et ipsa quæ dicuntur oracula, et necromantia · nec mirum, de magorum præstigiis : quorum intantum prodiere maleficiorum artes, ut etiam Moysi simillimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones, aquas in sanguinem. Fertur etiam in gentilium libris, quod quædam maga famosissima socios Ulyssis mutaverit in bestias. Legitur et de sacrificio, quod Arcades Deo suo Lycæo immolabant. Ex quo quicunque sumerent, in bestiarum formas convertebantur. Sed hæc omnia magicis præstigiis potius fingebantur, quam rerum veritate complebantur. Ut ergo ipsi errores ignorantibus manifesti fiant, de eorum proprietate atque inventoribus, juxta traditionem majorum primum dicere congruum arbitramur. Magi sunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi permissu Dei elementa concutiunt, turbant mentes hominum minus in Deo confidentium, ac sine ullo veneni haustu violentia tantum carnis, interimunt. Unde et Lucanus :

> Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
> Incantata perit.

Dæmonibus enim accitis, audent ventilare, ut quisque suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine utuntur, et victimis sæpe contingunt corpora mortuorum. Necromantici sunt, quorum præcantationibus videntur resuscitari mortui : divinare, et ad interrogata respondere, νεκρὸς enim Græce mortuus : μαντεία divinatio nuncupatur : ad quos suscitandos, cadaveri sanguis adjicitur. Nam amare dæmones sanguinem dicuntur : ideoque quoties necromantia fit, cruor aquæ miscetur, et colore sanguinis facilius provocantur. Hydromantia, ab aqua dicta. Est enim hydromantia in aquæ inspectione umbras dæmonum evocare, et imagines ludificantes eorum videre, ibique ab eis aliqua audire : ubi adhibito sanguine, etiam inferos perhibentur suscitari. Quod genus divinationis a Persis fertur allatum. Varro dicit divinationis quatuor esse genera, terram, aquam, aerem, et ignem. Hinc geomantiam, hydromantiam aeromantiam, pyromantiam dictam autumat. Divini dicti, quasi Deo pleni. Divinitate enim plenos se esse assimilant, et astuta quadam fraudulentia, hominibus futura conjectant. Duo autem sunt genera divinationis, ars et furor. Incantatores vero dicti sunt, qui artem verbis peragunt. Arioli vocati sunt, propter quod circa ares idolorum nefarias preces emittunt, et funesta sacrificia offerunt : hisque celebritatibus, dæmonum responsa accipiunt. Aruspices nuncupati, quasi horarum inspectores. Dies enim et horas in agendis negotiis operibusque custodiunt : et quid per singula tempora observare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, et ex eis futura prædicunt. Augures sunt, qui volatus avium et voces intendunt, aliaque signa rerum vel observationes improvisas, hominibus occurrentes, ferunt. Sunt etiam et auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes observant. Dicta sunt autem auspicia, quasi avium aspicia. Et auguria, quasi avium garria, hoc est, avium voces et linguas. Item augurium, quasi avigerium, quod aves gerunt. Duo sunt autem genera auspiciorum, unum ad oculos, alterum ad aures pertinens : ad oculos scilicet volatus, ad aures vox avium. Pythones a Pythio Apolline dicti, quod is auctor fuerit divinandi. Astrologi dicti, eo quod in astris augurantur. Genethliaci appellati sunt, propter natalium considerationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim cœli signa describunt, siderumque cursu, nascentium mores, actus et eventa prædicare conantur, id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur. Hi sunt qui vulgo Mathematici vocantur. Cujus superstitionis genus, constellationes Latini vocant, id est, notationes siderum quomodo se habeant, cum quis nascitur. Primum autem iidem stellarum interpretes, magi nuncupantur : sicut de his legitur, qui in Evangelio natum Christum annuntiaverunt. Postea hoc nomine soli Mathematici dicti sunt : cujus artis scientia usque ad Evangelium fuit concessa, ut, Christo edito, nemo exinde nativitatem alicujus de cœlo interpretaretur. Horoscopi dicti, quod horas nativitatis hominum specularentur, dissimili et diverso fato. Sortilegi sunt, qui suo nomine, fictæ religionis per quasdam quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum scientiæ inspectione, futura promittunt. Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste signi-

ficari prædicunt. Ad hæc omnia pertineat et ligaturæ exsecrabilium remediorum, seu in præcantationibus, seu in characteribus, vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum, et angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda sunt Christiano, et omni penitus exsecratione repudianda atque damnanda. Auguria autem avium Phryges primi invenerunt, præstigium vero Mercurius primus dicitur invenisse. Dictum autem præstigium, quod præstringat aciem oculorum. Aruspicinæ artem primus Hetruscus tradidisse dicitur: quidam Phryges. Hic ex horis aruspicinam dictavit, et postea non apparuit. Nam dicitur fabulose, arante quodam rustico subito hunc ex glebis exsiluisse, et aruspicinam dictasse, qua die et mortuus est. Quos libros Romani ex Hetrusca lingua, in propriam mutaverunt. His ergo portentis per dæmonum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione eis competit investigare: ac ideo datur potestas immundis spiritibus, ut per vasa sibi apta, hoc est pravos homines, seducant illos, qui spernunt veritatem, et credunt mendacio: et juxta Pauli sententiam (*II Tim.* IV; *II Tim.* III): « Sanam doctrinam non sustinebunt, « sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros « prurientes auribus: et a veritate quidem auditum « avertent, ad fabulas autem convertentur. Onerati « peccatis ducuntur variis desideriis, semper discen- « tes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenien- « tes. » Quemadmodum autem Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et isti resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit. Nec ideo quisquam credere debet quoslibet magicis artibus aliquid facere posse sine permissu Dei, quoniam quæ fiunt, aut justo judicio facit, aut permissu suo ita fieri sinit, quod prædicti magi leguntur similia fecisse Moysi, « qui virgam suam projecit, et conversa « est in draconem: projeceruntque ipsi singuli vir- « gas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed devo- « ravit virga Aaron virgas eorum (*Exod.* VII). » Non ergo fuerunt creatores draconum, nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa mundi, quædam occultæ seminariæ rationes: quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus: et sic non dicuntur angeli qui ista faciunt animalium creatores, sicut nec agricolæ, segetum vel arborum vel quorumcunque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamvis noverunt præbere quasdam visibiles opportunitates et causas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc illi invisibiliter. Deus vero solus, unus creator est, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit. Præterea quidam quærendum putant quomodo Scriptura narret (*I Reg.* XVIII) pythonissam Samuelem prophetam suscitasse ad colloquium Saul impiissimi regis, si pythonica divinatio errori magicæ artis deputanda sit. Quibus ita responderi potest, indignum omnino facinus esse, si secundum verba historiæ, commodetur assensus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica attraheretur vir, et nativitate sanctus, et vitæ operibus justus? Aut si non attractus est, consensit: quod utrumque de viro justo credere adversum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia. Si autem voluntarius, amisit meritum spiritalis, * quem positus in carne, quæsiverat: quod valde absurdum est: quia hinc qui justus recedit, permanet justus. Porro autem hoc est præstigium Satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit: quod Apostolus inter cætera ostendit dicens: « Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI). » Ut enim errorem faceret in quo gloriaretur, in habitu viri justi et nomine se subornavit: ut nihil proficere speciem quam prædicabant, Dei cultoribus mentiretur, quando hinc exeuntes, justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saul et filii ejus non sit mentitus, quasi magnum sit diabolo ante occasum mortem corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris: quippe a quibus Dei protectio amota videtur: quanto magis diabolus, quem angelica majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur: de cujus magnitudine Apostolus ait: « An ignoratis altitudinem Satanæ? » (*Apoc.* II.) Quid mirum ergo, si imminentem prope mortem potuit prævidere, cum hoc sit unde fallit, et se in Dei potestate vult adorari. Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, ut ad pythonissam confugeret. Depravatus enim, causa peccati, ad hæc se contulit, quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam ut ea quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit, recte faciet quidem, si tamen minime istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum et intellectum Saul. Neque enim reprobus factus, poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saul et habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta et visa sunt exprimens: prætermittens si vera an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, Intellexit, inquit, hunc esse Samuel. Quia intellexerit, retulit: et quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit quam Dominum: et putans Samuelem, adoravit diabolum ut fructum fallaciæ suæ haberet. Satanas hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat Dominum solum esse adorandum: et quomodo homo Dei qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ: Cras mecum eris. His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ providit improvidus Satanas: quia et adorari se permisit sub habitu et nomine Samuelis contra legem: et virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum

et justorum sit, cum Samuele justissimo futurum A prouentibus est, verum potest videri, si de Samuelis nomine taceatur: quia Saul cum diabolo futurus erat: ad eum enim transmigravit quem adoravit. Semper ergo diabolus sub velamine latens prodit se, dum ea confingit, quæ horreant personæ per quas fallere nititur. Si autem aliquis mihi opponit ac dicit: Quomodo eveniunt illa, quæ illi divini et prophetæ falsi prædicunt futura? aut quomodo possunt ægris præbere medelam, aut sanis immittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis ac potestatis non habent? Hoc a me recipiat responsum, quod ideo quisquam non debet eis credere, quia aliquando eveniunt quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos vel lædere sanos: quia hoc permissu Dei fit, ut ipsi qui hæc audiunt vel vident, probentur: B et appareat quali fide sint vel devotione erga Deum. Sicut in Deuteronomio legitur Moyses verbo Domini populo Dei præcepisse ita dicens: « Si surrexerit in « medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se « dicat, et prædixerit signum atque portentum, et « evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus « et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audies verba prophetæ aut somniatoris hujus, quia tentat vos Dominus Deus vester, « ut palam fiat utrum diligatis eum an non in toto « corde et in tota anima vestra. Dominum Deum « vestrum sequimini, et ipsum timete, mandata il« lius custodite, et audite vocem ejus: ipsi servietis, et ipsi adhærebitis, » etc. (*Deut.* XIII.) Ubi sane intelligi voluit etiam illa, quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda: vel etiam si fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse, quod ista contingunt: sed quasi quæreretur, cur ea permittit, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam utique eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum: cognoscendum vero ab ipsis potius quam ab illo, qui scit omnia antequam fiant. Sciendum vero est, hanc dæmonum esse naturam, ut aerei corporis sensu, terrenorum corporum sensum facile præcedant. Celeritate etiam propter aerei corporis superiorem mobilitatem, non solum cursus quorumlibet hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincunt: quibus duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet, præditi, hoc est acrimonia sensus et celeritate motus, multo ante cogitata prænuntiant vel nuntiant, quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longe major experientia, quam potest hominibus propter brevitatem vitæ provenire. Per has efficacias quas aerii corporis natura sortita est, non solum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam mira multa faciunt: quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus serviant, et quibus divinos honores deferant, arbitrantur: instigante maxime vitio curiositatis, propter amorem felicitatis falsæ atque terrenæ et excellentiæ temporalis. Qui autem se ab eis cupiditatibus mundant, nec eis se ferendos rapiendosque permittunt, sed inquirunt et amant aliquid, quod eodem modo semper est, cujus participatione beati sint, primum considerant non ideo sibi præponendos esse dæmones, quod acriore sensu corporis prævalent, aeris scilicet, hoc est subtilioris elementi: quia nec ipsis terrenis corporibus bestias sibi præponendas putant, quæ acrius multa præsentiunt: veluti sagacem canem, quia latentem feram olfactu acerrimo sic invenit, ut ad eam capiendam, ducatum quemdam homini præbeat: non utique prudentiore intellectu animi, sed acutiore corporis sensu: vel vulturem, quia projecto cadavere, ex improvisa longinquitate advolat: nec aquila, quia sublimiter volans, de tanto intervallo natantem sub fluctibus piscem dicitur providere, et graviter aquis illisa, exsertis pedibus atque unguibus rapere: nec alia multa animantium genera, quæ inter herbas saluti suæ noxias, pascendo circumerrant, nec aliquis earum quo lædantur, attingunt: cum eas homo vix experiendo cavere didicerit, et multa innoxia cum sint inexperta, formidet. Unde conjicere facile est quantum possit in aereis corporibus sensus esse acrior: nec ideo tamen dæmones qui eo præditi sunt, bonis hominibus præponendos prudens quisque censuerit. Hoc et de corporum celeritate dixerim. Et hæc enim præstantia non solum a volucribus hoC mines, verum a multis etiam quadrupedibus ita superantur, ut in eorum comparatione plumbei reputandi sint: nec tamen ideo sibi hæc animantium genera existimant præponenda: quibus capiendis atque in suæ voluntatis usum commodumque redigendis, non vi corporis, sed rationis impertiant. Illam vero tertiam dæmonum potentiam, quod diurna rerum experientia quemadmodum prænoscant atque prænuntient, multa didicerunt, ita contemnunt, qui hæc vigilanter curant a verissimæ lucis veritate discernere, ut nec malos senes plura expertos, et ob hoc quasi doctiores ideo probi adolescentes sibi antecellere existiment: ut nec medicos, nec nautas, nec agricolas, quos pravæ voluntatis et iniquis moribus viderint, ideo putent sibi esse præferendos, D quod illi de valetudinibus, illi de tempestatibus, illi de arbustorum fructuumque generibus multa ita prænuntiant, ut harum rerum inexperto divinare videantur. Quod vero non solum quædam dæmones futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipsa utique sui corporis excellentia, cura non contemnatur a prudentibus: cum plerique iniqui ac perditi homines ita exerceant corpora sua, tantaque diversis artibus possint, ut ii qui hæc nesciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant, quam multa funambuli cæterique theatri artifices, quam multa opifices maximeque mechanici, miranda fecerunt. Num ideo meliores sunt bonis, et sancta pietate præditis hominibus? Quæ ideo com-

memoravi, ut qui hæc sine pervicacia et sine vana resistendi animositate considerat, simul cogitet, si de subjacenti crassiore materia, vel sui quisque corporis vel terræ et aquæ, lapidum atque lignorum, metallorumque variorum tanta quidem homines possunt, ut eos illi qui hæc non possunt, plerumque stupendo in sui comparatione divinos vocent: cum quidam illorum sint artibus potentiores: quidam istorum moribus meliores, quanto meliora et majora pro subtilissimi corporis, hoc est, aeris facultate ac facilitate dæmones possint: cum tamen sint pravitate voluntatis, maximeque superbiæ fastu, et invidentiæ malitia spiritus immundi atque perversi. Quantum autem valeat aeris elementum, quo eorum corpora prævalent, ad multa visibilia invisibiliter molienda, movenda, mutanda atque versanda, longum est nunc demonstrare: et puto quod vel mediocriter consideranti facile occurrat. Quæ cum ita sint, primum sciendum est, quoniam de divinatione dæmonum quæstio est, illos ea plerumque prænuntiare quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem et morbos immittere, et ipsum aerem vitiando morbidum reddere; et perversis atque amatoribus terrenorum commodorum, malefacta suadere: de quorum moribus certi sunt, quod sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent autem miris et invisibilibus modis, per illam subtilitatem corporum suorum, corpora hominum insensibiliter penetrando: et se cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, sive vigilantium, sive dormientium; aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt. Neque enim quia prævidet medicus quod prævidere nescit hujus artis ignarus, ideo jam divinus habendus est. Quid autem mirum, si quemadmodum ille in corporis humani vel perturbata vel modificata temperie, seu bonas seu malas futuras prævidet valetudines, sic dæmon in aeris affectione atque ordinatione sibi nota, nobis ignota, futuras prævidet tempestates; aliquando et hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas: cum signa quædam ex animo exprimuntur, in corpore tota felicitate perdiscunt: atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur, ita non debet esse incredibile, si etiam leviores cognationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt. Hæc atque hujusmodi facultate, multa dæmones futura prænuntiant, cum tamen ab eis longe sit altitudo illius prophetiæ, quam Deus per sanctos angelos et prophetas operatur. Nam si quid de illa Dei dispositione prænuntiant, audiunt ut prænuntient, et cum ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt. Veracissima enim sunt angelica et prophetica oracula. Si autem indi-

A gnanter accipitur, quod aliqua etiam talia dæmones audiant et prædicant, quasi aliquid indignum sit, ut quod ideo dicitur ut hominibus innotescat, hoc non solum boni verum etiam mali non taceant. Cum in ipsis hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videamus pariter a justis perversisque cantari; nec obesse aliquid, imo etiam prodesse ad majorem notitiam famamque veritatis. Cum de illa etiam hi quidquid noverunt, dicunt: quæ ei perversis moribus contradicunt. In cæteris autem suis prædicationibus dæmones plerumque et fallunt et falluntur. Fallunt quidem, quia cum suas dispositiones prænuntiant, ex improviso desuper aliquid jubetur, quod eorum consilia cuncta perturbat: velut si aliquid disponant quilibet homines quibusque potestatibus subditi, B quod non prohibituros suos præpositos arbitrentur, idque facturos se esse promittant, at illi penes quos major potestas est, et alio superiore consilio, hoc totum dispositum atque præparatum repente prohibeant. Falluntur etiam, cum causis naturalibus, sic ut medici, et nautæ, et agricolæ: sed longe acutius longeque præstantius, pro aerei corporis sensu, solertiore exercitatione prænoscunt; quia et hæc ab angelis Deo summo pie servientibus ex alia dispositione ignota dæmonibus, ex improviso ac repente mutantur, tanquam si aliquid ægro extrinsecus accedat quo moriatur, quem medicus veris salutis præcedentibus signis, victurum esse promiserat: aut si aeris qualitate prævisa, diu flaturum illum ventum, nautarum aliqui prædixissent, cum Dominus C Christus cum discipulis navigans, ut quiesceret imperavit, « et facta est tranquillitas magna (*Marc.* IV). » Vel si agricola illo anno fructificaturam vitem aliquam polliceatur, naturam utique terræ ex numero seminum callens: quo tamen anno eadem vel improvisa cœli temperies arefaciat; vel aliqua jussio potentior eradicet: ita multa etiam ad præscientiam prædictionemque dæmonum pertinentia, quæ minoribus et usitatioribus causis futura prævidentur, eadem majoribus et occultioribus causis impedita mutantur. Fallunt autem etiam studio fallendi, et invida voluntate, quia hominum errore lætantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt, ut interpretibus suis signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel D decepti fuerint, vel mentiti. Nonnunquam vero ipsi maligni spiritus, et illusores hominum atque invisores salutis eorum, solent prædicere defectum culturæ suæ, et idolorum ruinam: quatenus præscii videantur, quid in singulis regnis aut locis eventurum sit; et quid adversi suæ factioni contingere possit: quod etiam illi qui gentilium historias legunt, non ignorant. Quid ergo mirum, si jam imminente templorum et simulacrorum eversione, quam prophetæ Dei summi, tanto ante prædixerant, Serapis dæmoniali; cui cultorum hoc de proximo prodidit, ut suam quasi divinitatem recedens vel fugiens commendaret. Fugantur enim ipsi, vel etiam jussis superioribus colligati abstrahuntur, et alienantur a

locis suis, ut de rebus in quibus colebantur, fiat voluntas Dei, qui hoc tanto ante per omnes gentes futurum esse prædixit : et ut per suos fideles fieret, imperavit. Cur autem hoc non sineretur dæmon prædicere, cum sibi jam prænosceret imminere? cum hæc prædictio et in prophetis attestaretur, a quibus sunt ista conscripta, et prudentibus daret intelligi, quam vigilanter esset dæmonum cavenda fallacia, cultusque fugiendus : qui cum ante per tam longum tempus in templis suis hæc futura tacuissent, quæ per prophetas prædicta ignorare non possent, postea quam appropinquare cœperunt, voluerunt ea quasi prædicare, ne ignari victique putarentur. Cum igitur tam longe ante prædictum esset, atque conscriptum, ut alia interim taceam, illud quod Sophonias propheta dicit : « Prævalebit Dominus adversus B « eos, et exterminabit omnes deos gentium terræ : « et adorabunt eum, unusquisque de loco suo, omnes « insulæ gentium (*Soph.* II), » aut non credebant ista sibi eventura, qui in templis gentium colebantur, et hæc ideo per suos vates ad fanaticos frequentare noluerunt : aut cum ea ventura certissime scirent, ideo per sua templa tacuerunt, ne jam tunc inciperent ab hominibus intelligentibus deseri atque contemni, quod de templorum et simulacrorum suorum futura eversione eis a prophetis attestarentur, qui eos coli prohibebant. Nunc vero postea quam tempus advenit, quo complerentur vaticinia prophetarum Dei unius, qui istos falsos deos interdicit, et ne colantur vehementissime præcipit, cur non hoc etiam ipsi compertum prædicere sinerentur, ut inde C clarius appareret eos hæc antea vel minime credidisse, vel suis cultoribus enuntiare timuisse? In fine autem tanquam nihil amplius habentes quod agerent, etiam ibi voluisse suam ostentare divinitatem, ubi jam produntur diu simulasse divinationem : tamen nec ista ipsa quæ ab eis vix raro et clanculo proferuntur, movere nos debent, si cuiquam dæmonum exortum est id prodere cultoribus suis, quod didicerat ex eloquiis prophetarum, vel ex oraculis angelorum : quod cur non fieret, cum et ista non sit oppugnatio, sed attestatio veritatis? Illud enim quod solum ab ipsis fanaticis flagitandum est, nec unquam antea protulerunt, nec unquam præterea nisi forte confictum, proferre conabuntur aliquid deos D suos per vates suos contra Deum Israel ausos fuisse prædicere : aut dicere de quo Deo doctissimi eorum auctores, qui omnia illa legere ac nosse potuerunt, magis quæsiverunt quis Deus esset, quam Deum negare potuerunt. Porro autem Deus iste quem nullus eorum negare ausus est verum Deum, quia et si negaret, non solum subjaceret debitis pœnis, verum etiam certis convinceretur effectis. Iste ergo Deus quem nemo, ut dixi, illorum negare ausus est, verum Deum, illos falsos esse deos, et omnino deserendos, eorumque templa et simulacra et sacra evertenda, per suos vates, hoc est, prophetas, aperta denuntiatione prædixit : aperta potestate præcepit : aperta veritate complevit. Unde, quis est qui usque

A adeo desipiat, ut non eum potius colendum eligat, quem coli non prohibent quos colebat? quem procul dubio cum colere cœperit, illos utique non est culturus, quos prohibet coli quem colit. Quod autem ipsum essent culturæ gentes exterminatis diis falsis quos antea colebant, a prophetis ejus esse prædictum, paulo ante commemoravi, et nunc repeto, « Prævalebit, inquit, Dominus adversus eos : et « exterminabit omnes deos gentium terræ ; et adorabunt eum, unusquisque de loco suo, omnes in« sulæ gentium. » Neque enim solæ insulæ hic intelligendæ sunt, sed potius omnes gentes in his positæ adorant Deum. Nec mirum : quando quidem alibi non insulas nominat, sed universum orbem terrarum, dicens : « Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. « Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur « gentium (*Psal.* XXI). » Hæc autem per Christum fuisse complenda, et aliis pluribus testimoniis, et in eodem ipso psalmo, unde commemoravi, satis apparet. Cum enim paulo superius futuram passionem suam per prophetam ipse loqueretur dicens : « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumera« verunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt « et conspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta « mea, et super vestem meam miserunt sortem (*Ibid.*), » paulo post infert illud, quod posui : « Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, » etc. Quanquam et illud testimonium quod prius adhibui ubi dictum est, « Prævalebit Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium » terræ, in eo quod positum est, « prævalebit, » satis ostenditur etiam hoc prænuntiatum, quod pagani prius oppugnaturi essent Ecclesiam, nomenque Christianum, quantum valerent, persecuturi : ut si fieri posset, de terra omnino deleretur. Et quia eos patientia martyrum, et magnitudine miraculorum, et consequente fide populorum erat superaturus, ideo, sicut dictum est, prævalebit Dominus adversus eos. Non enim diceretur, « prævalebit adversus eos, » nisi oppugnando illi resisterent. Unde et in psalmo ita prophetatum est (*Psal.* II) : « Ut quid fremuerunt gentes, et populi medi« tati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et princi« pes convenerunt in unum, adversus Dominum, et « adversus Christum ejus. » Et paulo post dicitur : « Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie « genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæ« reditatem tuam, et possessionem tuam terminos « terræ. » His atque hujusmodi propheticis documentis prædictum ostenditur, quod videmus impleri per Christum futurum fuisse, ut Deus Israel, quem unum verum Deum intelligimus, non in una ipsa gente, quæ appellata est Israel, sed in omnibus gentibus coleretur : et omnes falsos deos gentium, et a templis eorum, et a cordibus cultorum suorum amoliretur. Eant nunc isti, et adhuc contra Christianam religionem, contra verum Dei cultum vanitates

pristinas defensitare audeant, ut cum strepitu pereant. Nam et hoc de illis prædictum est in psalmis, dicente propheta (*Psal.* IX) : « Sedisti super thronum qui judicas æquitatem. Increpasti gentes, et periit impius, nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi. Amici defecerunt framea in finem, et civitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum strepitu : et Dominus in æternum permanet. » Necesse est ergo, ut impleantur hæc omnia, nec etiam illud quod adhuc audent ipsi pauci qui remanserunt, vaniloquas suas ostentare doctrinas, et Christianos tanquam imperitissimos irridere, nos commovere debet, dum eis impleri ea quæ prædicta sunt videamus. Ex quo enim fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, adversus Dominum et adversus Christum ejus, quando ab eis fundebatur sanguis sanctorum, et vastabatur Ecclesia usque ad hoc tempus, et deinceps quotidie minuuntur. Nos autem adversus eorum opprobria et superbas irrisiones fortissimos reddunt oracula Dei, quæ de hac quoque re videmus, et gaudemus impleri. Sic enim nos alloquitur per prophetam : « Audite me qui scitis judicium, popule meus, in quorum corde lex mea. Opprobria hominum nolite metuere, et detractione eorum ne superemini : nec quod vos spernant, magni duxeritis. Sicut enim vestimentum, ita per tempus absumuntur, et sicut lana a tinea, comedentur. Justi autem in ea in æternum manent. » Attendendum est ergo, atque omni studio cavendum, ne nostris temporibus in quibus videmus Christianam religionem in toto orbe dilatatam, propter desidiam magistrorum, et inertiam doctorum, pauci illi qui adhuc supersunt, confundant ritum culturæ veri Dei et dæmoniacis illusionibus depravati, divinationes falsas in populo Dei agunt, rusticos et imperitos seducunt : ita ut deserta ipsa veritate quæ « lux est mundi, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » tenebrarum harum, quærant scientiam futurorum, et a deceptoribus hominum quærant salutem animarum, sive etiam corporum suorum. His enim prævaricationibus maxime irritatur Deus, et ad vindictam provocatur. Unde per Ezechielem comminatur dicens : « Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident, quasi vulpes in desertis prophetæ Israel erunt. Nunquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendaciorum locuti estis? et dicitis : Ait Dominus, cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus : Quia locuti estis vana, et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus : et erit manus mea super prophetas qui vident vana, et divinant mendacium : in consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur (*Ezech.* XIII). » Ad doctores autem, per eumdem prophetam increpans eorum inertiam, ita loquitur dicens : « Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel,

A ut staretis in prælio in die Domini (*Ibid.*). » Et rursum : « Væ, inquit, pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis : gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis : et quod ægrotum, non sanastis : quod fractum est, non alligastis : et quod abjectum, non reduxistis : quod perierat, non quæsistis. Sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia : et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt (*Ezech.* XXXIV). » Hinc et per Jeremiam dicitur : « A minimo usque ad maximum, omnes avaritiam se-B quuntur. A propheta usque ad sacerdotem, cuncti locuti sunt mendacium : et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes : Pax, pax, cum non esset pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Ecce ego cibabo populum istum absinthio, et potum dabo eis aquam fellis : et dispergam eos in gentibus, quas non noverunt ipsi neque patres eorum : et mittam post eos gladium donec consumantur (*Jer.* VIII). » Qualiter ergo Deo omnipotenti pastorum negligentia, et subditorum error displiceat, non solum prophetica testimonia ostendunt, sed etiam facta antiquorum declarant. Cum in libro Regum legitur : [Quomodo malignus spiritus deceperit Achab regem Israel C per falsos prophetas ; ita ut credens eis, interierit : et quomodo Ochozias filius ejus ægrotans, misit nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere atque convalescere possit de infirmitate sua (*III Reg.* XXII; *IV Reg.* I); ob quod Elias propheta a Deo missus, increpabat eum dicens : « Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo possis interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Mortuus est igitur ipse juxta sermonem Domini quem locutus est Elias : et salutem quam quærebat, non invenit (*Ibid.*). » Quapropter curandum summopere est omnibus nobis, hoc est prælatis, et subditis, majoribus et minoribus D sacerdotibus, et plebi, ne aliquem seducat per hujuscemodi illusionem fraus, dolus et nequitia hostis antiqui, ita ut a mendacibus velimus discere veritatem, et a pestiferis morbis mortisque auctoribus quæramus infirmitatis nostræ remedium. Sed magis ad Dominum vivum et vivificatorem omnium confugiendo, devoto corde properemus per orationes sacras, jejunia et eleemosynas illum deprecantes, ut ipse propter benignitatem suam consulat servis suis, eripiens nos de omnibus inimicis nostris, doceatque nos facere voluntatem suam, quia ipse est Dominus Deus noster, Spiritumque suum bonum in nobis tribuat, qui nos deducat in viam rectam, vivificetque nos in æquitate sua, quatenus ejus magi-

sterio omni tempore vitæ nostræ gratum servitium exhibentes; post hanc vitam per ejus gratiam mereamur beatitudinem possidere sempiternam. Amen.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

TRACTATUS DE ANIMA

(ANNO 842.)

PRÆFATIO

AD LOTHARIUM REGEM.

Domino præcellentissimo nobisque Dei munere dato, magno et pacifico atque coronato regi LOTHARIO; ultimus vestræ servitutis filmulus, MAURUS.

Cum nobilitatis vestræ ingenium aviditatemque multa sciendi et copiosa investigandi perspiciam, sensus etiam vestri perspicaciam quo apprime sublimitas vestra floret demirer, statui, pro ingenioli mei parvitate, quoddam de manu deputare. Quod videlicet e quorumdam eruditorum libris decerptum, facile memoriæ manuali possit: quo veteris ingenii fervor exuberantior foret, et mei ingenioli quodam modo vestræ servituti fidelitas deserviret. Scripsi itaque vobis quædam de diffinitione animæ, quare anima dicatur, vel quid sit anima: nec non et de origine ipsius, utrumne formam habere credatur. De quantitate etiam ipsius, utrum in parvulis minor, in fortioribus major: vel ubi maxime sedem habere credatur. Deinde quæ sint virtutes ejus morales: pauca etiam de habitaculo ejus, hoc est corporis possessione. Quæ cuncta ex cujusdam magni Aurelii Cassiodori Senatoris dictis excerpsi: aliqua vero ex libro Prosperi eruditissimi viri. Quædam vero ex proprii ingenioli sensu addere curavi. Sed quia excellentiam vestram multa decet cognoscere, annexui quædam capitula de disciplina Romanæ militiæ [a], qualiter antiqui tirones instituti solebant. Quod ideo feci, quia necessarium fore id æstimavi, propter frequentissimas Barbarorum incursiones. Quæ scilicet ex cujusdam Flavii Vegetii Renati Libello, quem de antiquissimis scripsit Romanis excerpsi atque compegi breviusque annotare studui, cavens scilicet prolixitatem et ne forte ea scribere viderer quæ tempore moderno in usu non sunt: illud etiam prævidens, ne si nimius fierem, fastidio potius quam delectationi inservirem.

CAPUT PRIMUM.

De animæ proprietate, etymologia ac diffinitione.

Anima igitur proprie hominum dicitur, non etiam pecorum. Anima namque hominum longe distat a vita pecorum. Vita namque pecorum in sanguine constat: adeo, ut cum defectione sanguinis et fine corporis, ipsa etiam vita cum spiritu finiatur. Anima autem hominis non cum sanguine finem accipit. Ideoque recte dicitur anima, quasi ἄναιμα, id est, discreta longe a sanguine: quoniam et post mortem corporis in sua substantia vivit: quæ potest etiam ita diffiniri: Anima dicitur, eo quod animet, id est vivificet, proprii corporis substantiam. Significantissime autem anima dicitur spiritualis substantia, quæ nulla sanguinis effusione consumitur: atque ideo a sanguine longe discernitur, quamvis defectione sanguinis habitaculum corporis deserere videatur. Sed aliud est quacunque occasione habitaculum deserere: aliud cum ipso habitaculo finiri. Quorumdam vero talis est diffinitio, ut anima a vento nomen accipiat: quia ventus Græce ἄνεμος dicitur. Et idcirco etymologiam a vento ducere: quod nos spiritum ore retrahentes, vivere videamur. Hæc brevissime de eo quare anima dicatur: nunc vero dicendum, quid sit anima. Philosophi autem animam dicunt esse substantiam simplicem, naturalem, specie distantem a materia sui corporis, organum membrorum, habentem virtutem vitæ. Quam idcirco substantiam simplicem dicere voluerunt, quia nihil in ea præter spiritualem substantiam invenire potest. Distantem vero a materia corporis, quia nihil in se corporeum habet. Organum vero membrorum, quia omnia membra corporis ea agente, disponuntur. Virtutem autem vitæ habentem idcirco dixerunt, quoniam ubi corpus repleverit, viventem continuo reddit. Hæc est diffinitio animæ, secundum adinventionem magistrorum sæcularis litteraturæ. Cunctorum vero doctorum veracium in hoc consentit auctoritas, quia anima est a Deo creata spiritualis propriaque substantia, vivificatrix sui corporis, rationalis et immortalis: sed convertibilis ad utraque, id est ad bona et ad mala. A Deo autem creatam animam dicimus contra illorum opiniones, qui eam aliquam partem divinitatis habere asserentes, errores potius quam veritatem texuerunt. Nullus namque recte sapientium, animam creatam esse dubitat. Hoc idem Salomone testante, qui de sapientia dicit: *Omnem flatum ego feci* (*Sap.* xxiv). Et

[a] Hoc opusculum nondum invenimus; alioqui adjunxissemus.

iterum : *Et revertetur pulvis in terram unde erat, et spiritus revertetur ad Deum, qui dedit eum* (*Eccle. ult.*). Hæc etiam spiritualis esse affirmatur, quia nihil in se corporeum retinet. Omne namque corpus, longitudine, latitudine atque profunditate comprehenditur : quæ omnia desunt animæ. Et quamvis gravetur mole corporis, spiritualiter tamen multa longius et prope posita perpendit : invisibilia quadam intuitus perspicacia rimatur. De cœlestibus cogitat : de ipso etiam summo Deo quædam ardua nosse desiderat. Quæ si esset corporalis, nil utique horum perpendere valeret. Propria vero substantia est, quoniam nullus alter spiritus ita carnem suscipit, ut proprii corporis passionibus condoleat aut lætetur. Vivificatrix autem sui corporis est, quia statim ut a Deo corpori indita fuerit, ineffabiliter illud vivificat atque diligit : in tantum, ut quidquid corpus sustinere cognoscitur, ad ipsam referatur : et quæ mori nequit, interitum mortemque pertimescat. Rationalis autem est, quoniam de divinis tractat : humana sapit : et quidquid ex artibus et disciplinis doceri potest, ipsa quadam subtilitate comprehendit : atque hinc omnia animalia docibili intellectu antecellit, quod cum ratione decentia cuncta componit. Ipsius namque actu quidquid ornatus mundo additur, inventum est. Ipsa civitatibus muros attribuit, arma defensibilia invenit, amictus vestium diversa varietate componit, vias per devia sternit, maria quadam artis industria transmeat. De ipsius itaque ratione nullus dubitare debet, cum tot et tanta, auctoritatis sui largitate perquirere et perficere valet. Quod autem immortalis sit, multifarie comprobatur. Philosophorum namque talis est assertio, ut omne quod in se vivit et aliud vivificat, immortale sit. Quod anima utrumque faciat, manifestum est. Nam et ipsa vivit, et corpus vivificat. Dicunt enim omnia immortalia simplicia esse. Anima vero ex simplici constat substantia : ideoque immortalis est. Sunt et aliæ propositiones philosophorum, animam immortalem approbantes, quæ enumerare non est necesse propter brevitatem. Nostri vero veridicis assertionibus animam immortalem approbant. Anima quippe ad imaginem Dei facta est. Et quia Deum omnimodis immortalem scimus, et credimus, et confitemur, restat ut quam ad imaginem suam condidit, immortalem fecerit. Neque enim ullo modo fieri poterat, ut quæ ad imaginem Dei et similitudinem facta fuerat, mortalis foret. In eo namque quod immortalis est, Deo similis est. Sed in eo quod anima Deo similis esse dicitur, potest aliquis dicere, Quomodo sum similis Deo, qui similia illi facere nequeo? Cui respondendum est, quia homo picturam, similitudinem hominis habentem, perficit : ipsa vero pictura non potest imitari quæ homo facit. Sic et homo ad similitudinem Dei factus, non potest in creandis rebus Deum imitari. Dicitur namque anima convertibilis ad utraque, quod scilicet multis experimentis quotidie approbamus. Nam quos nunc videmus magna exsultatione gaudere, mox nimio mœrore tristari conspicimus. Alios nunc pietate mites, nunc iterum maxima indignatione terribiles. Nunc ad virtutes erigi, nunc ad vitia prolabi. Multisque et innumerabilibus modis, convertibilis et mutabilis esse cognoscitur. Nam si mutabilis non esset, nequaquam ex bonis mali, neque iterum ex improbis probi, neque ex tenacibus largi, neque rursus ex largis fierent avari. Sed ut dictum est, mutabilitati atque convertibili passioni obnoxia esse omni modo deprehenditur. Nunc jam de origine ipsius, de qua multifarie dubitatur, pauca dicenda sunt.

CAPUT II.

Unde originem anima sumat.

Primo homine de limo terræ formato, inspirasse in faciem ejus legimus Deum, dicente Scriptura : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ : et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II). Unde constat, quod a Deo originem sumpserit. Quod autem insufflasse dicitur Deus, non ita credendum est Deum insufflasse, qui est incorporeus et invisibilis, quemadmodum nos insufflando spiritum resolvimus, labiaque quodam pulsu foras extendimus : sed insufflasse dicitur propter dignitatem operis, scilicet animam : quam ad similitudinem suam fecisse cognoscitur. Hac ex re dixerunt quidam, quod mox ut coagulatum fuerit semen humanum in vitalem substantiam, statim creari animas, corporibusque dari. Qui autem naturarum investigatores fuerunt, asserunt, quod quadragesimo die conceptionis accipiat animam mortale et humanum pectus [*Al.*, pecus]. Et hoc esse experimentum, quod tunc se incipiat in utero commovere. Aliquorum etiam opinione fertur, quod omnipotentis Dei jussu, sicut de corpore humano, corpus humanum semine carneo traducitur, ita etiam et animæ nova origo, de qualitate animæ generetur, et idcirco obnoxiam esse originali peccato : quod infantibus et necdum aliqua committere valentibus, per lavacrum baptismatis remittatur. Nos autem id dimittere, affirmare non audemus : quoniam et beatus Augustinus, probatissimus doctor, laudabiliter ex hoc dicitur dubitasse, neque hoc audere confirmare : sed veracissime credere, Deum animas creare, et occulto atque justissimo suo judicio originali peccato obnoxias esse. In his namque et similibus tamque occultis, melius est ignorantiam confiteri, quam perverse et periculose affirmare : quod ad errorem potest referri, cum propheta dicat : *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Isa.* XL.) Et Apostolus : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*Rom.* IX). Si enim Propheta et Apostolus sensum Domini a quoquam investigari non posse dicit, et Apostolus ad cœli tertii altitudinem ascendens (*I. Cor.* XII), paradisique secreta penetrans, et quædam arcana cognoscens, quæ hominibus illicita ad loquendum dicit, ex parte se cognoscere affirmat, quis audebit scire et enuntiare

se posse, quod nullus doctorum sanctorum ad liquidum enarrare invenitur? Sed ad reliqua pergendum est, et dicendum, utrum anima formam habere credatur.

CAPUT III.

An formam anima habere credatur.

Qui de forma aliquid lucidius tractare cupit, complexionem formæ necesse est apprehendere. Forma namque dicitur, quæ aliquo spatio linearum circumducitur. Quod vero spatiis lineisque comprehenditur, corporeum utique est. Nam et ipsum spatium absque lineamentis corporalibus omnino non constat. Rursumque ipsa lineamenta, absque spatio corporali, nullo modo comprehendi queunt. Quod cum ita sit, manifestum est animam formam penitus non habere, quæ incorporea est. Omnis itaque forma, in superficie corporali fit. Cum vero corpus nisi solidum et palpabile esse non possit, anima vero, incorporea et impalpabilis sit atque soliditate careat, constat eam nullo modo formam habere. Quod si illud movet, quod Apostolus de Christo Domino dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.* II), noverimus ibi Apostolum de substantia dicere, in qua est æqualis Patri. Nam Deus incorporeus, invisibilis, incomprehensibilis, totusque ubique, nullam potest habere formam. Quod vero in Evangelio de Abraham et Lazaro et divite legimus (*Luc.* XVI) sinum Abrahæ, Lazarum habere, divitem linguam petere refrigerari ab extremo digiti, nec dives lingua locutus est, quæ utique incorporea est, nec Lazari anima digitos unde illius ardorem refrigeraret habuit, nec Abraham sinum more corporalium hominum habere potuit. Nam non solum de creatura spiritali in Scripturis hæc et similia reperiuntur, verum etiam de summo et incomprehensibili Deo passiva quædam leguntur, quæ utique incommutabilitati divinæ nullo modo accidere possunt: veluti cum pœnitere dicitur Deus et irasci, abominari et odisse: quæ omnia illi summæ majestati non conveniunt. Sed ut aliquæ humanæ res compendiosius faciliusque ex nostra consuetudine cognoscantur, idcirco talia ad Deum referuntur. Sed et anima, cum informis sit, formam habere dicitur.

CAPUT IV.

Utrum in parvulis minor, et in fortioribus major esse credatur.

De quantitate etiam animæ potest subtilissima atque scrupulosa quæstio exoriri, utrum in parvulis minor sit, cum eis ratio non omnimodis adsit, quæ majoris ætatis hominibus major adesse videtur: iterumque inveniuntur juvenes excordes, senesque minus sapientes. Sed in parvulis id attendendum est, quia imbecillitate corporis et parvitate, in eis ratio animæ impeditur. In juvenibus vero et stultis, aut quadam partium inæqualitate, aut aliqua crassitudine humorum deprimitur, vimque suam tali impedimento exprimere præpeditur. Quod ut exemplo lucidius declaretur, aspiciamus quæ in usu habentur. Nam si ignis in quodam parvo vase includitur, qui alta petere consuevit, angustia loci præpeditur. Quem si rursum materiæ gravis humoris aut crassitudinis supponere volueris, ipsa crassitudine impeditur, ne ad alta se subrigat. Sin autem materiam competentem eidem subjeceris, omnem continuo vim suam alta petens demonstrat. Sic et animæ vis et ratio, in parvulis parvitate membrorum præpeditur; in juvenibus et maturis, quadam, ut dictum est, partium inæqualitate aut humorum crassitudine deprimitur. Hinc est, ut quos modo sapientes et astutos cernimus, quadam subita læsione cerebri, aut gravedine præcordiorum, ineptos et amentes fieri videamus. Hinc etiam surdi fiunt et lippi: debilesque de quadam diminutione membrorum existunt. Et quid de hujuscemodi passionibus dicamus, cum frequentissime nimio potu et distentu ventris, sapientium animos obrui cernamus: ut quem modo sapientissimum videras, vix valeat se intelligere vivum. Ratio itaque parvulis meditatione crescit et exercitio, non incremento animæ. Sicut ergo omnes animæ immortales sunt, ita et rationales esse credendæ sunt. Nunc restat, ut ubi sedem maxime habere probetur, flectamus articulum.

CAPUT V.

Ubi potissimum animæ sedes sit credenda.

Quamvis autem anima totius corporis membris sit diffusa, ipsosque artus quodam organo motuque componat, propriisque officiis attribuat, tamen ut evidentibus indiciis manifestatur, non æqualiter omnibus præsidet membris. Quidam namque affirmant animam proprie et maxime sedem retinere in corde: asserentes ibidem purissimum sanguinem vitalemque spiritum continere: et exinde cogitationum bonarum et malarum varietates oriri: quod animam propria virtute augere, nulli dubium est. Rursum multi dicunt animæ sedem in cerebro esse, quod manifestis indiciis credi potest. Anima quippe quoniam ad imaginem Dei condita est, arcem quodammodo sui corporis petere, dignum fuit. Ut enim cum reverentia Divinitatis loquamur, cum Deum ubique esse credamus, et confiteamur, cunctaque visibilia et invisibilia vi divinitatis suæ penetrare et replere, sedem tamen proprie in cœlo habere dicitur, Scriptura teste: Cœlum mihi sedes est. Competens namque erat, ut quæ corporis sui regimen tenet principalem sui templi arcem teneret ad similitudinem sui conditoris. Ut sicut ipse in altissimis sedere dicitur, ita et hæc in eminenti sui parte corporis residere credatur. Et exinde omnia membra velut ex quadam arce, congruo regimine gubernari. Unde et ipsa rotunditas cerebri, ad similitudinem cœlestis sphæræ facta videtur; ubi dignam mansionem sibi anima immortalis vindicaret. Dignum etenim erat, ut altiora peteret: quia omne quod subtilis est naturæ, celsiora petit. Nam et ignis visibilis, ad summa pertendere cernitur. Sunt et alia indicia quæ animam habere sedem in vertice designant.

Nam et omnis corporis sensus in capite contineri certissimum est. Sed etsi aliqua lætitia mentem obsederit, statim vultus hilaritate monstratur. Sin autem perturbatio supervenerit, non viscerum incommoditate gravamur, sed quodam stupore capitis continuo apprehendimur : in tantum, ut ipsum visum obtundat, et auditum stupefaciat : et quædam signa indignationis anima ibi derelinquat. Quod cum ita sit, recte credendum est animam in vertice sedem habere. Sed quia paucis de anima dictum est, quare anima dicatur, vel quid sit, vel unde originem habeat, aut si formam habere credatur, vel ubi maxime sedes ipsius esse credatur, nunc ad virtutes ejus morales exprimendas, flectamus articulum : atque imprimis indagandum, quid sit virtus.

CAPUT VI.

De virtutibus ejus moralibus : et primo quid sit virtus.

Sunt ergo virtutes animæ quatuor morales : prudentia scilicet, fortitudo, justitia atque temperantia. Sed quoniam has virtutes nominamus, dicendum primo, quare virtus dicatur, vel quid sit virtus. Virtus dicitur a vi, id est, a fortitudine. Quæ ideo taliter dicitur, quia cuncta quæ provenire possunt, quadam vi mentis animique robore sustinet. Est ergo virtus omnis sancta res, invisibilis atque incorporea, sancta, mundissima, prorsusque omni carens malo. Quæ ubi manserit, cuncta sancta facit, munda, firma, atque stabilia. Quam nullus invitus accipit, nullus perdit, nisi qui sua sponte perditui deceptuique dederit. Quæ etiam ita diffinitur : Virtus est animi habitus, decus vitæ rationabilis, dispositio morum, pietatis appetitus, omnisque honor, cultusque deitatis. Quæ, sicut dictum est, in quatuor dividitur morales virtutes. Quæ ideo morales dicuntur, quia per eas mores hominum exornantur atque decorantur. Nam si prudentia hominum desit, hebetudine animi continuo deturpatur. Si fortitudo absit, confestim imbecillitati addicitur. Ubi vero justitia abest, quis nesciat cuncta prava, cuncta torta, deformiaque adesse ? Sin autem et temperantia defuerit, omnia superflua modumque excedentia, ipsa sua nimietate animum dehonestabunt. Si ergo hæ quatuor virtutes animum hominis obtinuerint, quasi quatuor angulis domus sustinebitur, ne ulla vi tempestatum corruat : sed potius quidquid ædificare voluerit, quasi firmissimo fundamento superponet. Sed istæ quatuor virtutes ita sibi sunt connexæ, ut alia sine alia nullo modo perfectionem accipere queat. Nam prudentiæ fortitudinem suppeditari necesse est. Item fortitudinem justitia exornat. Temperantia autem justitiam quadam temperatura, ne ultra modum inardescat, refrenat : sed omnia mensurate faciat. Sed jam singillatim ipsarum nomina lucidius digerantur, quare ita dicantur, vel quæ sit uniuscujusque proprietas.

CAPUT VII.

De prudentia.

Prudentia igitur dicitur quasi providentia, quæ sui perspicacia perspicit ea quæ provenire possunt, sive prospera, sive adversa : ut videlicet caute agat, ne aliquando aut prosperis elevetur, aut dejiciatur adversis. Quæ etiam alio nomine sapientia dicitur, eo quod in palato cordis sapiat, quid rejicere, quidve in intimis trajicere debeat. Est ergo prudentia sive sapientia rerum divinarum sive humanarum, in quantum homini conceditur, scientia. Per hanc intelligimus quid cavendum, quidve faciendum nobis sit. Per hanc indagationem veritatis, inventionemque apprehendimus. Sed quia et appetitores sæculi prudentes dicuntur, quantum inter se differant, indagandum est. Prudentia itaque sæculi, quantum in se est, corrumpere sana et integra conatur, aliorumque damnis sua lucra augeri gaudet. De hac Dominus cum in Evangelio de villico iniquitatis loqueretur, dicit eum prudenter fecisse, quod dispendio domini sui, lucrum acquisierit, atque in futurum prospexerit. De qua prudentia Paulus dicit : *Prudentia carnis mors est. Mors utique animæ* (*Rom.* VIII). At contra prudentia sive sapientia quæ dono Dei acquiritur, nec suo peccato perire potest, nec alieno. Nullumque dispendium aliis ob gratiam sui lucri facere cupit, sed omnibus sicut sibi, providere desiderat. De qua prudentia idem Paulus, cum de prudentia carnis disputasset, subjunxit dicens : *Prudentia autem spiritus, vita et pax* (*Ibid.*). Quod videlicet de vita animæ eum dixisse patet. Nam ipsa prudentia spiritualis semper ad vera et sancta tendere cupit, quamvis aliquando fallatur. Quod videlicet infirmitate carneæ sarcinæ præpediente fit : quia nullus in carne positus, cuncta perfecte prævidere et cavere potest. Unde et egregius doctor, qui ad tertii cœli secreta raptus, et paradisi amœna contemplatus, audivit quædam secreta, quæ hominibus loqui non licet, hac molestia prægravatus, ait : *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII). Sed quoniam fortitudinem suppeditari diximus a prudentia, restat ut de ea aliqua dicantur.

CAPUT VIII.

De fortitudine.

Fortitudo igitur est longanimitas et perseverantia in bonis, tolerantiaque et victoria contra omnia tentamenta vitiorum. Quæ ita animo inesse debet, ut non solum adversa vincat, verum etiam cuncta illecebrosa et voluptuosa atque delectationem carnis moventia, superet et necet, atque exstinguat. Quod cum fecerit, jure fortitudo dicetur. Nam si adversantia superet, blanditiis vero petulantis carnis assentiat, non fortitudo, sed resolutio vocabitur : quoniam ad delectabilia solvitur. De qua breviter quidem sed honestissime diffinitur, cum dicitur : Nemo melius vincit, quam qui seipsum vincit. Sed quoniam virtutis hujus nuncupatio etiam ad sinistram reflectitur, necesse est ut de hac aliquid dicatur. Dicitur namque et fortitudo diabolica, de qua Dominus ad beatum Job loquitur : *Virtus ejus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus* (*Job.*

xxxviii). Unde Dominus in Evangelio dicit : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet* (*Luc.* xi). Fortem, scilicet diabolum, atrium vero illius, mundum intelligimus. De quo atrio fortiore superveniente, id est Christo, victus et superatus, ejectus est. Sed fortitudo diabolica quæ pravos in malis roborat, et Christi fortitudo qua sancti ad toleranda adversa corroborantur, non solo actu, sed etiam ipsa varietate nominum differunt. Fortitudo namque diabolica dicitur contumacia, pertinacia, sive etiam pervicacia, quæ hominem non sinunt a pravis actibus sanctis persuasionibus revocari. Fortitudo vero Christi, ipsa est perseverantia seu tolerantia : nec non et patientia, quæ omnia adversa longanimiter, et patienter tolerat. Hanc itaque necesse est ut justitia comitetur, quæ rectitudo sive æquitas dicitur ; ne quod forte est, absque rectitudine aliquo modo fiat pravum.

CAPUT IX.

De justitia.

Justitia igitur dicitur, quasi juris custodia, eo quod quidquid jus, id est, lex præcipit, custodiat : vel quidquid prohibet devitet. Hæc ergo si fortitudini conjuncta fuerit, eam omni modo condecorat. Nam quidquid forte est, nisi justum fuerit, ad pravam, sine dubio, partem derivabitur. Justitia ergo est propria nobilitas animi, quæ unicuique debitam præstat retributionem. Bonis, scilicet dignam retribuens laudem : pravisque et malignis, debitam ingerens vituperationis reprehensionem. Ipsa itaque debitum Deo divinitatis cultum honoremque impendimus, atque dilectionem : proximos vero digno dilectionis amore complectimur. Quid enim justius, quam Deum toto corde diligere, a quo conditi sumus dum non essemus ? Male autem captivos dicimus quia est et captivitas bona, de qua dicitur : *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem* (*Psal.* lxvii). Quid vero rectius esse potest, quam proximos qui similes nobis sunt conditi, et pari modo redempti, sicut nos diligere? Hac ipsa, nostra proximorumque errata, digna et debita redargutione compescerentur. Quia hac ergo refrenantur et coercentur illicita, redargutio vero absque fervore quodam et ardore zeli nequit fieri, recte temperantia justitiam sequitur, ne fervor justitiæ modum excedat, et quem lucrari monendo et corrigendo debemus, nimia correctione dejiciamus.

CAPUT X.

De temperantia.

Temperantia ergo dicitur, quoniam moderatione sua temperat animum uniuscujusque. Unde et temperantia dicitur, quia animum temperat caloribus et frigoribus, ne nimis frigida, nimietate sua, restringat virentia arbusta. Temperantia igitur est virtus animi, quæ suo moderamine totius vitæ modum imponit, ne quid aut odio nimio exsecretur, aut nimio amore demulceat. Omnes vero varietates quadam diligentia considerans, temperat et moderatur.

A Hæc etiam discretio alio nomine dicitur : quia omnia discernit ne modum excedant, neque ad dexteram, neque ad lævam nimium declinet : sed quadam via regia gradiatur, temperetque gradum, ne ultra modum incedat. Unde et philosophica illa sententia, brevis admodum est, sed probatissima in hac vita maximeque necessaria : Ne quid nimis. Cum enim dicit : Ne quid, ostendit, quia et bonum nimium esse potest. Unde et Salomon dicit : *Fili, ne sis nimium justus* (*Eccli.* vii). De hac etiam Jacob per allegoriam dicit : *Habeo boves et oves fetas, et parvulos teneros : quos si plus in ambulando fecero laborare, morientur* (*Gen.* xxxiii). Per boves quippe et oves fetas, animæ intelliguntur, quæ verbum Dei mente concipiunt. Quæ si nimium iter arripere coB gantur, quod mente conceperunt, perdunt. Parvuli vero teneri sunt illi de quibus Paulus dicit : *Lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis : sed nec adhuc quidem potestis. Parvuli enim estis* (*I Cor.* iii). His ergo talibus levia præcepta, quæ per lac intelliguntur, ministrari debent, quousque solido et forti cibo uti valeant, id est, fortioribus præceptis. Hæ itaque virtutes cum omnibus sint necessariæ, excellentiæ tamen regiæ maximum decus ornatumque præstant. Per prudentiam quippe omnibus provide prospiciens, caute et rationabiliter ea quæ provenire possunt, considerat : et acumine sensus quasi acie oculorum, caute adversa perspicit ac prospera. Per fortitudinem vero omne quod provide perspexerit, sive adversa sive prospera, forti et in
C concusso animo supportat : eventus scilicet fluctuantis sæculi, bella, tumultus et seditiones, nec non et diversos mores hominum. Regia etenim excellentia quanto pluribus præest, tanto plures eventus rerum accidentium perspicit : atque idcirco fortissimo animo cuncta superare decet. Quem vero justiorem decet esse quam regem? Omnes namque judices cunctique actores, quamvis cupiditate ducti injusta disponere nitantur, considerantes justitiam regis, nihil injustum subditis inferre præsument : quoniam justam vindictam verebuntur. Temperantem autem regem apprime decet esse, ut ejus præcepta cunctis conveniant, ne nimis laxa existant, neve iterum valde gravia : sed tali moderamine atque temperie disposita, ut juxta possibilitatem cunctorum omnia
D fiant. Quatenus agni in regiis edictis inveniant quo vadere queant : et elephanti quo se natare cognoscant, hoc est, ut ne mites ac simplices violentia præceptorum opprimantur : et potentes et fortes potentiorem se et fortiorem semper aspiciant et vereantur. His itaque quatuor virtutibus quasi solidissimis columnis, omnis regiæ dignitatis honos decusque attollitur : feliciterque cuncta gubernantur atque exornantur. Sed quia hæc breviter et minus compte de anima, virtutibusque ejus digesta sunt moralibus, hinc restat ut de habitaculi ipsius situ et dignitate, aliqua dicantur : quoniam dignum erat, ut quæ tantæ dignitatis creata est, ut ad imaginem Dei atque similitudinem facta dicatur, decenti ha-

bitaculo ornaretur. Aggrediar ergo et opus Dei mirificum in humano corpore [illegible], et si non condigne, devote scribere conabor, ex probatorum scilicet doctorum scriptis latissimis brevissima depromens.

CAPUT XI.

De statu et positione corporis.

Corpus itaque hominis, mira operatione compactum, proceritate suæ rectitudinis a cunctis animantibus disparatur. Quod videlicet si per singula membra consideretur, magna in hoc mysteria comprehenduntur ab his qui ea indagare satagunt. Ipsum namque caput cunctis eminens membris, in cujus vertice animæ sedem maxime esse credimus, ad similitudinem cœlestis sphæræ formatum, sex ossibus est compactum : ut intelligatur ille senarius numerus, qui perfectus probatur, in hominis creatione constare. De cujus numeri perfectione plurima dici possunt : sed hic sunt propter compendium omittenda. Sub hujus itaque capitis rotunda concavitate, binæ acies oculorum prodeunt, ad similitudinem duorum cœlestium luminarium ; vel, ut sacratius aliquid dicamus, ad instar duorum Testamentorum. Quibus decentissime supposita sunt membra cætera combinata, dualitatis conjunctione disposita ; aures scilicet, nares, labia, brachia, manus, latera, crura et pedes. Quæ cuncta tali sibi sunt charitate convenientia, ut unum idemque sapere atque operari videantur. His vero binis geminisque membris ita ordinatis, sunt et alia membra, propria unitate decentissime geminis membris convenientia, nasus scilicet, os, guttur, pectus, venter, umbilicus, ipsaque virga genitalis, quam mira dispensatione Deus ad humani generis sobolem renovandam attribuit. Quæ cuncta magnum decus obtinere videntur, quoniam in meditullio posita, geminis membris conveniunt, ut neutra pars unum ex his sine altera, valeat vendicare. Hæc ergo omnia cum reliquis membris, ad habitaculum animæ ad imaginem suam conditæ, Deus digna operatione compegit.

CAPUT XII.

De quinque sensuum officiis.

Nunc restat ut de officiis quinque sensuum pauca dicantur. Qui quamvis et bestiis inesse videantur, longe [illegible] discrepant : quoniam nobis rationabiles insunt, in illis, ratione carent. Primus ex his, visus est : qui quadam vi animæ quam aspectum dicimus, per pupillam oculi egrediens, res non valde longe positas quadam subtilitate perspicit, coloresque invisibilium rerum illuminato aere cognoscit. Si vero valde longe positæ fuerint, ipsa elongatione deficit. Secundus, auditus ita institutus est, ut per cochleatos meatus concrepantes sonos ad se attrahat, discernatque et intelligat, quid sit auditum. Qui ideo non rectos et apertos meatus habet, sed anfractus cochleatione tortuosos, ut quasdam moras sonus emissus sustinens, vim discretionis et intellectus efficeret. Nam si recto itinere sonus emissus exciperetur, ipsa sua velocitate, discretionem atque intelligentiam amitteret. Tertius, est odoratus : quo cunctos fetores pudicos, odoresque gratos cognoscentes, putentia digna exsecratione vitamus, et odorifera quadam animi delectatione intra nos trajicientes, ipsa suavitate odoris reficimur. Quartus, est gustus : quo omnia quæ in os mittimus, sive dulcia, sive amara, sapore palati discernimus. Quod cum omnes saporum qualitates discernat, ipsum tamen nullius saporis esse probatur. Quintus, est tactus : qui cum omnibus membris sit attributus, præcipue tamen manibus deputatur : quibus etiam usus actionis maxime est datus. Manibus enim fit, quidquid faciendum est. Sed si per singula membra mirificum opus creatoris intendere cupimus, atque pro captu ingenioli de singulis disputare, prolixius fieret opusculum quam statueram. Sed quia breviter sublimitati vestræ id innotescere cupii, imo cognita ad memoriam revocavi, obsecro ut si aliqua proflua in hoc opusculo vestra celsitudo judicaverit, Dei donum in hoc laudetur, qui linguas infantium disertas facit, et aperire consuevit ora clausa mutorum. Sin autem aliqua quæ merito nasum torqueant, digne veniam ut homo deposco. Nam qui mendacii fucum aufugere quiverit, perfectus nuncupabitur, apostolo Jacobo asserente : *Qui in sermone non labitur, perfectus est vir* (*Jac.* III). Quod utique paucissimorum est, dicente propheta : *Omnis homo mendax* (*Psal.* XI).

BEATI RABANI MAURI
FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI
MARTYROLOGIUM

[Canis., Lect. antiq., ex codice ms. monasterii S. Galli.]

PROLOGUS [a]

A

AD RATLEICUM ABBATEM SELIGENSTADIENSEM.

Rabanus servus Christi Jesu et servorum ejus, viro venerabili Ratleico presbytero atque abbati, in Domino salutem.

Quia rogasti me, frater amantissime, ut martyrologium per totum annum tibi conscriberem, atque sanctorum festa, quæcunque potuissem invenire, ibidem insererem; feci quantum potui, et singulis diebus nomina sanctorum, quæ scripta sive notata ab antecessoribus in libellis reperi, ibidem inserui; et cujuscunque sancti obitum, sive martyrium, qualiter vitam finierint, legi, breviter, prout valui, notavi. Tu autem quia plurima scripta antiquorum invenisti et legisti, per ea etiam hoc parvum opusculum examinans, utile legentibus quo modo possis facis: ut quod mea imperitia atque infirmitas idonee efficere non potuit, tua peritia atque industria utiliter perficiat; meque tuis sacris orationibus omnipotenti Deo commendes, ut ipse auctor et tributor salutis nostræ me miserum per suam gratiam et per sanctorum suorum intercessionem a vinculis peccatorum absolutum æternæ beatitudinis participem efficiat.

B

Te Deus æternus cuncta per tempora servet,
Æternam et vitam det tibi in arce poli.

Sequitur

CARMEN NUNCUPATORIUM.

AD GRIMOLDUM ARCHICAPELLANUM.

Dulcissimo fratri ac reverentissimo abbati Grimoldo Rabanus, vilissimus servorum Dei servus, in Christo salutem.

Hunc ergo ex scriptis confeci rite libellum
Sanctorum Patrum, frater amate, tibi.
Ut quorum celebras festa, tu noveris actus,
Et finem vitæ, quo hinc abiere polum.
Sicque bene ipsorum meritis precibusque juvatus,
Ad cœli regnum lætus et ipse migres.
Quo Deus æternus, hominum fortissimus auctor,
Cum sanctis lemet collocet atque beet.
Vive meæ vires, lassarumque anchora rerum,
Naufragio et littus tutaque terra meo.
Solus honor nobis, urbs tu fidissima semper,
Curisque afflicto tuta quies animo.
Sintque licet montes inter cum fluctibus arva,
Mens tecum est, nulla quæ cohibetur humo.
Te mea mens sequitur, sequitur quoque carmen [amoris,
Exoptans animo prospera cuncta tuo.
Qui mihi te notum dedit et concessit amicum,
Conservet sanum Christus ubique mihi.
Ante solum terræ, cœlique volabile cyclum
Prætereant, vester quam quoque cesset amor.
Hocque, Pater, monui, moneo te rerumque mo- [nebo,
Sis memor ipse mei, sicut et ipse tui.
C
Ut Deus in terris quos hic conjunxit amicos,
Gaudentes pariter jungat in arce poli.

[a] Hunc Prologum, qui deest in editis apud Canisium, et versus ad Grimoldum archicapellanum qui sequuntur, damus ex Analectis Mabillonii. Edit.

INCIPIT

RABANI MARTYROLOGIUM.

JANUARIUS.

Kalend. Januarii. Octava Dominicæ nativitatis est, qua videlicet die idem Dominus noster circum-

D

cisus est in carne, secundum legem Moysi, et nomen Jesus accepit, quod angelicum de eo oraculum ante conceptionem ejus in utero vaticinabatur. Eodem die nativitas est Almachii martyris [a], qui jubente

[a] Non sub Diocletiano, sed sub Honorio, vel Theodosio, passum affirmat Baronius. Fuit quidem Alypius tunc temporis præfectus Urbis; id enim probant Symmachi ad eum epistolæ. Sed quomodo potuit a

A Alypio Urbis præfecto, cum diceret : « Hodie octavæ Dominicæ diei sunt : cessate a superstitionibus idolorum, et sacrificiis pollutis ; » a gladiatoribus hac de causa occisus est. Et eadem die Romæ nativitas Martinæ virginis et martyris, quæ passa est sub Alexandro Cæsare, pro fide Christi multis tormentorum generibus cruciata, et ad extremum gladio percussa, quæ etiam idola et simulacra orando destruxit, et multos ad fidem Christi convertit. Alexander vero post obitum beatæ virginis percussus est dolore cordis, et sicut rabidus canis carnes suas lacerans, pessimam vitam cum magno supplicio exspiravit. Item eadem die Romæ passio Concordii presbyteri et martyris sub [a] Antonino imperatore per Torquatum comitem perpetrata, qui nolens sacrificare idolis, capitalem sententiam subiit.

B IV Non. In Antiochia Macharii abbatis. Romæ Telesphori papæ, qui constituit ut septem hebdomadibus ante Pascha jejunium celebraretur, et Natali Domini nocte missa celebraretur. Nam omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missas celebrare, qua hora Dominus ascendit crucem ; et ante sacrificium hymnus diceretur, hoc est, *Gloria in excelsis Deo*. Hic etiam martyrio coronatus est, qui sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano IV Non. Januarii.

III Non. Romæ Anteros papa et martyr, qui duodecim annos rexit Ecclesiam, et martyrum gesta diligenter exquirens recondit in ecclesia, qui etiam martyrio coronatus. In cœmiterio Calisti sepultus est via Appia. Parisiis civitate, depositio Genofevæ C virginis, quam sanctus Germanus ejusdem urbis episcopus in infantia Deo virginem consecravit. In Tomis civitate, nativitas Titi episcopi, qui sub Lucinio inter tirones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem carcere mancipatus, missus in eippo est, donec relatione esset responsum, dimersoque in mare, delato corpore ejus in littore, a religiosissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, ubi fiunt curationes magnæ.

II Non. Nativitas Theogenis martyris, qui sub Licinio Cæsare per Telicentium tribunum passionem complevit in Hellesponto : primum inter quatuor columnas tensus fustibus cæsus est ; deinde in carcerem missus, ut ibi fame periret, sed Domini pietate invisibili cibo ibi per XL dies pastus, in laudibus Dei D assidue manebat ; ad ultimum vero in mare missus martyrizavit [b], quem Euricus, et Eustokhius, et Zozius, atque Germanus, tollentes de mari miserunt in loculum, et sepelierunt in foro Hellesponti. Eadem die passio Petri, qui et Balsami, martyris, sub Maximiniano imperatore, agente Severo præside, qui eum nolentem sacrificare diis jussit suspendi, et ungulis lacerari, ad extremum vero gladio interfectus est, et in Aulona civitate sepultus. Eadem die passio Luciani presbyteri et martyris, qui missus a Roma prædicare verbum Dei, in Galliis martyrizavit sub Juliano Cæsare, in eisdem partibus occisus gladio, per cujus prædicationem multi conversi sunt ad fidem ; ad cujus sepulcrum multa ostenduntur miracula et sanitates fiunt plurimæ.

Non. Hierosolymæ depositio Simeonis prophetæ, qui Dominum Jesum infantem suis ulnis portavit et benedixit. Et in Antiochia depositio Simeonis monachi, qui in columna stetit, et virtutes multas faciens ibi quievit in pace, et translatum est inde corpus ejus in Antiochiam, per episcopum ipsius civitatis et populum Christianum, cum psalmis et hymnis, et cum multis lampadibus, et conditum est ibi in ecclesia majore. Vigilia Epiphan.

VIII Iduum. Epiphania Domini nostri Jesu Christi.

VII Id. Passio sanctæ Faustæ virginis, sub Maximiano imperatore, quæ Evilasium primum palatii, tortorem suum, patientiæ suæ virtute convertit ad fidem, nec non et præfectum, cui jussum est eam torquere ; quæ suspensa ferramentis lacerabatur, postea bestiis tradita, a nulla earum contaminata est. Deinde clavis caput ejus confixum est ; postea ea in sartaginem ferventem pice missa, sed non læsa. Sicque cum Evilasio, et præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum : populi vero Christiani hæc audientes sepelierunt corpora sanctorum.

VI Id. Augustoduno depositio Egemonii episcopi ; et Mettis depositio sancti Patientis episcopi.

V Id. Nativitas Epistici [c], Jocundi, Secundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Rustici, Quinti, Etartaxis, Fortunati.

IV Id. Nativitas Pauli, primi anachoretæ, cujus vitam beatus Hieronymus scripsit, qui a sexto decimo ætatis anno usque ad centesimum decimum tertium solus in eremo permansit. Sed a Domino per corvum pastus, tunica palmarum foliis contexta usus est, cujus inter apostolorum et prophetarum choros animam ad cœlum ferri ab angelis Antonius vidit. Eodem die Romæ in cœmeterio Callisti natale Miltiadis episcopi et confessoris, qui constituit in Ecclesia a fidelibus nulla ratione in Dominicis diebus jejunandum.

III Id. Eductio Domini de Ægypto, et nativitas sancti Salvii confessoris, in cujus natali sanctus Augustinus verbum fecit ad populum Carthagini.

II Id. In Achaia nativitas sanctorum Cyriaci, Moscentii [d] et Saturi [e], civis Arabi, qui transiens ante templum cujusdam idoli, insufflans cum signasset frontem corruit ; tenentes eum ibidem obser-

paganis sub principe Christiano necari ? Differunt quæ de Telemacho refert Theodoretus. Nec scio an ab imperatore, « martyrum choro potuerit ascribi. » Hæc enim non sunt imperatorum. Basnagius.

[a] Nulla tunc persecutio. Basn.

[b] Pro, *martyrio affectus est*. Sic sæpius inferius.

[c] Leg. *Epicteti*, qui passus est in Africa sub Decio. Basn.

[d] Leg. *Innocentii*. Nullus tamen Innocentius in martyrologiis passus est mense Januario. Id.

[e] *Satyrus* celebratur in Martyrologio Romano tanquam passus in Achaia ; hic dicitur civis *Arabii* ; Arabius autem est urbs in Persia, non longe dissita a fluvio ejusdem nominis. An Persa venit in Achaiam et ibi fuit necatus ? Id.

vantes duxerunt ad ducem, et indicantes factum, decollatus est.

Id. Januarii Octabas [Octava] Theophaniæ, et in Pictavis depositio Hilarii episcopi et confessoris egregii, qui sub Constantio Augusto hæretico, propter fidem catholicam in Phrygiam in exsilium pulsus est. De quo inter alias virtutes refertur quod orando mortuum suscitaverit.

Eodem die sancti Agricii episcopi, et in Antiochia Ægypti passio sanctorum Juliani, et Basilissæ conjugis suæ; qui Julianus temporibus Diocletiani et Maximini [Maximiani] nobili prosapia oriundus fuit, philosophorumque disciplinis imbutus, catholicæ fidei religiosus amator fuit. Quem cum parentes sui ad connubii jura persuasionibus validis attraxissent, respondisse fertur: « Nec voluntatis est, nec ætatis, ut faciam quæ hortamini. » Item cum perseverarent pertinaciter in precibus: « Nec permittendi mihi est facultas, nec negandi potestas, quod hortamini. Dei mei potestati committo, et relinquo. » Unius tamen hebdomadis inducias a parentibus poposcit, ut nutum supernæ majestatis argumentis evidentibus experiretur; qua peracta, intercapedine somno sopitus, et sopore depressus, vidit Christum in horomate [a] dixisse: « Exsurge, ne timeas, nec suasiones verborum, nec voluntatem parentum horrescas. Accipies enim conjugem, quæ te non polluendo a me separet, sed per te virgo perseveret; » et infra: « multi juvenes, et virgines per vestram doctrinam, vel vitam cœlestis exercitus probabuntur, » et reliqua. Sicque factum est ut, opitulante Christo, in Antiochiæ municipio monasteria plura construerent, ita ut sub Juliani regimine decem millia monachorum conversarent [conversarentur]. Sub Basilissæ vero mille virgines Dei servitio mancipatæ fierent.

Postea autem idem Julianus cum commilitonibus suis sub Marciano principe pro Christi nomine martyrizavit. Primum fustibus cæsus, qui percussoris sui oculum evulsum restituit. Insuper et plus quam quingentas simulacrorum imagines ad solum diruit: post hæc in carcerem tenebrosum trusus cum præsidis filio Hircicallo juvene nuper ad fidem converso, ubi damnatorum corpora putrefiebant; sed mira gratia Christi fetidus odor in ambrosiæ dulcedinem versus cum luce limpida sanctos martyres lætificabat. Dehinc, rogante præside, defuncti cadaver nondum humati a morte suscitavit; sed tortoris non cessante vesania, imperatorum decreto in circi spectaculo sancti martyres terdenis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinsecus atræ picis massa et bituminis fomite, sulphurisque fetore farciuntur, sarmentis cum igne suppositis, in tantum, ut flamma triginta cubitis in altum se porrigeret; sed inde illæsi egredientes, rursus digitis manuum et pedum licinus ardens olei liquore perfusus aptatur; sed hoc conamine delusus exin bestiis ad devorandum proponuntur, quibus sacra membra lacerare non audentibus, ad extremum gladiis trucidantur; ad quorum tumulum mox decem leprosi curantur, probantes qualis sit martyrum gloria.

XVIII Kal. Februarii. In Campania natale Felicis presbyteri et confessoris, de quo inter alia scribit Paulinus episcopus: qui cum a persecutoribus in carcerem mitteretur, et cochleis ac testulis vinctus superpositus jaceret, per noctem ab angelo solutus atque eductus sit. Eadem die natalis est Felicis, germani ipsius, quem Dracus Urbis præfectus idolis immolare coegit, et fustibus cecidit, atque in exsilium deportare jussit, ubi et quadratos lapides cæderet, sed per virtutem Dei plures ibi convertit ad fidem, hoc est, Probum tribunum et eos qui secum erant. Deinde idolum Apollinis destruxit; in quo loco fideles postea templum Deo construxerunt. Post XII vero annos ipsa die Dominica confectis mysteriis perrexit ad Dominum Jesum Christum. In Spoletana civitate natale Pontiani martyris, qui passus est temporibus Antonini imperatoris, sub Fabiano judice; qui cum nollet idolis sacrificare, jussit eum virgis cædi crudelissime; deinde nudis pedibus super carbones ardentes ambulare, postea duo leones immissi sunt ut eum devorarent, sed in nullo læsus est ab eis: hoc videns judex jussit liquefieri plumbum, et perfundi in dorsum ejus, sed cum hoc nihil eum læsisset, capite truncatus est.

XVIII Kal. In Palæstina depositio Abacuc prophetæ, cujus reliquiæ simul cum reliquiis Michææ prophetæ, temporibus Arcadii et Honorii Augustorum, Domino revelante, proditæ sunt.

XVII Kal. Nativitas S. Marcelli papæ, qui, jubente Maximiano [Maxentio] imperatore, primo fustibus cæsus, et a facie ejus quem corripiebat, expulsus est. Deinde audiens quod domum beatæ Lucinæ, quam proscriptione damnaverat, eo quod de facultatibus suis Christianis donaverit, ecclesiam faceret atque in ea missas celebraret, in media civitate jussit in eadem ecclesia plancas sterni ad animalia catabuli [stabuli] publici, et eumdem episcopum ad servitium animalium deputavit cum custodia publica, ubi etiam post multos annos serviendo indutus amictu cilicino defunctus est, et conditus aromatibus a Joanne presbytero et B. Lucina, sepultus est in cœmeterio Priscillæ. Arelato depositio sancti Honorati episcopi et confessoris, cujus inter cætera miracula fertur quod draconem de Hilarina insula orando fugaverit, et monasterium ibi fundaverit.

In pago vero Mandinse, in Perona monasterio, depositio sancti Fursei confessoris, qui in Hibernia natus et nutritus, patriam parentesque relinquens, sacræ Scripturæ studiis aliquot vacabat annis; unde monasterium in quodam construxit loco; sed dum patriam parentesque visitare properabat, ut inter illos sacri verbi semina spiritualibus seminaret eloquiis, quadam die corporis ægrotantis molestia corripitur,

[a] Id est *visione*. Sic in Passione Perpetuæ et Felicitatis: « Priusquam pugnaremus, video in horomate hoc. » Basn.

ac post subito in exstasi raptus, jacuit quasi exanimis a vespertina hora usque ad galli cantum; sed dum ad se rediret, agnovit angelicam esse visionem, et sumpto corpore ac sanguine Christi, jacuit infirmus ipso die et altera; tertia vero nocte iterum ab angelis sublatus mirabiles vidit visiones, sicut liber Vitæ ipsius testatur. Sed postquam ad se rediit, duodecim annos in prædicatione verbi Dei, et miraculorum clarescebat signis: novissime vero in Gallia monasteriis constructis, ipse bonis auctus meritis inde migravit ad Christum. Corpus vero ejus ab Ercanwaldo duce et cæteris fidelibus in Perona monasterio in ecclesia S. Petri apostoli et cæterorum apostolorum juxta altare honorifice conditum est. In monasterio quoque Fuldæ dedicatio ecclesiæ sancti Michaelis in cœmeterio fratrum.

XVI KAL. In Ægypto Thebaida depositio Antonii monachi, cujus vita virtutibus plena et miracula quæ fecit, scriptis et fama pene in universo orbe prædicantur. Obiit autem in pace sub imperatore Constantino, anno ætatis suæ centesimo quinto, et sepultus in eremo a discipulis suis, sicut ipse vivens præceperat, occultatus est: post multa autem annorum curricula, hoc est Justiniani imperatoris temporibus, qui fuit Justini ex sorore nepos, corpus ejus divina revelatione repertum Alexandriam defertur, et in ecclesia Baptistæ Joannis humatur. Bituricis depositio S. Sulpitii, episcopi et confessoris. Apud Lingonas autem nativitas geminorum Speusippi, Elasippi et Melasippi [Eleusippi et Meleusippi], qui cum essent viginti quinque annorum, cum avia sua Leonilla et Janilla, et Neone martyrio coronati sunt, tempore Aureliani imperatoris. Gemini quidem in una arbore suspensi ligatis manibus sursum, pedibus vero deorsum, ita extenti, ut putarentur pene ab ipsa membrorum compage separari, et post hæc in ignem præcipitati, nec tamen flammis læsi, inter verba orationum simul migrabant ad Dominum. Janilla, hæc videns, confessa est se etiam Christianam, et mox comprehensa a turbis, a capillis suspensa, ac multis afflicta suppliciis, cum Christum negare noluisset, cum Leonilla simul est gladio perempta. Neon vero exceptor gestorum, et ipse Christi nomen confessus martyrio coronatus est. Docuit autem et baptizavit geminos hos Benignus presbyter, quem misit ab Oriente beatus Polycarpus, Joannis apostoli auditor, in Galliam, cum Mandochio compresbytero, in Tyrso diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in secundo milliario ab urbe Lingonas.

XV KAL. Dedicatio S. Petri apostoli, qui primo Romæ sedit. Cum autem idem princeps apostolorum in Hierosolymis et in Cæsarea, atque in cæteris civitatibus Judæorum, Evangelium primum prædicasset, ad

A prædicandum postea gentibus missus Antiochiam venit, ibique Ecclesiam Christi fundavit. Inde quoque pergens Romam venit, secundo Claudii Cæsaris anno, ibique Evangelium instantissime prædicans, viginti et quinque annis ejusdem urbis episcopus perseveravit. Eodem die natale S. Priscæ martyris.

XIV KAL. Hierosolyma natale Marthæ et Mariæ, sororum Lazari.

XIII KAL. Romæ Fabiani episcopi, qui cum XXV annis Ecclesiæ præesset, passus est martyrium tempore Decii, et in cœmeterio Callixti sepultus. Hic regiones divisit diaconibus, et fecit ut septem diacones septem notariis imminerent, ut gesta martyrum in integrum colligerent, et multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. Eodem die nativitas
B sancti Sebastiani de Mediolano, qui in tantum charus erat imperatoribus Diocletiano et Maximiano, ut principatum ei primæ cohortis traderent, quem Diocletianus, ubi Christianum cognovit nec a fide posse revocari, jussit ligari in medio campo quasi signum ad sagittam, et sagittari a militibus: qui cum, sagittis plenus, quasi ericius staret, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier, nomine Herene, tollere corpus, invenit eum viventem, et adduxit in domum suam, et curam ejus egit: qui ubi convaluit, multos in fide confortavit. Nec mora ipsis imperatoribus apparens, hos, prout digni erant, corripuit; tunc jussit eum Diocletianus in hippodromo palatii duci, et fatigari, donec deficeret; quem mortuum in cloacam maxi-
C mam miserunt; sed ille apparuit in somnis sanctæ matronæ Lucinæ, dicens: « Juxta circum invenies corpus meum pendens in unco. Hoc sordes non tetigerunt, et dum levaveris, perduces ad Catacumbas, et sepelies me in crypta juxta vestigia apostolorum; » quod ipsa noctu veniens totum ita complevit. Eodem die nativitas sanctorum Marii et Marthæ, cum filiis suis Audifax et Ambacum [Abachum], nobilium de Perside, qui ad adorationem venerant Romam, tempore Claudii principis, e quibus post toleratos fustes, equuleum, ignes, ungues, manuum pensionem, Martha in nympha necata, cæteri vero decollati sunt.

XII KAL. Romæ nativitas sanctæ Agnæ [a], quæ sub præfecto Urbis Symphronio ignibus injecta, sed
D his per orationem ejus exstinctis, gladio percussa est. Et in Hispanis civitate Taracona nativitas sancti Fructuosi, episcopi et martyris, qui scripsit Regulam monachorum. Passio sancti Patrocli martyris.

XI KAL. In Hispaniis civitate Valentia, passio S. Valerii episcopi, et Vincentii diaconi et martyris, qui passi sunt sub Daciano præside. Vincentius enim dum Christi nomen publice profiteretur, a Daciano

[a] *Agnetis*. Eam prostitui voluit sub theatri fornice præfectus, secundum morem; acclamabant enim pagani: « Christiani ad leones, virgines ad lenones! » Ideo Tertullianus objiciebat illis: « ad lenonem damnari Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos acriorem omni pœna, et omni morte reputari. » Celebris illa fuit virgo nihilominus. Quo tempore martyrium sit passa, hactenus ignotum. Virginitatem ejus angeli ope illibatam fuisse dicitur: « Ingressa Agnes turpitudinis locum, angelum Domini præparatum invenit. » Sub Diocletiano coronatam conjicit Baronius. BASN.

jussus est in equuleum extendi, ibique diutissime torqueri : hinc ad patibulum raptus, inde ex equuleo depositus tortores suos ipse præcurrens more rarissimis arguit : torquetur ibi sanctus Dei martyr, tunditur, flagellatur, exuritur, et distensis membris crescit ad pœnam. Imprimuntur ardentes pectori laminæ, et liquefacto inter ipsas candentes ferri acies liquore guttarum stridens flamma respergitur, vulnera vulneribus imprimuntur, tormenta tormentis desæviunt, sales ignibus sparsi crepitantibus minutis [*Forte* minutatim] per membra dissiliunt, et jam non ad artus, sed ad ipsa viscera suppliciorum tela jaciuntur. Post hæc in locum obscurissimum ac fragmentis testularum aspersum truditur, sed ibi lucis amœnitate et quietis per angelicum ministerium positus est : inde quoque, jubente præside, in lectulo asportatus, ad Dominum cum palma martyrii migravit. Postea corpus ejus in mare missum præcipitur, sed immissum celerius post fluctus, Deo volente, ad littus reducitur, quod religiosa quædam vidua nomine Jonica sepulturæ primum tradidit, Christo triumphum ejus miraculis probante. Eodem die ad Aquas Salvias nativitas sancti Anastasii monachi et martyris de Perside, qui post plurima tormenta, carceris, verborum et vinculorum, quæ in Cæsarea Palæstinæ perpessus fuerat, a Persis postremo in Perside multa pœna affectus, atque ad ultimum decollatus est. A rege eorum Chosdroe.

X KAL. Romæ nativitas sanctæ Emerentianæ, virginis Christi et martyris, quæ erat collactanea sanctæ Agnæ [Agnetis], et dum oraret ad sepulcrum ejus, ac simul orantes a gentilium læsione defenderet, lapidata est ab eis. Eodem die passio celebratur sanctorum martyrum Macharii et Eugenii, qui sub Juliano judice multa tormenta passi sunt, hoc est, craticulam incendii, in qua pix atque oleum superfusa sunt, sed non eos ignis læsit ; deinde viperis serpentibus traditi sunt, sed nullo modo ab illis sunt læsi ; postea draconem ingentem orationibus exstinxerunt, ad extremum vero martyrio coronati sunt.

IX KAL. Nativitas sancti Timothei apostoli, et in Antiochia sancti Babylæ episcopi et trium parvulorum, Urbani, Prilidani, et Eupolini [Epolonii], qui passus est pro nomine Christi sub Numeriano imperatore, ipse et pueri ejus secum, post alia tormenta capitalem sententiam ferentes.

VIII KAL. Romæ translatio Pauli apostoli, et conversio in Damasco. Nativitas sancti Gregorii Theologi, et nativitas Projecti martyris.

VII KAL. Sancti Polycarpi, episcopi Smyrnæ, qui sub Marco Antonino, et Lucio Aurelio Commodo, sedente Smyrnæ proconsule, conjurante in eum omni populo, igni traditus est. Bethlehem civitate, sanctæ Paulæ, cujus precationibus annuens beatus Hieronymus plura confecit opuscula.

VI KAL. In Africa nativitas a Dati, Juliani, Vincentii, et aliorum triginta duorum [viginti septem], et nativitas sancti Sulpitii, episcopi et confessoris.

V KAL. Romæ sanctæ Agnetis virginis geminum [secundo], hoc est, de nativitate. Obiit Carolus.

IV KAL. Romæ nativitas Papiæ et Mauri militum tempore Diocletiani, qui videntes constantiam Saturnini et Sisinnii martyrum, conversi sunt ad fidem statimque jussum est a Laodicio præfecto Urbis ut os eorum, quo Christum confitebantur, cum lapidibus contunderetur, et retraderentur in carcerem ubi baptizati erant a beato papa Marcello ; quos post dies undecim jussit sterni in terra, et fustibus cædi, donec expirarent. Quorum corpora colligens nocte Joannes presbyter sepelivit via Numentana [Nomentana] ad nymphas beati Petri, ubi baptizabantur. Scriptum in gestis beati papæ Marcelli. Treviris, depositio beati Valerii episcopi.

III KAL. Malbodio monasterio nativitas Aldegundæ [Aldegundis] virginis, quæ temporibus Dagoberti regis Francorum ex nobili genere progenita, virginitatis propositum elegit. In quo et permansit, sæpiusque illi angelica visio revelata fuit, exhortans eam ut in proposito permaneret : novissime vero cum magna claritate cœlestis luminis ad vitam migravit æternam.

II KAL. In Alexandria nativitas Tarsici [Thersicii], Zotici [Cyriaci] et Ammonii. In Africa Victoris, Publii [Thyrsi], Saturnini.

FEBRUARIUS.

KAL. FEBRUARII. In Græcia Polycarpi [*Forte* Ignatii] episcopi, et in Ravenna sancti Severi episcopi : in Hibernia quoque nativitas Brigidæ virginis, quæ nativitas magnorum meritorum et sanctitatis esse prædicatur.

IV NON. Purificatio sanctæ Mariæ, quando cum

a *Dativi, Vincentii.* Laudata sunt in collatione Carthaginensi a Donatistis horum martyrum Acta ; et revera fuerunt Donatistæ in persecutione martyrio coronati ; ideoque illos venditabant schismatici. Contendunt quidem Baluzius et post eum Ruinartus, a Donatistis fuisse depravata, adjuncta præfatione brevi et in fine longiori appendice, in qua multas calumnias adversus Mensurium cæterasque inseruerunt. Fallitur hic Ruinartus : ipsa quæ nunc legimus Acta non fuerunt a catholicis in collatione agnita velut genuina, deinde a Donatistis depravata. Utrumque facile probatur : primum, quod indicata fuerunt illorum martyrum Acta a Donatistis, ea scilicet ratione, quod ab ipsorum partibus stetissent Saturninus, Dativus cæterique, Catholici vero de authenticitate Actorum nequaquam disceptantes, argumentum ad hominem quod vocant, inde eduxerunt, probaturi scilicet ex ipsis Donatistarum Actis numerosum cœtum persecutionis tempore convocari potuisse. Quippe martyres Donatistarum confitebantur se « collectam et Dominicum egisse. » Alterum eadem facilitate probatur, quippe ipsa clausula a sancto Augustino indicata in collatione Carthaginensi, legitur hodierno die in appendice quam a Donatistis adjectam conjicit Ruinartus ; unde conjicias appendicem illam, quam integram edidit ingenue Baluzius, jam temporibus Augustini fuisse confectam, ideoque genuinam. Dativus igitur et socii inter Donatistas debent amandari. BASN.

infante Jesu repræsentata est in templo ubi ipsum Dominum Jesum senex Simeon in ulnas suas accepit, et benedixit. Eodem die natale sancti Aproniani Commentariensis, qui a Sisinnio diacono Marcelli papæ baptizatus, ab Laodicio præfecto capite truncatus est, temporibus Maximiani Augusti. Romæ Forosimfronii [Foro Sempronii], via Flaminia, milliario ab urbe centesimo septuagesimo quarto, Laurentii et Hippolyti, et nativitas sancti Fortunati. Aurelianis depositio Sicariæ Deo sacratæ virginis.

III Non. Lugduno depositio beati Lupicini episcopi. In Sebastia civitate Cappadociæ passio sancti martyris Christi Blasii episcopi, qui sub Agricolao præside capite truncatus, cum duobus puerulis filiis unius mulieris, de illis septem, quæ per prædicationem ejus confortatæ, sub eodem præside martyrizaverunt.

II Non. In Foro Simfronii nativitas Gemini, Gelasii, Mali [Magni], Aquilini [Aquili], et Donati. Item Donati, Themoii, Gelasii.

Nonis Februarii. In Patris civitate ordinatio episcopatus Andreæ apostoli, et in Sicilia urbe Cathena [Catana] passio sanctæ Agathæ virginis, quæ sub Quintiano consule tempore Diocletiani martyrizavit; hæc post alapas, carcerem, post equuleum et torsiones, post mamillarum abscissionem, sed a Domino sanationem, post volutationem in testulis et carbonibus, tandem in carcere consummata est. Et in Vienna depositio Aviti episcopi.

VIII Id. Romæ via Appia in ejusdem cœmeterio passio sanctæ Sotheris virginis. In Cæsarea Cappadociæ passio sanctæ Dorotheæ virginis, et Theophili sub Apricio præfecto, quæ cum duabus sororibus, id est, Christe et Calliste, quæ a fide nuper apostatabant vitæ doloribus, commendata est, ut eam averterent a Christo, eas iterum convertit ad Christum, ita ut in cuppam missæ per præfectum incensæ ad martyrii palmam pervenerint: postea vero Dorothea ducta ad locum pœnarum, ubi et passa est, cum a Theophilo quodam scholastico derideretur quod ad paradisum vadens, a sponso suo Christo et poma et rosas florentes sibi mitteret, hoc citius impetravit; quod cum vidisset Theophilus, mox Christum confessus est verum Deum, et martyrizavit sub eodem præfecto capite plexus. In Gallia civitate Aderato [Atrebato], depositio sancti Vedasti, episcopi et confessoris et in Ellone monasterio depositio sancti Amandi, episcopi et confessoris.

VII Id. In Britannis, in civitate Augusta, nativitas Anguli, episcopi et martyris.

VI Id. Romæ depositio sancti Pauli episcopi et Julii papæ.

V Id. Suevo [Soli] apud Cyprum natale Alexandri, Ammonis, item Ammonis et aliorum triginta septem.

IV Id. In Campania nativitas sancti Sylviani episcopi et confessoris, et in Bethlehem civitate Judææ sub Herode rege passio sanctorum Andreæ et Apponii; et Sanctonis civitate depositio sancti Trojani, episcopi et confessoris, et Baldegundis abbatis. Romæ, Zotici, Herenei [Irenæi], Jacinthi [Hyacinthi], et Amantii. Eodem die depositio sanctæ Scholasticæ virginis et sanctimonialis feminæ, cujus animam frater ejus sanctus Benedictus vidit in columbæ specie cœlos petere, quod fratribus matutinorum hymnis expletis intimavit, et Deo gratias inde retulit.

III Id. Romæ Calocerii [Caloceri] et Parthenii.

II Id. Feb. In Africa passio Damiani militis, infantum Modesti et Ammonis [Ammonii], Sotici [Zotici], et depositio Simplicii, episcopi et confessoris.

Idibus Februarii. Lugduno depositio beati Stephani episcopi.

XVI Kal. Mart. Romæ nativitas sancti Valentini presbyteri, qui post multa sanitatum et doctrinæ insignia fustibus cæsus, et sic decollatus est, sub Claudio Cæsare. Eodem die nativitas sancti Valentini Interamnensis episcopi, qui tentus a paganis, ac virgis cæsus, et post diuturnam cædem custodiæ mancipatus cum superari non posset, medio noctis silentio ejectus de carcere, decollatus est, jussu furiosi Placidi præfecti Urbis. Tunc Proculus, Efybus [Ephebus] et Apollonius, discipuli ejus, transferentes corpus ad suam ecclesiam Interamnæ urbis, noctu sepelierunt: ubi cum quotidianis vigiliis incubarent, tenti a gentilibus custodiæ sunt traditi consulari Leontio, quos ille jussit noctis medio suis tribunalibus præsentari, et cum a fide revocari nec blandimentis nec minis possent, jussit capite cædi, qui non longe sunt a capite sancti Valentini sepulti.

XV Kal. In Antiochia nativitas Josephi diaconi, Zenonis. Interamnæ nativitas sanctæ Agapæ [Agapis] virginis, Saturnini, Castulæ [Castuli].

XIV Kal. Sancti Onesimi apostoli, et in Cumis nativitas sanctæ Julianæ virginis, quæ tempore Maximiani imperatoris primo a suo patre Africano cæsa et graviter cruciata, dein a præfecto Eulesio [Evilasio], quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, et a capillis suspensa, et plumbo soluto a capite perfusa, et rursum in carcerem recepta, ubi palam cum diabolo conflixit; et rursus evocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollam ferventem superavit, ac decollatione capitis martyrium consummavit, quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus, Deo disponente, in Campaniam translata.

XIII Kal. In Babylonia nativitas Polocronii [Polychronii] episcopi ejusdem civitatis, qui præsente Decio persecutore os lapidibus cæsus, manibus extensis, oculos ad cœlos elevans emisit spiritum. Scriptum in passione sancti Laurentii

XII Kal. In Nicomedia natale Pantaleontis martyris, qui sub Maximiano imperatore martyrium suum implevit. Hic Eustorio [Eustorgio] patre editus, et ab Ermolao [Hermolao] presbytero fide imbutus antequam baptizaretur, puerum a serpente obligatum liberavit, et serpentem oratione interfecit. Post

baptismum vero cæcum illuminavit, patrem suum Eustorium ad fidem convertit, et multa miracula in nomine Christi perpetravit. Propter quod jussit Maximianus eum in equuleo suspendi, et lampadas ad latera ejus suspendi; sed flammæ earum subito exstinctæ sunt: postea missus est in sartaginem ignis, ut ibidem plumbo liquefacto exureretur, sed per Christi virtutem frigescente ardore in nullo læsus est. Postea in mare missus, sed inde sanus ad littus perductus est. Dehinc feris est traditus, sed a nulla earum contaminatus; ad extremum vero capite cæsus est, sed percussores ipsius reliquias corporis ejus tulerunt, et honorifice sepelierunt. Presbyter vero Ermolaus [Hermolaus] cum duobus germanis suis, hoc est Erinippo et Ermodito [Hermippo et Hermocrate], decollatus est, et a Christianis sepultus.

XI Kal. Nativitas sanctorum in Africa, Publii, Juliani, Marulii. Item Juliani, Marcelli, Tuli, Lampasii, Majuli et Juliani.

X Kal. Romæ nativitas Gai episcopi, et in Cypro nativitas Potamiæ, Nemersi [Potamii et Nemesii] et Didymi, et alibi Victoris martyrium, et Coronæ, et aliorum viginti.

IX Kal. In Africa nativitas sanctorum Veroli [Veruli], Servuli, Secundini, Sirici [Syricii], Felicis, Saturnini, Fortunati, et aliorum sedecim, et depositio Eucherii, episcopi et confessoris.

VIII Kal. Cathedra S. Petri, quam sedit apud Antiochiam, ubi et primum cognominati sunt discipuli Christiani; et in Nicomedia nativitas Teclæ virginis, discipulæ sancti Pauli apostoli, quæ sub Nerone imperatore pro Christi nomine igni est tradita, sed non exusta: postea bestiis atque serpentibus deputata, sed a nullo eorum est læsa. Ad extremum vero in Seleucia, cum virginitatis martyrio atque virtutum honore per somnum pacis migravit ad Dominum. Romæ via Tiburtina ad S. Laurentium, nativitas sanctæ Concordiæ, quam Deciana persecutio trucidavit.

VII Kal. In Pannoniis nativitas sanctorum Seneroti [Sireni], Antigonii, Rotuli, Libi, et in Asia Polycarpi cum aliis duodecim.

VI Kal. In Palæstina Matthiæ apostoli, qui de septuaginta discipulis pro Juda traditore in apostolatum electus, in Judæa Evangelium prædicavit.

V Kal. In Africa nativitas sanctorum Donati, Justi, Rotuli, Herenei [Herenæ], Pisionis, Pamphili. Nativitas Nestoris et Castæ.

IV Kal. In Alexandria nativitas sanctorum Alexandri, Nestoris, Theonis, Opionis, Justi, Donativi, Ampliati, Ingenii.

III Kal. In Thessalonica nativitas sanctorum Alexandri, Androgoni [Antigoni], Abundantii [Abundii]. In Africa Dionysii, et aliorum viginti quatuor.

II Kal. In Alexandria sanctorum Celeris [Cærealis], Pupilli [Pupuli], Ligici [Caii], Serapionis.

MARTIUS.

Kal. Martii. Andegavis depositio sancti Albini episcopi.

VI Non. Nativitas sanctorum Jorgi, Hergli, Absaloni [Lucii, Absalonis et Lorgii]. In Cæsarea Cappadociæ Lucæ episcopi, Primitivi, et in portu Romano Pauli, Secundolæ [Secundilæ], Januariæ.

V Non. Nativitas Felicis, Lucioli, Justi, Fortunati, Martiæ, Herotis, Antigonii, Januarii, Tultellæ, Gabiani, Quiriuli, Marini; item Felicis, Floriani, Donati.

IV Non. Romæ depositio Juli episcopi, et Nicomediæ passio sanctorum Adriani cum aliis numero triginta tribus.

III Non. Romæ Lucii papæ et martyris. Hic in exsilium propter fidem Christi trusus est, et postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est; qui etiam a Valeriano imperatore capite truncatus est et sepultus in cœmeterio Callisti via Appia.

II Non. Martii depositio sancti Quiriaci presbyteri.

Nonis. Apud Carthaginem, [a] Perpetuæ et Felicitatis, quæ bestiis sunt deputatæ sub Severo principe, et cum Felicitas parturiret in carcere, omnium militum, qui simul patiebantur, precibus impetratum est ut octavo mense pareret. Jam vero Perpetuæ inter alia concessum est ut ejus mens quodammodo averteretur a corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita ut adhuc futurum exspectaret quod in se jam gestum esse nesciret.

VIII Id. Martii. In Nicomedia Quintili [Quinctilis] episcopi, et Capitulini. In Africa Rogati, Felicis, item Rogati Beremæ [Beatæ], Hereniæ, Felicitatis, Orbani [Urbani], Cyrilli episcopi, Silvani, et Manili [Mamili].

VII Id. In Sebaste Armenia Minore quadraginta militum tempore Licinii regis, sub præside Agricolao, qui post vincula et carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, ubi gelu constricta corpora eorum nocte disrumpebantur, et mane crucifragio martyrium consummarunt. Deinde corpora eorum combusta, et in fluvio projecta, sed divina dispensatione reliquiæ eorum integræ sunt repertæ et honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos Quirinion [Cyrion] et Candidus.

VI Id. In Antiochia Agapæ [Agapes] virginis, et Marianæ. Smyrnæ, Phronis. In Nicomedia Palatini, Firmiani et Rustici. In Alexandria Eracli [Heraclii], Zosimi, Alexandri, et Gaiperii [Candidi et Piperionis].

V Id. In Sebastia civitate nativitas martyrum quadraginta qui temporibus Licinii imperatoris, et Agricolai præsidis, et Lysiæ ducis, pro nomine Christi

[a] Earum feminarum passio habetur apud Ruinart., Acta sincera Martyrum. Ea qui viderat Valesius scripta fuisse a Montanista judicavit: et ipsas feminas e Montanistarum secta fuisse facile credet quicunque legerit. Basn.

martyrium passi sunt, quos Agricolaus præses, cum ad culturam deorum convertere non posset, lapidibus obrui præcepit. Sed lapidatores eorum alterutrum secum lapidibus cædebant, nec martyres nocere poterant. Dux vero Lysias, exardescens ira, tulit lapidem ut percuteret aliquem sanctorum; sed miro Dei nutu ipse lapis in faciem pervenit præsidis : quos in stagnum gelatum glacie præses misit, sed Dei voluntate ipsum frigus temperatum est, et glacies dissoluta aqua calida facta est. Unus autem de ipsis quadraginta pœnarum timore perterritus, ad balneum refugit; sed mox ut attigit calorem resolutus est, et sic reddidit animam : in cujus locum clavicularius, qui sanctos martyres custodiebat, credens Christo substitutus est, videns coronam de cœlo descendere super singulos qui in confessione perstiterant. Tyrannus vero, repletus ira, jussit eos duci ad littus, et baculis eorum crura confringi, et item in mare projici; sed, Deo volente, martyrum reliquiæ in aquæ profundo religiosis viris revelatæ sunt, et inde ablatæ et in loculis honeste conditæ sunt.

IV Id. Romæ depositio sancti Gregorii papæ, qui in lege Dei lucnlentissimus doctor exstitit, et gentem Anglorum per Augustinum et Mellitum atque Joannem servos Dei ad fidem convertit.

III Id. In Nicomedia nativitas Macedonii presbyteri, et Patriciæ uxoris ejus, et filiæ Modestæ. In Nicæa, Theusetæ et Horis filii ejus. Theodoræ. Hi omnes igni concremati sunt. Julii episcopi, Alexandri.

II Id. In Carthagine nativitas sanctorum Donati, Effrosii, Fronimi; in Nicomedia natale Felicissimi, Frontinæ.

Id. Martii. In Cappadocia passio sancti Longini martyris: de quo in libello martyrii ejus narratur quod aliquando militans sub centurione Romano, in passione Domini latus ejus cum lancea in cruce aperiret, et viso terræmotu et signis quæ fiebant, crediderit in Christum, pœnitentiam agens de operibus suis pristinis : postea monachus factus per triginta et quatuor annos Christo militavit, multos convertens ad fidem Dei; ad extremum vero martyrizavit in Cappadocia sub Octavio præside, quem, propter infidelitatem suam divino judicio percussum corporea cæcitate, post martyrium suum illuminavit.

XVII Kal. Aprilis. Natalis sancti Cyriaci, qui post longam carceris macerationem quam a Maximiano pertulit, cum Sisinnio condiacono suo, et Smaragdo, et Largo, post multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam, ipsius rogatu a dæmonio liberavit ac baptizavit, filiam quoque Saporis regis Persarum Jobiam, missus illuc a Diocletiano pro hoc, æque a dæmonio liberavit ac baptizavit cum ipso rege et aliis quadringentis triginta; et rediens Romam post mortem Diocletiani tentus est inter alios Christianos a filio ejus Maximiano [a], et in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset, deinde præcepit ut die processionis suæ nudus catenis obligatus ante rhedam ejus traheretur; et post hoc eductus est de carcere cum sociis Largo, et Smaragdo, et Crescentiano, per Carpasium vicarium, et pice reliquata caput ejus perfusum est. Et rursus post dies quatuor denuo de carcere in catasta extentus ac tractus, nervis et fustibus cæsus, post [*Forte* duos vel tres] dies, jubente Maximiano, capite truncatus est cum Largo, et Smaragdo, et aliis viginti. Scriptum in gestis Marcelli papæ. Ipso tempore Maximiani Deus interfecit sororem suam Artemiam.

XVI Kal. In Scotia natalis Patricii episcopi, qui in Hibernia insula Scotis primum prædicavit nomen Domini nostri Jesu Christi; et natalis Mariæ martyris. Hæc quoque cum esset ancilla cujusdam Tertulli præclari viri, et nollet in natali filii ejus prandiis domini sui interesse, sed magis Christianorum more jejuniis operam dare, flagellis atrocibus ab eodem domino suo lacerata est : sed cum non posset ab instantia per hoc servitii Christi ad idolorum cultum revocari, judici publico ad puniendum tradita est. Ubi dum carnifices eam incendio tradere voluissent, propter preces populi data est ei inducia trium dierum; triduo ergo completo cum iterum puniri deberet, mirabiliter Domini misericordia erepta est. Nam cum orationem ad Dominum fudisset, unde petra ingens, quæ ante eam fuerat, per medium scissa illam in se recipiebat, et undique concludens hostium furori restitit. Ad quam populus concurrens cum vellet secundum jussum principis ipsum lapidem destruere, fulmine ac tonitru cœlitus emisso, plurimi eorum interierunt, ita ut duo millia et septingenti ex ipsis divino judicio exstincti fuerint, pauci vero qui remanserant, conversi ad Dominum, in Christiana religione permanserunt.

XV Kal. In Alexandria natalis Colestici; et in Nicomedia, Aprilis et Servuli; et in Lucania, Quinti, et Ingenui, et Rogatæ; et in Mauritania, Timothei.

XIV Kal. In Spolitana [Spoletana] civitate nativitas Joannis confessoris, qui peregrinus de Sicilia illuc venit, et in suburbano ejus ædificavit monasterium, et habitavit ibi quatuordecim annis, ubi et requievit in pace.

XIII Kal. In Britannia sancti Chudberti episcopi, qui vitam plenam virtutibus ducens, tandem anachoreta diem ultimum clausit, cujus corpusculum post undecim annos de sepultura levatum, inventum est integrum cum vestitu quo indutus fuerat, ac si ipsa die in monumentum positum fuisset.

XII Kal. Sancti Benedicti abbatis, qui Regulam scripsit monachorum cum magna discretione. Eodem die in Alexandria depositio Serapionis monachi.

XI Kal. In Arbona [Narbona] civitate natalis Pauli confessoris. In Africa, Saturnini et aliorum novem. In Sebastia Deeroni et Arionis.

X Kal. In Africa natalis Fidelis et aliorum viginti.

[a] Hæc quomodo sibi constent, vide Baronium in Annalibus.

IX Kal. In Syria natale Seleucis [Seleuci]; et in Africa, Agabi.

VIII Kal. Annuntiatio incarnationis Dominicæ, et Hierosolyma Dominus noster Jesus Christus crucifixus est, et passio sancti Jacobi fratris Domini, qui in Paschæ solemnitate Judæis Christum testificans de templi est culmine præcipitatus, ac fullonis vecte percussus. Et in Nicomedia natale Dulæ ancillæ militis, quæ pro castitate occisa est. Et Romæ, Cyrini [Quirini], qui interfectus a Claudio, et in Tiberim jactatus, in insula Lycaoniæ inventus, et in cœmeterio Pontiani conditus est. Scriptum est in passione sancti Valentini.

VII Kal. In Syrmio Montani presbyteri, Maximæ uxoris ejus. Romæ, via Lavicana, natale sancti Castuli martyris.

VI Kal. Hierosolyma resurrectio Domini nostri Jesu Christi.

V Kal. In Africa natale Rogati, Successi; et in Cæsarea Marc [*Forte* Mauritaniæ] depositio sancti Dagolaphi; et in Africa aliorum sedecim.

IV Kal. In civitate Pisana natale sancti Torpetis martyris, quem Nero imperator jussit magnam Dianam matrem deorum adorare, quod ipse renuens repletus Spiritu sancto, et dixit: « Melius est unum Deum adorare, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, quam plures deos colere, hoc est dæmones. » Exiens sanctus Torpes de palatio multum intra se cogitans dixit: « Quid faciam idolis serviendo et baptismum salutis non accipio? » Tunc ascendit in montem et clamare cœpit, dicens: « Pater Antoni, ubi es? » Respondit presbyter Antonius et dixit: « Et quis es tu, fili? » Sanctus Torpes dixit: « Ego sum servus tuus Torpes; » tunc Antonius baptizavit eum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Tunc statim angelus Domini apparuit sancto Torpeti, et dixit ei: « Forti esto animo, quia tu nobiscum eris in paradiso. » Postea Nero perrexit Romam et Satellico cognato suo præcepit sanctum Torpetem in carcerem recipi, et alapis cædi, et ad columnam Habentinam nudo corpore religari, et dum sanctus Torpes complesset orationem, cecidit illa columna, et oppressit ex impiis quinquaginta, et ipse Satellicus sub ea mortuus est. Tunc filius Satellici, nomine Silvinus, dum hæc ita agerentur, jussit ut leo eum ad devorandum dimitteretur: qui subito dimissus dans rugitum super eum, et eadem hora mortuus est; et iterum dimissus est leopardus, et ipse flectens caput lingebat plantas ejus. Tunc præcepit Silvinus ministris ut ad mare duceretur et ibidem decollaretur. Sanctus vero Torpes, spem habens ad Dominum, ita oravit: « Domine, suscipe spiritum meum, » et sic a carnifice decollatus est. Eodem die passio Achacii.

III Kal. Natale domni Philippopoli, et Jacaici, et depositio Austasii abbatis et Nicæi episcopi.

II Kal. In Africa natale Anisi [Anesii] et depositio Ambrosii episcopi, et natale septem virginum, quarum nomina Deus scit.

APRILIS.

Kal. Aprilis. In Thessalonica natale Agapis et Chioniæ sub Diocletiano, quæ primo in carcere maceratæ, post in ignem missæ sunt, sed intactæ a flammis, post orationem ad Dominum fusam, animas reddiderunt.

IV Non. Aprilis. In Africa Amphiani, Victoris et aliorum quatuordecim; et alibi Marcellini, Saturni, Quiriaci, Reginæ, Proculæ, et aliorum quatuor.

III Non. Aprilis. Natale Theodosiæ virginis, quæ passa est temporibus imperatorum Diocletiani et Maximiani, in civitate Cæsarea, sub Urbano præfecto: nam hæc cum, relictis parentibus, confugisset ad carcerem, ubi Christi confessores clausi erant, tenta est a militibus et ducta ad tribunal judicis Urbani, quæ coram ipso astans, nec adulationibus ejus est decepta nec minis territa, sed sapientia Dei repleta falsos deos gentilium disputando coram præside confutabat. Unde et a tyranno nervis ligata, et flagellis cæsa non potuit vinci: postea ei adhibita sunt varia tormenta, hoc est sartagines ignitæ, leones et bestiæ, ex quibus nullam maculam passa est. Deinde in mare demersa, sed per Dei auxilium citius inde liberata, novissime gladio capite abscisso, obdormivit in pace, et complevit martyrium suum, honorifice a Christianis sepulturæ tradita.

II Non. Mediolano depositio beati Ambrosii episcopi et confessoris, cujus vita et doctrina insignis prædicatur in Ecclesia.

Nonis. In Thessalonica natalis Hyrenis [Irenes] quæ post tolerantiam carceris inter orationes sagitta percussa est a Sisinnio comite, sub quo et sorores ejus, Agape et Chionia, martyrizaverunt: quæ a prædicto præfecto licet in ignem mitterentur, tamen illæsæ ab eo, exorantes Dominum, spiritum reddiderunt.

VIII Id. In Syrmio natale Ilyrenei [Irenæi] episcopi ejusdem loci.

VII Id. In Alexandria natale Pelosi [Peleusii] presbyteri; et in Nicomedia natalis Cyriaci cum aliis decem.

VI Id. In Africa natalis Januarii, Macharii [Macariæ] et Maximæ; et in Carthagine, Concessæ.

V Id. In Syrmio natalis septem virginum, quæ in unum meruerunt coronari.

IV Id. Ezechielis prophetæ.

III Id. Romæ Leonis papæ, qui quadragesimus septimus post beatum Petrum apostolum, sedit in episcopatu annis viginti uno. Hic invenit [*Forte* evertit] hæreses duas, et missa legatione ad Marcianum principem catholicum, congregata synodo ducentorum quinquaginta et sex episcoporum in Chalcedone, in martyrio sanctæ Eufemiæ martyris, exposuerunt juxta fidem catholicam duas naturas in uno Christo Domino, hoc est divinam et humanam, et condemnaverunt Euthicium, et Nestorium hæreticos.

II Id. Romæ episcopi Julii papæ et confessoris, qui sub Constantio Ariano, filio Constantini, decem men-

sibus tribulationes et exsilia passus, post ejus mortem cum magna gloria ad sedem suam reversus est. Et eodem die, civitate Verona, passio sancti Zenoni martyris, de quo beatus Gregorius refert in libris Dialogorum, quod Atisin [Athesis] fluvius inundans in ecclesia ubi corpus ejus jacebat humatum, usque ad superiores tecti fenestras excreverit, sed intra ecclesiam ubi fuerat congregata fidelium turba intrare non poterat.

ID. APRIL. In civitate Chalcedonia natalis Eufemiæ, et Romæ in cœmeterio translatio Januarii martyris.

XVIII KAL. MAII. Romæ, Tyburtii, et Valeriani, et Maximi, sub Almachio Urbis præfecto, quorum primi fustibus cæsi et gladio sunt percussi, ultimus tandiu plumbatis verberatus donec spiritum redderet. Eodem die in Nitria Frontonis monachi, qui septuaginta monachos in eremum secum adduxit, ut sequestrati ab hominibus divinæ contemplationi vacarent: sed cum esset ibi, diabolo instigante, ipsi monachi contra abbatem suum murmuraverunt, quod non possent præ fame in eremo habitare; sed consolans eos abbas suus, a Domino ipsis promisit solatium, quod et ita evenit. Nam Dominus per visionem angelicam quemdam divitem corripuit, quod ipse in deliciis vivens, servis suis in eremo habitantibus alimentum non præberet: qui cum non sciret ubi illi habitarent, consilio accepto septuaginta camelos onerabat alimentis, et dimisit illos quo Dominus eos vellet perducere. At illi a domino suo dimissi, pergebant in solitudinem ubi servi Dei habitabant, et eis alimenta satis portabant. Sed sanctus Fronto hoc videns, cavens avaritiam, noluit omnia accipere, sed medietatem tulit: alteram vero medietatem super camelos positam remisit ad dominum suum, qui sani ad proprium dominum reversi sunt. Ex illo igitur anno usque ad vitam Frontonis misit dives ipse notato tempore, quo anno [*Forte* ante] miserat, escas necessarias fratribus dirigebat: aliis sic divitibus Dominus imperabat, et ex omnibus dapibus irrigati, nihil Dei servi cum sancto Frontone minus habebant, vigilabant hi operibus Dei, filii cum patre; spiritualibus eos admovens dapibus, adimplebat quotidie sermone cœlesti, exsultans lætabatur in Domino, qui sibi talem dederat intellectum, ut aviæ solitudinis loca quæsivisset.

XVII KAL. In civitate Corduba natale Olympiadis et Maximi nobilium, qui, jubente Decio, fustibus cæsi et deinde plumbatis, ad ultima capita eorum securibus tunsa, donec emitterent spiritum.

XVI KAL. In Achaia, Corintho civitate, sanctorum Callisti, Carissi [Charisii], Leonidis, Christianæ, Callæ, Theodoræ et aliorum plurimorum sanctorum.

XV KAL. In Antiochia natalis Petri diaconi et Hermogenis; et in Africa, Fortunati et Marciani.

XIV KAL. Natalis Eleutherii episcopi et martyris, et Antiæ matris ejus. Hic Eleutherius in Aquileia episcopus ordinatur, sub Adriano imperatore passus est. Hic primum Felicem, et Correvum [Corebum] comites convertit ad fidem Christi, pro quo ipse Correvus [Corebus] passus est percussus gladio. Nam Eleutherius primo vicit lectum ferreum, deinde craticulam et ignem suppositum, postea sartaginem cum pice et adipe fervente. Dehinc bestias mitigavit, ad extremum vero decollatus est cum Antia matre ejus, et sic martyrium finivit.

XIII KAL. In Africa Calasrani abbatis, et Hermogenis, et Expediti, et in Hispaniis, in Calcoliveris [Caucoliberis], Vincentii.

XII KAL. Romæ Aniceti papæ et martyris, qui constituit in Ecclesia ut clerus comam non nutriret, et sepultus est in cœmeterio Callisti.

XI KAL. In Asia Nativitas Maximini martyris, qui tempore Decii imperatoris oblatus est proconsuli nomine Optimo, qui cum ab eo tormentis cogeretur ad sacrificandum idolis, et nollet, diu in equuleo tortus, ad extremum lapidibus oppressus est.

X KAL. Romæ depositio sancti Gaii papæ, qui cum Ecclesiam undecim annos, menses quatuor, dies duodecim rexisset, martyrio coronatur sub Diocletiano principe cum Gabinio [Gabino] fratre. Eodem die in Corduba civitate nativitas Parmenii, Helymæ [Helimenæ] et Chrysotheli presbyterorum, et Lucæ, et Mucii diaconorum de Babylonia, quorum primus, præcisa etiam lingua, loquebatur: omnes in equuleo suspensi, et nexibus artati sunt; deinde laminis ardentibus circum latera oppositis, ustulati, et ungulis lacerati, ad ultimum gladio trucidati sunt, præsente persecutore Decio. In passione Laurentii.

IX KAL. MAII. Nativitas sancti [a] Georgii martyris, qui sub Daciano, rege Persarum potentissimo, qui dominabatur super septuaginta reges, multis miraculis claruit plurimosque convertit ad fidem Christi, simul et Alexandram, uxorem ipsius Daciani, usque ad martyrium confortavit: ipse vero novissime decollatus, martyrium explevit; cujus Vitam et passionem scriptam legi.

VIII KAL. Depositio Melliti episcopi in Britannia. Hac die Ananias, Azarias, Misahel de camino ignis ardentis sunt liberati.

VII KAL. Nativitas sancti Marci evangelistæ in

[a] Varia sunt quæ referuntur de sancto Georgio, eaque ita incerta, ut vix fidem adhibere possis. Autumat Henschenius illum plebeium, qui Diocletiani edictum de persecutione dilaceravit, fuisse sanctum Georgium, qui anno 303, mense Aprili, martyrium Nicomediæ passus est. Ibi plura habes de Alexandra ab ipso Diocletiano damnata; de qua hic Rabanus non solum, sed et Baluzius loquitur. Acta illa tot fabulis ac narrationibus portentosis plena sunt, ut plane constet, nihil boni. sanique ex illis posse colligi. Una Alexandræ historia omnia poetarum figmenta superat; et revera exeunte Februario passus est qui Diocletiani edictum dilaceravit; non ergo in mensis Aprilis diem 23 vel 25 rejici potest illius passio. Plura itidem de Georgio leguntur apud Baronium ad 23 Aprilis; sed si ea conferas cum Georgii Alexandri episcopi Vita, ex Arianorum scriptis esse desumpta facile animadvertas. Rabanus et Notkerus de Datiano, non de Diocletiano loquuntur: uterque Acta passionis legerat. Adjicit Notkerus ea inter apocryphas sui temporis numerari scripturas, quod Rabanus omisit. BASN.

Alexandria, qui, constitutis et conformatis Ecclesiis per Libyam, Armaricam, Ammoniacam, Pentapolin, Alexandriam atque Ægyptum universam, ad ultimum tentus est a paganis qui remanserant Alexandriæ, qui videntes eum die sancto Paschæ, VIII Kal. Maii, missas facientem, miserunt funem in collo ejus, et trahebant eum ad loca buculi, quæ erant juxta mare sub rupibus, ubi erat ecclesia constructa, et defluebant carnes ejus in terram, ac saxa inficiebantur sanguine : vespere autem facto, miserunt eum in carcerem, ubi circa mediam noctem primo angelica visitatione confortatus est, deinde ipso Domino sibi apparente ad cœlestia regna vocatus, ac mane cum traheretur ad loca buculi, gratias agens, et dicens : *Domine, in manus tuas commendo spiritum meum*, defunctus est, et a viris religiosis sepultus, in loco lapidis excisi, cum gloria. Ordinaverat autem pro se Alexandriæ episcopum Annianum, aliis quoque longe lateque Ecclesiis episcopos, presbyteros et diaconos dederat. Eodem die Romæ letania major ad Sanctum Petrum. Natale sancti Maximi martyris, qui temporibus Decii comprehensus est in Asia, et oblatus est proconsuli, qui jussit eum in equuleo suspendi, et diversis suppliciis torqueri, si magnæ Dianæ non sacrificaret, et ob hoc quia eam non coleret, jussit eum capitalem subire sententiam, hoc est in VII Kal. Maii.

VI KAL. Depositio sancti [a] Marcellini papæ, qui cum Ecclesiam novem annos et menses quatuor rexisset, et temporibus Diocletiani et Maximiani, ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio et Cyrino, et Antonino, capite truncatus est, et post dies triginta quinque sepultus via Salaria in cubiculo a Marcello presbytero, et diaconibus, cum hymnis, VI Kal. Maii.

V KAL. Nativitas Anastasii papæ, qui post beatum Petrum quadragesimus primus sedit. Hic Manichæos in urbe Roma inveniens damnavit, et constitutum fecit ut nullus transmarinus in clericatum susciperetur, nisi quinque episcoporum designaret chirographum.

IV KAL. Sancti Vitalis, qui fuit pater sanctorum martyrum Gervasii et Protasii. Hic ergo cum fuisset militans consularis, et cum fuisset cum Paulino judice suo, Ravennam ingressus est, et cum videret in conspectu judicis sui Christianum nomine Ursicinum, arte medicum, natione Ligurium, post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam; locus autem ubi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, ut diceretur ad palmam, eo quod arbores antiquæ palmæ illic essent. Ille igitur, ut diximus,
A post nimia tormenta decollandus, cum veniret ad Palmam, expavit, et dum vellet malo evadere, exclamavit voce magna Vitalis dicens : « Noli, Noli, Ursicine medice, qui alios curare consuevisti, teipsum æternæ mortis jaculo vulnerare vis? et qui per passiones nimias venisti ad pugnam, coronam perdere vis a Domino tibi præparatam? » Audiens hæc Ursicinus genu posuit, et spiculatorem ut feriret hortabatur, agens pœnitentiam quod expavisset, Christi martyrem se fecit. Eodem die natalis sancti Christophori martyris.

III KAL. Romæ passio [b] Cleti papæ, qui tertius post Petrum Romanæ urbis episcopatum annos duodecim habuit, et ibidem martyrio coronatus est sub Domitiano imperatore.

B II KAL. In Alexandria natalis Afrodisii presbyteri, et aliorum triginta. Et Romæ depositio Quirini episcopi.

MAIUS.

KAL. MAII. Hieremiæ prophetæ, et in Hierapoli [c] Philippi apostoli qui Ebionitarum hæresin exstinxit, et quievit in pace. Passio sancti Jacobi apostoli in Hierosolyma, quem Scribæ et Pharisæi posuerunt super pinnam templi; sed cum ita agerent, et viderent omnes gratulari in prædicatione ejus, præcipitaverunt eum ex alto, et corruens nihil læsus, sed magis prædicabat; tunc iratus quidam ex Pharisæis pertica fullonis cecidit fortiter in caput ejus, et evertit cerebrum, et in Hierosolyma passio
C sancti Judæ, sive Quiriaci episcopi, cui revelatum est lignum Dominicæ crucis. Eodem die in Acaurio passio sancti Sigismundi regis.

VI NON. Sancti Patris nostri Athanasii episcopi Alexandrini.

V NON. in Hierosolyma inventio sanctæ crucis ab Helena regina post passionem Domini, anno 233, regnante Constantino imperatore, filio ipsius Helenæ. Romæ, Alexandri papæ, et Eventii, et Theodoli presbyterorum, quorum primus post vincula, carceres, equuleum, virgulas et ignes, punctis creberrimis per tota membra peremptus est : sequentes et ipsi post longam carceris sustinentiam ignibus examinati, et ad ultimum decollati sunt ab Au-
D reliano judice tempore Trajani principis. Eodem die depositio sancti Philippi confessoris.

IV NON. Passio sancti Floriani martyris tempore Diocletiani et Maximiani imperatorum, sæviente iniquissimo præside Aquilino apud Nutricum Ripensem [Noricum Ripense]; qui cum se videret superatum a Floriano, jussit eum capitalem subire sententiam, et

[a] Diversæ fuerunt de Marcellino papa eodem sæculo sententiæ : illum inter sanctos recenset Rabanus, quem Nicolaus, Romanus pontifex, lapsum in idololatriam sub Diocletiano confitebatur; idemque legitur in Breviario Romano. Falsum est Donatistas illum Marcellini lapsum non allegasse; urgebant quidem ea ratione Augustinum, qui Marcellinum innocentem pronuntiavit : cum tamen ipsi Donatistæ Melciadem, qui cum Marcellino diis sacrificasse debuerat, judicem agnoverint. Inde concludas solum, jam temporibus Augustini varios de Marcellino sparsos esse rumores. Quidquid sit de lapsu, Acta concilii Sinuessani, in quibus res narratur, spuria sunt. Ibi fit mentio *libræ occidentis*, ad indicandos LXXII testes, quæ locutio non nisi temporibus Constantini fuerat in usu. BASN.

[b] Obiit Cletus an. 91 : at persecutio Domitiani, sub quo pati debuit, non nisi anno 95 cœpit, vel, secundum Toinardum, an. 94. BASN.

[c] Vide Baronium in Martyrologio.

duci ad fluvium Aneso [Anisum], et ibi præcipitari eum de ponte.

III Non. In Arelato depositio sancti Hilarii episcopi, qui Pelagianam hæresin in collatoribus deprehendit et corrigere studuit. Antisiodoro eodem die passio sancti Juviani, lectoris et martyris.

II Non. Passio beatorum martyrum Mariani et Jacobi, et aliorum qui cum iis pro nomine Christi passi sunt. Nam per revelationem eis Dominus præsignavit qualiter vitam præsentem per gloriam martyrii finire debuerunt, sicut in martyrio eorum scriptum continetur.

Nonis. In Nicomedia natalis Flavii episcopi, et Frodisii, Macrobii, Augustini episcopi; et in Constantinopoli, Achaici; Augustoduno depositio beati Placiti presbyteri.

VIII Id. Natalis sancti Victoris martyris in civitate Mediolanensi sub Maximiano imperatore. Nam idem imperator jussit beatum Victorem, qui erat Maurus genere, militis officio functus, propter fidem Christi et confessionem multis modis cruciari, hoc est carcere includi, ubi dies sex mansit sine cibo et potu, postea fecit eum fustibus et flagellis frequentibus cædi: deinde plumbo liquato corpus ejus perfundi; sed statim angelus Domini adfuit, et plumbum ita frigidum fecit, sicut aquam de fonte levatam, et non est combustum corpus ejus in ulla parte. Novissime vero, cum nullo modo ad idolorum culturam convertere potuit, sed Victor in fide Christi perseverans ubique victoriam habuit, jussit prædictus tyrannus caput ejus abscindi, quod sanctus Maternus episcopus audiens factum, collegit corpus ejus, et in prædicta civitate cum honore sepelivit.

VII Id. In Axiopoli natalis Quirilli, Gindei et Genonis; et in Tharso Ciliciæ, Aphrodisii; et Romæ natale sancti Beati confessoris.

VI Id. Sanctorum Faltoni, Pilioni et aliorum martyrum. Romæ, Calepodii, Senis presbyteri, sub Alexandro imperatore, qui eum fecit occidi a Laodicio, et corpus trahi per civitatem, atque in Tiberim jactari, die. . . . . Maiarum, quod inventum piscatores levaverunt, et narraverunt Callisto episcopo: at ille acceptum condidit cum aromatibus, et linteaminibus, et sepelivit in cœmeterio ejusdem, via Aurelia, milliario ab Urbe tertio, in crypta Vildemari: tunc decollatus est ab Alexandro Palmachius consul, cum uxore, et filiis, et aliis promiscui sexus quinquaginta duobus; cum quibus et Simplicius senator, qui per doctrinam Callisti papæ et Calepodii presbyteri nuper fuerant baptizati. Scriptum in Passione sancti Callisti papæ. Eodem die natale Gordiani martyris, qui sub Juliano impiissimo imperatore passus est. Nam prædictus tyrannus cum præcepisset memorato Gordiano vicario suo, cum adhuc paganus esset, ut Januarium presbyterum diligenter exquireret, si quo modo illum posset avertere a fide Christi: sanctus autem Januarius illum magis lucratus est Christo, et baptizavit simul cum Marina uxore sua; quod audiens factum Julianus præcepit Clementiano judici ut eum, si nollet idolis sacrificare, puniret. Nam iratus jussit inscriptionibus damnari sanctum Januarium presbyterum et beatum Gordianum, uxorem autem ejus Marinam in quadam villa, quæ vocatur Aquas Salvias, in servitio rusticorum opprimi. Cum autem vidisset Clementianus quod sanctus Gordianus nullo modo a statu fidei suæ averti posset, jussit eum primum plumbatis cædi, deinde capite truncari; quod cum factum comperissent Christiani, nocturno silentio venerunt et rapuerunt corpus venerandum sancti martyris Gordiani, et venientes in via quæ Latina nuncupatur, non longe ab urbe Roma milliario plus minus uno, posuerunt eum in crypta, sexto Idus Maias, ubi jam pridem sanctum Epimachum sepelierant.

V Id. Passio sancti Evellii martyris, qui videns passionem sancti Torpetis martyris et mirabilia quæ fecit, credidit Christo, qui antea consiliarius Neronis imperatoris fuit, qualiter Christiani martyrizarentur.

IV Id. Sancti Patris nostri Epiphanii episcopi Cypri, et Romæ sancti Pancratii, qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit. Eodem die Romæ passio sanctorum Nerei et Achillei fratrum.

III Id. Festivitas sancti Onesimi confessoris. Ipso die Mariæ martyris festivitas celebratur: quæ cum fuisset Tertulli cujusdam viri principalis ancilla, nobilitatem domini mentis benignitate vincebat, et Christo se probavit ingenuam. Hæc cum a domina sua per tormenta a fide Christi recedere cogeretur, nullo modo consensit. Propter hoc præsidi tradita est ad cruciandum; sed eam nec minæ ipsius, nec tormenta a Christo separare poterant; novissime super petram grandem ad decollandum adducta, ipsius petræ divisione facta, Christi famula illuc intravit, subitoque petra iterum semetipsam concludit, nec quemquam persecutorum ancillam Christi persequi sinebat, sed usque ad diem judicii ita conclusam servat. Eodem die in oppido Trajectense natale sancti Servatii episcopi et confessoris, qui cum Tungrensem regeret Ecclesiam tempore *quo Huni* venturi erant in Galliam, timens populo sibi commisso, ne ab Hunis vastaretur, perrexit Romam deprecaturus, quatenus per merita et intercessionem sanctorum apostolorum impetraret defensionem populi sui. Cumque ibidem jejuniis, et obsecrationibus per multorum dierum spatia in tali afflictione moraretur, fertur tale ab apostolo Petro accepisse responsum: « Quid me, vir sanctissime, inquietas? Ecce enim apud Dominum deliberatione prorsus sancitum est, Hunos in Gallias advenire, easque maxima tempestate debere depopulari. Nunc igitur sume consilium meum, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone, relinque linteamina munda. Ecce enim migraveris a corpore,

nec videbunt oculi tui mala quæ facturi sunt Huni in Galliis, sicut locutus est Dominus noster. » Accepto ergo hoc responso remeavit ad Ecclesiam sibi commissam, nuntians suis responsum beati Petri, et post non multos dies vitam præsentem finiens, migravit ad æternam requiem. Hic quoque sepultus in loco Trajectensi, cum sepulcrum ejus sub divo esset positum, nec nix, nec pluvia cecidit super eum, donec a successore ejus sancto Munulfo episcopo templum magnum in ejus honore constructum est.

II Id. Sancti Patris Pachumii [Pachomii], qui cum esset factis apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum, scripsit monasteriorum Regulas, quas angelo dictante didicerat simul et de tempore Paschali. Ipso die in Syria natalis Victoris et Coronæ, sub Antonino imperatore, duce Alexandriæ Sebastiano. Erat autem Victor miles a Cilicia, cui Sebastianus in confessione fidei confringi digitos et evelli jussit a cute; deinde illum in caminum ignis mitti, ubi triduo permanens non est læsus; deinde venenum bibere jussus, non est mortuus, sed veneficum potius ad fidem convertit; deinde jussum est nervos corporis ejus tolli; deinde oleum bulliens mitti in pudendis ejus. Post hæc jussit lampades ardentes suspenso ad latera applicari; post hoc acetum et calcem simul misceri, et dari ei in ore. Deinde oculos erui; dein triduo deorsum capite suspendi, et dum adhuc spiraret, jussit eum excoriari. Tunc Corona cum esset uxor militis cujusdam, cœpit beatificare sanctum Victorem pro gloria martyrii, et dum hoc faceret, vidit duas coronas cœlo delapsas, unam Victori, et alteram sibi missam; cumque et hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est a duce, jussumque duas arbores palmæ curvari ad invicem, et cannabinis funibus ligari coronam in utraque, manibus et pedibus, et sic arbores dimitti, quod dum fieret, divisa est Corona in duas partes. Erat autem annorum sedecim. Tum quoque Victor decollatus, et ipse victoriæ perennis triumphum meruit.

Idibus. In Syrmio natalis Timothei et sex virginum. Et in Sardinia natale Simplicii presbyteri; et in civitate Filasiana, Rosulæ.

XVII Kal. Junias. In civitate Picino Ausimo natale Diocletiani et Florentini. In Antisiodoro passio sancti Peregrini, primi episcopi ipsius civitatis. In Trecasine depositio Fidoli, presbyteri et confessoris.

XVI Kal. In Alexandria natale Adrionis, Victoris et Basillæ.

XV. Kal. Hortasi et Serapionis presbyteri, et Marci papæ, et Potamionis.

XIV Kal. Sanctæ Pudentianæ virginis, quæ fuit filia Pudentis et soror Praxedis virginis. Ipsa autem soror Praxedis et Pudentiana, omnem facultatem dividentes inter se, cœperunt vendere omne patrimonium et erogare pauperibus. In eodem vero loco ubi titulum meo nomini pater earum bonæ recordationis Pudens dedicavit, et hoc consilium inter me et famulas Christi Praxedem et Potentianam [Pudentianam] filias sacratas convenit, ut in die sanctæ Paschæ, quia desiderio earum et nimio ardore fidei urgebantur, propter familiam communem, quæ gentilis erat, in eodem titulo fontem baptismi construere studuissent; quem titulum sanctus Pius manu sua consecravit; ubi baptizata est omnis familia eorum, et ingenuitatem postea promeruit: sancta Pudentiana autem duodecimo anno vitæ suæ emigravit ad Dominum. Eodem die natali sanctorum Calocerii [Caloceri] et Parthenii, eunuchorum uxoris Decii imperatoris, quorum unus cum esset præpositus cubiculi, alter vero primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio occisi sunt. Depositio domini Alcuini.

XIII Kal. Passio sanctorum martyrum [a] Cononis, et filii ejus, in civitate Iconia provinciæ Isauriæ, regnante Aureliano tyranno, sub Domitiano comite. Nam ipse sanctus Conon habuit uxorem, et discessit, castusque permansit, habens filium, et accipiens eum mansit in solitudine. Ambulavit enim in viis Moysi, increpans fluctus, faciens mandata Dei. Erat enim prope ipso loco fluvius torrens, quem nullus poterat de vicino loco a multitudine aquæ transire: appropiante vero populo rogabant sanctum Cononem ut eo transfretaret; increpans sanctus Conon aquam statuit eam, et faciens viam eduxit eam. Descendente vero sancto Conone in monasterium suum, jubens aquis ut non currerent usque ad tempus: deinde implens se aqua inundavit plurimum. Cognoscens sanctus Conon quod factum fuisset, pergens veni ad flumen, jubens ei ut ita curreret sicut cursus ejus erat secundum misericordiam Dei: unde hactenus omnes habitantes lætantur ab eo, et subjectæ sunt ei non solum aquæ, sed et omnis ipsa terra. Completum est enim, quod scriptum est: *Quod si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicite huic monti: Transi* (*Matth.* XVII); et non solum aquis imperat, sed et fluctibus jubet. Nam prædictus Domitianus, agnoscens virtutem sancti viri, ascivit eum ad se et filium ejus, et torquere eos jussit in craticula super carbones ardentes posita, oleo in ignem fuso, sed vincere eos non potuit, quia Deus de igne eos liberavit; postea malleum ligneum afferre, et manus eorum conterere præcepit; sed ipsi in fide cœpta perseveraverunt, sicque orationem facientes tradiderunt spiritum, migrantes ad cœlestia regna.

XII Kal. In Mauritania natale Timothei, et in Ravenna Martyriæ. In civitate Antisiodorensi depositio beati Valis [Valentis] presbyteri et confessoris.

XI Kal. In Africa, Casti et Emili [Æmilii], qui per ignem passionem consummaverunt: scribit Cyprianus libro de Lapsis.

[a] De illis martyribus nos fuse disseruimus in Historia Ecclesiastica. Basn.

X KAL. Passio sancti Desiderii episcopi et martyris.

IX KAL. In Galliæ civitate Mammetis natale sanctorum Rogatiani et Donatiani, germanorum et martyrum.

VIII KAL. Romæ sancti Urbanæ papæ et confessoris [martyris], cujus doctrina multi martyrio coronati sunt.

VII KAL. In Britannia depositio Augustini, primi Anglorum episcopi. Eodem die Romæ passio Marcellini papæ, qui temporibus Diocletiani passus est, quo tempore fuit persecutio magna, ut intra triginta dies septemdecim millia hominum promiscui sexus per diversas provincias martyrio coronarentur Christiani. De qua re et ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est ut thurificaret, quod et fecit; B et post paucos dies, pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano pro fide Christi cum Claudio, et Cyrino, et Antonio, capite est truncatus et coronatus martyrio.

VI KAL. In Parisiaca civitate nativitas sancti Germani episcopi et confessoris, qui ex nobilibus parentibus natus fuit; sed licet eum genitrix ejus malitiosa mente interficere voluisset, tamen divino auxilio a periculo mortis liberatus, in pueritia sua sanctis viris ad Dei servitium nutriendum commendatus proficiebat in gratia Dei. Presbyter ordinatus a pontifice Nectario, abbas ad sanctum Symphorianum dignus assistitur: in quo officio non solum virtutibus, sed etiam signis Deo placitus esse demonstratur. Postea vero episcopus ordinatus nobiliter Parisiacam rexit Ecclesiam, multisque profuit non solum in doctrina, sed etiam et in infirmorum curatione. Ad extremum vero in omni bono perfectus octogenarius migravit ad Dominum.

V KAL. Depositio sancti Joannis papæ, quem quia orthodoxus erat, et a Justino imperatore orthodoxo Constantinopolim veniens gloriose susceptus erat, Theodoricus rex Arianus revertentem in Ravenna in custodia tentum ad mortem usque cum aliis æque catholicis viris perduxit xv Kal. Junias. Hujus meminit sanctus Gregorius in libro Dialogorum, cujus corpus, translatum de Ravenna, sepultum est in basilica sancti Petri apostoli v Kal. Junias, Olybrio consule.

IV KAL. In Treviris depositio Maximini episcopi et confessoris. Eodem die in regione Anagnia [Anaunia] juxta Tridentinam urbem passio sanctorum martyrum Sisinnii diaconi, et Martyrii lectoris, atque Alexandri ostiarii, qui sub Stilicone consule passi, coronam promeruerunt. Nam sanctus Sisinnius capite tuba percussus, atque securibus confossus est. Martyrius fustibus cæsus, Alexander vivus vinctis pedibus trahendus apponitur, ut per scopulorum itinera palpitantium membrorum partes amitteret, donec ad vitæ terminum perveniret.

III KAL. In Antiochia sanctorum martyrum Sicii A [Syci] et Palatini, qui multa tormenta propter nomen Christi passi sunt.

II KAL. Romæ nativitas Petronellæ virginis, filiæ sancti Petri apostoli, quam beatus apostolus, rogantibus fidelibus, a paralysi sanavit; sed statim ut surrexit sana, et ministerium explevit, iterum jussit eam ad grabatum redire. At ubi in Dei timore cœpit esse perfecta, non solum ipsa salvata est, sed etiam plurimis recuperavit in melius suis orationibus sanitatem. Et quoniam nimis speciosa erat, venit ad eam Flaccus comes cum militibus ut eam sibi uxorem acciperet; cui Petronella ait: « Ad puellam inermem cum militibus armatis venisti; si uxorem me habere vis, fac matronas virgines honestas ad me post tres dies venire, ut cum ipsis veniam ad domum tuam. » Factum est autem ut trium dierum acceptum spatium virgo sancta jejuniis et orationibus occuparet, habens secum sanctam virginem Feliculam, collactaneam suam, in Dei timore perfectam. Tertio itaque die veniens ad eam sanctus Nicomedes presbyter, celebravit mysteria Christi; virgo autem sacratissima mox ut Christi sacramentum accepit, reclinans se in lectulum, emisit spiritum. Eodem die martyrizati sunt beatissimi martyres Cantius, Cantianus et Cantianilla, imperante Diocletiano, et regnante Domino nostro Jesu Christo.

JUNIUS.

KAL. JUN. Sancti Nicomedis martyris ecclesiæ dedicatio, et in Thessalonica natale Octavi, et in C Antiochia, Zosimi.

IV NON. Romæ Marcellini presbyteri, et Petri exorcistæ, qui multos in carcere ad fidem erudientes, post dura vincula et plurima tormenta decollati sunt sub judice Sereno; et qui eos decollavit, vidit animas eorum splendide ornatas ab *angelis ferri* ad cœlos, et pœnitentiam agens sub Julio papa baptizatus est in senectute sua nomine Dorotheus. Ipso die in Lugduno sanctæ Blandinæ cum sexaginta octo martyribus, cui a prima luce usque ad vesperam tormenta semper innovantes, ad ultimum victos se tortores confitentur: quæ et secundo pulsata cruciatibus non superatur. Tertio quoque die, religata ad stipitem atque in crucis modum distenta, bestiis D pabulum præparatur. Quam cum nulla ex bestiis auderet attingere, rursum revocatur ad carcerem: quarto etiam verberibus acta, craticulis exusta, et multa alia perpessa, ad ultimum gladio jugulatur. Tunc et Ponticus puer annorum quindecim per omnia tormentorum genera cum ipsa circumactus, et materna ejus cohortatione roboratus ante illam martyrium consummavit. Sub Antonino imperatore, scriptum in Historia Ecclesiastica, lib. v. Eodem die natalis est Erasmi martyris, qui in Libano monte eremum petivit, ibique mansit annis septem, ubi et multa miracula fecit; hic a Diocletiano imperatore comprehensus propter fidem Christi multa passus est: quia illum jussu imperatoris nequissimi carnifi-

ces fustibus et plumbatis cædebant; plumbo, et pice, et sulphure cum cera et oleo ferventi perfundebant; postea in carcerem missum pondere ferri gravabant, quod Domini virtute in cinerem versum est, et nihil eum læsit; ipse vero mortuos suscitavit, et multos debiles sanavit. Deinde vero ab angelo Domini admonitus, in Italiam perrexit, ubi et a Maximiano imperatore multa tormenta passus, ad extremum cum palma martyrii ad æternam vitam migravit. Similiter ipsa feria Junii mensis festivitas est Bonifacii martyris, qui temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum pro nomine Christi passus est. Hunc vero sua domina, nomine Aglaes, a Romana urbe, licet cum ea adulterium perpetraverat, transmisit in loca ubi Christianorum maxima persecutio fuit, ut alicujus sancti corpus pretio acquisitum sibi afferret: ipse autem obediens dictis dominæ suæ perrexit illuc, et inter Christianos comprehensus jussu principis primum olla ferventi cum pice perfusus est, sed in nullo læsus, ab spiculatore percussus, a comitibus suis, qui secum pergebant, post martyrii palmam ad dominam suam reductus est, quæ ipsum accipiens Romæ via Latina sepelivit, ibique ecclesiam construens, Domino instanter servivit.

III Non. In Africa natale Quirini, et in Tuscia Laurentii, et aliorum quadraginta. Aurelianis civitate depositio sancti Leofardi [Liphardi] presbyteri.

II Non. In Ninive natalis Dinoci, Attali, Camari, Fyrinæ, Juliæ et Saraciæ, Cyprini.

Non. Jun. Bonifacii archiepiscopi, cujus in Fresonis [Frisia] martyrii passio peracta est, et Eobani coepiscopi ejus cum servis Dei Wintrunge, et Walthere, Scirbalde, et Bosan, Hamunde, et Æthelhere, Wancare, et Gundacare, Willehere, et Hadavolfe.

VIII Id. In Africa sancti Amantii, Lucii. In Alexandria, Andreæ, Donati et Peregrini. Depositio beati Claudii episcopi.

VII Id. In Gallia Suessionis civitate depositio sancti Medardi episcopi et confessoris, cujus vita plena virtutibus conscripta est. Nam largus fuit in eleemosynis, virtutibus clarus: prophetiæ spiritum habuit, ter quinis annis Veromandensium urbis episcopatum tenuit; ad extremum ad cœlestia migrans, Suessionensium ad urbem corpus ejus translatum est, ibique sepulcrum multis virtutum titulis claruit. Eodem die festivitas sancti Naboris confessoris.

V Id. Romæ, Primi et Feliciani martyrum, qui sub Diocletiano et Maximiniano impp. pro Christi nomine multa tormenta passi sunt. Nam Promoto præsidi ipsi nequissimi imperatores ad puniendum eos tradiderunt; qui cum videret eos nullo modo posse a Christi confessione averti, separavit eos ab invicem, et primitus Felicianum octoginta annos habentem jussit plumbatis cædi: postea vero misit eum in carcerem, et neque cibum neque aquam ei sinebat præbere. Deinde Primum similiter jussit fustibus cædi. Dein vero in amphitheatro sanctos martyres leonibus tradi præcepit, sed nullo modo ab eis læsi sunt, quod videntes turbæ crediderunt in Christum plus quam mille quingenti. Novissime vero sancti martyres a prædicto comite decollati sunt, et a cultoribus Christi in apto loco sepulti. Eodem die nativitas Getulii martyris, qui sub Adriano imperatore passus est. Nam cum esset Christianissimus, et multas eleemosynas et bona opera fecisset, traditus est ab imperatore Cereali vicario suo ad puniendum. Sed sanctus Getulius sana prædicatione convertit eum ad fidem Christi. Sicut et fecit Amantium tribunum, fratrem ipsius. Sanctus vero Sixtus papa baptizavit Cerealem, et confirmavit in fide. Postea vero cum audisset hoc factum, imperator prædictus tradidit sanctum Getulium Licinio præfecto suo, ut eum cum sociis suis, si nollet sacrificare idolis, mitteret in caminum ignis ardentem, quod cum factum esset, nullo modo ab igne læsi sunt.

IV Id. In Africa Aresi [Aresii], Rogati, et aliorum duodecim. In Hispaniis, Chrispoli [Crispuli], Restituti. In Nicomedia natale sancti Zachariæ. In Antisiodoro depositio Censuri [Censurii] episcopi.

III Id. Romæ [a] Anacleti papæ, qui primus beati Petri memoriam construxit et composuit, cum presbyter esset factus a beato Petro, et sepultus est juxta corpus beati Petri apostoli et Barnabæ apostoli.

II Id. Romæ via Aurelia, milliario quinto, passio martyris Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii, quorum Naborem et Nazarium simul cum Gorgone [Gorgonio] martyre transtulit a Roma in Galliam, Hruocgangus Metensis episcopus, permittente Paulo papa Romano, anno Dominicæ incarnationis 765, et collocavit prædictus episcopus sanctum Gorgonem [Gorgonium] in monasterio quod dicitur Gorzia, sanctum vero Naborem in monasterio quod dicitur Novacella. Sanctum quoque Nazarium in monasterio quod dicitur Lauresham, ubi signa et miracula in sanitate infirmorum et debilium sæpius fiunt.

Id. In Africa, Luciani et Fortunati. Eadem die nativitas sanctæ Feliculæ virginis, et a Flacco comite, qui voluit beatam Petronellam uxorem ducere, post obitum sanctæ Petronellæ, voluit eam accipere uxorem, sed ipsa hoc renuente, tradidit eam vicario suo in custodiam tenebrosam, ubi sine cibo et potu per septem dies mansit: postea vero levavit eam in equuleum, et ibi torquere jussit, donec emitteret spiritum, et sic præcipitavit eam in cloacam, quam sanctus Nicomedes presbyter tulit,

[a] Distinguitur hic *Cletus* ab *Anacleto*; sic etiam Baronius; tamen si veteribus credas, unus idemque fuit pontifex. Irenæus, qui certius neotericis vetera illa noverat, Anacletum recenset, Cletum omittens. Quinimo Caius ipse Romanus presbyter tredecim successores a Petro ad Victorem recensens, vel Cletum vel Anacletum debuit omittere. De Anacleto nulla mentio in Canone missæ. Sive distinguatur a Cleto, sive unum eumdemque facias cum illo, neuter attigit persecutionem Domitiani. Basn.

et sepelivit eam septimo milliario ab urbe Roma. Quod audiens prædictus comes, jussit comprehendere ipsum Nicomedem presbyterum, et duci ad sacrificandum; quod cum facere nollet, jussit eum plumbatis cædi, donec emitteret spiritum. Corpus vero ejus in Tiberim præcipitatum est, clericus vero ejusdem presbyteri, nomine et opere Justus, collegit corpus ejus, et sepelivit eum juxta muros, via Nomentana.

XVIII Kal. Julii. Elisei prophetæ, et Suessionis civitate passio sanctorum Valerii et Rufini martyrum.

XVII Kal. Nativitas sancti Viti martyris, qui sub Diocletiano et (*F.* redundat) Antonino imperatoribus multas virtutes operatus est. Fuit enim pater ejus Hylas nomine, sacrilegus et impius, qui jussu principum voluit eum avertere a cultura veræ divinitatis, sed puer sanctus permansit in confessione veræ fidei, erat enim annorum duodecim. Nam multa tormenta pro Christo passus est cum Modesto pædagogo suo, et Crescentia papatissa sua. Nam misit eos persecutor in carcerem, et in clibanum ardentem cum plumbo, resina et pice, sed non nocuit eos ignis, nec leones in ullo eos nocere potuerunt. Novissime vero juxta fluvium qui dicitur Siler quiescentes sub arbore animas suas Domino reddiderunt.

XVI Kal. Ferreoli presbyteri et Ferrutionis diaconi in civitate Visoncensi [Vesontionensi], qui sub Claudio judice ad trocleas extenti et flagellati, deinde in carcerem seclusi, et mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei: post hæc subulæ triginta utrique infixæ in manibus et pedibus et pectore: ad ultimum gladio feriuntur. Et in civitate Moguntiaco passio sanctorum Aurei episcopi, et Justinæ sororis ejus, qui ab Hunnis vastantibus prædictam civitatem in ecclesia occisi sunt.

XV Kal. In Aurelianis civitate sancti Aviti presbyteri, cujus vita miraculis coruscabat. Nam ideo scriptum est quod in nativitate ejus lumen de cœlo emissum esset, ut sanctum eum demonstraret. Hic, monachus factus, solitudinem expetivit; ibi miraculis factis populis verus Dei famulus innotuit, postea vero monasterium ibi construxit: iste quoque quemdam monachum defunctum in ecclesia, cæteris fratribus somno gravatis, oratione fusa ad Dominum a morte suscitavit. Interea quidam ex Turiensi castro, pro ejus plebiculæ salute, eorumque legatione fungens ad sanctum Avitum devotus accessit, obsecrans eum ut corpus suum ob tutelam loci ipsius castri illic concederet tumulandum: cui dignam fabricam modis omnibus nomini suo promisit construendam. At ille indignum esse fatetur hominem peccatorem, ac multis criminibus involutum, sub templorum tegmine recondendum, quin potius campis patentibus ad futuram examinationem ossa humiliata tellure sub fossa deceat reponenda; dixitque illi: « Tamen ut cordis vestri quod optat voluntas obtineat, templum in Dei nomine, si per-

A sistitis, non dissimulabo fabricandum. Nam corpus meum juxta Aurelianensem urbem a Domino decretum est collocandum. » Hic autem sanctus Dei dum temporalem vitam finivit, licet populi inter se confligerent de corporis ejus sepultura, Aurelianenses tamen victores id secum rapuerunt; super cujus tumulum Hiltiberus rex Francorum ecclesiam ædificavit, et sepulcrum ipsius pretiosis metallis adornavit.

XIV Kal. Romæ, Marci et Marcelliani martyrum, qui, temporibus Diocletiani et Maximiani, per Sebastianum militem Christi a blandimento vano mulierum revocati, ac sano dogmate confortati, pro nomine Christi passi sunt. Eodem die in Antiochia celebratur passio Marinæ virginis, quæ per Oly-

B brium præfectum multa tormenta passa est pro nomine Christi, vincula, carceres, flagella, equuleum: quam et diabolus in draconis specie similiter et in Æthiopis tentavit et subvertere voluit, sed per signum sanctæ crucis effugatus et superatus est. Novissime vero per prædictum præfectum decollata, cum sacro martyrio vitam finivit.

XIII Kal. Sanctorum Gervasii et Protasii in Mediolano, quorum sepulcra Ambrosius, Domino revelante, reperit, ac ita incorrupta eorum corpora, ac si eodem die fuissent interempti: quæ cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit; passi sunt autem sancti martyres Gervasius, et Protasius sub Astachio [Astasio], comite, qui Gervasium jussit tandiu plumbatis tundi,

C quousque spiritum exhalaret, et Protasium capite cædi; quorum pater Vitalis fuit, et mater Valeria. Paulinus, consularis vir, jussit sanctum Vitalem in equuleo suspendi et in puteum projici, et sic Deus Vitalem martyrem consecravit. Valeria autem tenta est a paganis, et tandiu ab illis cæsa est, ita ut in triduo migraret ad Christum. Romæ nativitas Ursicini martyris.

XII Kal. Translatio sancti Zenonis martyris.

XI Kal. In Moguntia natalis Albani martyris, qui sub Theodosio imperatore de insula Namsia pergens cum sancto Theonesto et Urso Mediolanum venit, indeque exiens, auxiliante Domino, pervenit ad Gallias, et in servitio Dei manens ad martyrium pro

D nomine Salvatoris promptus. Postquam autem in Augusta civitate beatus Ursus martyrium accepit, Theonestus cum Albano Moguntiacum pervenit, dumque ibi prædicaret verbum Dei, Albanus, discipulus ejus, martyrium explevit, et sepultus est ibi juxta civitatem.

X Kal. Jacobi Alphæi apostoli, et in Britannia sancti Albani martyris, qui tempore Diocletiani in Verolamio civitate, post verbera et tormenta acerba, capite plexus est: sed illo in terram cadente, oculi ejus qui eum percussit, pariter ceciderunt: passus est cum illo etiam unus de militibus, eo quod eum ferire noluerit jussus, divino utique perterritus miraculo, quia viderat beatum martyrem sibi, dum ad coronam martyrii properaret, alveum

omnis interpositi orando transmeabilem reddidisse. In civitate vero Nola natalis Paulini episcopi et confessoris, de quo Gregorius in libro Dialogorum narrat.

IX Kal. Sanctæ Edildrydæ [Edildrudis] virginis et reginæ in Britannia, cujus corpus, cum sedecim annis esset sepultum, incorruptum est inventum. Vigilia sancti Joannis Baptistæ.

VIII. Kal. Nativitas præcursoris Domini, et in Epheso dormitatio sancti Joannis apostoli et evangelistæ. Romæ, Fusci, Luceæ cum aliis viginti duo. In civitate Augustoduno depositio sancti Simplicii.

VII Kal. Thessalonicæ, Bigati, Cantani. Romæ, Luciæ virginis et Aceiæ regis.

VI Kal. Joannis et Pauli Romæ, quorum primus præpositus, secundus fuit primicerius, Constantinæ virginis filiæ Constantini, qui postea sub Juliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum campiductorem, qui deinde Christianus factus est.

V Kal. Inventio corporum sanctorum Fusciani et Victorici, atque Gentiani martyrum, quæ revelata sunt Lupicino Ambianensium presbytero, qui cum sancto Honoratio, ejusdem civitatis episcopo, ipsas reliquias collegit et in loco apto posuit : quas licet Hilder [Hildericus], rex Francorum ad se transferre vellet, tamen quia non potuit, propterea in eodem loco ædificata basilica, ipsa honorifice sepelivit. Eodem die in Ephesio [Epheso] civitate festivitas celebratur septem fratrum dormientium, hoc est, Maximiani et Malchi, Martiani [Martiniani], Dionysii, Joannis, Serapionis, Constantini, qui Decianam persecutionem fugientes post multa tormenta fugerunt in speluncam grandem in monte Celeo, et ibi in oratione assidua manserunt; quod audiens Decius imperator, jussit obstrui os speluncæ, ut ibi interirent. Mortuus est Decius imperator et omnis generatio illa, et regnaverunt alii imperatores. Post trecentos ergo septuaginta et duos annos, hoc est, tricesimo octavo anno imperii Theodosii, filii Arcadii imperatoris, quando pullulavit hæresis, volens evacuare spem fidei et resurrectionis mortuorum, ipsi septem fratres, qui in prædicta spelunca usque ad illud tempus quiescebant, suscitati sunt de somno longissimo, et cum in præsentiam hominum illius ævi adducti sunt, apprehensi a quibusdam eo quod pecuniam antiquissimam in mercatum adduxerunt ad comparandum victum sibi, quasi possessores multorum thesaurorum, cogebantur reddere quod suspicabantur tenere. Sed veritate agnita, adveniente Marino episcopo Ephesiorum, liberati sunt de manibus violentorum, et Theodosio imperatori præsentati, ob testimonium resurrectionis futuræ, iterum redibant in locum pristinum, ubi requiescent usque ad diem universalis judicii.

IV Kal. Leonis papæ, qui post Petrum apostolum quadragesimus septimus in urbe Romana sedit annos viginti unum mensem unum dies tredecim. Hic tempore pontificatus sui multa dogmata utilia fecit, et errores noxios ab Ecclesia Dei expulit.

III Kal. Romæ passio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, qui, sub Nerone imperatore Simonem Magum vincentes, uno eodemque die pro nomine Christi passi sunt. Hoc est jussu prædicti imperatoris nequissimi, Petrus cruci affixus est, et Paulus capite plexus.

II Kal. In Agrippina, Asclepii, Pamphili ; et Lemodicas [Lemovicis] depositio sancti Martialis episcopi et confessoris.

JULIUS.

Kal. Julii. In monte Hor depositio Aaron sacerdotis. Eodem die Romæ octava Lucciæ virginis, sanctimonialis, cum Auceia rege sponso suo, et natale Arelefi confessoris, qui, ab infantia Deo deditus, monasticam vitam expetivit, et a sancto Maximino Aurelianensi episcopo simul cum Avito socio presbyter ordinatus vitam solitariam desiderans, monasteria in diversis locis ædificans, multis virtutibus ante obitum et post obitum suum claruit, et sanctitas ejus plurimis profuit.

IV Non. Romæ, Processi et Martiniani, qui temporibus Neronis imperatoris passi sunt. Nam dum in custodia beati Petrus et Paulus apostoli a Paulino præfecto servabantur, hi duo viri videntes mirabilia quæ apostoli Christi fecerunt, conversi sunt ad fidem Christi, et a beato Petro apostolo sunt baptizati. Hos quoque dum prædictus Paulinus a fide vera avertere voluisset, et non posset, licet multa tormenta eis fecisset, ad extremum gladio capita jussit amputari. Et in Turonis depositio sanctæ Monegundæ virginis.

V Non. Translatio Thomæ apostoli in Edessam. Passus vero in India est.

IV Non. in Gallia, Turonis civitate, ordinatio episcopatus et translatio corporis sancti Martini episcopi et confessoris, et dedicatio basilicæ ipsius.

III Non. In Sicilia natalis Agathonis et Triphenæ [Triphinæ]; et in Tomis, Marini, Theodoti et Sodephæ [Sedophæ].

II Non. Isaiæ prophetæ, et octava apostolorum. Eodem die depositio est beati Goaris confessoris, qui in provincia Aquitaniæ ortus temporibus Hildeberti regis Francorum, statim ab infantia verus Dei cultor fuit. Hic postmodum ibi presbyter consecratus, patriam parentesque deseruit, et in ultimos Galliæ fines peregrinus sæculo et cœlestis patriæ civis excessit. Veniens ergo in provinciam quæ ripis Rheni fluminis contigua Trigoria nuncupatur, atque ad diœcesin pertinet Treverorum, infra terminos Wasaliacenses, in ea Deo libere servire delegit. Hic enim hospitalis multum fuit, et largus pauperibus, et Deo in sacris missis et psalmodiis instanter quotidie serviebat. Fecit enim mirabilia multa in vita sua, hoc est, cervam imperio suo stare fecit, ut cuidam lasso ab eo lactis potum acciperet. Dehinc ad Rusticum episcopum Trevirensem advocatus venit, ibique super solis

et sepelivit eam septimo milliario ab urbe Roma. Quod audiens prædictus comes, jussit comprehendere ipsum Nicomedem presbyterum, et duci ad sacrificandum; quod cum facere nollet, jussit eum plumbatis cædi, donec emitteret spiritum. Corpus vero ejus in Tiberim præcipitatum est, clericus vero ejusdem presbyteri, nomine et opere Justus, collegit corpus ejus, et sepelivit eum juxta muros, via Nomentana.

XVIII Kal. Julii. Elisei prophetæ, et Suessionis civitate passio sanctorum Valerii et Rufini martyrum.

XVII Kal. Nativitas sancti Viti martyris, qui sub Diocletiano et (*F.* redundat) Antonino imperatoribus multas virtutes operatus est. Fuit enim pater ejus Hylas nomine, sacrilegus et impius, qui jussu principum voluit eum avertere a cultura veræ divinitatis, sed puer sanctus permansit in confessione veræ fidei, erat enim annorum duodecim. Nam multa tormenta pro Christo passus est cum Modesto pædagogo suo, et Crescentia papatissa sua. Nam misit eos persecutor in carcerem, et in clibanum ardentem cum plumbo, resina et pice, sed non nocuit eos ignis, nec leones in ullo eos nocere potuerunt. Novissime vero juxta fluvium qui dicitur Siler quiescentes sub arbore animas suas Domino reddiderunt.

XVI Kal. Ferreoli presbyteri et Ferrutionis diaconi in civitate Visoncensi [Vesontionensi], qui sub Claudio judice ad trocleas extenti et flagellati, deinde in carcerem seclusi, et mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei: post hæc subulæ triginta utrique infixæ in manibus et pedibus et pectore: ad ultimum gladio feriuntur. Et in civitate Moguntiaco passio sanctorum Aurei episcopi, et Justinæ sororis ejus, qui ab Hunnis vastantibus prædictam civitatem in ecclesia occisi sunt.

XV Kal. In Aurelianis civitate sancti Aviti presbyteri, cujus vita miraculis coruscabat. Nam ideo scriptum est quod in nativitate ejus lumen de cœlo emissum esset, ut sanctum eum demonstraret. Hic, monachus factus, solitudinem expetivit; ibi miraculis factis populis verus Dei famulus innotuit, postea vero monasterium ibi construxit: iste quoque quemdam monachum defunctum in ecclesia, cæteris fratribus somno gravatis, oratione fusa ad Dominum a morte suscitavit. Interea quidam ex Turiensi castro, pro ejus plebiculæ salute, corumque legatione fungens ad sanctum Avitum devotus accessit, obsecrans eum ut corpus suum ob tutelam loci ipsius castri illic concederet tumulandum: cui dignam fabricam modis omnibus nomini suo promisit construendam. At ille indignum esse fatetur hominem peccatorem, ac multis criminibus involutum, sub templorum tegmine recondendum, quin potius campis patentibus ad futuram examinationem ossa humiliata tellure sub fossa deceat reponenda; dixitque illi: « Tamen ut cordis vestri quod optat voluntas obtineat, templum in Dei nomine, si persistitis, non dissimulabo fabricandum. Nam corpus meum juxta Aurelianensem urbem a Domino decretum est collocandum. » Hic autem sanctus Dei dum temporalem vitam finivit, licet populi inter se confligerent de corporis ejus sepultura, Aurelianenses tamen victores id secum rapuerunt; super cujus tumulum Hiltiberus rex Francorum ecclesiam ædificavit, et sepulcrum ipsius pretiosis metallis adornavit.

XIV Kal. Romæ, Marci et Marcelliani martyrum, qui, temporibus Diocletiani et Maximiani, per Sebastianum militem Christi a blandimento vano mulierum revocati, ac sano dogmate confortati, pro nomine Christi passi sunt. Eodem die in Antiochia celebratur passio Marinæ virginis, quæ per Olybrium præfectum multa tormenta passa est pro nomine Christi, vincula, carceres, flagella, equuleum: quam et diabolus in draconis specie similiter et in Æthiopis tentavit et subvertere voluit, sed per signum sanctæ crucis effugatus et superatus est. Novissime vero per prædictum præfectum decollata, cum sacro martyrio vitam finivit.

XIII Kal. Sanctorum Gervasii et Protasii in Mediolano, quorum sepulcra Ambrosius, Domino revelante, reperit, ac ita incorrupta eorum corpora, ac si eodem die fuissent interempti: quæ cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit; passi sunt autem sancti martyres Gervasius, et Protasius sub Astachio [Astasio], comite, qui Gervasium jussit tandiu plumbatis tundi, quousque spiritum exhalaret, et Protasium capite cædi; quorum pater Vitalis fuit, et mater Valeria. Paulinus, consularis vir, jussit sanctum Vitalem in equuleo suspendi et in puteum projici, et sic Deus Vitalem martyrem consecravit. Valeria autem tenta est a paganis, et tandiu ab illis cæsa est, ita ut in triduo migraret ad Christum. Romæ nativitas Ursicini martyris.

XII Kal. Translatio sancti Zenonis martyris.

XI Kal. In Moguntia natalis Albani martyris, qui sub Theodosio imperatore de insula Namsia pergens cum sancto Theonesto et Urso Mediolanum venit, indeque exiens, auxiliante Domino, pervenit ad Gallias, et in servitio Dei manens ad martyrium pro nomine Salvatoris promptus. Postquam autem in Augusta civitate beatus Ursus martyrium accepit, Theonestus cum Albano Moguntiacum pervenit, dumque ibi prædicaret verbum Dei, Albanus, discipulus ejus, martyrium explevit, et sepultus est ibi juxta civitatem.

X Kal. Jacobi Alphæi apostoli, et in Britannia sancti Albani martyris, qui tempore Diocletiani in Verolamio civitate, post verbera et tormenta acerba, capite plexus est: sed illo in terram cadente, oculi ejus qui eum percussit, pariter ceciderunt: passus est cum illo etiam unus de militibus, eo quod eum ferire noluerit jussus, divino utique perterritus miraculo, quia viderat beatum martyrem sibi, dum ad coronam martyrii properaret, alveum

omnis interpositi orando transmeabilem reddidisse. In civitate vero Nola natalis Paulini episcopi et confessoris, de quo Gregorius in libro Dialogorum narrat.

IX Kal. Sanctæ Edildrydæ [Edildrudis] virginis et reginæ in Britannia, cujus corpus, cum sedecim annis esset sepultum, incorruptum est inventum. Vigilia sancti Joannis Baptistæ.

VIII. Kal. Nativitas præcursoris Domini, et in Epheso dormitatio sancti Joannis apostoli et evangelistæ. Romæ, Fusci, Luceæ cum aliis viginti duo. In civitate Augustoduno depositio sancti Simplicii.

VII Kal. Thessalonicæ, Bigati, Cantani. Romæ, Luciæ virginis et Aceiæ regis.

VI Kal. Joannis et Pauli Romæ, quorum primus præpositus, secundus fuit primicerius, Constantinæ virginis filiæ Constantini, qui postea sub Juliano martyrium capitis abscissione meruerunt, per Terentianum campiductorem, qui deinde Christianus factus est.

V Kal. Inventio corporum sanctorum Fusciani et Victorici, atque Gentiani martyrum, quæ revelata sunt Lupicino Ambianensium presbytero, qui cum sancto Honoratio, ejusdem civitatis episcopo, ipsas reliquias collegit et in loco apto posuit : quas licet Hilder [Hildericus], rex Francorum ad se transferre vellet, tamen quia non potuit, propterea in eodem loco ædificata basilica, ipsa honorifice sepelivit. Eodem die in Ephesio [Epheso] civitate festivitas celebratur septem fratrum dormientium, hoc est, Maximiani et Malchi, Martiani [Martiniani], Dionysii, Joannis, Serapionis, Constantini, qui Decianam persecutionem fugientes post multa tormenta fugerunt in speluncam grandem in monte Celeo, et ibi in oratione assidua manserunt; quod audiens Decius imperator, jussit obstrui os speluncæ, ut ibi interirent. Mortuus est Decius imperator et omnis generatio illa, et regnaverunt alii imperatores. Post trecentos ergo septuaginta et duos annos, hoc est, tricesimo octavo anno imperii Theodosii, filii Arcadii imperatoris, quando pullulavit hæresis, volens evacuare spem fidei et resurrectionis mortuorum, ipsi septem fratres, qui in prædicta spelunca usque ad illud tempus quiescebant, suscitati sunt de somno longissimo, et cum in præsentiam hominum illius ævi adducti sunt, apprehensi a quibusdam eo quod pecuniam antiquissimam in mercatum adduxerunt ad comparandum victum sibi, quasi possessores multorum thesaurorum, cogebantur reddere quod suspicabantur tenere. Sed veritate agnita, adveniente Marino episcopo Ephesiorum, liberati sunt de manibus violentorum, et Theodosio imperatori præsentati, ob testimonium resurrectionis futuræ, iterum redibant in locum pristinum, ubi requiescent usque ad diem universalis judicii.

IV Kal. Leonis papæ, qui post Petrum apostolum quadragesimus septimus in urbe Romana sedit annos viginti unum mensem unum dies tredecim. Hic tempore pontificatus sui multa dogmata utilia fecit, et errores noxios ab Ecclesia Dei expulit.

III Kal. Romæ passio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, qui, sub Nerone imperatore Simonem Magum vincentes, uno eodemque die pro nomine Christi passi sunt. Hoc est jussu prædicti imperatoris nequissimi, Petrus cruci affixus est, et Paulus capite plexus.

II Kal. In Agrippina, Asclepii, Pamphili; et Lemodicas [Lemovicis] depositio sancti Martialis episcopi et confessoris.

JULIUS.

Kal. Julii. In monte Hor depositio Aaron sacerdotis. Eodem die Romæ octava Luceiæ virginis, sanctimonialis, cum Auceia rege sponso suo, et natale Arelefi confessoris, qui, ab infantia Deo deditus, monasticam vitam expetivit, et a sancto Maximino Aurelianensi episcopo simul cum Avito socio presbyter ordinatus vitam solitariam desiderans, monasteria in diversis locis ædificans, multis virtutibus ante obitum et post obitum suum claruit, et sanctitas ejus plurimis profuit.

IV Non. Romæ, Processi et Martiniani, qui temporibus Neronis imperatoris passi sunt. Nam dum in custodia beati Petrus et Paulus apostoli a Paulino præfecto servabantur, hi duo viri videntes mirabilia quæ apostoli Christi fecerunt, conversi sunt ad fidem Christi, et a beato Petro apostolo sunt baptizati. Hos quoque dum prædictus Paulinus a fide vera avertere voluisset, et non posset, licet multa tormenta eis fecisset, ad extremum gladio capita jussit amputari. Et in Turonis depositio sanctæ Monegundæ virginis.

V Non. Translatio Thomæ apostoli in Edessam. Passus vero in India est.

IV Non. in Gallia, Turonis civitate, ordinatio episcopatus et translatio corporis sancti Martini episcopi et confessoris, et dedicatio basilicæ ipsius.

III Non. In Sicilia natalis Agathonis et Triphenæ [Triphinæ]; et in Tomis, Marini, Theodoti et Sodephæ [Sedophæ].

II Non. Isaiæ prophetæ, et octava apostolorum. Eodem die depositio est beati Goaris confessoris, qui in provincia Aquitaniæ ortus temporibus Hildeberti regis Francorum, statim ab infantia verus Dei cultor fuit. Hic postmodum ibi presbyter consecratus, patriam parentesque deseruit, et in ultimos Galliæ fines peregrinus sæculo et cœlestis patriæ civis excessit. Veniens ergo in provinciam quæ ripis Rheni fluminis contigua Trigoria nuncupatur, atque ad diœcesin pertinet Treverorum, infra terminos Wasaliacenses, in ea Deo libere servire delegit. Hic enim hospitalis multum fuit, et largus pauperibus, et Deo in sacris missis et psalmodiis instanter quotidie serviebat. Fecit enim mirabilia multa in vita sua, hoc est, cervam imperio suo stare fecit, ut cuidam lasso ab eo lactis potum acciperet. Dehinc ad Rusticum episcopum Trevirensem advocatus venit, ibique super solis

radium per fenestram micantem ignorans quod solis radius esset cappam suam projecit : quod cum multi magicæ arti deputassent, coram episcopo positus juxta jussionem ejus parvum puerum, hoc est trium dierum ætate, loqui fecit, et patrem simul cum matre quis esset, patefecit. Sicque memoratus episcopus in scelere suo denudatus pœnitentiam accepit, et prædictus vir sanctus ad locum suum rediens in pace vitam finivit.

Non. Julii. In Alexandria natale Parmeni, Eraclii [Heraclii], Heliæ, Apollonii, Anovi, et aliorum decem et octo.

VIII Id. Natale Procopii in Palæstina, qui ab Scythopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionis suæ confidentiam irato judice Flaviano capite cæsus est. In pago Austriæ, et castro nomine Wirziburg juxta Moin fluvium sanctorum natale Chiliani martyris, et duorum sociorum ejus, qui ab Hibernia Scotorum insula venientes, nomen Christi in prædictis locis prædicaverunt; ibique ob veritatis confessionem a quodam judice iniquo nomine Gozberto trucidati sunt, et postea multis signis veri Christi martyres esse claruerunt.

VII Id. In civitate Tyro natale sanctorum Anatoliæ et Audacis sub Decio imperatore, quorum Anatolia cum multos in Piceno infirmos, lunaticos ac dæmoniacos curasset, ducta est, jubente Festiano [Faustiniano], ad civitatem Tyri, et diversis plagarum generibus vexata; deinde cum serpente tota nocte inclusa, nihil læsa est. Quin et ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem, mane a suo serpente devorandum eripuit, et ad Christum martyriumque convertit. Nam ipse post hæc ob confessionem veritatis in custodiam datus, nec mora, capitali sententia coronatus est. Ipsa quoque virgo Christi gladio transverberata, cum staret extensis manibus in oratione, ita ut per dextrum latus gladius missus per sinistram exiret, quæ passa est VII Idus Julii, sepulta autem mane a civibus Tyrensibus. Audax vero quia de Oriente erat, ab uxore sua et filiis illo translatus est. Eodem die, VII Iduum Juliarum, depositio sancti Patris nostri Ephrem, viri doctissimi et religiosissimi. Eodem die in Ægypto natale est Cyrilli episcopi, qui cum a Lucio duce sacrificare idolis cogeretur, et nollet hoc consentire, jussit eum dux succenso igne in medio poni, et cum arsissent omnia ligna, et esset cinis, spectantibus religiosis viris, ut ossa ejus colligerent, invenitur super pavimentum sedens extensis manibus ad cœlum : at vero videntes signum, quod Dominus in eum ostenderat, mirabantur, stupentes, quod sic intactus esset ab igne, et ob hoc multi crediderunt in Christum, postea vero prædictus dux jussit eum gladio percuti, et ille gaudens percussus reddidit spiritum.

VI Id. Romæ, septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis, id est, Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani [Silvani] et Januarii, sub præfecto Urbis Publio, tempore Antonini principis : a quibus Januarius, post verbera virgarum et carceris macerationem plumbatis occisus est. Felix ac Philippus fustibus mactati. Silanus [Silvanus] præcipitio interemptus. Alexander, Vitalis et Martialis capitali sententia puniti. Eodem die natale est Rufinæ et Secundæ, duarum sororum, quæ sub persecutione Valeriani et Gallieni Augustorum per sceleratissimum præfectum Archisilaum, eo quod fidem Christi negare et virginitatem perdere noluerunt, post varia tormenta quæ eis inflixit, ab ipso decollati sunt.

V Id. In Africa, Mariani, et depositio Benedicti abbatis et Januarii. In Armenia civitate Nicopoli, item Januarii et Pelagiæ, qui tormentis subditi, non solum ungulis, sed et testa, corpora eorum usque in diem quartum Idus eamdem passionem habuerunt.

IV Id. In Aquileia natale sanctorum Fortunati et Armigeri. Lugduno Galliæ depositio Viventioli episcopi.

III Id. In Antiochia passio Margarethæ virginis, quam Olybrius consul stuprare volens et a fide Christi avertere, multis tormentis eam afflixit, hoc est in equuleo suspensam ungulis acerbissimis jussit carnes ejus lacerare, postea in carcerem tenebrosum eam misit, ubi diaboli seductiones, qui in specie draconis et Æthiopis illi apparuit, superavit, et nihil ei illius fraus nocere potuit; novissime vero gladio persecutoris decollata est, et ad vitam migravit æternam.

II Id. Sancti Focatis [Phocæ] episcopi Ponti, qui sub Trajano imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superavit; cujus reliquiæ in basilica Apostolorum, in Galliæ civitate Vienna habentur. Lugduno Galliæ natale Justi episcopi et confessoris.

Id. Sancti Cyrici et matris ejus in portu Romano, Eutropii, Zosimæ, et Bonosæ sororum, et infantum decem; et in Sirmio Agrippini, Secundi, Maximini, Martialis et Jacobi episcopi.

XVII Kal. Augusti. In Ostia natale Hilarini, qui sub persecutione Juliani cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, martyrium sumpsit.

XVI Kal. In Carthagine Scillitanorum, *id est*, Sperati, Martialis, Cithii, Vesturii [Nartali, Cythini, Beturii], Felicis, Aquilini, Lactantii, Januarii, Generosi, Vestæ [Aquili, Letarii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ], Donatæ et Secundæ sub Saturnio [Saturnino] præfecto, qui post primam Christi confessionem in carcerem missi, et in ligno confixi, et mane gladio decollati sunt.

XV Kal. Depositio in Mettis civitate sancti Arnulphi confessoris celebratur, qui ab infantia ad Dei servitium aptus fuit. Nam primum apud aulicos regis, hoc est, Gundolfum subregulum ac rectorem palatii nutritus fuit; sed jugis illius meditatio circa monasteria vel loca sancta vigilabat, largus erat in eleemosynis, et cura illi maxima erga pauperes fuit. Postea vero episcopus Mettensium est ordinatus; in

quo gradu positus multa miracula fecit in sanitate infirmorum; cum autem illi inspiratio divina solitariam vitam in mentem dedit, ubi contemplationi divinæ jugiter vacaret, perrexit in secretum locum, et sedulo in Dei servitio laborabat, donec vocatio cœlestis ad æternam requiem illum perduxit.

XIV Kal. Sancti Patris nostri Arsenii, de quo in verbis seniorum refertur quia propter redundantiam lacrymarum tergendam sudarium semper in manu sua vel sinu habuerit.

XIII Kal. In Africa natale Luciani, Petri, Amabilis et Nunninæ; et Thebaidæ, Victuris [Victoris], et in Damasco, Savini [Sabini].

XII Kal. Sancti Danielis prophetæ. Romæ, Praxedis virginis, quæ fuit soror Potentianæ, et temporibus Antonini imperatoris multos Christianos de sua substantia fovebat. Cum autem divulgatum esset Antonino imperatori quod conventus fieret in titulo Praxedis, misit et tenuit Symmetrium presbyterum, cum aliis viginti duobus, quos sine interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo, quorum corpora beata Praxedis collegit et sepelivit in cœmeterio Priscillæ sub die VII Kal. Julii. Tunc afflictione constricta beata Praxedis ingemuit, et oravit ad Dominum ut transiret ex hoc mundo, cujus orationes et lacrymæ ad Dominum Jesum Christum pervenerunt. Post martyrium sanctorum supra dictorum et coronam, migravit ad Dominum virgo sacrata sub die XII Kal. Augusti. Et apud Tiburtinam urbem Italiæ natale Symphorosæ cum filiis septem, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio; cum quibus simul passa est ab Adriano principe, qui ipsam Symphorosam jussit palmis cædi, deinde suspendi crinibus; sed cum superari nullatenus posset, jussit eam alligato saxo in fluvio præcipitari: cujus frater Eugenius, curiæ principalis Tiburtinæ, colligens corpus ejus sepelivit, et mane imperator jussit septem figi stipites, ibique filios ejus ad trocleas extendi, et Crescentem in gutture transfigi, Lucianum in pectore, Nemesium in corde, Primitivum per umbilicum, Justinum per membra distensum scindi per singulos corporis nodos atque juncturas, Stacteum lanceis innumerabilibus donec moreretur, in terram configi, Eugenium findi a pectore usque ad inferiores partes. Altera autem die veniens Adrianus imperator ad fanum Herculis, jussit corpora eorum simul auferri, et projici in foveam altam. Post septem vero dies, in die octavo martyrii eorum, filiam Adriani imperatoris arripuit diabolus, et veniens ad locum ubi obruti erant sancti, clamabat per os ejus diabolus dicens: « Domini mei septem germani martyres Christi, incenditis me miseram. » Ipse autem Adrianus similiter arreptus a dæmonio miserabiliter vitam corporalem finivit. Eodem die in civitate Verona translatio sancti Zenonis martyris, cujus beatus Gregorius in libris Dialogorum meminit. Eodem die passio est Victoris, Massiliensis episcopi, qui sub Diocletiano, et Maximiano imperatoribus propter fidem Christi per Arterium præsidem trucidatus est simul cum militibus Eleutherio, Feliciano et Alexandro. Nam cum memoratus episcopus prædictis militibus ad custodiendum in carcerem traditus esset, ibi angelica visione visitatus est. Unde ipsi custodes videntes ibi lumen splendidum, cadentes ad beati Victoris genua, remedium ab eo implorant: quos cum sanctus episcopus baptizasset, et ipsi in confessione nominis Christi usque in finem perseverassent, martyrio coronati sunt. Similiter et episcopus jussu imperatoris decollatus est. Unde et post martyrium sanctorum expletum, Maximianus imperator dæmonum infestatione valde torquebatur, qui inter pœnas ad Arterium præsidem clamare cœpit ac dicere: « Heu incidor miser a sanctis viris ac torqueor: qui ut video jam et nos excludimus a luce, quam tulimus, torquet et pœna quam dedimus; majus est, quod recepimus, quam quod intulisse probamur; » qui usque ad quartum diem tortus, die quinto a semetipso laqueatus et jam omni putredinis squalore decoctus, vermibus bulliens, in tirocinio vitæ suæ malum digna morte finivit.

XI Kal. Nativitas Mariæ Magdalenæ. In Antiochia natale sanctorum Cyrilli episcopi, Andreæ; et in Anquira [Ancyro] Galatiæ natalis sancti Platonis, cujus gesta habentur.

X Kal. Depositio sancti Apollinaris episcopi in Ravenna, qui Romæ ordinatus ab apostolo Petro, et illuc missus est; qui etiam in Æmilia prædicavit et in partibus Corinthiorum, et in Mysia et in ripa Danubii, et in partibus Thraciæ, in quibus locis exsilio relegatus est, et ubicunque pervenit, innumeras virtutes fecit et passiones sustinuit: nam nimia cum cæde mactatus est, et rursum diutius fustibus cæsus, ac nudis pedibus super prunas impositus, rursus cæsus et equulo appensus tortus est, et saxo os ejus contusum est, et cum gravissimo ferri pondere inclusus in carcere horrifico, atque in ligno extensus est, ubi ab hominibus quidem neglectus, sed ab angelo publice pastus est. Deinde catenatus in exsilium directus est, in quo rursum diutius fustibus cæsus, et rursus in Ravenna ligatus, a paganis cæsus et vulneratus est, et rursum in carcerem missus et cæsus. Sic martyrium consummavit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene patricio; rexit Ecclesiam annis viginti octo, diebus quatuor.

IX Kal. In Tyro civitate natale sanctæ Christinæ virginis, quæ in Filium Dei credens, et cultui ejus deserviens, non potuit ab Urbano patre suo ullo modo inde divelli, sed idola ejus conterens dispersit, et dedit ea pauperibus; ob quod factum pater ejus multis tormentis eam afficiebat, hoc est, plumbatis eam cædebat, similiter et virgis nudam flagellabat, et duodecim homines fustibus cædebant, et carnes ejus ab ossibus solvebant. Postea eam ignibus uri præcepit, sed non prævaluit. Deinde saxo ad collum ejus ligato in mare præcepit eam mergere, sed Domini auxilio inde liberata est. Cum autem propter scelera sua pater ejus exstinctus est, ab aliis judicibus, hoc

est Dione et Juliano, multa tormenta passa est, sed Dei judicio exstinctis hostibus, per martyrium migravit ad Christum. Eodem die natale est sancti Victorini, qui cum fratre Severino audiens vocem Dei in Evangelio dicentis ad divitem : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus*, et reliqua (*Matth.* x); reliquerunt ambo fratres mundi divitias, et omnia sua dispensantes pauperibus, ereniticam vitam elegerunt, ibique nobiliter vixerunt, licet Victorinus ad tempus delusus fuisset a diabolo, sed tamen Domini gratia de inimico victor existens nobiliter triumphavit, sicut in Vita illorum pleniter narratur.

VIII Kal. Nativitas sancti Jacobi Zebedæi apostoli. Eodem die Romæ natale Eutyciani [Eutychiani] papæ et martyris. Hic constituit fruges super altare tantum fabas et uvas benedici. Hic temporibus suis per diversa loca trecentos quadraginta unum martyres manu sua sepelivit. Qui hoc constituit ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica et colobio purpurato nulla ratione sepeliret : quod tunc usque ad notitiam sibi divulgaretur. Eodem die passio est sancti Christophori martyris, qui in Samo civitate a Dagno rege martyrizatus est. Nam per varia tormenta rex illum cruciare jussit. Sed vir sanctus impetravit a Domino ut multi crederent per ipsum in Christo, nec non et ipsum regem, qui sagittæ ictu oculum perdidit, sanguinis sui gutta post passionem suam sanavit, sicut ei ipse ante prædixit, et ad fidem Christi convertit.

VII Kal. In Laodicia Phrygiæ natale sanctorum Joviani et Juliani.

VI Kal. In Syria Simeonis monachi. In Campaniæ civitate Nola natale Felicis, et in alio loco Juliæ et Jocundæ. In civitate Antisiodoro natale sancti Etheri [Etherii] episcopi.

V Kal. Romæ, Victoris papæ et martyris, qui constituit in Ecclesia ut faciente necessitate ubi inventum esset, sive in flumine, sive in fonte, sive in mari, tantum Christianæ credulitatis confessione declarata, quicunque hominum veniens ex gentili baptizaretur : et sepultus est juxta corpus beati Petri apostoli in Vaticano. Eodem die Romæ depositio sancti Innocentii papæ. Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, et de regulis monasteriorum, et de Judæis, et de paganis, et multos Cataphrygas invenit, quos exsilio monasterio relegavit; et hic invenit Pelagium, et Cœlestinum hæreticos, et damnavit eos, et hoc constituit ut qui nati fuerint de Christiano [*Forte add.* debeant] denuo nasci per baptismum, hoc est baptizari, quod Pelagius damnavit.

IV Kal. Depositio sancti Lupi episcopi de Trecas, qui cum Germano venit Britanniam, et quinquaginta duos annos ibi sacerdotio functus est : qui tempore regis Attilæ, qui Galliam vastabat, sicut in hymno ejus cantatur, dum bella cuncta perderent, orando Trecas munivit. Romæ eodem die passio Felicis papæ et martyris. Hic Felix declaravit Constantium filium Constantini esse hæreticum, cum secundo rebaptizaretur ab Eusebio, Nicomediensi episcopo, et juxta præcepta ejusdem Constantii Augusti martyrio coronatur et capite detruncatur. Aurelianis civitate depositio beati Prosperi episcopi, doctissimi viri et sanctissimi. Eodem die passio celebratur Simplicis [Simplicii] et Faustini germanorum, qui sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus in urbe Romana propter fidem Christi decollati sunt. Similiter et germana eorum, Beatrix nomine, eo quod corpora eorum cum Crispo et Joanne presbyteris sepelivit, a Lucretio præfecto præfocata reddidit spiritum, et usque in finem vitæ in Christi confessione perseveravit. Lucretius vero ab immundo spiritu arreptus in convivio suo exspiravit.

III Kal. Romæ, Abdo et Sennis [Abdon et Sennen] subregulorum, qui cum Curnula civitate Persarum vincula paterentur a Decio, ad ultimum duxit eos Romam catenis obligatos, et diversis pœnis maceratos, ubi primo plumbatis cæsi, et inde gladio interfecti sunt. Antisiodoro depositio Ursi episcopi.

II Kal. In Africa civitate Sinnada natale sanctorum Democriti, Secundi, Dionysii, Thyrsi : Antisiodoro depositio sancti Germani episcopi et confessoris, qui multis virtutibus, doctrina et continentia clarus, etiam Bretonum [Britonum] fidem per duas vices a Pelagiana hæresi defendit. Et in Vercellis, Eusebii episcopi, qui moventibus persecutionem Arianis sub Constantio principe martyrium passus est.

AUGUSTUS.

Kal. Augusti. Sanctorum Machabæorum septem fratrum cum matre sua, qui passi sunt sub Antiocho rege. Romæ dedicatio primæ ecclesiæ a beato Petro constructæ et consecratæ.

IV Non. Romæ Stephani papæ, qui martyrio coronatus est in persecutione Valeriani principis. Eodem die natale sanctæ Theodoræ cum tribus filiis suis, in provincia Bithyniæ, urbe Nicææ, tempore Diocletiani sub comite Leucadio, qui hanc ferro vinctam cum filiis consulari Bithyniæ Nicetio destinavit. At ille primo ejus filium primogenitum Evodium Christum fiducialiter confitentem fecit fustibus cædi. Deinde illam cum omnibus filiis igne consumi. Scriptum in passione sanctæ Anastasiæ.

III Non. In Antiochia sancti Stephani protomartyris, ubi haberi dicitur unus de lapidibus quibus in brachio percussus est, et multas ex eo virtutes sanitatum fieri. Eodem die in Hierosolymis inventio corporis ejusdem beati Stephani martyris et sanctorum Gamalielis et Nicodemi.

II Non. Sancti Justini confessoris Christi : de quo narratur in passione Xisti atque Laurentii, quod multos ad fidem Christi converteret, nec non et sanctorum martyrum sepeliret.

Non. In civitate Augusta passio sanctæ Afræ martyris, cujus conversio et vita, nec non et passio, conscripta habetur. Et alibi natale sanctorum Flo-

riani et Philistinæ. In civitate Catalaunice depositio Memmci [Memmii] episcopi et confessoris, de quo legitur quod a beato Petro apostolo in Romana urbe episcopus ordinatus missus fuisset in Galliam simul cum sancto Dionysio et sancto Sexto, atque sancto Euchario ad prædicandum verbum Dei, qui etiam virtutes multas fecit, et novissime nobiliter vitam præsentem finiens, ad requiem migravit æternam.

VIII Id. Romæ sancti Sixti episcopi, Felicissimi, et Agapeti [Agapiti] diaconi, qui decollati sunt sub Decio. Decollati sunt cum eo et alii quatuor diaconi, Januarius, Magnus, Vincentius [Innocentius] et Stephanus, ut in Gestis pontificalibus legitur.

VII Id. In Aricio, Donati episcopi et martyris, qui, ut Gregorius in libro Dialogorum meminit, fractum a paganis calicem sanctum ad missas orando restauravit. Mediolano nativitas sancti Faustini.

VI Id. Sancti Cyriaci martyris, qui a beato Marcello papa diaconus ordinatus simul cum Sisinnio socio multa miracula fecit, sub Maximiano imperatore, et dæmones ab obsessis hominibus expulit: novissime vero per Carpasium vicarium jussu Maximiani decollatus est cum aliis numero viginti uno.

V Id. Romæ, sancti Romani militis, qui, confessione sancti Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari, et mox, jubente Decio, cum fustibus exhibitus et decollatus est. Et in Verona civitate passio sanctorum martyrum Firmi et Rustici, qui tempore Maximini [Maximiani] imperatoris et Anulini, consiliarii ejus, passi sunt.

IV Id. Sancti Laurentii sub Decio, qui post plurima tormenta carceris, verberum diversorum, laminarum ardentium, ad ultimum in crate ferrea assatus martyrium complevit.

III Id. Romæ natale sanctæ Susannæ virginis, quæ fuit filia Gabini presbyteri, patris Gai [Caii] papæ. Hæc ergo virgo sub Diocletiano imp. passa est, eo quod nollet Maximo filio suo in conjugio sociari, sed in virginitate permanere. Hortante eam Gaio [Caio] episcopo, nec non et Serena Augusta, ut stabilis permaneret in fide Christi et castitate perpetua. Propter hoc jussit eam Diocletianus post alia tormenta in domo propria percuti, et sic martyrium consummavit. Prædicta vero Serena Augusta collegit corpus sanctæ virginis, et sanguinem quem fuderat in eodem loco cum suo velamine tersit, et posuit in capsam argenteam in palatio suo. Ubi diu noctuque furtivis vicibus orare non cessabat, corpus autem sanctæ Susannæ ipsa manibus suis ornavit cum linteaminibus et aromatibus, et posuit juxta corpora sanctorum in cœmeterio Alexandri [a]. Eodem die passio sancti Tiburtii martyris, de quo scriptum est in passione sancti Sebastiani martyris, quod conversum ad fidem Christi et baptizatum a Polycarpo presbytero, sanctus Sebastianus eum a fonte baptismatis suscepisset, fortiter paganis et infidelibus resisteret. Nam jussu Fabiani præsidis super prunas ardentes nudis pedibus incedens, in nullo læsus est: postea vero a prædicto Fabiano, machinante Torquato apostata, gladio transverberatus martyrium explevit; posthæc autem Torquatus egit ut Castulus, cetarius palatii, hospes sanctorum, fuisset arctatus, et hic tertio appensus, tertio auditus, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, et dimissa est super eum massa arenarii, et ipse cum palma martyrii migravit ad Christum. Quod cum fortiter pertulissent, et laudem Domini cantassent, jussit eos iniquus judex ambos ibi ubi stabant lanceis per latera verberari, et ipsi per martyrii gloriam ad siderea regna migrarunt. Eodem die depositio beati Gaugerici episcopi, qui in Eposio castro ortus fuit. Hic statim in juventute meditationi legis Dei et psalmodiæ intentus fuit. Post vero a beato episcopo Rhemensium civitatis, in Cameracorensi [Cameracensi] civitate episcopus est ordinatus; qui multis virtutibus claruit, maxime in absolutione vinctorum qui in carceribus custodiebantur. Cum ergo eos a præsidibus qui illos in carceres miserant, absolvi non posset impetrare, ad Dominum prece fusa absolvere promeruit, qui etiam cæcos illuminavit et infirmos curavit. Cum autem in episcopatu suo triginta tres annos feliciter explevit, ad Dominum migravit; quod multis indiciis miraculorum juxta sepulcrum ejus ita factum claruit.

II Id. In Sicilia civitate Catinensium natale Eupli [Euplii] diaconi, qui cum diutissime torqueretur, decollatus est a Calvisiano consulari, tempore Diocletiani et Maximiani.

Idib. Romæ, sancti Hippolyti, qui tempore Decii ligatus pedibus ad colla indomitorum equorum, sic per carduos ac tribulos tractus emisit spiritum, et Concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit, et aliorum novemdecim de domo ejus, qui simul decollati sunt. Eodem die natale sancti Cassiani Romæ, qui cum adorare idola noluisset, interrogatus a persecutore quid artis haberet, respondit quia pueros notas doceret; et mox spoliatus vestibus, ac manibus post terga revinctis, statuitur in medio, vocatisque pueris, quibus docendo exosus factus erat, data est facultas eum perimendi; at illi quantum doluerant discentes, tantum se ulcisci gaudentes, alii eum tabulis ac buxibus (*sic ms.*) feriebant, alii stylis vulnerabant: quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat. De quo scripsit Prudentius

[a] Eadem habet Beda: attamen hanc historiam penitus ruere monet Baluzius ad Lactantium: 1. enim falsum est Serenam fuisse Augustam, cum unicam uxorem duxerit Diocletianus nomine Priscam. 2. Fallitur Rabanus, qui credat Diocletiano fuisse filium, cui Susannam conjugio jungere propriamque dicare voluerit; quippe nullos habuit filios Augustus, sed Valeria ejus filia Galerio nupsit. 3. Illa denique Valeria conjugi supervixit et miserabili morte obiit sub Licinio. Videas tamen hac de re Aringhum Romæ Subterraneæ l. IV, c. 79, qui hæc subjicit ex cod. ms.: « Posuit juxta corpora sanctorum Chrisanthæ et Dariæ via Salaria in arenario juxta sanctum Alexandrum in civitate Teiguna III Id. Aug. » Susannæ ecclesiam a fundamentis restituit Leo III. Basn.

poeta. Item eodem die Pictavis civitate depositio sanctæ Radegundis reginæ et in Germania provincia sancti Vigeberechti [Vuigberti] presbyteri et confessoris.

XIX Kal. Septemb. Natale sancti Eusebii presbyteri et confessoris, qui sub Constantio imperatore Ariano, machinante Liberio [a] præsule similiter hæretico, confessionem suam complevit. Nam prædictus Constantius subrogatu Liberii includit Eusebium presbyterum in quoddam cubiculum domus suæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, et ibi multis mensibus in oratione constanter perseverans, inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit, Nona decima Kal. Septembris, cujus corpus collegerunt Gregorius et Orosius presbyteri, et parentes ejus, et sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti martyris et episcopi, via Appia in cœmeterio Callisti, ubi et titulum ipsius scribentes posuerunt pro commemoratione ejus : *Eusebio homini Dei.* Eodem tempore auditum est a Constantio imperatore eo quod Gregorius et Orosius presbyteri colligerent corpus Eusebii presbyteri, et in eadem crypta vivum includi præcepit Gregorium. Tunc Orosius presbyter collegit semivivum beatum Gregorium noctu occulte propter Constantium Augustum, et emisso spiritu sepelivit eum juxta corpus sancti Eusebii presbyteri.

XVIII Kal. Assumptio sanctæ Mariæ, et in Nicomedia natale sanctorum Stratonis, Philippi et Eutychiani, cum sociis eorum.

XVII Kal. In Alexandria natale sanctorum Orionis, Æmilii, Agnati. In Perside natale sancti Thyrsii cum sociis suis.

XVI Kal. In Cæsarea Cappadociæ, Mammetis, qui temporibus Aureliani tyranni, quando persecutio maxima fuit Christianorum, cum puer esset decem annorum, relictis omnibus fugit in montem cum pecoribus suis quæ ibidem pascebat, et lacte eorum vescebatur : ubi visitatio divina super illum venit, atque præsignavit qualiter pro Christi nomine pati deberet. Ergo cum feræ sylvestres ad eum venissent, ipseque sedens quotidie Evangelium legeret, mansuetissime circa eum versabantur, earumque lacte servus Dei et se et alios pauperes in alimoniis juvabat. Cum audisset hoc Alexander præses, eum inter feras communiter vivere, magicæ arti hoc deputavit : vocatumque ad se multis tormentis afflixit, hoc est equuleo suspensum torquebat, in caminum ignis ardentis misit, et in nullo eum ignis lædere potuit : postea eum lapidare jussit, in tantum ut collectis lapidibus et in Christi martyrem projectis pene coopertum corpus esset, quem persecutor mortuum credens secessit, sed Dominus martyrem suum illæsum servans, postea divina vocatione ad cœlestia regna eum arcessivit, sicque in pace animam reddens ad æternam requiem migravit.

XV Kal. Natale sancti Agapeti martyris, qui sub Antiocho rege cum esset puer annorum quindecim pro fide Christi passus est; hic nervis cædebatur et flagellis atrocissimis, fumum ignis adhibuerunt, et caldam bullientem fuderunt super ventrem ejus, sed nihil illi nocuerunt; ad extremum decollatus est, et sic martyrium suum complevit.

XIV Kal. Natale sancti Magni, seu [*pro item*] sancti Andreæ martyris cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem.

XIII Kal. Samuelis prophetæ. In Alexandria natale Dioscori, et alibi depositio Filiberti abbatis. In Lucania, sanctorum Valentiniani, Leontii. In Sinnada civitate natale sanctorum Piricii, Arci, Maximi confessoris, Pamphili, Coloni confessoris.

XII Kal. In Hispaniis nativitas sanctorum Vincentii et Juliani. In Sardinia natale sanctorum Luxuri [Luxorii], Trajani. In Gavali vico Minatensi natale sancti Privati martyris.

XI Kal. Sancti Timothei, qui ab Antiochia veniens Romam sub Miltiade papa susceptus est in hospitium a Sylvestro, qui postea episcopus factus est : qui cum annum totum et aliquot menses ibi prædicans multos ad Christum convertisset, tentus a Tarquinio Urbis præfecto, et longa carceris custodia maceratus cum sacrificare idolis noluisset, tertio cæsus, ac gravissimis suppliciis attrectatus, ad ultimum decollatus et juxta beatum Paulum Apostolum sepultus est. Scriptum in historia sancti Sylvestri. Eodem die Augustoduno passio sancti Symphoriani martyris.

X Kal. Passio trium fratrum sub Lysia præside in provincia Lycia, civitate Ægea, hoc est, Claudii, Asterii, Neonis, quos singillatim præses torqueri præcepit, primum Claudium equuleo suspendi, flammas pedibus ex parte laniatis adhiberi, testa acutissima et candela ardente latera ejus aduri; Asterium vero fratrem ejus similiter jussit in equuleo suspendi, carbones ardentes sub pedibus ejus substerni; tertium fratrem ejus, hoc est Neonem, jussit in cervice torqueri, carbones super mitti, et nervis dorsum ejus cædere. Mulieres autem, hoc est, Domninam [Donninam], et Theonillam projicere in terram, et alapis eas cædi, et capita tondi [tonderi], et sic carbonibus succendi : ad extremum vero corpora eorum sacco inclusa in mare jussit demergi.

IX Kal. Natale Bartholomæi apostoli, qui nomen ex Syra lingua suscepit, et interpretatur *filius suspendentis aquas*. Lycaoniam [In Lycaonia] prædicavit : ad ultimum in Albano majoris Armeniæ urbe vivens a barbaris decoriatus, atque per jussum regis Astyagis decollatus, sicque terræ conditus, IX Kal. Septembr.

VIII Kal. Passio Genesii martyris sub imperatore Diocletiano, qui fuit primum sub gentilitate arte mimus, sed postea Christi confessor factus, multis modis a persecutoribus est cruciatus, hoc est fustibus cæsus, equuleo suspensus, flammis adustus, novissime decollatus.

[a] Quis ille Liberius præsul? an pontifex Romanus, qui sub Constantio fidem orthodoxam dejeravit? Eusebii Acta mss. habuit Baronius : rem tamen non aperuit. Bas.

VII Kal. Natale Herenæi [Irenæi] et Abundii Romæ, quos Deciana persecutione jussit Valerianus in cloaca necari: eo quod corpus beatæ Concordiæ in cloacam missum levaverint, et ipsorum quoque corpus levavit Justinus presbyter, et sepelivit in crypta juxta beatum Laurentium.

VI Kal. In Gallia Arelato civitate depositio sancti Cæsarii episcopi. Augustoduno depositio sancti Syagrii episcopi.

V Kal. In Africa depositio sancti Augustini episcopi, qui primo de sua civitate propter barbaros Sardiniam translatus, nuper a Luitbrando rege Longobardorum Ticinis [Ticinum] relatus et honorifice conditus est. Eodem die natale sancti Hermetis martyris.

IV Kal. In Venusio, civitate Apuliæ, natale Felicis episcopi civitatis Tubrozensis, et Januarii presbyteri, et Fortunatiani et Septimini, lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magnelliano procuratore XVIII Kal. Julii, inde multis diu vinculis et carceribus macerati, et in Asia, et in Sicilia, tandem in occisione gladii consummati sunt. Natale sanctæ Sabinæ martyris. Eadem die celebratur decollatio sancti Joannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria : porro caput de Jerosolymis ad Phœnicis urbem Emissam [Edessam] delatum est.

III Kal. Romæ natale sanctorum martyrum Felicis et Audacti, Gaudentiæ virginis cum reliquis tribus, et depositio Agili abbatis.

II Kal. Treviris depositio sancti Paulini episcopi et confessoris, qui cum pro fide catholica a Constantio imperatore filio Constantini exsiliatus fuisset, ibidem requievit.

SEPTEMBER.

Kal. Septemb. Cennomannis civitate Galliæ natale Victoris [Victorii] episcopi. Nam dum sanctus Martinus Turonensis episcopus perrexit ad sepeliendum Leporium, pontificem supradictæ urbis, et venisset ad oppidum, respiciens vidit hominem operantem in vinea, eratque clericus, subdiaconi officium adeptus : revelatumque est sancto Dei eo quod ipse esset successurus in episcopalem locum : vocavitque illum sanctus Martinus ad se dicens illi : « Benedic me, domine Victor. » Cui ille : « Benedic tu mihi, domine mi, et benedictus sermo tuus. » Sicque jussu sancti viri secutus est eum, quem, convocata plebe atque coadunata, ordinavit episcopum, ejusque filium, Victorinum nomine, baptizavit, et secum ad nutriendum ad Dei servitium tulit : quem etiam post obitum patris defuncti eidem civitati ordinavit episcopum.

IV Non. Lugduno Galliæ depositio Justi episcopi et confessoris · cum post diaconatum antistes ordinatus est, tanta puritate, modestia, pietate, patientia, per multos rexit annos, tanta circa pauperes cura, tanta divinorum mandatorum observantia, ut etiam magnificos atque præstantes illos Domini sacerdotes omni præiret gratia virtutum, sed ita ingenti gloria suæ plebis, populi Domini Ecclesiæ præsideret, usque ad expulsionem ejus frementis diaboli exarsit invidia. Hunc ergo cum seditio populi persequebatur, post multas tribulationes in peregrinationem perrexit atque solo secum comitante puero in Ægyptum pervenit, ibique inter anachoretas strictissimam vitam duxit et nobiliter conversatus est : quem sanctus Antiochus, presbyter Lugdunensis, pio incitatus officio usque ad visitandum suum episcopum pergere animo intendit, quem etiam ad se venturum sanctus Justus episcopus prædixit his qui secum erant. Post aliquot vero dies sanctus Dei migrans de hoc sæculo, ossa sua ad sedem suam divino nutu transferri promeruit, ibique honorifice sepeliri.

III Non. In Alexandria, Aristippi episcopi; et in Syria, Antonini pueri annorum viginti, et Aristonis episcopi, et in Caudis, Vitaliani.

II Non. In urbe Cabilonensi natale sancti Marcelli martyris, qui sub Antonino imperatore per Priscum præsidem passus est. Nam cum nollet idola adorare, multipliciter torquebatur. Sanctus ergo martyr in animo cœlesti virtute roboratus, secundum loca idolorum, ita et supplicia commutabat, equuleis extensa membra catenarum stridore laniat, ignium globibus (*Ita ms.*) urit, et dissolutis ictibus artus exusta corporis elementa jungebant : sed athleta fortissimus, auctoris sui Jesu Christi intra viscera retinens passionem, gloriosiore certamine triumphabat, et antiquam fidem tormentorum novitas mutare non poterat. Hoc semper iniqui persecutoris interrogationi respondens, fieri nequaquam posse ut qui Deum vivum sensibus recepisset, saxa sensu carentia aut simulacra dæmonum adoraret; quem nequissimus præses, cum in suppliciis divini favoris gratia adverteret fortiorem, inaudito crudelitatis exemplo, plus quam furore persecutoris insaniens, defodi eum cingulo tenus jussit, sed triduo in laudibus Christi omnipotentis Domini ac Dei sui ore et amore perdurans, interim terris membra terrena commendans, spiritum sanctum emisit ad cœlos.

Nonis. In portu Romæ natale Taurini, Eraculani [Herculani], et in Alexandria, Nymphi et Saturnini, et depositio beati Ingenui episcopi, et in Campania, Quinti. In Galliis, civitate Vesontione, natale sanctorum Ferreoli et Ferrutionis.

VIII Id. Zachariæ prophetæ. Romæ via Salaria, milliario ab Urbe quinquagesimo, natale sancti Eleutherii episcopi. In territorio Cappadociæ, civitate Ruclensi, natale sancti Cuttidi [Cottidi], Eugenii episcopi et sociorum ejus.

VII Id. Natale sancti Chlodoaldi confessoris. In Campania natale Innocentii, et in Benevento Januarii, Festi, Acuti, et sancti Synoti et Desiderii. Arelato, Galliæ civitate, natale sancti Augustalis episcopi. Aurelianis civitate sancti Evortii episcopi et confessoris, qui post Desinianum ipsius Ecclesiæ episcopatum meruit; qui etiam divino nutu per columbæ speciem Spiritus sancti electione ad episcopatum

percipiendum dignus ostensus est, sicut in Vita ejus conscriptum legitur. Hic nobili et sancta conversatione dies suos complevit, et miraculis claruit, ipseque diem obitus sui per revelationem agnoscens, sanctum Annianum episcopum futurum, ne seditio in populo oriretur, prælegit, sicque ad cœlestem gloriam transivit. Æduæ civitate in Galliis, loco Alisiana, natale sanctæ Reginæ martyris, cujus gesta habentur.

VI Id. Natale sanctæ Dei genitricis. Et in Nicomedia, sancti Adriani martyris cum aliis viginti tribus; et in suburbanis Moguntiacensis Ecclesiæ natale sancti Disibothi confessoris.

V Id. Romæ, Gorgonii martyris et Candidi, Cyrini, Domiciani, Eunoici, Sisinnii, Erachilii, Alexandri, Joannis, Claudii, Athanasii, Valentis, Eliani, Melicii, Ecdicii, Acacii, Jubiani, Eliani, Theoduli, Cyrilli, Flavii, Severiani, Valerii, Chudionis, Sacerdonis, Prisci, Evacii, Juvenalis, Philoctimonis, Etii, Micalli, Lysimachi, Theophili, Euticii, Xanthii, Aggii, Leontii, Insitii, Gaii, Basilidis. Hi omnes simul quadraginta passi sunt temporibus Licinii imperatoris et Agricolai præsidis, et Lysiæ ducis. Eodem die in Sabinis passio celebratur Jacinthi diaconi et martyris, qui a Luxurio persecutore traditus est consulari Leontio. Hic cum non posset eum compellere ut sacrificaret idolis, misit in ignem, qui statim exstinctus est; postea misit eum in aquam, sed sanus ad littus reductus est. Luxurius vero cum a serpente percussus, juxta quod sanctus vir ei prædixerat, tumidus in via jaceret : nam serpens cum juxta arborem præteriret, cecidit per caput ejus inter collum et capitium tunicæ, et sic in ventrem irrupit. Attamen ille impius jussit consulari Leontio ut capitalem sententiam sancto martyri inferret. Sicque corona martyrii sanctus vir migravit ad Dominum.

IV Id. Romæ depositio Hilari papæ, per quem Victorius Ordinem paschalem conscripsit. Eodem die depositio sancti Salvii episcopi, de cujus sanctitate Gregorius Turonensis episcopus scripsit, narrans quod per revelationem vidisset, divinæ vocis evaginatum gladium imminere super regulum (*Sic ms.*), quod Hilpericus rex jussit construi. Cui visioni veritas statim secuta est. Nam post dies viginti duos filii regis in eadem domo obierunt.

III Id. Romæ, Proti et Jacinthi [Hyacinthi], qui erant eunuchi sanctæ Eugeniæ virginis, et cum ea a Romana urbe Alexandriam venientes ab Heleno episcopo, cui eorum adventus per visionem revelatus est, recepti in monasterio quodam sub virili habitu inter monachos conversabantur; postea vero cum Melanthia quædam femina malitiosa Eugeniam sub virili habitu degentem masculum suspicans, per eam stuprari desiderasset : sed patefacto arcano Eugenia non vir, sed femina esse comperta est : coacta imperiali præcepto, cum eunuchis suis Romam rediit : ibi simul cum Basilla virgine prædicti duo eunuchi jussu Gallieni Augusti gladio interfecti sunt. Beata vero Eugenia postmodum, hoc est in VIII Kal.

A Januarii, pro Christi nomine passa, cum martyrii corona migravit ad Dominum.

II Id. In Antiochia natale Timothei, et in Pampalia (*Forte*, Pamphylia) natale Syri, et in Sicilia civitate Cathena [Catana] natale Eupli. Lugduno civitate depositio beati Sacerdotis episcopi. In Galliis, civitate Augustoduno, depositio beati Evantii episcopi.

Id. In Gallia, civitate Turonis, depositio Lidorii episcopi.

XVIII Kal. Octob. Sancti Cornelii episcopi, cui primo os cum plumbatis cæsum, et sic decollatus est cum aliis viginti uno promiscui sexus, et Cerealis miles cum uxore sua Sallustia, quam Cornelius ab infirmitate sanaverat. Passus sub Decio : hic Corne-
B lius temporibus suis rogatus a quadam matrona Lucina corpora apostolorum beati Petri et Pauli de catacumbas levavit noctu : primum quidem corpus beati Pauli beata Lucina accepit et posuit in prædio suo via Ostiensi ad latus, ubi decollatus fuit : beati vero Petri corpus beatus Cornelius accepit episcopus, et posuit juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum in templo Apollinis in monte Aureo. In Vaticano palatii Neroniani, III Kal. Julii. Eodem die natale sancti Cypriani episcopi, qui sub Valeriano principe post longum exsilium detruncatione capitis martyrium consummavit, sexto milliario a Carthagine juxta mare. Et depositio sancti Materni episcopi. Eodem die exaltatio est sanctæ crucis.

XVII Kal. Passio Nicomedis martyris : eodem die
C natale sancti Apri episcopi, et Leobini confessoris. In Alexandria natale sancti Serapionis, Leontii : et Ancyra Galatiæ natale sancti Seleuci, Valerii et Cyrionis · et in Tomis Stratonis et Macrobii; et in Nuceria in Campania natale Constantis, et in Anquira [Ancyra] natale Pauli episcopi; et in territorio Cabilonense, castro Nortio, natale sancti Valeriani martyris. Lugduno Galliæ depositio Albini episcopi.

XVI Kal. Natale sanctæ Euphemiæ virginis, quæ martyrizavit sub Diocletiano imperatore, proconsule autem Prisco, in civitate Chalcedone, quæ tormenta et carceres, verbera et argumenta rotarum, ignes et pondera lapidum angularium, bestias et plagas virgarum, serras acutas et sartagines ignitas, rursum morsum bestiæ pro Christo superavit, et ad mille
D passus civitatis Chalcedonis, sepulta est a patre suo Philosophrone senatore. Eodem die passio martyrum Luciæ et Geminiani celebratur, qui sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus passi sunt. Igitur Lucia erat permanens in viduitate per annos triginta et sex. Erant autem omnes anni vitæ ejus septuaginta quinque, ut in libello passionis ejus scriptum reperitur. Hæc per Euprepium filium suum apud imperatores prodita, eo quod Christiana esset, tenta est et in vinculis posita, de suppliciis variis quæ ei persecutor ingessit, erepta est. Nam carcerem in fluvium convertit, ipsaque verberibus applicata, nihil sensit : imo cædentem se lapideum fecit, templum deorum ex gemmis et auro fabricatum ruere a fundamentis

fecit; ignem exsuperavit, picem et plumbum in A aquam convertit. Nec in his pœnis lædi potuit: imo Geminianum socium passionis suæ acquisivit, cum quo persecutoribus fortiter veritatem prædicans ad extremum per Apophrasium præsidem decollari jussi sunt, et sic ad regnum cœleste migrarunt.

XV Kal. In Britannia, Socratis et Stephani. Et in Gallia prope civitatem Trajectum [Maestricht] in villa Liudovico, passio Landeberti episcopi, qui ab infantia Dei servitio mancipatus fuit. Hic septem annos vitam sanctam agens inter monachos habitavit. Postquam autem Faramundus de sede pontificali depositus est, et ejectus de provincia Trajectense, tunc agmina clericorum, et vulgus populorum una pariter voce ingenti postulabant Dominum ut pastorem eorum dominum Landebertum recepturi essent, quem, B consentiente Pipino tunc principe, ad propria recipere meruerunt: ibique per plures annos in Ecclesia Dei nobiliter vixit. Hunc vero Dodo domesticus jam supradicti principis Pipini machinatione pessima occidi fecit. Ipse vero per innocentem mortem ad Dominum migravit.

XIV Kal. Mediolano depositio Eustorgii episcopi et Satyri. In Chalcedonia natale Trophimi et in Nicomedia natale Jociani.

XIII Kal. In Neapoli Campaniæ natale sanctorum Januarii, Beneventanæ civitatis episcopi, cum Fossio [Sosio] diacono Mesenatis [Misenatis] civitatis, et diacono suo festo, et lectore suo Desiderio, qui post vincula et carceres capite sunt cæsi in civitate Puteolana sub Diocletiano principe, judice Dracontio: qui C cum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculus Puteolanæ civitatis diaconus, et duo laici, Eutyches et Acutius, et interrogaverunt quare justi occidi juberentur: quos judex ut vidit Christianos, jussit decollari cum illis. Sic omnes septem pariter sunt decollati, et tulerunt noctu corpora Christiani, et Neapolitani Januarium posuerunt juxta civitatem in basilica Mesenate [Misenate], Sossium æque in basilica Puteolani; Proculum, Eutychen et Acutium juxta basilicam sancti Stephani; Festum et Desiderium Beneventani collegerunt [a].

XII Kal. In Cyzim natale sanctorum Faustæ virginis et Evilasii sub Maximiano imperatore: quam idem Evilasius cum esset primus palatii jussit decalvari et tradi ad turpitudinem, deinde torqueri ac sus- D pendi: quo tempore coruscatio de cœlis facta multos ministrorum percussit: deinde jussit loculos afferri, et eam immissam ac fixam, quasi lignum secari mediam; sed non eam carnifices serris lædere valebant: quæ inter stupens Evilasius Christo credere cœpit; et hoc ubi imperatori nuntiatum est, misit præfectum, qui eum suspensum fortiter torqueret: qui etiam jussit Faustam nudam et sine maforte [*Sic ms.*] educi de carcere, et ei caput terebrari ac clavos infigi, cui postmodum non solum caput et facies, sed et pectus et totum corpus usque ad tibia, clavis impletum est. Post hæc et sartaginem igniri jussit, sed hæc illa psallente refriguit. Hæc interveniens vox de cœlo vocavit eos, et sic tradiderunt spiritum. Erat autem Fausta annorum tredecim, et Evilasius octoginta.

XI Kal. Natale sancti Matthæi evangelistæ in Æthiopia, qui cum ibi prædicaret verbum Dei, et multos ad fidem Christi converteret, novissime spiculator missus ab Hirtaco rege, qui eum gladio feriebat, efficiens martyrem Christi.

X Kal. Sanctorum martyrum Thebæorum Mauricii, Candidi, Exsuperii, et sancti Emmerammi martyris.

IX Kal. Natale sancti Sosii diaconi Mesenatis [Misenatis] civitatis in Campania, qui cum esset annorum triginta, martyr cum beato Januario Beneventi episcopo capitis decollationem suscepit, tempore Diocletiani imperatoris. Is cum tempore quodam legeret in ecclesia Mesenate [Misenatis] civitatis, præsente episcopo Januario, frequenter enim eum pro sanctitate et prudentia ejus visitare consueverat, vidit subito idem episcopus de capite ejus flammam exsurgere, quam nemo alius vidit, et pronuntiavit eum martyrem futurum, et post non multos dies item diaconus tentus et in carcerem missus est: ad quem visitandum cum venisset episcopus cum diacono suo Festo et lectore suo Desiderio, et ipse cum eis simul tentus ac pariter omnes cum aliis tribus occisi sunt. Eodem die natale Theclæ in Oriente Iconio civitate, quæ a Paulo apostolo instructa in confessione Christi ignes ac bestias devicit, et post multa certamina ac doctrinam multorum, veniens Seleuciam requievit in pace. Item eodem die Romæ passio Lini papæ, qui post apostolos primus cathedram episcopalem ibi tenuit annos undecim, menses septem, dies tredecim.

VIII Kal. Conceptio Joannis Baptistæ, et in Augustoduno natale Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, et Felicis, qui a sancto Polycarpo episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam sub Aureliano principe sunt gloriosissime coronati: siquidem flagellis cæsi, in ultimo tota die inversis manibus suspensi, in ignem missi, sed non combusti. Tandem vectibus colla feriuntur, ubi Symphorianus tunc viginti annorum, qui postea passus est, semper vigilias et orationes agebat. Eodem die depositio Solemnis episcopi, qui ab infantia Dei servitio devotus fuit, qui etiam miraculis claruit. Nam cum quadam die itineris sui proficisceretur callem, obvium habuit hominem a nativitate cæcum, surdum et mutum, quem complexus collo osculavit, et cito sanum reddidit. Hic etiam cum defuncto Carnotensi urbis episcopo electus est ad episcopatum, quem ergo invitus accepit. Ludovicum vero regem adhuc paganum, qui eodem tempore Francis imperabat, cum vellet contra Gothos in bellum pergere, signo crucis in corde et in pectore armavit, et sic victoria de hostibus potitum, ac domi reversum simul cum sancto Rhemigio Rhemensium urbis episcopo, divina

[a] Hic omisit Rabanus Eustachii portentosam historiam, et merito quidem: sic et Notkerus. Basn.

favente virtute, cum gratiæ alacritate baptizavit; et A cum eodem trecentos septuaginta nobiles satrapas sacro fonte regeneratos in Spiritu sancto adoptionis parturivit filios : sicque memoratus sanctus Dei tres olympiadas gerens in episcopatu de hac luce migravit ad Christum. Romæ natale Priscillæ et Liberi episcopi et confessoris. Lugduno Galliæ depositio sancti Lupi episcopi.

VII Kal. Natale sancti Firmini martyris. In Asia natale Bardomiani, Eucarpi et aliorum viginti sex.

VI Kal. Sanctorum martyrum Cypriani episcopi, et Justinæ, quorum Justina sub Diocletiano multa propter Christum perpessa, ipsum quoque Cyprianum, cum esset magus, et magicis suis eam dementare conaretur, convertit ad Christum, cum quo jam episcopo et nobili doctore facto, martyrizavit sub B Claudio principe.

V Kal. Cosmæ et Damiani sub persecutione Diocletiani et Maximiani, præside ejus Lysia in civitate Ægea; qui post multa tormenta, vincula et carceres toleratos, post mare et ignes, crucem, lapidationem et sagittas divinitus superatas, capite plectuntur.

IV Kal. Romæ natale Stactei, et in Africa, Martialis, Laurentii et aliorum viginti. Antissiodoro depositio sancti Alodi episcopi. In Gallia civitate Genua depositio Saloni [Salomonis] episcopi. Eodem die in Germania depositio Leobæ virginis, quæ in Britannia insula ex Saxonum gente nata, virginitatis propositum in monasterio posita nobiliter servavit, postea vero a sancto Bonifacio archiepiscopo Moguntiacensis [Ecclesiæ in Germaniam advocata, C ut famulas Dei in monasteriis Germaniæ divinis Scripturis instrueret : ubi non solum multa miracula vivens fecit, imo post obitum in Bochonia silva, hoc est in monasterio Fulda, juxta decretum sancti Bonifacii sepulta, non paucis miraculis sanctitatem suam declaravit.

III Kal. Dedicatio ecclesiæ sancti Angeli Michaelis in monte Gargano. In Thracia civitate Eraclea natale Euticii [Eutichii] Plauti : Antissiodoro depositio Fraterni episcopi.

II Kal. In Bethlehem Judæ, depositio Hieronymi presbyteri, cujus vita et doctrina ubique in Ecclesiis Christi laudabilis exstat; quomodo divinos libros ex lingua Hebræa in Latinam transtulit, propheticosque libros sensu allegorico exposuit. Cum autem octo- D ginta et octo annorum dies explevit, vitam præsentem deserens, ad æternam requiem emigravit.

OCTOBER.

Kal. Octob. In Galliis, civitate Antissiodorense, depositio sancti Germani episcopi Rhemis civitate, Remedii episcopi. Adratis [Attrebatis] civitate beati Vedasti episcopi. Ganda monasterio, sancti Babonis episcopi. Quorum omnium conversationes et gesta miraculis plena conscripta habentur. Eodem die natale Fronti [Frontonis] episcopi et confessoris, terminibus [terminis] urbis Petrocoricæ [Petragoricæ] ex loco qui dicitur Linicasio felicem [felix] luminis sumpsit exordium. Sicque devotus in servitio inter monachos habitans multis virtutibus claruit, et multos ad fidem Christi convertit : ad extremum vero post sacros labores, qui per insignia virtutum ejus claruerunt, a præsenti tribulatione ad æternam migravit requiem.

VI Non. Octobris. In Galliis natale sancti Leudegarii episcopi et confessoris. In Nicomedia, sancti Eleutherii.

V Non. Apud antiquos Saxones natale duorum Hewaldorum presbyterorum, qui cum Wilibrordo episcopo venientes in Germaniam transierunt ad Saxones, et cum prædicare Christum ibi cœpissent, comprehensi sunt a paganis et sic occisi sunt : ad quorum corpora noctu diu multa lux apparens, et ubi essent et cujus essent meriti declaravit. Eodem die passio sancti Leutgarii Augustodunensis episcopi celebratur, qui Christianorum regum temporibus effectus est martyr, hoc est, Ludharii regis, et Theodorici fratris ejus, nec non et Hiltrici, per factionem malitiosam Eburwini, qui majordomus fuit, crudelissimis tormentis afflictus oculorumque effossione cruciatus : ad extremum gladio peremptus est, post cujus martyrium multis miraculorum signis Dominus reliquias ipsius glorificavit.

IV Non. In Ægypto, Marti et Mauriciani. Romæ, Marcelli episcopi; et in Africa, Audacti. Antissiodoro depositio Marsi presbyteri.

III Non. In Sicilia natale Eutici [Eutychii] et aliorum triginta. In Galliis, civitate Valentia, depositio beati Apollinaris episcopi. Et in Galliis, civitate Antissiodoro, natale sanctorum germanorum Firmati diaconi, et Flavianæ, virginis Deo sacratæ.

II Non. Depositio sancti Marci episcopi; et in Apulia, Casti et Æmili [Æmilii]. In Galliis, civitate Agenno, natale sancti Fidei martyris. In civitate Antissiodoro depositio Romani episcopi.

Non. Oct. Passio sanctorum martyrum Sergii et Bachi, qui sub Maximiano imperatore pro Christi nomine passi sunt. Nam Sergius primicerius et princeps erat gentilium, amicus imperatoris. Beatus vero Bachus secundicerius erat ejusdem scholæ gentilium. Hi ergo ab Antiocho duce pro Christi nomine, jussu Maximiani imperatoris, passi sunt : ita ut Bachus dum extensus crudis flagellis cæderetur emitteret spiritum. Sergius vero post multa tormenta gladio cæsus est, et sic migravit ad Christum.

VIII Id. Oct. Natale Reparatæ virginis et martyris, quæ passa est in Cæsarea, urbe Palæstinæ, sub Decio præside. Hæc cum nollet idolis sacrificare, primo adhibita est illi olla plumbo fervente impleta : postea abscissæ sunt illi mamillæ, et lampades ardentes adhibitæ; deinde in caminum ignis ardentis missa est : quæ cum in nullo ibi fuisset læsa, ad extremum decollata est, et continuo de collo ejus exivit columba alba; cujus corpus rapuerunt Christiani, et conditum aromatibus sepelierunt.

VII Id. In Parisio passio Dionysii episcopi et martyris, Eleutherii presbyteri et Rustici diaconi : quos

[a] referunt a Clemente papa in Galliam ad prædicandum verbum Dei missos et ibidem martyrizatos. Eadem die natale est Domnini martyris, qui sub Maximiano imperatore propter fidem Christi decollatus est jussu ipsius imperatoris : hic post martyrium suum multa miracula fecit in sanitate infirmorum et debilium.

VI Id. In Britannia, Paulini Eburaci episcopi.

V Id. In Gallia, civitate Turonis, depositio Venantii abbatis et confessoris.

IV Id. Romæ natale Hedisti [Edisti], et in Syria Eustati [Eustachii] presbyteri, et Ancharisi, Burri, Bonati; et in Campania, Patriæ Fortunatæ (*Sic ms.*).

III Id. In Hispania natale Fausti, Marci et Adriæ; et in Chalcedonia, Marcelli; et in Alexandria, sancti Anastasii episcopi.

II Id. Natale sancti Callisti papæ, qui in persecutione Alexandri imperatoris diutius in carcere fame cruciatus, et quotidie fustibus cæsus, per visionem a presbytero suo Calepodio, qui antea martyrium consummaverat, confortatus et consolatus est. Qui in carcere eodem positus, quemdam militem, nomine Privatum, ab ulcerum dolore ac fœditate simul curavit. Quod audiens Alexander, ipsum quidem militem fecit plumbatis deficere, beatum vero Callistum per fenestram domus præcipitari, et ligato ad collum ejus saxo, in puteum demergi, et in eum per rudera cumulari. Post dies vero quatuordecim presbyter ejus Asterius, cum clericis noctu veniens, levavit corpus et sepelivit in cœmeterio Calepodii II Id. Oct. Eodem die, Corduba civitate, sancti Lupi, Aureliæ. Lugduno Galliæ translatio corporis Justi episcopi et confessoris.

Id. Gallis in Colonia Agro Pinensi natale Maurorum; et in Capua, Libuli, et sanctæ Fortunatæ in patrias [*Forte*, imperatricis].

XVII Kal. Nov. Depositio sancti Galli confessoris. In Asia natale Cereæ et aliorum ducentorum septuaginta.

XVI Kal. In Nicomedia, Alexandri. In Mauritania, Nini, Victurii, Nobilitani, Mauriani, Lucii, Mittini et Crescentiani.

XV Kal. Sancti Lucæ evangelistæ, qui fuit Syrus Antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea Paulum secutus usque ad confessionem ejus, serviens Domino sine crimine; neque uxorem unquam habens, neque filios, septuaginta quatuor annorum, obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto; et Romæ sanctæ Triphoniæ, uxoris Decii Cæsaris, quæ, viro suo post interfectionem beatorum Xisti et Laurentii divinitus punito, petiit se baptizari cum filia Decii Cyrilla a Justino presbytero, et alia die defuncta est, ac juxta sanctum Hippolytum in crypta sepulta.

XIV Kal. Natale sanctæ Pelagiæ, quæ primum fuit sub gentilitatis ritu meretricis officio functa, et mundanis illecebris dedita : postea vero per gratiam Dei, et sancti Nenonis [Nonni] episcopi dogmata ad fidem Christi conversa, et ab eodem episcopo baptizata, totam substantiam et supellectilem suam pauperibus erogavit : ipsaque cilicio induta, et vili indumento vestita, in peregrinationem perrexit, et in Jerosolymis sub virili habitu monasticam vitam duxit. Construxerat enim sibi parvulam cellulam in monte Oliveti, ubi Dominus cœlum ascendit, et ibi vitam præsentem finivit, atque ad vitam æternam feliciter migravit.

XIII Kal. Natale Simplicii, cujus castitas et vita miraculis probata multorum salutis causa fuit, ita ut trium millium hominum multitudo gremio genitricis Ecclesiæ exciperetur, ac vitalis lavacri fonte dilueretur.

XII Kal. Sancti Patris nostri Hilarionis, cujus Vitam Hieronymus virtutibus plenam conscripsit. Eodem die natale sancti Asterii presbyteri Callisti, qui cum corpus ejus elevatum de puteo sepelisset, post dies tres audiens hoc Alexander imperator, præcepit eum per pontem præcipitari. Cujus corpus inventum est et a quibusdam Christianis in eadem civitate sepultum. Scriptum in passione sancti Callisti papæ.

XI Kal. In provincia Thraciæ et in Adrianopolitana civitate passio Philippi episcopi, et Severi presbyteri, atque Hermetis diaconi, qui persecutione sæviente Christianorum ecclesias claudere et spoliare jussu imperatoris per iniquos præsides contradicebant, et ob hoc per Passum præsidem, nec non et Justinum, multis tormentis afficiebantur, hoc est carceribus, vinculis, flagellis, ad ultimum vero flammarum incendio, sed Domini virtute roborati usque in finem in confessione nominis ejus perseveraverunt.

X Kal. Venantii abbatis, qui, spreto sæculi luxu et nuptiis carnalibus, elegit monasticam vitam, qua Deo soli serviret. Nam cum in monasterio sancti Martini abbatis officio functus die Dominica, oratione expleta, reverteretur, super baculum sustentatus, in medio confessoris atrio erectis auribus oculisque ad cœlum diutissime attentus stetit immobilis. Deinde motus a loco cœpit duro gemitus ac suspiria longa producere, interrogatusque a suis quid hoc esset, aut si aliquid fuisset divinum intuitus, enarraret, respondit : « Væ nobis inertibus et pigris, ecce jam in cœlo missarum solemnia expediuntur, et nos segnes nec inchoare cœpimus hujus ministerii sacramentum. Vere, inquit, dico vobis quod ego audivi voces angelorum in cœlis sanctos in laude Domini proclamantes, » et dicto citius in monasterio missarum solemnia cœpit explere. Sed nec illud prætereibo, quod quadam vice dum juxta consuetudinem, ut supra diximus, de basilicis, quas orationis gratia adierat, repedaret, et in basilica ad missas Dominicæ orationis verba decantarentur, cum illi dixerunt : *Libera nos a malo*, audivit e tumulo cujus-

[a] Videtur dubitare Rabanus, an Dionysius missus fuerit in Gallias a Clemente ; dubium indicat illud *referunt*. Nono sæculo illam opinionem fovebat et tuebatur Hilduinus, Rabano coævus, sed nondum invaluerat. Basn

dam vocem dicentem similiter : *Libera nos a malo*, quod non sine perfectionis merito censetur, ut hæc meruisset audire. Postea multa miracula gessit, magnarum virtutum gratia pollens, impletoque vitæ præsentis curriculo vitam percepturus æternam, emigravit ab hoc sæculo.

IX KAL. In Nicomedia natale Severi et Dorothei. In Cæsarea Cappadociæ natale Longini.

VIII KAL. Passio martyrum Christi Chrysanti et Dariæ, qui sub specie conjugii castitatem servaverunt perpetuam. Nam Chrysantus Dariam a gentilitatis errore et magica superstitione convertit ad fidem Christi, et sic inter varia tormenta, quæ a Numeriano imperatore [a] primum Claudius tribunus pœnis eos afficiebat, sed per virtutem Dei et orationes sanctorum conversus est ad fidem Christi, qui etiam martyr Christi simul cum uxore et liberis meruit fieri. Postea vero per Colerianum quemdam carcere et pœnis traditi, et ad extremum in foveam profundam submersi, sanctas animas ad cœlestia regna miserunt. Similiter eodem die Crispinus et Crispinianus sub Maximiano et Diocletiano imperatoribus in Suessionis civitate per Ritiovarum tyrannum Christi martyres effecti sunt. Nam idem Ritiovarus præclaros martyres extensos ad trocleas cædere fustibus jussit. Deinde jussit sudes in ungulis eorum mitti, et loros singulos de dorso tolli, sed ab hac pœna divino auxilio liberati sunt. Tunc Ritiovarus, furore insaniens, molas ad singulorum colla jubet suspendi, et hiemis tempore in fluvio cujus vocabulum est Axona, velut sub glacie demergi; at illi, scuto divinæ protecti virtutis, dicebant læti : *Supra aquam refectionis educabis nos, Domine* (*Psal.* XXII); sed famulante creatura sua Deo, martyres ejus nec aqua mergere, nec petra premere, nec frigus potuit stringere; sed potius quasi æstivis lavacris delectati, projecto molari onere, ad alteram natantes illæsi pervenerunt fluminis ripam. Hoc viso Ritiovarus miraculo, instigante diabolo exagitatus ira, jussit eos rursus vinctos custodire, et plumbum injectum igni liquefieri, in quo martyres sanctos consumendos demergeret : sed quos quia Christi dextera protegebat invicta, illæsos reddidit ignis : quibus hæc operantibus exsiliens gutta plumbi ferventis in oculum Ritiovari, gravi illum dolore crucians, excæcavit : at is fremens, insania possessus, dum medelam corporis animæque debuit implorare, mortem sibi acceleravit insaniens. Nam picem, adipem oleumque simul jussit fervere, et sanctos denuo martyres in eam præcipitari, quasi consumendos pœna præcepit. At ubi ministri obtemperantes perfecerunt cuncta quæ sibi ab impio fuerunt imperata, sancti martyres, spei suæ immobiliter incumbentes, alacres fiducialiter Deo in oratione dixerunt : « Potens es, Domine Deus noster, de illatis nos ab impio liberare tormentis. Et sicut nos voluisti per confessionem tui sancti nominis pati, ita ad confusionem diaboli et satellitum ejus ab hac etiam pœna illæsos educere. » Mox oratione finita, eduxit eos angelus Domini sine dolore ab igne. Tunc videns se inimicus nihil illatis adversum Christi martyres prævaluisse suppliciis, sese concite furens Ritiovarus præcipitavit in ignem, et ita morte pessima vitam finivit indignam. Nam Maximianus, mox audita satellitis sui Ritiovari perditione, utrumque Crispinum videlicet ac Crispinianum gladio punire præcepit, qui jam jamque imminente cervicibus suis gladio gratiarum Domino actionem persolventes, vitam præsentem felici morte finierunt. Ipso die Romæ, via Salaria, quadraginta sex militum, qui simul baptizati a Dionysio papa, et mox, jubente Claudio imperatore, decollati sunt. Ibi sunt et alii martyres centum viginti unus, inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus. Scriptum in passione sancti Sixti.

VII KAL. In Nicomedia natale Luciani, Flori [Florii], Heraclidæ et Martiani.

VI KAL. Vigilia apostolorum Simonis et Taddei. In Sardinia natale Proti et Januarii; et in Phrygia, Eumeni et Cononis, Diodori et Metrovii.

V KAL. Vigilia apostolorum Simonis et Thaddæi; et Romæ, sanctæ Cyrillæ, filiæ Decii Cæsaris, quæ sub Claudio principe jugulata et necata est gladio, et sepulta a Justino presbytero, cum matre sua, juxta sanctum Hippolytum.

IV KAL. In Lucania sancti Jacinthi, Quintini, Felicianæ, Lucini [Hyacinthi, Quincti, Feliciani et Lucii].

III KAL. Romæ natale sancti Pontiani papæ et martyris, qui ab Alexandro imperatore, cum Hippolyto presbytero in exsilium est deportatus in Sardiniam insulam, ubi est defunctus.

II KAL. In Galliis sancti Quintini, qui sub Maximiano imperatore martyrium passus est, et post annos quinquaginta duos inventum est, revelante angelo, corpus ejus, et sepultum IIX Kal. Julii.

NOVEMBER.

KAL. NOVEMB. In castro Divionensi natale Benigni presbyteri, qui cum Andochio compresbytero et Thyrso diacono missus est a sancto episcopo Polycarpo ab Oriente in Galliam tempore Aureliani, qui, prædicatione ejus comperta, vinctum eum et cæsum ad se adduci præcepit, et audita sermonum ejus constantia nervis durissimis eum cædi fecit, et Terentio comiti superandum tradidit, a quo ad trochleas extensus est, et cæsus, ac rursum carceri mancipatus, mane idola orando destruxit, et reductus est in carcerem, cui subulas decem calentes in manibus infixerunt, et a plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, et canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies, et attulit ei angelus panem cœlestem, subulas abstulit, et eum de plumbo ac ferro eripuit. Post hoc collum ejus vecte ferreo tundi et corpus lancea forari iubetur : quo facto columba

[a] Videtur aliquid deesse.

nivea de carcere, Christianis aspicientibus, ad cœlos ascendit, et odor suavissimus quasi paradisi secutus est: discedente Aureliano a loco, supervenit Leonilla, et conditum aromatibus corpus non longe ab ipso carcere sepelivit. Eodem die natale sancti Cæsarii diaconi et Juliani presbyteri; qui videlicet Cæsarius tempore Claudii imperatoris veniens ex Africa ad Terracinam Campaniæ civitatem, dum contra idololatras proclamaret in publico, tentus est a Firmino pontifice et in custodiam reclusus, ubi diebus multis maceratus deinde traditus est Leontio consulari Campaniæ. Quem ille cum verbis superare nequiret, jussit vinctum ante carpentum suum ducere, ligatis manibus, nudum usque ad templum Apollinis: quo cum pervenissent, ad orationem ejus corruit templum, et occidit pontificem Firminum; post hæc reclusus in carcere a Luxorio primo civitatis, fuit ibi annum et mensem unum. Deinde eductus in foro, a Deo dum oraret cœlesti luce circumdatus, ut ipse Leontius crederet, et Cæsarium, qui erat nudus, sua chlamyde indueret, et baptizaretur, ac corpus ac sanguinem Domini acciperet de manu Juliani presbyteri, nec mora, dicta super eum oratione, spiritum tradidit III Kal. Nov. Tunc Luxorius jussit Julianum et Cæsarium mitti in saccum et præcipitari in mare: qui eodem die rejecti sunt ad littus et sepulti ab Eusebio servo Dei, juxta urbem Terracinam; et idem Eusebius postea martyrium passus est cum Felice presbytero. Eodem die depositio Severini monachi de Tiburtina civitate. Ipsa die memoria celebratur omnium sanctorum, quod constituit Bonifacius papa, qui delubrum vetustum, quod ab antiquis Pantheon vocabatur, concedente Focato [Phoca] Cæsare, in honorem sanctæ Mariæ Virginis et omnium sanctorum dedicavit. Item in eodem die in monasterio Fulda dedicatio ecclesiæ sancti Bonifacii, et translatio corporis ejusdem sancti martyris.

IV Non. In Africa natale Publii, Victoris, Hermetis, Justi et Papiæ.

III Non. In Cæsarea Cappadociæ natale Germani, Domnini, Theophili, Vitalis, Justi et Eremitis. Eodem die depositio sancti Permenii [Firmini] confessoris.

II Non. Augustoduno depositio beati Proculi episcopi. Rotenus [Ruthenis] Galliæ natale sancti Amantii episcopi. In Galliis Beturicas [apud Bituricas] depositio sancti Inlusoris pueri et confessoris; et in Nicæa, Domnini. In Africa natale Primi, Cæsarii, Gregorii, Porsiri, Amantis, Saturini, Victurinæ, Perpetuæ.

Non. Novemb. In Tarracina, Campaniæ civitate, natale sanctorum Felicis presbyteri et Eusebii monachi, tempore Claudii imperatoris: qui videlicet Eusebius cum sepelisset sanctos martyres Julianum et Cæsarium, et ad sepulcra eorum orans ac jejunans multos converteret ad fidem, quos Felix presbyter baptizabat: tenti sunt ambo a Leontio filio

A Leontii consularis ob eam maxime causam quia Cæsarius patrem ejus Christianum fecisset, et ad forum ducti, nec superati, inde in carcerem reclusi, et nocte eadem cum sacrificare nollent decollati, atque in fluvio sunt jactati; quorum corpora venerunt usque ad mare, et rejecta sunt ad littus, atque a presbytero quodam de Capua, nomine Quarto, inventa, qui ea mox imposita vehiculo duxit in casam suam, et curiose quærens etiam capita invenit, ac juncta corporibus sepelivit juxta sanctum Cæsarium.

VIII Id. Novemb. Depositio Wilbrordi episcopi de gente Anglorum, viri sanctissimi et miraculorum gratia insignissimi, qui a Sergio papa Romæ ordinatus in Germaniam ad prædicandum verbum Dei

B est destinatus, ibidemque quievit in pace.

VII Id. In Africa natale Rogati, Donati, Juliæ, Januarii. Eodem die natale sancti Rufi, episcopi urbis Metensis et confessoris, qui translatus est a prædicta urbe, consentiente Drogone præsule, in Wormatiensem pagum, in villam quæ vocatur Oterheim, temporibus Ludarii imperatoris et Ludovici regis, ubi etiam sanctitas ejus multis virtutibus claruit [a].

IV Id. Romæ depositio sancti Leonis episcopi. In Antiochia natale Demetrii episcopi, Amnesi, Eustachii [Aniani, Eustosii] et sociorum ejus. Aurelianis depositio beati Minitoris [Monitoris] episcopi.

III Id. Depositio beati Martini Turonensis archiepiscopi et confessoris, cujus vita et doctrina per mi-

C racula quæ Dominus per eum fecit, pene omnibus fidelibus claret, nec necesse est aliquid hic inde a nobis commemorari, quia ipsius Vitam, virtutes et signa Sulpicius Severus luculento sermone manifeste descripsit; nec non et Gregorius, ejusdem urbis episcopus, in Miraculorum libris plenissime disseruit. Eodem die passio celebratur Mennæ martyris, qui militiam terrenam deserens, eo quod Diocletianus imperator sævitia Christianos cogeret idola colere et deos falsos adorare, sanctus famulus Dei primum in eremum secessit, ac ibi Domino instanter servivit. Postea vero cum gentiles natalem diem prædicti imperatoris celebrarent, venit in civitatem, et increpavit superstitiosos cultores idolorum de vanitate sua. Per Bagasium principem multis tormentis

D afflictus est, et eum a Christi fide avertere voluit, et in errorem gentilium atque ad militiam terrenam reducere. Sed Christi martyr penitus hoc contradixit. Tunc præses jussit eum primum in stipite tensum nervis taurinis cædere, ita ut sanguis e corpore ejus fluens in circuitu terram repleret; postea jussit fieri spinas ferreas, et præcepit ligari ipsum sanctum martyrem Mennam, et super easdem trahi. Tunc præses jussit eum contra humeros diutissime cædi; deinde lampades ardentes mandavit supponi corpori ejus: allato autem igne et supposito ei per duas ferme horas nullum verbum ad præsidem dixit, sed tantum clamabat ad Dominum dicens: « Christe

[a] Hic desiderantur in Martyrologio duo dies.

Deus, adjuva me; » novissime vero cum nullo modo cum præses a Christo separare posset, jussit eum decollari. Sicque feliciter sanctus Dei relinquens præsens sæculum ad cœleste regnum transivit.

II Id. In Africa [Asia] natale sanctorum Maurili, Publi [Aurelii et Publii]. In Cæsarea Cappadociæ natale sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii et sancti Eusebii.

Idib. In Turonis civitate Galliæ depositio sancti Bricci [Britii] episcopi et confessoris, qui fuit successor sancti Martini in episcopatu.

XVIII Kal. Decemb. In Heraclea, civitate Thraciæ, natale sancti Clentini et Theodotæ, Filomini [Clementini, Theodoti, Philomeni], Eracli, Martialis, Donati et aliorum multorum sanctorum.

XVII Kal. In Africa natale sanctorum Secundi, Fidentiani, Varici et Martialis.

XVI Kal. In Capua natale Augustini, et in Africa Vitalis, Januarii. Lugduno Galliæ depositio sancti Euceri [Eucherii] episcopi.

XV Kal. Sancti Patris nostri Gregorii miraculorum factoris. Et in Aurelianis, civitate Galliæ, depositio sancti Aniani episcopi et confessoris.

XIV Kal. Passio sancti Romani martyris, qui sub Asclepiade præfecto gloriam sacri martyris adeptus est. Nam prædictus Asclepiades cum vellet sanctum Romanum a fide Christi avertere et in paganicum errorem redigere, validis tormentis illum afficiebat: ipse autem in fide recta et confessione vera permanebat. Ascitus etiam fuit in testimonium parvulus infans, ut ipse ostenderet in professione sua utrum Christus Dei Filius an falsi dii adorandi essent; ad hoc infans respondit, Christum Dei Filium adorandum, non falsa numina deorum. Jussit memoratus præfectus ipsum infantulum valide tractari, sed tamen eum vincere non potuit nec in errorem seducere. Tunc Asclepiades jussit Romanum simul cum infante in carcerem mitti et postera die in validum ignem projicere, sed pluvia nimia a Deo missa illum exstinxit. Ob hoc iratus præses infantulum jussit jugulari, Romano vero linguam abscindere. Sed Dei gratia post linguæ abscissionem laudes Deo incessanter cecinit, et in Christi confessione perseveravit. Quod cum nuntiatum esset Maximino, genero Diocletiani, jussit eum in carcerem mitti et ibi per noctem strangulari. Sicque sanctus Christi martyr octavo decimo die Novembri mensis ad cœlestia regna migravit.

XIII Kal. In Cæsarea Cappadociæ natale Maximi, Muciani, Neophyti et aliorum quadraginta.

XII Kal. In Heraclea natale Bassi, Dionysii; et in Cappadocia Cæsarea, Agapeti [Agapii].

XI Kal. [a] Mauri martyris, qui ab infantia Christianus fuit, orationibusque et jejuniis Christum Dominum deprecabatur, eleemosynis viduis et egenis frequenter impensis non minuebat. Cumque hoc per omnes dies vitæ suæ perageret, nutu Dei Spiritus sanctus immisit in sensum ejus ut monasterium ingrederetur. Cum ergo non multo tempore ibidem habitaret, ita cœpit ab universis fratribus diligi, ut veluti patrem eum omnes venerarentur. Cumque complesset annos octodecim agens vitam monachorum, introivit in sensum ejus desiderium ut sancti Petri apostoli sedem advisitaret; et proficiscens, Deo auxiliante, Romam pervenit, et cum omnia didicisset mysteria, vel regulam Ecclesiæ, multo magis in urbe Roma cœpit Christianis et egenis consueta præbere solatia. Cum vero illic demoraretur annis tribus, eodem tempore quo imperium obtinuit Numerianus impiissimus, et cœpit per civitates vel provincias suas præcepta arguenter (*ita ms.*) dirigere, ut si quis Christianus inventus fuisset, et non diis immolaret, diversis suppliciis maceratus morti traderetur. Ipso namque in tempore cum præfecturam Romæ promeruisset Celerinus, et ipse idolis deditus diu requisisset per omnes civitates vel loca, ut sicubi Christiani reperirentur, diversis generibus tormentorum affecti deficerent: hic beatum Maurum multiplicibus tormentis afflixit, hoc est, jussit eum primum fustibus nodosis cædi: deinde plumbatis maxillas ejus contundi; postea in equuleo suspensum ungulis radi et lampades ardentes lateribus ejus applicari; ad extremum vero caput ejus amputari. Cujus corpus noctu nautæ Africani cognoscentes eum ex sua patria ortum rapuerunt, et volventes eum linteaminibus mundis cum aromatibus posuerunt in sarcophagum, scripserunt ad caput ejus dicentes: *Dei et Christi Jesu famulus Maurus hunc* [*hoc*] *sæculum pro Christi fide relinquens vitam æternam acquisivit;* post aliquantos dies occulte eumdem sarcophagum suam in navem omnes nautæ uno animo levaverunt. Quo facto, pervenit ad præfecti Celerini notitiam, et iratus jussit omnes nautas comprehendere. Quo audito omnes fugerunt, et nullus eorum inventus est. Videns hæc Celerinus præfectus, consilio diaboli armatus, jussit eamdem navim, in qua martyris corpus erat, sarmentis impleri, et igne supposito in medio mari comburi, sed gubernante Domino, martyrem suum, ubi Christus voluit, ad portum salutis perduxit.

X Kal. Sanctæ Ceciliæ, quæ et sponsum suum Valerianum, et fratrem ejus Tiburtium ad credendum Christo ac martyrium perdocuit, et ipsa deinde martyrizavit, ignem quidem superans, sed ferro occisa sub Almachio urbis præfecto. Eadem die sanctæ Mederasmæ virginis. Ipso die natale Longini martyris, qui militiam terrenam exercens, illo tempore quo Dominus cruci affixus, astans, jussus a Pontio Pilato præside, latus Domini lancea percutiens aperuit, et videns signa quæ fiebant propter Dominum, sole obscurato et terra commota, credidit in Dominum nostrum Jesum Christum, et percutiens pectus

[a] Quis ille *Maurus*, qui anno decimo octavo monachus fuit temporibus Numeriani, hoc est tertio sæculo? Nulli tunc fuere monachi, nec nomen eorum notum. Omisit illum Baronius, nec ejus passio legitur in Martyrologio: habetur solum ad 21 Novembr. *Maurus episcopus Veronensis.* Basn.

suum voce magna dicebat: *Vere Filius Dei est hic* (*Matth.* XXVII). Et post hæc recedens a militia instruebatur Domini præceptis a sanctis apostolis, et venerabilia Christi mandata servans, accepit signaculum fidei, totumque se obtulit Domino, faciens eleemosynas, et castitate corpus continens, puram custodiebat conscientiam, cœlestem vitam gerens in terra. Hic cum esset Cæsareæ Cappadociæ, vixit habens quietam monachorum vitam annis viginti octo, et multos avertens ab iniquitate illuminabat verbo veritatis: prohibens idolorum sacrificia, seminans verbo Domini venerabilia præcepta. Igitur cum Octavianus præses hoc audisset, jussit eum sibi exhiberi, volens avertere illum a Christi fide et vera religione, multisque eum tormentis ob hoc afflixit: novissime vero capitalem sententiam illum jussit subire, ipseque præses postea orans juxta corpus sancti martyris recepit visum et sanitatem, quam propter scelera sua ante perdidit.

IX KAL. Romæ, sancti Clementis episcopi, qui, jubente Trajano, missus est in exsilium trans Pontum mare, ubi multis ad fidem vocatis per miracula et doctrinam ejus, præcipitatus est in mare ligata ad collum anchora, sed recessit mare orantibus discipulis ejus per tria millia, et invenerunt corpus in arca saxea in templo marmoreo, et anchoram juxta. Eodem die natale sanctæ Felicitatis, matris septem filiorum, martyris, quæ, jubente Antonino, decollata est pro Christo. Et in monasterio Bobio depositio sancti Columbani abbatis. Natale sancti Trudonis confessoris.

VIII KAL. Romæ natale sancti Chrysogoni, qui sub Diocletiano martyrium complevit. Scriptum in passione sanctæ Anastasiæ. Ipso die natale sancti Crescentiani, qui erat cum Cæsario diacono, et Largo, et Smaragdo, in carcere sub persecutione Maximini filii Maximiani, et eductus, jubente Carpasio vicario, de carcere, suspensus est in equuleum, et fustibus cæsus, unguibus rasus diutius. Deinde flammis circum latera ejus appositis diu ustulatus, emisit spiritum, et ab Joanne presbytero sepultus est in cœmeterio Priscillæ. Ipso tempore Maximinus interfecit sororem suam Artemiam. Scriptum in gestis Marcelli papæ.

VII KAL. Natale sancti Petri episcopi Alexandriæ: qui cum esset omnibus adornatus virtutibus, in Scripturis quoque divinis nulli priorum inferior, vere et sacerdos et hostia Dei, subito rapitur, atque ex Maximini præcepto capite obtruncatur; cum quo simul et alii plures ex Ægypto episcopi trucidantur. Scriptum in Historia Ecclesiastica, libro IX. In Nicomedia passio beati Marculi sacerdotis et martyris, qui temporibus Constantis regis tyrannici per Macharianum et Paulum, persecutores maximos, martyrium pro Christi nomine pertulit. Nam cum variis tormentis afflictus esset, tamen a professione rectæ fidei nullo modo averti potuit; ad extremum vero per prædictum Macharianum in altissimam rupem adductus, inde præcipitatus est; sed tamen, Christo A protegente, corpus ejus integrum inter asperrimos scopulos atque acutissimos servatum est: anima vero egressa de corporis ergastulo ad vitam migravit æternam.

VI KAL. Romæ depositio Sirici episcopi et Saturnini; et in Aquilea, Valentini episcopi; et in Capua, Nicanoris, Cassiani et Felicissimi. Augustoduno depositio sancti Amatoris episcopi.

V KAL. In Nicomedia natale Marcelli, Petri, Numeri, Hierenæ et Melosæ, et depositio Optati episcopi.

IV KAL. In Syria, Trophimi, Theodoli, Expicaci, Euceri, Eusebii et Julii.

III KAL. Romæ natale sancti Saturnini, Serii [Senis], et Sisinnii diaconi sub Maximiano, a quo B primo inter alios damnati ad fodiendam arenam ad faciendas thermas Diocletianas. Deinde in carcere diu sunt macerati, ubi multos gentiles docentes baptizabant; et denuo educti vincti catenis, ac nudis pedibus, ante præfectum Urbis Laodicium jussi sunt in equuleo levari, et attrahi nervis et fustibus, ac scorpionibus cædi; quibus etiam postmodum flammas ad latera jussit apponi, et depositos de equuleo capite truncari; quorum corpora cum Joanne presbytero colligens Thrason vir Christianissimus, qui de facultatibus suis martyribus multa ministraverat, sepelivit in prædio suo via Salaria. His in medio certamine positis crediderunt duo milites, Papias et Maurus, qui mox comprehensi a Laodicio, et non multo post martyrio coronati C sunt. Scriptum in gestis Marcelli papæ. Eodem die in Galliis civitate Mannetis [Tolosæ], Saturnini episcopi et martyris. Ipse vero Saturninus martyr, ut fertur, ab apostolorum discipulis ordinatus in urbem Tolosatium est directus, qui impulsu paganorum bovis petulci religatus vestigiis per gradus Capitolii præcipitatus, præsentem finivit vitam, capitis compage dispersa; cujus reliquiæ in pluribus locis miraculis claruerunt.

II KAL. Natale sancti Andreæ apostoli, qui interpretatur *virilis* vel *decorus*, frater Petri. Hic prædicavit Scythiam et Achaiam, ibique in civitate Patras cruci suspensus occubuit. Romæ, Castuli, et Euerepitis [Euprepitis], et in Mediolano, Ambrosii episcopi. D

DECEMBER.

KAL. DECEMB. Romæ natale Candidæ, Viribon [Lucii, Rogati, Cassiani], et aliorum triginta, et dedicatio basilicæ S. Albani martyris, atque ordinatio beati Bonifacii martyris.

IV NON. Romæ natale Primenti, Pontiani, Pimini, Dafrosæ, Dimetri [*Forte*, Demetrii], Jubiani. In Mauritania Veri [Severi], Securi, Januarii, Victorini.

III NON. In Oriente, Metrobi, Claudici et Felicis. In Nicomedia, Ambici, Victuri [Victoris] et Julii. In Africa, Crispini, Maginæ, Joannis, Stephani, Victoris [Claudii]. In Pannonia, sancti Agricolæ; et in Tingi, Cassiani presbyteri.

II Non. Natale Barbaræ martyris [a], quæ temporibus imperatoris Maximiani [Maximini] passa est pro Christo. Nam pater ejus nomine Dioscorus, dives valde, sed paganus et colens idola, ipsam filiam suam unicam, eo quod nollet nubere et deos falsos colere, multis tormentis affligebat; novissime vero, præcepto præsidis, a suo patre decollata est, et completum est martyrium ejus in bona confessione cum sancta Juliana. Descendente vero patre ejus a monte, descendit ignis de cœlo, et combussit eum ita ut nec pulvis ejus inveniretur. Eodem die Horacli, Christiani, Pudentis. Monasterio Floriaco a partibus Romæ adventus corporis sancti Benedicti abbatis.

Non. Natale Dalmatii martyris. Natale sancti Crispini, Felicis. In Africa, civitate Tagura [Thagura], natale Julii, Potamiæ et Grati, et aliorum septem.

VIII Id. In Africa, Zeloti, Fortunati, Gathi. Eodem die natale Nicolai Myrensis Ecclesiæ metropolitani episcopi, qui temporibus Constantini Augusti cum pagani et hæretici tumultuarent, et Ecclesiam Dei erroribus suis vexarent, adveniens illuc, compescuit errorem et mitigavit persecutionem. Erat enim quidam præses ibi, nomine Eustachius, qui per cupiditatem pecuniæ multos Christianorum læserat: nam amplius quam ducentos pondos [ducenta pondo] argenti accepturus idem præses erat ut eos perderet. Postea vero per invidiam diaboli non modica facta est persecutio in civitate a magistro militum et a præfecto Ablabio, qui imperatori persuasit falsis accusationibus sanctos Dei in custodiam mitti; quod cum factum fuisset, hoc est, ut Nepotianus, Ursus et Eupoleon intus in carcerem includerentur, jussit eos imperator pernoctantes gladio capite truncari. Ipsi autem viri sancti, hoc audientes, pulverem capiti suo sparserunt, et clamaverunt ad Dominum ut eos adjuvaret, dicentes: « Domine Deus sancti Nicolai, miserere nostri, et sicuti fecisti in tribus viris qui in Lycia inique aut injuste judicati sunt mori, et salvasti eos: sic et nos salva, sancte Nicolae, serve Christi, et si longinquus a nobis es, propinquior nobis fiat tua deprecatio atque postulatio; ad Dominatorem tuum Deum, et Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, intercede pro nobis, ut salvi facti ab iniqua et mortifera tempestate, digni efficiamur venire et adorare sanctissima vestigia tuæ sanctitatis. » Hæc et his similia dicente Nepotiano, tunc hi tres quasi ex uno ore sic vociferati sunt, orantes. Sanctus vero Nicolaus ipsa nocte præsens apparuit imperatori, et dixit ei: « Constantine imperator, surge, et dimitte illos tres viros quos habes in custodia carceris, Nepotianum, et Ursum, et Eupoleonem, magistros militum, quia ex summissione criminati sunt. Quod si non obaudieris me, pugnam tibi excitabo in doratio, et carnes tuas A et interiora bestiis tradam voranda: postulationem faciens contra te coram cœlesti rege Christo. » Et dixit imperator: « Quis enim es tu, et quomodo ingressus es in meum palatium? » Et dixit sanctus vir: « Ego sum Nicolaus peccator, episcopus, qui in Lycia metropoli inhabito; » et hæc dicens abscessit, et iterum in ipsa nocte et hora ambulavit, et apparuit Ababllo [*Forte*, Ablabio] præfecto eadem dicendo: « Ababli, lætus animo et mente, surge et dimitte illos viros tres magistros militum quos habes innocentes in custodia carceris: quod si nolueris eos dimittere, et non audieris me, postulationes adversus te faciam coram immortali rege Christo, et in infirmitatem cades, et vermium comestione finieris, et omnis domus tua male peribit. » Et dixit B ei Ablabius: « Tu autem quis es? et unde huc veniens talia loqueris? » Sanctus vero Nicolaus dixit: « Ego sum Nicolaus peccator, servus Dei, qui est in Myra metropoli; » et hæc dicens simili modo discessit. Evigilans imperator misit ad Ablabium dicens: « Vade, nuntia Ablabio præfecto, et dic ei quæ vidi et audivi; » et intimatis eis omnibus dimisit eum; similiter et præfectus remisit eumdem præcursorem eadem denuntians imperatori, et mox præcepit imperator præsentari tres viros magistros militum sibi coram omni cœtu, et generalitate, seu præfecto, convenientibus illuc: cum interrogasset eos de omnibus, et cognovisset veritatem visionis quod per sancti Nicolai preces innocentes custoditi sunt, dixit ad eos: « Hoc autem scitote quod non C ego donavi vobis istam vitam, sed quem vos invocati estis, sanctum Nicolaum, ad quem destinastis; tondete capillos capitis vestri, et mutate vestes vestras, et gratias referetis ei. Memores estote et mei. » Deditque eis ut ferant secum vasa sancta diversa: et quidem Evangelium totum aureum, et cereola (thuribula) aurea duo, et patenam auream lapillatim pretiosam ornatam, et misit eos imperator: qui ambulantes in Lycia Myrensium metropoleos, adoraverunt sanctum Nicolaum, et totonderunt capillos capitis sui, et mutaverunt vestimenta sua. Et multum quidem cum lacrymis distribuebant pauperibus, de quibus habebant rebus, quæque auri et argenti, et vestimentorum; per multos autem annos faciebant hæc, glorificantes et laudantes Patrem, et D Filium, et Spiritum sanctum, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

VII Id. In Antiochia natale Polycarpi et Theodori. Eodem natale sancti Savini, episcopi et martyris, qui temporibus Maximiani Augusti pro nomine Christi passus est, simul cum Marcello et Exsuperantio diaconibus suis. Nam Venustianus quidam, vir clarus in Tusciæ partibus, cum ipsum sanctum episcopum non posset a fide Christi avertere et ad idolorum culturam perducere, jussit ei manus abscin-

[a] Non indicatur locus quo pati debuit: alii in Tuscia, alii Nicomediæ coronatam asserunt; nullus veterum rem ita portentosam retulit, quanquam sub Maximino factam. Nullus vetustior Joanne Damasceno de Barbara ejusque parente mentionem fecit. Si tamen Damascenus auctor est Actorum Barbaræ, quod dubium. BASN.

dere, eo quod statunculam Jovis in terram projiciens frangeret. Diaconos vero suos tormentis variis torquebat : equuleo suspensos, unguibus latera eorum jussit lacerari, et ignem supponi ; qui dum ibi spiritum exhalassent, jactari præcepit in fluvium corpora eorum, quæ per piscatores inde ablata sepulta, sunt per quamdam feminam nobilem, nomine Serenam, de civitate Spoletana, cujus nepotem sanctus Savinus, dum esset in carcere positus benedicens, illuminavit. Venustianus autem post aliquot dies divino judicio in oculis suis magnum dolorem sustinuit, quem sui pueri ad memoratum episcopum perduxerunt : ipse vero sanctus Dei docens eum abrenuntiare diabolo, convertit ad fidem Christi, et baptizavit eum cum uxore et filiis. Quod cum comperisset Maximianus Augustus, misit militem suum ut amputaret caput Venustiani, et uxoris ejus, et filiorum. Savinum ergo in civitate Spoletana sine auditione tandiu præcepit cædi, quousque deficeret; qui cum diu cæderetur, emisit spiritum.

VI Id. In civitate Verona natale sancti Zenonis martyris, quando aquæ fluminis Athesis usque ad superiores tecti fenestras ecclesiæ illius excreverunt, nec in eam intrare potuerunt, virtutem martyris ostendentes. Et depositio sancti Eucharii episcopi.

V Id. In Africa natale Petri, Successi [Bassiani, Primitivi], Turni, Publiciani, et aliorum viginti.

IV Id. Natale sanctæ Eulaliæ virginis in Barchilona civitate Hispaniæ sub Daciano præside, quæ cum esset tredecim annorum post plurima tormenta decollata est, et reciso ab ea capite, columba de corpore ejus exire visa est. Eodem die sancti Habundii, et Carpofoli [Abundii et Carpophori] martyrum.

III Id. Romæ Damasi papæ et confessoris : hic constituit ut psalmi die noctuque canerentur in Ecclesia Christi. Eodem die Fusciani, Victurici et Gentiani [Victorici et Gratiani] martyrum.

II Id. In Hispanis, civitate Emerita, natale Eulaliæ virginis, et Hermogenis, Donatæ [Donati] et aliorum viginti duorum.

Id. Natale sanctæ Luciæ virginis de Syracusis, sub Paschasio consulari : quam cum leones [*Forte*, lenones] corrumpere jubente Paschasio vellent, nullatenus eam movere potuerunt nec funibus additis, aut boum paribus plurimis : picem resineam, fervens oleum, nil læsa suscepit. Tandem gladio in viscera merso percussa, nec tamen mortua est, donec venientibus sacerdotibus communionem Dominici corporis et sanguinis accepit. Passa est tempore Diocletiani et Maximiani.

XIX Kal. Januar. In Antiochia natale Drusi et sociorum ejus Zosimi et Theodori. Lugduno Galliæ, sancti Viatoris episcopi. Rhemis, Nicasii episcopi, et Sacrepi [Eutropiæ]. Viennæ, Lupicini episcopi, Aspediæ, Theodoli.

XVIII Kal. In Africa natale Faustini, Lucii, Candidi, Celiani, Marci, Maximi, Januarii, Fortunati.

XVII Kal. Ravennæ Valentini, Navalis, Agricolæ, Concordii. Arelato dedicatio basilicæ et altaris sancti Genesii martyris.

XVI Kal. Sancti Ignatii episcopi et martyris, qui tertius Antiochiæ post Petrum apostolum episcopus, undecimo Trajani anno ad bestias vinctus Romam missus est, reliquiæ ductæ corporis ejus Antiochiæ jacent extra portam Dafniticam in cœmeterio ecclesiæ.

XV Kal. Laodicea civitate, Theotimi, Basiliani. In Africa, Quinti, Simplicii, Pomponii et Pauli.

XIV Kal. In Nicomedia, Zosimi, Cyriaci, Pauli, Secundi. Natale sanctorum Anastasii, et Siddimi [*Syndimii*] episcoporum. Antissiodoro, beati Gregorii episcopi.

XIII Kal. In Thracia civitate Gildo (Vulgo, *Geldaba*), Bajuli. Romæ, Zephyrini episcopi. In Oriente natale sanctæ Theclæ virginis, et sancti Liberati.

XII Kal. Thomæ apostoli, qui interpretatur *abyssus* et *Dydimus*, hoc est Christi similis. Hic Parthis et Medis prædicavit. Lancea enim ibi transfixus occubuit in Calamia Indiæ civitate, ibi sepultus est cum honore XII Kal. Januarias. Et in Tuscia, Joannis et Festi.

XI Kal. In Antiochia natale sancti Basilei : et Romæ, via Lavicana, inter duos lauros natale sanctorum triginta martyrum, qui omnes uno die coronati sunt. Romæ, via Portuensi, depositio sancti Felicis episcopi ; et ibi passio Theodosiæ virginis, et Didymi monachi.

X Kal. Natale Gregorii presbyteri, qui temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum in Spoletana urbe, sub Flacco et Tircano judicibus multa tormenta passus est, hoc est, primum fustibus nodosis cæsus : postea in craticula ignea uri jubetur ; ibique terræmotu magno facto intra civitatem Spoletanam oppressæ sunt plusquam trecentæ animæ paganorum. Deinde in carcerem missus, et lampadibus ardentibus in lateribus accensis, ad extremum vero in medio amphitheatro ab Aquilino spathario capite truncatus, sicque ad æternam gloriam migravit. Depositio Victoriæ Romæ sub Decio, quæ cum esset desponsata viro pagano Eugenio, et nec nubere vellet nec sacrificare, post draconem pestiferum de illis locis expulsum, et post alia multa facta miracula, inter quæ virgines plurimas, quas ad serviendum Domino in spelunca qua prius draco habitavit, aggregaverat, percussa gladio in corde a carnifice Thaliaco comite rogatu sui sponsi. Deposita est autem X Kal. earumdem. In Nicomedia natale Martyrum triginta quinque. Et in alio loco, Evaristi, Victoris et aliorum quingentorum triginta duorum.

IX Kal. Januarii. In Tripoli civitate sancti Luciani, et natale sanctorum Metrobii, Pauli, Zenotti, Theutini, Timisti [Zenobii, Theotimi et Drusi]. In Antiochia Syriæ natale sanctarum virginum quadraginta canonicarum, et aliorum duorum simul Drusi et Donati.

VIII Kal. In Bethlehem nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, et natale sanctæ

Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani, primo duram et immitem custodiam a viro suo Publio perpessa. In qua tamen a Chrysogono confessore Christi multum consolata et confortata est. Deinde a præfecto Illyrici in gravissima æque et diuturna custodia macerata est, in qua duobus mensibus refecta est cœlestibus escis per sanctum Theodoten, quæ prius martyrium passa est; deinde navi imposita cum ducentis viris et ducentis feminis ut demergerentur in mari, perlata est ad insulas Palmarias, ubi per manus et pedes extensa, et ligata ad palos fixos, et circa media ejus ignis accensus est, in quo martyrium consummavit, et omnes qui cum illa venerant variis interfectionibus martyrium celebrarunt. Eodem die natale sanctæ Eugeniæ virginis, quæ erat filia Philippi, præfecti Alexandriæ et totius Ægypti, ab imperatore illuc transmissi. Hæc ergo propter fidem Christi et castitatis amorem sprevit sæcularem habitum et delicias mundi : induta est veste virili, et pergens ad sanctum Helenum episcopum, simul cum Proto et Eugenio eunuchis suis, per quem baptismate abluti, monasterium monachorum ingressi sunt, sub virili habitu monastice conversantes : ubi, defuncto abbate, sancta Eugenia in locum abbatis statuta est, ubi sancta conversatione et miraculis claruit. Nam Melantiam quamdam feminam a febre signo crucis salvans : sed diabolo instigante ipsa Melantia eum ad concubitum suum pertrahere voluit; sed cum hoc non consensisset, accusavit eam quasi Eugenius monachus et abbas eum stuprare voluisset. Sed hæc omnia per Philippum præfectum falsa inventa sunt, quia ipsa Eugenia sese feminam esse demonstravit, non virum. Hoc etiam considerato Philippus pater ejus, et Claudia mater, fratresque Eugeniæ, Auctus et Sergius, conversi sunt ad fidem Christi et baptizati sunt. Postea vero sancta Eugenia cum Proto et Hiacyntho Romam perrexit, ubi et martyrizata est, jussu Gallieni imperatoris, per Nicetium præfectum Urbis, qui cum eam cogeret deæ Dianæ sacrificia exhibere, et illa nollet acquiescere, imo ipsum simulacrum in pulverem redegisset, jussit eam præfectus saxo ad collum ligato in Tiberin projicere; sed inde Dei gratia liberata, postea in fornacem ardentem missa est, sed nullo modo ab igne est læsa. Novissime vero in die natalis Domini, sicut Salvator ipse ei ante revelavit, per spiculatorem in custodia posita interfecta est, sicque ad cœleste regnum migravit.

VII Kal. In oppido Hierosolymitano Cofargamala passio sancti Stephani, primi martyris et diaconi.

VI Kal. [a] Assumptio sancti Joannis evangelistæ apud Ephesum, et ordinatio episcopatus sancti Jacobi fratris Domini, qui ab apostolis primus ex Judæis Jerosolymis est episcopus ordinatus, et medio Pascha martyrio coronatus.

V Kal. In Bethlehem natale sanctorum infantum lactantium, qui sub Herode passi sunt pro Christo.

IV Kal. In Africa natale Domici, Victuri [Dominici, Victoris], Crescentii, Primiani, Lybosi episcopi. Et Romæ, in cœmeterio Callisti, Felicis et Bonifacii episcopi de ordinatione [b].

III Kal. Turonis depositio beati Perpetui episcopi, qui sancti Martini ecclesiam ædificavit.

II Kal. Depositio sancti Sylvestri episcopi et confessoris, et passio sanctæ Columbæ virginis, Senonis sub Aureliano imperatore, quæ, superato igne, cæsa est.

[a] Invaluit apud plurimos ea de Joanne opinio, eum non obiisse; id refert Augustinus, eam sententiam suggillans. Alii, obdormivisse, sed mox in cœlo assumptum crediderunt : id asseruit Hippolytus, qui de duodecim apostolis scripsit apud Combefisium. Ne credas tamen illum esse Hippolytum Portuensem qui vixit tertio sæculo; diversus est enim ille, referens reliquias Joannis, cum fuissent quæsitæ, non esse inventas. Eadem sensisse videtur Rabanus, qui hic assumptionem Joannis evangelistæ celebratam suo tempore contendit. Basn.

[b] Videtur aliquid deesse.

BEATI RABANI MAURI

FULDENSIS ABBATIS ET MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI

OPUSCULA DUO.

[Apud Labbe, Concil., append. ad tom. VIII.]

I

Responsa canonica super quibusdam interrogationibus Reginbaldi chorepiscopi.

Reverentissimo atque amantissimo fratri Reginbaldo Rabanus, exiguus servorum Dei servus, in Domino salutem.

Postquam sanctitas tua nostræ parvitati se præsentare voluit tui desiderium iterum videndi se valide nobis ingessit. Ita ut cognoscentes gravitatem morum, honestatem locutionis, humilitatem habitus hilaritatemque vultus, quam tua dilectio nobis

exhibuit, præsentia tua non vellemus carere, si quoquo modo eam possemus habere continuam. Sed quia veræ charitatis ea est ratio, ut quod corporaliter habere secum non potest, spiritualiter nunquam habere cesset : licet corpore absens sis, spiritu tamen præsens esse non desistis. Quod eousque fiet, donec per Dei gratiam exuti a corpore præsentes erimus apud Deum. Hoc tamen adipisci nos posse, magis divini est muneris quam humanæ facultatis : sed spe jam salvi facti sumus; qui autem in Domino sperat, beatus est.

De cætero quoque, quia veneratio tua quædam capitula mihi in chartula tunc ostendit scripta, in quibus flagitabas me tibi respondere de his quæ ibidem continebantur : relegi quantum licebat volumina divinorum testamentorum, atque sanctorum Patrum sententias, et quantum tempus permittebat, ea quæ ad hoc necessaria respondendum erant, in unum colligebam. Ludovici enim regis adventus, quod te scire non ambigo, imminens urgebat, ut ad ejus susceptionem occupati essemus. Nec jam licuit securæ lectioni insistere, quando ipse se animus sentiebat in multas partes divisum. Sed quia tui amoris fervor me tibi parere cogit, mundanis sollicitudinibus temperatis, quantum fragilitas humanæ mentis sinebat, potissimum tuæ consentire decrevimus voluntati. Quorum capitulorum hæc fuit series.

I. Primo interrogabas quid de eo faciendum esset qui hominem Christianum sollicitando furatus fuerit, et in paganam gentem tradendo vendiderit, a quibus ultra ille venditus se eruere non possit. Ad quod tunc tibi respondi, homicidium reatum ipsum hominem sibi contrahere mihi videri. Quod et postea, legens divinam sanctionem in Deuteronomio, ita probavisse reperi, cum homicidæ et furi hominem vendenti, parem vindictæ modum imposuisset. Nam sicut ibi legitur (*Deut.* XIX) « animam pro anima » homicidam debere reddere, « oculum pro oculo, « dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro « pede; » sic et ipsum hominem qui deprehensus fuerit sollicitasse fratrem suum de filiis Israel, et vendidisse accipiendo pretium, jubet interficere, et ita auferre malum de medio populi Dei (*Deut.* XXIV). Unde mihi videtur, sicut par sententia in lege divina est constituta de homicida et fure hominem vendente, sic et canonica auctoritate pari modo plectendum esse qui fratrem furando atque sollicitando vendiderit, et illum qui proximum suum Christianum hominem injuste peremerit; et eo gravius, quo eum in paganam gentem tradiderit, nec de animæ suæ ruina ullam compassionem habuerit. In concilio Ancyrano ita scriptum est (*Can.* 21, 22) : « Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant, perfectionem vero circa finem vitæ consequantur. De homicidiis non sponte commissis, prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcepit, secunda vero quinquennii tempus explere. » Sed in omnibus judiciis temperanda est sententia juxta intentionem et studium pœnitentis : si quis enim veraciter pœnitentiam egerit, cum lacrymis jejunia et orationes solvens, eleemosynas largiter impendens, hujus ergo habet sacerdos potestatem mitigare judicium. Qui autem mentis est duræ, et negligens est ad agendam pœnitentiam : in hoc omnino decretum est tempus servandum.

II. De infantibus autem qui mortui cum patre et matre inveniuntur, et non apparet utrum ab eis oppressus sit ipse infans sive suffocatus, an propria morte defunctus : nec debent inde securi esse nec sine pœnitentia ipsi parentes. Sed tamen in eis consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus, mortis causa fuit. Si autem eos non latet ipsos ejus esse interfectores, scire debent graviter se deliquisse, quod in Ancyrano concilio hoc modo probatur (*Can.* 20). « De mulieribus quæ fornicantur et partus suos necant, vel quæ agunt secum ut utero conceptus excutiatur : antiqua quidem definitio usque ad ultimum vitæ eas ab ecclesia removet. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pœnitentiæ largiamur. » Sed alii trium annorum pœnitentiam hujusmodi hominis denuntiant esse debere, hoc est qui infantem incaute oppresserit, quorum unum ex eis exigat cum pane et aqua, abstineatque ab omni luxuria tempore pœnitentiæ suæ.

III. De eo vero qui viduam proximi sui in conjugium duxit, illud considerandum est, quota generatione ipsa connubia inter propinquos fieri possunt, et sic de utroque sexu judicium æquum agendum : quia alii tertia vel quarta generatione hoc fieri posse judicabant : alii quinta, alii sexta. Sed illud ibi præcipue considerandum est, quod lex divina inde præcipiat, super quo capitulo Humberto episcopo sciscitanti jam respondimus. Cujus responsionis formulam etiam nunc tibi direximus. Manifestum est enim quod sacri canones ei anathema dicunt, qui de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem. Et ideo ibi summa est cautela habenda : ne forte pro incesti noxa æterna damnatio sequatur.

IV. De eo autem quod interrogabas, si pater et filius, vel si duo fratres, aut avunculus et nepos, cum una muliere fornicarentur, quid inde faciendum esset : manifestum est, quod gravi vindicta plectendum erit, quod grave facinus esse reperiatur. Omnis enim mœchia interdicitur ubi scriptum est : « Non mœchaberis. » Quanto magis cum cognata, vel cum conjuge, vel concubina cognati? Quid autem Dominus in lege in vindicta talium jusserit, liber Leviticus demonstrat, ubi ita scriptum est (*Levit.* XX) : « Si mœchatus fuerit quis cum uxore « alterius, et adulterium perpetraverit cum con« juge proximi sui : morte moriatur et mœchus et « adultera. Qui dormierit cum noverca sua, et re« velaverit ignominiam patris sui, morte moriantur « ambo : sanguis eorum sit super eos. Si quis dor« mierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia

scelus operati sunt : sanguis eorum sit super eos. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam : nefariam rem operati sunt, occidentur ambo in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, et portabunt iniquitatem suam. Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies : qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudabit, portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo iniquitatem suam, absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit : absque filiis erunt. » His enim judiciis patet quantum Domino displiceat omnis incestus et pollutio coitus illiciti, quia mortis judicio hujusmodi scelus puniendum esse judicavit. Nec enim filium cum uxore patris, nec patrem cum uxore filii licet concumbere, quia dormire cum noverca seu cum nuru prohibuit. Sed neque ducere uxorem fratris convenit, quia hujusmodi absque filiis fieri, hoc est mortis reus esse, judicatur. Si enim Dominus in lege turpitudinem incestus mortis sententia vindicari jussit, quomodo in Evangelio, ubi summa justitia est, incestuosus pœnam peccati effugiet? maxime cum ibi pœna temporalis decernitur, hic gehenna ignis perpetui prædicitur.

Quam discretionem sentiens Apostolus, ad Hebræos scribens ait (*Hebr.* x) : « Irritam faciens legem Moysi, sine ulla miseratione sub duobus vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? » Proinde valde necessarium est, ut duram judicii sententiam mitigare studeat peccatorum per condignam pœnitentiam : ne forte scelus incorrectum ultio puniat perpetua. Unde est, ut Joannes Baptista in Evangelio turbas quæ exibant ut baptizarentur ab eo, hortatus est, dicens : « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ, jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur (*Luc.* III). » Sacri autem canones quid de incestuosis præcipiant, facile est agnoscere. Nam in Cæsariensi concilio ita scriptum est (*Can.* 2) : « Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter misericordiam, si promiserit quod facta incolumis, hujus conjunctionis vincula dissolvat, fructum pœnitentiæ consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita manenti. » Unde patet, quod æque

A malum est hoc, quod mulier duobus nupserit, et illud, cum vir duas uxores duxerit, aut pater et filius si cum una muliere fornicati fuerint, aut avunculus et nepos si cum una muliere dormierunt, aut aliquid hujusmodi factum fuerit. Quapropter justum est, ut taliter peccantes, usque ad finem vitæ pœnitentiam agant. Nisi forte propter nimium fletum et compunctionem validam, devotamque pœnitentiam aliquid humanius sacerdos apud pœnitentem agendum esse decrevit. Quia cujus Dominus cor in compunctione lacrymarum et amaritudine fletuum visitaverit, hujus breviandi tempus pœnitentiæ potestatem sacerdos habebit, sicut scriptum est in Laodicensi concilio (*Can.* 2) : « De his qui diversis facinoribus peccaverunt, et perseverantes in oratione

B confessionis et pœnitentiæ conversionem habuere perfectam, pro qualitate delicti : talibus, post pœnitentiæ tempus impensum, propter clementiam et bonitatem communio concedatur. » In Ancyrano quoque concilio, de adulterio ita scriptum est (*Can.* 19) : « Si cujus uxor adultera fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, septem annorum pœnitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus. » Igitur Theodorus judicavit, eum qui incestum fecerit, duodecim annis pœnitere debere.

Quid autem inde sentiant cæteri doctores, in libellis eorum quos de pœnitentia conscripserunt invenire poteris, qui, alii quindecim annis, alii duodecim annis, alii decem, alii septem, de hujusmodi

C sceleribus judicaverunt pœnitudinem explendam. Sed tu priscorum Patrum vestigia sequens, illis solis spatium temperes, qui devote et cum lacrymis pœnitentiam egerunt. Cæteri autem definitum tempus expleant, quia in Salomone scriptum est : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur (*Prov.* XXVIII). » Pius est enim Deus et misericors : sed « misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Facit potentiam in brachio suo, dispergit superbos mente cordis sui (*Luc.* I). » « Qui autem mentis est duræ, corruet in malum. Et qui custodit mandatum, custodit animam suam. Qui autem negligit vias suas, mortificabitur (*Prov.* XXVIII; *Prov.* XIX). »

D V. De servo autem illo qui fugerit dominum suum interrogabas, si ille in ipsa fuga mortuus fuerit, utrum liceret pro eo missas cantare, aut psalmodias. Hoc in divinis libris non invenimus prohibitum : sed tamen scimus ab apostolis fortissime præceptum, ut « servi subditi sint in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis (*I Pet.* II), » et obedientes illis fiant in omnibus. In canone autem Gangrensis concilii ita scriptum est (*can.* 3) : « Si quis servum sub prætextu divini cultus doceat dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio, nec ei cum benevolentia et omni honore deserviat, anathema sit. » Unde datur intelligi quod si ille anathema mo-

ruit qui docet servum, dominum proprium contemnere, et ab ejus obsequio recedere : quanto magis ille qui dominum suum spernit, et ejus servitio subdi noluerit. Sed tamen distantia est inter eum qui per superbiam, et illum qui propter necessitatem fugit, coactus crudelitate domini sui. Nam Agar, famula Saræ, fugam iniit, affligente eam domina sua : sed angelo admonente ut reverteretur, et fieret subjecta dominatrici suæ, reversa est ad dominam. Sic et Onesimus servus Philemonis effugit a domino suo, sed Paulo apostolo docente credidit Christo, et baptizatus est. et sic per patrocinium Apostoli restitutus est proprio domino suo. Admonendus est enim servus quilibet fugitivus, per fideles doctores, ubicunque fuerit, ut revertatur ad dominum suum, et fiat ei subjectus, ne forte contemnens præceptum Domini, perpetuo anathemate percutiatur. Attamen si in ipsa fuga obierit, orandum est pro eo, nisi forte aliquo crimine majore implicetur, aut in perfidiam devolvatur, unde fructuosa pro eo non possit esse oratio. Attamen Augustinus, ad Laurentium scribens, ita inter alia ait : « Cum ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcunque eleemosynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur : pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque tamen consolationes sunt vivorum. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsis damnatio. »

VI. De illo vero qui presbyterum se esse finxerit, cum non esset ordinatus, et baptismi officium exercuit, requirendum est utrum ipse baptizans baptizatus esset, et utrum in nomine sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptizaverit. Quod si ita erat, non est iterum baptizandus, sed per impositionem manus episcopalis et unctionem sacri chrismatis id quod factum est confirmandum. Quia quod semel est in sacramento baptismatis effectum, non licet iterari, quoniam unus est Dominus, una fides, unum baptisma. Attamen ille qui præsumptuose egit, et non pro necessitate aliqua, canonica disciplina est coercendus. Igitur, ut beatus Ambrosius testatur, postquam omnibus locis ecclesiæ sunt constitutæ, et officia ordinata, aliter composita res est quam cœperat. Primum enim omnes docebant, et omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quæsivit, aut diem quo eunuchum baptizaret, neque jejunium interposuit. Neque Paulus et * tempus distulerunt, quo optionem carceris cum ejus omnibus baptizarent. Neque Petrus clericos habuit, aut diem quæsivit quando Cornelium cum omni domo sua baptizavit, nec ipse, sed jussit fratribus qui cum eo erant apud Cornelium in Joppe. Adhuc enim præter septem diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergo cresceret plebs et multiplicaretur, omnibus concessum est et evangelizare, et baptizare, et Scripturam in ecclesia explanare. At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, et rectores, et cætera officia ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium quod sciret non sibi creditum vel concessum : et cœpit alio ordine et providentia gubernari Ecclesia. Quod si omnes eadem possent, irrationabile esset, et vulgaris res et vilissima videretur. Hinc ergo est unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque cæteri clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur nisi ægri. Ideo non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam et ipse Timotheum presbyterum a se creatum episcopum vocat, quia primi presbyteri episcopi appellabantur, ut recedente eo sequens succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si episcopus præsens non sit. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio ut non ordo, sed meritum, crearet episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, et esset multis scandalum. Quod autem unum sit Christi baptisma, et licet a diversis ministretur non debeat iterari vel mutari, sacrum Evangelium ostendit, ubi verba Joannis Baptistæ posita sunt ita dicentis : « Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam « de cœlo, et manentem super eum, et ego nesciebam. Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi « dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, « et manentem super eum, hic est qui baptizat in « Spiritu sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei (*Joan.* I). » Quam sententiam beatus Augustinus ita exposuit : « Quid ergo per columbam didicit Joannes, nisi quamdam proprietatem in Christo futuram? ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi sive injusti, non tribueretur sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba. De quo dictum : Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Petrus baptizet, hic est qui baptizat : Paulus baptizet, hic est qui baptizat : Judas baptizet, hic est qui baptizat. Nam si pro diversitate meritorum baptismus esset, quia diversa sunt merita, diversa essent baptismata. Sed unum est baptisma, et solus est Christus, qui per diversos ministros suos baptismate baptizat in remissionem omnium peccatorum. » Ideo sacri canones præcipiunt ut qui ab hæreticis baptizati sunt, non rebaptizentur, sed per impositionem manus sola sancti Spiritus invocatione, quem ab hæreticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus Ecclesiæ securitatem consequantur.

VII. De illis vero qui in Quadragesima ante Pascha carnem manducant, vel juramentum in altari vel in sanctorum reliquiis faciunt, manifestum est quod injuste agunt, quia divinis mandatis contrarii existunt. Unde et per Isaiam Dominus pravorum jejunium spernit, ita dicens : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros

« repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum? et sacco et cinere sternere? Nunquid istud vocavi jejunium et diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Frange esurientibus panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur; et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet, Ecce adsum, quia misericors sum Dominus Deus tuus (*Isa.* LVIII). » Hinc in canone sanctorum Patrum scriptum est (*Conc. Laodic., can.* 50 *et* 52), quod « non oporteat in Quadragesima nuptias aut natalitia celebrare, nec jejunium solvere, totamque Quadragesimam sine veneratione transire; » magisque conveniat omnem Quadragesimam districto venerari judicio. Non est enim dignum, ut qui Ecclesiæ unitatem

A scindit, et sanctorum Patrum traditiones solvit, sine vindicta exeat, sed pro hoc pœnas condignas solvat. Sacerdotis autem judicio temperanda est pœnæ vindicta, secundum modum pœnitentis: quia, ut supra dictum est, qui veraciter pœnitet et per lacrymarum indicia cordis sui contritionem manifestat, leviori disciplina tractandus est, quia cor contritum et humiliatum Deus non spernit, et in quocunque die peccator conversus pœnitentiam egerit, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur. Nec temporis longinquitas, sed animi affectus pensandus est, quia suscepit Dominus triduanam pœnitentiam Ninivitarum, et Petri negationem, amarissimis fletibus ablutam, Dominus indulsit, cum eum tertia die resurgens inter cæteros discipulos angelica voca-
B tione ad suam præsentiam et reconciliationem venire jussit.

Hæc tibi, sancte frater, prout opportunitas temporis se contulit, festinanter dictavi: paratus, si quid deest in responsis, tempore opportuno tibi planius explicare. Tu autem et commendatum tibi gregem diligenter instrue, et nos orationibus juva: quatenus aliquid tibi dignum scribamus, et de tuo bono opere tibi quotidie congratulemur. Dominus omnipotens in hac vita te bonis operibus augeat, et in futuro mercede remuneret sempiterna.

II

Si liceat chorepiscopis presbyteros et diaconos ordinare cum consensu episcopi sui.

Postquam per nos transeuntes abiistis, cogitavi mecum de hoc quod præsentialiter retulistis, qualiter quidam de occidentalibus episcopis senserunt de chorepiscoporum ordine, et quod quidam eorum reordinarent illos, qui temporibus antecessorum suorum a chorepiscopis ordinati sunt, presbyteros atque diaconos, nec non et ecclesias ab eis similiter consecratas, profanantes omnem sanctificationem pristinam, quasi non legitimam, quam tamen cum consensu atque præcepto episcoporum suorum ipsi chorepiscopi perpetraverunt.

Unde et schismata in Ecclesia Dei oriuntur, cum rectores populi Dei in doctrina sua ab invicem discrepant: alii dicentes licere chorepiscopis cum consensu et præcepto majorum suorum, hoc est præsulum civitatum sub quibus ipsi degunt, manus baptizatis imponere, ut accipiant Spiritum sanctum, presbyterosque atque diaconos, necnon et cæteros Ecclesiæ gradus ordinare: alii vero affirmantes, nullo modo eis hoc ministerium competere, sed tantum illis episcopis qui urbibus præsunt. Ex quo videlicet excitantur sectæ, invidiæ, iræ, rixæ, æmulationes, dissensiones, contentiones: per quæ multi de populo, videntes magistrorum dissensionem, non mediocriter scandalizantur.

Non enim hujusmodi litigatores illam concordiam

C apostolicam sequuntur, de qua Philippenses Paulus obsecrat, dicens (*Philipp.* II): « Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritualis, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt considerantes singuli, sed ea quæ aliorum. » Unde et ipse volens juniores suos auditoribus commendare, et non despectos, sed acceptabiles reddere, Corinthios admonet, dicens (*I Cor.* IV): « Rogo ergo vos, fratres, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et
D fidelis in Domino, qui vos commonefaciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in Ecclesia doceo. » Et rursum (*I Cor.* XVI): « Si autem, inquit, venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat, deducite illum in pace, ut veniat ad me: exspecto enim illum cum fratribus. » Hoc autem præceptum humilitatis clare ab ipsa Veritate sumpsit, quæ in Evangelio discipulos de primatu contendentes instruxit, dicens (*Matth.* XX): « Reges gentium dominantur

« eorum, et qui potestatem habent super eos, bene« fici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major « est in vobis, fiat sicut junior ; et qui præcessor « est, sicut ministrator. » Et suo eos exemplo informans sequitur, dicens (*Luc.* xxii ; *Matth.* xx) : « Ego « autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat : « filius enim hominis non venit ministrari, sed mi« nistrare, et dare animam suam redemptionem pro « multis. »

Habebant enim ipsi apostoli adjutores in prædicatione Evangelii Christi, qui etiam ordinationes fecerunt ex præceptis eorum. Unde legitur in codice quem Damasus papa de episcopis Romanæ Ecclesiæ, petente Hieronymo presbytero, conscripsit, quod Linus et Cletus ex præcepto beati Petri ordinationes presbyterorum fecerunt : cum tamen post passionem Petri, non illi, sed Clemens, in honorem cathedræ successerit, ipso eidem tradente principe apostolorum, sicut epistola ejusdem Clementis, scripta ex mandato Petri ad Jacobum fratrem Domini, testatur. Hinc reor quod usus chorepiscoporum primo originem sumpserit, et hactenus in Ecclesia retineatur, ut ipsi chorepiscopi a propriis episcopis ordinati, juxta præceptum eorum, diaconos et presbyteros, ac cæteros gradus ordinent, atque reliqua officia sacerdotalia peragant.

Unde miror quomodo isti qui hanc contentionem movent, ordinem chorepiscoporum tantum despiciant, ut pene eis nihil amplius a dignitate presbyterorum tribuant : cum hoc nec novorum, nec antiquorum, nec etiam ipsis apostolorum dogmatibus consuetudinibusque conveniat, sed in sensu simul a dogmate dissentiat. Claret enim hoc, quod in his non ratio et humilitas, sed invidia atque superbia dominentur : ita ut despectis cooperatoribus suis, ipsi soli potentes ac sanctificatione pollentes videri appetant : et hoc quod sancti Patres ad concordiam et unionem singulis dignitatibus conscripserunt, ipsi magis damnationem noxiam, quam discretam dispositionem esse putent. Præcipiunt enim sacri canones qualiter unusquisque ordo mensuram suam custodiat, a minimo usque ad maximum, et minor gradus majori semper subditus fiat : ita ut diaconi absque episcopo vel presbytero baptizare non præsumant, nisi prædictis fortassis officiis longius constitutis necessitas extrema compellat : et ut gratiam sacræ communionis post presbyteros accipiant diaconi, aut episcopo eis aut presbytero porrigente : sed nec sedere in medio presbyterorum diaconis liceat, nec etiam coram presbytero sedere audeant, sed jussione presbyteri sedeant. Similiter quoque mandant, ut diaconis honor exhibeatur ab obsequentibus, id est, subdiaconis et omnibus clericis.

De presbyteris vero in decretis Gelasii papæ ita scriptum est (*Gelas. I, ep.* 9, *c.* 6) : « Nec minus etiam presbyteros ultra suum modum tendere prohibemus, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere : nec conficiendi chrismatis, nec con-

A signationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem : non præsente quolibet antistite, nisi fortasse jubeantur, vel orationis vel actionis sacræ suppetere sibi præsumant licentiam : neque sub ejus aspectu, nisi jubeantur, aut sedere præsumant, aut venerabilia tractare mysteria : nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine summo pontifice, subdiaconum vel acolythum jus habere faciendi : nec prorsus dubitent, si quidquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens, suo nutu putaverint exsequendum, continuo se presbyterii dignitate et sacra communione privari. »

De chorepiscopis autem in Ancyrano concilio ita scriptum est (*Can.* 12) : « Chorepiscopis non licere presbyteros aut diaconos ordinare, sed nec presby-

B teros civitatis, sine præcepto episcopi vel litteris, in unaquaque parochia. » Attendo, quod non dicit, chorepiscopis non licere penitus diaconos aut presbyteros ordinare, sed non aliter licere, nisi ex præcepto episcopi sui vel litteris in unaquaque parochia.

Item in Antiocheno concilio sic legitur (*Can.* 10) : « Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint, tamen sacræ synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, et gubernent subjectas sibi ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint. Ordinent etiam lectores et subdiaconos atque exorcistas. Quibus promotiones istæ sufficiant : nec presbyterum

C vero, nec diaconum audeant ordinare præter civitatis episcopum (id est præter conscientiam civitatis episcopi [a]) cui ipse cum possessione est subjectus. » Cum autem chorepiscopos manus impositionem episcoporum percipere dicat, et quidem sicut episcopi consecrati sint : cur cum consensu episcoporum, quibus subjecti sunt, consecrationes sacrorum ordinum eis facere non licet, et cum chrismate sacro fideles consignare? Vanum est enim, quemquam consecrationem episcopalem habere, si ministerium episcopi ei non licet agere. Ad quid ergo invocatur Spiritus sanctus ab episcopo ordinatore sanctificationem personæ ordinandæ, et tribuat [*Forte* ut sanctificationem personæ ordinandæ tribuat], si ipse invocator et ordinator, post consecrationem, quam

D rite peregit, reprehenderit? Nunquid Dominum irridet, cujus donum poscit, cum postea illud donum spreverit? Nunquid non et calumnia, qua Domini significationem [*Forte* sanctificationem] illudit, ad ipsum auctorem sanctificationis pertingit? Planum est ergo quod in Spiritu sancto per verbum Dei omnis sanctificatio adimpletur. Et quare non pertimescit blasphemare, et derogare Spiritus sancti potentiæ? cum scriptum sit (*Luc.* xii) : « Qui dixerit ver« bum contra filium hominis, remittetur ei : qui « autem dixerit contra Spiritum sanctum, non re« mittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in fu« turo. » Unde Petrus apostolus in Actibus aposto-

[a] Parenthesis est Rabani.

lorum, cum Cornelium centurionem et eos qui secum erant videret accepisse gratiam Spiritus sancti, Judæos contra se altercantes pro eo quod ad gentes introiret et manducaret cum illis, tali responso refutat, dicens: « Si ergo eamdem gratiam dedit illis « Deus sicut et nobis, qui credidimus in Dominum « Jesum Christum: ego quis eram qui possem prohibere Dominum? His auditis tacuerunt, et glorificaverunt Dominum, dicentes: Ergo et gentibus « Deus pœnitentiam ad vitam dedit (*Act.* XI). » Quem ergo Deus dono spiritus sui honorat, non est rectum ut ab hominibus dehonestetur. Nec debet quisquam pro calumnia deputare, quod divina dispositione constat ordinatum esse: quæ enim sunt, a Deo ordinata sunt. Proinde nec inferioribus episcopis dignitas proprii gradus tollitur, cum metropolitano totius B provinciæ cura delegatur. Nam sine eo in provincia episcopum ordinare, nec generale concilium convocare, nec quidquam aliud cæteris episcopis licet in provincia agere, nisi quæ tum constat ad singulorum parochias et episcopatus pertinere. Si enim in episcoporum ordine chorepiscopos non liceret habere, nullatenus inter trecentos decem et octo Patres, qui in Nicæno concilio adfuerunt, annumerarentur. In quorum catalogo amplius quam duodecim chorepiscopi inserti sunt, ubi nullus presbyterorum vel diaconorum in numero præfinito Patrum, sed solummodo metropolitani et episcopi, atque chorepiscopi, nominatim recensiti inveniuntur. Ad quid enim episcopus cujuslibet civitatis chorepiscopum sibi vult ac decernit ordinare, si ipsam ordinationem suam C nullam efficaciam arbitratur habere. Dicit enim Apostolus (*Rom.* XIV): « Beatus qui non judicat semet« ipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si « manducaverit damnatus est, quia non ex fide. « Omne autem quod non est ex fide, peccatum « est. » Hanc quidem sententiam non ad ciborum solummodo qualitatem et differentiam discernendam, sed ad omnem ambiguitatem et duplicitatem tollendam, prolatam esse intelligimus: ut non simus parvuli fluctuantes in omni vento doctrinæ, sed sani et stabiles in fide et firmi in apostolica doctrina. « Vir « enim duplex animo inconstans est in omnibus viis « suis: et, qui hæsitat similis est fluctui maris qui « a vento movetur et circumfertur (*Jac.* I). »

Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid D a Domino, ait enim ipsa Veritas in Evangelio: « Amen « dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia « accipietis, et fiet vobis. Omnia enim possibilia sunt « credenti (*Marc.* XI; *Marc.* IX), » quia fides vera recte credentem salvat: et justus in fide sua vivit, illa videlicet quæ per dilectionem operatur. Hoc enim sanctorum Patrum prudentia posteris suis providit, et sacra canonum auctoritas instituit, ut dissensio et schismata in Ecclesia Christi non fierent, sed magis unitas et concordia pacis inibi prævaleret. Et ideo unicuique ordini juxta mensuram suam officium delegavit, ut per studium humilitatis et dilectionis pax Christiana et concordia in populo Dei perseveraret. De quo et ipsa Veritas, discipulos ad imitationem sui provocans, ait: « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis « corde, et invenietis requiem animabus vestris. Ju« gum enim meum suave est, et onus meum leve « (*Matth.* XI). » Hoc jugum per charitatem fideles sociat, non per contentionem dissipat: hocque onus non opprimit se portantem per ponderis gravitudinem, sed magis sublevat ac sustentat per solatii consolationem.

Nihil ergo juvat reprehensores hos et vaniloquos magistros, quia ad defensionem erroris sui illud de Actibus apostolorum sumere nituntur, quia Petrus et Joannes missi sint ab apostolis de Hierosolymis in Samariam, ut imponerent illis manus, qui a Philippo baptizabantur, quatenus acciperent Spiritum sanctum, quoniam aliter hoc fieri non decebat, quam ut apostoli implerent et perficerent ea quæ a ministro eorum bene cœpta fuerant. Non enim Philippus hic unus de duodecim, sed unus de septem diaconibus erat, qui ab apostolis paulo ante ordinati sunt, qui et in catalogo septem levitarum primus post Stephanum annumeratus est. Unde post Stephani necem statim ad Philippi actus explicandos scriptor historiæ videtur transire, ita dicens: « Facta est autem « in illa die persecutio magna in ecclesia quæ erat « Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones « Judææ et Samariæ præter apostolos (*Act.* VIII). » Et post pauca: « Igitur qui dispersi erant, pertrans« ierunt evangelizantes verbum Dei. Philippus au« tem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat « illis Christum. Intendebant autem turbæ his quæ « a Philippo dicebantur, unanimiter audientes et vi« dentes signa quæ faciebat. Multi enim eorum qui « habebant spiritus immundos, clamantes voce ma« gna, exibant. Multi autem paralytici et claudi cu« rati sunt: factum est autem magnum gaudium in « illa civitate (*Ibid.*). »

Et non multum post: « Cum autem, inquit, audis« sent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit « Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum et « Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis « ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in « quemquam illorum venerat: sed baptizati tantum « erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant « manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum « (*Ibid.*). » Idem etiam Philippus baptizavit eunu« chum Candacis reginæ Æthiopum, sicut consequenter narrat: et post discessum ejus « pertrans« iens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veni« ret Cæsaream (*Act.* VIII). » De quo Lucas alibi mentionem facit, cum transitum Pauli ad Jerusalem enumerasset, ita dicens: « Alia autem die profecti, « venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi « evangelistæ, qui erat unus ex septem, mansimus « apud eum. Huic autem erant filiæ quatuor virgines « prophetantes (*Act.* XXI). » Unde apparet quia iste Philippus non fuit episcopus, neque chorepiscopus, sed tantum diaconus et evangelista. Si enim chor-

episcopus esset, nequaquam scriptor historiæ hoc tacuisset. Necdum Apostoli ab invicem discesserant, ut in singulis provinciis aut civitatibus episcopos aut chorepiscopos ordinarent, sed in Hierosolymis tantum manentes prædicabant verbum Dei, donec, Spiritus sancti dispositione agente, ad prædicandum gentibus per orbem directi sunt.

Sicque omnis ordo ecclesiasticus in singulis locis juxta eorum dispositionem distributus, hactenus in ecclesia catholica servatur : et sicut una fides, unum baptisma, una religio, a Christianis in toto orbe tenetur : ita unius ejusdemque Spiritus sancti distributione pax et concordia in electis Dei ubique firmiter corroboratur, omnisque discordia procul pellitur. Quoniam, juxta Apostolum (*Rom.* II), « quicumque « spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei : qui autem « spiritum Christi non habet, hic non est ejus. »

Proinde idem doctor gentium nos admonet dicens (*Ephes.* IV) : « Obsecro itaque vos ego vinctus in Do- « mino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati « estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum « patientia, supportantes invicem in charitate, solli- « citi servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. « Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in « una spe vocationis vestræ. »

Convenit enim quibusque fidelibus et membris corporis Christi ut honore se invicem præveniant, se sufferant : ne contra Apostolum « efficiantur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem inviden- « tes (*Gal.* V); » sed magis unanimes omnes sint in oratione, « compatientes, fraternitatis amatores, « misericordes, humiles (*I Pet.* III); » nihil agant per contentionem, quia non est dissensionis Deus sed pacis.

Hæc enim tantummodo nobis credendi regula ex præcepto Dominico conceditur, ut contendamus per angustam portam intrare, et arctam viam intendere quæ ducit ad vitam; non latam et spatiosam, quæ ducit ad mortem. Si enim bonæ devotionis et mansuetudinis indicia per humilitatis atque obedientiæ præbemus officia : veri imitatores Dei effecti, Christi Domini sequemur exempla, qui, cum adhuc peccatores essemus, pro impiis servis « mortuus est, justus « pro injustis : ut nos offerret Deo, mortificatus « quidem carne, vivificatus autem spiritu (*I. Pet.* « III). » « Qui destruxit quidem mortem, illuminavit « autem vitam et incorruptionem per Evangelium (*II Tim.* I). » Excelsus inter angelos, humilis inter homines, ministrare voluit, non ministrari. Unde in cœna mystica discipulorum pedes lavit, et linteo quo erat præcinctus tersit, cum publicanis et peccatoribus manducavit, peccatricem mulierem ad se accedere permisit, et lavare lacrymis ac tergere capillis pedes suos consensit, nihil veritus Pharisæorum superstitiosam reprehensionem, propter quod injustis querimoniis eorum ita respondit dicens : « Dimissa « sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum « *Luc.* VII). » Et item : « Non veni, inquit, vocare « iustos, sed peccatores (*Marc.* II). » Et alibi : « Filius, inquit, hominis venit salvare quod perierat (*Matth.* XVIII). » Et rursum : « Non enim venit filius « hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mun- « dus per ipsum (*Joan.* III). » At contra si despecti cæteris fratribus ac conservis nostris, in sublime volumus extolli, ac soli potentes et gloriosi cupimus ab hominibus videri : sine dubio illius imitamur jactantiam, qui despectis cæteris sanctis, angelorum turmis ad similitudinem Dei non per humilitatem sed per jactantiam voluit sublimari, cum dixit : « Ascendam in cœlum, super altitudinem nubium, « ponam thronum meum ad aquilonem, et ero simi- « lis Altissimo (*Isa.* XIV). » Unde merito de sublimitate angelica projectus in inferni tartarum draco perfidus, traxit secum tertiam partem siderum : ubi et nos, si ejus sequimur vecordiam, propter mentis nostræ superbiam a sanctorum societate expulsi, pœnas gehennæ cum illo luemus æternas.

Quomodo autem tam prælatis quam subditis agendum sit, Ecclesiæ pastor Petrus in Epistola sua admonet dicens : « Seniores ergo qui in vobis sunt ob- « secro, consenior et testis Christi passionum, qui et « ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communi- « cator : pascite qui in vobis est gregem Dei, provi- « dentes non coacte, sed spontanee, secundum « Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; « neque ut dominantes in cleris, sed forma facti « gregis ex animo : et cum apparuerit princeps pa- « storum, percipietis immarcescibilem gloriæ coro- « nam. Similiter adolescentes subditi estote seniori- « bus, omnes autem invicem humilitatem insinuate : « quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat « gratiam (*I Petr.* V). » Quapropter necessarium mihi videtur ut omnes humiliemus nos sub potenti manu Dei, quatenus ipse nos exaltet in tempore visitationis : et quisquis in majori dignitate ex electione Divina se positum agnoscit, commilitones suos ac ministros omni honore dignos arbitretur, et ex mutua dilectione locum eis præbeat perficiendi ac bene operandi : quia venient dies, quando non honoris dignitates, sed bonorum operum requirentur actiones. Filius enim Dei venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. « Omnes enim stabimus ante tribunal « Christi, ut referat unusquisque propria corporis, « prout gessit, sive bonum, sive malum (*Rom.* XIV, *II Cor.* V). » Qui autem inferioris gradus est, non majora et quæ ad se non pertinent per elationem appetens, tentet : sed contentus sit officio, quod sibi Divina ordinatio voluit conferre : et ita rite credendo, ac recte docendo, beneque operando, quotidie in Deum proficiat, ut ministerii sui bonum præmium consequatur. Qui enim bene ministraverit, gradum sibi bonum adquirit. Unde ipsa Veritas ait : « Qui mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, « illic et minister meus erit. Si quis mihi ministra- « verit, honorificabit eum Pater meus (*Joan.* XII). » Et alibi : « Volo, » inquit, Pater, ut ubi sum ego, ibi « sit et minister meus. »

Grandis honor est, Christi ministrum esse : unde et grande præmium bene ministrantes sequitur, ita ut cum Christo et sanctis angelis ejus in cœlesti beatitudine sine fine lætentur : atque ideo non convenit servis Christi contendere de sublimitate honoris, sed magis certare de utilitate sanæ prædicationis, et assiduitate bonæ operationis, ut populus Christi audiat ex ore eorum verbum rectæ fidei, et videat in actibus eorum bonum exemplum per humilitatis indicium, quia juxta veritatis sententiam : « Omnis « qui se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humi« liaverit, exaltabitur (*Matth.* XI). » Qui enim gradum honoris in Ecclesia Christi acceperunt, quomodo vivere debeant et quid agere, audiant ipsum Dominum ostendentem atque præcipientem : « Sint, « inquit, lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes « in manibus : et vos similes hominibus exspectanti« bus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, « ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei « (*Luc.* XII). » Et quale eos præmium taliter facientes in futuro sequatur, mox subjungit, dicens : « Beati illi servi, quos, cum venerit Dominus inve« nerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcin« get se, et faciet illos discumbere, et transiens mi« nistrabit illis (*Ibid.*). » Et paulo post : « Quis pu« tas est, inquit, fidelis dispensator, et prudens, « quem constituit dominus super familiam suam, ut « det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille « servus, quem, cum venerit Dominus ejus, invene« rit ita facientem. Vere dico vobis, quia super om« nia quæ possidet, constituet illum (*Ibid.*). » Non enim pigris et hebetibus doctoribus, et de primatu hujus mundi atque divitiis certantibus, tale præmium promittitur : sed bene laborantibus, et digne Deo servientibus.

Non est enim æquum, ut collatio sacri ordinis, servis Christi fiat causa elationis et terrenæ voluptatis : quia nec in ipsius magistri nec in discipulorum ejus dictis sive exemplis aliquid hujusmodi reperiunt. Quomodo autem de Christi moribus nos instruat apostolus Paulus, audiamus : « Hoc autem, inquit, sen« tite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in « forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse « se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, for« mam servi accipiens, in similitudinem hominum « factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit se« metipsum factus obediens usque ad mortem, mor« tem autem crucis : propter quod et Deus illum « exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super « omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flecta« tur, cœlestium, terrestrium, et infernorum : et « omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Chri« tus in gloria est Dei Patris (*Philip.* II). » Hinc ergo discipulis suis præcepit, dicens : « Nolite solliciti « esse, dicentes, Quid manducabimus? aut quid bi« bemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia gen« tes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his om« nibus indigetis. Quærite autem primum regnum « Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur

A « vobis (*Matth.* VI). » « Qui non renuntiaverit om« nibus quæ possidet, non potest esse meus discipu« lus (*Luc.* XIV). » « Qui vult venire post me, abne« get semetipsum, et tollat crucem suam, et sequa« tur me. Qui enim voluerit animam suam salvam « facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam « suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest « homini, si mundum universum lucretur : animæ « vero suæ detrimentum patiatur? etc. » (*Luc.* XIX.) Hinc et Petrus, exhortans fideles in Epistola sua, ait : « Succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte « sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in re« velationem Jesu Christi, quasi filii obedientiæ, non « configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, « sed secundum eum qui vocavit vos, sanctum; et B « ipsi sancti in omni conversatione estote, quoniam « scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus « sum (*I Petr.* I). » De quo et Joannes ait : « Nolite « diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si « quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, « quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia « carnis et concupiscentia oculorum est, et superbia « vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est; et « mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem « facit voluntatem Dei, manet in æternum (*I Joan.* « II). » Hinc et Paulus ait : « Non ergo regnet pec« catum in vestro mortali corpore ad obediendum « desideriis ejus : sed neque exhibeatis membra ve« stra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos « Deo, tanquam ex mortuis viventes, arma justitiæ C « Deo (*Rom.* V, VI). » Et iterum : « Carnis, inquit, « curam ne feceritis in desideriis (*Rom.* XIII). » Et rursum : « Non ergo amplius invicem judicemus : « sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum « fratri, vel scandalum (*Rom.* XIV). » Et iterum : « Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infir« morum sustinere, et non nobis placere : unusquis« que proximo suo placeat in bonum ad ædificatio« nem (*Rom.* XV). »

Si autem secundum hujusmodi doctrinam conformemus nos exemplis obedientiæ, humilitatis et mansuetudinis Christi, considerantes singuli non quod nobis, sed quod aliis utile est, nec cupiditatibus hujus mundi, atque illecebris operam demus : nulla D erit inter nos contentio de sublimitate honoris, et inani jactantia terrenæ potestatis, et conflictus nequam de quæstu nefando præsentis sæculi : sed erit firma pax et concordia inter nos, exercebiturque unanimiter cultus pietatis : et religio sancta, et immaculata coram Deo (exspectantes supernam gloriam in revelatione Domini nostri Jesu Christi) et Salvatore nostro, sine reprehensione custodietur : et ita omnia membra corporis Christi erunt in pace, quem cum non videmus, diligimus; in quem nunc quoque non videntes credimus, et exultando speramus, quod in adventu ejus percipiamus finem fidei nostræ, salutem animarum nostrarum.

Igitur quia ordo præteritæ narrationis vestræ, et responsionis parvitatis nostræ, hoc exigebat, ut con-

tra tam ineptum conflictum sacerdotum, atque scandalum plebis, aliqua de scripturis sacris, atque orthodoxorum patrum sententiis excerperemus, quæ ostenderent ac declarando manifestarent, quia servos Christi non oportet litigare, sed mansuetos esse ad omnes, docibiles et patientes : fecimus quod agendum esse censuimus, et in brevi libello hæc comprehendentes, sanctitati vestræ dirigere curavimus : A petentes ut, si dignum ducatis hæc legere, ea quæ recte ibi posita sint, vestra auctoritate confirmetis : si qua autem reprehensione ibi digna videantur, ignorantem vestra prudentia instruatis, quatenus per omnia labor noster non inanis fiat, et studium doctrinæ vestræ multiplici mercede ab omnium bonorum datore remuneretur.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

BEATI RABANI MAURI

OPERUM OMNIUM PARS SECUNDA.—*Scripta ab ipso edita post relictam abbatialem curam.*

HOMILIÆ.

I.

HOMILIÆ DE FESTIS PRÆCIPUIS, ITEM DE VIRTUTIBUS.

II.

HOMILIÆ IN EVANGELIA ET EPISTOLAS

PŒNITENTIALE.

COMMENTARIA IN EZECHIELEM.

FINIS TOMI CENTESIMI DECIMI.

20
25